✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 9.

ALPHONSI

TOSTATI

HISPANI,

ABVLENSIS

EPISCOPI,

Philoſophi, Theologi, ac Pontificij Iuris Cæſareiq; conſultiſſimi, nec non linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritiſſimi,

OPERVM


TOMI V. PARS III.

CONTINENS

COMMENTARIA IN IVDICES, ET RVTH.

Nunc primùm in Germania poſt Venetas impreſſiones diligentiſſimè in lucem edita.

PERMISSV



SVPERIORVM.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, & Antonij Hierati.
ANNO M. DC. XIII.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS;

COMMENTARIORVM IN LIBRVM IVDICVM

PRÆFATIO.

HVNC Librum, quem nos Latino ſermone vtentes librum Iudicum appellamus, Hebræi patrio more Sophet appellant ſeu Sophetim : quod idem pœnitus, licèt diuerſa lingua, eſt. Hunc ſcriptores ſacri ſeriem temporalium rerum conſideranes Ioſue libro ſubiunxerunt, quippe quia poſt illam hæc hiſtoria conſecuta eſt. Vocatur autem liber Iudicum, quia de geſtis Iudicum Iſraël in hoc libro hiſtoria contexta eſt. Hunc librum in auctoritate libro Ioſue, & Regum æquiparamus: quoniam in ſecundo ordine canonis, ſcilicet, inter prophetales collocatur, & eſt ecundus illorum, vt ait Hieronymus in Prologo Galeato. *De libri inſcriptione.*

Quare vocetur liber iſte Iudicum: & an debeat poni inter libros Sacræ Scripturæ.

QVÆSTIO I.

QVæret aliquis, quare vocatur Liber iſte Iudicum. Reſpondendum, quòd populus Iudaicus eductus de Aegypto, & introductus in locum habitationis ſuæ non ſemper eundem modum regiminis, & principatus habuit. Quodam autem tempore per viros bonos regebatur, qui iudices appellati ſunt, eo quòd iudicabant Iſraëlitas ius reddentes in negotijs eorum, ad eoſque totus populus confluebat, quorum geſta, ne obliuionis caligine velarentur, ſacra Scriptura in vnum volumen compegit. Et quoniam tota narratio de viris illis iudicantibus eſt, nec interponuntur alia, niſi quæ ſub horum iudicum tempore ab eis, vel ab alijs geſta ſunt, rectè liber Iudicum appellatus eſt.

An liber Iudicum inter Sacræ Scripturæ libros poni debuerit.

QVÆSTIO II.

QVæretur vlterius, an Liber Iudicũ debuerit poni inter libros ſacræ Scripturæ. Et primò videtur, quòd non, quia vt ait Apoſtolus 2. Timoth. 3. omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne bonum inſtructus. Liber tamen Iudicum non eſt ad aliquid huiuſmodi, eo quod puram hiſtoriam texit: ideo nõ debuit poni inter libros ſacros. In contrarium videtur, quòd debuerit poni inter ſacras Scripturas, quia liber iſte à propheta conſcriptus eſt. Quod patet, quia ponitur ſecundus in ordine librorum prophetalium, vt declarat Hieronymus in prologo Galeato: ſi tamen non fuiſſet aliquid vtile, & ſanctũ, propheta non ſcripſiſſet illum. Nam prophetia non eſt à propria voluntate, ſed ſicut Deus inſpirat, vt patet 2. Pet. cap. 2 ſcilicet: Hoc primum ſcientes, quoniam omnis prophetię ſcriptura propria voluntate non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Deus tamen non mouet ſupernaturaliter hominem, niſi ad aliquid, quod valde vtile eſt: ergo liber iſte debuit poni tanquam vtilis inter libros ſacræ Scripturæ. Item patet, quia Chriſtus allegat interdum ſimiles libros, ſcilicet, libros Regum, qui ſunt purè hiſtoriales, ſicut liber iſte, vt patet Matth. 12. ſcilicet: Non legiſtis, quod fecit Dauid, quando eſuriuit, & qui cum illo erant: quomodo intrauit in templum Domini, &

panes propoſitionis comedit,quos non licebat comedere,niſi ſolis ſacerdotibus. Et iſtud habetur 1.Reg. 21.cap.ergo etiam liber Iudicum allegari poterat à Chriſto tanquam eiuſdem auctoritatis,vel ſimilis : & conſequenter poni debuit inter ſacras Scripturas. Reſpondendum,quòd liber iſte debuit poni inter ſacras Scripturas,quia vtilitas eius multiplex eſt. Totius enim ſacræ Scripturæ intentio eſt hominem per quædam media conuenientia manuducendo perducere in vitam æternam.Hoc autem fit inquantum homo Deo applicatur.Poteſt autem Deo applicari homo dupliciter,ſcilicet ſeruiendo,& amando. Seruiendo quidem,vt Domino,& Creatori. Amando autem, vt ſummum bonum. Homines autem Deo ſeruiunt laudando eum. Ideo intentio ſacræ Scripturæ eſt inducere hominem ad laudandum Deum. & iſte actus non eſt alienus,ſed de cõuenientiſſimis ad Dei cultum:nec aliquid Deus magis acceptat. Vnde alma mater Eccleſia miniſtris ſuis,qui ſacri ſunt,nullum aliud miniſterium dedit,niſi Deum laudare. In veteri autem teſtamẽto potiſſima operatio ſacerdotum,& Leuitarum erat, ſemper manere in canticis diuinæ laudis in varijs generibus muſicorum organorum,vt patet 1.Paralip.25. Et licèt ſacrificia, & aliæ cæremoniæ fierent in ſanctuario,nihil erat,quod magis Deo placeret,quam Laus Sic patet Pſalm.49.ſcilicet: Sacrificium laudis honorificabit me,& illic oſtendam iter ſalutarium meorum. Vnde tota intentio Dauid fuit Deum laudare,& omnes creaturas non ſolùm rationales,ſed etiam non ſentientes ad Dei laudem conuocare: & de hoc ſolo librum Pſalmorum edidit.Laus tamen eſt ſermo explicãs magnitudinem: ideo debuerunt nobis aliqua magna de Deo proponi,per quæ moueremur ad laudãdum Deum: Hæc autem ſunt mirabilia Dei,& ſtupenda quæ frequenter Deus exercuit : ideo ſacra Scriptura curauit admiranda geſta Dei,vel omnia,vel plura ſtilo,memoriæque mandare, vt habeat omnis ætas quid de Deo admirari poſſit, & ex hoc in laudes moueatur. Enarrantur autem in libro iſto admiranda geſta Dei liberantis populum ſuum de manu hoſtium,pro quo ille Iudaicus populus Deum laudare debebat, nos quoque (quamquam ad nos immediatè illa non pertinuerint) quia magnum vbicunque reperiatur laudabile eſt. Et ſicut Deus iuſſit,vt patres filijs,& nepotibus enarrarent magnalia Dei , vt ſic per omnia ſæcula extenderetur nomen Dei,vt patet Exod.13.& Deut.6.ita ſcriptura firmius teſtimonium literis mandauit de Dei magnalibus, de quo nulli dubitare licet, & in æternum permanſurum eſt. Amplius autem homines Deo adhærent eum amando,quia qui diligit Deum,vnus ſpiritus eſt cum eo.2.Corinth 6.cap. Deus autem,quãquam propter ſeipſum diligendus ſit,& non propter ea,quæ confert:quia tamen homo,qui animalis eſt, mouetur ad diligendũ eum per bona,quæ ſe cognoſcit recepiſſe,voluit ſcriptura enarrare beneficia collata nobis à Deo. Hoc autem præcipuè in populo vetuſtiſſimo Hebræorum,qui cùm carnales eſſent, non mouebantur, niſi collatis actualiter beneficijs,vel facta promiſſione de conferendo.Ideo omnis exhortatio huius teſtamẽti promiſſionibus beneficiorum,& comminationibus pœnarum procedit, vt patet Leuit 26. & Deut.28. Liber autem iſte agit de plurimis miſericordijs Dei erga populum Iudaicum, quem ſemper ab hoſtibus oppreſſum mirabiliter liberabat: ideo liber iſte conuenienter inter ſacras Scripturas collocatus eſt Amplius non ſolùm liber iſte populo Iudaico conueniens erat,ſed & nobis nimiũ confert:Nam vt ait Philoſophus Ethicorum libro decimo,in Moralibus magis opera mouent,quàm verba. Vnde ſi quis delectationem in ſermone deteſtetur,opere autem delectationes videatur appetere,huius ſermo cõtemptibilis eſt. Cùm igitur ſacra Scripitura inſtruxerit nos ad actus virtutũ per libros legales,& doctrinales,qui in ſola præceptione,& prohibitione conſiſtunt,quales ſunt libri Moyſi:inſtruxit nos etiã exemplis ſanctorum circa eaſdem virtutes. Iſta præcepta de actionibus virtuoſis poſita fuiſſe conſtat,ſed à nullo vnquam obſeruata propter ſui difficultatem:ſicut multæ politiæ ordinatæ ſunt à Philoſophis,quæ à nullis vnquã gentibus obſeruatę ſunt,vt declarat Ariſtot.ſecũdo Politicorum. Poſuit igitur ſacra Scriptura libros hiſtoriales, in quibus declarat virtutes ſanctorũ virorum:& quomodo illi perfectius in quibuſdam legẽ obſeruauerint,quàm ipſa lex iuſſerit. Et iſta fuit cauſa,quare ſcriptura vtriuſq; teſtamenti poſuit tam libros hiſtoricos,quàm libros doctrinales Nam in veteri teſtamento libri Moyſi,& pſalmi ad doctrinam pertinent virtutum: alij autem ſunt, qui hiſtoriam temporum ad inſtructionem in virtutibus agunt. In nouo autem teſtamẽto libri Euãgeliorum,& epiſtolarum legales,ſiue doctrinales ſunt.Liber autem Actuum Apoſtolorum hiſtoriam deſcribit naſcentis Eccleſiæ:& quantis ſe tribulationibus obiecerint viri ſancti,& qua ſanctimonia in omnibus actionibus ſuis fulſerint. Audeo enim dicere,quòd licèt libri doctrinales ad tollenda dubia aptiores, quàm hiſtorici ſint:libri tamẽ hiſtorici ad moralia vtiliores ſunt, quia animos magis mouent facta quàm verba,10.Ethic.& ſicut in doctrinalibus erudimur de omni genere virtutum,ita quoque in hiſtoricis,quia nullius virtutis genus eſt,in quo viri ſancti ſe non exercuerint,ſicut liber Iob ad patientiam excitat,& alij libri ad ſpeciales virtutes. Amplius autem potiſſima cauſa hiſtorialium librorum eſt ad conſolationem ſeruorum Dei,& ad longanimitatem,& patientiã,& vt aduerſitatibus reſiſtamus. Nam licèt quidam Deũ diligant,quia tamen teneri ſunt , mouentur ab aduerſitate : ideo ſcriptura exprimit quomodo viri ſancti æquanimiter aduerſa paſſi ſunt. Alij autem,licèt tolerent aduerſa, quia tamen quotidie expectantes non experiuntur bona Dei,quæ pro bonis operibus nobis largiturus eſt,refrigeſcunt,& retrocedunt: ideo ſcriptura poſuit exempla ſanctorum,qui magno tempore Deum ſuſtinuerunt,nihil ſuſcipientes de bono promiſſo,ſic inducit Apoſtolus exemplum de Abraham,& de alijs,ad Hebræ.11. Vnde de hoc dat Apoſtolus ſententiam generalem circa ſcripturam,dicens:Fratres quęcunq; ſcripta ſunt,ad noſtrã doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, id eſt, quod per patientiam, quam ſcriptura aſſerit fuiſſe ſanctorum Patrum , nos conſolemur in noſtris aduerſitatibus, ſuſtinentes ſicut illi ſuſtinuerunt , & habeamus ſpem quamquam differatur expectatio. Conſolantur autem viri boni, qui aliquid ſpirituale habent, cum ea,quæ Deus nobis promittit, & quomodo viri ſancti per multas aduerſitates ad illa peruenerint,audiunt.Sic Apoſtol.1 ad Theſſal.cap.4.cùm enarrauit nobis euenturam vitam æternam:& quomodo per mortem illuc peruenietnus ſubiungit : itaque cõſolamini inuicem in verbis iſtis.Item libri hiſtorici in ſacra Scriptura (licèt indirectè) ad id proficiunt, ad quod doctrinales,

vel le-

Reſponſ. ad quæſitum.

Dupliciter homo applicatur Deo.

Laus quid ſit.

Deus propter ſeipſum eſt diligendus.

Vtilitas libri huius.

Vtriuſq; teſtamenti ſcriptura quare tã libros hiſtoricos quã doctrinales poſuerit.

vel legales:& hoc dupliciter.Primò,quia non eſt aliquis liber tam hiſtoricus,quin interdum aliqua documenta ad agendum,vel intelligendum ponat.Secundò etiam,quia ſi nō ponantur ibi aliqua præcepta viuendi,quia tamen narranturibi ea,quę ſancti viri egerint,& quæ euitauerint:nobis innoteſcit quid ſequi, aut fugere debeamus. Actio quippe illorum nobis viuendi norma eſſet debet. Sic enim in moralibus eſt, quoniam id iudicari debet bonum,quod viri iuſti,& prudentes bonum iudicauerint,vt ait Ariſtot Ethicorum ſecundo,ponens medium virtutis,ſecundum quod ſapiens determinabit: & vocantur ſapientes non viri ſpeculatiui,ſed qui in agendis nimis inſtructi ſunt. Sic etiam dicit Ethicorum libro ſexto,quod dictis iſtorum ſeniorum ſiue probationibus tantū aſſentire debemus,ſicut in mathematicis aſſentimus demonſtrationibus.Tam liber ergo iudicū,quàm cæteri hiſtorici in ſacra Scriptura valde conuenientes fuerunt. Quia tamen in hiſtoricis multa falſa miſceri ſolent ad laudandum,vel vituperandum,noluit ſcriptura aliquos accipere hiſtoriales libros,niſi,qui à Prophetis conſcripti ſunt.Cùm autem arguebatur,quòd non deberet poni liber iſte in canone ex auctoritate Apoſtoli: dicendum,quod liber iſte non eſt inutilis in ſacra Scriptura,quin potius nimis prodeſt,& valet ad omnia,quæ nominauit Apoſtolus. Dixit enim,quòd omnis ſacra Scriptura vtilis eſt ad docendum & cæt.Et primò eſt vtilis ad docendum: quia docere importat informationem per modum doctrinæ: Eſt autem doctrina interdum quantum ad ea,quæ intelligibilia purè ſunt,& non agibilia: interdum verò ad actiones. Vtrunque accidit eſſe in libris hiſtoricis : quia ſæpè,licèt accidentaliter interponuntur aliqua documenta de rebus naturalibus, quæ ad actionem non pertinent: ſicut in libro Iob,& in quibuſdam alijs.Interdum autem ponuntur documenta moralia, cùm introducantur in ipſis hiſtorijs dicta Sanctorum , & illa ſunt nobis præcepta viuendi. Eſt etiam vtilis ad arguendum ; id eſt , ad reprehendendum , & confutandum errorem malè opinantium , & peccatum malè operantium. Nam viri ſtudioſi circa ſanctam Scripturam debent eſſe parati ad reddendum rationem de his,quæ credunt: & confutandum contraria opinantes: vt patet prima Petr.capit 3.ſcilicet. Parati ſemper ad ſatisfactionem poſcenti vos rationem reddere de ea , quæ in vobis eſt fide , & ſpe. Apoſtolus quoque 2.ad Corinth.10.ait. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes,& omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſciētiam Dei. Liber autem iſte eſt vtilis ad hoc, quia per eum poſſumus interdum errantes arguere.Sic Samuel redarguens Iſraëlitas vſus eſt eis,quæ in hoc libro ſcripta ſunt,vt patet primo Reg.12.cap.ſcilicet. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum: & ſeruiemus tibi. Et miſit Dominus Ierobaal,& Badan,& Barach,& Iephte,& Samuel, & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum. Miſſio tamen illorum eſt hiſtoria libri huius. Ad corrigendum quoque (vt ait Apoſtolus) valet iſte liber,quia corrigere eſt mores peruerſos ad rectitudinem perducere,non arguendo,ſed informando:& iſtud eſt in hoc libro,quia cùm exempla virorum ſanctorum,quæ hic deſcribuntur legerimus , poſſumus ad normam illorum deprauatos mores noſtros,tanquam in ſpeculo,componere:eo quòd in ſacra Scriptura licitum eſt arguere ab exemplis: & eſt argumentum fortiſſimum.Sic enim arguit Chriſtus Matth.12.defendendo diſcipulos ſuos. Non legiſtis, quæ fecit Dauid,quando eſuriuit?Nam introiuit in templum,& comedit panes propoſitionis: ſed ex illo exemplo Chriſtus arguit ad probandum licitum fuiſſe diſcipulis ſuis id,quod fecerant:ergo ſimiliter licet nobis arguere ex alijs exemplis virorum ſanctorum ad aliquid agendum,& vitandum. Ad erudiendum quoque in iuſtitiam vtilis eſt iſte liber. Eruditio enim propriè ſignificat doctrinam moralem,ſcilicet,ordinem in componendis actibus,quando aliquis formare illos vult,cùm nondū boni, aut mali præceſſiſſent.Et vocatur iuſtitia largè omnis virtus.Eruditur autem homo per ſacram Scripturam ad actus omniū virtutum.Et ſic inducit Apoſtolus ad Hebr.11. vbi arguit de fide, inducens quomodo per illam homines multum merentur,& ponit aliqua exempla huius libri,ſcilicet. Deficiet enim me tempus dicētem de Gedeone,Barac,& Samſone,Dauid,& Prophetis.Hi tamen ſunt,quorum hiſtoriæ deſcribuntur in hoc libro: conueniens ergò fuit poni librum hunc in Canone ſacræ Scripturæ.

Dictis ſapientū ſine probatione aſſentire debemus.

Quod ſacra Scriptura ſit ad docēdum vtile.

Quod ſacra Scriptura ad arguendum cōducat.

Quod ſacra Scriptura ad corrigendum ſit vtile.

Quod ſacra Scriptura ad erudiendum in iuſtitiā expediat.

An liber iſte poſt librum Ioſue poni debuit,& ante librum Regum.

QVÆSTIO III.

QVæretur vlterius,an liber iſte poni debuerit poſt librum Ioſue,& ante librum Reg. Ad primum dicendum,quod debuit poni liber iſte poſt librum Ioſue,quia ordo hiſtoriæ hoc exigit:nam immediatè,vel quaſi poſt mortem Ioſue ſecuti ſunt Iudices.Vnde in principio libri huius dicitur:Poſt mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſraël Dominum,& infr.2.cap.dicitur, quod poſt mortem Ioſue coluerunt aliquanto tempore Iſraëlitæ Dominum. Poſt autem declinantibus eis ad idola Dominus tradidit illos in manus hoſtium,qui oppreſſerunt eos,& cùm clamarent ad Dominū,ſuſcitauit eis iudices,qui liberarent eos. Ad ſecundum dicendum,quòd conuenienter liber iſte ponitur ante libros Regum , quia etiam ordo hiſtoriæ hoc exigit.Nam expleto tempore Iudicum,Reges cœperunt.Fuit quippe vltimus iudicum Samuel, vt patet primo Regum duodecimo,cùm dicitur:Et miſit Dominus Ierobaal,Barac,Badan,Iephte & Samuel,& eruit vos de manu hoſtium. Ipſe tamen Samuel vnxit primum Regem Iſraël,& imperauit ſimul cum eo, vt patet primo Reg.cap.10 & 11.Ergo nullus liber interponi debuit : quin potius in ipſo primo lib Reg. ponitur quædam pars libri Iudicum,quia ibi ponitur hiſtoria Eli, qui fuit iudex Iſraël 40.annis 1 Reg 4. cap.Ponitur quoque hiſtoria Samuelis,qui etiam fuit iudex, vt ſupra declaratum eſt. Sed obijcietur de libro Ruth,qui interponitur inter librum Iudicum,& Regum. Reſpondendum, quòd non interponitur tanquam aliquis liber diſtinctus ab iſto,& libro Regum, ſed tanquam quædam pars libri huius : Vnde & per apocopen pars quædam deciſa libri huius eſt,eo quod in diebus cuiuſdam iudicis facta narratur hiſtoria,vt patet Ruth cap.1.

Quis Librum hunc scripserit.

QVÆSTIO IIII.

QVAERETVR vlterius,quis scripsit librum hunc. Respondetur,quod à principio liber iste non fuit vnicus,sed sicut hic de pluribus iudicibus agitur,ita plures historiæ,& libelli conscripti sunt.Quilibet enim de iudicibus gesta sui temporis in commentarios redegit,vel per alium redigi fecit : postea autem cùm in varios libellos dispersa gesta forent:aliquis de Prophetis in vnum volumen coarctauit. Quis autē iste fuerit,dicunt quidam,quòd fuit Esdras,alij Samuel,alij Ezechias:Scholastica autem historia dicit verisimilius esse,quod Ezechias hæc in vnum volumen redegerit, qui libros Regum,& parabolas Salomonis in vnum collegit.Sed hoc non multum stat,quia Ezechias non potuit hæc colligere:cum multa descripta sunt in 4.lib.Regum,quæ post mortem eius gesta sunt.Dicendum autem,quod nō stat de collectore huius libri quis fuerit.Constat autē,quod non fuit aliquis ante Samuelē.Quod patet,quia aliqua narrantur hic, quæ facta sunt viuente Samuele,vt patet infr.18.cum dicitur,quod idolum Michæ mansit semper in tribu Dan,quamdiu mansit tabernaculum Domini in Silo,& tamen Samuel erat iam iuuenis, quādo tabernaculū motum est de Silo,scil.mortuo Eli sacerdote,& in ipso tabernaculo Silo ministrabat Samuel coram Eli sacerdote 1.Reg.3.cap. Ergo non fuit liber iste factus ante Samuelem:sed oportet,quod scriptus fuerit à Samuele,vel ab aliquo post:Communiter autem tenetur,quòd Samuel illum scripsisset,& hoc rationabiliter dictum est.

Quare Pentateuchus Moysi non vocetur liber Iudicum.

QVÆSTIO. V.

QVAERETVR vlterius,quare pentateuchus Moysi non vocatur liber Iudicum,vel Iudicis,quia ibi de Moyse agitur,qui iudex erat Israëlitarum. Ipse enim populum iudicabat diffiniendo causas pluisquā aliquis de posterioribus iudicibus. Nam sedebat audiendo causas populi de mane vsq; ad vesperum: & totus populus conueniebat ad audiendum eum. Exod.18. & Deut.1. Et quamquam postea Iethro corrigenti politiam Iudæorum Moyses constituerit multos iudices:tamen ipse semper iudicabat in negotijs magnis, Exod.decimooctauo.Respondendum,quòd libri Moysi non vocantur libri Iudicum propter duo:primò, quia non vocatur liber Iudicum,qui ab aliquo iudice cōscriptus est, sed cuius materia est historiam alicuius iudicis enarrare De Moyse autem quamquam confiteremur eum esse iudicem: tamen libri sui nō vocarentur libri Iudicis, quia non tractant aliquam historiam eius,sed solùm ab eo conscripti sunt. Et quia tota continentia eorum est de legibus à Deo datis,præter modicum, quod est de historia populi Dei, vocantur libri legales.Secundò non vocantur libri Iudicum,vel Iudicis, quia Moyses nō erat iudex, quia regebat populum non vt iudex à populo assumptus,sed vt missus à Deo : Maior autem potestas erat Moysi quàm Iudicum:nam Moyses erat rector Israëlitarum,etiam si ipsi nollent:eo quòd erat institutus à Deo,& erat perpetuus,Iudices autem voluntate populi præerant tanto tempore,quanto populus diffiniuisset.Secundò,quia potestas Moysi erat ampla nimis,scilicet,tam in spiritualibus,quam in temporalibus.Nam in spiritualibus ipse solus præerat populo,docendo eos cæremonias legis,& consulendo Dominum pro illis. Sic enim dixit Iethro ad Moysen:Esto tu in his,quæ ad Deum pertinent,ostendasq; cęremonias populo,& ritum colendi,viamque,per quam ingredi debeant,& opus quod facere debeant.Exod.18.c. In temporalibus quoq; habebat Moyses iurisdictionem,& maximam quidem: nam à principio ipse solus exercebat totam iurisdictionem,post verò consilio Iethro quandam partem eius eommisit alijs iudicibus, scil.in paruis causis,retinēdo sibi ciuiles,& arduas.Sic patet eo.cap.Quidquid autem maius fuerit referant ad te:ipsi verò tantummodo minora iudicantes:& postea sic faciebant.Nam ibi concluditur, quòd isti iudices constituti consilio Iethro iudicabant populū omni tempore, quidquid autem maius erat,referebant ad Moysen,ipsi faciliora tantummodo iudicantes. Iudices autem,de quibus hic agitur, nō habebant aliquam potestatem spiritualem,in ciuilibus quoque solum illam iurisdictionem habebant,quæ consensu populi deferebatur in eos:ideo Moyses non debuit vocari iudex.

Moysi potestas ampla erat.

An liber Iosue debet vocari Iudicum liber.

QVÆSTIO VI.

QVAERETVR vlterius,an liber Iosue debeat vocari liber Iudicum. Et videtur quod sic,quia ipse iudicauit Israël post mortem Moysi semper quamdiu vixit. Respōdendum,quod Iosue non fuit iudex, ideo liber eius non vocatur liber Iudicum:differt autē Iosue à Iudicibus multipliciter.Primò ex institutione in principem.Nam iudices instituebātur à populo,vt iudicarēt:Iosue autē à Deo sine petitione populi, sed proprio motu institutus est,vt patet Nu.27.Differt etiam ex magnitudine potestatis:quia Iosue accepit potestatē à Deo amplissimam super Israël sicut Moyses. Nā licet nō haberet potestatē in spiritualibus,cū esset merè laicus,de tribu.f.Ephraim, iussit tamē Deus,quod totus Israël,& ipsi sacerdotes mouerentur ad imperiū suū,vt patet Nu 27.Dedit quoq; Deus illi,si aliquando super aliquo dubitaret,sociū,per quē cōsuleret Dominū ad inueniēdū respōsum in dubio.f.Eleazarū summū sacerdotē:eo.c & cū magna solēnitate institutus est in principē per impositionē manuū Moysi:&lecto corā toto populo mādato Dei,eo.c.Vnde quādiu iste viueret nō poterat populꝰ auferre ei iurisdictionē:quia nō acceperat illā ab homine,sed à Deo.

Iosue à iudicib. differt multipliciter.

Iudices

Iudices verò, quia ſolo populi conſenſu iuriſdictio in eis prorogabatur, tamdiu illam tenerent, quādiu populus vellet. Vnde magis iſti per modum conſilij, & prudentiæ quam iuriſdictionis agebant. Item differt Ioſue à iudicibus ex cauſa inſtitutionis in principē: quia ipſe inſtitutus eſt, vt introduceret Iſraëlitas in terram Chanaan, & acquireret eam de manu hoſtium, & diuideret eam poſtea Iſraëlitis ſorte, vt patet Deute. 31.c Iudices autem non aſſumpti fuerunt ad hoc, ſed ad liberandum Iſraëlitas de manu tribulātium. Nam aliquando peccantibus Iſraelitis Deus tradebat eos in manus hoſtium, & cùm clamarent, ſuſcitabat eis iudices, qui liberarent eos, vt patet infr. 2.ca. Sed aliquis dicet, quòd tanta debuit eſſe poteſtas Iudicum, ſicut Ioſue: quia ſicut Ioſue à Deo inſtitutus eſt princeps, ita quoq; iudices à Deo mittebantur. Nam dicitur de quolibet iudice, quòd ſuſcitauit Deus Saluatorem talem, vel talem, infr. 3. & 4.c. Reſpondendum eſt, quòd maior debuit eſſe poteſtas Ioſue: quia licèt vtrorumq; poteſtas aliqualiter à Deo eſſet, non tamen æqualiter. Nam poteſtas Ioſue fuit directè à Deo: eò quod ipſe expreſsè iuſſit, quòd viuente Moyſe conſtitueretur in principem: & conſtitutus eſt. Dixitque, quòd Moyſes daret ei partem gloriæ, & ſubiecit totum Iſrael poteſtati eius tam populum, quam ſacerdotes, vt patet Numer. 27. In iudicibus autem non fuit ſic, quia Deus non iuſſit de aliquo iudice, quòd ſumeretur in iudicem, ſed populus ſola voluntate ſumebat eum. Dicitur tamen, quòd Deus ſuſcitabat illum: eò quod Deus compatiens anguſtię Hebręorum, dabat alicui viro prudentiam, & animoſitatem, atq; virtutem, vt ille poſſet eripere populum de manu hoſtium: incipiebatque ille aliquid agere contra hoſtes, quaſi propria auctoritate, quem Iſraelitæ videntes proſperè agere, putabant per manus illius poſſe liberari: ideò ſumebant eum in iudicem. Non ergo tantam poteſtatem ſortiri debebat aliquis horum, quantam ille, qui expreſsè à Deo inſtituebatur.

An liber Regum vocari debeat Iudicum: & in quo reges differebant à Iudicibus.

QVÆST. VII.

QVAERETVR vlterius, an liber Regum debeat vocari liber Iudicum. Aliquis dicet, quòd non, quia illi erant reges: & non iudices. Sed ad hoc dicetur, quòd fortè iſti in ſolo nomine differunt: in re autem nulla diuerſitas eſt, ſcilicet in poteſtate, & iuriſdictione: ideò liber ille poterat liber Iudicum appellari. Reſpondendum, quod liber Iudicum non debuit vocari liber Regum: nec liber Regum liber Iudicum, quia iſti nimis differunt. Eſt autem differentia iſtorum in poteſtate, & iuriſdictione. Ampliſſima enim poteſtas erat regum. Nam Iudices ſolùm agebant, vt agentes ex conſilio, & populus obediebat eis, quaſi ex libertate, cùm viderent, quòd recta præciperent atque conſulerent: Reges autem vtebantur poteſtate. Vnde Iudices non vocabantur domini Iſrael, nec aliquorum de Iſrael: ſed ſolùm ad iudicandum conſtituti, ita vt haberent iuriſdictionem, ſed non dominium. Reges autem domini erant: nam vocabantur domini Iſraelitarum ſecundùm conſuetudinem aliarum gentium: Item Iudices non ſuſcipiebant tributa, nec faciebant alias impoſitiones ſuper populum, ſolùm viuentes de rebus ſuis ſicut perſonæ priuatæ. Reges autem imponebant tributa, & multos modos collectarum. Vnde primus rex, ſcilicet Saul, quamquam bonus eſſet à principio, tamen omnes Iſraelitas ſibi tributarios effecerat. Sic patet primo Regum decimoſeptimo. Vbi cùm Dauid interrogaret, quid daretur viro pugnanti contra Goliath, reſponſum eſt, quaſi pro magno beneficio, quòd faceret rex domum eius liberam à tributis in Iſrael, & daret ei filiam ſuam. Cæteri quoque reges poſtea tributa impoſuerunt. Nam Dauid habuit collectores tributorum in ſingulis locis Iſrael, qui vocantur præpoſiti theſaurorum per ſingula loca: vt patet primo Paralip. 26. cap. Salomon etiam conſtituerat Aduram ſuper tributa regni, infr. 3. libro, cap. 4. & 12. Cæteri quoque reges ſic tributa accepturi erant, vt patet in aſſumptione Roboam filij Salomonis: nam petiuit populus, quòd minueret aliquid de tributis, quæ impoſuerat pater ſuus, vt patet præallegato capitul. & ſic volebant viuere ſub tributo, & ſeruire, dum tamen non grauarentur nimis. Item dominium regum ſuper populum patet, quia quando Iudices erant in Iſrael, Deus dominabatur Iſraelitis, & nullus hominum Dominus erat: deinde incipientibus regibus non fuit Deus Dominus, ſed reges iſti, vt patet primo Regum octauo capitulo, ſcilicet. Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur: non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Et ſic videtur, quòd antequam acciperentur reges in Iſrael, Deus erat rex, & Dominus: aſſumpto autem rege priuatus eſt Deus poteſtate regnatiua, & Dominio, quantum fuit ad intentionem Iſraelitarum. Sic etiam patet primo Reg. 12.c. ſcilicet: Videntes, quòd Naas rex filiorum Ammon veniſſet aduerſum vos, dixiſtis mihi, nequaquam, ſed rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus veſter regnaret in vobis. Videtur ergo, quòd maior valdè erat poteſtas regum, & dominium ſuper Iſrael, quàm poteſtas iudicum, cùm tempore iudicum dicatur Deus regnaſſe ſuper Iſrael, & non tempore regum. Item patet, quòd iudices non dominarentur inter Iſraelitas, ſed ſolùm præeſſent iuriſdictioni. Nam cùm Gedeon liberaſſet populum de manu fortiſſimorum hoſtium, Iſraelitæ volentes ei benefacere pro hoc, volebant eum conſtituere Dominum ſuper ſe, & dixerunt: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus. Ex quo apparet, quòd nec populus intelligebat iudices eſſe Dominos, nec ipſi hoc arbitrabantur: alioquin non dixiſſet totus Iſrael: Dominare noſtri &cæt. quia iam erat iudex, & erat nouiter conſtituendus in iudicem. Etiam ipſe non dixiſſet: Non dominabor in vobis, ſed dominabitur Dominus, quia poſt hoc fuit iudex quadraginta annis, vt patet eod. capit. ſcilicet, infr. 8. Ergo quamquam eſſet iudex, non putabat ſe eſſe Dominum. Item ad rationem proprij dominij requirebatur, quòd non ſolùm aliquis præeſſet alicui genti: ſed etiam quòd ius præſidendi tranſmittere poſſet ad poſteros: hoc autem non poterant iudices, quia non veniebant per ſucceſſionem, ſed per ſolam electionem populi, ideò nunquam filius alicuius iudicis factus eſt iudex, præter Abimelech filium Gedeonis,

In quo reges differebant à iudicibus.

qui per ſeditionem,& violentiam quandam rex conſtitutus eſt,vt patet infr.9.c. Regibus ante ius erat relinquere filium ſucceſſorem in principatu,ſicut ſolitum erat apud omnes gentes. Hunc principatū tranſferre volebant Iſraëlitæ in Gedeonem,cùm dixerunt ei:Dominare noſtri tu,& filius tuus, & filius filij tui: infr.8. i.omnes de progenie tua dominentur noſtri:ſed ipſe non acceptauit hoc.Item bene intellexit populus Iſrael iſtam diuerſitatem poteſtatis,quando petiuit reges. Nam habebat prius Iudices:& non contentus:hoc genere principatus,tanquam exiſtens ſine capite,& domino,qui haberet ſpecialem curam de illis ſicut de rebus ſuis,petiuit regem dicens:Conſtitue nobis regem, vt iudices nos ſicut vniuerſæ nationes habent:1.Reg.8.c.Item Deus voluit facere magnam differentiam inter poteſtatem regiam,& iudicum.Nam vt cōpeſceret Iſraelitas à petitione ſtulta regis,iuſſit Samueli,vt exponeret populo magna iura regis: eod. cap.ſc.Hoc erit ius Regis,qui imperaturus eſt vobis:filios veſtros tollet,& ponet in curribus:& faciet ſibi equites,& præcurſores quadrigarum ſuarum:& conſtituet ſibi tribunos,& centuriones, aratores agrorum ſuorum,& meſſores ſegetum &c.Si tamen iſta fuiſſent iura Iudicum præcedentium,non feciſſet Deus illa exprimi ad terrorem Hebræorum,ne regem peterent:ergo videtur, quòd iudices nulla iſtorum habebant. Item reges vngebantur oleo ſancto,ad ſignandum plenitudinem poteſtatis, vt patet de Saule primo rege Iſrael.1.Reg.10.c.De Dauid etiam 1.Reg.16.& 2.libr.c.2.& 5.De Salomone patet 3.Reg.ca.1. & ſic fiebat de alijs regibus,& imponebant ſibi diademata regia,vt patet de Saule 2.Reg.c 1.Cùm adoleſcens Amalechita attulit ad Dauid de bello diadema Saulis,& Armillam:nullus autem Iudicum vnctus eſt,nec diadema habuit præter Abimelec filium Gedeonis,qui vſurpauit ſibi regalem principatum ſuper viros Sichem, inf 9. c.Multum ergo differunt reges,& iudices,&conſequenter non debuit liber Iudicum vocari liber Reg.nec è contrario.

Quot fuerunt Iudices in Iſrael,& de quibus tribubus,& quibus temporibus.

QVAEST. VIII.

QVAERETVR vlterius,quot fuerunt iudices Iſrael. Reſpondendum, quòd accipiendo propriè iudices,vt diſtinguuntur à regibus,& à Moyſe, & Ioſue,qui maiorem habuerunt poteſtatem,fuerunt iudices 16.de quorum 14. habetur in hoc libro hiſtoria:de alijs autem duobus habetur in 1. Reg.Primus autē omnium iudicum fuit Hothoniel frater Caleb de tribu Iuda,qui factus eſt iudex,vt liberaret Iſraël de manu Cuſamraſatahin regis Meſopotamiæ, vt patet infr.3. Secuudus iudex fuit Aod de tribu Beniamin,& vocatur filius Iemini.Iſte liberauit Iſraël de manu regis Moab,infr. cap.3. Fuit tertius iudex Sangar filius Anath,qui contra Philiſthinos pugnauit,& occidit ſexcentos viros vomere,infr.ca.4. Fuit quartus iudex Barac filius Abinoem,de tribu Nephtali,de vrbe Cedes , qui pugnauit contra Siſaram principem militiæ Iabin regis Aſor:infr.4.cap. Quintus iudex fuit Debbora prophetiſſa vxor Iapidoth,ad quam totus Iſrael conueniebat ad audiendum iudicium , & ſedebat ſub quadam palma in monte Ephraim , inter Rama & Bethel:infr 4.c.Sed iſti duo iudices pro eodem computantur. Sextus iudex fuit Gedeon de tribu Manaſſe, qui magnifico bello liberauit Iſrael de manu Madianitarum:infr.6.& 7.& 8. Septimus iudex fuit Abimelec filius Gedeonis de tribu Manaſſe,qui per ſeditiones non ſolùm iudex, ſed etiam rex factus eſt:ſed quia iniquus erat,celeri morte correptus eſt,nec inter cæteros reges nomen meruit:vt patet infr.9,ca. Octauus iudex fuit Thola de tribu Iſſachar, cuius facta nulla leguntur. De hoc infr 10-capit.Nonus iudex fuit Iair Galaadites de tribu Manaſſe.Hic fuit potens nimis habens 30.filios principes 30. Ciuitatum: de hoc infra 10.Decimus iudex fuit Iephte Galaadites de tribu Manaſſe,qui pugnas egit cōtra Ammonitas: de quo inf. 11.Vndecimus iudex fuit Abeſan de tribu iuda de vrbe Bethlehem, cuius geſta nulla leguntur:de hoc infr. 12.cap.Duodecimus iudex fuit Ahialon de tribu Zabulon,cuius nulla geſta leguntur:infr. 12.Tertiuſdecimus iudex fuit Abdon de tribu Ephraim,& huius quoq; nihil magnificum legitur:infr.c.12. Quartuſdecimus fuit Samſon de tribu Dan,qui pugnauit contra Philiſthinos:infr.ca. 13.vſq; ad 17. De his autem ſolis iudicibus res geſtæ narrantur in hoc libro:alij duo tamen fuerunt.Quintuſdecimus namq; fuit Eli de tribu Leui de ſacerdotibus familiæ Ithamar. De geſtis autem tempore huius habetur 1.Reg.à cap. 1,vſque ad 5. Sextuſdecimus iudex fuit Samuel de tribu Leui de familia Caathitarum,qui ſuſcepit principatum poſt Eli. Geſta quoq; huius habentur 1.Reg.à primo capitul. vſque ad nonum. Iſte fuit vltimus iudicum,cui viuenti duo filij eius ſubminiſtrabant gerentes vicem eius : poſuitque eos iudices in Berſabee, vt patet primo Regum octauo , huius tempore vnctus fuit in regem Saul primus rex Iſrael : & ſic ceſſauerunt tempora iudicum.

Quanto tempore durauit Iudicum principatus.

QVAEST. IX.

QVAERETVR vlterius,quanto tempore durauit principatus Iudicum. Reſpondendum, quòd in enarratione temporum Iudicum magna varietas ſub apparet, eò quod numeri replicantur in multis, & non apparet, an quilibet numerus ſuperaddendus ſit in alium vel iam in aliud numeratus ſit ; diceremus quoque maiorem annorum numerum eſſe,niſi nos vrgeret id,quod habetur tertio Regum cap.6.ſcilicet,quòd anno quadringenteſimo octuageſimo ab exitu de AEgypto ann. quarto regni Salomonis fundatum eſt templum , ideò tempora deſerti , Ioſue, & Iudicum , & Regum præcedentium vſque ad Salomonis quartum annum debemus reducere ad annos quadringentos octuaginta de quibus correſpondēt Iudicibus anni quaſi 380. computando tempora eorum à morte Ioſue , à primo iudice Hothoniel,vſque ad principium regni Saulis,in quo finitus eſt ann. 20. principatus Samuelis,qui fuit vltimus in Iudicibus.

Numerus annorum iudicum Iſrael eſt 300.

Scien-

Sciendum tamen, quòd iudices non præerant continuè Israelitis, ita quod mortuo vno, illico succederet alius, sed cùm moreretur vnus, si Israelitæ erant in bona dispositione extra potestatem hostium, nō curabant eligere Iudicem, sed manebant, quousq; exigentibus peccatis suis premebantur ab hostibus: & tunc accipiebant Iudicem, qui liberaret eos. Totum tamē tempus illud medium, quod manebat sine Iudicibus, computatur sub Iudicibus sequentibus: vt si moriente aliquo iudice, terra mansit sine iudice 20. annis, deinde iudex assumptus iudicauit 20. annis, dicet scriptura de isto, quòd iudicauit quadraginta annis: & sic nulla tempora intermittuntur. Quod satis constat: quia enarrando annos iudicum, & deserti, & regum, qui fuerunt vsq; ad Salomonem, inueniuntur tot anni, & plures, quàm ponuntur 3. Reg. 6 c. fuisse ab exitu de Aegypto vsq; ad tempus illud. Aliqui autem falluntur nimis in computando, quia computant oēs annos, quos reperiunt in libro isto tanquam distinctos, vt cùm dicitur infr. 3. quod rex Mesopotamiæ afflixit Israelitas 8. annis: & postea suscitauit Deus saluatorem Hothoniel: & quieuit terra quadraginta annis. Volunt enim computare 40. annos sub Hothoniele: sed 8. quibus oppressus est Israel ab rege Mesopotamiæ, non computant in 40. annis Hothonielis: Sic etiam dicitur, quòd mortuo Hothoniele oppressi sunt Israelitæ 18. annis à rege Moab, & postea suscitatus est saluator nomine Aod, & quieuit terra 80. annis. Vnde non computant 18. priores annos sub 80. & hoc modo sunt 20. anni sine Iudice, quibus rex Iabin oppressit Israel, vt patet infra 4. etiam ponuntur quadraginta sine Iudice inter Abdon, & Samson: infra 13. Si tamen nos distinxerimus annos istos ab annis, quibus dicuntur iudicasse iudices, non solum reperientur inter exitum de Aegypto, & ædificationem templi Salomonis anni 480. vt habetur 3. Reg. 6. cap. sed erunt circiter 600. Non ergo sunt computandi alij anni, nisi illi, quibus dicūtur iudicasse Iudices. De quibus primus, scilicet Hothoniel iudicauit annis 40. computando tempus præcedens, quo Israelitæ fuerunt sine iudice à morte Iosue vsque ad mortem Hothonielis: licèt etiam aliqui velint comprehendere annos, quibus præfuit Iosue sub illis quadraginta annis. Secundus Iudex præfuit annis octuaginta, computando in eis annos 18. quibus oppressi fuerunt Israëlitæ à rege Moab: infra 3. cap. Iudex tertius, scilicet Samgar, & quartus, scilicet Barac, & quintus, scilicet Debbora præfuerunt annis 40. de quibus infr. quinto, computando viginti annos in Samgar, & Barac, quibus oppressit rex Iabin Israelitas, infra 4. Sextus iudex, scilicet Gedeon præfuit 40. annis: infra 8. computando in eis totum tempus, quo Israelitæ oppressi sunt à Madianitis, non habentes Iudicem: infr. 6. cap. Septimus iudex, scilicet Abimelec tribus annis præfuit: & inter eum & Gedeonem non intercidit aliquod tempus: nam mortuo patre suo illico petijt à viris Sichem, quòd facerent eum principem, & fecerunt, vt patet infr 9. capit. Octauus, scilicet Thola præfuit annis 23. & inter eum & Abimelec non videtur intercidisse aliquod tempus. De hoc inf 10. Nonus, scilicet Iair præfuit annis 22. & tempus suum videtur continuatum cum tempore Thola: infr. 10. capit. Decimus iudex, scilicet Iephte præfuit annis sex: infr. 12. & manent inter eum & Iair anni 18. quibus oppressus est Israel ab hostibus, qui non possunt reduci ad annos Iephte: ad quos autem reduci debeant, infr. 10. c. declarabitur. Vndecimus iudex fuit Abesan iudicans annis 7. infra 12. Duodecimus iudex Ahialon imperans annis 10. eod. cap. Tertiusdecimus iudex Abdon imperans annis 8. eod. c. inter istos tres iudices non videtur intercidisse tempus aliquod medium sine iudice. Quartusdecimus, scilic Samson iudicauit annis 20. inf. 16. intet Samson tamen & Abdon manent annis. 40. qui videntur sine iudice: & non possent reduci ad tempora Samsonis. Quomodo autem reducantur infr. 12. declarabitur. Quintusdecimus fuit Eli, iudicans annis 40. vt patet 1. Reg. 4. cap. In his 40. intelliguntur comprehensa omnia tempora, quæ fluxerunt sine iudice inter Samson & Eli: & hoc tempore affirmatur à plurimis accidisse historiam Ruth. Sextusdecimus, scil. Samuel imperauit annis 20. sub quibus computatur tempus, quod inter imperium suum & mortem Eli accidit, & sic perueniet summa annorum conformis, quasi ad 380. Reliqui autem anni, qui desunt de 480. sunt, qui fluxerunt ab exitu de Aegypto, vsque ad tempora Iudicum: & à principio regni Saulis, vsque ad Salomonem.

Quare Iudices inter Israelitas sint constituti: et cur non potius aliud genus maioris principatus.

QVÆST. X.

QVAERETVR vlterius, quare iudices inter Israelitas constituti sunt. Respondendum, quòd Deus volebat habere populum Israel nimis familiarē sibi, ita quòd ipse solus videretur Dominus, & rector illius, & ob hoc à principio Moysen instituit, vt principem illius, vt erudiret Israelitas in lege Dei, & medius esset inter Deum & populum, sicut ipse dicit Deuteronom. 5. Mortuo autem Moyse, quamquam populus in lege formatus esset, tamen indigebat introduci in terram, quam possessurus erat. Ideò Dominus instituit principem, qui pugnaret contra hostes, & acquireret terram de manu illorum, diuideretq; illam inter Israelitas: & hoc non poterat fieri sine principe, ad quod magnam potestatem tribuit Iosue. Hoc autem mortuo Israelitæ possidebant terram suam securè, ideò nullo principe indigebant. Nec valet si dicas, quòd indigebant principe ad defendendum eos ab hostibus, & tuendum terram. Nam si Israelitæ vellent manere in cultu Dei, nullus hostis auderet insurgere contra eos: eò quod Deus incutiebat timorem mentibus hostium, & non audebant insurgere: sicut fuit de Chananæis, qui volebant persequi Iacob: & Deus incussit timorem super eos, & non ausi sunt persequi recedentes: vt patet Genes. 35. imò faceret Deus, quòd nullus de hostibus desideraret insurgere contra Iudæos. Sic enim faciebat Deus quolibet anno in terra Chanaan, quando omnes ascendebant viri ad locum sanctuarij, & nullus omnino manebat in vrbibus ad custodiendum eas: & hoc sciebant hostes, tamen non audebant, nec volebant venire ad occupandum loca eorum. Sic patet Exod. 34. cap. Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos,

nullus insidiabitur terræ tuæ,ascendente te & apparente ter in anno in conspectu Domini. Hoc namq; ex temporibus Iudicum apparet,quia licèt Israelitę non haberent iudices, hostes non inquietabant eos,quousq;peccabant:& tunc mittebat Deus super illos aliquos affligentes,vt patet inf. 2.c. Si ergo voluissent obseruare legē,nūquam indiguissent aliquo domino,& protectore:sed solus Deus esset rex, & Dominus illorum:& tanto specialius Deo subiecti essent,quanto magis à potestate temporalis subiectionis liberi forēt. Sic enim patet 1.Reg.8.cùm dominus dixit, quod Israelitæ abiecerunt eum,ne regnaret super illos,quādo petiuerunt regem.Ex quo apparet,quod prius ipse regnabat,cùm non haberent temporalem regem. Illo aūt habito,Deus non poterat esse specialiter rex,& Dominus illorum.Sic patet etiam 1.Reg.12. cùm dixit Samuel: Videntes, quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis:nequaquam,sed rex imperabit nobis,cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.Hoc autem modo volebat Deus, quòd māsissent semper Israelitæ,s.nullum habentes dominum,sed ipsum solum: quia tamen peccauerunt conuertendo se ad idola,Deus tradidit eos in manus Gentium,& tunc indigebant aliquo liberatore. Suscitabat autem tunc Deus aliquos liberatores inter eos, & isti vocabantur Iudices, qui & dominabantur super populum:& erat tunc populus habens Deum specialiter in dominum,in tantum quod vsque ad tempus Regum dicitur Dominus regnare super Israel,vt patet 1.Reg.12.c.Si autem dominus dedisset Iudęis hoc tempore alterum genus principatus,non fuissent sibi ita directè, & immediatè subiecti. Ideò non dedit alios principes,nec etiam istos dedisset,nisi populus declinans ad vitia indiguisset illis.

Quomodo Israelitæ hoc tempore aliquando habebant iudices, & aliquando non:& quomodo Debbora cum esset fœmina fuit iudex inter cæteros.

QVAEST. XI.

QVAERETVR vlterius,quomodo Israelitæ hoc tempore aliquando habebant iudices, & aliquando non:quia hoc modo videbatur inconuenienter ordinata politia eorum, cùm nemo esset, qui posset in causis quotidiè emergētibus ius reddere,in qualibet tamen politia id,quod maximè est necessarium, est iudex,siue distributiuus iustitiæ.Vnde Arist.Polit.3.in princ.dicit,in politijs necessarium esse iudicem sicut panem.Respondendum,quod Israelitę poterant esse conuenienter sine iudicibus istis,de quibus in hoc libro agitur,quia isti licèt vocentur iudices, non erat principale officium suum iudicare diffiniendo in causis Israelitarum,sed liberare eos de manu hostium, & pugnare pro eis. Nam ad diffiniendum litigia alios iudices habebant,quia habebant domum consilij,quæ erat sedes magna iudicum, ad quam deuoluebātur ad extremum causæ per appellationem:& in hac iudicabatur de rebus arduis, & erat maximus iudex in ea summus sacerdos,de quo Deut.17. c. Erant quoq; per singula loca iudices constituti habentes secum Leuitas tanquam assessores,eò quod illi erant periti in lege,& per hos diffiniebantur omnes causæ: & non erāt necessarij iudices,de quibus agitur in hoc lib.ad hoc.Et dato quod cessarent iudices,de quibus habetur hic, non cessabat ordo iudicum institutorum à Moyse,de quibus declaratum est Num.11. c. Ideo nihil nocebat ad diffinitionem causarum esse iudices, de quibus hic dicitur erat iudicare in causis:quia nomen suum nō inaniter positum est.Item patet,quia Debbora mulier fuit iudex Israel,& computatur inter istos,inf.4. & tamen ipsa semper iudicabat in causis,conueniebatq; ad eam totus Israel, vt patet inf.4.c.Respondēdum, quod isti vocati sunt iudices non à iudicando, sed quia accipitur iudex tanquam nomen cuiusdam parui principatus.Est.n.differentia inter dominum,& iudicem quia Dominus dicit illum, qui simpliciter habet potestatem:& quod vult,hoc potest, etiam si iure cautum non sit.Iudex autem est,qui non habet aliquam libertatem ad mandandum,sed hoc solum potest,quod iura imperant: & tradita est illi auctoritas diffiniendi secundum ius:ideò ille,qui subest iudici, non est subiectus viro,sed iuri. Qui verò Domino subiectus est,est subditus viro.Et quia sic erat de principatu istorum respectu regum,vel aliorum dominorum,quod ipsi non poterant aliquid agere ex voluntate sua tanquam domini: sed quidquid ratio,& ius dictaret, vocati sunt iudices:quia similem principatum iudices habebant. Hoc autem patet,quia si istorum officium fuisset iudicare,non fuissent sumpti in iudices,nisi viri prudentes, & maturi ætate,sumebantur tamen viri indocti interdum,& iuuenilibus passionibus deseruientes,qui nihil nouerāt de statu causarum: sicut Samson,qui iuuenis erat,& lasciuiæ deditus.Et sic fuit Iephte, qui erat princeps latronum:infr. 11. & 14. Ergo non erat officium istorum causas diffinire.Cum autem obijcitur de Debbora:Respondetur,quod illa non propriè computatur inter iudices (quamquam aliqui eam computent) sed Barac, qui fuit tempore eius. Aliter dici potest,quod dato,quod Debbora esset iudex, non habebat officium iudicandi tanquam illud pertineret ad iudices,de quibus agitur in hoc libro,quia tamen erat prophetissa, cōueniebant ad eam omnes viri Israel ad inquirendum super dubijs, cum putarent per eam responsum à Deo suscipere. Ita enim erat de omnibus alijs prophetis:quia omnes Israelitæ concurrebant ad eos super multis interrogantes: licèt illi non essent iudices. Sic enim de Holdan prophetissa vxore Sellum erat.Nam ad eam mittebant reges,& alij viri ad quærendum de dubijs,vt patet 4.Reg.22.c.

Dominus,& iudex differūt.

Quanta erat potestas istorum Iudicum:& an eius potestas esset à Deo vel ab homine.

QVAEST. XII.

QVAERETVR vlterius, quanta erat potestas istorum virorum,qui vocantur iudices. Respondendū, quòd potestas istorum iudicum parua erat. Primò,quia potestas ista erat voluntariè collata toti populo:& quantum volebat potestatis,tantum transferebat populus,& non erant sicut reges,quorum potestate malè limitata ipsi possunt omnia,quę contra ius nō sunt.Assumebantur aūt isti iudices ad pugnandū contra hostes populi.Et quamquā isti vincerent bella,& postea opus eorum non esset necessariū Israelitis,

manebant

manebant tamen in principatu iſto quandiu viuebant:Sic fuit de Iephte Galaadite,ad quem iuerũt Iſraelitæ orantes,vt pugnaret pro eis contra Ammon,& factus eſt princeps illorum:inf.11.c. Aliquis obijciet, quòd poteſtas Iudicum non erat ab homine collata,ſed à Deo. Nam dicitur infr.3.ſuſcitauit eis ſaluatorẽ nomine Hothoniel.Et iterum ibidem,ſuſcitauit eis ſaluatorem nomine Aod. Reſpondendum,quòd iudices per electionem Iſraelitarum erant, & ab eis habebant poteſtatem limitatam. Quantum ad aſſumptionem tamen ſuam variè factum eſt,quia non fuit idem modus in omnibus.Quidam .n.facti ſunt iudices,quia ex parte Dei iubebatur eis,quod pugnarent pro populo.Sic fuit de Barac. Nam Debbora prophetiſſa ex parte Dei dixit illi,quod pugnaret aduerſum Siſaram:infr.4.c.& tamen facta pugna nondum erat iudex,& princeps Iſraelitarum:ſed quia ipſi videbant, quod Deus volebat per manum illius liberare eos, acceperunt eum in iudicem.Sic etiam factum eſt de Gedeone:nam Angelus Domini apparuit ei, & iuſſit, quod iret ad liberandum Iſrael de manu Madian:inf.6. Cum autem egiſſet magnificum bellum,Iſraelitæ eum acceperunt in iudicem,nec ſolum in iudicem eum volebant accipere, ſed etiam in Dominũ,vt patet inf 8.Alij autem ſumebantur in iudices,Deo non iubente,ſed incitante,ſ.quia quando Iſraelitę erãt in his calamitatibus,& indigebãt liberatore,Deus dabat ſpiritum ſuum aliquibus viris,vt eſſent animoſi,& prudentes,& ab bella aptiſſimi:quos Iſraelitæ videntes accipiebant in iudices: & tunc dicebatur Deus ſuſcitare illis ſaluatores Sic intelligitur de Hothoniele,& Aod infr.3. Alij aũt iudices ſumebãtur ſola populi voluntate,ſ.quia cum eſſent in anguſtijs,inquirebant quis eſſet inter eos aptus,vt eſſet belli dux:& interdum eligebant aliquos,qui non erãt viri virtuoſi,ſolùm quia erant exercitati ad bellum. Sic fuit de Iephte Galaadite,qui erat princeps latronum:Iſraelitæ tamen, quia viderunt eũ diſpoſitum ad bellum, orauerũt,vt eſſet princeps eorum,& iudex:infr.11. Aliquando aũt iudices ſumebantur ex ſolo fauore,& quaſi per violentiã:& ſic fuit de Abimelec filio Gedeonis:infr. 9.Cũ aut arguitur:ſuſcitauit Deus ſaluatorem:dicendũ, quod non intelligitur,quod Deus iuberet de aliquo,quod eſſet iudex inſtituens eũ, danſq; illi certum modũ poteſtatis,ſed quod incitabat Deus Iſraelitas per modos ſupradictos, vel aliquos eorũ ad accipiendum aliquos in iudices:& tamen poſtea à voluntate populi pendebat accipere,vel non accipere illos,& quantũ poteſtatis vellent concedere illis.Secundò dicẽdum , quod poteſtas Iudicum non deriuabatur per ſucceſſionem ad poſteros,ſed manebat in poteſtate populi eligere mortuovno iudice alium,vel nullũ accipere. Ad magnitudinem aũt poteſtatis pertinet poſſe deriuare illã in poſteros,ſicut illę propriæ res noſtrę ſunt, in quibus alios hæredes inſtituere valemus,in cæteris aũt potius ſumus adminiſtratores, vel procuratores, quã domini.Differentia huius poteſtatis ab illa,quæ per ſucceſſionẽ tranſmittitur patet: quia cùm Gedeõ eſſet iudex Iſrael,volentes Iſraelitæ exaltare eũ ad maiorẽ honorẽ pro magnifico bello,quòd egerat,dixerunt:dominare noſtri tu,& filius tuus,& filius filij tui,i.oẽs de poſteritate ſua. Ipſe aũt contẽtus principatu iudicis ait:Nõ dominabor ego veſtri,nec dominabitur in vos filius meus, & tamẽ voluit principatũ iudicatiuũ:quia illum ſemper tenuit quandiu vixit Ideò nõ tranſmittebatur principatus iudicatiuus ad poſteros.Tertiò dicendũ,quod iudices nõ poterãt imponere populo tributa,nec alias impoſitiones facere,quia nõ erant domini,ſed viuebãt de proprijs ſicut priuatæ perſonæ:præter iura illa, quæ habebãt in bello:quia ſemper inter oẽs gẽtes fuit,quod in bello proueniret certa pars ſpecialis predę principi.Sic patet in decretis diſt.1.c.ius militare.Hoc aũt apparet,quia quãdo Iſraelitæ petierũt regẽ, Deus dixit Samueli, vt denunciaret eis ius regis,qui imperaturus erat:vt audita duritia eius,deſiſterent à petitione,vt patet 1.Re.8.Et inter cætera poſita ſunt tributa. Si tamen Iudices ante reges cõſueti forent ponere tributa, & alias collectas populo,nõ exprimeret tũc Samuel ad terrendũ:quia cõſueta non terrent,ergo tẽpore Iudicũ non erat cõſuetudo ſoluẽdi aliqua tributa illis. Itẽ patet,quia Samuel iudex erat:qui fuit vltimus de iudicibus,ipſe tamen nihil accepit in Iſrael,vt patet 1.Reg.12.Si tamẽ iudices haberent de iure, vel cõſuetudine imponere tributa,& collectas:accepiſſet aliquid de his aliquando Samuel,quia iuſtè accipi poterant, ergo nõ poterant iudices imponere tributa.Quartò dicendũ, quod iudices nõ erant domini, nec habebant poteſtatem ſuper aliquẽ de Iſraelitis,ſed ſolũ erat dux quantũ ad illa,quæ pertinebant ad officium ſuũ: de quo infr.dicetur.Et erat differentia in hoc inter reges,& iudices,quia reges erant domini populi Iſrael : & habebãt de iure poteſtatem ad faciendũ quidquid vellent, quod contra ius non eſſet.Ideò ipſi vocabant Iſraelitas ſeruos ſuos,vt Saul vocauit Dauid ſeruũ ſuum,1.Reg 22.Et Dauid vocauit ſeruos ſuos Iſraelitas 2.lib.Reg.c. 20.Scriptura quoq; vocat ipſos Iſraelitas ſeruos regũ:nunquam tamen vocatus eſt aliquis Iſraelita ſeruus Iudicũ:nec ipſi vocabãtur Domini. Quod patet, quando Iſraelitæ dixerunt Gedeoni:Dominare noſtri tu, & filius tuus,& filius filij tui:reſpondit. Non dominabor ego veſtri,nec filius meus dominabitur in vos, ſed dominabitur in vobis Dominus Deus. Inquantum dixit:non dominabitur in vos filius meus,excluſit tranſmiſſionẽ poteſtatis ad poſteros.Inquantũ dixit,nõ dominabor ego veſtri : excluſit magnitudinẽ poteſtatis ſuæ dũ viueret:quia noluit tenere illũ gradũ principatus,ſecũdum quẽ principes vocãtur Domini. Si tamẽ alij iudices fuiſſent domini,ipſe nõ recuſaſſet dominari:noluit tamen nouũ,& quaſi tyrannicum introducere principatũ.Quintò dicendum,quòd officiũ Iudicũ ad quod aſſumebantur, erat pugnare pro populo contra hoſtes.Quod patet ex inſtitutione Iudicum.Nam infr.2.dicitur,quod quandocunq; erant Iſraelitæ in manu hoſtiũ,ſuſcitabat Deus iudices,qui liberarẽt eos.Item patet ex ſingularibus inſtitutionibus Iudicum.Nã de Hothoniele,qui fuit primus Iudex,dicitur, quod cum opprimerentur Iſraelitæ à rege Meſopotamiæ,ſuſcitauit eis Deus ſaluatorem nomine Hothoniel,infr.3.Simile patet de Aod,eod.c.Simile quoq; de Barac,infr.4.idem de Gedeone infr.6.& de Iephte, infr.11. & ſic de cæteris. Quantum ad hoc habebant iſti iudices plenam poteſtatem. Nam quæcunq; ad bellum ſpectarent,ad diſpoſitionem eorum pertinebant,& in hoc omnes Iſraelitarum obediebant ei,ſicut in omnibus bellis duces habent hãc plenariam poteſtatem ad diſciplinam militarẽ.Finitis autẽ bellis manebant iſti viri quaſi priuatæ perſonæ,ſcil. quod non habebãt dominiũ aliquod,ſed ſemper erant nimis honorati à populo,&aliquando committebatur eis regimen ciuitatum, vt ipſi diſponerent quaſi principes.Sic fuit de Iair,qui habuit 30. filios prin-

cipes

Iudices Iſraelitarum poteſtatem limitatã a populo habebãt.

Vario modo iudices apud Hebræos cõſtituebantur.

Quæ res ſint propriæ noſtræ.

Iudices Iſrael nõ poterant ponere tributa populo.

cipes ſuper 30.ciuitates,infr.10.ca. Iudicare aũt in cauſis non erat officium iſtorum directè:ſed aliquando committebatur eis:Potiſſimum quando erant viri Prophetæ,aut prudentes. Sic fuit de Samuele,qui fuit vltimus Iudex Iſrael, & ipſe diſcurrebat per totum Iſrael quolibet anno, & iudicabat populum in locis tribus,vt patet 1.Reg.7.c.Filij quoq; ſui fuerunt iudicãtes:quia erant viri eruditi,licèt poſtea ad auaritiam declinauerunt,vt patet 1 Reg.8.

Ad quod genus politici principatus pertinuit ſtatus Iudicum: & de ſex principatibus politicis.

QVAEST. XIII.

Sex ũt genera politiarum.

QVAERETVR vlterius,ad quod genus Principatus pertinuit ſtatus Iudicum. Reſpondendum,quòd ſecundum Ariſt.8.Eth.ſunt ſex genera principatus, & politiarum,ſc. Monarchica,ſiue Regalis,Ariſtocratica,Thimocratica,Tyrannica,Oligarchica,Democratica, quarũ primæ tres ſunt bonæ:tres ſecundæ corruptæ ſunt,vt dicit ibidem Philoſophus.Nõ poteſt aſſignari hic aliqua de tribus ſpeciebus corruptis principatus.Nam non eſt hic principatus tyrannicus,quia ille eſt, qui per violentiam introducitur,vel

Oligarchia quid ſit.

cùm princeps non principatur ad vtilitatem ſubditorum, ſed ad ſuam,diripiens bona illorum, vel duro dominio premens. Sed nullum iſtorum erat in iudicibus, quia illi paruam habebant poteſtatem, & ipſa totaliter erat ad vtilitatem populi,& non ad ſuam.Nõ poteſt etiam dici, quod principatus iſte ſit Oligarchicus, quia oligarchia eſt,vbi principantur,qui diuites,& potentes in populo ſunt,reſpiciendo ſolum diuitias,& potentatum. Iudices tamen non erant huiuſmodi,ſed magis eligebantur illi, qui eſſent apti ad

Democratia.

liberandum populum de manu hoſtium,ſiue eſſent diuites,ſiue pauperes: vnde interdum aſſumebantur viri pauperes,& paruæ dignitatis,vt Iephte fuit,qui erat princeps latronum,infr.11. cap.Non poteſt etiam vocari iſte principatus democraticus,quia democratia eſt principatus popularis,ſ.quando quilibet de populo habebat poteſtatem dominandi, etiam ſi ſit rudis & inexpertus: & prouenit iſte principatus per ſortes,vel per tempora determinata,vt patet 2.& 3.Polit. Sed iudicibus non erat ſic, quia ipſi eligebantur,& non principabantur niſi illi,qui erant apti ad eruendum populum de manu hoſtium. De tribus autem rectis principatibus non poteſt poni hic tertius, ſcil. Thimocratia,quia iſte principatus eſt vbi eſt æqualitas

Monarchia.

prætiorum:ſed eſt principatus popularis,vt patet 3.Polit.pertinet ſimul ad multos: ſed in principatu iudicatiuo ſemper vnicus erat iudex:manent ergo duo principatus,ſ.Monarchicus ſiue Regalis,& Ariſtocraticus: & non pertinet totaliter principatus iudicum ad aliquem iſtorum.Nõ quidem ad principatum Regalem,vel Monarchicum, quia in monarchia tota poteſtas in vnum translata eſt, & licet ei agere quod

Ariſtocratia.

vult: ideò eſt iſte principatus periculoſus,vt patet Polit.3. Iudicibus tamen non erat commiſſa tota poteſtas. Nam oſtenſum fuit magnam eſſe differentiam inter regalem,& Iudicum poteſtatem.Non eſt quoq; totaliter Ariſtocratia, quia in principatu Ariſtocratico ſunt plures principantes ſecundùm differentiam virtutis, & magis virtuoſo maior committitur ſumma regenda,ſic enim dicit Ariſto.Ethic.8. Quòd inter virum & vxorem erit Ariſtocratia, cùm quilibet illorum in aliquo principetur. Si tamen vir in ſe tranſferat totum principatum domeſticum,erit principatus tyrannicus. Dicendum tamen,quòd magis ſimilatur principatus Iudicum principatui Ariſtocratico,quàm Monarchico, quia ſolùm habet ſimilitudinẽ ad Monarchicam, vel Regalem inquantum vnus erat principans. Eſſentialius tamen eſt in monarchia: quia tota poteſtas ſic translata ſit,vel ſi alij ſunt principãtes,quòd ſint ſubordinati ei,& reſpectu illius ſint ſubiecti.Iudices tamen non habebant totam poteſtatem populi. Ad Ariſtocratiam autem habent iudices maiorem ſimilitudinem,eò quod Ariſtocratia eſt principatus electiuus, iudices autem eligebantur. Ariſtocratia quoq; perquirit virtutem, & magis virtuoſo tribuit maiorem principatum: ſic faciebant Iſraelitæ ad iudices, quia eligebant illos, quos aptiores ad principatum belli putabant. Poſſet etiam dici, quod iſte principatus erat totaliter Ariſtocraticus,quia multi erant hic principantes. Nam licèt nõ eſſent multi iudices ſimul inter Iſraelitas, erant principes circa alios modos regiminum,qui non pertinebant ad iudices:ſicut circa diffinitionem litigiorum ponebatur ſummus ſacerdos, & domus conſilij:& alij iudices per omnia loca. Dicendum igitur,quòd iudices pertinebant ad principatum Ariſtocraticum.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

IN LIBRVM IVDICVM COMMENTARIA.

CAPVT I.

POST mortem Ioſue conſuluerunt filij Iſraël Dominũ, dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli: Dixitq; Dominus. Iudas aſcendet: ecce tradidi terram in manus eius. Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecũ in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et abijt cum eo Simeon. Aſcenditq; Iudas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum: & percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. Inuenerunt q; Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum, & Pherezæum: Fugit autem Adonibezec. Quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum. Dixitq; Adonibezec: ſeptuaginta reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntq; eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt, Oppugnantes ergo filij Iuda Ieruſalem, cæperunt eam, & percuſſerunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem. Et poſtea deſcendentes pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad Meridiem, & in campeſtribus.

POST *mortem.* Hic incipit liber Iudicum, in quo euentuum temporalium ſub ipſis Iudicibus hiſtoria texitur. Et diuiditur in duo. Primò ponitur quædam materiæ libri huius breuis prælibatio: Secundò ponitur ipſius hiſtoriæ per tẽporales ſucceſſiones narratio, infrà 3. cap.

Sciendum autem, quòd cauſa ſuſcitandorum Iudicum, vt tangitur infrà, quòd populus recedens à Deo in pœnam delictorum ſuorum à gentibus affligebatur, ideo ponũtur tria: Primò ponitur tranſgreſſio, Secundò tranſgreſſionis reprehenſio, Tertiò materiæ libri huius prælibatio, ſecunda in principio ſequentis cap. tertia, eod. cap. *Dimiſit ergo Ioſue.* Et quia oppoſita iuxta ſe poſita clarius cognoſcuntur, ponitur primò populi profectus laudabilis, ſecundò eius defectus culpabilior. *Manaſſe quoque.* Prima in duas, quia primò ponitur Iudæ profectus, ſecundò aliarum quarundam tribuum ſucceſſus, ibi. *Filij autem Cinei.* Primus in duas, primò ponitur profectus Iudæ in generali, ſecundò ſucceſſus proſper Caleb in ſpeciali, ibi. *Pergensq; Iudas.* Circa primum dicitur: *Poſt mortem Ioſue.* In hoc oſtenditur ordo libri huius ad præcedẽtem, ſcil. quòd ea, quę narrantur in hoc libro de Iudicibus, euenerunt poſt mortem Ioſue. Nam ſi vixiſſet Ioſue, nõ conſuluiſſent Iſraëlitæ Dominum, quis deberet præcedere eos ad pugnam. Nam Ioſue erat princeps eorum: ipſe quippe ingrediebatur, & egrediebatur ante eos, & ad verbum illius moueri debebant omnes Iſraëlitæ, vt patet Num. 27. cap.

An id quod hic dicitur, fuerit magno tempore poſt mortem Ioſue.

QVÆSTIO I.

QVÆRET aliquis, an iſtud, quod dicitur hic, fuit magno tempore poſt mortem Ioſue, vel immediatè.

Reſpondendum, quòd hoc non apparet. Aliquis tamen dicet, quòd rationabile eſt, quòd fuerit paruo tempore poſt: quia infrà agitur de temporibus iudicum, & primus iudex fuit Hothoniel, cuius inſtitutio fuit tẽpore paruo poſt mortem Ioſue. Iſta tamen quæ ponuntur hic, fuerunt ante inſtitutionem iudicum, cùm ponantur prius. Ideo videtur, quòd ſatis citò poſt mortem Ioſue iſta euenerunt. Reſpondendum eſt, quòd ſatis eſt veriſimile, quòd iſta fuerint pauco tempore poſt mortem Ioſue, non tamen probatur ratione præcedenti, ſcilicet quia iſta fuerunt ante tempora iudicum. Nam non eſt credendum, quòd omnia, quæ habentur in hoc cap. euenerint ante tempora primi iudicis. Nam tempus illius incipit computari immediatè poſt mortem Ioſue, alioquin relinquerentur multa tempora intermedia, quæ non computarẽtur, quod falſum eſt, & declaratum fuit ſuprà in Prologo. Sed ponuntur aliqua iſtorum hic per anticipationem. Fuit autẽ intentio ſcriptoris enarrare ſtatum populi Iudaici poſt mortem Ioſue: & quia aliqui euentus erant, qui pertinebant ad quaſdam tribus ſolùm: alij autem pertinebant ad omnes tribus, voluit ſcriptor primò enarrare euentus pertinentes ad tribus ſpecialiter, & hoc fecit in iſto cap. in quo deſcribitur, quomodo quælibet tribus ſe habuit contra hoſtes ſortis ſuę, & quę ab illis paſſa eſt. Poſtea deſcribit ſtatus totius populi in generali, & iſtud fuit enarrando hiſtoriam iudicum, ſcil. quid accidit Iudæis ſub quolibet iudicum ſuorum; & iſtud incipit infrà 3. cap. Ideo licèt aliqua de eis quæ habentur, acciderunt ſimul cum ea, quæ facta ſunt temporibus iudicum: ſcriptura noluit illa poſtea deſcribere, vt ſeruaret artificiorem ordinẽ enarrando prius omnia, quæ pertinebant ad tribus ſingulas

A ſpecialiter: vt poſtea impermixtim narraret quod accidit toti populo generaliter. De hoc tamen ſatis dici poteſt, quòd antequam inſtitueretur Hothoniel in iudicem, fuit factum id, quod dicitur de conſultatione Dei. *Conſuluerunt filij Iſraël Dominum.* Scilicet, omnes tribus. Non enim accipitur hic pro aliqua tribu ſpeciali; quia tunc non eſſet locus dubitationis, ſcil. quæ tribus deberet eſſe dux belli. Etiam reſponſio Dei eſſet friuola, ſcil. quòd Iudas aſcenderet: ſed intelligendum, quòd mortuo Ioſue Iſraëlitæ voluerunt habere ducem, & neſciebatur, quæ tribus deberet præcedere alias, vt inde acciperetur dux, ideo conſuluerunt Dominum ſuper hoc: & reſpondit, quòd Iudas aſcenderet.

Quare Iſraëlitæ conſuluerunt Dominum de eligendo duce.

QVÆSTIO II.

QVÆRET aliquis, quare Iſraëlitę conſuluerunt Dominum de eligendo duce?

Reſpondet Rab. Salomon, quòd hoc fecerunt, ne inciderent in malum, quod habuerunt, quando iuerunt in vrbem Hai. Nam tunc inconſulto Domino iuerunt, & fugati ſunt à viris Hai: occiſi ſunt etiam 36. viri de eis, vt patet Ioſue 7. cap. nunc autem aſcendere debebant ad hoſtes; ideo cõſuluerunt ſuper duce. Sed hoc nõ ſtat, quia Iſraëlitæ nõ corruerunt ibi,
B quia inconſulto Deo egerunt: ſed quia peccauerat Iſraël, & volebat Deus, quòd nõ poſſent ſtare corã hoſtibus ſuis quouſque occideretur ille, qui peccauerat, vt patet Ioſue 7.

Sed dicendum, quòd conſuluerunt nunc Dominum pro duce, quia mortuus erat Ioſue, & non habebant ducem. Volentes ergo ire ad hoſtes, conſuluerunt Dominum pro duce, & propter hoc dicitur hic: *Poſt mortem Ioſue.* Scilicet, qa mors Ioſue fuit cauſa, vt conſulerent. Nam ſi ipſe vixiſſet, non conſuluiſſent, cùm ipſe eſſet dux. Motiuum autem ad conſulendum fuit triplex. Primum, quia negotium iſtud erat arduum, ſcilicet conſtituere principem ſuper totum populum. Nam ex bonitate principis pendet ſtatus populi. Magna autem negotia nolebant Iſraëlitæ arbitrio ſuo diffinire: ideo currebãt ad diuinum oraculum, & in hoc benè agebant, cùm Deus vellet eis in ſingulis reſpondere. Sic enim quando conſtituit Moyſes iudices ſub ſe, iuſſit, quòd in cauſis arduis ſemper recurreretur ad eum, eo quòd ille deferret illas ad diuinum oraculum, quando ignoraret ſententiam: ſicut fecit in cauſa filiarum Salphaad, Num. 27. & 36. De hoc Exod. 18. Secundum motiuum fuit, vt non offenderent Deum, ſi prẹter eius arbitrium aliquem ſibi iudicem, & rectorem acciperent. Nã ante hoc omnes rectores à Deo inſtituti fuerant. Patet de Moyſe, qui fuit primus: ipſe enim à Deo miſſus eſt ad regendum populum Iſraël, & ad educendum de Ægypto, vt ipſe probauit in ſignis, Exod. 3. & 4. cap. Ioſue autem, qui fuit ſe-
C cundus princeps, etiam fuit à Deo inſtitutus. Nam ipſe iuſſit Moyſi, vt præſentaret eum coram toto populo, & ibi eum principem inſtitueret, Num. 27. cap. Si autem nunc Deo inconſulto principem eligerent, fortè Deus iraſceretur: quia in hoc aliqualiter volebant effugere poteſtatem illius: ideo cõſuluerunt ſuper hoc. Tertium motiuum fuit ad tollendum diſſenſiones. Quælibet enim tribus vellet ſuſcipere principatum ſuper omnes: & quia in hoc eſſet magna diſſenſio, & inuidia, recurrerunt ad diuinum oraculum: vt, faciendo quod Deus iuberet, tollerentur omnes diſſenſiones inteſtinæ.

Ad quid quærebant Iſraëlitæ de conſtituendo duce, cùm determinatum eſſet, quòd Iudas.

QVÆSTIO III.

QVÆRET aliquis, ad quid quærebant ſuper hoc Iſraëlitæ. Nam determinatum eis erat, quòd Iudas deberet eſſe dux. Huic quippè tribui Propheticè fuerat principatus aſſignatus. Sic patet Gen. 49. ſcilicet: Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Ergo omnes tribus, quæ erant fratres Iudæ, debebant eſſe ſubditæ tribui Iudæ ad hoc, quòd laudarent Iudam.

Reſponderi poteſt vno modo, quòd illud intelligitur de principatu regnatiuo: quod patet, quia dicitur: Non auferD tur ſceptrum de Iuda, &c. ſceptrum autem ſignificat regalem honorem, Iſraëlitæ autem non dubitabant, quin ad Iudam pertineret principatus regnatiuus, quando ille dandus eſt. Nunc tamen non quẹrebant Iſraëlitæ de principatu regnatiuo, quia adhuc non habuerãt aliquem regem: ſed de alio minori quocunq; principatu, qui non ſolùm poterat pertinere ad Iudam, ſed etiam ad alias tribus: quæſierunt quis deberet eſſe princeps belli. Aliter dici poteſt, quòd Iſraëlitæ cognoſcebant principatum populi fuiſſe promiſſum Iudæ: neſciebant tamen an immediatè deberet prouenire iſte principatus illi, vel poſt aliquanta tempora. Nam primò non fuit datus principatus populi alicui de tribu Iudæ, ſed Moyſi, qui erat de tribu Leui: deinde autem traditus eſt Ioſue, qui erat de tribu Ephraim, Nu. 13. Sic igitur nunc dubitauerunt, an Deus vellet dare principatum alteri tribui, ideo cõſuluerunt eum. *Dicentes: Quis aſcendet ante nos.* Scilicet, diriget nos ad bellum, quod eſt officium ducis: ideo duces dicuntur ingredi, & egredi ante viros ſuos: ſic patet Num. 27. cùm dixit Moyſes: Prouideat Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper hanc multitudinem, & poſſit exire & introire ante illos: ſic etiam 1. Regum 18. cap. dicitur de Dauid, qui erat dux, quòd omnis Iſraël & Iuda diligebant Dauid, quia ipſe ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.

Contra Chananæum. Id eſt, contra gentes Chananæorum. Non accipitur hic Chananæus ſpecialiter pro vno de illis ſeptem populis, ſed generaliter pro omnibus ſeptem. Nam nõ E
ſolùm relinquebatur in terra populus Chananæorum, ſed etiam partes omnium populorum, vt patet infrà 3. ca. ſcilicet: Hæ ſunt gentes, quas dereliquit Dominus, &c. & ſubditur: Quinque ſatrapas Philiſthinorum, omnem Chananæum atque Sidonium, & Heuæum. Contra autem omnes iſtos volebant pugnare Iſraëlitę. Sic etiam aliquando accipitur Amorrhæus propriè pro vno populo, & aliquando pro omnibus Chananæorum ſeptem populis: ſic patet Geneſ. 15. cap. ſcilicet: Nõdum enim impietæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque in præſentem diem. Et tamen ibi loquebatur Deus de peccatis omnium ſeptem populorum terræ Chanaan ad hoc quòd excluderentur de terra. Sic etiam patet Geneſ. 48. ſcil. quòd Iacob tulit partem agri ab Amorrhæo in gladio, & arcu. Et intelligitur de agro Sichem, vt ibidem declaratum eſt. Viri tamen Sichimitæ non erant Amorrhæi, ſed Heuæi, vt patet Geneſ. 34. cap.

Quare volebant nunc Iſraëlitæ pugnare contra Chananæos.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRET aliquis, quare volebant nunc Iſraëlitæ pugnare contra Chananæos ad obtinendum terrã eorum,
F cùm Deus dixiſſet ne pugnaret Ioſue contra omnes Chananæos, ne terra acquiſita redigeretur in ſolitudinem.

Reſpondetur, quòd Deus fecit, quod Ioſue acquireret magnam partem terræ Chanaan, ſed non totam: eo quòd Iſraëlitæ erant pauci non potentes replere illam: & repleretur terra beſtijs redacta in ſolitudinem. Sic patet Exod. 23. ſcilicet: Non eijciam à facie tua anno vno, ne terra redigatur in ſolitudinem, & creſcant contra te beſtiæ: Paulatim eijciam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram. Et adhuc terram illam, quam acquiſiuit Ioſue non habitauerũt totam Iſraëlitæ, quia non poterant eam replere: ſed omnia loca, quæ acquirebant, cremabant, & diruebant, præter loca, quæ erant in collibus, & locis fortiſſimis. Et iſtud erat, quia pauci Iſraëlitæ non poſſent illa replere, nec defendere ab hoſtibus. Loca autem exiſtentia in locis fortiſſimis poterant faciliter defendi: ideo illa relicta ſunt, vt patet Ioſue 11. capit. & ibi declaratum eſt. Præter hanc terram manſit multa alia, quæ non acquiſita fuit tempore Ioſue, & tamen illa diuiſa eſt per ſortes, ſicut alia terra, quæ acquiſita fuit, & hoc Deo mãdante. Dixit autem: Ego ſum, qui delebo omnes gentes has à facie Iſraël. Facta autem diuiſione volebat quælibet tribus poſt mortem Ioſue acquirere terram, quæ erat in ſorte ſua, ad quod petebant ducem: & ob hoc rationabiliter mouebantur: quia iam aliqualiter creuerat populus: & poterat replere maiorem partem terræ. Sic enim tribus Ephraim

conqueſta

A conquesta est de paruitate sortis suæ, Iosue 17.

Et erit dux belli. Id est de qua tribu accipiemus ducem belli. *Dixitq; Dominus.* Respondendo per sacerdotem Phinees, vt ait Scholastica historia. Et satis verisimile est, quia consultationes istæ fiebant in rationali, & Ephod, quæ erant vestes summi sacerdotis, Exod. 28. Phinees tamen erat nunc summus sacerdos. Nam Eleazarus iam mortuus fuerat, de cuius morte patet Iosue vlt. & ei successit filius suus Phinees, vt patet 1. Paralipom. 6.

Iudas ascendet. Id est, de tribu Iuda accipietis ducem. Et accipitur hic Iudas pro tribu, & non pro persona, scil. quòd de tribu Iuda acciperetur dux. Ista tribus erat cæteris honorabilior, & erant viri in ea fortissimi, ideo ducatum ei Dñs prę̃stitit. Sic enim iterum consuluerunt Israëlitæ Dominum, quis futurus esset dux in bello cõtra Beniamin, & respõdit Deus: Iudas erit dux vester, infrà 20. cap. Dicit autem hist. Schol. q̃ dux qui nunc assumptus est, fuit Caleb: tamen pro paucitate temporis nec iudicibus, nec rectoribus connumeratur. Incipit namque iudicum ordo ab Othoniele fratre eius, vt patet infrà 3. Motiuum autem videtur, quia in isto bello, quod fecerũt hic filij Iuda, videtur fuisse dux Caleb, eo quòd ipse dixit apud vrbem Dabir exercitui, qui percusserit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam. Si tamen ipse non fuisset dux, non pertinuisset ad eum proponere præmium capienti vrbem. Alij autem aliter legunt totam istam literam dicẽtes, B quòd cùm filij Israël consuluerunt Dominum, quis ascenderet ante eos ad Chananæum, non quærebãt de duce belli pro omnibus tribubus, sed inquirebant, quæ tribus primò pugnaret cõtra hostes sortis suæ: quælibet enim habebat aliquos in sorte sua, & est sensus: *Quis ascendet ante nos contra Chananæũ.* Id est, quæ tribus erit, quæ ascendet contra Chananæum, id est contra Gentiles manentes in sorte sua. Ante nos, id est antequam nos ascendamus. *Et erit dux belli.* Id est, quæ tribus erit præcedens in pugnando cõtra hostes suos: sicut dux est prior in exercitu. Et respõdit Deus, Iudas ascendet, id est tribus Iudæ erit prima, q̃ pugnabit cõtra hostes suos: & deinde cęteræ pugnabunt cõtra suos. Istũ sensum tenet Nicolaus, & refert hunc tenere Hebræos. Cuius ratio est, quia aliter sequeretur, quòd omnes principes belli contra Chananæos debuissent esse de tribu Iuda: sed falsum est, quia Barac fuit de Nephthali, infrà 4. Aiod fuit de Beniamin, infrà 3. Gedeon, & Abimelech de Manasse, infrà 6. & 9. & sic de alijs. Nam de alijs tribubus fuerunt multi iudices: imò de omnibus iudices soli duo fuerunt de tribu Iuda, scilicet Othoniel, & Abesan: quia Othoniel, erat frater Caleb, & Caleb erat de sorte Iudæ, Num. 13. cap. Abesan autem erat de Bethlehem, infrà 12. quæ erat vrbs Iudæ, vt patet Matth. 2. & Michææ 5. Sed istud non stat. Nam non sequitur ex hoc, quòd iudices deberent esse semper de tribu Iudæ, quia Israëlitæ, quando nunc consuluerunt Dominum, consuluerunt de duce ad pugnandum contra C Chananæos. Postea autem mortuo Caleb non pugnabant cõtra Chananæos, sed magis aliæ gentes opprimebant eos, scilicet rex Mesopotamiæ, infrà 3. & rex Moab, eodem cap. ideo non sequebatur ex hac responsione Dei, quòd ad liberationem suam ab illis gentibus deberent sumere ducem semper de tribu Iuda. Item istud fortè teneret, si assumptio ducũ inter Israëlitas habuisset causam continuam, scilicet quòd mortuo vno sumeretur alius, quia tunc mortuo vno duce de tribu Iuda videretur, quòd debuissent accipere alium de eadem tribu, vt videretur semper vnus iudex. Duces tamen non accipiebantur continuè inter Hebræos, sed si nunc fuisset vnus dux, vel iudex, non assumebatur alius illicò, sed manebat populus sine iudice, quousque incideret in manus aliquorum hostium, & indigeret duce liberatore. Ideo licèt nunc accepissent ducem de Iuda, & postea cessante omnino ducatu inter Israëlitas vellent accipere alium, quia causa erat iam alia, non videbantur obligari ad assumendum illum de tribu Iuda, sed obligarentur, si semper fuisset continuatio in assumendo duces. Aliud tamen motiuum esse potest pro hac parte, scilicet quia non ponitur hic aliquod bellum commune, quod fecit totus populus, in quo deberet esse dux de tribu Iudæ: sed Iudas particulariter pugnauit contra hostes tribus, & sortis suæ: & vocauit secum Simeonem fratrem suũ. Ideo videtur, quòd non petebatur de duce communi, sed de tribu, q̃ primò ascendere deberet ad pugnandum cõtra hostes sortis suæ. Sed adhuc istud non stat; quia licèt hic non agatur de aliquo bello cõmuni: tamen intelligendum est, quòd populus putauit qnòd aliquod bellum commune futurũ esset, in quo aliqua tribus deberet esse dux belli. Et hoc rationabile est: quadum Iosue viueret, habebant Israëlitæ ducem communem pro omnibus bellis. Nunc autem eo mortuo voluerunt similiter habere ducem belli communem. Hoc autem patet esse valdè rationabiliter dictũ. Nam simile proponitur infrà 20. cùm dixerunt Israëlitæ, quis esset dux in exercitu suo contra Beniamin. Et Deus respondit, quòd Iudas sit dux vester. Et tunc acceperunt tribum Iuda in ducem ad pugnandum contra Beniamin. Item quia non possunt trahi verba huius literæ nisi nimis distortè ad sensum illum, quem volunt Hebræi & Nicolaus, scil. quòd quæratur, quæ tribus deberet primò pugnare contra hostes suos. Nam tunc non diceretur, quis ascẽdet ante nos, sed quis ascendet prior de nobis. Nam cùm omnes tribus hic consulerent, non poterat aliqua ascendere ante omnes: poterat tamen aliquis dux ascendere ante omnes eas. Etiam quia dicitur: Et erit dux belli. Non tamen vocatur propriè dux belli qui prius pugnat, sed qui dirigit, & præcipit in bello. Item quod efficacius est, tunc ista consultatio esset nimis friuola, scil. quæ tribus deberet pugnare prius cõtra hostes suos petendo de bello particulari, quia tunc cùm vna tribus non dependeret ex alia, non debebat ex necessitate ire ad adiuuandum aliam. Quælibet poterat pugnare contra hostes tribus, & sortis suæ quando vellet, & in hoc non referebat, ideo non consulerent Dominum super hoc. Consuluerunt tamen tanquam aliquid dubitabile foret, ideo videtur, quod consuluerunt quæ tribus deberet accipere ducatum in aliquibus bellis communibus, quæ intendebat facere totus populus contra Chananæos.

Ecce tradidi terram in manu eius. Id est, si fuerit ipse dux, tradam terram in manu eius: quod intelligitur tam in bellis omnibus, quã in bellis sortis suæ. *Et ait Iudas Simeoni fratri suo.* Hic incipiunt bella particularia tribuum cõtra hostes sortiũ suarum. Et ponitur primò bellum virorum de tribu Iuda, quomodo prævaluit contra hostes suos. Dixit Iudas Simeoni fratri suo, id est, tribus Iudæ dixit tribui Simeon quæ tribus erat frater, quia istæ duæ tribus descendebant à duobus fratribus.

Nicol. expositio literæ.

Quare vocantur hic Iudas, & Simeon fratres.

QVÆSTIO V.

QVÆRET aliquis, quare vocantur hic Iudas, & Simeon fratres. Nam si accipiantur fratres ex ratione generali, scil. quia erant ex eodem parente, non solùm erant fratres Iudas, & Simeon, sed omnes etiam aliæ tribus descendebant à fratribus Iudæ, scil. ab vndecim fratribus eius filijs Iacob. Si autem accipiantur fratres ex aliqua ratione speciali, non debuissent vocari Iudas, & Simeon fratres, sed Simeon, & Leui, quia isti duo magis consentiebant sibi,

Respondendum, quòd omnes qui fuerunt capita tribuũ, erant fratres, scil. filij eiusdem viri. Vocãtur tamen aliqui eorum fratres specialius inter se ex aliqua ratione. Primò illi, qui se magis diligunt, & magis sibi mutuò benefaciunt, vocantur fratres. Sic Simeon, & Leui vocantur duo fratres Dinæ tanquam nullos alios fratres haberet, Genes. 34. Sed hoc fuit, quia isti duo specialius pro eius defloratione doluerũt, & arreptis gladijs deleuerunt Sichimitas in vltionem stupri, eodem cap. Secundò vocantur fratres illi, qui vterini sunt specialiter, sicut Thamar filia Dauid vocata est soror Absalon, 2. Reg. 13. Quia quanquam haberet multos alios fratres, tamen nullus erat ei vterinus nisi Absalon, quia ambo erant filij Dauid ex vxore sua Maacha filia Thelmai regis Gessur, vt patet 2. Reg. 13. c. Tertiò vocãtur aliqui fratres specialiter, si consentiunt sibi specialiter in aliquo bono, vel malo plusquam cæteri confratres. Et hoc modo Simeon, & Leui vocãtur fratres: quia specialiter sibi consenserunt in scelere delendi vrbem Sichem. Sic dicit Iacob, Genes. 49. Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia: in consilio eorum non venit anima mea, id est, isti duo fuerũt fratres in hoc, quòd ambo essent vasa iniquitatis ad delendum Sichem. Et sicut fuerunt isti fratres in culpa, ita fuerunt fratres in pœna, cùm di- F

Qualiter aliqui specialiter fratres vocãtur.

citur eod. cap. Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israël. Quartò vocantur aliqui fratres specialiter ex aliqua conuicinitate. Sic Iudas, & Simeon vocantur fratres, quia sortes simul acceperunt: immò Simeon accepit sortem intra sortem Iudæ, patet Iosue 19. cap.

Ascende mecum in sorte mea. Id est, ascende mecũ ad pugnandum contra hostes, qui sunt in sorte mea. In hac sorte manebant multi Chananæi. Nam quinq; satrapæ Philisthinorum quasi ex maiori parte erant in sorte Iudæ, vt patet Iosue 15. vbi ponuntur ciuitates sortis Iudæ, & enarrantur ibi ciuitates Philisthinorum, quæ erant metropoles, scilicet, Gaza, Azotus, & Accaron. Aschalon quoque, quę erat metropolis, quarta erat in sorte Iudæ, vt patet infrà in litera. Nam Iudas pugnauit contra illam, atque cepit eam: quanquam Deus dixerit: Ecce tradidi terram in manu eius, non tradidit totam: nã quinque satrapæ Philisthinorum postea manserunt, qui non traditi sunt in manus Iudæ, vt patet infrà 3. Et post hoc etiam tempore regum non erant traditi Philisthini in manus Israël, vt patet in discursu primi Regum.

Et pugna contra Chananæum. Hic accipitur largè Chananęus non solùm pro illo populo speciali Chananæorum, sed etiam pro omnibus septem populis. Quia infrà dicitur, quòd Iudas, & Simeon pugnauerunt contra Chananæum, & Pherezæum, & dicitur: *Pugna contra Chananæum.* Id est, adiuua me ad pugnandum contra Chananæum. Nam pugna principaliter pertinebat ad Iudam, cùm pugnaretur contra hostes tribus suæ. Vocauit autem potius Iudas Simeonem, quàm aliam tribum, eo quòd sibi magis coniunctus, scil. quia in quadã parte sortis Iudæ susceperat Simeon sortem, vt patet Iosue 19. c. Et illi, qui vicini sunt, commodius possunt sibi mutuo opem ferre. Secundò fuit hoc, quia ex pugna contra hostes sortis Iudę veniebat maior vtilitas tribui Simeon, quam alijs tribubus. Duo quippè mala faciebant hostes sortis Iudæ in sorte illa. Primum erat, quia tenebant occupatam terram, quæ debebatur viris sortis Iudę. Secundũ erat, quia ex ipso loco hostes inuadebant terram Iudæ, quę propinqua erat, & agebant prædas. Primum damnum horum solùm prouenicbat tribui Iudæ, & non tribui Simeon, aut alicui alteri, quia hostes sortis Iudæ solùm occupabant terram sortis Iudæ. Secundum damnũ commune erat tã sorti Iudę quàm Simeon; quia cùm hostes tribus Iudæ essent propinqui tribui Simeonis, veniebant aliquando contra tribum Simeonis, & agebant prædas in sorte sua. Ad alias autem tribus nõ tantùm appropinquabant, ideo poterant non ita grauiter nocere, & consequenter magis prouenicbat vtilitas tribui Simeon, quia eijcerentur hostes sortis Iudæ de terra Iudæ, quàm alicui alteri tribui, & ob hoc magis vocauit illam tribum. *Vt & ego pergam tecum in sorte tua.* Scilicet ego simile pro te faciam. Nam in sorte quoque Simeon erant hostes occupantes illam, & tribus Iudæ adiuuaret postea Simeon ad expellendum illos de terra. Dicit historia Scholastica: non legitur Simeon sortem propriam habuisse, sed adhæsit Iudæ, vt impleretur quod dixerat Iacob de Simeone, & Leui: Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israël. Sed arguetur contra, quia Iosue decimono no, ponitur sors Simeon. Nam dicitur Iosue 18. quòd diuisa est terra residua, quę non fuerat prius diuisa in sortes septem, & ponitur sors prima Beniamin: deinde dicitur ibidem cap. 19. egressa est sors secunda Simeon: & sic dicendum est, quòd sortem habuit. Ad id, quod dicit Scholastica historia, dicendum, quòd non intelligitur, quòd non habuerit sortem propriam distinctam ab alijs sortibus, sed quia nulla tribus accepit in sortem partem alterius tribus, nisi tribus Simeon. Ad quod præsupponendum, quòd à principio tribus Iudæ petijt sortem, & data est ei maior sors, quam secundum proportionem ad alias tribus dari debuisset, quæ ponitur Iosue 15. Deinde cùm diuideretur residua terra, reperto quòd tribus Iudę accepisset vltra debitum, abscissa est quædam pars parua de illa, & data est tribui Simeon, & illam accepit in sortem propriam, & non pertinuit postea illud ad sortem Iudæ: Fuit aũt illud factum, quia illa pars abscissa de sorte Iudæ, erat ita parua, quòd non cõueniebat alicui tribui, nisi Simeon, quæ erat parua tribus, ideo ei data est. Hoc patet Iosue 19. cùm dicitur: Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in positione, & funiculo Iuda: quia maior erat, & idcirco possederunt filij Simeon in medio sortis eorum.

Iudas quare potius Simeonẽ, quã aliam tribum vocauerit.

Quomodo filij Simeon nolebant ire ad pugnandum contra hostes sortis Iudæ.

Qvæstio VI.

Qværet aliquis, quomodo filij Simeon nolebant ire ad pugnandum contra hostes sortis Iudæ, nisi sub obligatione hic posita ad similia. Nam ante hoc omnes de quacunque tribu obligabantur ire ad pugnandum contra Chananæos in quacunque sorte essent.

Respondendum, quòd antequam terra esset diuisa per sortes, erat communis: & quælibet pars terræ Chanaan erat indeterminata, an ad istam tribum, vel ad illam pertinere deberet: sed quælibet tribus possidebat, vel habebat ius ad quãcunque partem terræ Chanaan pro indiuiso: ideo tunc omnes obligabantur ire ad pugnandum cõmuniter contra quẽcunque locum pugnaretur. Et non solùm illi, qui accepturi erant possessionem in terra Chanaan, sed etiam viri de duab⁹ tribubus & dimidia, qui iam acceperãt possessionem suam ad Orientalem partem Iordanis coacti sunt venire ad adiuuandum nouem tribus, & dimidiam, vt iussit Moyses, Num. 32. & sic postea illud executus est Iosue, vt patet Iosue 1. & 4. Et nõ redierunt isti postea ad terram suam, quousq; cessauerũt bella communia, & diuisæ sunt sortes terræ, vt patet Iosue 22. ca. Cùm autem facta est diuisio, incepit quælibet tribus possidere id, quod ei sorte euenerat: ideo iam mansit cuilibet tribui cura de terra sortis suæ, vt eam ab hostibus erueret: ideo iam non obligabatur vna tribus adiuuare aliam ad pugnandum contra hostes suos, sed ex conuentione se adiuuabant, sicut factum est hic.

Et abijt cum eo Simeon. Id est, viri de tribu Simeon iuerunt cum viris de tribu Iuda ad pugnandum.

Ascenditq; Iudas. Scilicet ad loca sortis suæ, quę adhuc occupata erant ab hostibus. Nam per bella communia quæ fecerat populus tempore Iosue, maior pars hostium expulsa fuerat de locis.

Et tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum. Hic accipitur Chananæus specialiter pro vno de septem populis Chananæorum, quia alioquin non distingueretur contra Pherezæum. Et dicitur de his duobus, quia in sorte Iudæ erant isti duo populi, vel pars eorum. Pars quoq; populorum aliorum, scilicet aliqui Iebusæi, cùm Ierusalem, quæ dicitur pertinuisse ad filios Iudæ, esset Iebusæorum, vt patet infrà in litera, & Iosue 15.

In manus eorum. Scilicet Iudæ, & Simeon, quia ambæ tribus pugnauerunt contra Chananæum, & Pherezæum. *Et percusserunt in Bezec decem millia virorum.* Bezec est quidã locus in sorte Iudę, in quo prius dominabatur rex Adonibezec: & in isto congregauit Saul exercitum, quando iuit contra Ammonitas, & recensuit eos ibi, vt patet 1. Regum 11. ca. non est autem intelligendum, quòd istum locum solum inuaserint, vel ibi solùm egerint cædes, sed specialiter nominatus est Bezec, quia ibi fuit magna strages hostilis, scilicet perierunt decem millia: & captus est rex potentissimus Adonibezec. Ista decem millia virorum percusserunt in Bezec, scilicet quia erant in vrbe, & capta illa occiderunt omnes, vel quia isti exierunt in pugnam contra tribum Iuda, & Simeon, & prostrati sunt. *Inuenerunt q; Adonibezec in Bezec.* Adonibezec est nomen regis, & erat rex Bezec. Aliqui scribunt Adonisedec: sed litera occupata est. Nam Adonisedec erat vnus de quinque regibus, quos fecit latere Iosue in spelunca, & postea suspendit die, qua stetit sol. Iosue decimo cap. Eratque Adonisedec rex Ierusalem, vt patet ibidem. Potest autem Adonibezec esse nomen commune compositum ex proprio, & appellatiuo, & interpretatur dominus Bezec, quia Adon, vel Adoni est dominus: & est sensus, quòd inuenerunt dominum Bezec in vrbe Bezec. Litera autem nostra accepit Adonibezec, tanquam nomen proprium. *Et pugnauerunt contra eum.* Ipse enim habebat illa decem millia virorum, quæ perierunt in bello in Bezec, & deleto exercitu ipse captus est. *Et percusserunt Chananæum, & Pherezæum.* Potest intelligi, quòd in vrbe illa habitant Chananæi, & Pherezæi mixti, & istos percusserunt. Vel quòd Bezec erat ciuitas fortis, & regalis, cùm esset ibi Adonibezech, & ob hoc conuenerant ad eam multi de

Error quorũdã penes hoc nomen Adonibezec.

A ti de populo terræ de locis non muratis, vel non fortibus: quorum pars erat Chananæorum, & Pherezæorum. Sic dicitur de vrbe Iericho, Iosue 22. cap. scilicet: & veniſtis vsque ad ciuitatẽ Iericho, & pugnauerunt contra vos viri vrbis ipſius Amorrhęus, Pherezęus, & Chananęus, Hethęus, Gergeſæus, & Euæus, & Iebuſæus, ſcilicet, quòd in ciuitate illa habitabat pars quædam omnium harum gentium. Vel quòd conuenerat de omnibus his gentibus pars quædam ad defendendam vrbem Iericho: quia illa erat prima introeuntibus in terram Chanaan. *Fugit autem Adonibezec.* Scilicet videns rex Bezec deletum exercitum ſuum ab Iſraëlitis, fugit, vt euaderet in alijs locis terræ ſuæ. *Quem ſecuti comprehenderunt.* Cognouerunt eũ fugiſſe, & perſecuti ſunt eum ne iterum colligeret exercitum contra Iſraëlitas, & infeſtaret eos.

Cæſis ſummitatibus manuum, ac pedum. Id eſt extremitates digitorum omnium per loca, in quibus firmantur vngues: quo facto tam manus, quàm pedes redduntur ad omnia inutiles. In Hebræo dicitur: *Cæſis pollicibus manuum & pedum.* Nam ponitur hic beonoth, quod ſignat pollices, & boen eſt ſingulare ſignans pollicem: ſimile patet Exod. 29. & Leuit. 8. vbi agitur de vnctione ſacerdotum, & dicitur, quòd deberet tingi ſanguine extremitas auriculæ, & pollices manus, & pedis dextri, & ponitur boen, id eſt pollex in Hebræo, & eſt ſingulare huius nominis beonoth, quod hic ponitur, & ad idem redit. Nam pollices ſunt ſummitates manuum, & pedum cùm ſint
B extremi digiti. Vel fortè Ieron. ſic tranſtulit, quia apud hoſtes erat conſuetudo, quòd cæderentur non ſolùm pollices, ſed etiam extremitates omnium digitorum: & putauit hoc velle literam Hebraicam, licèt decurtatè exprimeret.

Quare Iſraëlitæ amputarunt regi Adonibezec partes has pedum, & manuum.

QVÆSTIO VII.

QVÆRET aliquis, quare Iſraëlitæ amputauerunt Adonibezec partes has. Aliquis reſpondebit, quòd fortè fecerunt ad opprobrium regis huius, vt videret ſe turpiter mutilatum. Sic enim Naas rex Ammonitarum voluit mutilare Iabeſones ad opprobrium, dicens: In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrũm oculos dextros: ponamq; vos opprobrium vniuerſo Iſraël, vt patet 1. Reg. 11. Aliter reſpondet hiſtoria Scholaſt. & Andreas, ſcil. quòd hoc factũ eſt, vt redderetur inhabilis Adonibezec ad arma, qa abſciſſis his partibus homo non poteſt lanceam, aut aliud genus armorum manu tenere. Sed hoc non multum ſtat, quia Iſraëlitæ comprehendentes Adonibezec erant occiſuri eum, vel mancipaturi æterno carceri, ad quod nihil referebat, quòd eſſet ad arma inutilis.

C Reſpondendum igitur, quòd iſtud fuit factũ ſic propter duo: Primò, quia Deus mouebat Iſraëlitas ad ſic faciendum, vt iſte pateretur in eo, in quo deliquerat. Sic enim confeſſus eſt Adonibezec, quãdo inflicta fuit ei iſta punitio, & putauit, quòd à Deo proueniret, dicens: Septuaginta reges amputatis manuum, & pedum ſummitatibus colligebãt ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Dñs. Secunda ratio fuit ad diligentem cuſtodiam. Nam Iſraëlitæ volebant tenere captum Adonibezec, & non occidere illum ad maiorẽ vindictã, vt nõ poſſet fugere, amputauerunt ei extremitates pedum, ſcil. digitorum, quia illis abſciſſis nemo poteſt pedem in terra figere. Etiam ſi dicamus ſolos pollices abſciſſos, idem ſequitur, quanquam non tam efficaciter. Summitates autem manuum præciſæ ſunt, vel pollices, ne poſſet arma manu tenere ad ſe occidendum præ tædio, vel ad occidendum aliquẽ de Iudæis de deſperatione, vt ipſe occideretur. Sicut Codrus rex Athenienſium, quendam de hoſtibus falce percuſſit, vt eum in mortem ſuam excitaret, vt ait Valer. lib. 5. & Virgilius meminit huius 6. Æneidos. Et ſatis apparet iſta poſitio, quia nũc comprehenderunt Iſraëlitæ Adonibezec fugientem, ideo ne amplius fugere poſſet, præciderunt ſummitates. *Dixitq; Adonibezec.* Hic cognoſcit Adonibezec Dei prouidentiam, ſcil. quomodo ei pro iniquitatibus ſuis cõſimiles pœnas reddit. *Septuaginta reges amputatis manuum, & pedum ſummitatibus.* Scilicet, quia ipſe Adonibezec fecerat hæc illis amputari. In Hebræo ponitur. *Amputatis pollicibus.* Ponit tñ Ieronymus ſemper ſummitatibus, ex cauſa ſuprà aſſignata. Item quia dicitur infrà, quòd mortuus eſt Adonibezec in Ieruſalem. Si tñ non fuiſſent amputati niſi ſoli pollices, nõ mortu⁹ fuiſſet ex hoc: videtur ergo, quòd amputauerunt ſummitates manuũ, & pedum, ſcil. omnes digitos, & tunc fortè multus sãguis effluxit, & inde mortuus eſt in Ieruſalem. *Colligebãt ſub menſa mea ciborum reliquias.* In Hebræo ſolùm ponitur colligebant, ſed quia ſatis patet, quòd ſubintelligi debeat aliquid de cibis, Ierony. ſuppleuit illud: iſte faciebat magnam crudelitatem mutilãdo ſic reges, & cogẽdo eos ſub menſa ſua ſicut catulos micas colligere, quod nomen regium, quod ſibi, & illis cõmune erat, non honorabat: eratq; ſtultus nimis, quia ad inanem gloriam tot reges mutilauerat, vt poneret eos ſub menſa ſua.

Quomodo Adonibezec potuit congregare tot reges ad comedendum micas ſub menſa ſua.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRET aliquis, quomodo Adonibezec potuit congregare tot reges ad ponendum ſub menſa ſua.

Reſpondendum, quòd reges vocantur hic illi, qui reguli ſunt: nam apud antiquos multi imponebant ſibi nomen regium, & diadema, etiam ſi vnum oppidum ſolùm poſſiderẽt. Sic patet de regibus terræ Chanaan, qui erant valdè multi: nã terra nõ erat valdè magna, & tñ Ioſue occidit in illa 31. reges, vt nominantur Ioſue 12. & manebant adhuc plurimi. Ita Adonibezec cùm eſſet potens in terra illa, potuit pugnam habens contra Chananæos de terra illa colligere tot regulos, & mutilatos ſub menſa ſua cogere ad micas colligendum. Vel fortè de eodem loco multos reges habebat, qui per ſucceſſionẽ deuenerunt in manus eius. Vel ſi regẽ alicuius loci cepit: & cõſtituẽs illũ, alium quoq; infidelẽ ſibi & rebellantẽ inuenit, accipiebat illum cũ præcedente, & ſic multos colligere poterat regulos. Sic fecit Nabuchodonoſor duobus regibus de Ieruſalem. Nam primò cepit Ioachim, 4. Reg. 24. Poſtea autẽ inſtitutus eſt Sedechias. Et quia ille erat infidelis regis Babylonis, cepit eum, & duxit in Babylonem, 4. Reg. 25. *Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Hic cognouit ſe peccaſſe mutilando reges, & tenendo ſub menſa ſua: & cognouit Deum eſſe prouidentem in actibus humanis, pœnas & præmia conuenientia ſingulis compenſantem. Nam licèt iſti Gentiles non cognoſcerẽt quis erat Deus ille, qui vniuerſi vices temperabat, ſcil. an eſſet Deus Hebræorum, vel aliquis alius: tamen plurimi illorum credebant Deum aliquem eſſe habentem regimen ſuper omnia hæc. Et quia virtus huius Dei erat cognita, & nomen incognitũ, aliqui de gentibus honores magnos illi impendebant, profitentes ſe honorare ignotũ Deum. Hoc potiſſimè fecerunt Athenienſes; qui cùm eſſent viri doctiſſimi, cognouerant Deum quendam eſſe excellentiſſimũ omnium
F mundanorum agentem curas, & illum dignum honore magno duxerunt: & inter cęteros deos ſuos ei aram celebrẽ conſtituerunt in Ariopago, & erat titulus arę (Ara Dei ignoti) ad quam cùm veniſſet Paulus, & inquiſiuiſſet quid de Deo illo profiterentur Athenienſes, dixit illum eſſe Deum quem ipſe prædicabat, & ipſi inſcij eum colebant, vt patet Act. 17. cap. *Duxeruntq; eum in Ieruſalem.* Per anticipationẽ legendum eſt; nam nondum capta erat Ieruſalem, vt infrà patet, ſed eſt ſenſus, quòd duxerunt Iſraëlitæ ſecum captiuum in exercitu, & cœperunt poſt vrbem Ieruſalem, ibi autem accidit mori Adonibezec, qui portabatur. *Et ibi mortuus eſt.* Scilicet quia contigit eum mori ex vulnere manuum, & pedum: & hoc dum eſſent Iſraëlitæ in Ieruſalem expugnata illa. Vel aliter, ſcilicet quòd Iſraëlitę miſerunt Adonibezec in Ieruſalem, vt ibi perpetuo carceri manciparetur: vbi poſt aliquantũ tempus morbo incidenti, vel ex inflictis vulneribus mortuus eſt: ſed primum rationabilius eſt.

Athenienſes Deo ignoto aras conſtituerunt.

An peccauerint Iſraëlitæ ſeruando regem Adonibezec viuum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRET aliquis, an peccauerunt Iſraëlitæ ſeruando regem Adonibezec viuum?

A Aliquis dicet, quod sic: Nam ex hoc peccauit Saul, & priuatus est regno, quia regem Agag Amalechitarum reliquit viuentem contra mandatum Dei, 1. Regum 15. Item iussum erat, quòd de Chananæis nullum omninò viuere permitterent Israëlitæ sub aliqua conditione pacis, tributi, vel seruitutis, vt patet Deut. 20. cap. Adonibezec tamen erat Chananæus, ergo peccabant dimittendo eum viuere.

Respondendum, quòd nō peccauerunt dimittendo eum viuum, quia non dimittebant eum vt viueret, sed dimiserunt ei aliquid de vita modicum, scilicet infligentes ei vulnera, ex quibus non post multum tempus mori deberet. Vel habentes voluntatem occidendi illum non post multum tempus, vel tenendi eum captū perpetuo ex aliqua causa nō in fauorem eius, sed magis ad amaritudinem. Cùm obijcitur, quòd peccauit Saul, quia reliquit viuentem Agag. Respondendum quòd non est simile, quia ille reliquit eum voluntate donandi ei vitam misertus illius: & hoc erat contra iussum Dei, qui dixerat, quòd non moueretur misericordia, nec parceret oculus eius, 1. Regum 15. cap. Israëlitæ autem nunc non habebant voluntatem relinquendi viuum Adonibezec ex misericordia, quia iam inflixerant ei vulnera, ex quibus mortuus est non multo post. Et quia non tenebantur ad occidendum eum illicò, vt eum apprehenderunt, sed solùm, vt non miserentur eius, nō peccauerunt, quia non miserti sunt ad hoc ei, quòd vitam donarent. Ad secundum, cùm dicitur, quòd

B peccauerunt, quia iubetur Deut. 20. quòd occidantur Chananæi: dicendum, quòd non egerunt contra istud præceptū, quia occiderunt illum, licèt non immediatè.

An peccassent Israëlitæ si capientes Adonibezec non occidissent eum.

Qvæstio X.

Qværet aliquis, an peccassent Israëlitæ si capientes Adonibezec non occidissent eum, nec habuissent volū tatem occidendi, sed vellent tenere eum in carcere tota vita.

Respondendum, quòd lex iubebat, quòd Israëlitæ occiderent Chananæos gladio, & non permitterent eos viuere sub aliqua conditione, si autem ipsi non occiderent eos, sed tenerent captos, vt per ipsos morerentur, non implebant legem Dei, ideo videbantur peccare.

Sed dicendum, quòd aut aliqua causa suberat, vt hoc fieri deberet: vtpotè si per captionem alicuius non occidendo ipsum excusarentur aliqua bella Iudæis dura, vt inducerentur alia bona in populo Iudaico, poterant Iudæi tenere aliquos Chananæos carcere mancipatos non occidendo illos, dum tamen non donarent eis totaliter vitam, quia ipsi poterant facere quodcunque, quod non esset directè contra legem Dei ad vtilitatem politiæ suæ. Si tamen nulla causa subest ad man-

C cipandum illos carceri, aut mancipabant intentione nunquā occidendi eos, sed quòd ipsi morerentur per se, aut voluntate occidendi eos post aliquantū tempus. Si primo modo peccabant, quia agebant contra legem sine causa: si autem vellēt detinere eos ad tempus, & postea occidere, etiam si non subesset ad hoc aliqua causa, sed sola voluntas, non peccabant, quia lex non obligabat ad occidendum Chananæos, statim vt caperentur, sed ad aliquando occidendum.

An peccauerint Israëlitæ scindendo summitates manuum, & pedum regis Adonibezec.

Qvæstio XI.

Qværetvr vlteriùs, an peccauerint Israëlitæ sic mutilando regem Adonibezec. Aliquis dicet quod sic, quia confessus est ipse se malè egisse, quia mutilauerat septuaginta reges, & cogebat eos comedere sub mensa sua micas: Iudæi autem ista faciebant, ergo peccabant.

Respondendum, quòd non peccauerunt, quia ipsi poterant eum iustè occidere, imò tenebantur, quia Chananæus erat. Ideo quòd ei infligerent vulnera illa nō peccabant, præsertim quia Deus mouit illos ad faciendum illud, vt Adonibezec pateretur in eo, in quo peccauerat. Ipse autem Adonibezec peccauerat mutilando illos reges, eo quòd ipse egerat ad inanem gloriā, & tenuerat eos per tyrannidem, vel in bello iniusto: ideo Iudæi sibi iustè intulerunt, quod ipse alijs iniustè inflixerat. *Oppugnantes ergo filij Iuda Ierusalem ceperunt eā.* Ista erat ciuitas Iebusæorum, & erat de principalibus in tota terra Chanaan. Hic sunt duo dubia. Primum est, an Ierusalē fuerit filiorum Iudæ, vel Beniamin, cùm hic ponatur, quòd filij Iuda deleuerint eam, & alibi legitur pertinere ad Beniamin. Secundum est, an Ierusalē capta fuerit nunc, vel tēpore Iosue, de quo habetur Iosue 15. de ambobus respōdebitur infrà cùm dicetur de filijs Beniamin. *Et percusserunt in ore gladij.* Scilicet occidētes gladio omnes, tam magnos, quàm paruos, viros, & fœminas existentes in illa, eo quòd nō poterant permittere aliquem viuere de gente Chananæorum, Deut. 20. *Tradentes cunctam incendio ciuitatē.* Intelligitur hoc de parte plana vrbis. Nam fortalitium, quòd vocatur mons Sion, nō fuit captū vsq; ad tempora Dauid: vt patet 2. Reg. 5. & 1. Paral. 11.

Quomodo filij Iudæ combusserunt totam Ierusalem.

Qvæstio XII.

Qværet aliquis, quomodo filij Iuda combusserunt totam Ierusalem, & cur? Nam videtur, quòd non fuerit combusta, cùm dicatur, quòd habitauerunt in ea filij Beniamin. Aliquis respondebit, quòd factum est hoc, quia Israëlitę non poterant replere vrbem istam, nec habitare in ea: & vt non venirent Chananæi ad habitandum ibi, & iterum infestarent eos. Sic enim factum est Iosue 11. c. Nam omnes ciuitatēs, quæ capiebantur, & erant in locis planis, cremabantur, & diruebantur, & relinquebantur illæ, quæ erant in collibus, & montibus, quia istæ poterant defendi, & illæ non. Et si relinquerentur illæ sæ redirent ad eas Chananæi. Sed dicendum quòd hoc non stat, quia illud faciebant Israëlitæ, quando sortes erant indiuisæ, & putabant Israëlitæ quòd nō possent implere terram, quia pauci erant: quia tamen habebant multos hostes, pugnabant contra eos, vt pauci efficerentur, & postea cremabant ciuitates eorum. Nunc autē diuisis sortibus, quælibet tribus pugnabat contra hostes qui erant in sorte sua, vt haberet locū, per quem extenderetur, sicut filij Ephraim nō potentes capi in sorte sua petierunt maiorem locum, & Iosue iussit quòd pugnarent contra hostes, Iosue 17. ca. Ideo nō incenderent ciuitates tanquam non potentes replere illas. Sed dicendum videtur, quòd filij Iuda pugnabant contra Iebusęos, & illi defendebantur intra vrbem in aliquibus magnis ædificijs. Vt ergo possent filij Iuda totam vrbem delere, exclusis hostibus, succenderūt eam: & sic compulerunt omnes Iebusæos confugere ad fortalicium montis Sion, quibus effugatis potuerunt Israëlitæ fabricare domos, in quibus habitarent. *Et postea descendentes.* Scilicet ab Ierusalem ad aliam terrā magis Meridianam, ad quam est descensus ab Aquilone. *Pugnauerunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis.* Id est cō- F tra gentem Chananæorum habitantem in locis montanis, & arduis. Ista erat pars mōtana sortis Iudæ. Nam in hac erat terra montuosa, sic patet Luc. 1. cap. Et factus est timor magnus super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudęę. Erat autem ista pars montana contra Iordanem. Et ponuntur aliquæ ciuitates, Iosue 15. quæ dicuntur esse in monte, & deserto Iudææ. *Et ad Meridiem.* Id est, etiam ad partem Meridianam Ierusalem erant Chananæi, contra quos pugnauerunt filij Iudæ. Et dicitur ad Meridiem, ad differentiam montanæ quæ erat ad partem Orientalem Ierusalem versus Iordanem, vt dictum est. *Et in campestribus.* Loca campestria vocantur illa, quæ non sunt multum plana. Nam distinguuntur modi terræ, scilicet plana, campestria, & montana, vt patet Iosue 11. montana vocatur, quæ totaliter est excelsa, & prærupta: plana vocatur, vt valles, & alia loca ęqualia: campestria vocantur loca aliqualiter montuosa, vt descensus montium.

Pergens q; Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, cuius nomen antiquitùs fuit Cariatharbe, percussit Sesai, & Haiman, & Tholmai: atque inde profectus abijt ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariathsepher, id est, ciuitas literarum. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariathsepher, & vastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.

Cumq;

A

Cumq; cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam cõiugem. Quam pergẽtem in itinere monuit vir suus, vt peteret à patre suo agrum. Quæ cùm suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa respõdit: Da mihi benedictionẽ, quia terrã arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius, Filij autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de ciuitate Palmarum, cùm filius Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo Abijt autem Iudas cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananæum, qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumq; est nomen vrbis Horma, id est, anathema Cepitq; Iudas Gazam cũ finibus suis, & Ascalonẽ, atq; Accharon cum terminis suis. Fuitq; Dominus cum Iuda, & montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatus curribus abundabant Dederuntq; Caleb Hebron sicut dixerat Moyses: qui deleuit ex ea tres filios Enac. Iebusæũ autẽ habitatorem Ieruſalẽ non deleuerunt filij Beniamin, habitauitq; Iebusæus cum filijs Beniamin in Ierusalem vsq; in præsentem diem. Domus quoq; Ioseph ascendit in Bethel, fuitq; Dominus cum eis. Nam cùm obsiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominẽ egredientem de ciuitate, dixeruntq; ad eum: Ostende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum misericordiam Qui cùm ostẽdisset eis, percusserunt vrbem in ore gladij: hominẽ autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt. Qui dimissus abijt in terrã Hetthim, & ædificauit ibi ciuitatem, vocauitq; eam Luzam, quæ ita appellatur vsq; in præsentem diem.

1. Paral 2.

Iosue 15

Iosue 15 11 q. 36 c. nolite.

B

Pergensque Iudas, scilicet tribus Iudæ, & Symeon, quia ambæ simul ibant ad pugnandum. *Contra Chananæum, qui habitabat in Hebron.* Ista ciuitas est glorioſissima inter ciuitates sortis Iudæ. Est enim metropolis, in qua fuit regnum Dauid annis septem, & mensibus sex, vt patet 2. Reg. 2. & 5. de hac vrbe multa dicta sunt Iosue 11. & 12. In hac habitabant Gigantes, quos expugnauit Iudas. *Cuius nomen fuit antiquitus Cariatharbe.* In Hebræo habetur. *Cuius nomen fuit primò.* Et ad idem redit, vocatur Cariatharbe, id est, ciuitas quatuor secundùm interpretationem Hebraicam: & hoc quia fuerunt ibi sepulti quatuor Patriarchæ, scilicet Adam primus, & Abraham, & Isaac, & Iacob. Sed dicit aliquis quomodo potuit ab antiquo vocari Cariatharbe? Ab antiquo illa ciuitas erat in potestate Chananæorum, qui non vtebantur idiomate Hebræo: præsertim, quia etiam si illud nouissent, non curarent nominare quatuor Prophetas, quia non erant apud eos alicuius honoris. Respondendum est, sicut declaratum est Iosue 14. cap. Vel dicendum, quod hoc, quod dicitur antiquitùs, non refertur ad tempus, quo ista terra erat in potestate Chananæorum, & illud tempus esset antiquum respectu introitus in terrã: sed refertur ad scriptorem libri huius, scilicet quod tempore suo vocabatur Cariatharbe, sed Hebron: tamen antiquitùs, id est, postquàm introierunt Israelitæ in terram Chanaan, aliquanto tempore vocata est Cariatharbe, & impositum fuit ei istud nomen Hebraicum.

Hebrõ qd sit.

C

Percussit Sesai, & Haiman, & Tholmai Isti erant tres Gigantes in vrbe Hebron, quos Israelitæ timuerunt nimis, & propter hoc facta est murmuratio in Cadesbarne, quando exploratores dixerunt, quod viderant quædam monstra filiorum Enac, quibus comparati videbantur locustæ, Nume. 13. cap.

An pugna contra Hebron, & Dabir fuerit facta per Iosue, vel per Caleb.

Qvæstio XIII.

Qværet aliquis de his, quæ dicuntur hic de pugna contra Hebron, & Dabir, an fuerit facta per Iosue, vel per Caleb, & filios Iuda. Aliquis dicet, quod facta est per Iosue, quia Iosue 10. cap. dicitur de Hebron, quod ascendit Iosue de Eglon in Hebron, & pugnauit contra eam, cepitque, atque percussit in ore gladij regem eius, & omnia oppida regionis illius, nec reliquit in ea vllas reliquias. Aliqui respondent, quod Iosue primò cepit vrbem Hebron, & deleuit: non tñ accepit Gigantes tres, qui habitabãt in ea. Ideo postea potuit Caleb redire mortuo Iosue cum toto Iuda, & pugnare contra illos tres Gigantes. Sed hoc nõ videtur stare, quia dicitur in litera, quod Iosue non reliquit in ea vllas reliquias, ergo nec manserunt Gigantes.

D

Respondeti potest, quod intelligendum est de ciuitate plana, quod ibi nullus relictus est, tamẽ ad arcem vrbis multi confluxerunt, de quibus fuerunt illi tres Gigantes, contra quos pugnans postea Caleb cum viris Iuda occidit illos. Sic fuit de Ieruſalẽ, de qua dicitur in litera, quod filij Iuda vastauerunt incendio cunctã ciuitatem, & deleuerunt eam in ore gladij. Manifestũ tamen est, quod nõ incenderunt arcem Ieruſalẽ, nec vastauerunt gladio manentes ibi: sed mãserunt ibi Iebusæi vsq; ad tẽpus Dauid. Sed adhuc obijcietur, quia Iosue vndecimo dicitur, quod in illo tẽpore venit Iosue, & interfecit Enacim, id est, Gigantes de mõte Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni mõte Iuda, & Israel: vrbesq; eorum deleuit, non reliquit vllum de stirpe Enacim in terra Israel absque ciuitatibus Geth, Gaza, & Azoto. Ergo non solùm occidit reliquum vulgus de vrbe Hebron, sed etiam occidit Gigantes. Dicendum quod Caleb ista fecit, sicut patet Iosue 15. Est tamen intelligendum, quòd dicatur fecisse omnia hæc Iosue, non quòd ipse ea fecerit, sed quia plura eorum sub ducatu suo facta sunt, & talia ei imputantur, vel paulò post facta sunt, & propter honorẽ magnum eius ascribuntur ei, qa oĩa in eodem tempore videntur facta, Alioquin videtur impossibile saluari scriptura quando contrarietur, sicut dicitur de Hebron, ita de Dabir intelligendum est. Nam Iosue c. 10. dicitur, quod Iosue de Hebron ascendit in Dabir, & cepit eam, & vastauit: regem quoque eius, & omnia per circuitum oppida percussit. Quòd intelligatur non fuisse factum tempore Iosue vel ab ipso: sed per Caleb, & Othonielem. Attribuitur tamen Iosue, quia facta sunt hæc quasi in ducatu suo, sicut omnia, quæ faciunt subditi, ascribuntur dominis.

E

An hæc pugna fuerit facta ante Iosue, vel post mortem.

Qvæstio XIIII.

Qværet vlteriùs, dato quòd facta fuerint ista per Caleb, & filios Iuda, & non per Iosue, an fuerint facta viuente Iosue, quia ponũtur hęc Iosue 15. Hic aũt ponunt̃ per recapitulationẽ, sicut sæpè fit recapitulatio in scriptura.

Sed dicendum, quod non stat, quia hic in princ. cap. huius dicitur, quod post mortem Iosue &c. & continuatur totũ hoc sub eodẽ contextu, & satis apparet ex continuatione literæ, quòd omnia ista bella fuerint facta eodem tempore. Sed prima, quæ narrantur hic necesse est fuisse post mortem Iosue. Ergo etiã omnia hæc de Dabir, & Hebron erunt post mortem Iosue. Cùm autem dicitur, quod ista ponuntur Iosue 15. Dicendum, quod ponuntur per anticipationem. Scriptor enim libri huius non seruauit ordinem naturalẽ narrãdo, sed artificialem: & cùm vidit alicui rei enarratæ aliquid conuenire quanquàm tẽpus illud nõ pateretur, enarrabat illud: vnde Iosue 15. cùm ageretur de vrbibus sortis Iudæ, & Hebron, & Dabir, quæ pertinebãt ad sortem Iudæ, egit ibi de illis. In quo considerãdum, quod in quatuor locis repetitur ista eadẽ historia, scil. Iosue 10. & 11. & 15. & hic in primo loco. Ratio fuit, qa ibi ponebantur omnes ciuitates insignes, contra quas pugnauit Iosue, vel contra quas sub ducatu suo pugnatum est, & quia Hebron, & Dabir erant duæ vrbes famosæ, quamquàm non fuerint captæ eo viuente, ascribuntur ei, qa paulò post fuerunt. In secundo loco ponuntur istæ duæ vrbes, quia ibi agitur de deletione Gigantum. Et quia in vrbe Hebron & Dabir erãt Gigantes, quanquàm illos nõ occideret Iosue, fecit mentio, quia videretur pertinere ad ducatum suum. In tertio loco ponutur, qa ibi enarrãtur oẽs ciuitates sortis Iudæ: & quia Hebrõ & Dabir pertinebant ad illã tribum, dictũ est, quo modo acquisitæ sunt de manu hostium. Hic autem

F

A ponitur de eis, quia hic fuit locus proprius, ſcil. quia nũc filij Iuda pugnantes contra hoſtes tribus ſuæ, ceperunt iſtas duas vrbes. Cauſa autem anticipationis, & recapitulationis in his omnibus eſt, quia ſcriptor fuit multo tempore poſt rem geſtam, & potuit mutare res iuxta arbitrium ſuum, vt ei viſum eſt expedire rebus enarratis: quod ſatis interdum legentium animos turbat. In Hebræo habetur hic.

Percuſſerit Cohmai, Hayman, & Sirai. Scilicet filij Iſrael, qui ibant cum Caleb, vel Iudas, & Simeon percuſſerunt: quod tamen litera dicit Iudas pergens: dixit litera noſtra ad conuenientiam percuſſit. In Hebræo autem idiomate ex barbarie eius non ſeruãtur interdum numeri, nec peſonæ. *At inde perfectus.* Scilicet Iudas perrexit de Hebron, poſtquàm deleuit habitatores eius.

Abijt ad habitatores Dabir. Iuit de Hebron in Dabir: eo quod iſtæ vrbes erant propinquæ, ſcil. ambæ in montanis Iudææ erant, ſic patet Ioſue 11. ſcil. In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim primò Gigantes de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda, & Iſrael. *Cuius nomen vetus erat Cariath ſepher.* Scilicet quod nominabatur apud Hebræos ab introitu in terram Canaan Cariathſepher: & iſtud erat tempus antiquum reſpectu ſcriptoris huius libri, q fuit Samuel, poſteà abolitum eſt nomen vrbis, & vocata eſt Dabir. Sed aliquis dubitabit de nomine Cariathſepher, quomodo potuit eſſe antiquum, quia eſt Hebræum, & non potuerunt Chananæi ante introitum Iſraëlitarum impoſuiſſe illud.

B Reſpondendum eſt, ſicut reſponſum fuit Ioſue 14. & 15. de Hebron, quod vocabatur antiquitùs Cariatharbe. Vel aliter, quod nomen vetus non vocatur hic illud, quo vtebanẽ Chananæi ante introitũ Iſraelitarum, ſed nomẽ Iſraelitæ, quo ab initio ingreſſ⁹ ſui vſi ſunt, & iſtud fuit Cariathſepher. Nã mutato noĩe, quod apud Chananæos fuit, impoſuerunt nomen ſecundũ cõſuetudinẽ linguę ſuę Hebręę, & iſtud fuit Cariath ſepher: ſed qa poſt abolitum erat, & tẽpore ſcriptoris huius vocabatur Dabir, dixit ſcriptor, quod nomen antiquum erat Dabir. *Id eſt, ciuitas literarum.* Iſtud non eſt in Hebræo, ſed eſt expoſitio nominis poſita à tranſlatore. Nam Cariathſepher eſt nomen compoſitum de quiriath, id eſt, ciuitas, & Sepher, id eſt, liber: ſed litera noſtrorum interpretum dixit ciuitas literarum, quia ornatus eſt. Hic eſt vnum dubium, ſcil. quare vocatur Dabir ciuitas literarum, de quo vide, quod diximus Ioſue 15. Etiam dato, quòd dicamus literas fuiſſe inuentas in vrbe Dabir, quæ literæ illæ eſſe poterant, declaratum eſt eodem cap. Rabbi Dauid Chimhi dicit quod Dabir vocabatur olim Cariathſepher, id eſt, ciuitas literarũ, quia Dabir in idiomate Perſico ſignificat id, quod Cariathſepher, ſcil. ſcholam. Sed hoc nõ ſtat. Nam licèt contingat, quòd Dabir apud Perſas idem ſit, quod Cariathſepher apud Hebręos: tamen nõ eſt veriſimile, quod à principio Hebræi impoſuerũt nomẽ idiomatis ſui illi vrbi, ſcil. Cariathſepher, & imponerent nomen Perſicum ad ſignificandum. Sed dicendum, quod Cariathſepher apud Hebræos fuit nomen antiquum, poſteà verò ipſimet mutauerunt, & impoſuerunt nomen proprium Dabir, quod apud Hebræos nihil ſignat: ſicut nomina propria locorum apud nos rarò ſignificant aliquid, ſed voces impoſitæ ad placitum pro locis illis.

C *Dixitq; Caleb: qui percuſſerit Cariathſepher.* Ex hoc patet, quod Caleb erat dux belli, cum propoſuerit capienti præmium vrbem, contra quã pugnabatur. Vel, vt aliqui volunt, Cariathſepher erat ipſius Caleb, ſicut Hebron, non ſolùm viſus eſt petere eam, ſed etiã Dabir, & Anab: quia dixit da mihi montem iſtum, in quo Enacim ſunt vrbes magnæ, atque munitæ, ſi fortè potero delere eos, Ioſue 14. Sed primum veriſimilius eſt, eo quod ſcriptura nunquàm poſteà commemorat aliquam vrbem datam Caleb nib Hebron.

Qui percuſſerit Cariathſepher, & vaſtauerit eam. Non intelligitur, quòd aliquis de Iſraelitis deberet percutere vrbem, id eſt oĩ habitatores vrbis, & vaſtare eos delendo, ſcil. totaliter, qa hoc nõ poſſet quiſquã facere, ſed intelligitur de illo, qui primo irrumperet in vrbem, & inciperet occidere viros vrbis. Simile fecit Dauid: propoſuit enim præmium ei, qui primò tangeret ſiſtulas domatum, & percuteret Iebuſęũ, quòd fieret princeps belli, vt patet 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 11. hoc ſatis patet, quia Caleb cum toto exercitu peruenerat in Dabir: ideo nõ eſt veriſimile, quod vnus vir p[er]mitteret pugnare contra vrbem, etiam ſi ſecũ alios, collegas haberet. Sed intelligitur de exiſtentibus in acie, quis prior irrumperet in hoſtem. *Dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Iſtud propoſuit Caleb tãquàm magnum præmium, putans quòd quilibet de Iſrael ſatis conaretur ad irruptionẽ vrbis, vt haberet Axam in vxorem. Hoc autem, quia illa erat filia ducis Iuda: nõ enim erat tunc in tota tribu Iuda aliquis vir tã honorabilis. Hic eſt vnum dubiũ, ſcilicet. An ex hac promiſſione Caleb, teneretur Axa ſuſcipere in virum illum, qui percuſſiſſet Dabir. De quo reſponſum eſt Ioſue 15. cap.

Cumq; cepiſſet eam Othoniel. Iſte fuit poſteà Iudex primus in Iſrael, & liberauit Iſraelitas de manu regis Meſopotamię, infrà 3. cap. *Filius Cenez.* Aliqui volunt, Genez eſſe nomen viri patris, & alij nomen matris Othoniel, & ab illo vocatur Ioſue Genezeus. Andręas vult autem, quod Cenez, non ſit nomen progenitoris immediati, ſed alicuius diſſantis. *Frater Caleb minor.* Id eſt inter omnes fratres Caleb minor erat Othoniel, & exprimitur hoc, quod erat frater Caleb ad ſignificandum quomodo non obſtãte propinquiſſima cognatione, accepit in vxorem Axam filiam Caleb.

Dedit ei Axam filiam coniugem. Quia promiſerat, & noluit infringere promiſſionem: quia forè iuramento vallata fuerat. Hic eſt vnum dubium, ſcilicet an peccauerit Caleb dãdo filiam in vxorem fratri ſuo, & an peccauerit Othoniel ſuſcipiendo eam, & Axa conſentiendo ſe illi copulari, de quo reſponſum eſt Ioſue 15. cap. *Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus.* Iſtud non fuit immediatè poſt captam vrbem, ſed aliquanto tempore poſt. Interponitur tamen hic, quia non fuit alius locus conueniens ad interponendum illud, cùm alibi iam non tractetur de Caleb, Othoniele, & Aza. Et iſta eſt cauſa anticipationis, & recapitulationis ſæpiſſimè in ſcripturis, ſcilicet vt res pertinentes ad eandem materiam non ponantur ſeorſum, & diſperſim, ita vt ſenſum turbent, colligun tur ſimul, & ponuntur ante tempus ſuum vel poſt, ita vt dum vult ſcriptor euitare narrationis obſcuritatem ex diſpoſitione rerum ad idem pertinentium, inducit legentium perturbationem ex mutatione temporum. Meliùs tamen fuit incidere in ſecundũ euitando primum, quàm è contrario. Ideo ſcriptura modũ iſtum tenuit: nec ſolũ in ſacra ſcriptura hoc fit, ſed etiã in ſecularibus hiſtorijs hoc ſeruatur. In Hebræo habetur. *Quæ pergens in itinere monuit virum ſuum.* Scilicet quòd ipſa ſuaſit viro, quòd peteret à Caleb. Litera tamen noſtra poſuit, quòd vir monuerit eã, eo quod ſequitur infrà, quòd ipſa petierit, & hoc veriſimilius eſt. Litera tamen Hebraica eſt barbara nimis, & interdum ponit maſculinum pro fœminino, & interdum è contrario. Sic patet Exod. trigeſimo ſecundo, vbi ponitur in Hebræo, *Anoua guedola,* vbi litera noſtra dicit, peccaſtis peccatum maximum: tamen anoua guedola eſt fœmininum, ac ſi quis diceret in Latino, peccaſtis peccatam maximam. Nam ſi in Hebræo deberemus ponere per maſculinum, vel neutrum, diceretur (anon gadol) id eſt, peccatum magnum: *Vt peteret à patre ſuo agrum.* Eo quod dotauerat Caleb filiam ſuam: ſed hæreditas tradita erat ſterilis, ſcilicet arens, vt patet infrà.

Quæ cùm ſuſpiraſſet ſedens in aſino. Ipſa ibat equitans per viam, & quia volebat petere ſuſpirauit. In Hebræo habetur. *Quæ cùm inclinata fuiſſet in aſino.* Litera tamẽ noſtra poſuit ſuſpiraſſet, eo quod Caleb motus eſt ad quærendum quid haberet filia ex eo, quod fecit ipſa. Si tamen ſolùm ſe inclinaſſet in aſino, non fuiſſet cauſa motiua ad quærendum quid haberet. Etiam quia ipſa faciebat iſta ſigna, vt conuenirent petitioni ſuæ. Quòd tamen inclinaretur in aſino, non faciebat aliqualiter ad petitionem ſuam: ideo non ſe inclinauit, ſed ſuſpirauit. Et cùm hoc ad idem redit, ſcilicet quod inclinauit ſe in aſino, id eſt, fecit quendam motum corporis, qui monſtrat ſolicitudinem. Et tunc ſuſpirauit. Hoc intendens Hierony. mutauit literam Hebraicam ad explanandum magis. Si tamen velimus dicere ſecundùm literam Hebraicam, poterit dici, quoá Axa inclinauit ſe in aſino, ſcilicet quod ipſa volebat petere aliquid à patre, & quia petentes debent eſſe ſupplices, ipſa voluit ſe inclinare, & exhibuit quendam modum reuerentiæ in aſino exiſtens Et tunc videns pater, quòd humiliaretur, & neſciens ad quid hoc eſſet, dixit ei: Quid habes?

D E F

Anticipationes caſa. & recapitulationis in ſacris literis.

A

Quare Axa suspirauit antequàm peteret à patre suo agrum.

QVÆSTIO XV.

QVÆRET aliquis, quare Axa suspirauit, antequàm peteret.

Respondẽdum, quod ipsa volebat petere agrum, ad quod voluit tenere modum artificiosum, & visum est, quòd deberet suspirare. Proficiebat autẽ suspirium ad tria. Primò ad reddẽdum animum patris attentum. Nam in petendo nõ paruas habet vires eorum, à quibus petitur ad audiendũ saltem attentos fore animos. Nam vbi attẽtio non est, persuasio quanquàm efficacissima locum nullum habet. Cùm autem vidit Caleb filiã suspirãtem putans aliquid magnum esse, attendit quid dictura foret. Secundò fecit hoc, vt tolleret sibi verecundiam. Nam quòd ipsa inciperet petere nullo præcedente verbo patris sui, erat sibi magnus rubor, ideo voluit inducere patrẽ, vt priùs loqueretur, & sic auferretur illi materia erubescendi. Ad hoc autem suspirauit, vt pater inquireret, quid hoc esset, & sic ipsa cœpto eloquio posset continuare sermonem, & sic factum est. Nam immediatè vt ipsa suspirauit, pater inquisiuit, quid hoc esset. Tertiò fecit hoc, quia volebat ostendere animum suum nimis motũ ad ea, quæ petebat, vt pater intelligens eam ex magno desiderio petere, faciliùs condescẽderet ad petita. Suspiria autem profunda cordis indicatiua sunt magni desiderij: ideo conueniens erat q̃ suspiraret: Nã aliàs videretur leui motu hoc velle, & fortassis pater non assentiret. *Dixit ei Caleb, quid habes.* Satis vidit Caleb, quòd suspiria ista non erant inutiliter fusa: ideo petiuit, adq̃ emitterentur. *At illa.* Id est, illa illicò subiunxit quasi sumpta iuxta loquendi, & captata opportunitate. *Da mihi benedictionem.* Id est, fac mihi gratiam: Benedictio enim significat multiplicationem in rebus, sic patet 2. Corint. 9. cap. scilicet: Qui parcè seminat, parcè & metet: qui in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metet. Et sic opponitur ibi parcitas, & benedictio: parcitas tamen est auaritia, vel diminutio, ideo oportet, quòd benedictio sit liberalitas, vel abundãtia: & quia gratia sit ex liberalitate cùm non sit gratia, quòd ex debito veniat, vt patet ad Romanos 11. cap. vocatur omnis gratia benedictio. *Quia terram arentem dedisti mihi.* In dotem, scilicet quando tradidit eam Othonieli. Iosue decimoquinto dicitur, terram australem, & arentem dedisti mihi, & hoc, quia australis pars est sicca. Vel quia ventus australis in terram Chanaan est siccus. *Da & irriguam aquis.* Id est, etiam iunge terram, quæ possit irrigari fontibus, vel fluminibus, vt nõ sit dos mea penitùs infructuosa.

B

Benedictio in rebꝰ multiplicationem significat.

Quomodo petiuit Axa terram irriguam aquis, cùm in terra Chanaan nulla talis esset.

C

QVÆSTIO XVI.

QVÆRET aliquis, quomodo petiuit Axa terram irriguam aquis. Nam in terra Chanaan nulla talis est. Sic patet Deute. 21. cùm dixit Moyses ad Israelitas: terra, ad quam ingredieris possidendam, non est, sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed mõtuosa est, & campestris de cœlo expectans pluuias. Aliquis respondebit, quod Axa non petiuit terram irriguam aquis, scilicet aquis fluuialibus, vel fontalibus: sed terram, quæ cœlesti irrigaretur pluuia. Nam in terra, quam acceperat, non compluebatur. Sed hoc nullo modo stat, quia accipiendo hoc modo irriguum, omnes terræ existentes in regione Chanaan sunt æqualiter irriguæ, cùm cœlum æqualiter se habeat ad illas quãtum ad emissionem pluuiarum, & non euenit hoc ex conditione terræ. Item patet hoc magis ex litera Hebraica, quæ dicit.

Da mihi canales, vel alueos aquarum. Sed hoc non pertinet ad pluuiam: ideo oportet, quòd intelligatur, quòd peteret terram irriguam fontibus, vel fluuijs. Dicendum igitur, quòd Axa peteret à patre terram irriguam aquis fluuialibus. Cùm autem arguitur, quod non erat terra Chanaan, sicut terra Ægypti, in qua ducuntur aquæ irriguæ: dicendum, quod inter Ægyptum & terram Chanaan erat magna differentia. Ægyptus quippe cùm declinet nimis contra torridam zonã nullas niues habet, pluuias autem rarissimas, ita vt nihil de terra nascentibus cœlesti nutriantur aqua, sed omnia fouentur educta aqua de Nilo. Crescit enim Nilus certis temporibus ad magnã multitudinem, scilicet ad decem, & sex cubitos, & ad viginti, vel minùs secundùm varietatem annorum super alueum suum. Sunt autem facti aquæductus magni, quasi fluuij, per quos educuntur aquæ, & cùm sit tota terra Ægypti plana, faciliter irrigatur illa aqua Nili. Terra autem Chanaan non sic irrigatur propter duo. Primò propter indispositionẽ terræ; quia non est plana, sicut Ægyptus. Et hoc significauit Moyses, cùm dixit in allegata auctoritate: sed montuosa est, atq; campestris de cœlo spectans pluuias. Secunda causa est, quia terra Chanaan nõ est inops pluuiarum, sicut Ægyptus, eo quod non tantùm appropinquat ad torridam zonam, sed habet pluuias, sicut aliæ terræ existentes in tertio, vel quarto, & quinto climatibus. Hoc tamen non obstante in aliquibus locis terræ Chanaan fit irrigatio ad maiorem pullulationem fructuum, vel quia interdum non sunt aquæ copiosæ de cœlo. Sic enim fit in alijs locis, quæ sunt in quinto climate, in quibus maior pluuiarum copia est. Et in hoc aliqualiter est terra Chanaan similis terræ Ægypti. Sic patet Gen. 13. cùm dicitur de terra Sodomorum. Eleuatis itaq; oculis Loth, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur antequàm subuerteret Dominus Sodomam & Gomorram, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus. Ergo non erat terra Chanaan totaliter dissimilis Ægypto. Et sic Axa petiuit terram irriguam, vt fœcundior esset. Ista enim erat causa, quare terra Iericho est vberior reliqua terra Chanaan, vt ait Solinus in Polyhistor. scilicet quia irrigatur Iordane educto per alueos, cùm sit in regione Iordanis, vt patet Gen. 13.

D

Terra Chanaã nõ irrigatur, sicut Aegyptus propter duo.

E

Dedit ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius. Videns Caleb iustè petijsse filiam, concessit quod voluit. In Hebræo dicitur. *Dedit ei Caleb canales superiores, & canales inferiores, vel inferius.* Quod ad idem redit, quia canalis est aquæductus, & istud pertinet ad omnem terram irriguam. Dicitur autem irriguum superius, & inferius, id est, agros irriguos, qui erant supra eos, quos prius cõcesserat, qui erant arentes: dedit quoque alios agros irriguos infra primos agros arentes. Vel aliter dedit irriguum superius, & inferius, id est dedit ei aliquos agros irriguos in collibus, & alios irriguos in vallibus. Et istud magis consonat. *Filij autem Cinæi.* Hic ponit aliarum tribuum profectus, postquàm dictum est specialiter de profectu Caleb. Et redit historia ad bella facta per tribum Iudæ, de quibus suprà cœperat, & posteà tendit ad ea, quæ fecerunt aliæ tribus, & dicitur. *Filij autem Cinæi.* Interponitur de istis, eo quòd hic agebatur de tribu Iuda, & isti ascẽderunt cum filijs Iudæ in sortem suam, vt hic patet. Sunt autem filij Cinæi filij Iethro cognati, vel soceri Moysi, qui vocatus est multis nominibus, scilicet Iethro, vt patet Exod. 18. & Raguel Exo. 2. vbi vocantur septem filiæ sacerdotis Madian, quarum vnã accepit in vxorem Moyses, & ille erat Iethro. Vocatur etiam Ieter Exod. 4. vocatur etiam Obab Nume. 10. vocatur etiam Cin, Nume. 24. scilicet si electus fueris de stirpe Cin, id est, de stirpe Iethro. Et inde vocantur Cinæi hic isti posteri Iethro, & infrà 4. cap. *Cognati Moysi.* Id est, soceri. Non enim erat cognatus eius, sed socer, quia Moyses filiam illius cœpit vxorem, vt patet Exo. 2. cap. *Ascenderunt de ciuitate Palmarum.* Ista est ciuitas Iericho, quæ vocatur ciuitas Palmarum, quia regio omnis circa eam palmis, & vineis, & alijs generibus preciosissimarum arborum referta est, vt eam laudat Solinus in Polyhistor. cap. de Iudæa. Et non est alia ciuitas in terra Chanaan, apud quam palmæ sint. Solebant enim esse in magna copia in valle Sodomorum, vbi erant illæ quinque ciuitates, quarum quatuor infœlici incendio conflagrarunt. Posteà autem nec signa quidem opulentiæ illius relicta sunt. Sic enim dicitur Gen. 12. Vniuersa regio circa Iordanem irrigabatur antequàm subuerteret Dominus Sodomã, & Gomorram, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus. Quòd autem Iericho sit ciuitas Palmarũ, patet Deute. 34. cap. cùm dicitur: Vsq; ad nouissimum mare, & australem partẽ, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum vsque Segor, id est, Iericho est ciuitas Palmarum, quia ponuntur ista ibi, vt exponens, & expositum.

Iethro multis nominibus vocabatur.

F

Iericho quare Palmarum ciuitas nuncupatur.

A

Quomodo Iethro filij in Palmarum ciuitatem cum filijs Iuda esse potuerint, cùm ipsi non venerint in terram Israel.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRET aliquis, quomodo filij Iethro potuerunt esse in ciuitate Palmarum cum filijs Israel. Nam ex hoc videretur, quòd Iethro venerit cum Moyse in terram Israel, & duxerit secũ cognationem suam. Sed falsum est, quia licèt hoc oraret Moyses, non acquieuit Iethro, vt patet Nume.10.& Exo.18. Dicitur, quod Moyses dimisit Iethro socerum suum, qui dimissus redijt in terram suam. Sic probatum est Num.10.

Respondendum, quod Iethro non venit cum filijs Israel per desertum in terram Chanaan, sed cùm stetisset in deserto montis Synai cum Moyse, redijt inde in terram suam Madian, vt ibi moraretur, quia cùm ipse esset senex, & sciret Hebræos toleraturos esse multos labores acquirendo terram de manibus hostium fortissimorum, noluit in senectute sua videre dolorem, & quotidianã solicitudinem. Nam priusquã veniret tempus fruendi bonis rebus summa pace compositis, credidit se moriturum: ideo id modicum temporis, quod sibi concessum putabat, volebat potiùs in natali suo trãquillè agere inter suos. Cùm autem mortuus est, quod fuit ante annum quadragesimũ mansionis Israëlitarum in deserto: sciẽs socerum suum, & nepotes principes gentis tam magnæ Hebræorum, cui confidebat omnes hostes subdendos, sicut colligitur ex verbis eius, Exod.18. iussit posteris suis, quòd irent cum Israëlitis in terram Chananæorum, vt ibi susciperent ab Israëlitis bonũ, quod promiserant facere ipsi, vt patet Num. 10.scil. Quidquid optimum fuerit in opibus, quas Dominus Deus noster traditurus est nobis, dabimus tibi. Cuius iussa explentes, sepulto patre in terram Madian, tota cognatio venit ad Israëlitas manentes in deserto, & ibi fuerunt cum eis quousq; introirent in terram Chanaã, & tunc cœperunt habitare Cinæi in ciuitate Palmarum. Vel fortè dicẽdum, quod filij Iethro habebãt animũ manendi in terra Madian, in qua fuerant progenitores sui, posteà tamen anno quadragesimo ab exitu de Ægyypto Deus iussit Israëlitis, quòd delerẽt Madianitas, vt patet Num.25. & 31.cap. Et tunc Moyses condolẽs progeniei filiorum suorum, fecit vocari totam cognationem Iethro, vt confugeret ad Israëlitas, & venerũt ad eos. Primum tamen verisimilius est. Dicitur autem, quod ascenderunt de ciuitate Palmarum, nõ quòd ante hoc in ea habitarent, quia Iosue posuerat maledictionem si quis ædificaret Iericho, postquàm sub anathemate deleta est, Iosue 6. sed habitabant in viculis, & territorio vrbis illius: ideo dicebantur habitare in ea. De ista ciuitate Palmarum dicit Rabbi Dauid Chimhi, & cæteri Iudæi, quod erat Iericho.

B

C

Quomodo Cinæi filij Iethro in Iericho, vel in eius territorio habitare potuerunt.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRET aliquis, quomodo Cinæi filij Iethro potuerunt habitare in Iericho, vel in territorio eius, quia ista vrbs pertinebat ad tribum Beniamin, & illi nõ permitterent eam alijs, hoc patet Ios.18. Respondet Rabbi Dauid Chimhi, & alij Hebræi, quòd Iericho erat terra fœcundior totius terræ Chanaã, & diffinitum erat, quòd illa pars maneret indiuisa, & daretur illi tribui, in cuius sorte Deus eligeret sanctuarium sibi construi. Et qa posteà constructum est templum in Ierusalem, quæ ad tribum Beniamin pertinebat, data est Iericho viris de tribu Beniamin. Et quoniam 480.anni fluxerunt ab exitu de Ægypto, vsq; ad constructionem sanctuarij, vt patet 3.Reg.6.cap: & 40.annis manserunt Israëlitæ in deserto: manent 440.anni, quibus dicunt possessam fuisse ciuitatem Palmarum à filijs Iethro, quosq; daretur filijs Beniamin. Sed hoc non stat, primò, quia dicũt, quod diffinitum erat, ne diuideretur Iericho, ne maneret in dubio pro tribu illa, in cuius sorte construeretur tabernaculum. Nam ex diuisione facta tẽpore Iosue ponit ista ciuitas, & fuit data filijs Beniamin, vt patet Iosue 18. Item cùm dicunt, quod 440. annis possessa est Iericho à filijs Iethro, non stat, quia tũc necesse esset, quòd possedissent eam vsq; ad primum annum fabricationis templi Salomonis. Sed falsum est, quia nunc post mortem Iosue pauco tempore recesserunt de loco ipso filij Iethro cum filijs Iuda in desertum sortis suæ, vt patet in litera. Sed aliquis dicet, quod Cinæi nunc recesserunt de vrbe Palmarum, & tamen post modicũ tempus redierũt ad illam, & mãserunt ibi vsq; ad fabricationem templi. Sed etiam hoc non stat, quia quædam pars Cinæorũ habitauit in terra Galilææ apud ciuitatem Cedes, vt patet infrà 4.cap. Ibi quippe moratus est Aber Cinæus recedens à cæteris Cinæis. Cedes verò, apud quam habitauit est terra Galileæ, vt patet Ios. 10. & 19. Alia autem pars Cinæorum morata est in parte australi terræ Chanaan, in extremitate sortis Iudæ, apud desertum, in quo morabantur Amalechitæ. Ideo quando Saul iuit ad delendum Amalechitas, dixit Cinæo, quòd recederet de medio Amalechitarum, ne inuoluret eos cum Amalechitis, 1.Regum 15.cap. ergo tunc non morabatur in terra Iericho, sed in sorte Iudæ, & hoc magno tempore ante ædificationem sanctuarij. Ideo non manserunt filij Iethro 440. annis in ciuitate Palmarum. Dicendum igitur, quod Cinæi habitabant in ciuitate Palmarum tunc, quando ascenderunt cum filijs Iuda, & manserunt post hoc semper in sorte Iudæ apud terram Amalechitarum: præter Aber Cinæum, & stirpem suam. Iste quippe recedens à cęteris habitauit in sorte tribus Nephthali, apud vrbem Cedes, vt patet inf.4.c. ante hoc autem manserunt in territorio ciuitatis Palmarum. Et poterant ibi manere dupliciter. Primò, quia vsque ad illud tempus quasi manebãt sine præiudicio alicuius ibi. Nam à principio acquisita terra non erat diuisa, sed habitabant Israelitæ hic, & ibi pro arbitrio eorũ. Et quia tunc ciuitas Palmarum nõ pertinebat ad aliquã tribum, nulli præiudicabant Cinæi ibi habitantes. Post autem diuisa terra paruo tempore manserunt ibi Cinęi. Nam iuerunt cum filijs Iuda in sortem suã. Ita parùm præiudicare possent viris de tribu Beniamin. Aliter respondeti potest, quod Israëlitæ conuenerant inter se, quòd in quacunq; parte terræ, in cuiuscunq; tribus sorte habitare vellẽt Cinęi, potestatem haberent, & hoc, quia Moyses, qui erat princeps populi, hoc promiserat Iethro dicens: Cumq; nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas traditurus est nobis Dominus, dabimus tibi, vt patet Nume.10.cap. Sed Israëlitæ nullo modo præterirent promissa Moysi, quia obseruabant verba eius, sicut verba Dei: Ergo ipsi facerent, sicut promisit Moyses, permittentes eis habitare vbicunque vellent. Et quia à principio placuit eis morari in ciuitate Palmarũ, quæ erat virorum Beniamin: non prohibuerunt eos filij Beniamin. Nunc verò potiùs voluerunt manere in sorte Iudæ: ideo ascenderunt cum filijs Iuda in desertũ sortis suæ. Et quia posteà vni de Cinæis nomine Aber placuit morari in sorte Nephthali apud vrbem Cedes: recessit à cæteris fratribus suis, & habitauit ibi, vt patet infrà 4.cap.

D

E

F

Ascenderunt cum filijs Iuda. Quia placuit eis magis morari cum his, quàm cum alijs tribubus Hebræi dicunt, quòd iuerunt cum filijs Iuda propter Othonielem, qui erat de tribu Iuda, & erat eruditissimus in lege. Sed non est rationabiliter dictum, quia Leuitæ erãt eruditi in lege: eo quod semper vacabãt lectioni, & nunquã agriculturę, nec alijs operibus. Laici verò & agriculturæ & bellis, cæterisq; occupationibus vacabant. Ideo omnem legis peritiam à sacerdotibus, & Leuitis Deus iussit requiri, Malach.3. scil. Labia sacerdotis custodiẽt scientiam, & legem exquirent de ore eius: quoniam Angelus Domini exercituum est. Potiùs ergo iuissent ad aliquẽ locum, in quo essent sacerdotes periti, quàm ad Othonielem. Sed aliqua alia causa foret, vel quia magis placuit eis tribus Iuda ad cohabitandum.

In desertum sortis eius. Id est, descenderunt ad habitandũ in deserto sortis Iudæ. Non est autem intelligẽdum, ꝙ tota sors Iudæ esset desertum: sed quædam pars eius circa Iordanem, & ad extremitatem meridianam, & in hac parte manere voluerunt Cinæi. Quod patet, quia Amalechitæ morabanẽ extra terram Israel in desertis Arabiæ, & Cinæi erãt in terminis eorum. Vnde quando Saul iuit contra Amalechitas, dixit Cinæis: Abite, & recedite de medio Amalech, ne inuoluã vos cum eis, 1.Reg.15.cap. Voluerunt autem Cinæi partem istam

A deſerti, vt eſſent diuiſi à toto Iſrael, & haberent terram quaſi liberam ſeorſum. *Quod eſt ad meridiem Arad.* Iſta eſt quædam terra, quæ vocatur Arad: cuius erat rex ille, contra quem pugnauerunt Iſraelitæ, de quo Nume. 21. cap. Sciendum autem, quòd iſta terra Arad, quanquàm poſſideretur à Chananæis, cùm dicatur Chananæus rex Arad Num. 21. tamen non erat pars terræ Chanaan: Quod patet, quia Iſraelitæ introierunt in terram regis Arad, & deleuerũt vrbes eius, Num. 21. Et tamen nondũ dicebantur eſſe in terra Chanaan. Nam tũc per terram illam tranſiſſent in reliquam terram Chanaan, tamẽ poſt deletam terram regis Arad, orauerunt Iſraelitæ, vt rex Edom permitteret eis tranſitũ, & noluit. Deinde circũierunt montem Seir, id eſt, terræ Edom longo tempore, Deute. 2. & Num. 21. Poſt autem tranſierunt per terram Moabitarum, & per terram duorum regum Amorrhęorum, Deut. 2. quouſq; peruenerũt ad Iordanem, & tunc introierunt in terram Chanaan: Ergo exiſtentes in terra Arad, non erant in terra Chanaan. Itẽ, quia Deus dixit, quod nullus de viris illis, qui murmurauerant in Cadeſbarne, intraret in terram Chanaan, nec videret eam, Num. 14. Multi tamen de illis ſteterunt in terra regis Arad, cùm non mortui fuerint omnes vſq; ad torrentem Zared, vt patet Deute. 2. & tamen priùs ſteterunt in terra Arad, quàm in torrente Zared, vt patet Nume. 21. cap. Ergo non erat Arad terra Chanaan. Erat autem iſta terra Arad apud terram Amalechitarum. Nam ambæ gentes pugnauerunt ſimul contra Iſrael, & de ambabus dicitur, quod habitabant in montibus eiſdem, vt patet Num. 13. ſcilicet: Deſcendit Amalechites, & Chananæus, qui habitabant in montib⁹.

B Et hoc ſatis conuenit: nam Cinæi habitabant iuxta Amalechitas, vt patet 1. Reg. 15. Chananæi tamen terræ Arad morabantur apud Amalechitas, ideo ſatis coaptatur, quòd Cinæi habitarent apud terram Arad. Dicitur autem, quod erat deſertum Iudæ ad meridiem Arad, id eſt, quòd pars meridiana deſerti huius declinabat verſus Arad, & non quòd deſertum eſſet meridianum reſpectu terræ Arad, quia tunc ſequeretur terram Arad eſſe intra terram Chanaan, & quòd neceſſariò accederent priùs Iſraelitæ ad aliquam terræ Chanaan, quàm ad terram Arad: falſum eſt.

Et habitauerunt cum eo. Scilicet cum Iuda, quia cum hac tribu eligebant potiùs habitare.

Abijt autem Iudas cum Simeone fratre ſuo. Scilicet ad pugnandum contra Chananæum. Vocantur autem Iudas & Simeon fratres ex cauſa ſuprà aſſignata.

Et percuſſerunt ſimul Chananæum. Scilicet vno bello deleuerunt eum, quia non pugnauerunt ſæpè, vel per multas partes. *Qui habitabat in Sephaath.* Nomen vrbis eſt pertinẽtis ad ſortẽ Iudæ, quamquàm non ponitur in catalogo vrbium ſortis Iudæ, ſicut multæ aliæ vrbes ſubticentur ibi, & in deſcriptione ſortium aliarum tribuum. *Et interfecerunt eum* Scilicet Chananæum non dimittentes quemquam viuere. In Hebræo dicitur. *Et deſtruxerunt eam.* Scilicet ciuitatem Sephaath, ſcilicet non ſolùm percuſſerunt Chananæos terræ illius, ſed etiam ciuitatem deſtruexrunt. Eſt autem intelligendum, quod non deſtruxerunt eam ponentes, eã in æternũ non habitandam, ſicut erat de vrbibus, quæ ſubijciebantur anathemati, vt fuit Iericho, & Hai: ſed deſtruxerunt, & fortè combuſſerũt eam, vt excluderent inde habitatores, ſicut fecerunt Ieruſalem. Nam totam ciuitatem ſuccenderunt, ſuprà in litera. *Vocatum ꝙ eſt nomen loci Horma, id eſt, Anathema.* Id eſt, ciuitas illa vocata fuit poſteà Horma, quando fuit deſtructa. Quia heren eſt in Hebræo ſeparatio, vel anathematizatio. Erat iſtud anathema, vt nemo habitaret in ea in æternum, ſicut fuit de Iericho. Vel fortè nihil de his, quæ in illa erant, acciperent: ſed omnia cremarentur ad honorem Dei.

Quare ciuitas Bephaath ſuppoſita fuerit anathemati.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRET aliquis, quare iſta ciuitas fuit ſuppoſita anathemati.

Aliquis dicet, quod fuit poſita ex eadem cauſa, ex qua ciuitas Iericho. Sed non ſtat, quia ciuitas Iericho anathematizata eſt quantum ad homines, vt applicaretur totaliter ad cultum Dei, quia erat ſicut primitiæ de labore Iſraelitarũ. Nam ille erat primus locus, quem accipiebant in terra Chanaan. Etiam, quia Iericho fuit tradita miraculoſiùs Iudæis, quàm aliquis locus totius terræ Chanaan, vt patet Ioſue 6. De vrbe Sephaath nihil iſtorum erat: ideo non fuit ſubiecta thematizaretur eadẽ ratione, qua aliquæ vrbes Iudæorũ, de quibus Deut. 13: Quia illud ſolùm erat in ciuitatibus, quæ iam erant Iudæorũ, & declinabant ad idololatriam. In ciuitatibus Chananæorum, vel aliarum gentium non tenebat illud. Aliquis poteſt dicere, quod fuit poſitum anathema ex voto, ſcilicet quod pugnauerunt filij Iuda contra viros Sephaath, & fortè non potuerunt prævalere, vel victi ſunt, & obligarunt ſe voto dicẽtes: quòd ſi Deus traderet vrbem illam in manus eorum, ſubijcerent eam anathemati. Sic factum eſt de terra Arad. Nam Chananæi pugnantes ibi contra Iſrael, vicerunt, & tulerunt prædam. Iſrael autem voto ſe obligans ait: ſi tradideris populũ iſtum in manus meas, delebo vrbes eius, Nume. 21. Sed etiam hoc non ſtat, quia litera ſignificat contrarium dicens, quod percuſſerunt Chananæum ſimul, id eſt, vnico bello, & quaſi ſine labore. Reſpondendum, quod cauſa non apparet: ſed ſatis dici poteſt, quod fuit ad reddendum Deo gratias de modo captionis vrbis, quia ſine aliquo labore eam ceperunt, quod eſt ſimul accipere eam: ideo in munus eam dederunt Deo, quia non potuiſſent ſic faciliter eam capere, niſi Deus ſpecialiter adiuuiſſet illos.

Cepitq́ Iudas Gazam. Id eſt, Iudas, & Simeon ceperunt eam. Nominatur tamen Iudas ſolus, quia Simeon erat vocatus ſolùm in adiutorium, & Iudas erat principaliter pugnans. Iſta ciuitas eſt vna de quinq; metropolibus Phyliſthinorum, regem habens, vt patet Ioſue 13. Et erat in ſorte Iudæ, vt patet Ioſue 15. Nunc autem pugnauit Iudas contra illam.

Quomodo ſtare poſſit, quòd Iudas Gazam cœperit, cùm eſſet de terra Phyliſthinorum.

QVÆSTIO XX.

QVÆRET aliquis, quomodo poſſit ſtare, quòd Iudas ceperit Gazam, quia Gaza erat vna de quinq; ciuitatibus Phylyliſthinorum, quæ apud eos manebant non ſolùm nunc, ſed etiam tempore Samuelis, & Saul, vt patet 1. Reg. 6. cùm principes iſtarum quinq; vrbium obtulerunt quinque anos aureos, & totidem mures: ſed etiam nunc manebant, quia Deus dixit, quod reliquerat eas, vt erudirentur Iſraelitæ ad certandum cum Chananæis, & ſubditur quinq; ſatrapas Phyliſthinorum, & omnem Chananæum, & tamen Gaza erat vna ciuitas Satraparum, 1. Reg. 6. ergo non ceperunt eam nunc filij Iuda.

Aliqui reſpondent, quod Iudas non cepit vrbem Gaza, licèt confinia eius, ſcilicet agros, & rura, & hoc tenet Nicola⁹, Sed hoc nimis eſt alienũ à litera, quæ dicit, quod Iudas cepit Gazam. Aliter dici poteſt, & meliùs, quòd Gaza capta eſt à filijs Iuda nunc. Cùm autem obijcitur, quod erat in poteſtate Phyliſthinorum poſt: reſpondendũ, quod Gaza, & aliæ ciuitates Phyliſthinorum aliquando erant in poteſtate Phyliſthinorum, & aliquando in poteſtate Iſraelitarum. Nam erant bella continua inter eos, & prævalentibus Phyliſthinis manebant iſtæ vrbes apud eos, cùm verò prævalebant Iſraelitæ, auferebant eas de manu Phyliſthinorũ, & ſic variabantur, ſic patet 1. Reg. 7. cùm dicitur de Samuele, quod facta eſt manus Domini ſuper Phyliſthinos cunctis diebus Samuelis, & redditæ ſunt vrbes quas tulerant Phyliſthæi ab Iſrael ab Acharon, vſq; Geth, & terminos ſuos. Et ſic non eſt incõueniens, quòd nunc Acharon, Gaza, & Aſcalon caperentur à filijs Iudæ, & denuò redirent ad Phyliſthinos. Sed adhuc arguetur, quòd nũc non eſſent in manu Iſraëlitarum, quia ſeq. cap. dicitur, quòd Deus dimiſit quinque ſatrapas Phyliſthinorum, & omnem Chananæum, &c. vt Iſraelitæ haberent conſuetudinem præliandi, & Gaza, Aſcalon, & Geth erant tres de metropolibus ſatraparũ iſtorum: ergo non fuerunt nunc captæ.

Reſpondendum eſt, quòd iſtæ ciuitates captæ fuerunt, ſicut hic dicitur, quia aliter nõ poteſt ſaluari litera. Et cùm dicitur, quod Deus dimiſit iſtas ciuitates: dicẽdum, quod iſtud fuit dictum ante captionem. Nam, quamquàm hic ponantur ea, quæ habentur hic ante ea, quæ habẽtur in ſeq. c. tamen

A illa fuerunt facta ante quædam istorum. Nam non fuerunt simul facta omnia, quæ habentur hic: sed plurima eorum facta sunt temporibus Iudicum. Quia tamen ista pertinebant ad statum singularum tribuũ, specialiter posita fuerunt omnia simul, & non commixta fuerunt cum eis, quæ pertinebãt ad totum populum: quanquàm secundùm conditionẽ temporis fuerint commixta. Ideo verum est, quod Deus dimiserat omnes illas gentes, de quibus infrà 3. quia viuente Iosue non fuerunt traditæ in manus Israel, nec tempore, quo Angelus locutus fuit hoc, fuerunt tamen captæ istæ vrbes post, & iterùm redierunt ad manus Philisthinorum, & iterum ad Israelitas secundùm varias successiones. *Et Ascalonem.* Ista erat alia metropolis Philisthinorum, vt patet Iosue 13. & 1. Reg. 6: & de hac dicitur in planctu Dauid 2. Reg. 1. cap. scilicet: Nolite annunciare in Geth, nec annuncietis in compitis Ascalonis: erat autem in sorte Iudæ. *Et Accaron cum suis finibus.* Scilicet cum omnibus ruribus, & viculis adiacentibus. Accaron est quædam metropolis Philisthinorum, Iosue 13. & 1. Reg. 6. in vrbe ista erat Beelzebub Deus magnus Philistinorum, ad quem consulendum interdum ibant Israelitæ. Sic fecit rex Ochozias, qui illùc misit nuncios, quos redarguit Elias dicẽs: Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Ista ciuitas vulgariter vocatur Acre: & inde dicitur S. Ioannes de Acre. Ista ciuitas erat de sorte Iudæ, Iosue 15. *Fuitq; Dominus cum Iuda.* Scilicet adiuuando ipsum specialiter. Nam illi, quos in actibus suis prosperari cernimus, dicimus à Domino specialiter adiuuari, sic dicitur 1. Reg. 18. quod Saul sciebat Dominum esse cum Dauid, scil. quia prosperabatur in omnibus. Sic etiam dicitur Gen. 39. de Ioseph: Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens, habitauitq; in domo Domini sui, qui optimè nouerat Deum esse cum eo, & omnia, quæ gereret ab eo dirigi in manibus illius. *Et montana possedit.* Id est, deleuit populos habitantes in montanis vrbibus, & habitauit ibi.

B *Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abũdabant.* Filij Iudę pugnauerũt cõtra habitatores excelsorũ, quãquàm loca ipsa secura essent, eo quod isti non habebant fortia genera armaturæ, quibus repellerent Iudæos. Habitatores autem vallium quamquàm loca minùs tuta haberent, tamen genera armaturæ erant fortissima, scilicet currus falcati, quibus abundabant Phylisthini, & alij Chananæi. In Hebręo dicitur. *Ferreis curribus abundabant.* Non quòd currus isti de ferro facti essent, quia nulla eos iumẽta mouere possent, præsertim cùm in bello exigantur leuissimi currus: sed quia habebant gladios in rotis curuos in modũ falcis, & cùm ex impetu mouerentur, arripiebant quidquid obuium erat, & lacerabant. Omnes timebant genus istud armaturæ, & fugiebant. Habitatores autem vallių vtebantur solùm his curribꝰ, quia in locis altis, & inæqualibus non prosunt quidquam isti currus, sed solùm in locis planis, vt ait Vegetius lib. de re militari. In plano autem nesciebant Iudæi aliquem modum pugnandi contra currus illos; ideo fugiebant pugnare cum illis gentibus. Contra hoc tamen obiectis sentibus, & vepribus, vt ait Vegetius de re militari, pugnãdum est. Phylisthini autem vtebantur nimis his curribus. Nam semel congregauerunt contra Israelitas 30. millia curruum, vt patet 1. Reg. 13.

Quid Vegetius dicat de curribus falcatis.

C *Dederuntq; Caleb Hebron.* Scilicet postquàm filij Iuda pugnantes obtinuerunt multa loca de sorte sua, dederunt Caleb vrbem Hebron, quia Deus iusserat ei illam dari.

Quomodo data sit Hebron Caleb.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR aliquis, quomodo data est Hebrõ Caleb, quia data est sacerdotibus, vt patet Ioan. 21. cap.

Respondẽdum, quod Deus promisit, quòd daretur Hebron Caleb, vt patet Num. 14. scil. Terra, quã calcauit pes tuus, erit possessio tua, & intelligit de Hebron: & de hoc Dei dicto ipse arguit, quòd deberet ei dari, vt patet Iosue 14. Iosue autem audita ratione iustissima assignauit in possessionẽ Caleb vrbem Hebron antequàm diuideret terra, aut caperẽt de manu Philisthinorum, & Chananæorum: deinde diuisa fuit terra per sortes, & fuit Hebron in sorte Iudæ, vel priùs fuit diuisa terra, & cùm cecidisset Hebron in sorte Iudæ petiuit illam Caleb sibi dari, sed adhuc nõ tradebatur ei: deinde facta diuisione totius terrę per sortes fuit facta segregatio ciuitatũ pro sacerdotibus & Leuitis de qualibet sorte tribus, & de vrbibus Iudæ cecidit Hebron cũ alijs, vt patet Iosue 21. c. postea quoq; facta diuisione ciuitatum pro locis fugitiuorũ, facta fuit Hebron vrbs fugitiuorum, vt patet Iosue 20. c. sed in his omnibus nulli adhuc tradebatur possidenda, quia tenebatur ab hostibus, sed post mortẽ Iosue cùm Israelitæ pugnando cœpissent eã, dicitur hic, quod tradiderunt eam Caleb. Non est tamen intelligendum, quòd tradita fuerit Caleb ad habitandum in ea, sed soli agri, & viculi, qui erant in territorio Hebron dati sunt Caleb: ipsa autẽ vrbs sine agris cum solis suburbanis tradita fuit sacerdotibus, vt patet Iosue 21. c. & fuit quoq; ciuitas refugij, quia non ex hoc impediebatur aliquo modo possessio sacerdotum.

D *Sicut dixerat Dominus.* Id est, Deus iusserat, quòd daretur Caleb in possessionẽ Hebron, sic patet Num. 14. scil. Terra, quã calcauit pes tuus, erit possessio tua, & licèt ex hoc nõ pateret an potiùs diceret de Hebron, quàm de aliqua alia, apparet ex applicatione sua Iosue 14. qa per hæc verba probauit, ꝙ Deus pollicitus fuisset ei dare Hebrõ, & propter hoc Iosue & alij Israelitæ diuisores terræ dederunt Hebron ipsi Caleb, vt patet Iosue 14. ergo Deus per hæc verba pollicitus fuerat. *Qui deleuit ex ea tres filios Enac.* Id est, tres Gigantes, scil. Tolmai, Sesai, Haiman, vt patet suprà in litera.

E *An Caleb tres Gigantes ex vrbe Hebron deleuerit.*

QVÆSTIO LXII.

QVÆRET aliquis an Caleb deleuerit tres Gigantes ex vrbe Hebron, vel tota tribus Iuda, vadens cum eo.

Aliquis respondebit, quod fecit hoc tota tribus Iudæ, quia suprà in litera, cùm ponitur de bellis, quæ fecit tota tribus Iudæ contra hostes suos, ponitur bellum contra Hebron, & deletio Gigantum.

Respondendum, quod non conuenit tota tribus Iuda ad delendnm Gigantes ex Hebron, sed Caleb, cui assignata fuerat in possessionem, cum familia sua, & amicis contra vrbem illam pugnauit, & cœpit eam, deleuitq; Gigãtes ex illa. Cùm autem dicitur, quod pergens Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron percussit Sesai, &c. Dicendum, quod istud bellum ponitur multotiens in Scriptura, secundùm quod cõuenit diuersis personis: nam quòd caperetur aliquis locus in terra Israel, siue ille pertineret ad istam tribum, siue ad aliam erat publica vtilitas Israelitarum, ideo poterat ascribi toti Israeli captio eius, & pugna contra habitatores illius: sic ponitur Iosue 10. quòd Iosue cum toto Israel cœperit vrbem Hebron, & deleuerit reliquias eius, eo quòd Iosue erat princeps totius populi, & ea, quæ ascribuntur Iosue ascribuntur toti populo: erãt etiam in vrbe Hebron Gigantes, quorũ deletio ascribitur Iosue, & toti Israel, vt patet Iosue 11. Rursus autem ciuitas Hebron pertinebat ad tribũ Iudæ: ideo quamquàm debellatio, & captio eius fuerit facta ab aliquibus specialibus viris eiusdem tribus, dicitur esse facta à tota tribu inquantum ad eam pertinet vtilitas priuatorum illius tribus: sic ponitur supra in litera, quod pergens Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron percussit tres Gigantes. Rursus pertinebat Hebron, specialiter ad Caleb, cui fuerat specialiter in possessionem assignata: ideo dicitur, quòd ipse cœpit eam, vt patet hic. Sic etiam patet Iosue 15. Nunc autem manifestum est, quòd non fuerit capta Hebron per omnes istos, de quibns dicit Scriptura, quòd eam cœperint, sed per quos capta fuerit, non patet.

Doct. resp. ad quæstũ

F Dicendum autem, quod non fuit capta à Iosue, & toto Israel, nec eo viuẽte, vt declaratũ est Iosue 10. & 11. sed an capta fuerit à tota tribu Iuda pugnante generaliter contra hostes sortis suæ, vel fuerit capta specialiter à Caleb, non patet: vtrumq; enim dici potest. Nam si astruamus, quod cœpit eam tota tribus Iudę, dicetur, quod Scriptura dixit, quod cœperat eam Caleb, nõ quia ipse eam cœpisset, sed quia captio eius ad illum pertinebat. Si autem è contrario asseratur, quòd capta fuerit Hebron à Caleb specialiter dicetur, quod Scriptura astruit captam fuisse à tota tribu Iudæ inquantum erat Caleb de ista tribu, & vertebatur in hoc publica vtilitas ipsius tribus

A totius. Sciendum, quod filij Enac vocantur filij Gigantum, quia Enac in Hebræo eſt nomen commune ſignificans Gigantem,& Enacim pluraliter,vocantur Gigantes. Sic patet Deuter.2.ſcilicet: Sicut de Enacim ſtirpe eſſe viderentur, id eſt,ita erant magni corporis, quod videbãtur de ſtirpe Gigantum. Sic etiam patet Ioſue 11. ſcilicet in tempore illo deleuit Ioſue Enacim de montanis, id eſt,Gigantes. Vel poteſt hic accipi Enac,vt ſit nomen proprium. Et hoc volunt quidam Hebræi dicentes, quòd Enac eſſet quidam Gigas magnus,cuius erant tres filij Gigãtes,& ab iſtis quatuor Gigantibus dicunt vrbem Hebron vocatam Cariatharbe, id eſt,ciuitatem quatuor virorum,ſcil.Gigantum. Sed non ſtat conuenienter dictum,quòd Enac ſit nomen commune,vt patet ſæpè,ideo primum tenendum eſt.

Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non deleuerunt filij Beniamin. Id eſt, non potuerunt delere. Hoc intelligitur quantum ad Iebuſæos habitantes in arce Sion. Nam reliqua ciuitas ferro incendioq; vaſtata eſt, vt patet ſuprà in litera,& Ioſue 15.etiam,quia dicitur hic, quod habitauerunt filij Beniamin cum Iebuſæis in Ieruſalem: ſi tamẽ non cœpiſſent partẽ planã vrbis,nõ potuiſſent habitare cum Iebuſæis: Arx autem vrbis non fùit capta vſq; ad tempus Dauid,vt patet 2.Reg.5. & 2.Paralipom.11.

Habitauitq; Iebuſæus cum filijs Beniamin in Ieruſalem. Non intelligitur,quòd Iebuſæi, & filij Beniamin mixtè habitauerũt in Ieruſalem: nam erant hoſtes, ſed eſt ſenſus, quòd Iebuſæi habitarent in Ieruſalem, ſcilicet in arce ſolùm, & filij Beniamin in parte vrbis plana. *Vſq; in præſentem diem.* Hoc intelligitur de tempore, quo ſcriptus fuit iſte liber,quia tũc nondum capta arce Sion habitabant ſimul Iebuſæi, & filij Beniamin in Ieruſalem. Ex quo patet,quod iſte liber non fuit ſcriptus poſt tempora Dauid:nam in principio regni eius ſuper Iſrael deſierunt Iebuſæi habitare in Ieruſalem: fuit autem ſcriptus liber iſte per Samuelem, qui mortuus eſt antequàm regnaret Dauid,vt patet 1.Reg.25.

B

Liber iſte non fuit ſcriptꝰ tẽpore Dauid.

An filij Iudæ,vel Beniamin cœperint Ieruſalem.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRET aliquis,quis pugnauit,& cepit Ieruſalẽ, nunquid filij Iudę,aut filij Beniamin,quia dicitur hic,quod non potuerunt delere Iebuſæum, ſcilicet de arce: ergo videtur,quòd expulerint de vrbe plana: alioquin ſi filij Beniamin nullo modo pugnaſſent contra habitatores Ieruſalem, non diceretur conuenienter, quod non potuerunt filij Beniamin delere Iebuſæum, ſed habitauit cum eo in Ieruſalem. In contrarium videtur, quod Ioſue 15. dicitur, quod Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij Iuda delere:habitauitq; Iebuſæus cum filijs Iuda in Ieruſalem.Item dicitur ſuprà in litera:oppugnantes filij Iuda Ieruſalem ceperunt eam, & percuſſerũt in ore gladij tradentes cunctam incendio ciuitatem.

C

Reſpondendũ,q; filij Iuda ceperunt Ieruſalem, & ſuccenderunt eam,vt litera planè dicit. De filijs autem Beniamin dicitur, quòd non potuerunt delere Iebuſæum propter duo. Primò,quia fortè filij Bẽiamin ſimul cum filijs Iuda pugnauerunt contra Ieruſalem.In hac pugna principalis fuit tribus Iuda,& cùm filij Iuda non potuerunt delere Iebuſæum,dicitur etiam,quod filij Beniamin non potuerunt delere illum. Secundò dicitur hoc,quia licèt pugna ab vno facta ſit, ſcriptura tangit illam in omnibus eis, ad quos pertinet, & quia pugna contra Ieruſalem pertinebat ad filios Iuda, quia ipſi verè fecerunt eam: ſcriptura locuta eſt de filijs Iuda quomodo deleuerint Ieruſalem hic,& Ioſue 15. Pertinebat quoque Ieruſalem ad filios Beniamin, inquantum erat in ſorte eorum,& ipſi in ea habitauerũt,vt patet hic: ideo dicitur,quod non potuerunt delere Iebuſæum: ſic enim factum eſt de captione vrbis Hebron,& de Gigantibus eius: de qua dicitur, quòd capta fuerit à Ioſue,& toto Iſrael,vt patet Ioſue 10. & 11.& dicitur,quod capta fuit à tota tribu Iudæ, vt patet ſuprà in litera,de quo ſuprà in alia quæſtione declaratum eſt.

D

Ieruſalem ad quam tribum attinebat.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR vlteriùs de vrbe Ieruſalem ad quam tribũ pertinebat,ſcilicet an ad Beniamin,vel ad Iudam.

Ratio dubij eſt, quia quælibet tribus pugnare debebat contra hoſtes habitantes in ſorte ſua: ſi ergo filij Iuda pugnabant dontra Ieruſalem, videtur, quod pertinebat ad ſortem eorum. De filijs etiam Beniamin dicitur,quod non potuerunt delere Iebuſæum habitatorem Ieruſalem.In quo innuitur quod pugnauerunt contra illum, ergo pertinebat Ieruſalem ad Beniamin.

Reſpondẽdum,quod Ieruſalem pertinebat ad Beniamin, & non ad Iudam.Quod patet,quia ponitur inter vrbes Beniamin,Ioſue 18. & non computatur in vrbibꝰ Iuda. Dicendũ tamẽ quod filij Iuda,& Beniamin conuenerũt inter ſe, quòd acciperent filij Iuda vrbem Ieruſalem pertinẽtem ad ſortem Beniamin,& filij Beniamin ſuſciperent aliquã aliam partem ſortis Iudæ, & tunc pugnauerũt filij Iuda contra habitatores Ieruſalem,quia pertinebat ad eos. Sed hoc non multum ſtat, quia videtur,quòd iſta commutatio non poſſet fieri,qa Deus iuſſerat,quòd poſſeſſiones tribuum, & familiarum manerẽt diſtinctæ,ſicut ipſe eas diſtinxerat ne confunderentẽ tribus,vt patet Nume.vlti.ſicut ergo non valebat inter Iudæos aliqua venditio rei immobilis facta ad ſemper: etiam ſi vẽditor vellet renunciare iuri ſuo, ſed in Iubilæo redibat ad venditorem,vel ad ſucceſſores eius,vt patet Leuit.25.& hoc ne confunderentur tribus,ita non poſſet fieri commutatio,qa eandem penitùs confuſionem operaretur. Sed dicendum eſt, quòd quia in Ieruſalem erant hoſtes fortiſſimi,filij Beniamin conuenerunt cum filijs Iuda,quòd expugnarent illos,& poſſent habitare in vrbe reſeruata ſemper proprietate filijs Beniamin, & ob hoc filij Iuda pugnauerunt contra Ieruſalem,& ſuccenderunt eam, habitaueruntq; poſteà in ea,vt patet Ioſue 15.& ſuprà in litera: filij quoq; Beniamin ſimul cum filijs Iuda habitauerunt in ea,vt patet hic: de hac quæſtione latiùs declaratum eſt Ioſue 18.circa finem.

E

Doct. reſp. ad quæſitum.

Domus quoq; Ioſeph. Hic ponitur de accidentibus tribus Ephraim,& Manaſſe:nam in capitulo iſto ponit epilogus, ſiue catalogus quidam omniũ ſpecialium euentuũ,qui pertinuerunt ad tribꝰ ſigillatim, & in alijs cap. huius libri ponũtur ea, quæ communiter pertinent ad omnes Iſraelitas, ideo primò poſiti fuerunt euentus Iudæ, deinde Beniamin,ſcilicet quòd non potuerit delere Iebuſeũ habitatorem Ieruſalem hic conſequenter ponitur de Ephraim,& Manaſſe. Vocatur autem domꝰ Ioſeph tribus Ephraim,& Manaſſe ſimul, qa iſtud ſpeciale habuit Ioſeph inter omnes filios Iacob,ſcilicet,quòd ab eo deſcenderent duæ tribus. A quolibet autem reliquorum filiorum vnica tantùm deriuabatur tribus: hic tamẽ vocatur domus Ioſeph ſolùm tribus Ephraim, quia iſta ciuitas, de qua hic dicitur pertinebat ad Ephraim.

De accidentibus tribus Ephraim & Manaſſe.

F

Aſcendit in Bethel. Scilicet ad pugnandum contra eam,quia iſta ciuitas pertinebat ad ſortem eius:iſta eſt illa Bethel,quam ſic fecit nominari Iacob, quando ibi dormiuit, & vidit ſcalam Cœli,Gen.28. apud iſtam moratus eſt Abraham, quando primò introiuit in terram Chanaan. Nam ædificauit altare inter Hai,& Bethel,Gen.12.c. Ex hoc patet contra illos, qui volunt hanc Bethel eſſe Ieruſalem:nam ſuprà ponitur de modo captionis Ieruſalem, & hic de Bethel, & ſunt diuerſi. Etiam Bethel capta eſt à filijs Ephraim,Ieruſalem autem à filijs Iuda,vt patet hic.Item Ieruſalem ponitur in tribu Beniamin,Ioſue 18.& Bethel in tribu Ephraim,Ioſue 16.de quo latiùs diximus Gen.12.& 28.

Fuitq; Dominus cum eis. Scilicet adiuuando eos ad capiendũ vrbem: nam cùm aliquis in actibus ſuis proſperatur, dicitur Deus eſſe cum eo,ſic patet Gen.39.de Ioſeph,ſcilicet: Fuitq; Dominus cum Ioſeph, & erat vir in cunctis proſperè agens, habitauitq; in domo Domini ſui, qui optimè nouerant Dominum eſſe cum eo,& omnia, quæ gereret dirigi ab eo in manibus illius.

Nam cùm obſiderent vrbem,quæ prius Luza vocabatur. Scilicet vrbem Bethel,quæ priùs vocabatur Luza. Iſtud nomen fuit mutatum per Iacob, quando dormiuit ibi, viditq; Angelos aſcen-

A ascendentes,& descendẽtes per scalam,& dixit: Nihil est hic aliud,nisi domus Dei:& porta Cœli: appellauitq; nomen loci illius Bethel. Ab antiquo enim vocabatur Luza, siue Luz, id est,Auellana.Et dicũt Hebræi, quod ista ciuitas erat facta, sicut Auellana,scil.non habens portam patentem.*Videruntq; hominem egredientem de ciuitate.* Obsidebant tũc filij Ephraim ciuitatem latenter, scil.quod non putabãt eos veniſſe viri ciuitatis,ideo viri egrediebantur aliqui de vrbe: alioquin nullus permitteretur ingredi,aut egredi,sicut dicitur de Iericho Iosue 6.cap.scil.Iericho erat clausa,atq; munita timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat,aut ingredi. *Dixeruntq; ad eum:ostende nobis introitum ciuitatis.* Hebræi dicunt, quod ista ciuitas erat facta, sicut auellana non habens portam aliquam patentem, ideo vocabatur Luza, id est, auellana: quapropter Israelitæ quanquàm obsiderent vrbem nõ inueniebant portam,& quæsiuerunt ab isto viro, vt ostenderet eis. Aliqui dicunt, quod erat porta ciuitatis huius Negromãticè facta,ita vt non posset à quolibet reperiri :sic astruũtur multa incantata esse,quæ non faciliter à quolibet inueniãtur,etiã si semel visa fuerint. Sed ista,& multa alia confingunt Iudæi inutiliter, & sine causa. Veritas est,quod porta vrbis Bethel patens erat, & Israelitæ videbant illam, sed non poterãt introire per eã,quia clausa erat, ideo non petierunt introitum, id est,portã,sed introitum, id est aliquem locũ infirmum ciuitatis, per quem introire possent non considerãtibus viris ciuitatis, scil.quòd Israelitæ fortè per noctem irruerẽt,& caperẽt vrbem non putãtibus viris vrbis adesse aliquos hostes.

B *Et faciemus tecum misericordiam.* Scilicet non occidemus te, nec progeniem tuam,& dabimus tibi bona. *Qui cùm ostendisset eis.* Scilicet loca infirma,per quæ intrare possent. *Percussẽrunt vrbem in ore gladij.* Scilicet quia fortè irruerũt per noctem non videntibus viris vrbis,& non potuerunt resistere.*Hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt.* Pro beneficio, quod eis impenderat ostendendo eis introitum vrbis.

An Israelitæ virum hunc viuere permittendo peccauerint.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRET aliquis,an Israelitæ peccauerunt permittendo viuere istum virum,& cognationem eius.

Aliquis dicet, quòd sic, quia iste erat de stirpe Chananæorum.Israelitæ autem non poterant aliquo modo permittere viuere Chananæos, sed tenebantur occidere tam viros,quàm fœminas in ore gladij,Deut.20.ca. Aliquis respondebit, quod Israelitæ promiserãt huic viro facere misericordiam, & istud erat, quòd liberarẽt eum, & agnationem eius de morte, ideo vt implerent pactum potuerunt,& debuerũt eum saluare,& cognationem eius.

Sed obijcietur contra hoc,quia Israelitæ non poterant facere tale pactum cum aliquo Chananæo:nam Deus vetuerat fieri fœdera,vel copulari amicitia inter hos,vt patet Exo.34. & Deut.7.& seq.c.ideo dato, quòd fierent pacta nullius erãt firmitatis,quia fiebant contra legem diuinã: sed propria auctoritate poterat quilibet, & debebat contrà venire. imò si quis vellet talia obseruare peccabat mortaliter obseruando, sed solùm debebat dolere, quòd contra legem Dei fœdera iniuisset,& sic non obligabãtur, nec debebant filij Ephraim seruare pactum interpositum cum isto viro, sed debebãt occidere eum.Respondendum,quod Israelitæ non peccauerũt non occidendo istum virum,& cognationem eius,& hoc nõ solùm,quia pactum fuit de hoc interpositum,sed etiam si nihil promisissent, eo quod naturaliter tenemur benefacere benefactori,sed iste vir tradiderat vrbem in manus Israelitarum:ergo debebant ei benefacere saltem donando vitam: simile fuit tempore Iosue,nam Israelitæ liberauerunt Raab,& totam cognationem eius, quia absconderat exploratores,vt patet Iosue 6. cap. & non peccauerunt tunc Israelitæ: nam mandato Iosue hoc factum est, vt patet præalleg.cap. & tamen Iosue erat vir sanctus,& Propheta,cui Deus sæpè loquebatur, & non imputauit ei Deus hoc ad peccatum, qui alioquin puniuisset Israelitas pro eo,sicut patet eodem tempore, cùm peccauit Achan furando de Anathemate,& totus Israel punitus est,quia nõ potuit stare coràm hostibus, vt patet Iosue 7. iste autem vir,de quo hic, maiora fecit pro Israelitis, quã Raab,quia illa solùm seruauit à morte duosexploratores Hebræorũ,& non tradidit ciuitatem Iudæis: iste autẽ tradidit vrbem in manus Iudæorum ostendendo eis introitum. Cùm igitur potuerũt licitè Israelitæ facere pactum cũ Raab de seruando eam,& totam progeniem suam, & postea cùm seruauerunt,poterant quoque, & à fortiori licitè seruare à morte virum istum,& totam progeniem suam. Cùm autem obijcitur,quòd Chananęi omnes erant occidendi in ore gladij,& quod non erant componenda cum eis fœdera.

Respondendum, quòd istæ leges erant generales,& non extenduntur ad istos casus multum particulares, de quibus non extitit cogitatum, sicut in legibus humanis vtimur epilieya,quãdo lex aliqua in casu particulari induceret malum, si teneretur secundùm verba,& hoc, quia legislator non excogitauit illos casus.Sic patet 5.Ethic.De Deo autem non est dicendum, quòd non excogitauerit istos casus particulares, qñ legem tulit, quia Deus semper actualiter oĩa cognoscit, sed exprimere noluit,qa sunt multũ particularia hęc,de quibus cùm acciderent,quilibet verisimiliter diceret,q; non deberẽt comprehendi lege: & sic opinione communi Israelitarum diffinitũ est, quòd in isto casu non agerent cõtra legem.

Deus semper omnia actualiter cognoscit

Qui dimissus,abijt in terram Hetthim. Id est, dimiserunt eum liberũ,& cognationem suam, & abijt in terram Hetthim ad habitandũ. Ex hoc patet,quod dato, quòd peccassent isti liberando istum hominem à morte,& liberando Raab, & cognationem suã peccassent Israelitæ, magis peccatũ fuisset in liberatione Raab, eo quòd illa cum tota cognatione sua permissa est viuere in medio Israelitarũ, & honorata fuit nimis, vt patet Iosue 6. acceptaq; fuit in vxorem à Salmo principe tribus Iudæ, vt patet Matth.1. Iste autem homo non dimissus est viuere inter Israelitas, sed missus est ad habitãdum extra terram Israel.Ista terra Hetthim, quæ hic ponitur non est illa,quæ ponitur Ierem.2. scilicet transite ad insulas Cethim, & in Cedar quoq; mittite.Nam in Hebręo ponitur ibi quethim,& hic ponitur Cethim:& in Biblijs nostris correctis nõ ponitur Cethim, sed Hetthim, & est tale nomen quale consueuit poni in Hebræo pro gente Hetthæornm, non tamen significantur hic Hetthæi,quia Hetthæi morabantur in terra Chanaã,cùm essent vnus de septem populis Chananæorũ: ista autem terra, ad quam nunc iuit iste vir, longè distabat à terra Chananæorum:ideo litera nostra non posuit Hetthęorum.*Et ædificauit ibi ciuitatem.* Quia iste homo erat vir potens, iuitque cum eo tota cognatio sua, vt patet suprà, & hi adiuerunt eum in constructione vrbis. *Vocauitq; eam Luzam.* Scilicet desiderio terræ suæ originis ne illa perijsse videretur, vel non videretur subiecta hostibus, sed habere filios suæ originis. *Quæ ita appellatur vsq; in præsentem diem.* Scilicet vsque ad tempus,quo scriptus fuit liber iste per Samuelem, in quo fluit aliquantulùm temporis, scilicet plusquàm trecentum annorum, vt patet computando tempora Iudicum vsque ad Samuelem.

C

Naturaliter tenemur benefacere benefactori.

D E F

Manasses quoq; non deleuit Bethsan, & Thanac cum viculis suis,& habitatores Dor,*& Ieblan,& Mageddo cum viculis suis, cæpitq; Chananæus habitare cum illis. Postquàm autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios,& delere noluit, Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitauit cum eo. Zabulon non deleuit habitatores Cetron,& Naalol: sed habitauit Chananæus in medio eius, factusq; est ei tributarius. Aser quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Roob, habitauitq; in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. Nephthali quoque non deleuit habitatores Bethsamides, & Bethanath: & habitauit inter Chananæum habitatorem terræ, fuerunt q; ei & Bethannitæ tributarij. Arctauitq; Ammorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum,vt ad planiora descenderent: habitauitq; in monte Hares,quod interpretatur Testatio,in Aialon,*

A

& adiuit eos. Et aggrauata est manus domus Ioseph, factusq; est ei tributarius. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis Petra, & superiora loca.

Manasses quoq;. Hic ponitur de successu tribus Manasse post Ephraim, quia ambæ tribus pertinebant ad Ioseph, & vocabantur domus Ioseph. Sciendum autem, quod tribus Manasse erat diuisa in duas partes, & medietas eius acceperat possessionem ad orientalem partem Iordanis cum tribu Ruben, & Gad in terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet Nume.32.& Iosue 13.cap. Alia medietas accepit possessionem in terra ad occidentalem partem Iordanis, cum alijs nouē tribubus, de quo Iosue 17. & de ista medietate Manasse dicitur hic. *Non deleuit Bethsan.* Id est, non potuit delere, quia quamquàm conatus fuisset Manasse delere Chananæos non potuit à principio. Sic patet Iosue 17. scil. nec potuerunt filij Manasse has subuertere ciuitates, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. Patet etiam infrà in litera, cùm dicitur, postquàm autem confortatus est Israel fecit eos tributarios, & delere illos noluit. Sciendum quod Bethsan est duplex: quædam in sorte Iudæ est, vt patet Iosue 15. & ista est, in qua Phylisthini suspenderunt cadauera Saulis, & filiorum suorum de muro, vt patet 1.Reg.31.& 1.Paralip.10.cap. erat autē ista Bethsan in terra Phylisthinorū, quia terra Phylisthinorū quasi tota terra erat in sorte Iudæ, vt declaratum est Iosue 15. Alia Bethsan erat in sorte Manasse, & de ista dicitur hic.

De successu tribus Manasse, & Ephraim.

B

Et Tenac. Ista est alia ciuitas in sorte Manasse, vt patet Iosue 17.& est ista vna de ciuitatibus regalibus, quarum reges occidit Iosue, vt patet Iosue 13.cap. *Cum viculis suis.* Viculi vocantur rura, vel loca non murata, & etiam ista loca non potuerunt capere filij Manasse, quia confortati erant Chananæi, qui tenebant ea. *Et habitatores Dor.* Est Dor quædam ciuitas Manasse, quæ est solēnis, & famosa habens magnam prouinciam, vt patet Iosue 11. cùm dicitur: In regionibus Dor iuxta mare, & est ciuitas Olim regalis, vt patet Iosue 12.cap. scil. rex Dor, & prouinciæ Dor vnus. *Et Ieblan.* Ista est ciuitas Manasse, vt patet Iosue 17. *Et Magedo.* Ista erat ciuitas magna, & regalis: Iosue 12.& est in tribu Manasse, Iosue 17. ista est ciuitas, apud quam occisus fuit Iosias optimus regum Iuda, scilicet in campo Magedo, vt patet 4.Reg.13.& 2.Paralip.35.c. *Cum viculis suis.* Id. est, locis non muratis: habebant istæ vrbes viculos, maximè ciuitas Dor, quæ dicitur habere magnam prouinciam, Iosue 11.& 12.cap.

Cœpitq; habitare Chananæus cum eis. Id est, quod non potuerunt filij Manasse expellere habitatores locorū istorum, qui erant Chananæi: habitauerunt Chananęi cum filijs Manasse. Et non est sensus, quòd Chananæi tunc cœperunt habitare in terra illa, quia à principio ibi habitabant, sed quia Israëlitę nunc nouiter habitauerunt, & nō potuerunt expellere Chananæos, cœperunt habitare cū Chananæis, & ponitur è contrario. In Hebræo habetur. *Consensit Chananæo habitare cum eis.* Et est sensus, quod Israëlitæ permiserunt Chananæos secum manere: sed quia istud est contra literam, cùm dicatur, quod non potuerunt Israëlitæ delere istos populos, & posteà dicitur, quod quando confortati sunt filij Israel fecerunt istos tributarios, litera nostra accepit intentionem, & non verba Hebræa, quia interdum litera Hebraica est nimis in sermone barbara.

C

Postquàm autem confortatus est Israel. Silicet filij Manasse quia ipsi soli pugnabant contra habitantes in sorte sua, & non totus Israel, sicut declaratum fuit in principio capituli, & dicitur.

Postquàm confortatus est Israel. Quia à principio diuisionis terræ Israëlitæ non erant multi, ideo Chananæi poterant eis resistere: posteà autem multiplicati sunt in sobole, & facta est magna pugnatorum multitudo, & ista erat confortatio.

Fecit eos tributarios. Scilicet habitatores omnium prædictarum vrbium. *Et delere noluit.* Silicet quamquàm potuisset noluit, vt haberet magnum lucrum de tributis eorum.

(.·.)

An filij Manasse, & alij non delendo habitatores terræ peccauerint.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRET aliquis an filij Manasse, & alij, de quibus infrà dicitur, quod delere noluerunt habitatores terræ peccauerint.

Respondendum est, quod Deus iusserat Israëlitis, quòd omnes Chananæos tam viros, quàm fœminas percuterent in ore gladij, & non misereretur eorum, Deut.20.c. ideo data facultate ad occidendum illos tenebātur occidere eos: a principio autem voluerāt filij Manasse percutere Chananæos, sed non potuerant, ideo tunc non peccauerunt: posteà autē confortati fuerant, & poterāt delere Chananæos, sed cupidine tributorum noluerunt, ideo peccauerunt cōtemnentes præceptum Dei: potissimùm cùm Deus sæpè admonuisset illos per Moysen, & Iosue, quòd non componerēt amicitias cum his gentibus, nec permitterent eos viuere in terra: alioquin totum malum, quod Deus facturus erat eis, conuerteret in Israëlitas, vt patet Num.33.& Iosue 23. & ista fuit causa, quare Deus nimis iratus noluit delere gentes istas de conspectu Israëlitarum, etiam si posteà hoc ipsi precarentur, vt gentes hæ fierent eis scandalum, vt patet sequen.cap. Nimis ergo peccauerunt, & quia pactum istud fuit quasi in omnibus tribubus, Deus dedit generalem populo pœnam.

D

E

Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer. Postquàm suprà positus est prosper successus filiorum Ephraim capiendo vrbē Luzam, hic ponitur eorū peccatum nolendo delere gentē Chananæorum, & dicitur, quod non interfecit Chananęum, id est, noluit interficere, & hoc, vt esset ei tributarius: est autem Gazer vna de nobilibus ciuitatib⁹ sortis Ephraim, vt patet Iosue 16. & māsit in potestate Chananæorum quousq; Pharao rex Ægypti cepit eā, & dedit illam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis, vt patet 3.Reg.9.c.

Peccatum filiorum Ephraim.

Sed habitauit cum eo. Id est habitauit Chananæus cum tribu Ephraim, non quidem in eadem vrbe, sed in eadem prouincia: nam in vrbe Gazer soli Chananæi habitabant. *Zabulon quoq;.* Hic ponitur successus tribus Zabulon, quia etiam Zabulonitæ peccauerunt, sicut & alię tribus nō delendo hostes, quos poterant. *Non deleuit.* Id est, noluit delere: nam poterat si voluisset, sed noluit, vt efficerētur sibi tributarij, vt patet immediatè. *Habitatores Cetron, & Naalol.* Istæ sunt duæ vrbes in sorte Zabulon, licèt non ponantur sub eisdem nominibus, Iosue 19. vbi ponitur descriptio sortis Zabulon.

Succesſus tribus Zabulon.

Sed habitauit Chananæus in medio eius. Id est, in medio Zabulon, scil. Chananæi habitantes in Cetron, & Naalol habitauerunt in medio Zabulon, quia istæ vrbes erant intra sortem Zabulon, & aliæ vrbes in circuitu harum habitabantur à filijs Zabulon. *Factusq; est ei tributarius.* Scilicet soluens annuas impositiones, & seruitia, & propter hoc permissus est manere in terra Zabulon. *Aser quoq;.* Hic ponitur successus tribus Aser circa hostes, scil. quod peccauit, sicut cæteræ tribus non delendo quos hostes delere poterat. *Non deleuit.* Id est, delere noluit istos, qui sequuntur, vt efficerentur ei tributarij. *Habitatores Accho.* Ista est ciuitas in sorte Aser. *Et Sidonis.* Ista est ciuitas magna, atq; famosa antiquissima iuxta mare, quæ cecidit in sortem Aser, & est apud Tyrum: māseruntq; semper Chananæi in ciuitate hac, & in cōiunctis, scil. in Tyro. Quod patet, quia quando Christus ambulabat in confinibus Tyri, & Sidonis egressa est mulier Chananæa de finibus illis clamans ad Iesum, Domine miserere mei, Matth.15.cap. regnauit autem in ciuitate ista, & in Tyro Hiram, qui fuit valdè amicus Dauid, & Salomonis, præbuitque ligna, & artifices ad construendum templum, vt patet 3.Reg.5. idem præbuit ad ædificandum domum Dauid, 3.Reg.5. accepitq; in terra Galilææ viginti oppida, vt patet 3.Reg. ideo Israëlitarum reges tenuerunt pacem perpetuā cum eo, & sic manserunt semper Chananæi de regno eius illæsi. *Et Ahalab.* Ista est alia ciuitas sortis Aser, de qua Iosue 19. *Et Achazib.* Ista etiam enumeratur Iosue 19. *Et Helba.* Istæ ciuitates omnes quasi erant simul, vt colligitur Iosue 19. *Et Aphec.* Ista est alia ciuitas eiusdem tribus. Est autem duplex Aphec. Vna ponitur in sorte Iudæ, de qua habetur Iosue 15.& ista est, apud quam castrametati sunt

F

Succesſus tribus Aser penes hostes.

Duplex est Aphec.

A

Iſraelitæ,& Phyliſthini in pugna, quãdo capta eſt arca,vt patet 1.Reg.4. apud hanc etiam caſtrametati ſunt in bello, quo mortuus eſt Saul, vt patet 1.Reg. 29. eſt autem illa Aphec apud vrbem Iezrael, & montem Gelboe: nam Iſraelitæ dicebantur eſſe ſuper fontem Iezrael,& in monte Gelboe,& Phyliſthini erant in Aphec,vt patet in allegatis cap. & tamen caſtra Phyliſthinorum erant tunc coniuncta caſtris Iſrael, cùm immediatè pugnauerint. Alia Aphec erat in ſorte Aſer ſatis diſtans ab illa, cũ ſors Iudæ ſit nimis meridiana in terra Chanaan,& ſors Aſer eſſet valdè aquilonaris,& de iſta dicitur hic. *Et Roob.* Iſta eſt etiam ciuitas nimis aquilonaris in terra Iſrael, & eſt quaſi extrema in latere aquilonari. Quod patet, quia Num.13.cùm ponitur terra, per quã diſcurrerunt exploratores,dicitur,quod explorauerunt à deſerto Sin vſq; Roob ingredientibus Emath, & tamen ponitur deſertum Sin pro latere meridiano,vt patet Num.34. Ergo Roob erat in extremitate lateris oppoſiti,ſcil.aquilonaris.Etiam,quia Roob,& Emath erant coniuncta,vt patet Num.13. Emath tamen ponitur eſſe in ipſo latere aquilonari terræ Chanaan,Nume.14. ergo Roob eſt nimis Aquilonaris.

Habitauitq; in medio Chananæi. Scilicet tribus Aſer fuit in medio Chananæorum,qa ciuitates Chananæorũ erant multæ circumeuntes terram,in qua habitauit Aſer.Etiam ſciendum,quod Chananæus accipitur largè hic:nõ prout eſt vnus de ſeptẽ populis Chanaan, ſed vt ſignificat quemcunque de terra illa,ſiue Chananęum,ſiue Ammorrhęum,Pherezæum, &c. Quod patet,quia dequalibet tribu iſtarum dicitur,quod non deleuit Chananæum,& tamen manifeſtum eſt,quod nõ ſolùm relictus erat populus de Chananæis,ſed de Iebuſæis,& Hetthæis,& alijs ferè omnibus. *Habitatores illius terræ.* Scilicet quod Chananæi in terra illa multum poſſidebant,& dicebantur principaliter ipſi habitatores. *Nec interfecit eum.* Scilicet, quia noluit, vt fieret ſibi tributarius, ſicut faciebant aliæ tribus. *Nephtali.* Hic ponitur ſucceſſus tribus Nephtali,ſcilicet quod ipſa peccauit,ſicut cæteræ non expellendo Chananæos de terra,ſicut cæteræ non expulerunt.

B

Succeſſus tribus Nephtali.

Non deleuit. Id eſt,noluit delere,potuiſſet enim,ſed non fecit,vt haberet tributarios. *Habitatores Bethſames.* Iſta ciuitas eſt duplex:nam quædã Bethſames eſt in ſorte Iudæ, de qua habetur Ioſue 15. Alia autem eſt in ſorte Nephtali,& eſt coniuncta vrbi Bethſames:nam ambæ ponũtur ſimul Ioſue 19. ſicut hic. *Et habitauit inter Chananæum.* Scilicet,qa vrbes poſſeſſæ à Chananæis,& filijs Nephtali erant mixtæ, ſed in nulla habitabant ſimul Chananæi,& Iſraelitæ. *Habitatorem terræ.* Scilicet quia Chananæi tenebant magnam partem ibi terræ, maiorem quàm in tribu Beniamin, & Ephraim, & Manaſſe: ideo ipſi vocabantur principales habitatores terræ.

Fueruntq; ei Bethſamitæ & Bathanitæ tributarij. Id eſt,habitatores Bethſames, & Bethanath non permiſſi fuerunt ſub alia conditione viuere in terra,niſi vt tributarij forent,quod ipſi gratis ſuſceperũt. *Arctauitq; Ammorrhæus.* Hic ponitur ſucceſſus tribus Dan, ſcilcet quod infeliciter ſe habuit cum hoſtibus:nam non dabat ei locum habitandi,& dicitur.

C

Succeſſus tribus Dã

Arctauitq; Ammorrhæus filios Dan in mõte. Id eſt,quod filij Dan acceperãt à principio poſſeſſionem inter populum Ammorrhæorum,& habuit aliqualem locum ad habitãdum, ſed poſteà confortati ſunt Ammorrhæi contra filios Dan, & arctauerunt eos in montibus,dando eis paruum locũ ad habitandum. Sciendum autem,quod hoc tempore accidit id, quod refertur infrà 18.c.de filijs Dan,ſcil.quod illo tẽpore filij Dan nondum acceperant poſſeſſionem,& iuerunt ad inquirendũ locum,vbi habitatẽt,& obtinuerunt ciuitatem Lais,ſiue Leſen,quam poſteà vocauerũt Leſen Dan. Hoc tenet Ioſephus 5. antiquit. Et ſatis rationabile eſt: ſcriptura tamen facit ſæpè anticipationes, & recapitulationem. *Nec dedit ei locum, vt ad inferiora deſcenderet.* Apud montem Hares, in quo morabantur filij Dan, erant valles, & loca plana bonæ habitationis. quæ occupata erant ab Ammorrhæis,qui non ſinebant filios Dan deſcendere ad habitandum in vallibus: & hoc fuit quouſque tribus Ephraim,& Manaſſe auxiliatæ ſunt filijs Dan, & ſuperauerunt Ammorrhæos,recluſeruntque eos,ſicut ipſi recluſerant filios Dan. *Habitauitq; in monte Hares.* Scilicet tribus non habuit tunc locum habitandi, niſi in monte Hares. *Quod interpretatur teſtatio.* Iſtud non eſt in Hebræo, ſed in litera noſtra additum eſt.

In Baelon,& Saliabim. Iſtæ erant vrbes in monte Hares, in quibus morabatur tribus Dan, & ponuntur Ioſ. 19. in ſorte Dan inter cæteras vrbes. Eſt autem Haialon duplex,vna eſt in ſorte Iudæ. Alia autem eſt in ſorte Dan: & de hac dicitur hic:de quadam autem iſtarum locutus eſt Ioſue dicens: Sol non mouearis contra Gabaon,& luna cõtra vallem Haialon, vt patet Ioſ.10. *Et aggrauata eſt manus domus Ioſeph.* Scilicet ſup Ammorrhęos,quia grauiter oppreſſerũt eos. *Factusq; eſt ei tributarius.* Id eſt,nõ permiſit domus Ioſeph Ammorrhęo manere in terra,niſi ſub cõditione tributi. Eſt ſenſus,quod ſors filiorum Dan tangebat aliquo modo ſortẽ Ephraim, & Manaſſe:& ob hoc cùm iſtæ duæ tribus, quæ vocantur domus Ioſeph præualuerunt contra Ammorrhæum, non ſolùm ex hoc ipſi habuerũt maiorẽ locum habitandi, ſed etiã filij Dan deficientibus Ammorrhęis potuerunt deſcendere de monte eis inuitis,& habuerũt locum habitandi. *Fuitq; terminus Ammorrhæi.* Scilicet ante hoc cùm cõfortatus eſſet Ammorrhęus erat diffuſus per terram, poſteà autem confortato Ephraim, & Manaſſe arctatus eſt Ammorrhęus, & datus eſt ei terminus iſte,qui ponitur in litera ad habitandum. *Ab aſcenſu Scorpionis.* Eſt aſcenſus ſcorpionis quędam terra montuoſa ſic appellata, quæ ponitur in latere meridiano terræ Chanaan, vt patet Nume.34. & Ioſue 15.& non accipitur hic ille aſcenſus ſcorpionis,quia iſte eſt in ſorte Iudę,vt patet Ioſue 15.hic autem agitur de Ammorrhęis habitantibus in ſorte Ephraim, & Manaſſe,& Dan, & iſti fuerunt coarctati intra aſcenſum ſcorpionis,ſcil.quod in ſorte alicuius harum tribuum eſt aliquis mons ſic dictus,in quo incluſi ſunt Ammorrhæi.

D

Quid ſit ſcorpionis aſcẽſus

E

Petra,& ſuperiora loca. Petra eſt nomen ciuitatis in monte, qui dicitur aſcenſus ſcorpionis,& iſtam ciuitatem tenuerunt Ammorrhæi,& ſuperiora loca,id eſt,alia loca magis accedentia ad vertices montium: & ſic Ammorrhæi receperunt hic contra paſſum, quia ſicut ipſi incluſerãt filios Dan in monte Hares,& non pmiſerunt eos ad inferiora deſcendere,ita nũc verſa vice filij Ephraim, & Manaſſe arctauerunt Ammorrhęos in ſuperioribus locis montis, q dicitur aſcenſus ſcorpionis. Iſti ſunt euentus ſpeciales ſingularum tribuum, ideo deinceps dicetur de communibus euentibus totius populi.

Petra nomen eſt vrbis.

Caput II.

Aſcendit q; Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Aegypto, & introduxi in terram, pro qua iurauipatribus veſtris, & pollicitus ſum, vt nõ facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum: ita duntaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorũ ſubuerteretis, & noluiſtis audire vocem meam:cur hoc feciſtis? Quamobrem nolui delere eos à facie veſtra: vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam. Cumq; loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael:eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Et vocatum eſt nomen loci illius Locus flentium, ſiue lachrymarum. Immolauerunt q; ibi hoſtias Domino.

Minos Cretenſibus leges dedit.

F

Ioſue 7.

Aſcenditq;. In præcedentibus deſcripta eſt populi culpa:hic conſequenter cõiungitur debita pœna. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur ad populum facta comminatio. Secundò breuis huius libri materię prælibatio ibidem. *Dimiſit itaque Ioſue populum.*

An hic ſit aliqua ordinis mutatio.

Quæstio I.

QVÆREET aliquis circa hoc an ea, quæ dicuntur fuerunt poſt præcedentia in capitulo præcedenti, vel ſit aliqua mutatio ordinis.

Reſpondendum,quod hic eſt magna mutatio ordinis, qa præcedenti cap.dictum eſt,quomodo ſe habuerunt tribus filiorum

A liorum Iſrael ſingulæ cum hoſtibus ſuis, & de multis pugnis factis poſt mortem Ioſue: hic autem repetuntur aliqua, quæ fuerunt ante mortem Ioſue. Quod patet, quia apparitio Angeli, de qua hic dicit fuit in Galgala, deinde in loco flentiũ, tamen quando Iſraelitæ manebant in Galgala viuens erat Ioſue cùm poſt mortẽ eius, imò ante mortem ſinguli Iſraelitę erant iam in ſortibus ſuis. Item, quia dicitur infrà poſt apparitionem Angeli. Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt ſinguli in poſſeſſionem ſuam: ergo viuens erat cùm daret eis licentiam recedendi in poſſeſſiones ſuas.

Conſiderandum autem, quod in principio libri huius vſque ad medium cap. 3. non tenetur aliquis naturalis ordo in narrando, ſed ſolùm artificialis: nam intẽdit narrare hic ſcriptura de ſucceſſione iudicum, & quæ facta fuerint ſub temporibus ſingulorũ: & iſtud non inchoatur vſq; ad mediũ c. 3. Cauſa autem eſt, quia ſcriptura voluit hic oſtẽdere duo. Primum erat ſtatus cuiuſlibet tribus ſingulariter in cõparatione ad hoſtes, qui tenebant occupatam terrã eius. Secundum eſt ſtatus totius populi reſpectu hoſtium cõmunium. Primum non pertinet directè ad hiſtoriam Iudicum, vt tamen ſacra Scriptura nihil intactũ relinquat de his, quæ neceſſaria ſunt ſermonem fecit de hoc: & iſtud tangitur in toto præced. cap. in quo nihil aliud agitur: ideo in princ. cap. dictum eſt de pugnis, quas fecit tribus Iudæ cõtra hoſtes, & conſequenter deſcriptũ eſt de omnibus alijs vſq; ad tribum Dan, quæ eſt vltima. Secundum aũt principale eſt materia temporis Iudicum,
B quæ incipit infrà 3. circa mediũ: & in hoc facit ſcriptura duo. Primò ponit occaſionem introducendi iudices. Secũdò ponit tempora, & actus Iudicum introductorum infrà 3. in medio. In primo autem proceſſit ſic ſcriptura, quia peccatũ fuit cauſa neceſſitatis Iudicum, ideo deſcribuntur modi peccatorum, ſcilicet q; Iſraelitæ cõmunicabant in coniugijs, & in fœderibus cum Chananæis contra Domini interdictum, & q; a viuente Ioſue incœpit malũ, introducit hic ſcriptura quandam reprehenſionẽ factã ab Angelo Dei coram toto Iſrael viuẽte Ioſue, & prẽſente: & tunc aliqualiter abſtinuerunt ab his malis Iſraelitæ in reliqua parte vitæ Ioſue: quomodo redierunt ad priora peccata, ideo deſcribuntur peccata eorum poſt mortem Ioſue, & neceſſitas introducẽdi iudices, & modus ſucceſſionis eorum, & hoc deſcribitur in toto iſto cap. ideo ſi quis vellet continuare iſta 3. cap. prima deberet dicere, quod primũ, ſcil. partim ponitur per anticipationem, & partim per rectum ordinem ad ea, quæ dicũtur infrà 3. & vſq; ad finem libri, eo quod aliqua ponuntur præced. c. quæ fuerunt facta poſtquàm ceperũt iudices, & alia ponunt, quæ fuerunt facta ante introductionem iudicum. Si autem comparemus ea, quæ habentur prẽced. c. ad ea. quæ habentur hic, debemus dicere, quod oĩa illa ponunt per anticipationem cum ea, quę habentur hic, fuerint facta ante oĩa, quæ habentur prẽced. c.
C ſcil. q; illa facta ſunt poſt mortẽ Ioſue: hæc autem facta ſunt ante mortem eius. De his, quæ habentur c. iſto dicendum eſt, quod ſunt duæ partes. Prima vſq; ad locum illum. *Dimiſit autem.* Et ſecunda vſq; ad finem. Illa ſecunda non poteſt habere ordinem anticipationis, nec recapitulationis, eo quod ibi nõ tanguntur geſta temporalia, ſed cauſæ introductionis iudicum. De prima parte dicendum, quod ponitur totaliter per recapitulationem, quia iſtud quod habetur hic, fuit factum ante ea, quæ habẽtur in toto libro iſto, ſeruauit tamẽ ſcriptura in hoc ordinem artificialem, q; a ad deſcribẽdum tempora iudicum, conueniẽs erat præmitti cauſas introductionis eorum. Hæ tamen mutationes ordinis vehementer turbant lectorum animos, niſi perſpicaciter, & diligenter aduertant.

Ad populum facta cõminatio.

Aſcendit autem Angelus Domini de Galgalis. Hic ponitur reprehenſio facta non pro peccatis factis, prẽced. cap. quia illa fuerunt poſt mortem Ioſue, & iſta increpatio fuit viuẽte Ioſue: ſed pro peccatis, quæ faciebant Iſraelitæ viuente Ioſue, quorum ſimilia poſteà egerunt, & fuerũt cauſa introductionis iudicum. Introducitur autem reprehenſio huius peccati per Angelum, vt ſint Iſraelitæ minus excuſabiles. Nam non ſolùm Deus lege vetuerat communicationem Iſraelitarum cum Chananæis, ſed etiam Angelus Domini venit ad increpandum eos de illa, & hoc non obſtante poſt mortem Ioſue redierunt ad iſta peccata. Et dicitur, quòd Angelus Domini aſcendit de Galgalis in locum flentium, ſcilicet quod Iſraelitæ erant in Galgalis, quando locutus fuit eis Angelus, & poſt receſſerunt inde, & iuerunt in locum flentium; & ibi increpuit eos de tranſgreſſione. D

Quis erat iſte, qui apparuit hic, an homo, vel Angelus.

QVÆSTIO II.

QVÆRET aliquis de iſto Angelo, quis erat. Reſpondent quidã Hebræi, quod erat Phynees filius Eleazari ſummi ſacerdotis, & vocatur Angelus, quia erat ſacerdos: omnes autem ſacerdotes vocantur Angeli, Malach. 1. ſcil. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Sed hoc non ſtat, quia Scriptura loquitur hic de iſto tanquàm de vero Angelo: de ſacerdotibus autem loquitur, vt de veris hominibus, nec reperitur ſæpè eos vocatos Angelos, & tunc quãdo ſic vocanẽ apparet dictum eſſe per metaphoram. Itẽ ſi Phynees locutus fuiſſet hic redarguendo Iſraelitas, non dixiſſet: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terrã, pro qua iuraui, ſed dixiſſet: Deus eduxit vos de Ægypto, &c. Ratio differentiæ eſt, q; a quando loquebãtur Angeli Iſraelitis, illi putabant eſſe Deum, ideo loquebantur Angeli vt Deus, & ipſa ſcriptura (vt cõmuniter) vocat eos Deum. Sic patet Exo. 3. de Angelo apparẽte in rubo, & ibi dicitur, quod erat Deus. Stephanus tamen Act. 7. dixit, quod erat Angelus: ille quoq; qui dedit legẽ in mõtem Sinai erat Angelus, vt patet ad Galat. 3. vocatur tamen Deus Exo. 20. ſcil. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & ſic in omnib⁹ locis generaliter vbicunq; dicitur Deum locutũ fuiſſe aliquid, fuit aliquis Angelus locutus, q; a Deus nõ poteſt loqui, vt declaratum eſt Exod. 25. Si autẽ homo locutus fuiſſet, vt Phynees, apparebat illũ eſſe hominem, ideo non loqueretur ille ſic in perſona Dei, cùm conſtaret eũ eſſe hominem: fuit tamen locutus in perſona Dei, ergo erat Angelus. Item dicitur, quod aſcendit Angelus Dei de Galgalis ad locum flentium, in quo innuitur, q; ſolùm fuerit cum eis in Galgalis, & poſteà in loco flentium, vbi increpuit Iſraelitas. Si tamen intelligeretur de Phynees hoc, nõ diceretẽ, quod ſpecialiter aſcendit de Galgalis in locũ flentium, quia ille ſemper erat cum Iſraelitis, & ibat quocunq; illi ibant, ergo nõ erat Phynees. Item Iſraelitæ tenuerunt iſtum, vt verum Angelum: quod patet, quia poſtquàm ipſe ceſſauit loqui, immolauerũt Domino victimas in eodẽ loco, vt patet inf. in litera: ſi tamen fuiſſet Phynees, non immolaſſent propter reuerentiã eius. Alij Hebræi dicunt, q; iſte, q; locutus eſt erat verus Angelus, & tñ erat Phinees filius Eleazari ſummi ſacerdotis, eo q; dicũt iſtum fuiſſe Angelum incarnatũ. Et ex hoc dicunt, q; iſte ſe faciebat aliquando viſibilem, q; a erat Angelus, & ſic volunt propter quod habẽt Ioſ. 2. de duobus exploratoribus, vbi litera noſtra dicit: Tollens mulier viros abſcondit. Et in Hebræo dicitur: Tollens mulier viros abſcondit eũ: ex quo dicunt, q; mulier duos viros accepit, ſed vnũ ſolùm abſcõdit, eo q; vnus eorum erat Phynees, & ille erat Angel⁹, ideo faciebat ſe inuiſibilẽ quando volebat. Sed iſta eſt magna inſania. peccãt enim in radice naturę: nam Angelus nõ poteſt eſſe incarnatus, q; a ſubſtantia angelica nõ eſt forma, ſed tota ſpecies: ideo nõ eſt vnibilis: vnde impoſſibile eſt, q; formaliter vniatur Angelus bonus, vel malus alicui corpori ad viuificandũ id, ſed ſolùm vuiũtur, vt motor mobili, ſicut Angeli mouent corpora cœleſtia, vt patet Iob 9. c. & declarat Ariſtot. 12. Meta. & Angelus Domini portauit Abacuc de Chaldæa in Babylonẽ, vt patet Dan. 13. c. & quãdo Angeli videt in aliquibus corporib⁹, illa ſunt aërea, & nõ vniuntur Angeli illis tanq; forma materiæ ad efficiẽdum vnum; per ſe reſultans, ſed ſunt totaliter diuiſa, ſcil. motor, & mobile, ſicut nauta & nauis: Iudæi aũt, qui circa omnia rudes ſunt, nec principia naturæ de conditione formatũ, nec theoricum aliquid nouerũt de conditione Angelorum, ideo in ſingulis errãt. Item Phynees erat filius Eleazari, vt teſtatur Deus Num. 25. ergo erat verus homo, & non Angelus. Patet coſequentia, quia homo non gignit niſi hominem præterquàm æquiuocè: & tunc gignitur alterum genus animalis: Angelus autem nõ eſt animal, niſi quis cum Poetis, & quibuſdam Platonicis deſipiat: ergo nõ erat Phynees Angelus. Item Phynees genuit filios, qui ei ſucceſſerunt in ſummo ſacerdotio, 1. Paralip. 6. & Deus dixit, quo ſummum ſacerdotiũ manſurum erat in po-

E

Iudæorum ridiculũ cõmentum.

F

Angelus non poteſt vniri formaliter alicui corpori

A

steris Phynees descendentibus de semine suo, vt patet Num. 25. ergo non erat Angelus. Patet consequentia, quia Angelus non gignit quidquam: nam licèt aliqui dęmones immundissimi sint, qui improbo libidinoso; accessu mulieres vexant, quos incubos, & sucubos vocamus, vt ait August. 15. de ciuit. Dei: tamen nullus dæmon, vel Angelus gignere potest, qa semen effundere nequit, cùm non sit animal. Item quando dicunt, quod Phynees erat Angelus Domini, quia Ios. 2, dicit: Tollens mulier viros abscondit eum: non est vllatenùs rationabile motiuum, qa litera Hebraica est nimis barbara, & interdum non seruat numeros, nec personas, sic patet Isa. 19. cũ dicitur in litera nostra: Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, habetur in Hebræo: Ponam super Ægyptum dominos durũ, vel crudelem, cùm deberet dicere, duros, vel crudeles. Item satis apparet, quod nõ erat Angelus aliqs de illis exploratoribus, quia tunc, sicut vnus eorũ seipsum faceret inuisibilẽ, & posset facere de socio suo, & non fuisset opus, quòd Raab abscondisset eos sub stipula lini, vel etiã fecisset, quòd viri venientes ad inquirendum eos in domum Raab non inuenirent portã, sicut duo Angeli venientes Sodomam in effigie virorm percusserũt omnes viros Sodomorum cæcitate, ita vt per totam noctem non possent inuenire portam domus, Gen. 19. c. Item no dimitterentur à Raab per funem per murum, sed aliter possent ire volando. Item non iuissent ad latendum in montibus tribus diebus, sed ambulauissent securi nullum timentes. Item non facerent pactum cum Raab dicentes, quòd oseruarent pactum, si nõ proderet eos: In quo innuitur, quod timebant. Quæ omnia patent Ios. 2. c. Ergo nullus illorum erat Angelus, qui se posset facere inuisibilem. Et sic patet, quod Phynees nõ erat Angelus incarnatus. Dicendum ergo, quod iste non fuit Phynees, vel aliqs alius homo, sed verus Angelus Dei, & apparuit coram omnibus Israelitis in forma humana sumpto corpore de aëre, & locutus est, & Israelitæ venerati sunt eum, vt Angelum Dei.

B

Doct. resp. ad quæst.

Quomodo Angelus de Galgalis in locum flentium venerit,

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR vlteriùs quomodo Angelus Domini venit de Galgalis in locum flẽtium, & quomodo hoc stet.

Hist. resp. ad quæst. cũ resolu.

Respondet historia scholastica, quod Angelus Dñi apparuit in Galgalis, & cùm venissent ad eũ de finib⁹ suis transtulit se ad alium locum, & Israelitæ secuti sunt eum. Sed aliqs dicet, quod ista litera nõ benè sibi consonat, quia necesse est, quòd Israelitæ fuerint in Galgalis quando fuit ibi Angelus, & tamen non fuerunt Israelitæ cõgregati in Galgalis, nisi tempore Ioshue à principio antequàm haberent possessionẽ terræ Chanaan: nã Israelitæ mox, vt introierunt in terrã Chanaan castrametati sunt in Galgalis: & ex loco ipso procedebant ad bellum illi, q ituri erant, & reliqua multitudo mulierum, & paruulorum, & impotentium ad bellum manebat in Galgalis, & bellatores finitis bellis redibãt in castra Galgalæ. Sic patet Ios. 10. vbi ponuntur multa bella Ioshue facta contra Chananæos, & in fine dicitur, q̃ redijt in castra Galgalæ: postquã aũt obtenta est magna pars terræ de manu hostium, & diuisa fuit, iuerunt singuli in possessiones suas, & non manserunt in castris Galgalis: hic tamen dicitur infrà quod postq̃ Angelus locutus est, dimisit Ioshue singulos in possessiones suas: ergo iã tenebant possessiones, & consequenter nõ erant in Galgalis. Item, quia Angelus iste increpauit Israelitas, quòd fecissent fœdera, & conubia cum Chananęis, & non subuertissent aras eorum, sed cùm Israelitæ erant in Galgalis anteq̃ habitarent per loca terræ Chanaan non cõmunicabant cum aliquo de Chananæis, ergo non erant tunc in Galgalis, sed iam habitauerunt aliquanto tẽpore diffusi per terrã Chanaan. Respondendum, q̃ Israelitæ erant in Galgalis, qñ ibi fuit Angelus, & inde iuerunt in locum flentium: & tamen non fuerunt hæc facta in Galgalis prima vice, quando erat ibi Ioshue cum toto Israel, qa tunc Israelitæ nondum habebant possessiones, ideo assignandum est aliter, & dicendum, q̃ viuente Ioshue aliquanto tẽpore post diuisionem sortium Israelitas communicantibus cũ Chananæis Angelus à Deo missus venit ad increpandum Israelitas super hoc, & apparuit Angelus in Galgala, vbi aliqui habitabant, iussitq; illis, vt conuocarent ad ipsum locũ Ioshue, & totum Israel, cumq; omnes conuenissent, Angelus recessit inde ad locum, qui postea dictus est locus flentium, & ibi eis allocutus est. Et hoc tenet historia scholastica, dicens: Apparuit Angelus Domini in Galgala, & cùm venissent ad eum de finibus suis trãstulit se ad alium locum, & secuti sunt eum. *Ad locum flentium.* Hoc ponitur per anticipationẽ, quia quando Angelus venit ad locum istum non vocabatur locus flẽtium, sed postea vocatus est cùm omnes Israelitæ fleuerint loquente Angelo, & ipsi tunc nominauerũt sic locum, vt patet infrà. In Hebræo habetur. *Ad flentes.* Litera tamen nostra dixit ad locum flentium, quia aliàs esset sensus, quod Angelus venit ad flentes, scilicet quod Israelitæ flebant quãdo venit ad eos Angelus. *Et ait: eduxi vos de Ægypto.* Loquitur Angelus in persona Dei, non q̃ ipse esset Deus, quia Angeli isti apparebant, vt Deus, & populus putabat eos esse Deum, & improperat Israelitis beneficia præstita, qa ipsi debebãt seruare legem Dei cùm benefeciisset eis nimis, & nunc præuaricabantur, ideo reddebant se indignos præstito beneficio. Nominauit aũt hic Angelus duo beneficia solũ, scil. eductionẽ de Ægypto, & introductionẽ in terra Chanaan, qa in his duobus includuntur oĩa particularia beneficia, s. omnia adiutoria præstita in Ægypto, & plagæ inflictæ Ægyptijs, & transitus maris rubri, morsq; Ægyptiorũ in mari, intelliguntur sub eductione de Ægypto: manna aũt collatum in deserto, & aqua de petra, & victoriæ contra hostes, aliaq; singularia bona, deinde pugnæ factæ cõtra reges terræ Chanaan, & apertio Iordanis, & oĩa alia accipiuntur nomine introductionis in terrã Chanaan. *Et introduxi in terram.* Non solùm introduxi, sed & illã ad possidendum dedi deletis hostibus vestris. *Pro qua iurauí patribus vestris.* Scilicet iurauit Abrahę de dando terram Chanaan: nam pepigit cum eo fœdus super hoc, vt patet Gen. 15. & in fœdere interuenit iuramentum: de alijs Patriarchis nõ legitur, quòd Deus iurauerit eis dare terram Chanaan: legit tamen quòd promiserit eam dare illis sub præstito iuramẽto. Sic patet de Isaac Gen. 36. c. scil. tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Dicere autẽ aliquid, vel promittere sub præstito iuramento, vel sub pœna præstiti idem est, ac si de nouo super illo articulo iuramentum præstaretur.

Angelus allo quitur Israelitas in persona Dei.

C

Et pollicitus sum, vt non facerem irritum pactũ meum. Id est promisi eis, quod pactum meũ initum cùm eis non esset frustrà. Ista erat secunda promissio, scil. quod primò iurauit Deus Israelitis, & pepigit cum eis fœdus de dando terrã Chanaan. Posteà autem promisit, quòd ista promissio præcedens non esset inanis, & ista erat confirmatio fœderis.

In sempiternum. Id est, nunquã facerem irritum, qa quod in sempiternũ non fit nunquã fit, sicut dixit Aug. super illo verbo Petri ad Iesum, quod habetur Ioan. 13. scil. Domine nõ lauabis mihi pedes in æternum, id est, nunquàm lauabis.

Quomodo Deus seruaturus erat fœdus cum Iudæis vsq; in sempiternum.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRE T aliquis, quomodo Deus seruaturus erat fœdus cum Iudæis vsq; in sempiternũ, quia dato, quòd Israelitæ seruarẽt ex parte sua id, quod seruaturi erant, nõ maneret istud pactũ in ęternum, cùm Deus disposuisset mutare aliũ statum, s. legẽ veterem in nouã, & quod oĩa antiqua cessarent. Respondendum, q̃ siue Iudæi benè se haberent ad Deũ seruando oĩa, quę lege iussa erant, siue oĩa pręuaricarenẽ semp̃ status Iudaicus mutandus erat, qa non dederat legẽ veterem tanq̃ semper mansuram, sed vt quoddã manuductiuũ ad inducendum posteà legem noui Testamenti. Sic declarat Apostolus ad Galat. 3. & 4. cap. scil. quod lex pędagogus noster fuit in Christo, id est, q̃ erudiuit nos lex Mosaica tanquã pędagogus per timorem, vt posteà reciperemus legem Christi. Et iterum, quod quando eramus in lege veteri, eramus vt paruuli sub elementis mundi seruiẽtes, i. sub rudimentis puerilibus, quæ sunt prima, sicut elementa sunt prima in rebus: dicebantur tamen ea, quæ in lege ponebantur pacta sempiterna, non quod pro semper duratura forent, sed quia magno tempore. Sic patet de circuncisione, Gen. 17. scilicet. quod erat fœdus sempiternũ, & Leuit. 3. dicitur omnis adeps

D

E

F

A Domini erit iure perpetuo: & tamen iſta non erant obſeruanda, niſi quamdiu maneret ſtatus Iudaicus, qui non erat ad ſemper.

Ad rõnem in diuerſum. Ad rationem in contrarium reſponderi poteſt dupliciter: Vno modo, quòd Deus promiſerat, quòd faceret pactum ſuum irritum in ſempiternum, id eſt ad magnum tempus, & tamen, quia ipſi peccabant, citò Deus irritaret pactum. Aliter & melius dici debet, quòd iſtud pactum de dando terram Chanaan Iudæis erat æternum, vt patet Gen. 17. nõ ſolùm ad magnum tempus, imò etiam ad ſemper quando homines viuerent ſuper terram. Et ratio differentię huius pacti, & eorũ, quæ in lege fiunt eſt, quia ea, quæ poſita fuerunt in lege, ſolùm manere debebant, quamdiu duraret ſtatus Iudaicus, & tamen iſte non debebat ſemper durare: ergo nulla lex, aut pactum in æternum extendebatur: quamquam in eo exprimeretur, quòd dabatur in fœdus perpetuum. De promiſſione autem facta de poſſidendo terram Chanaan in æternum ſecùs erat, quia iſta non attinebat ad ſtatum legis: ideo dato, ꝙ tota lex mutaretur adueniente nouo teſtamẽto, poterat manere iſta promiſſio. Vnde dicendum eſt, quòd ſi Iudæi nunquam peccauiſſent ſaltem grauiter, ſicut peccauerunt, etiam ſi Chriſtus adueniſſet tempore ſuo, quo nunc aduenit, & Iudæi omnes relicto Iudaico ritu tenerẽt cæremonias noui teſtamenti, maneret ſemper promiſſio facta illi populo de poſſidendo terram Chanaan, ſcil. quòd nunquam ducti fuiſſent
B captiui ad aliquas nationes, & nullus occupaſſet terram illorum, nec mutaſſet illa gens ſedes ſuas. Et ſic eſſet iſta gẽs inter Chriſticolas cęteros habens aliquid ſpeciale, ſcil. promiſſionẽ de manẽdo & poſſidendo in æternum terrã Chanaan: fuit tñ irritatum fœdus iſtud propter peccata multiplicia Iudæorũ.

Ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cũ habitatoribus terræ huius. Id eſt, & cum iſta cõditione feci pactum iſtud, vt vos non cõponeretis fœdera cũ habitatoribus. Non poſuit Deus iſtam conditionem quando pepigit fœdus de dando terram Chanaan in poſſeſſionem æternam Iſraëlitis, ſed ſimpliciter locutus eſt Geneſ. 15. & 17. cap. intelligebatur tamen in verbis Dei conditio, & ſic eſt generale in omnibus promiſſionibns Dei, & cõminationibus intelligatur, quòd ſi res permaneat in eo ſtatu, in quo erat quando facta eſt promiſſio, vel cõminatio. Sciendum, quòd duntaxat ponitur hic impropriè: nã ſi tenea tur propriè eſt ſenſus, quòd Deus promiſit nõ irritare pactũ ſuum, ita vt Hebræi ſolùm ſeruarent hoc, quòd non inirent fœdera cum habitatoribus terræ huius: & tamen falſum eſt, quia dato, quòd Iſraëlitæ obſeruarent omnia, quæ habentur hic, poterant peccare in multis alijs grauiſſimè, & expelleren tur de terra. Nam Leuit. 26. comminatur Deus omnia mala expulſionis, & captiuationis pro quibuſcunque peccatis, in quibus Iudæi eſſent incorrigibiles: ſed debet accipi, ita duntaxat, id eſt ita tamen, vel ſub hac conditione.

C Sciendum, quòd inire fędus accipitur hic largè, quia propriè initur fœdus, quandocunque intercidit aliquod pactum ſuper re magna, & poſtea confirmatur cæremonijs fœderis, ſcilicet occidendo animalia, & tranſeundo per medias diuiſiones. Hic autem vocatur fœdus quæcunque compoſitio, vel contractus, ſcilicet quòd Iſraëlitæ non debebant accipere vxores de ſtirpe Chananæorum, nec dare illis filias ſuas in vxores, Exod. 34. & Deut. 7. etiam non erant contrahendæ vllæ amicitiæ cum eis, & emptio, & venditio, & alij contractus communes, & quæcunque communicatio erant illicita, ſed tenebantur Iſraëlitæ occidere Chananæos viros, & fœminas quandocunque poſſent nullo interpoſito fœdere pacis, aut ſeruitutis, Deut. 20. cap. *Et aras eorum ſubuertetis.* Scilicet, nõ ſolùm tenebantur Iſraëlitæ occidere Chananæos, vel non communicare cum eis, dum viuerent, ſed etiam tenebantur ſubuertere aras eorum, id eſt, deſtruere altaria illis mortuis, ne deletis Chananæis aræ ſuperſtites eſſent Iſraëlitis occaſio idololatrandi, & per hoc intelligitur excluſio omnis cultus diuini apud Gentiles: nam Deus iuſſerat Deut. 12. quòd excluſis Chananæis de terra Iſraëlitæ non inquirerent cęremonias eorum dicentes, ſicut coluerunt Gentes iſtæ deos ſuos, ita & ego colam.

Et noluiſtis audire vocem meam. Id eſt, noluiſtis obedire mihi. Ex quo patet eos nimis reprehenſibiles, & beneficijs indignos: tum quia præcepta erant rationabilia, & debebant eis obedire etiam nullo alio intercidente: tum quia Deus benefecerat eis, & ex hoc magis tenebantur ei ad mandata, vt ipſe D inducebat Exod. 19. *Cur hoc feciſtis?* Poteſt teneri interrogatiuè, ſcilicet quare feciſtis hoc? q. d. non habebatis aliquam cauſam ad faciendum: ideo malè egiſtis. Vel poteſt teneri cauſaliter pro quia, ſcilicet quia feciſtis hoc, nolui delere gentes à facie veſtra. *Quamobrem.* Scilicet, quia vos irritum feciſtis pactum meum, ego quoque irritaui pactum quod vobiſcum pepigeram. *Nolui delere eos à facie veſtra.* Scilicet occidendo eos vel expellendo de terra.

Quomodo Deus dicit: quamobrem nolui delere eos.

QVÆSTIO V.

QVÆRET aliquis, quomodo Deus dicit: Quamobrem nolui delere eos, quia videtur Deus ponere idẽ pro pœna quod erat culpa: fuit enim culpa Hebræorum, quòd nolue rint delere Chananæos, cùm poſſent, & dicit nunc Deus, ꝙ ipſe noluit propter hoc delere eos à facie ipſorum.

Reſpondendum, quòd Deus iuſſerat Iſraëlitis non communicare cum Chananæis, & expellere eos de terra quando poſſent, & tunc Deus promiſerat, quòd daret Hebræis vires ad expellendum eos de terra, vt patet Ioſue 13. ſcil. Ego ſum, qui delebo eos à facie filiorum Iſraël. Et ſi Iſraëlitæ nollent occidere Chananæos, cùm poſſent, Deus cõminatus fuerat, quòd conuerteret mala ſuper Iſraëlitas, & quòd ipſi Chananæi offenderent Iſraëlitas, vt patet Num. 33. ſcil. ſi autem no- E
lueritis interficere habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ, & quidquid facere illis cogitaueram, vobis faciam. Idem patet Ioſue 23. ca. Vnde cùm Iſraëlitæ à principio potuiſſent expellere Chananæos de terra, & noluerũt Deus ſuſcitabat in eos hoſtes acerrimos Iſraël, & tunc vellent libenter Iſraëlitæ excludere Chananæos de terra, & non cõmunicare illis: ſed Deus dabat illis vires ad præualendum cõtra illos in pœnam delicti eorũ, ſcil. quia no luerũt expellere eos, quãdo poterant. Et hoc dicitur hic, ſcil. Nolui delere eos à facie veſtra, id eſt nunc nolo delere eos, etiamſi vos velitis, quia vos irritaſtis pactum meum, & in hoc Deus irritabat pactum ſuum, quia ipſe promiſerat tradere to tam terram Chanaan Iſraëlitis, & excludere omnes gẽtes de conſpectu eorum. *Et habeatis hoſtes.* Aliqui legunt literam iſtã conſecutiuè, & non finaliter, ſcil. quòd non dereliquit Deus Chananæos in terra ad hanc intentionem, vt haberent Iſraëlitæ hoſtes: ſed dereliquit gentes, & ex hoc conſequebatur, ꝙ haberent hoſtes manentibus eis in terra: legenda tamen eſt litera finaliter, quia intentio Dei fuit punire Iſraëlitas pro peccato, & fuit iſta pœna ſuſcitando illis Chananæos in hoſtes. *Et dij eorum ſint vobis in ruinam.* Iſta litera eſt legenda obſecutiuè, ſcil. quia non dereliquit Deus Chananæos in terra ad hanc intentionem, vt Iſraëlitæ haberent occaſionem peccandi in dijs illorum, ſed dereliquit eos, & ex hoc conſequebatur, quòd dij Chananæorum eſſent in ruinam Iſraëlitis communicando cum Chananæis. Et ratio eſt, quòd iſta clauſula legatur conſecutiuè, & ſuperior finaliter, quia ſuperior importat pœnam ſolùm. Iſta autem importat directius culpam, quàm pœnam. Deus autem non vult culpam, pœnam autem vult, quia illa bona eſt, ideo pœna poteſt poni, vt finis, culpa autem nequaquam: dij autem Chananæorum erant in ruinã Iſraëlitis, quia manentibus in terra Chananæis viderent Iſraëlitæ altaria, & deos Chananæorum, & inclinarentur ad colendum eos, & iſta erat ruina in culpam, ex qua ſequebatur ruina in pœnam, ſcilicet, quia Deus nimis acriter vindicabat in Iudæos, cùm colerent deos alienos. F

Chananæorũ dij erãt in ruinã Iſraelitis.

Sciendum, quòd Deus poſuit hic duo mala cõtra Iudæos, ſcil. quòd haberent hoſtes, & quòd dij Chananæorum fierẽt eis in ruinam, & hoc propter duas tranſgreſſiones, quas fecerunt Iſraëlitæ: nam Deus iuſſit, quòd nullo modo componerent fœdera, vel amicitias cum Chananæis. Secundò iuſſit, quòd deſtruerent altaria eorum, & vtrumque præuaricati ſunt. Contra primum Deus dedit in pœnam, quòd haberent Chananæos in hoſtes, quia cõtra voluntatem, & præceptum Domini voluerant eos habere in amicos. Contra ſecundum fecit, quòd Iſraëlitæ haberent occaſionẽ peccandi, & conſequenter recipiendi pœnã propter deos Gentiliũ, & hoc, qa Deus dixerat, ꝙ aras eorũ ſubuerterẽt, & noluerunt.

A

Cumq; loqueretur angelus Domini. Id est, cùm finiuisset loqui verba hæc.

Quare vocatur iste hic angelus, cùm sacra Scriptura consueuerit Deum vocare quemlibet angelum.

QVÆSTIO VI.

QVÆRET aliquis, quare vocatur iste hic angelus, cùm sacra Scriptura consueuerit Deum vocare quemlibet angelum apparentem, & loquentem, vt patet ex toto discursu librorum Moysi.

Respondendum, quòd sacra Scriptura curauit nimis tollere Iudæis occasionẽ idololatrandi: erant autẽ nimis prompti ad idololatriam, cùm mansissent in Ægypto, vbi tota gens colebat statuas tanquam deos, & quia si dictum fuisset Israëlitis, quòd Deus suus erat corporeus habẽs aliquam effigiem rerum, quæ sunt, feciſſent ei imaginem ad colendum illum, & illam imaginem colerent, in quo idololatrarent. Noluit dicere Scriptura Deum habere imaginem, ideo quandocunque aliqui angeli loquebantur Israëlitis ex parte Dei, nõ apparebant in aliqua forma corporeitatis, sed solùm audiebatur vox, & ipsum corpus quod ipsi assumpsissent ad loquendum velabant intra caliginem nubis, vel fumi. Et ista fuit causa, quare fiebant apparitiones angelorum in nube, vel igne, aut fumo, vel in loco abscondito, sicut in propitiatorio super arcam, vt non videretur corpus assumptum. Et tunc vocabãtur isti Deus, nec erat aliquod periculum, quia ex hoc Iudæi non insurgerent ad fabricandum aliquam imaginẽ, eo quòd nullam vidissent figuram: nunc autem angelus iste apparuit manifestè in figura humana, vt à toto populo cerneretur, & verba eius attenderentur, & tunc si Scriptura vocasset hunc Deum, cùm vidissent eum Israëlitæ sub humana effigie, putassent Deum corporeum esse, & fingerent ei statuam, ideo non vocatus fuit Deus, sed angelus. In angelis autem nõ erat periculum, quod apparerent in humana effigie, quia illi non iubebãtur coli, & cõsequenter non fierẽt eis imagines. Quòd aũt ista esset intentio Scripturæ patet ex verbis Moysi Deut. 4. dissuadentis Israëlitis fabricationem imaginum ad colendum, cùm ait: Custodite solicitè animas vestras, non vidistis aliquam similitudinẽ in die, qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, vel imaginem masculi, vel fœminæ, &c. Ideo attendendum diligenter, quòd Scriptura solicitè obseruauit istam consuetudinem, scil. quòd vbicunq; angelus apparens manifestè apparebat sub aliqua effigie, Scriptura sacra vocat eum angelum, vbi autem apparebat sine similitudine, vocat eum, vt communiter Deum, quanquã rarò vocet angelum. De primo patet, quia angelus Domini apparet Agar fugiẽti, & quia ipsa vidit eum, vt patet Gen. 16. scil. Profectò hic vidi posteriora videntis me: propter hoc appellauit puteum illum puteum videntis, & viuentis: & ibi non vocatur Deus sed angelus. Sic etiam patet infrà 6. de Gedeone, cui apparuit angelus in effigie humana, ita vt Gedeon putaret illum virum, & Scriptura vocauit ibi eum angelũ, & nõ Deum. Sic etiã patet de Manue patre Samsonis, cui apparuit angelus Dei in effigie viri, & postea constitit eum non esse virum: Scriptura tñ non vocauit eum Deũ, sed angelum, vt patet infrà 13. c. De secundo apparet per totum discursum librorum Moysi, & vet. test. in quibus sæpè dicitur Deum locutum fuisse aliqua, & intelliguntur omnia illa de angelo, quia Deus nunquã loquitur. Quòd autem angelus non apparet, interdum vocetur angelus, patet Exod. 14. vbi dicitur, quòd angelus, qui præcedebat in columna nubis, trãstulit se in posteriorem partem castrorum, & tamen ille angelus non videbatur: primum tamen semper stat inconcusse, scilicet quòd angelus, qui videbatur, nunquam vocatur Deus, sed angelus.

Quare angeli loquentes Israelitis ex parte Dei nõ apparebant in alia forma corporea.

B

Quare angelus, qui dedit legem in monte Sinai, apparuit sine effigie, & vocatur Deus, & angelus, de quo hic, apparuit in humana effigie, & vocatur angelus.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Scriptura vocet angelũ apparentem in humana effigie, & angelum apparentẽ sine effigie vocat Deum, cur apparuit angelus in datione legis sine effigie, & hic in effigie, scil. quare ambo non apparuerunt sine virorum effigie, vel ambo cum effigie.

Respondendum, quòd quanquã generale sit, quòd quandocunq; aliquid ex parte Dei hominibus dicitur, vel aliquid fit cum eis, quod non fit per Deum, sed per angelum, quia hoc non congruit dignitati Dei, nec etiam est possibile, cùm omnia ista fiant per motum, qui in Deo esse impossibile est: tamen quædam sunt operationes, quę pertinent ad magnam potentiam, & dignitatem: & alia sunt, quæ importãt nudum ministerium. Quantum ad primas operationes licèt angeli illas efficiant, tamen nõ dicuntur illas ipsi efficerẽ, sed Deus, quia tunc susciꝑientes ista magna beneficia inclinarentur ad colendum totaliter angelos, vel ex parte propter hæc. Sic fuit in datione legis. Nam legem condere est maximæ potestatis, & ei tota politia subiecta est, qui ei leges imponit. Si igitur Iudęi putassent leges datas sibi per angelum, credidissent, quòd illi obediendum foret, ideo angelus in datione legis vocauit se Deum, dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non habebis deos alienos coram me, Exod. 20. Et qa iste actus legislatiõis erat maximæ potestatis, Moyses conatus est persuadere Israëlitis istum fuisse Deum, quod patet Deut. 4. c. ex verbis suis, cùm vult probare, quòd nõ debebat fieri aliqua sculptura ad exprimendum Deum, ait: Custodite solicitè animas vestras, non vidistis aliquam similitudinẽ in die, qua locutus est Dominus in Horeb: quasi dicat, quia Deus nõ habet aliquam similitudinem, nec vos vidistis eam, non debetis facere imaginem. Si tamen Moyses præsupposuisset, quòd iste erat angelus, non oportebat, quòd sic argueret, quia dato, quòd apparuisset in aliqua effigie Dei, qua locutus est in Horeb: non sequebatur, quòd Deus haberet effigiem, quia ille non erat Deus, sed angelus. Dicendum ergo, quòd quanquam Moyses sciret illum esse angelum, tñ conabatur persuadere illum esse Deum populo rudi, ne haberet occasionem errandi colendo angelos. Sic enim fuit ante eductionẽ Israëlitarum de Ægypto, quia angelus apparuit Moysi in rubo flammãti, & incombusto, & dixit, quòd audierat clamorẽ populi sui, & quòd volebat liberare illum de manu Ægyptiorum, & tamen iste vocatus est Deus, Exod. 3. quia liberatio ista erat magnum beneficium: & si Moyses nunciasset Israëlitis ista dicta fuisse per angelum, credidissent illum esse, quẽ colere debebant pro tanto bono: ideo Scriptura vocauit eum Deum. Alij actus sunt paruæ dignitatis, & potestatis, sed important nudum ministerium, & tunc angeli missi vocãtur angeli, & non Deus. Sic patet de columna præcedente Israëlitas in via, quia illa mouebatur ab angelo, & quia mouere illam erat purum ministerium, vocauit Scriptura illum angelum, Exod. 14. c. Sic etiã fuit hic, quia iste angelus solùm veniebat ad increpandum Israëlitas de transgressione legis, & monendum eos ad bonum. Hoc autem erat ministerium solùm, ideo Scriptura vocauit eum angelum, & consequenter oportuit, vt angelus, qui dedit legem, & qui locutus est in rubo apparerent sine effigie, vt possint vocari Deus, & angelus iste cum deberet vocari angelus, poterat apparere in humana effigie. Sic est de angelo apparente Gedeoni, & de angelo Manue. Nam illi nudum ministerium exercebant, & poterant vocari angeli, & apparere in corpore.

C

Eleuauerunt vocem suam ac fleuerunt. Iste fletus fuit propter duo. Primò ex contritione, scilicet, quia dolebant se peccasse contra Deum. Secundò timore pœnæ, scilicet, quia Deus cõminatus fuerat mala, id est, quòd Chananęi manerent in terra, & essent hostes eorum. *Et vocatum est nomen loci illius flentiũ, & lachrymarum.* Nomen istud ab euentu positum est, scilicet, quia ibi lachrymati sunt Israëlitæ, sicut Galgala ab euentu sic dicta est, quia ibi præputia abscissa sunt, Iosue 5. cap. *Immolauerunt q; ibi hostias Domino.* Scilicet, quia angelus apparuerat, & vt Deum sibi placarent.

Duplici de causa fletus Israelitarum fuit.

D

E

F

Quomodo Israëlitæ potuerunt Domino in loco flentium immolare: an in hoc peccauerunt.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRET aliquis, quomodo Israëlitæ potuerunt immolare Domino in loco flentium, & an peccauerunt in

A hoc:nam iussum erat, quòd non fieret immolatio extra locũ Sanctuarij sub pœna mortis,vt patet Leuit.17. & Deuteron. 12.Aliquis fortè dicet, quòd Israëlitæ peccauerunt in hoc,sicut in multis alijs Deum offenderant.

Sed dicendum, quòd non stat, quia Iosue erat nunc præsens,cùm dicatur immediatè, quòd dimisit Iosue populũ, & abierunt singuli in possessiones suas:ipse tamen non permitteret populo agere contra legem. Item cùm angelus nunc increpasset Israëlitas de præuaricatione legis, non est verisimile,quòd immediatè eo recedente contra illam agerent. Item Scriptura signat hic, quòd postquã iste angelus locutus fuit plebi,semper seruierunt Israëlitę Deo vsq; ad magnum tempus post mortem Iosue, cùm dicitur infrà:Seruieruntq; Domino cunctis diebus eius, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore: ergo nunc non peccauerunt immolando hic. Dicendum, quòd antequam tabernaculum Domini figeretur in Silo,licitum erat immolari vbicunque, vel facere quascunq; cæremonias, aut eas omittere, eo quòd nondum obligabat lex,sicut in deserto, quia nondum data erat pax,vt patet Deut.12.cap. Postquam tamen fixum est Sanctuarium, peccatum erat alibi immolare: nunc autem fixum erat Sanctuarium in Silo, cùm iam Israëlitæ haberent possessiones: quod tamen non fuit vsquequò locatum est tabernaculum in Silo,vt patet Iosue 18. ergo regulariter peccatum erat alibi immolare,sed fuit hic casus specialis.

B Sed aliquis dicet, quòd nondum erat fixum Sanctuarium in Silo, ideo quòd generaliter licebat fieri immolationem vbicunque. Quod patet,quia dicitur infrà,quòd dimisit Iosue populum, & abierunt vnusquisque in possessionem suam,vt obtinerent eam,ergo nondum habebant possessiones, & cõsequenter non erat locatum tabernaculum in Silo.

Respondendum,quòd erat ibi locatum tabernaculum,& Israëlitæ habebant possessiones iam diuisas. Quod patet,quia dicitur: Et abierunt filij Israël vnusquisque in possessionem suam,ergo quilibet habebat possessionem, quod erat impossibile,nisi totalis diuisio sortium facta fuisset.Cùm autem dicitur,vt obtinerent eam:dicendũ quòd non signatur ex hoc, quòd nondum habebant possessiones, sed quòd nondum plenè erant obtenta de manu hostium. Nam magnam partem earum tenebant hostes,& hoc nõ solùm fuit viuente Iosue,imò etiam tempoee iudicum, & regum vsque ad Salomonem. Nam nondum erant obtentæ possessiones, & expulsæ gentes de terra:erat ergo regulariter iam peccatum immolare extra locum Sanctuarij:fuit tamen casus specialis, & erant duo,scilicet reuelatio diuina, & apparitio angelica. Primus est,si Deus reuelaret alicui, quòd immolaret hic, vel ibi,poterat licitè hoc facere, quia Deus dispensabat in lege. Secundus erat ex apparitione angelica: nam apparente aliquo angelo, & nunciante aliquid ex parte Dei, licebat in loco ipso apparitionis Deo immolari sacrificia. Sic fuit in Gedeone,nam

C ipse dixit angelo:Non recedas hinc, donec reuertar ad te portans sacrificium,& offeram tibi.Qui respondit:Ego præstolabor aduentum tuum, & tunc venit Gedeon ferens carnes,& azymos panes,& angelus cremauit omnia,tangens illa virga, vt patet infrà 6. & sic angelus approbabat sacrificium quod facere volebat Gedeon extra locum Sanctuarij in loco apparitionis suę:& non solùm angeli hoc approbabant,sed interdum illud iubebant,vt patet infrà 13.de Manue,qui ait ad angelum:obsecro, vt acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris,cui respondit:si me cogis nõ comedam panes tuos:si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino:& tunc fecit illud, & angelus ascendit in flamma:ergo angeli approbabant ista sacrificia, & inducebant homines ad faciendum:angeli tamen non inducunt ad illicitum, ergo licitum erat in loco apparitionis angeli fieri sacrificium: quamquam non esset ibi Sanctuarium.Sic autem fuit hic, nam apparuit angelus in loco illo, ergo non peccauerunt immolando extra Sanctuarium.

An Iosue peccârit permittendo Israëlitas communicare cum Chananæis.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlteriùs, an Iosue peccauerit permittendo,quòd Israëlitæ communicarent cum Chananæis, & non subuerterent altaria eorum: eo namque viuente ista facta sunt. Et videtur, quòd sic, quia Deus constituerat Iosue principem super totum Israël,vt obedirent ei in omnibus,vt patet Num.27.& Moyses hortatus fuerat eum nimis,vt faceret custodiri legem Dei,Deut.31.ca. Deus quoque post mortem Moysi solicitè iussit ei obseruare legem Moysi, & populo obseruãdam mandare,vt patet Iosue 1.quòd ergo ipse permitteret Israëlitas præuaricari legem Dei, peccatum magnum erat. D

Respondendum, quòd tempore Iosue Israëlitæ præuaricati sunt legem Dei antequam angelus iste increparet, & si hoc factum fuisset ex negligentia Iosue nõ curantis adhibere disciplinam, grauiter peccasset: ipse tamen solicitè agebat quantum poterat inducendo semper Israëlitas ad custodiẽdam legem, & semper congregabat eos ad exhortandum illos super hoc: ideo duæ congregationes solennes factæ leguntur, vt patet Iosue 23.& 24.Et vt fortius stringeret Israëlitas ad colendum Deum, inducebat eos ad faciendum super hoc publicam promissionem, & confirmandum eam fœdere. Sic factum est semel,vt patet Iosue 24.cap.Præter hęc specialiter hortatus fuit Iosue Israëlitas super his duobus, de quibus nunc increpuit angelus eos, scilicet quòd non communicarent cum Gentilibus terræ, nec colerent deos eorum,vt patet Iosue 23. cap. scilicet, postquam intraueritis ad gentes,quę inter vos futurę sunt,non iuretis in nomine deorum earum,nec seruiatis eis,aut adoretis illos. Et postea dicitur,quòd si volueritis Gentium harum, quæ inter vos habitant,erroribus adhærere,& cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non deleat eas ante faciem vestram, sed vobis erunt in foueam,ac laqueum,& cætera. Iosue ergo quantum in se fuit fecit, vt Israëlitæ non peccarent,non præualuit tamen, quia tota multitudo erat in contrarium, quam ipse non poterat corrigere,sed solùm admonere:si autem aliquæ personæ priuatæ, & raræ hoc fecissent,poterant corripi per Iosue:non ergo peccauit ipse ex negligentia. E

Cur Iosue non pugnabat contra Israëlitas peccantes.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR vlteriùs, dato quòd isti peccantes multi essent, cur non pugnabat contra eos Iosue cum reliqua multitudine populi: sic enim facere volebant contra duas tribus,& dimidiam. Nam recedentibus duabus tribubus & dimidia à Iosue, & fabricantibus altare apud Iordanem, putauerunt reliqui Israëlitæ, quòd vellent illę recedere à lege Dei,ideo fecit Iosue parari ad pugnam tribus nouem, & dimidiam contra duas & dimidiam ad delendum eas, nisi constitisset, quòd non fuerat fabricatum altare ad idololatriam, vt patet Iosue 22.c.sic ergo debuisset pugnare hic. F

Respondendum, quòd Iosue non potuit hic pugnare cõtra peccantes,quia in casu allegato duæ tribus solùm & dimidia erant peccantes. Reliquus autem Israël erat immunis à culpa,& volebat gratis pugnare contra præuaricatores, vt patet Iosue 22. cap. Hic autem erant omnes Israëlitæ peccantes: nam non erat tribus,quæ non communicaret cum Chananæis, & permitteret eos viuere in terra sua sub tributa,vt patet præcedenti cap. vbi dicitur de singulis tribubus, quòd noluerunt delere Chananæos habitatores terræ suę,sed fecerunt eos sibi tributarios:non ergo haberet Iosue aliquos,qui adiuuarent eum ad pugnandum contra præuaricatores, ideo videns hoc Iosue,non procedebat per modum correctionis, nec minarum,quia hoc non poterat,sed per modũ suasionis. Sic patet Iosue 24. scilicet: Eligite vobis hodie quod placet, cui potissimùm debeatis seruire,vtrùm dijs,quibus seruierũt patres vestri in Mesopotamia,an dijs Amorrhæorum,in quorum terra habitatis.Ego autẽ,& domus mea seruiemus Dño. Non ergo peccauit Iosue agens quantum in se erat.

Dimisit ergo Iosue populum,& abierunt filij Israël vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam: seruieruntq; Domino cunctis diebus eius, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia

Linea Thebe° optimo music°.

A

omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israël. Mortuus est autem Iosue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum, & sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thannathsare in monte Ephraim à Septentrionali plaga montis Gaas. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: & surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel. Fecerunt que filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserunt Dominum Deum Patrum suorum, qui eduxerat de terra Ægypti: & secuti sunt deos alienos, deosque Populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos: & ad iracundiam concitauerunt Dominum, dimittentes eum, & seruientes Baal, & Astaroth.

Amphion musi9 claret.

Breuis materia lib. huius præliba tio.

Dimisit itaque. Hic ponitur secundum principale huius capituli, scilicet breuis materiæ totius libri huius prælibatio. Nam in summa continetur vsque ad finem capituli huius, quidquid habetur vsque ad finem libri. Et diuiditur in quatuor partes, quia primò ponitur fœderis renouatio. Secundò fœderis præuaricatio, ibidem. *Et surrexerunt alij.* Tertiò præuaricationis vltio, ibidem. *Iratusq; Dominus.* Quartò vltionis releuatio, ibidem. *Suscitauitq; Dominus iudices.*

B

Circa primum considerandum, quòd Iosue fecerat cum Israëlitis pactum, quòd seruarent legem Dei, vt patet Iosue vlt. deinde præuaricati sunt illud communicando cum Chananæis: nunc aũt increpiti ab angelo redierunt ad obseruãdum pristinum fœdus, & ista erat renouatio fœderis in iteratione non in obseruatione.

Dimisit ergo Iosue populum. Id est, dedit illis licentiam recedendi: nam Iosue, qui erat princeps, fecerat omnes congregari ad audiendum verba angeli, & disparente angelo nõ ausi sunt recedere Israëlitæ, quousque Iosue daret eis licentiam & abierunt filij Israël vnusquisque in possessionem suam, scilicet iam diuisa fuerat tota terra per sortes, & quælibet tribus habitabat in sorte sua, ideo singuli potuerunt hinc ire ad possessiones suas.

Quomodo Israëlitæ ad locum flentium ad angeli verba audienda nunc congregari potuerunt.

QVÆSTIO XI.

C

QVÆRET aliquis, quomodo potuerunt nunc congregari Israëlitæ ad locum flentium ad audienda verba angeli? nam manerent vacuæ ciuitates, & caperentur à Chananæis? Respondeti potest dupliciter: Vno modo, quòd non erant hic congregati omnes viri Israël, sed magna pars eorum de principalibus: omnes autem alij manebant in vrbibus, vt isti custodirent eas, ne caperentur à Chananæis: sic enim factum est in alia congregatione, quam fecit Iosue: nam dicitur congregasse omnes tribus Israël, & tamen solùm venerunt principales, vt patet Iosue 24. scilicet: Congregauitque Iosue omnes tribus Israël in Sichem, & vocauit maiores natu, & principes, & magistros, & iudices, stetitq; in conspectu Domini. Aliter posset dici, quòd dato, quòd conuenissent omnes Israëlitæ ad audiendum verba angeli nullo prorsus manente in vrbibus, non timebant, quòd hostes inuaderent vrbes eorum, quia Deus incuteret eis tunc timorem, vt non auderent venire ad ciuitates Hebræorum. Sic fiebat in tribus festiuitatibus anni: nam tunc ascendebant omnes Iudæi in Sãctuarium nullo manente in vrbibus, & tamen hostes non ascendebant tunc ad capiendam vrbem aliquam in terra eorum. Sic patet Exod. 34. scil. Cùm tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. *Vt obtinerent eam.* Id est, ibant singuli Israëlitæ ad acquirendam possessionem suam de manu hostium: nam licèt assignatæ essent sortes, nõdum erat obtenta tota terra de manu hostium, sed quædam particula. Et dicitur, quòd ibant ad obtinendum, ad significandum, quòd Israëlitæ recedebant à peccatis pristinis, de quibus angelus eos increpuerat: erat autem vnum peccatum, quod communicabant cum Chananæis, & permittebãt eos manere in terra sub conditione tributi: nũc autem ibant ad obtinendum terram, scil. quòd iam nolebant communicare Chananæis, nec habere illos tributarios, sed obtinere terram de manu eorum. *Seruieruntq; Domino cunctis diebus eius.* Scilicet, postquam increpiti sunt nunc ab angelo: nunquam redierunt ad peccata priora, dum uiueret Iosue, eo quòd ipse corrigebat peccantes, & hortabatur totum populum solicitè ad seruandam legem Dei, vt patet Iosue 23. c. Sed quanto tempore vixerit Iosue post istam increpationem angeli, non patet. *Et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore.* Non solùm tempore Iosue, sed etiam aliorum virorum post mortem Iosue. Isti seniores vocantur quidam viri grandæui, & prudentes, & magnæ auctoritatis in populo: quorum admonitioni populus assentiebat, sicut verbis Iosue. Et sic tempore eorum nõ peccauit populus, scil. publicè, vel saltẽ totus populus nõ declinauit à lege, licèt aliqui specialiter & occultè declinarent. Nam peccatum illorum non vocatur peccatum populi. *Et nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israël.* Quasi dicat, ex hoc quòd isti cognouerant beneficia collata populo à Deo, inclinabãtur magis ad colendũ eum, & inducebant populũ ad hoc, commemorando beneficia præstita: isti senes erant, qui fuerunt in deserto, & viderunt mala, quæ passi sunt Israëlitæ, à quibus Deus liberauit eos tam in ipso deserto, quàm postea in introitu in terram Chanaan.

D

E

Qui fuerint seniores, qui vixerunt longo tempore post Iosue, &c.

QVÆSTIO XII.

QVÆRET aliquis, qui fuerunt isti seniores, qui vixerũt longo tempore post Iosue, & quanto tempore post vixerunt. Aliqui respondent, quòd isti fuerunt iudices, qui surrexerunt post Iosue: nam isti fuerunt in magna auctoritate, sicut Iosue, & dum ipsi iudicabant populum non peccauit Israël: isti autem vixerunt magno tempore, quia durauit tempus horum plus quàm 300. annis, vt patet colligendo omnia tempora iudicum per annos singulorum. Sed hoc non stat, quia hic describitur tempus, in quo Israëlitæ non peccauerunt post increpationem factam ab angelo: ante tamẽ quàm insurgerent iudices, peccauerunt Israëlitæ, vt patet seq. c. ergo non sunt ipsi seniores, de quibus hic dicitur. Item iudices non introducti fuerunt nisi propter mala, quæ patiebantur Israëlitæ propter peccata, vt patet infrà in litera: ergo quando inceperunt iudices, iam transierat tempus istorum seniorum. Item patet, quòd nõ sint iudices, quia hic dicitur, quòd isti seniores nouerant omnia opera, quæ fecerat Dominus cum Israël: iudices autem non nouerant, quia hic fuerunt ipsi, non in deserto, nec in introitu in terram Chanaan, & plurimi illorum nihil viderunt de mirabilibus, quæ Deus fecit cum Israël: ergo erant alij.

F

Doc. re spon. ad quæsit.

Respondendum ergo, quòd isti seniores fuerunt aliq viri magnæ auctoritatis coætanei, vel quasi coætanei Iosue, qui dum viueret Iosue, tenebãtur à populo in magna reputatione. Hi nati sunt in Ægypto, vel in deserto: nam potuerunt nasci in Ægypto, dum tamen in exitu de Ægypto nondum essent viginti annorum: nullus autẽ de complentibus viginti annos, vel quasi in exitu de Ægypto introiuit in terrã Chanaan præter Iosue, & Caleb, vt patet Num. 14. & 26. cap. poterãt ergo isti vidisse plagas, quas Deus intulit Ægyptijs propter Israël, & transitum maris rubri, & mortem Ægyptiorũ, & omnia beneficia collata in deserto, & ista erant omnia opera Domini, quę fecerat cum Israël. Quòd autem isti essent de coætaneis Iosue patet, quia infrà dicitur: Mortuus est Iosue, & sequitur: Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos, scilicet omnis generatio illius temporis. Et agitur de senioribus ibi: quod patet, quia immediatè sequitur: Surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum, & opera, quæ fecerãt cum Israël, scilicet, qui nõ erant contemporanei Iosue, & non potuerunt videre illa, sed nati sunt in terra Chanaan. De tempore autem longo, de quo hic dicitur, quòd vixerunt isti seniores post Iosue: dicendum, quòd non fuerunt multi anni: nã cùm omnes isti essent coætanei Iosue, & vidissent omnia, quæ Deus fecit in deserto: non poterant viuere

magno

A *Ab exitu de Ægypto vsq; ad ædificationem tẽpli Sal. fluxerũt anni 480.*

magno tempore post Ioſue,& fortè non fuerunt anni triginta post mortem Ioſue. Quod patet, quia à tempore exitus de Ægypto vſque ad ædificationem templi Salomonis fluxerunt ſolùm anni quadringenti octuaginta, vt patet 3. Reg.6. cap.qui colliguntur ſufficienter computando annos,quibus dicuntur regnaſſe reges,& iudicaſſe iudices, & computando quadraginta annos manſionis Iſraëlitarũ in deſerto,ita quòd oportet tempora Ioſue, & iſtorum ſeniorum includi ſub quadraginta annis, quibus dicitur quieuiſſe terra ſub Othoniele,vt patet ſequenti cap.alioquin ſi prẽter tempora Othonielis aſſignamus tempora pro Ioſue,& ſenioribus,qui poſt eum fuerunt neceſſe eſt, quòd ab exitu de Ægypto vſque ad conſtructionem templi fluxerint plures, quàm quadringenti & octuaginta anni,quod eſt contra id, quod habetur 3. Reg. 6. cap.ergo cùm iſti quadraginta anni,qui attribuuntur Othonieli conueniant ei, & Ioſue, & ſenioribus, qui poſt eum vixerunt:non poſſumus aſſignare his ſenioribus multos annos durationis: Scriptura tamen interdum vocat longum tempus decẽ, vel duodecim annos, vel pauciores. Sic dixit Ioſue ad duas tribus,& dimidiam:Feciſtis omnia,quæ prẽcepit vobis Dominus, mihi quoque in omnibus obediſtis, nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore, vt patet Ioſue 22. & tamen illud tempus non fuit ſeptem annorum ſecundùm Ioſephum 5.Antiquit.

B *Caleb fuit Ioſue coætaneus*

Credendum eſſe autem,quòd vnus de his ſenioribus fuerit Caleb, qui vixit poſt mortem Ioſue: & fuit dux tribus Iuda in bellis,vt patet præcedenti cap.ipſe enim fuit coætaneus Ioſue,& vidit omnia opera, quæ fecit Dominus cum Iſraële. Nam erat maior vigeſimo anno, quando egreſſus eſt de Ægypto, & poſtea cum ipſo Ioſue miſſus eſt in exploratorem, vt patet Nu.13.& Ioſue 14. alij etiam ſimiles fuerunt,qui non multis annis poſt Ioſue mortui ſunt, quibus dum viuerent, obediuit populus,& non declinauit ad idola, nec præuaricatus eſt legem. *Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun.* Hoc dicitur ad differentiã,quia alij vocabãtur Ioſue:& dicitur hoc de morte Ioſue per recapitulationẽ ad ponendũ cauſam introductionis Iudicum: nam de illa ſuprà poſitum fuerat Ioſue vlt. cap. *Famulus Domini.* Scriptura teſtatur, quòd fuerit famulus Dei, quia fuit valdè attentus ad obſeruandam legem, & credidit nimis Deo: fecitq; Deus per manum illius mirabilia magna. *Centum viginti annorum.* Iam diminuta erat ętas humana,& rari excedebant has metas. *Mos ſepeliẽdi Hebræorum.* *Sepelieruntq; eum in finibus poſſeſſionis ſuæ*, Scilicet in agro ſuo. Tunc temporis non ſepeliebantur homines intra vrbes in templo, vel in cœmeterijs communibus, ſed quilibet ſepeliebatur in agro ſuo extra vrbem, vel in mõtibus:& locus ille,in quo ſepeliebatur erat ſacer. Iſtum etiam modum tenuerunt Gentiles in ſepeliendo, vt patet in legibus humanis,ff.de ſepulchro violato,&.ff.de religioſis,& ſumptibus funerum. Vel accipiebat aliquis paterfamilias agrum,& ſepeliebatur ibi: dedicabatque illum in ſepulturam totius cognationis, & poſteritatis ſuæ:ſic fecit Abraham,qui emit agrum ab Ephron Hethæo ad ſepeliendum vxorem ſuam,Geneſ. 23. & poſtea ſepultus eſt ipſe ibi, & vxor ſua, & Iſaac,& Rebecca, & Iacob, & Lia, vt patet Geneſ.49.cap. *In Thamnathſare.* nomen ciuitatis eſt, quam accepit Ioſue in poſſeſſionem: nam poſtquam totus Iſraël acceperat poſſeſſionẽ, ipſe petijt, vt daretur ei ciuitas Thamnathſare, quæ erat in ſorte Ephraim tribus ſuæ: & aſſignata fuit ei, vt patet Ioſue 19.cap.Hebræi dicunt quòd Thamnathſare vocatur ſic,quia interpretatur ſimilitndo,vel imago ſolis:& dicunt quòd mortuo Ioſue ſuper ſepulchrum ſuum fuit factum quoddam ſimulachrum ſolùm marmoreum, vt omnes tranſeuntes cognoſcerent gloriam viri illius,ad cuius preces Deus fecerat ſtare ſolem,& dolerent de morte eius,quòd talis vir periret.Sed hoc non ſtat,quia iſta ciuitas non fuit vocata Thamnathſare poſt mortem Ioſue, ſed etiam quãdo ipſe accepit eam in poſſeſſionem,ſic vocabatur, vt patet Ioſue decimo nono. Item ſi propter imaginem debet imponi iſtud nomen, non fuiſſet poſitum vrbi ſed ſepulchro, quod ſimulachrum factum eſt in ſepulchro,& ipſum ſepulchrum erat extra vrbem,quia intra vrbem nemo ſepeliebatur. Quod patet,quia dicitur in finibus poſſeſſionis ſuæ.Cùm autem dicitur, quòd ſepultus eſt in Thamnathſare,eſt ſenſus, id eſt in territorio Thamnathſare:quia ea,quæ ſunt in territorio dicuntur eſſe in vrbe. Sic patet Ioſue 5.vbi litera noſtra dicit, quòd cùm Ioſue eſſet in agro Iericho apparuit ei Angelus,& in Hebræo dicitur:Cùm eſſet Ioſue in Iericho.Et tamen manifeſtũ eſt, quòd non erat tunc in Iericho,quia nondum capta erat.

C *Thamnathſare quid*

Antiquus nemo intra vrbem ſepeliebatur.

In monte Ephraim. Id eſt, iſta ciuitas Thamnathſare eſt in monte Ephraim. Non eſt intelligendum, quòd eſſet aliquis mons ſpecialis in ſorte Ephraim, in quo eſſet mons Thamnathſare,ſed tota ſors Ephraim vocatur mõs Ephraim, quia pro maiori parte erat montuoſa: ſic patet Ioſue decimoſeptimo, ſcilicet anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim. Et dicebatur hoc ad totã tribum Ephraim. Ex quo patet quòd tota habitabat in monte Ephraim. Sic etiam patet Ioſue 20. & 21.Scilicet, quòd dederunt Sichem vrbem refugij in monte Ephraim.ſic etiam 1.Regũ dicitur,fuit vir de Ramathaim, Sophin de monte Ephraim.

A ſeptentrionali plaga montis Gaas. Iſte mons Gaas erat in mõte Ephraim, & ciuitas Thamnathſare erat ad partem ſeptentrionalem eius, ſcilicet quòd iſte mons declinabat magis ad Meridiem quàm Thamnathſare. Dicit Rab. Salomon,quòd Gaas interpretatur tempeſtas, & vocatus fuit ſic mons ille: quia venit tempeſtas ſuper Iſraëlitas, eo quòd morati ſunt in ſepeliendo Ioſue.Sed iſta fictitia ſunt & ſine colligatione.Sed dicendum,quòd iſte mons ſemper ſic vocabatur.

Omnisq; illa congregata eſt generatio ad patres ſuos. Id eſt, omnis generatio coætaneorum Ioſue, ſcilicet omnes coætanei Ioſue,qui fuerant in deſerto, egreſſique fuerant de Ægypto: & viderant omnia opera Dei,mortui ſunt, non multis annis poſt Ioſue,& iſta fuit occaſio, quòd Iſraëlitæ peccarent poſtea in Deum:iſta autem generatio eſt generatio ſeniorum,qui vixerunt poſt Ioſue: ex quo patet,quòd fuerunt contemporanei ſui, alioquin non diceretur omnis illa generatio, quia importat coætaneitatem.

D

E

Et ſurrexerunt alij. Hic ponitur ſecundum, ſcil. fœderis renouati præuaricatio. Nam ꝙ in diebus Ioſue,& ſeniorum populus obſeruauit illis,mortuis præuaricatus eſt,& dicitur: Et ſurrexerunt alij, ſcil.ſucceſſores Ioſue,& ſeniorum. *Fœderis renouati præuaricatio.*

Qui non nouerunt Dominum. Id eſt qui nõ cognoſcebant virtutem eius,ſcil.bonitatem,& magnitudinem, atq; poteſtatẽ: & ob hoc non inclinabantur ad colendum eum.

Et opera,quæ fecerat cum Iſraël. Id eſt,non cognoſcebant beneficia præſtita Iſraëlitis à Deo, eo quòd non viderant ea,qa non fuerunt in Ægypto,nec in deſerto, ſed nati ſunt in terra Chanaan:ponuntur autem iſta duo, ſcil. qui non nouerant Dominum,& opera, quæ fecerat cum Iſraël,quia duo ſunt,q̃ debent mouere hominem ad colendum Deum. Primum eſt ipſa Dei natura,ſcilicet quia Deus eſt,& ſummum bonum,& ſummè potens,& ſapiens:& etiam ſi nihil aliud eſſet,propter hoc tenebantur Deum colere. Secundum eſt ipſa beneficiorum collatio, quia nullus eſt,cui Deus non benefaciat: nam quidquid ſumus,& habemus, Dei munus eſt, in quo ſumus, viuimus,& mouemur,vt dixit Paulus,& habetur Act.17.cap. & ſunt hæc generalia beneficia. Alij autem recipiunt ſpecialiſſima,pro quorum ſingulis nimis tenemur Deo: nam & benefactori naturaliter tenetur bona paſſus honorem, & famulatum impendere, vt ait Ariſtot. & habetur 5. & 8. Ethicorum,prẽſertim quando beneficia maxima ſunt,qualia à Deo recipimus,ideo ad maximum honorem ei tenemur. Primum tamen eſt, propter quod directius eum venerari tenemur. Iſraëlitæ autem neutrum horum attenderunt, vt Deum colerent,ideo dicitur propter primum, quòd non nouerant Deum:propter ſecundum dicitur, nec opera, quæ fecerat cum Iſraël. *Feceruntq; filij Iſraël malum in conſpectu Domini.* Scilicet recedentes à cultu Dei veri, & prætermittentes cæremonias legis,& iſtud erat malum corã Domino, quia Deus illud malum iudicabat. *Et ſeruierunt Baalim.* Scilicet coluerunt Deos terræ Philiſthinorum,qui vocabantur Baalim; eſt enim Baalim plurale,& ſingulare eſt Baal, & ſignificat idola quæcunque:cùm autem ponitur Baal in ſingulari,ponitur pro ſpeciali idolo: aliquando tamen ponitur Baalim tanquam ſingulare,& eſt nomẽ vnius ſpecialis idoli.Sciendum quòd nomina idolorum,vt communiter denominantur à Baal,vel Bel. Vnde aliquando dicitur Baal,& aliquando Bel,& Beelphegor,& Beelzebub,& Balberich,& Baalim.De Bel patet Dan. 14. vbi dicitur magnus eſt Bel,ſcilicet Deus Babyloniorum. Baal vocatur infrà & 3.Reg.18.vbi vocati ſunt 400.Prophetę Baal,& 4.Reg.10.cap. Baalim vocatur hic, & 1. Reg. 17. Beelphegor

F

Mos ſepeliẽdi Hebræorum.

Duobꝰ mouetur homo ad Dei cultum.

A vocatur, Psalm. 105. scilicet: Initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. Et Num. 25. vocatur Beelzebub Deus Acharon, quarto Regum primo, vocatur Baalberith Deus Sichimorum, vt patet infrà nono. Causa autem quare nomina idolorum (vt in plurium) habeant initium à Bel, est, quia primum idolum factum ad colendum fuit factũ ad simulachrum cuiusdam regis Babyloniorum, qui vocabatur Belus, siue Bel: & filius eius Ninus rex potẽtissimus fecit illud coli, vt testantur omnes antiquæ historiæ, & habetur in libro Methologiarum Fulgentij.

Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum. Scilicet, nõ solùm coluerunt deos exterorum, sed etiam Deum patrum suorum, id est quem patres sui coluerant, dimiserunt. Et satis intelligebatur hoc ex præcedentibus: nam ex hoc quòd isti colebant Baalim, non poterant tenere Deum suum, quia ille solus vult coli, cùm solùm se dicat esse Deũ: & sic iussit Exod. 20. non habebis deos alienos coram me: ponitur tamen ista tanquam distincta clausula, quia ad maius dedecus pertinebant: nam licèt Deus non acceptet quòd colatur simul cum alijs dijs, tamen magis contemnitur quando deserto eo coluntur alij, quàm cùm ipse simul & idola coluntur: istud malum tenebant Samaritani, qui Deum cœli timebant, nihilominus tamen deos suos colebant, & eis sacrificia offerebant, vt patet 4. Reg. 17. ca. nunc autem Israëlitæ deteriores erant, quia idola colebant, & nullo modo Deum: & proruperant in tantam insaniam, vt omisso Dei cultu publicè fierent templa pro idolis, & ornarentur auro, & argento. Sic patet infrà 9. cùm dicitur, quòd viri Sichem acceperunt, & dederunt septuaginta pondera argenti Abimelech de Fano Baalberith.

B *Qui eduxerat eos de Ægypto.* Quasi dicat, in hoc erãt ingrati tanto beneficio: & nominatur istud beneficium, quia maximũ erat, & includebantur in eo alia beneficia particularia. Et ex hoc tenebantur Israëlitæ in æternum obedire Deo etiam si nihil aliud intercideret.

Et secuti sunt deos alienos. Vocantur alieni dij non pertinẽtes ad Hebræos, scilicet quos non coluerunt patres eorũ, sed aliæ nationes: & sunt alieni, id est incogniti, quia Iudæi non poterant cognosere istos, vt deos: dupliciter enim hoc cognoscitur, scilicet per ostensionem magnæ potentiæ in operatione miraculorum, vel per collationem specialium beneficiorum: neutrum autem erat quantum ad Iudæos, quia ipsi non nouerant deos Chananæorum per ostensionem virtutis, cùm illi nulla vnquam miracula egissent, nec etiam secundo modo, quia nunquam benefecerant Israëlitis. Vtrumque horum cognitum erat apud Hebræos de Deo suo, scil. quia eum multis mirabilibus cognouerant esse Dominum tam in Ægypto, quàm in mari rubro, & in deserto, & postea in terra Chanaan. Secundò etiam cognoscebant eum Deum, quia eis multa contulerat, quanta nec ipsi sufficienter enarrare poterant. *Deosq; populorum, qui habitabant in circuitu eorum.* Non distinguuntur hic tanquam membra opposita, & disparata dij alieni, & dij populorum, qui erant in circuitu, quia omnes dij præter verum Deum Israël erant dij alieni. Sed est sensus, quòd seruierunt Baalim, qui sunt dij terræ Chanaan, scilicet Baalim, & Astaroth, & non solùm deos terræ in qua habitabant, sed etiam deos quarumcunque gentium habitantium in circuitu, & in hoc significatur magnum desiderium declinandi à cultu Dei, scilicet quia omnibus idolis adhærebant. *Et adorauerunt eos.* Scilicet humiliantes se coram eis, & faciendo eis sacrificia, & istud est sequi illos. Vel dicuntur secuti illos, quia non solùm adorauerunt eos, sed etiam secuti sunt omnes cæremonias colendi deorum illorum relictis cæremonijs Dei Israël.

Qui vocentur dij alieni.

C *Et ad iracundiam concitauerunt Dominum.* Id est, prouocauerunt eum ad inferendum pœnas, qui est actus hominis irati, vt nos arbitramur: aliter autem iracundia in Deo non est, cùm sit passio animalis. Apud Deum autem non est transmutatio, Iacob. 1. scilicet: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Dimittentes eum.* Non poterat esse rationabilior iracundia, quàm pro dimissione: sicut in viro, si dimittatur ab vxore: omnia autem alia vitia vxoris venialia sunt, & toleranda, dum tamen viri thorum immaculatum seruauerit, quo contempto, nihil boni supereſt: ita & contra Deum interdum peccamus contra aliqua præcepta specialia, in quibus præiudicatur charitati, & tunc Deus non ominò deseritur, nec fornicari nos dicimur, sed cùm fide deserta alium credimus esse Deum eum, quia colimus, nihil boni supereſt, & tunc fornicamur, pro quo iracundia Dei iustissima est.

D *Et seruientes Baal, & Astaroth.* Isti erant duo dij Chananæorum, & erant multum communes: nam Baal multarum gentium Deus erat, cui Iudæi quoque seruiebant: & tantum huic inhæserant, quod filios suos tradebant ei, vt cremarentur in cultum eius, quod Deus valde prohibuit Leuit. 20. cap. dicens: Homo de filijs Israël, aut de aduenis, qui habitant inter vos: si quis dederit de semine suo, id est de filijs suis idolo Moloch, id est Baal, morte morietur: populus terræ lapidabit eũ. Astaroth etiam erat Deus Chananæorum, & maximè Philisthinorum: vnde mortuo Saul in bello, Philisthini posuerunt arma eius in templo Astaroth, & caput in templo Dagon, vt patet primo Regum vltimo. Et 1. Paralipom. 10. cap. Ad istos duos deos colendos communiter declinabant Israëlitæ: ideo Samuel hortatus Israëlitas Deum colere, ait: Si in toto corde vestro conuertimini ad Deum, auferte de medio vestrum deos alienos Baalim, & Astaroth, vt patet primo Regum septimo cap.

Chananæi filios dijs immolabant.

Iratus q; Dominus contra Israël, tradidit eos in manus diripientium: qui cæperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere aduersarijs suis: sed quocunque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & iurauit eis: & vehementer afflicti sunt. Suscitauitque Dominus iudices, qui liberarent eum de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos. Citò deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mãdata Domini omnia fecere cõtraria. Cumq; Dominus iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cade vastantium. Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multo faciebant maiora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinuentiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueuerunt. Iratusq; est furor Domini in Israel, & ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit: & ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est: vt in ipsis experiar Israel, vtrùm custodiãt viam Domini, & ambulẽt in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, & citò subuertere noluit, nec tradidit eos in manus Iosue.

E *Zetus musicꝰ Amphionis fratris interfector.*

Sachomatis Brutꝰ historicus insignis.

F

Iratusq; Dominus contra Israël. Hic ponitur tertium, scilicet fœderis violati punitio, quia Deus non dereliquit Israëlitas impunes super hoc. *Tradidit Israël in manus diripientium.* Id est, in manus hostium, qui diriperent bona eorũ, & filios, & venderent alijs nationibus.

Quomodo Deus tradebat Israëlitas in manus diripientium. Et quas passiones causabat in cordibus eorum, & hostium suorum.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRET aliquis, quomodo Deus tradebat Israëlitas in manus diripientium.

Respondendum, quòd hoc multipliciter fiebat. Primò auferendo custodiam suam ab eis: nam cùm Israëlitæ Deum colebant, tenebat eos in custodia, & non poterant mala appropinquare illis. Sic dicitur Psal. 90. vbi agitur de illis, quos Deus in sua custodia tenet, scilicet: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. & sequitur: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.

A & rursus. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit: non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, & subditur causa, scilicet, quoniam angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et Psalm. 36. de viro iusto, qui in custodia Dei est, dicitur: Apud Dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet: cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Deus etiam promisit Israelitis Leuit. 26. quod quando colerent eum, non transirent per eos gladius, fames, & hostis, aut alia mala. Cum autem homo à Deo deseritur, inueniunt eum omnia mala, cum non sit illis resistentia. Alio modo Deus tradebat Israelitas in manus diripientium, in quærendo occasionem contra Iudæos, vt insurgerent in eos hostes, & affligerent. Cum autem erant Israelitæ in Dei cultu, Deus non dabat in mentem hostibus Iudæorum, vt pugnarent contra Israel: quin potius incutiebat timorem eis, ne auderent insurgere contra Israel. Sic fuit factum in Iacob, quando multi Chananæorum populi congregati erant ad delendum eum, & domum suam, quia filij sui occiderant Sichimitas. Deus tamen incussit timorem illis populis, & non ausi sunt persequi Iacob, vt patet Genes. 35. capitulo, scilicet. Cumque profecti essent, terror Domini inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Idem faciebat quolibet anno ter in festiuitatibus tribus

B ascendentibus omnibus masculis in locum Sanctuarij: & non manentibus vllis ad custodiam ciuitatum: nam tunc, licet Chananæi scirent vacuas manere ciuitates, non audebant occupare eas. Sic patet Exod. trigesimo quarto, scilicet. Cum tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Cum autem è contrario Deus inquirebat occasiones, vt Philisthini, & alij Chananæi desiderarẽt insurgere contra Israel. Ilte enim est modus quo Deus punit aliquem per manus aliorum, quando hoc vult, scilicet, dando occasionem alicui, vt irascatur alteri: sic fuit contra Philisthinos cum Deus vellet punire eos per manum Israelitarum. Nam inquirebat occasiones, vt Samson irritaretur contra eos: sic patet infra 14. cum Samson peteret à parentibus, vt darent ei in vxorem quandam puellam de terra Philisthinorum: qui responderunt? Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo Dei, quia vis accipere vxorem de Philisthijm, qui incircuncisi sunt? Dixitque Samson ad patrem. Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Et subditur: Parentes eius nesciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occasiones contra Philisthijm: scilicet, vt occasione huius vxoris Samson exerceret plagam magnam in Philisthinos, sicut postea exercuit. Alio modo poterat tradere Deus Israelitas in manus Philisthinorum, & Chananæorum, scilicet, diminuendo vires Israelitarum, ita vt quanquam temporibus præteritis potuissent pugnare contra Chananæos, & superare eos, nunc non possent: quod patet ex oppositis: nam si cum Israelitæ erant in cultu Dei, licet non essent potentes pugnare contra hostes, Deus dabat illis vires, vt præualerent, ita cum desererent eum, auferret eis fortitudinem. Sic patet Deuteron. octauo capitulo, scilicet: Ne diceres in corde tuo: fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum. Aliter poterat Deus tradere Israelitas in manus diripientium, scilicet, incutiendo timorem illis, ne auderent resistere, sed quibuscunque quantumcunque paruæ potentiæ subiicerentur. Sic patet Leuit. 26. vbi Deus comminatur eis timorem in maledictionem, quando peccarent, dicens: Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos: quasi bella fugientes: nemo vestrum inimicis audebit resistere: peribitis inter Gentes, & hostilis vos terra consumet. Similia ponuntur Deuter. 28. in fine, facile ergo erat Deo his, vel aliis modis sibi placitis tradere Iudæos in manus Iudæorum. *Qui cæperunt eos.* Scilicet, in seruos, cum non possent resistere. *Et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum.* Ista erat infelicissima conditio. Nam quod hostes dissiparent bona Israelitarum, erat aliquid tolerabile. Quod tamen eos venderent, pessima sors erat, quam potius fugere debuissent, quam bellicam mortem: sed non habebant animum ad resistendum, quia Deus reliquerat illos, sed tradebantur hostibus quasi oues in manus occisorum. Accedebat etiam aliud quod magis eorum acerrimam grauaret sortem, scilicet, quia non solum vendebantur. Nam si Gentibus ignotis venderentur, forte propter humanitatem misererentur eorum, nunc autem hostibus venditi non solum duram seruitutem, sed etiam acerrimam vindictam tolerabant. *Nec potuerant resistere aduersariis suis.* Scilicet, quia Deus debilitauerat eos, incusserat eis formidinem, & confortauerat hostes eorum super eos. *Sed quocunque pergere voluissent, manus Domini erat super eos.* Id est, non habebant aliquem modum euadendi, sed ad quemcunque locum confugerent, vel quamcunque artem ad euadendum inquirerent, Deus percutiebat eos, faciendo hostes semper potentiores: quasi istud bellum non esset illorum, sed Dei. Et verissime sicut erat, quia sicut cum Israelitæ Deum colebat, ipse pugnabat pro eis contra hostes, vt patet Exod. decimo quarto, scilicet. Ipse Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, & Exod. decimo septimo, dicitur: Scribe hoc in monimentum in libro, & trade in auribus Iosue: delebo memoriam Amalech de sub cœlo. Et iterum: Manus solius Dei, & bellum Domini erit contra Amalech à generatione in generationem. Ita cum ipsi recederent à Deo, Deus pugnaret pro hostibus suis contra eos. *Sicut locutus est, & iurauit eis.* Id est, promisit sic se facturum sub iuramento. Istud habetur Leuit. vigesimo sexto, & Deuter. vigesimo octauo, vbi ponuntur omnia mala, quæ Deus inducere deberet si eum derelinquerent. *Et vehementer afflicti sunt.* Non poterat enim esse maior afflictio, quam vt venderentur hostibus suis perditis omnibus, quæ possidebant: & tamen hoc nunc eis accidit, vt supra dicitur: & satis colligitur infra ex processu libri. Acciderunt tamen eis alia mala post tempora Iudicum, scilicet, quod comederent filios suos, & filias: & mulieres parientes comederent pelles secundinas, id est, sanguinem coagulatum exeuntem de ventre cum fœtu. Et ista erant nimis inhumana, & tamen prænunciata fuerunt illis Deuteronom. 28. capitulo, & acciderunt eis aliquando, sicut tempore regis Ioram filij Achab regis Israel, vt patet quarto Regum sexto capitulo, *Suscitauit Dominus iudices.* Hic ponitur quartum, scilicet, punitionis releuatio, quia licet Deus puniret Israelitas propter scelera, tamen aliquando miserebatur eorum, & liberabat eos de hostibus. *Qui liberarent eos de manu vastantium.* Isti iudices erant duces populi, & pugnabant contra hostes liberabantque populum.

Modus quo Deus aliquos punit per alienorũ manus.

Mala, quae ceciderũt Israelitis post operã iudicii

D

E

F

Quomodo Deus suscitabat iudices.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRET aliquis, quomodo Deus suscitabat iudices. Respondendum, quod Deus tradebat Israelitas in manus hostium pro sceleribus suis, quia tamen nondum consummata erant peccata eorum, quibus mererentur vltimatam desertionem à Deo, sicut dicitur de Amorrhæis Genes. decimo quinto: Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus: nolebat eos tradere in totale exterminium, sed liberabat de manu hostium: & quia populus totus per se si ducem non habeat, non potest quidquam agere bellice, etiam si copiosa multitudo, & robustissima sit, propter defectum vnitatis, volebat Deus dare ducem, & huic tribuebat Deus specialem virtutem tam animositatis, quam virium, & consilij, vt pugnare auderet contra hostes, & præualere posset. Et dicebatur Deus istos iudices suscitare, quia ipse aliquando tribuebat eis supernaturaliter vires, & prænunciabat eorum potestatem, & statum, sic fuit de Samsone, cui Deus dedit vires supra omnes homines, & erant supernaturaliter manentes, quin solum manebant cum haberet cæsariem, quia abscissa manebat infirmus. De hoc infra decimo tertio, & vsque ad decimum septimum capitulum, aliquando etiam suscitabat, id est, iubebat illis ex nomine, quod irent ad liberandum Israel. Sic patet de Barac, cui Debora prophetes ex parte Dei iussit, quod iret ad pugnandum

A gnandum contra Siſaram, vt infra quarto, ſic etiam fuit de Gedeone, cui angelus dixit: Dominus tecum virorum fortiſſime: vade in hac fortitudine tua: & liberabis Iſrael de manu Madian, infra ſexto cap. Aliquando autem ſuſcitabat iudices, quia quamquam non vocaret eos ex nomine, tamen dabat eis fortitudinem ad liberandum populum, & populus cognoſcens in eo aliquod donum Dei motus à Deo ſumebant illum in iudicem, ſic fuit de Iephte Galaadite, quem populus elegit cum prius foret princeps latronum, infra vndecimo capitulo. Aliquando autem ſuſcitabat iudices, quia quamquam populus non eligeret eos, nec Deus vocaret illos ex nomine, tamen dabat eis fortitudinem & ponebat eis in corde vt pugnarent contra hoſtes: ſic fuit in Sangar, qui percuſſit ſexcentos de Philiſthinis vomere, vt ſequenti cap. Sic etiam Samſon, quamquam nondum eſſet electus à populo in iudicem, Dominus dedit in corde eius, vt pugnaret contra Philiſthinos, & pugnabat etiam eis inuitis Iſraelitis, vt patet infra 14. & vſque ad 17. & quamquam iſti iudices à Deo non vocarentur ex nomine, ſed eligerentur à populo, vel ipſi ſe iungerent moti à Deo, ſemper Deus dabat illis fortitudinem, & impetum contra hoſtes. Sic patet de Iephte Galaadite infra 11. cum dicitur: Factus eſt ſuper Iephte ſpiritus Domini. De Samſon quoque dicitur: Cœpitque ſpiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan, infra decimo tertio cap. Omnes autem iudices à Deo ſuſcitati ſunt: ſolus autem Abimelech fraude humana, & violentia in principatum ſe intruſit, vt patet infra nono, & in hunc non factus eſt ſpiritus Domini, ſed dæmonis: nam fecit in humana occidendo ſeptuaginta viros fratres ſuos ſuper lapidem vnum, & poſtea infeliciter periit, eodem cap. recte ergo dicitur quod Deus ſuſcitabat iudices. Sciendum autem, quod iſti iudices non erant continuati per ſucceſſionem, ſcilicet, quod mortuo vno illico ſumeretur alius, ſed expectabatur vſque ad tempus, quo eſſet neceſſarius, ſcilicet, cum Iſraelitæ ſubiecti eſſent hoſtibus. De hoc autem, & poteſtate iudicum, & cæteris qualitatibus eorum declaratum fuit ſatis late in prologo huius libri. *Sed nec illos audire voluerunt.* Scilicet, quia quamquam iſti iudices liberarent populum de manu hoſtium, & admonerent illum recedere ab idololatria, non acquieſcebat. Sed obiicietur, quia infra dicitur: Cumque Dominus ſuſcitaret iudices in diebus eorum flectebatur mina, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos: ergo ipſi iam conuerſi erant ad Deum cum gemerent, & inuocauerunt eum. Etiam quia ſi non conuerſi eſſent Deus non liberaret eos manentes in pertinacia ſua. Dicendum, quod Iſraelitæ temporibus iudicum ſemper bene viuebant, quia iudices habentes poteſtatem inducebant eos: mortuis tamen iudicibus, conuertebantur ad idola. Sic patet infra, ſcilicet. Poſtquam autem mortuus eſſet iudex reuertebantur, & multo maiora faciebant, quam fecerant patres eorum. Cum vero dicitur hic, quod noluerunt eos audire. Eſt ſenſus, quod non audiebant eos ad hoc, quod manerent in admonitionibus eorum toto tempore, manebant tamen ſaltem quamdiu ipſi iudices viuebant. *Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos.* Scilicet, adorabant Baal, & Aſtaroth, & Deos Gentium, qui erant in circuitu. Ponuntur adorantes, & fornicantes pro eodem: nam ex hoc quod adorabant illos dicebantur fornicari cum eis, & eſt metaphora tracta de vxore & viro: nam vxor eo quod eſt alligata legi viri, ſi eo viuente alteri commiſcetur, dicitur adulterari, vel fornicari, vt patet ad Rom. ſeptimo, & 1. Corinth. 7. capitulo, ita Iudæi acceperant Deum verum, in Deum ſuum, erantq; obligati ſpecialiter ad colendum eum, ideo quandocunque declinarent ad idola, dicebantur fornicari tanquam rupto fœdere matrimonij ſemper. *Deſeruerunt cito viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum.* Vocantur patres iſtorum illi, qui fuerunt tempore Ioſue, & ſeniorum, qui vixerunt poſt eum, nam tempore hoc obſeruata eſt lex Dei, & iſti filij illorum ſurrexerunt, qui non cognoſcebant Dominum, & deſeruerunt cito viam, per quam ingreſſi fuerant patres eorum, ſcilicet, cuſtodiam legis, quam illi tenuerant. *Et audientes mandata Domini omnia fecere contraria.* Hoc ponitur ad tollendum excuſationem. Nam aliquis diceret, quod forte iſti recedebant à cuſtodia legis Dei, quia in diebus illorum non prædicabatur lex Dei, & neſciebant quid agere deberent. Sed dicitur quod non fuit ex hoc, quia iſti audiebant mandata Dei, & tamen omnia faciebant in contrarium: ex quo patet peccatum eorum duriſſimum, ſcilicet, quia ſcientes, & inobedientes peccabant propter duriciem ceruicis. *Cumque Dominus ſuſcitaret iudices.* Faciendo quod aliquis conſtitueretur in iudicem per aliquem de modis ſupra poſitis. *In diebus illis flectebatur miſericordia.* Scilicet, non affligebat Iſraelitas, & erat iſtud, quia tunc colebant Deum inſtigante iudice. *Audiebat afflictorum gemitus.* Hic eſt ordo mutatus nam prius Deus audiebat gemitus quam ſuſcitaret iudicem. Pro quo ſciendum quod modus erat, quod mortuo Ioſue, & ſenioribus, qui poſt eum fuerunt, aliquanto tempore Iſraelitæ conuerſi ſunt ad idola: & tunc tradidit illos Deus in manus hoſtium, ſub quibus manſerunt aliquot annis: cumque ipſi non poſſent vllatenus effugere, clamabant ad Deum ſuũ, vt eriperet eos. Deus aũt audiebat gemitus eorum, & ſuſcitabat illis iudicem, qui eriperet eos, & in diebus iudicis eius ſemper colebant Dominum. Hoc vero mortuo nullum habentes caſtigatorem, conuertebantur ad idola, & non accipiebant alium iudicem, ſed manebant in idololatria, & faciebant peiora quam prius: & tunc tradebat eos Deus in manus hoſtium, qui non potentes euadere, denuo clamabant ad Dominum, & dabat eis iudicem, & faciebant omnia ſicut dictum eſt. Iſte fuit modus, quem habuerunt Iſraelitæ toto tempore iudicum. *Et liberabat eos de manu vaſtantium*, ſcilicet, per manum iudicis ſuſcitati nouiter: nam iſte faciebat bella contra hoſtes Iſrael. *Poſtquam autem mortuus eſſet iudex.* Hoc generaliter dicitur de quibuſlibet iudicibus: nam ſub omnibus tenuit iſtum modum Iſrael. *Reuertebantur.* Scilicet, ad idololatriam & mala priora. *Et multo maiora faciebant, quam fecerant patres eorum.* Iſta erat conditio Iſraelitarum, ſcilicet, quod non minuerentur in malis ſuis, ſed ſemper creſcerent, ideo filij magis idolatrantes erant quam patres. *Sequentes deos alienos.* Scilicet, quantum ad omnes cæremonias cultus eorum. *Et ſeruientes eis.* Scilicet, ſacrificando eis, & viuendo per omnia præcepta illorum. *Et adorantes illos.* Scilicet, inclinantes ſe coram illis in ſignum diuinæ venerationis. *Non dimiſerunt adinuentiones ſuas.* Adinuentio dicitur, modus viuendi ab aliquo inuentus, quaſi dicat: non tenebant iſti modum viuendi, quem Deus lege tradiderat, ſed inuenerant modum, quem voluerunt, & ſequendo cæremonias deorum terræ Chanaan. *Et viam duriſſimam.* Vocatur via duriſſima modus viuendi inobediens: nam cum quis iubenti obedire non vult & monenti acquieſcere, eſt duræ ceruicis: huiuſmodi erant Hebræi. Nam nolebant tenere legem Dei, ſed adinuentiones ſuas, & ſic Deus vocauit illos duræ ceruicis Exod. 32. & Moyſes valdè hortatus eſſe, dicens: Et ceruicem veſtram duriſſimam amplius ne induretis, vt patet Deuteronom. 10. *Per quam ambulare conſueuerant.* Scilicet, quia ſemper conſueuerant eſſe duræ ceruicis: ita & nunc erant: ſic dixit Moyſes: Semper fuiſtis rebelles à die, qua noſſe vos cepi, Deuteron. nono. Iſtud (Per quam ambulare conſueuerant) non eſt in Hebræo.

B

C

D

E

F

De iudicibus à Deo ſuſcitandis

Vnde inſurgebat Iudæis tantum deſiderium colendi idola.

QVÆSTIO XV.

QVÆRET aliquis vnde erat Iudæis tantum deſiderium colendi idola, ſcilicet, quod cum ſemel traditi eſſent in manus hoſtium, & duram ſeruitutem propter idola, & à Deo liberati eſſent gementes, rurſus, & ſæpius in eandem idololatriam redirent, licet ſemper pro ea affligerentur. Reſpondendum quod hoc potuit eſſe ex tribus cauſis. Prima fuit ex conſuetudine: Erant enim Iſraelitæ aſſueti ad colendum idola in Ægypto, & poſtea in terra Chanaan; ideo licet aliquando ex neceſſitate quaſi compulſi colerent Deum, tamen rurſus data oportunitate redibant in idololatriam, eo quod conſuetudo cauſat fortiſſimam inclinationem, nam eſt conſuetudo vt altera natura, vt patet 7. Ethic. ideo ſicut fortiter inclinamur ad ea, quæ naturæ ſunt, ita & ad ea, quæ ſunt conſuetudinis. Iſtam cauſam aſſignauit Ieremia contra Iſraelitas quod ſemper in malum redirent, ſcilicet, quia conſueti erant, dicens. Si poteſt æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, ita & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Secunda cauſa huius erat, quia Deus ad

Idem Auen. 1. Phyſicor. com. 71

tentan-

A tentandum Iudæos, vel ob alias causas forte aliquando, quãdo colebant eum permittebat famem, vel aliqua incommoda super eos, & aliquo tempore quo colebant idola euenerunt eis prospera, & quia Israelitæ erant populus rudis soli sensui traditus, colebant illum in Deum, cuius tempore videbant sibi temporalia bona euenire. Sic patet Ierem. 44. vbi hoc respondit populus Israel Ieremiæ increpanti eos de idolatria, & dixerunt: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te, sed faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina: sicut fecimus nos, & patres nostri, & reges nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda, & plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem quod cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Tertia causa fuit vt puto ex conditione naturæ: nam licet virtus cęli non moueat efficaciter hominem ad operandum in his, quæ sunt liberi arbitrij, potissime in his, quæ non videntur aliquatenus dependere à natura, sicut est colere Deum, vel recedere ab illo: tamen sicut experimur in cæteris qualitatibus animæ ad aliquid mouere possunt corpora cœlestia, licet nobis semper libera facultas maneat agendi hoc, vel oppositum, & sic non est efficax motus. Et secundum hoc dicendum, quod quibusdam gentibus maior inclinatio est ad colendum Deum,
B & ad opera religionis, id est, ad cæremonias quam aliis, secũdum quod dominantur eis varia astra cœli: quæ claris experientiis à multis temporibus comparata sunt inclinare ad hoc vel illud: & quia terra Chanaan, in qua habitabant Iudæi, est subiecta tali parti cœli, quæ indisponit homines ad colendum Deum faciẽdo eos instabiles & infidos ad Deum, inclinabantur Iudæi ad mutandum sæpe cultum Dei, scilicet, quia aliquando idola, & interdum vnum idolum, & postea aliud, sicut conqueritur Dominus per Ieremiam cap. 2. Scilicet, Transite ad insulas Cetthim, & in Cedar quoque mittite, & videte si mutauit gens deos suos, & certe ipsi non sunt dij, populus autem meus mutauit gloriam suam in idolum: super hoc obstupescite cœli, & portæ eius desolamini. De inclinatione magna gentium istarum ad cultum Dei loquitur Ptolemæus in quadripartito libro 2. cap. de secunda quatuor mundi, dicens: Istorum autem hi qui sunt in parte terrarum Syriæ profundæ ac Idumeæ regionis, terræque Iudæorum Arieti, & Marti proprie assimilantur, ideoque sunt in maiori parte instabiles, & proditores, creatorem ignorantes. Sicut autem isti propter Martem, & Arietem indisponuntur ad cultum Dei, ita & illi, quibus Iuppiter & Sagittarius præsunt è contrario opera religionis magis diligunt, & constantiores in cultu Dei sunt: & hoc quia Iupiter religioni, id est, cultui Dei præest: & huiusmodi est Hispania, cui Sagittarius, & Iupiter dominantur: vt ait Ptolemæus in quadripartito lib. 2. ca. de prima 4. terrarum. Et ob hoc vt communiter non est aliqua natio terrarum, in qua tantum viris Ecclesiasticis obediatur, & prompto animo fiant, quæ pertinent ad ritus colendi Deum. Istam rationem vltimam minoris efficaciæ esse volo duabus prioribus, quia si aliquid probat parum est, eo quod ad ista parua est sideribus virtus, sed duæ priores sufficienter inducunt. *Iratusq; est furor Domini in Israel.* Id est, Deus videbatur iratus contra Israelitas, eo quod inferebat eis malum. *Et ait: quia irritum fecit gens ista pactum meum.* Ista verba non sunt referenda ad præcedentia, quia hic agebatur de successione iudicum quomodo post mortem cuiuslibet illorum peccabant Israelitæ: & tunc esset sensus, quod expleto tempore iudicum, Deus dixit, quod non expelleret gentes istas de terra Chanaan. Quod non stat, quia infra dicitur, quod erat ad experiendum an Israelitæ timerent Dominum vel non, & ista experientia facta fuit tempore iudicum, vt colligitur sequenti cap. vbi ponitur tanquam præfatio ad historiam iudicum, quod Deus reliquerit gentes has ad experiendum Israel, & haberent consuetudinem præliandi. Sed dicendum, quod fuerunt ista verba dicta paulo post mortem Iosue ante institutionem iudicum. Etiam non potest dici, quod angelus apparens supra, dixerit ista: quia illa apparitio fuit ante mortem Iosue, vt supra probatum est. Ista tamen necessario dicta sunt post mortem Iosue cum dicatur infra. Ego non delebo gentes, quas Iosue dimisit, &
C *Cur Hispania religioni satis inclinetur.*
mortuus est. Et dicitur, quod gens ista fecit pactum irritum, quia non seruauit legem Dei, quam nouerat, & pepigerat obseruare. *Et vocem meam audire contempsit.* Scilicet, quia sæpe admonui eos, quod seruarent legem, & non communicarent cum Chananæis, & noluerunt. *Et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est.* Id est, quamquam Israelitę conentur pugnare contra gentes istas ad delendum eas, iam non poterunt, quia ego non delebo eas, id est, non dabo vires Iudæis ad delendum illas, sed in pœnã eorum manebunt, & istę sunt gentes, quas non obtinuit Iosue viuens. *Vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Dei, & ambulent in ea.* Non est sensus quod Deus vellet capere experientiam quid acturi essent Israelitæ manentibus Chananæis in terra, scilicet, an colerent Dominum vel non, quia Deus omnia ista cognouerat cum sibi semper præsentia sint, sed est, quod ipsisinet Israelitis, & aliis gentibus daretur experientia, an Israelitæ colerent Deũ, vel non, præsentibus Chananæis, quasi dicat, manentibus eis in terra habebant maiorem opportunitatem, & occasionem ad colendum idola, quam expulsis eis: ideo si expulsi essent non tantum pateret intentio Israelitarum circa cultum Dei, sed prę sentibus eis vere nota fieret. *Sicut custodierunt patres eorum.* Illi qui fuerunt post tempora Iosue: nam tunc coluerunt Deum. *Dimisit ergo Dominus omnes has nationes.* Scilicet eas, quæ nominat seq. cap. in principio. Et dicitur dimisit, & non dedit Iudæis opportunitatem ad delendum eas. *Et cito subuertere noluit.* Quasi dicat, aliquando subuertit, sed non cito, sed
E postea tempore Dauid, & Salomonis, vt patet 2. Paralip. 8. scilicet. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethęis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel de filiis eorum, & posteris, quos non interfecerant filij Israel subiugauit Salomon in tributarios vsque in diem hanc. *Nec tradidit in manibus Iosue.* Scilicet, quod quamquam multo tempore pugnasset Iosue contra gentes istas, non potuit prævalere. Et credendum est, quod Deus iusserit ei cessare à bellis postquam obtinuit magnam partem terræ Chanaan.

D

Chronica temporum de omnibus gestis, quæ fuerunt inter Gentiles ab exitu Iudæorum de Ægypto vsque ad tempora iudicum.

QVÆSTIO XVI.

CHRONICAM rerum descriptionem coætaneam rebus, quæ in sacra scriptura digeruntur ab initio librorum istorum inchoatam, & continuatam ex cap. 9. lib. Exodi omiseramus, vbi de gestis tempore Moysi aliquid ex parte tactum est. Nunc autem tanquam postliminio quodam redeuntes, vbi cessatum est, denuo inchoandum erit. Temporibus Moysi, vt ait Cathelmandus in Chronicis libr. 9. apud Cretenses regnauit Abdera, qui & vrbem condidit. Puto autem, quod Abdera sui nominis vrbem condidit, de qua fuit Democritus Abderides appellatus. Iustinus autem de Cretẽsibus in chronicis suis sic ait: Curetes saltus Carchesiorum incoluere, in quibus dicitur Titanas aduersus Deos pugnasse. Horum rex vetustissimus recolligẽdi mellis vsum primus inuenit. Huius filia cum ex incestu filium procreasset, pater pudore flagitij eum iussit exponi: post dies aliquot cum ad corpus expositi missum esset, inuentus est vario ferarum lacte nutritus: postmodum hunc domi relatum in callem angustum, per quem armenta commeare consueuerant proiici iussit: cumq; esset ibi, & ab armentis non tangeretur, sed aleretur, canibus eum proiici fecit multo ieiunio ad eius esum incitatis: post hoc suibus, à quibus cum aleretur, in Oceanũ mergi iussus est, vbi iactus ab æstu, id est, feruore maris in littore sanus ibi expositus à quadam cerua nutritus est, & inde nimia velocitas pueri fuit, & inter greges ouium, & ceruorũ peragrauit: ad vltimum laqueo captus regi donatus est, quẽ recognoscẽs, & miserans, successorem sibi constituit, nomen illi impositum fuit Anidis, qui rex factus leges populo suo adinuenit: boues primus aratro, & in frumenta sulcos facere docuit: ab hoc, & ministeria seruilia populo interdicta sunt, & plebs per septem vrbes diuisa est. Regnum autẽ illo mortuo à successoribus per multa secula possessum est. Eusebius libro chronicorum ait Anno 35. Moysi, qui fuit ante exitum

F *Reges qui Athenis regnarunt. Regnũ Cretensium.* *Anidis ortus, & fors*

A

de Ægypto per 45. annos Cecrops regnabat in Attica, à quo vsq; ad Troiæ captiuitatem fuerunt anni 375. De regno isto Athenienſium, Helinandus in chronicis, & Vincentius in ſpeculo hiſtoriali dicunt, quod anno primo regni Athenien. annotatur principium, in quo Cecrope regnante in arce diuina Minerua nata eſt: & ex Mineruæ nomine, quæ græce Athena dicitur, Athenæ nuncupatæ ſunt. Huius autem regno annotantur anni 50. poſt hunc regnauit ibi Granaus: ſiue Danaus, vt quidam volunt annis 19. Amphitrium annis 10. Erichthonius 50. Pandion 40. Hic fuit Erichthonij filius, cuius filiæ Progne & Philomena. De iſtis narrat Ouidius hiſtor. 6. Metamorphoſeos, ſcilicet, qualiter maritus Progne voluit cognoſcere Philomenam ſororem illius, cui omnino recuſanti, ne clamaret, linguam abſcidit, & crebra eam libidine maculauit, quòd dum inſignis iniuria innotuiſſet ſorori, filium comunem ſibi & viro in vindictam ſceleris occidens coxit, eumque comedendum patri tribuit: vnde ortum eſt: quod petis intus habes. Poſt hunc regnauit Cecrops ſecundus annis 40. Pandion 25. Egrus Pandionis filius 48. Iſte ſuſcepit in vxorem Medeam magam profugam de domo viri quippe, quæ filios excitata rabie præſente viro occiderat in vindictam deſertionis. Nam eam vir ſuus Iaſon, vt acciperet Creuſam filiam regis Creõtis expulerat domo, & regno exulem faciens. De quo Seneca in Tragœdia 7. cuius titulus eſt Medea. Hanc ſuſcepit Egrus rex Athenienſis, cuius conſilio

Athene ex Mineruæ nomen ſortita ſunt.

Progne hiſtor.

B

filium ſuum Theſeum tanquam peregrinum poculo toxicato occidere parauerat: de quo Ouid. 7. Metamorphoſeos. Poſt hunc regnauit Theſæus filius eius 30. annis, qui aduerſus Thebas dimicauit. Iſte fuit vir fortiſſimus multa admiranda exercens, cuius laudes tangit Ouidius 7. Metamorphoſeos. Hic ſorte ductus pugnauit contra Minotaurum incluſum in labyrintho, quem Dædalus mira arte parietibus perplexis conſtruxerat: de quo victoria potitus duas ſorores Ariadnam videlicet, & Phedram Minoi regis Cretenſis filias diligens accepit, quarum Ariadnam fallens in littore reliquit, quæ dure de eo conqueſta epiſtolam ſcripſit, quæ habetur in libro Heroidum Ouidij, & incipit.

Laudationes Theſei viri fortiſſimi.

Mitius inueni quam te genus omne ferarum.

Phedram autem vxorem duxit in regnum ſuum Athenienſ. quæ poſtea filium Theſei eiuſdem Hippolytum priuignum ſuum caſtitatis amatorem ardenter diligens ad inceſtum ſæpe ſolicitauit: quod alterne etiam morti dedit. De quo late Seneca in tragœdia quarta, cuius titulus eſt Hippolytus. Poſt Theſæum Mneſteus regnauit annis 23. poſt hunc Demophoon filius Theſæi, & hic fuit tempore belli Troiani. Iſte vadens in bellum Troianum cum per terram Thracię tranſitum faceret, Phyllis filia regis Thraciæ eum in virum, & hoſpitem ſuſcepit, præſtita fide de redeundo ad eam poſt bellum, qui cum, fide mentita, non reuerteretur, Phyllis præ amore, & quia ſe deluſam conſpiciebat, laqueo ſe ſuſpendit, prius lachrymabili deſcripta quærimonia in epiſtola, quæ vocatur Phyllis ad Demophoontem, & habetur in libro Heroidum Ouidij & incipit.

C

Hoſpita Demophoon tua te Rhodopeya Phyllis.

Phyllis & Demophoontis hiſtor.

Iſte regnauit 33. annis: poſt hunc regnauit Exites 12. annis, poſt hunc Ofidas, id eſt, Tymetes 8. annis, Melampus 37. poſt hunc Codrus 31. iſte fuit, qui iuxta Apollinis Delphici oraculum ſe interimi fecit obiiciens ſe hoſtibus prouocando eos bello Peloponenſiaco, in quo Eritidarum imperium deſtruitur. Fuit autem iſte Codrus tempore Saulis regis, vel Eli ſacerdotis ſummi, vt alij tradunt, de quo dicitur in ſubnotatione chronica in fine primi regum, in quo ceſſauit imperiũ Athenienſ. quod 487. annis perſeuerauerat, poſt Codrum apud Athenienſ. principes fuerunt, quorum primus Medon regnum in fine ſuæ vitæ obtinuit, & poſt eum cæteri reges. Prę fuit aũt Athenienſibus annis 20. poſt hunc Acaſtus annis 35. Archippus 19. Theuſippus 41. Forbas 31. Megathes 30. Diogenicus 28. Feredus 19. Arifron 20. Theſpicus 27. Agameſtor 20. Eſthilus 23. Almeon, vel Altinoee, vt quidam volunt 11. annis. Poſt hunc ceſſauerunt eſſe principes Athenis, qui vſq; ad mortem ſuam imperarent: & in decem annis regnandi magiſtratuum conſuetudo conuerſa eſt. Regnauitq; primus Carops, ſiue Cecrops filius Eſthili annis 10. Stilles poſt eum 10. Hipomones 10. Licrates 10. Aabſander 10. Flexias 10. Poſt hunc Athenis principes conſtituti ſunt ceſſantibus regibus, qui principes ex nobilibus vrbis electi fuerunt, & præfuerunt annuali Imperio rempublicam agentes. Rurſus temporibus Moyſi Hercules primus (quoniã multi fuerunt) fertur Anthæum luctæ viciſſe certamine, prius cæteris bouem immolans Iouem appellauit. Deucalion hoc tempore, vt fertur, apud eos regnare orſus eſt, qui circa Parnaſum montem morabatur. Diluuiumq; ſub Deucalione in Theſſaliis fuit, de quo late deſcribit Ouidius 1. Metamorphoſeos Hoc etiam tempore incendium in Æthiopia magnum ſub Fætonte factum eſt, de quo late Ouid. 2. Metamorphoſeos in principio, in quo apparet ipſum recte ſecutum hiſtorias, & ſucceſſiones temporum. Hoc trmpore multæ peſtilentiæ locales, vt Plato memorat, fuerũt. Templum Apollinis Delphici eiuſdem modi tempore à filiis Cecropis fabricatũ eſt. Enarrauimus autem totã iſtam ſucceſſionem regum, & principum Athen. non quaſi tota contemporanea fuerit Moyſi, quia impoſſibile erat, cum extendatur per multos annos, ſed quia primus regum Athen. ſcil. Cecrops fuit tempore Moyſi, ſcilicet, cępit regnare anno vitæ Moyſi 35. vixit autem Cecrops annis 50. in regno, vt dictum eſt, ideo apparet ipſum mortuum fuiſſe anno 5. poſt exitum Iſraelitarum de Ægypto dum manerent in deſerto apud Cadeſbarne. Patet hoc quia ab anno trigeſimo quinto Moyſi vſq; ad exitum de Ægypto fluxerunt anni 45. cum fuerit iſte exitus anno octuageſimo vitæ Moyſi, vt patet Exod. 7. cap. reſtabant ergo quinq; anni vſq; ad mortem Cecropis, qui fuerunt quinq; anni poſt habitationem in deſerto. Poſt hunc regnauit Granaus ſecundus rex Athenien. annis 19. & ſic mortuus eſt anno vigeſimo quarto, poſtquam Iſraelitæ erant in deſerto, & manebant in Cadeſbarne, cum manſerint ibi quadraginta annis. Poſt hũc regnauit Amphitrion tertius annis decem, & mortuus eſt anno trigeſimo quarto manſionis in deſerto in Cadeſbarne. Iſte Amphitrion habuit vxorem Alcmenã nomine. De qua Iuppiter dicitur genuiſſe Herculem, vt colligitur in Tragœdia prima, quæ vocatur Hercules furens. Sed nõ fuit iſte primus Hercules. Poſt Amphitrionem regnauit 49. Erichthonius annis quinquaginta, huius regni anno ſexto Iſraelitæ tranſierunt Iordanem, & introierunt in terram Chanaan, & facta ſunt tempore eius omnia, quæ ſcripta ſunt in libro Ioſue: nam Ioſue poſt introitum in terram Chanaan vixit, vt fertur, annis viginti ſex. Ideo oportet quod mortuus fuerit anno trigeſimo quarto regni huius Erichthonij, cui adhuc reſtabant ſexdecim anni de regno. Sub eo etiam fuerunt Seniores, qui dicuntur longo tempore vixiſſe poſt Ioſue, vt patet ſupra in litera. Sub eo etiam fuit iudex primus Iſrael, ſcilicet, Othoniel, & mortuus fuit anno quadrageſimo ſexto regni Erichthonij. Quod patet, quia tempora Othonielis ſunt anni quadraginta, vt patet ſeq. cap. ſub quibus computatur totum tempus, quod fuit in ducatu Ioſue ab introitu in terram Chanaan, vt probatũ fuit in prologo libri huius. Erichthonius autem regnauit annis 50. & tranſierant ſex anni de regno eius, quando introierunt Iſraelitæ in terram Chanaan vt nunc probatum eſt: ergo ſupererant adhuc de regno eius quatuor anni quando mortuus eſt Othoniel: reliqui autem reges & principes Athen. coincidunt cum temporibus Regum & Iudicum, de quibus locis ſuis fiet applicatio. Erichthonius ergo 4. rex Athenienſ. tam Moyſi, quam Ioſue contemporaneus fuit, ſed potius ipſi Ioſue. Nunc autem hiſtoriam Ioſue ſub brachilogia tangamus, vt ordinemus tempora ſecundum intentionem Ioſephi: nam ipſe non continuat literam, vt eſt continuata, ſed anticipationem, & recapitulationem eſſe aſſerit. Tangit autem Ioſephus in quinto antiquitatum hiſtoriam Ioſue, & continetur in ipſo prædicta hiſtoria, & tempora Iudicum cum hiſtoria Ruth, & tempora Samuelis: principium quoq; primi libri Regum vſq; ad cap. quintum de portatione arcæ in terram Philiſthinorum. Dicit enim quod conuocans Ioſue principes tribuum Ruben, & Gad, & præſules Manaſſe: huius enim tribus mediam partem in Arnon deſcripſerat, quæ Chananæorum pars ſeptima eſt cum equitibus quadraginta millibus à loco, qui dicitur Abela ad Iordanem acceſſit in ſtadiis 60. & iſta eſt hiſtoria primi cap. Ioſue deinde tranſito Iordane ſacerdotibus cum arca 50. ſtadiis præcedentibus acceſſit vſque ad decem ſtadia ab vrbe Iericho ad locum, qui poſtea dictus eſt Galgala. Facta autem circuciſione prima die azymorum Iudęi cum

D

Templum Apollinis Delphici à filiis Cecropis fabricatum eſt.

E

Granaus ſecundus rex Athen.

Tertius rex Amphitrion.

Quartus Erichthonis.

F

arca

A arca vrbem Iericho circundederunt:factumque eſt quod legitur de Achan,& de vrbe Hai.Et hoc eſt vſq; ad medium 8. cap.& vſq; ad locum iſtum rectus ordo eſt. Hoc autem tempore manebant Iſraelitæ in caſtris Galgalę,& Gabaonitæ videntes mala,quæ acciderant aliis populis, fecerunt quod habetur Ioſue 9. & parum poſt ſecutum eſt bellum contra 5.reges die, quo ſtetit Sol:de quo 10. cap. Deinde dicit quod venerunt Chananæorum reges ad Berothi ciuitatem Galilææ ſuperioris,qui locus non procul à Galilæis eſt:& totius exercitus armatorum erant trecenta millia, & duo millia curruum,turbabat autem hæc multitudo Ioſue,& Iſraelitas,qui perſequens eos multum perambulauit, & omnem exercitum hoſtium præter paucos occidit, ſed & reges ceciderunt vniuerſi. Deficientibus autem hominibus ad occidendos equos Ioſue ſe conuertit. Er iſtud eſt bellum, quod habetur 11. cap. annus ab ingreſſu in terram Chanaan tranſierat, & nullus Chananæorum remanſerat, niſi qui ad tuitionem murorum effugerant.Ioſue autem de Galgalis denuo caſtrametatus ſacrum tabernaculum conſtituit iuxta vrbem, Silo. Locus enim opportunus pulchritudine videbatur,donec ædificare templum quietis cauſa permitteret, & ſic poſt 11. ca. Introducit Ioſeph. 18. nam id quod in cap.12.& 13. non pertinet ad ſucceſſionem temporum:nec poteſt proprie dici per anticipationem, vel recapitulationem,aut continuum ordinem poſitum, cum non ſit hiſtoria temporis Ioſue. Quod
B autem habetur, cap. 14. & vſque ad 18. vult eſſe poſitum per anticipationem. De Silo autem conſtituto Sanctuario tranſierunt, vt ipſe vult, in Sichem, vbi eſt mons Hebal,& Garizim,& poſuerunt maledictiones,& benedictiones, atq; ſcripſerunt Deuteronomium,quod habetur Ioſue 8.ca. Sed Ioſephus vult, quod ſit anticipatio: ibi quoq; ea vice dicit fuiſſe factum fœdus cum Iſrael:quandoquidem poſitus eſt lapis in teſtimonium,de quo habetur Ioſue 24.Sed eſt recapitulatio. Inde autem dicit quod redierunt in Silo : & tunc poſuerunt ſortes mittentes prius viros , qui deſcriberent terram, quos ſeptimo menſe poſt dicit eſſe reuerſos : tunc ſortes poſitæ ſunt. Et dicit, tribus Iudæ ſorte elegit ſuperiorem Idumæam , quæ in longum extenditur, vſque ad Ioſoliam : latitudinem vero vſque ad paludem conſtituta Sodomæ eſt. In hac autem ſorte ciuitates erant Aſcalon , & Gaza. Simeoni vero in ſecunda ſorte prouenit Idumęa,quę circa Ægyptum eſt, & Arabiæ montem. Beniamitæ ſortiti ſunt à Iordane vſque ad mare longitudine, latitudine vero Ieroſolymis Bethleis,qui terminatur,id eſt,apud Ieruſalem,& Bethlehem:hęc autem ſors anguſtiſſima fuit propter terræ fœlicitatem:Iericho autem , & Ieroſolymorum tulerunt vrbem. Ephraim autem tribus à Iordane vſque Gazaram longitudinem habuit, quæ nunc vſque ad maximum campum terminat. Manaſſe autem medietas à Iordane vſque ad ciuitatem Doron, ſiue Dor latitudinem habet,quæ nunc Sitopolis appellatur.
C Poſt hanc autem Iſſachar Carmelum montem , & fluuium in longitudine habuit : taburium vero , id eſt, montem Tabor in longitudine. Zabulonitæ vero vſque Genezaret tendentem circa Carmelum, & mare ſortiti ſunt, & conuallem, quæ Carmelum appellatur,& ex huiuſmodi eſt.Aſeritæ vero omnem terram , quæ ad Sidonem conuerſa eſt habuerunt. Ciuitas autem Ace in eorum parte fuit , quæ etiam Atipos appellatur.Partes vero ad Orientem conuerſas vſque ad Damaſcum , & Galilæam ſuperiorem Nephtalitæ ſumpſerunt vſque ad montem Libanum, fontemque Iordanis, quorum fluctus de montibus eſt collectus. Danitæ autem, id eſt, filij Dan loca conuallium ad occaſum Solis poſtea tenuerunt Azo, & Doris, determinationemque Lamiam ſimul, & Gaza, & Bethoron, vſque ad montem, ex quo tribus Iuda pendebat. Loca autem circa Sidonem , & Arathæos , & Amathæos , & Arithæos tunc inculta erant. Tunc Caleb petiit Hebron in poſſeſſionem,quod habetur Ioſue 14.tunc etiam aſſignatæ ſunt vrbes refugij , & ſacerdotum. De quo Ioſue 20.& 21.In 15.autem 16.& 17.& 19. de ſortium diuiſione agitur, de qua dictum eſt. Poſt hoc anno vigeſimo , per diuiſionem ſortium factam , vt ait idem Ioſephus Ioſue congregauit omnem Iſrael , & fecit quod habetur Ioſue 23. cap. vixit autem Ioſue annis centum decem : quorum 44. fluxerant quando exiuit de Ægypto, cum Moyſe autem 40. annis fuit in deſerto, deinde in terram Chanaan 26. annis tenuit principatum,de quo Ioſephus ait. Ioſue defunctus eſt cum vixiſſet annos centum decem , quorum quidem cum Moyſe pro doctrina rerum vtilium commoratus eſt quadraginta. Dux autem poſt illius mortem ſex & viginti fuit. Vir nec ſapientia indignus , nec eorum, quæ cogitabat, vt multa ſapienter ediceret inexpertus.Eodem tempore mortuus eſt Eleazarus pontifex Phinees filio ſuo ſacerdotum relinquens , cuius ſepultura facta eſt in ciuitate Gabata.In diebus Ioſue,vt ait hiſtoria Scholaſtica Erichthonius primus quadrigam iunxit in Græcia:erat quippe apud alias nationes,ſed iuxta aliorum ſententiam aliquanto tempore poſt mortem Ioſue contigit: nam Erichthonius poſtea fuit. Sed falſum eſt, nam Erichthonius fuit quartus rex Athenienſ. regnans quinquaginta annis , cuius annus primus fuit ſex annis antequam egrederentur Iſraelitę de deſerto,& vltimus fuit quatuor annis poſt mortem Othonielis primi iudicis Iſrael,vt ſupra declaratum eſt. Hoc tempore Buſiris tyrannidem in Ægypto exercuit, quem Hercules occidit : ipſe quippe hoſpites per fraudem occidere conſueuerat. Hoc tempore Phœnix, & Cadmus de Thebis Ægyptiorum profecti in Syriam in regione Tyri, & Sidonis regnauerunt, ſed Gadmo recedente in Græciam terra à Phœnice Phœnicia dicta eſt. Europam filiam Phœnicis Iupiter rapuit, & cognouit quam poſtea Aſterius Creten. rex vxorem habuit, & ex ea Minoem procreauit, qui Minos poſtea in Creta regnauit. Danaus frater Ægyſti,vt ab illo regnum auferret, & transferret in progeniem ſuam quinquaginta filias quas genuerat dedit vxores quinquaginta filiis Ægyſti fratris ſui compoſita fraude cum filiabus, quod ipſos viros prima nocte in lecto occiderent: nam omnium eadem die nuptię celebratę ſunt:mortui fuerunt autem quadraginta nouem relicto vnico , qui poſtea ſucceſſit patri Ægyſto. Aliqui autem volunt hoc fuiſſe prius,ſcilicet,tempore Moyſi: de quo in Exod. cap.14. dictum, ſed non eſt magna differentia. Nunc autem de his , quæ pertinent ad principium libri huius Iudicum ſecundum intentionem Ioſephi dicamus. Ioſephus autem 5. antiquitatum vult , quod poſt mortem Ioſue quaſi immediate conſulerunt Iſraelitæ Dominum : & Phinees prophetando reſpondit ad delendum genus Chananæorum tribui Iuda dari principatum: contra Ieruſalem autem cum tunc pugnaretur longo tempore poſt capientes eam omnes habitantes in illa occiderunt. Relinquebatur autem in Hebron genus Gigantum , qui propter magnitudinem ac formas in nullo aliis hominibus proximabant vltra modum admirabiles , quorum oſſa hactenus monſtrantur , in nullo de quibus habetur fides æqualia. Iſti autem Gigantes tunc deleti ſunt. Dederunt etiam tunc poſſeſſionem filiis Ietro, qui fuerant in deſerto cum Iſraelitis, & ſecuti ſunt eos ſemper relinquentes poſſeſſionem terræ ſuæ. Hæc autem omnia ante iudices ortos in modico tempore, quod fuit inter mortem Ioſue , & inſtitutionem Othonielis in iudicem Ioſephus accidiſſe vult. Præter hoc ait quod ea, quæ narrantur de Leuit. infra 19. & 20. & 21. fuerint poſt mortem Ioſue, & ante iudicem. Quod loco ſuo probabitur. Idolum quoque Michæ eo tempore dicit fuiſſe:de quo infra 17. Dicit etiam quod hoc tempore cum Iſraelitæ bellorum ſtudia reliquiſſent, & ad terræ opera ſe dediſſent : Chananæi eos contemnentes, nec aliquid ab eis pati poſſe credentes ſuum collegerunt exercitum firmam habentes ſpem quaſi Hebræos affligerent, & de cætero ciuitates licēter in habitarent, currusque faciebant,& exercitabantur,& aliquæ vrbes Iudæorum ſibi conſentiebant : vnde de tribu Iudæ Aſchalonem, & Gazam abſtulerunt, & multas in campeſtribus conſtitutas. Danitas quoque,id eſt,filios Dan in montana fugere compulerunt, nec parum eis locum in campeſtribus relinquentes, & dum illi nec ad bellandum eſſent idonei , nec ſufficientia ad habitandum haberent loca, quinque viros ad loca mediterranea miſerunt : & factum eſt quod habetur infra decimo octauo,& ſic omnia hæc euenerunt ante tempora Iudicum : & tunc ſequitur tempus Othonielis primi iudicis , quæ eſt materia ſequentis capituli.

(·.·)

D

E

F

Sortes tribuũ Iſrael.

Ioſue vixit annis 110.

Oſſa Gigantũ vſque ad tempora Ioſephi hiſtorici viſa ſunt.

A

CAPVT III.

HAE sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum: & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum & Sidonium, atque Heuæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon, vsque ad introitum Emath. Dimisitque eos, vt in ipsis experiretur Israelem, vtrum audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Itaque filij Israel habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Ammorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi, & duxerunt vxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & seruierunt diis eorum. Fecerunt*que* malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, seruientes Baalim, & Astaroth. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, seruieruntque ei octo annis. Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem. Fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel. Egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum. Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.

Hæ sunt gentes. In præcedentibus præmissa est breuis materiæ libri præfatio. Hic consequenter subditur eius narratio, scilicet, quia incipit iam historia Iudicum, quia primo historia texitur. Secundo triplex casus, vel incidens annectitur, infra decimo septimo capitulo. Primus diuiditur in septem partes secundum tribulationes septem, quas passi sunt Israelitæ pro peccatis suis, à quibus pœnitentia ducti liberati sunt per duodecim iudices sibi succedentes. Duæ primæ tribulationes tanguntur in hoc cap. 3. in cap. 4. Et tribulatio 4. in cap. 6. & 5. in cap. 9. & 6. in cap. 10. & 7. in cap. 13. Præsens autem cap. diuiditur in duas partes secundum duas tribulationes, quæ in eo tanguntur. Secunda ibi. *Addiderunt autem.* Prima in duas, quia primo ponitur ad præmissa continuatio, secundo tribulationis descriptio ibi. *Itaque filij Israel.*

An in his sit aliqua ordinis mutatio.

QVÆSTIO I.

C

QVÆRET aliquis, circa primum an ea, quæ dicuntur hic, habeant continuatum ordinem ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio.

Respondendum est, quod iste liber est de iudicibus, quorum materia incipit in cap. isto. In duobus autem præmissis posita fuerunt quędam, quæ non pertinebant ad iudices, sed erant quædam necessaria præambula: nam inter mortem Iosue, & iudices intercidit aliquantum tempus, in quo acciderunt aliqua narratu digna, quæ scriptura prætermittere non debuit: & sic fuerunt ea, quæ habentur supra 1. vt præcedenti cap. in fine declaratum est. Fuerunt autem illa duplicia, quędam fuerunt, quæ pertinuerunt ad quasdam personas specialiter, vel ad totum Israel simul. Alia vero ad ipsas tribus specialiter, & non ad aliquas personas priuatas, nec ad totam plebem Israel. Prima non ponuntur præcedenti cap. nec primo, quamquam fuerint ante tempus Iudicum. Sic est casus de idolo Michæ, & de vxore Leuitæ. Sed reseruantur pro fine libri, quia idolum Michæ ad vnum virum solum pertinuit, infra 17. casus autem de vxore Leuitæ partim ad vnum virum pertinuit, & partim ad totum Israel, de quo infra 19. & vsque ad finem. Casus autem de filiis Dan inquirentibus locum habitandi pertinet ad vnam tribum specialiter: quia tamen in generali tactum est supra primo, non fuit ibi explicitum, sed seruatum vsque infra 18. cap. reliqua autem quæ ad quamlibet tribum specialiter pertinebant, supra 1. cap. descripta sunt: ideo dictum fuit ibi de qualibet tribu, quomodo se habuit ad hostes suos in suscipienda hæreditate: & illud est primum præambulum, quod requiritur in hoc libro ad hoc quod tangantur non solum ea, quæ pertinebant ad totum Israel, sed etiam illa, quæ pertinebant ad singulas tribus, & primo pro maiori parte facta sunt ante tempora Iudicum. Secundum præambulum est cum hic dicatur de iudicibus, tangere causam, quare introductum fuit istud genus principatus, cum prius non esset, & hoc tangitur in cap. præced. vt ibi declaratum est: & sic ca. istud habet aliquem ordinem naturalē ad ea, quæ habētur supra 1. sed ad ea quæ habētur præced. cap. solum habent ordinem artificialem. *Hæ sunt gentes.* Præcedenti cap. dictum est quod Deus dereliquerat gentes ad experiendum in eis an Israelitæ colerent eum, vel non: hic autem per modum continuationis subiungitur quæ gentes erant istæ, & nominantur, scilicet, hæ sunt gentes, id est, istæ quę infra nominantur. *Quas dereliquit Dominus.* Dicitur Deus dereliquisse eas, licet Israelitæ eas dereliquerint, quia ipse in pœnam peccatorum illorum, & propter alias causas concessit quod permanerent, & noluit dare vires Israelitis ad subito expellendum eas. Ipsi autem non poterant eas expellere, nisi Deus illas vellet delere adiuuando Israel, quia dixit: ipse ego sum, qui delebo eas à facie filiorum Israel: Iosue decimo tertio. *Vt erudiret in eis Israelem.* Id est, erudiretur ad pugnandum: nam si non haberent hostes nunquam pugnarent: essent q; viri inepti ad bellum, & ad omnia opera fortitudinis. *Et omnes, qui non nouerant bella Chananæorum.* Hic ponitur (&) expositiue pro, id est, scilicet, vt erudiret in eis Israelem, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, id est, vt erudiret eos, qui non nouerant bella Chananæorum & erant de Israel. Nam si non teneatur expositiue, necesse est, quod Israel, & qui non nouerant bella Chananæorum accipiantur hic pro diuersis: sed non stat quia solum volebat Deus Israelitas erudire in bellis Chananæorum, & non alias gentes: ideo tenebitur expositiue. *Vt postea dicerent.* Id est, in tempore futuro, quasi dicat, si nunc expellerentur hostes à facie Israelitarum, bene haberent, cum quibus nunc exercitarentur in arte pugnandi, sed expulsis illis non haberent cum quo pugnarent. Prouidit ergo Deus pro post. *Filij eorum certare cum hostibus.* Scilicet, filij Israelitarum, qui erant tempore illo, quo Chananæi expellendi fuerant, & cessatura erant bella, haberent postea hostes, cum quibus certarent.

An Deus gentes has dereliquerit, vt Israelitæ haberent cum quibus in pugna excitarentur.

QVÆSTIO II.

QVÆRET aliquis, circa hæc an Deus dereliquerit gentes istas, vt haberent Israelitæ, cum quibus exercitarentur in pugna, sicut hic dicitur. Aliquis dicet quod non, quia Deus cessauit expellere Chananæos de terra, vt non redigeretur terra in solitudinem: ergo non fuit, vt haberent Israelitæ consuetudinem pręliandi: patet hoc Exod. vigesimo tertio, scilicet. Non expellam eos à facie tua anno vno, ne forte terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Item Chananæi non fuerunt excluſi propter peccata Israelitarum, sed, vt ipsi haberent hostes, qui essent eis claui in oculis, & lanceæ in lateribus, vt patet præcedenti capitulo, ergo non relicti sunt ad exercitationem. Item relicti fuerunt ad experientiam capiendam an colerent Deum, vel non: ergo non ad exercitationem belli. Patet hoc præcedenti capitulo, scilicet, ego non delebo gentes istas, quas dimisit Iosue, & mortuus est, vt in ipsis experiar Israel vtrum custodiant mandata Domini, an non. Respondendum, quod sicut non est inconueniens ad vnum effectum cōcurrere multas causas in eodem genere; ita non est inconueniens eandem rem fieri ad diuersos fines. Et sic hoc quod erat manere Chananæos in terra cum ad multa profitere posset, non est inconueniens, quod fuerit propter multa: & sic dimissio Chananæorum in terra Israel potuit esse ad omnia quatuor

quæ

D

E

F

Ad præmissa continuatio.

Doct. resp. ad quæsitum.

23. q. 5. c. remittitur. §. fin. vers. per scientes.

De pœn. dist. 1. c. vide supr. 2. & infr. eod. & infr. 4. & 6. & 10

A

quæ nominata ſunt. Sed aliquis obiiciet, quòd non ſtat, quia quando fines inter ſe conſonant, ſatis ſtat eandem rem eſſe ad diuerſos fines, ſicut in ſubordinatis vbi multi fines cenſentur eſſe vnus finis, vel in non ſubordinatis, dum tamē habeant quandam ſimilitudinem, propter quam extendatur idem effectus ad omnia illa: cùm tamen ſunt contrarii fines, non ſtat hoc. Sic videtur in his finibus, quia quidam ſunt ad Iudæorum gratiam, ſcilicet, vt non reducatur terra in ſolitudinem, alij in pœnam, vt quod haberent hoſtes. Reſpondendum, quòd quamquam fines ſint contrarij, ſatis ſtat, quòd eadem res ſit ad illos: quoniam prouenit ex magna Dei ſapientia, cui ipſum quoque quod malum eſt, bonum eſt: ideo cùm aliqua res ſit ad malum, ſiue ad pœnam, Deus ex ſapientia ſua ordinat eam ad aliquem finem bonum, quem ſimul res illa attingat cum aliquo fine malo, vel pœnali, & ſic erat hic. Pro quo conſiderandum, quòd prima cauſa, propter quam Deus noluit tradere Iſraelitis ipſos Chananæos, fuit ad eorum gratiam, ſcilicet, vt non redigeretur terra in ſolitudinem, & creſcerent beſtiæ; ſed traditurus erat eos paulatim, & per partes, donec Iſraelitæ augerentur, & poſſent replere terram. Exod. 23. capit. Iſtud fuit dictum Iſraelitis, quando nondum peccauerant, vt demererentur relinqui Chananęos in terra, ideo dato quòd non peccaſſent vllatenus, Deus non erat traditurus in manus eorum Chananæos totaliter in vno anno, vel pauco tempore: ſed iſta cauſa ceſſauit poſtquam manſerunt Iſraelitæ aliquanto tempore intra, & multiplicati ſunt ita, vt poſſent illam poſſidere: nam etiam tunc non fuit eis tota tradita: ideo nunc ſucceſſit alia cauſa, ſcilicet in pœnam Iſraelitarum. Nam Iſraelitæ potuerant delere Chananęos, quando ipſi peruenerunt ad aliquantam multiplicationem, ſed noluerunt: quin potius communicauerunt eis in coniugiis, & aliis contractibus: & ob hoc Deus noluit in pœnam Iſraelitarum delere Chananæos de terra. Erat autem pœna, quia propter præſentiam Chananæorum non habebant Iſraelitæ locum habitandi: ſicut patet de filiis Dan, quos arctauit Chananæus in monte Hares, & non dedit locum deſcendendi ad campeſtria, ſupra 1. cap. filij quoque Ephraim, & Manaſſe propter Chananæos manentes in ſorte in vallibus non habebant locum habitandi, ſicut conqueſti ſunt coram Ioſue, vt patet Ioſue 17. cap. erat etiam pęna, quia iſti relicti in terra erant Iſraelitis, ſicut claui in oculis, & lanceæ in lateribus, vt patet Numer. 33. & Ioſue 23. c. ſi autem non peccaſſent Iſraelitæ quamquam aliquanto tempore detinuiſſet Deus Chananæos in terra: tamen no tanto tempore, ſicut patet præcedenti cap. ſcilicet. Dimiſit Dominus omnes has nationes, & cito ſubuertere noluit: quaſi dicat citius ſubuerſurus erat eas, ſi non peccaſſet Iſrael. Cauſa ergo principalis nunc quare manerent Chananæi in terra, erat in pœnam Iſraelitarum, quia tamen pœna quodammodo habet rationem mali ſaltem quantum ad eum, quia eam ſuſcipit, Deus, qui eſt omnipotens, & immenſus in ſapientia, produxit alia bona ex iſta pœna, ſcilic. quod Iſraelitæ haberent cum quibus exercitarentur ad pugnam, & per quos cognoſceretur an diligerent Dominum, vel non. Primum horum erat Iudæis valde vtile, ne bellica virtus langueſceret. Secundum erat eis cauſa merendi. Videtur tamen rationabiliter dicendum, quod ſi Iſraelitæ non peccaſſent, non reliquiſſet Deus Chananæos in terra ad hoc, quod exercitarentur cum eis, vel ad hoc quod per eorum præſentiam cognoſceretur, an Iſraelitæ diligerent Dominum vel non, quia iſtæ erant cauſę non principales, ſed in defectum, ſcilicet, eliciendo bona ex malis. Quod patet, quia Exo. 23. promiſerat Deus tradere Iſraelitis totam terram Chanaan, quando multiplicati eſſent ad tantum numerū, vt poſſent illam poſſidere.

Quomodo Deus malū ad bonum finem ordinat.

B

C

An Iſraelitæ peccarent, ſi conarentur de terra Chananæos expellere penitus: poſtquam ex parte Dei hoc eis denuntiatum eſt.

Qvæstio III.

Qværetvr vlterius, an Iſraelitæ peccarent ſi conarentur penitus expellere Chananæos de terra poſtquā iſta eis denuntiata ſunt. Aliquis reſpondebit quòd ſic, quia Deus reliquit gentes iſtas, vt erudirentur cum eis Iſraelitæ: ergo ſi quis vellet eas prorſus excludere, faciebat contra voluntatem Dei, & peccabat. Reſpondendum, quòd non peccabant Iſraelitæ volendo prorſus excludere Chananæos de terra, quia dato quod Deus vellet quod manerent, non tenebantur Iudæi hoc velle, quia erat iſtud ad pœnam eorum, ſed non tenetur quilibet conformare voluntatem ſuam voluntati diuinæ in volito: ſed ſatis eſt quod cōformet in modo volendi, alioquin quando Deus nobis pœnas infligit tenemur velle pati illas pœnas, & conſequenter non poſſemus orare, vt auferantur: quod falſum eſt: ergo ſolum obligamur non murmurare recipiendo illas, tamen non velle illas, & conſequenter non conformamur in volito. Item patet hoc quia Deus iubebat Iſraelitis interdum, vt pugnarent contra Chananæos, ſicut iuſſit Barac, quòd pugnarent contra Siſaram principem militiæ Iabin, & pugnaret ad deletionem: ergo debebant iſti deſiderare expellere Chananæos de terra. Item interdum Chananæi pugnabant contra Iſraelitas nolētibus Iſraelitis: ideo ſi Iſraelitæ non deberent velle expellere eos de terra, non poſſent reſiſtere eis in bello. Item hoc implicaret contradictionem: nam Deus dimiſit Chananæos, vt haberent Iſraelitę cum quibus exercitarentur in bello, ſed exercitatio bellica inter hoſtes eſt ad deletionem alterius partis: ergo licebat Iſraelitis deſiderare expellere Chananæos de terra. Item patet quia Deus iuſſerat Deut. 20. quod Chananæis non parcerent Iſraelitæ, ſed omnes occiderent in ore gladij viros, & fœminas: ſed iſtud præceptum nunquam reuocatum eſt: ergo ſemper licebat Iſraelitis occidere quoſcunque poſſent de Chananæis. Dicendum ergo quod licitum erat imò meritoriū Iſraelitis velle expellere Chananæos de terra, & dare operam ad hoc quantum poſſent: quinimo peccarent mortaliter, ſi ſecus facerent, ſcilicet, nolendo expellere eos, vel permittendo manere, quia tunc ſequeretur, quod poſſent fœdus inire cum eis de nunquam nocendo illis, & tamen in hoc peccarent mortaliter: nam de hoc redarguti ſunt præcedenti capitulo, & Numer. 33. dicitur quòd ſi Iſraelitæ nollent expellere Chananæos de terra, fierent eis ſicut claui in oculis, & lanceæ in lateribus: & Deus faceret Iſraelitis omnia mala, quæ cogitauerat facere Chananæis: ſed iſta non faceret Deus Iſraelitis, niſi peccarent mortaliter, ergo videtur quod peccarent ſi non conarentur ad expellendum Chananæos de terra. Cùm autem dicitur, quod Deus dimiſit gentes iſtas, vt erudirentur Iſraelitæ ad bellum: non eſt ſenſus quod iuſſit, quòd non occiderentur, ſed quòd dimiſit eas, id eſt, noluit expellere eas ita cito ſicut alias expulſurus erat, ſed permiſit eas Iſraelitis expellendas, vt ipſi paulatim atque per partes expellerent eas in magno tempore, & ſic haberent locum exercitationis ſemper bellicæ.

D

Quomodo teneamur cō formari volūtati diuinæ in volito.

E

An ad hoc quòd Iſraelitæ locum exercitationis haberent, opus erat dimitti aliquos Chananæos in terra.

F

Qvæstio IV.

Sed quæretur vlterius, an ad hoc, quòd haberent Iſraelitæ locum exercitationis oportebat, quòd dimitterentur aliquæ gentes Chananæorum in terra ſicut litera innuit. Aliquis dicit quòd non, quia etiam non manentibus illis habebant Iſraelitæ locum exercitationis cum aliis gentibus vicinis, ſcilicet, cum Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Amalecitis, Syris, Damaſcenis, & aliis gentibus: nam cum omnibus his pugnauerunt Iſraelitæ tam tempore iudicum, quam regum. De Ammonitis patet tempore Iephtæ Galaaditis, qui fecit magnum bellum contra filios Ammon, vt patet, infra vndecimo. Tempore verò Saulis factum eſt bellum contra Naas regem filiorum Ammon: etiam contra Ammonitas pugnatum eſt tempore Eglon regis Moab, quem occidit Aod, infra in litera. Tempore Dauid etiam pugnatum eſt contra illos: nam Dauid mēſus eſt Moab coęquans terrę faciens duos funiculos, vnum ad occidendum, & aliud ad viuificandum. ſecundo Regum octauo, de Amalecitis, Idumæis, & Syris, patet infra in litera. Dauid quoque pugnauit contra iſtos, ſecundo Reg. octauo, contra Madianitas etiam infra ſeptimo contra hos omnes pugnauit Saul. 1. Reg. 14. Ergo dato quòd

A

Respon. ad q̃ situm.

non manerent Chananæi in terra, haberent Israelitæ locum exercitationis bellicæ. Respondendum est dupliciter. Vno modo quòd quamquam Israelitæ possent habere aliquod exercitium cum gentibus finitimis, tamen non erat illud conueniens: nam si non mansissent Chananæi in terra, & Israelitæ vellent esse boni, non haberent locum pugnandi contra finitimos, ipsi quippe non insurgerent contra extraneos, quia non habebant aliquam causam, cùm de terra eorum non essent suscepturi in possessionem: gentes quoque illæ non pugnarent contra Israel, quia istæ gentes nunquam nocebant Israelitis, nisi cum Deus mouebat illas ad hoc: & istud erat peccantibus Israelitis. Si autem bene agerent non incitarent gentes contra eos, & sic manerent sine bello: cùm autem essent Chananæi in terra, habebant Israelitæ locum pugnandi ex necessitate: nam siue boni, siue mali essent pugnarent; quia si boni essent nunquam facerent aliqua fœdera cum Chananæis, sed semper conarentur ad eripiendum terram de manibus eorum. Si autem mali essent, Chananæi incitarentur à Deo ad insurgendum super eos, cùm deberent eis esse tanquam claui in oculis & lanceæ in lateribus: Num. 33. capit. & sic non deficeret necessitas pugnandi. Item dato quòd Israelitę aliquando vellent cessare à pugna, non permitterentur à Chananæis. Nam cùm accepissent magnam terram Israelitæ, quæ pertinebat ad Chananæos, nunquam quiescerent Chananæi quousque illam recuperarent, & sic

B

esset continuum exercitium: conuenientior ergo modus exercitandi erat relictis Chananæis in terra, quam quod cũ finitimis esset bellum. Aliter potest responderi & melius, quod non fuit causa principalis manendi Chananæorum in terra, vt Israelitæ haberent cum quibus exercitarentur, sed quia peccauerunt dereliquit Deus in pœnanm eorum Chananæos in terra: & si non peccassent nunquam Deus dimisisset Chananæos ad exercitationem, vel ad aliam causam in terra; quia tamen dimittendi erant propter peccatum in pœnam voluit Deus cum illa pœna facere aliquam vtilitatem Israelitis, scilicet, quod haberent cum quibus exercitarentur, & fuit ista exercitatio conueniens magis quam cũ finitimis gentibus; sed ista conuenientia exercitationis non erat causa sufficiens manendi in terra Chananæorum. Hoc patet, quia si per se fuisset ista causa sufficiens, ergo omni tẽpore tenuisset, cum omni tempore bonum esset Israelitis exercitari, & sic nunquam Deus subiecisset Chananæos Israelitis, vt semper haberent locum dimicandi. Sed falsum est, quia subiecit tempore Dauid, & Salomonis: sic enim Salomon dixit 3. Reg. 5. scilicet. Nunc autem requiem dominus dedit per circuitum, nec est Satan, nec occursus malus. Sic etiam 2. Paralipom. 8. dicitur: Omnem populum, qui relictus fuerat de Hethæis, Amorrhæis, Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel de filiis eorum, & de posteris, quos non interfecerant filij Israel, subiugauit Salo-

C

mon in tributarios: ergo non erat causa sufficiens ad manendum Chananæos in terra, quòd Israelitæ haberent cum quibus exercitarentur.

An necessarium, & vtile erat Israelitis Chananæos manere in terra, vt exercitarentur cum eis ad bellum, & quam vtilitatem bella afferunt Politijs, & quid profuerunt Romanis.

Qvæstio V.

Qværetvr vlterius, an necessarium vel vtile erat Israelitis, quòd Chananæi manerent in terra, vel q̃ haberent alias gentes in hostes, ad hoc q̃ exercitarentur in bello.

Respondendum, quòd non fuit necessarium manere Chananæos ad exercitationem ex causa super assignata, quia alioquin semper mansissent: sed falsum est nec ex hoc manserunt, sed quia peccauerunt Israelitæ. Ad secundum de vtilitate dicendum, quòd magis dubium est, & dicendum quòd non est dubium, quin aliqua vtilitas esset Israelitis quòd haberent Chananæos, cum quibus exercitarentur ad bellum: nam non habendo illos, fierent Israelitæ inexperti in armis, & langueſceret virtus fortitudinis: & si contingeret ex insperato aliquod bellum postea insurgere, non possent resistere Israelitæ; quia nec haberent animositatem propter desidiam: nec armorum peritiam propter dissuetudinem, quod esset causa subitanei exterminij. Bonum ergo erat habere hostes ad continuam exercitationem. Item patet hoc de Romanis: nam cùm secundò cœperunt Carthaginem Africanam disputabant an delenda foret, vt nunquam haberent hostes, vel an relinquenda propter exercitium belli. Scipio autem Nasica, qui vir optimus à Romanis ex consulto deorum habitus est, diffiniuit in hoc non esse Carthaginem euertendam, ne cessante bello, populus non habens locum exercendæ fortitudinis, ad luxum & vitia defluret, sed præualuit sententia vulgi quietem, & non virtutem amplectentis. De hoc Augu. de Ciuita. Dei li. 1. Postea autem hoc euenit sc. quod deleta Carthagine Romani ad vitia prolapsi quasi effeminati sunt: vtile ergo fuit Iudæis habere Chananæos semper in terra. Respondendum quod non erat vtile Israelitis manere Chananæos in terra, quia cùm Deus esset rector politiæ Hebræorum, si expediuisset illis, quòd semper mansisset gens Chananæorum infesta Iudæis ad aliquid boni, semper fecisset eam infestam, tamen tempore Salomonis subiecit totam gentem illam: & in hoc videbatur facere specialem gratiam Israelitis, ideo non erat vtile Israelitis, quod manerent semper Chananæi. Item præsentia Chananæorum erat occasio Israelitis ad idololatriam, vt patet præce. c. sc. Habeatis hostes, & dij eorum sint in ruinam vobis, sed idololatria erat maximum malũ maximæ pœnæ Israelitis: ergo erat valde inutile imò nociuũ manere Chananæos. Item mansio Chananęorum impediebat Israelitas à multis bonis operibus: ergo erat inutilis. Quod patet, quia Dauid cogitauit facere tẽplum Domini, & occupatus bellis non poterat, vt habetur 3. Reg. 6. sc. Tu scis vocem patris mei Dauid, & quòd non potuerit ædificare templum nomini Domini, propter bella imminentia, donec daret Dominus eos sub vestigio pedũ eius: & ex hac causa dedit Dominus pacem in diebus Salomonis, vt posset ædificare templũ, vt patet Eccl. 47. sc. Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Dominus omnes hostes, vt conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum: si tamen Chananæi semper fuissent infesti Israelitis nunquam potuisset ædificari templum, cùm dixerit Salomon, quousq; daret Dominus eos sub vestigio pedis eius, ergo non erat vtile manere semper Chananæos. Dicendum igitur quòd aliqualiter erat vtile manere Chananæos in terra, & aliqualiter inutile, quia q̃ maius est damnũ, quam vtilitas vocatur simpliciter inutile, & ob hoc Deus tanquam inutile noluit quòd semper manerent in terra. Ad rationes in contrarium respondendum quòd illæ bene probant vtilitatem aliquam esse in Iudæis ex præsentia Chananæorum: tamen illa vtilitas erat minor quàm damnum, quod sequebatur ex eorum præsentia, ideo vocatur simpliciter inutile.

D

Noci. uũ erat Israelitis Chananæos cum eis commorari.

E

Deter. quæst.

An esset vtile Iudæis habere semper gentem infestam.

F

Qvæstio VI.

Qværetvr vlterius, an vtile esset Israelitis, quòd haberent semper aliquam aliam gentem infestam.

Respondendum quòd Israelitis, aliqua sequebantur inde sc. illa, quę supra arguebamus in Chananęis, & rursus non sequebatur tantum damnum ex eorum infestatione, sicut ex mansione Chananæorum in terra; quia Chananæi erant intra terram Iudæorum, & ob hoc necessariò habebant cum eis maiorem communicatione quàm cum gentibus finitimis & sic inducerentur per istos ad idololatriam, & non per finitimos. Etiam quia siue finitimi pugnarent contra Israel, siue non, semper manebat eadem causa inductionis ad idololatriam, scilicet, quia gentes finitimæ non erant expellendæ de terra, ideò non erat tam nociuum bellum contra gentes propinquas, sicut si manerent in terra Chananæi ad hoc q̃ possent Israelitę, conuerti ad idola: erat tamen aliud malũ si semper haberent Israelitæ gentes contra repugnantes, s. quia per hoc distraherentur à cultu Dei: nam impedirentur aliquæ cæremoniæ cultus, vel festiuitates instante bello: sic fuit quãdo rex Assyriorũ infestabat terram Israel: nam tunc non poterãt celebrare festiuitates suas Israelitę: pereuntib' aũt Assyriis per Babylonios Deus nunciauit lætitiam: & quòd iam possint celebrari festiuitates, vt patet Naum. 1. sc. Ecce super

montes

montes pedes euangelizantis pacem, celebra Iuda festiuitates tuas,& redde vota tua;quia non adiiciet vltra,vt pertranseat in te Belial: vniuersus enim interiit. Deus etiam posuerat pro causa exemptionis à lege ipsam exercitationem belli, scilicet,quòd tempore, quo durarent bella, non essent obligati Israelitæ ad faciendum,cæremonias legis,vt patet Deut. 12. scilicet, Non facietis ibi quæ nos hodie facimus singuli, quod sibi rectum videtur, nec enim, vsque ad præsens tempus venistis ad requiem,&possessionem quam Dominus daturus est vobis,scilicet,quòd ex eo, quod nondum habebant quietem, poterant facere quodcunque vellent : & quando illam haberent obligarentur ad obseruandum legem. Hoc etiam significat litera sequens ibidem, scilic. transibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus daturus est vobis,vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum,& absque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus, illuc omnia, quæ præcipio conferetis holocausta,& hostias : quasi dicat,quia non obligabantur ad holocausta, & hostias, & cætera cęremonialia quousque quiescerent à cunctis gentibus per circuitum,&sic exercitatio bellorum tollebat obligationem legis pro tempore, ideo non erat simpliciter vtile, quòd daret aliquam gentem infestam Iudęis ad solam informationem bellicam. Cum autem obiicitur de Romanis, quod vtilius fuisset non deleri Carthaginem. Respondendum quod non accidebant Romanis ex pugna cum Carthaginensibus damna,quæ eueniebant Iudæis per bella, ideo in Romanis erat simpliciter vtile, in Iudæis autem erat nociuum *Quinque satrapas Philisthinorum*. Hic enumerantur gentes relictæ in terra Chanaan,& primi sunt Philisthini,quia isti erant magnus populus, & vocantur quinque satrapæ, id est,quinque principes, scilicet. Reliquit Deus terram quinque principum Philisthinorum. Isti erant reges, vt patet Iosue decimo tertio,vbi dicitur quòd terra Philisthinorum diuiditur per quinque regulos : satrapæ autem, vel duces vocantur vt comminiter : sic patet 1. Regum. 6. nominantur autem isti quinque satrapæ,à quinque ciuitatibus præcipuis, scilicet, metropolibus Philisthinorum,quæ sunt Gaza,Acaron,Geth, Ascalon, Azotus, vt patet Iosue decimo tertio,& 1.Reg.6. *Omnemque Chananæum*, id est, totam terram populi, qui vocatur Chananæus : licet enim omnes populi terræ huius vocarentur largè Chananæi à terra Chanaan,in qua morabatur : tamen vnus eorum vocatur specialiter Chananęus: & pro isto potest hic accipi,scilic. totus populus dictus Chananæus adhuc manebat, vel quasi totus. *Et Sidonium*, id est, gentes pertinentes ad terram Sidoniorum : erat enim tunc Sidon ciuitas magna, & habens magnam potestatem : tota autem terra subiecta illi vocata est terra Sidoniorum : & ista est terra Phæniciæ,quia Phænix,& Cadmus de Thebis Ægyptiorum profecti terræ illi dominati sunt. *Atque Heuæum*. Iste est alius de populis septem terræ Chanaan,&magna pars huius populi derelicta erat.*Qui habitabat in Libano*.Libanus est mons magnus in terra Chanaan ad latus aquilonare eius, in quo erant ligna preciosissima,scilicet cedri,& abietes,&aliorum generum : de quo ducta sunt omnia ligna,quæ necessaria fuerunt ad constructionem sanctuarij,vt patet tertio Regum quinto, est autem Libanus in terra Sidoniorum, ideo Hiram, qui erat rex Tyri, & Sidonis præerat Libano, & ad eum misit Salomon,vt mitteret ei ligna de Libano, vt patet præallegato capitu. In hoc monte habitabant multi populi, tam Sidonij,quàm Heuæi. *De monte Baal Hermon*, id est, istæ gentes extendebantur de monte, qui dicitur Baal Hermon, vsque ad terram Emath. Potest accipi Baal Hermon, tanquam nomen proprium vnius montis, & sunt duæ dictiones,& accipitur Baal pro valle, & est sensus, quòd extendantur istæ gentes de valle, quæ est apud montem Hermon vsque Emath : sed litera nostra accepit Baal Hermon, tanquam vnicum nomen, & proprium montis, & ponitur hic latitudo, scilicet, Baal Hermon est in latere Meridiano, id est, versus illud, Emath autem est in ipso latere Septentrionali: & inter hæc loca morantur multæ gentes. Non est tamen sensus,quòd omnes gentes hic nominatę sint inter Baal Hermon, & Emath,quia Philisthini non sunt inter hæc duo loca : cum terra eorum incipiat in ipso latere Meridiano terræ Chanaan apud turbidum fluuium Ægypti, vt patet Iosue decimotertio : sed referenda est ista determinatio ad immediata,scilicet quòd Heuæi,&Sidonij,qui remanserunt,erant inter Baal Hermon, & Emath, aliæ autem gentes declinabant ad alias partes terræ Chanaan. *Vsque ad introitum Emath*. id est, vsque ad principium terræ Emath. Est Emath quædam ciuitas in ipso latere aquilonari terræ Chanaan,vt patet Numeri trigesimo quarto, & vocatur alio nomine Reblata, & postea vocata est Antiochia,in qua beatus Petrus sedit annis septem,tanquam pontifex totius orbis,& inde in vrbem Romam sedes apostolica translata est. Ista terra Emath erat nunc sine populo, quia nondum fuerat habitata, ideo non dicitur vsque Emath, sed vsque ad introitum Emath, scilicet, vsque ad principium terræ illius. De hac dicit Iosephus quinto antiquitatum : Loca autem apud Amatheos, & Sidonem,& Arathæos, atque Arithæos tunc inculta erant, id est,sine habitatione,& loquitur de tempore diuisionis terræ per sortes,vocantur autem Amathæi, id est, populi habitantes apud Emath. *Dimisitque eos, vt in ipsis experiretur Israel*, id est,acciperet experientiam.Non est intelligendum quòd per præsentiam harum gentium in terra Chanaan Deus acciperet experientiam an Israelitæ colerent eum, vel non, quasi aliter nesciret : quia Deus omnia simul per se ipsum cognoscit : nec accipit cognoscere ex rebus extrinsecis intantum, quòd si per seipsum non cognosceret,impossibile esset cpper partes extrinsecas doceretur ; cùm non sit ens possibile ad aliquod recipiendum. Sed est sensus quòd manifestum esset ipsismet Israelitis,& aliis Gentibus,an verè desiderarent Deũ colere manentibus istis in terra. Nam si non manerent ibi Chananæi non esset locus tam opportunus experiendi sicut manentibus eis : & hoc propter maiorem opportunitatẽ colendi idola. Nam cùm viderent Israelitæ Chananæos colere idola, ipsi quoq; inclinabantur ad colendum, & erat eis hoc quasi quædam tentatio : si autem non manerent Chananæi, non haberent inclinationem ad colendum,ideo facilius sibi esset colere Deum, & non pateret firmitas eorum ad Deum. *Vtrum audirent*. Id est, opere complerent, quia audire nihil prodest, nisi subsequatur obedire in minoribus, vel exaudire in maioribus.*Mandata Domini,quæ præceperat patribus eorum*. scilicet legem, quia nihil noui oneris eius nunc imponebat. Etiam non loquebatur hic de tota lege, sed specialiter de ipso cultu Dei,scilicet,an colerent Deum verum,vel declinarent ad Deos alienos. Nam si Israelitæ declinarent ad Deos alienos consummata præuaricatio, & tota lex destruebatur, & si colerent Deum suum non declinantes ad idola,non poterat in reliquis esse magna præuaricatio. *Per manum Moysi*,id est,per Moysen, scilicet, quod ipse tulit eam ad populum, & erat medius inter Deum & populum in datione legis Deuteron. quinto, & populus petiuit quòd loqueretur eis Moyses,& non Deus,ne morerentur,vt patet Exod.20.Deuteronom. quinto. *An non*, id est, sic cognoscerentur quid facerent. Sciendum autem quod non erat ista causa sufficiens ad dimittendum Chananæos in terra : nam si non peccauissent Israelitæ, non dimisisset Chananæos in terra. Quod patet,quia tunc semper subsistebat ista causa,scilicet,vt Deus experiretur Israelem an sequerentur mandata eius, ideo semper reliquisset Deus Chananæos infestos Israelitis : sed falsum est.De quo supra dictum est.Sed est sensus quòd causa principalis quare manserunt Chananæi in terra, fuit quia peccauerunt Israelitæ : & hoc fuit in pœnam. Ex ista autem pœna Deus produxit per sapientiam suam duo bona : primum quòd isti essent ad hoc, quòd exercitarentur Israelitæ ad bella, & non langueſceret virtus. Secundum quòd per Chananæorum prætentiam cognoscerentur an Israelitæ diligerent Dominum, vel non. *Itaque filij Israel*. Hic ponitur secundum huius capitul.in quo describitur prima tribulatio Israelitarum, quæ fuit per regem Syriæ, & diuiditur in tres partes. Primò ponitur culpa : secundò pœna inflicta ibi. *Iratus Dominus*. Tertiò subleuans misericordia ibi. *Qui suscitauit eis*. Circa primum ponitur culpa quæ fuit, quia Israelitæ duxerunt vxores de filiabus Chananæorum, & per hoc conuersi sunt ad idola.*Itaque filij Israel habitauerunt in medio Chananæi*, scilicet, post mortem Iosue antequam haberent aliquem iudicem habitauerunt inter hos populos,& ex hoc per quandam communicationem habuerunt occasionem cadendi in malum. Accipitur hic Chananæus specialiter pro vno populo de septem populis Chananæorum.

A

Respon sio ad secundam.

B

Enumeratiõ gentium in terra Chanaan relictarũ.

Sidon quid sit.

C

Liba nus quid sit.

D

Petrus sedit annis septem in Antiochia q̃ dicebatur Reblata, & Emath.

E

Ex hac Israelitarum pœna Deus duo bona per eius sapientiã produxit.

Prima Israelitarum tribulatio.

Diuisio eiusdẽ.

Israelitarum culpa.

F

Quod

A Quod patet, quia nominantur hic ſpecialiter omnes populi Chananæorum præter Gergeſæum, qui rarò nominari conſueuit.

An manerent omnes ſeptem populi Chananæorum in terra tempore quo cœperunt iudices.

QVÆSTIO VII.

QVÆRET aliquis, quomodo Iſraelitæ potuerunt habitare inter hos populos: nam iſti populi iam non erant, quia ſolum relicti fuerant Chananæi, Sidonij, & Heuæi: vt patet ſupra in litera. Aliquis reſpondebit, quòd nomine Chananæi intelliguntur omnes iſti populi: eo quòd Chananæus eſt nomen generale ad omnes ſeptem populos, inquantum omnes erant de terra Chanaan, & ibi, vt breuius diceret, nominauit Chananæum generaliter: hic tamen expreſſit omnes ſex populos. Sed dicendum qnòd non ſtat, quia quando Chananæus ponitur generaliter pro omnibus ſeptem populis, non condiſtinguitur contra alios populos, cùm partes non ponant in numerum cum toto: ibi tamen dicitur, quòd relicti ſunt quinque Satrapę Philiſthinorum, & Heuęi, & Sidonij, & Chananæi: ergo non ponuntur Chananæi pro omnibus populis Chananæorum, ſed pro vno ſpeciali populo. Item quia dicitur ſupra, omnem Chananæum: ergo ſi acciperetur largè, neceſſe eſſet, quòd de terra Chanaan adhuc nullus populus vaſtatus eſſet ab Iſraelitis, eo quòd dimitteba

B tur totus populus Chananæorum, ſed magna pars erat expulſa & occiſa: ergo non accipitur Chananæus pro omnibus populis, ſed pro quodam populo. Aliquis reſpondebit aliter, ſcilicet, quòd verum eſt quòd de omnibus populis Chananæorum, Heuæorum, Iebuſæorum, Pherezæorum: &c. manebant adhuc aliqui, ita quòd nullus de ſeptem populis Chananæorum totaliter perierat: ſcriptura tamen ſupra fuit breuiloqua, & ſolum tetigit de quibuſdam populis, ſicut ſæpe multa fiunt, quæ in ſcriptura enarrantur incompletè, vel penitus ſubticentur. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia cùm maxima pars terrę Chanaan ſubiecta fuiſſet Iſraelitis, & manſiſſet aliqua, cum qua deberent dimicare, voluit ſcriptura completè enarrare; alioquin non oportuiſſet, quòd enarraſſet quoſdam populos ſpecialiter, ſicut enarrauit, & ſubticuiſſet alios, ſed quòd diceret generaliter manſiſſe quaſdam gentes de populis Chananæorum. Item fortius patet hoc, quia iterum poſuit ſcriptura omnes has gentes, quæ relictæ fuerunt de Chananæis, & tamen non fuerunt poſitæ plures quàm ponantur ſupra, vt patet Ioſue decimo tertio, vbi ponuntur Philiſthini quinque reguli, & Heuæi, & Sidonij habitantes in Libano, & inter Baalgad de monte Hermon vſque quo ingrediaris Emath: & ſic in ſententia nihil ibi eſt magis, ideo non ſubticerentur hic aliqui, quia tunc ſi

C hic ſubticerentur, non contingeret alibi ſubticeri, & tamen ponuntur iſti ſoli populi Ioſue decimo tertio, ergo iſti ſoli relicti ſunt. Aliquis reſpondebit aliter, ſcilicet, quod illi populi, qui ſupra nominantur, ſolùm manſerunt in terra: & cùm dicitur quòd habitauerunt filij Iſrael in medio Chananæi, &c. dicet quòd iſta ponuntur per recapitulationem, ſcilicet, quòd iſtud fuit prius quàm eſſet dimiſſio populorum in terra Chanaan, cùm paucæ gentes Chananæorum erant deletæ. Cum autem poſtea dimiſit Deus quaſdam gentes propter peccata Iſraelitarum, ſolum ſupererant illæ, quæ ſupra nominantur, ideo illæ ſolæ relictæ ſunt. Sed hoc non ſtat, nam nullo modo poteſt eſſe anticipatio, vel recapitulatio, ſed eſt rectus ordo, quia prius fuit dimiſſio gentium in terra Chanaan, quàm id quod hic dicitur de habitatione Iſraelitarum inter iſtos populos: quod patet, quia Deus dimiſit gentes iſtas viuente Ioſue cum propoſito non delendi eas, vt patet præcedenti c. quando Angelus Domini increpuit Iſraelitas, & ait: Cur hoc feciſtis? quamobrem nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes & dij eorum ſint vobis in ruinam. Erat autem tunc præſens Ioſue, vt patet ibidem, & tamen immediatè in principio capit. iſtius nominantur gentes, quas Deus dimittebat: ergo ſolæ hæ erant, quas angelus dixit dimittendas fore, vt exercerentur cum eis Iſraelitæ. Quod autem dicitur hic, ſ. quod Iſraelitę habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, &c. neceſſariò fuit poſt, eo quod fuit poſt mortem Ioſue, ſcil. quando rex Syriæ oppreſſit Iſrael, & factus eſt Othoniel iudex: ergo poſt dimiſſionem gentiũ adhuc manebant omnes iſti populi. Item patet hoc efficacius, quia pauco tempore poſt introitum in terra Chanaan ante dimiſſionem ſortium dixit Deus ad Ioſue, quod diuideret totam terram ſorte, & enarrauit ei gentes, quæ nondum ſubiectæ erant Iſraelitis, & ſolùm nominatæ fuerunt illæ, quæ dicuntur ſupra derelictæ, vt patet Ioſue 13. ergo videtur quòd non fuit hic aliqua mutatio ordinis, ſed illa dimiſſio gentiũ fuit magno tempore ante hoc quod dicitur hic. Item patet hoc quia non ſolùm nunc erant relicti plures populi Chananæorum, quàm nominantur ſupra, ſed etiam tempore Salomonis, vt patet 2. Paral. 8. ſc. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, qui non erant de filiis Iſrael de filiis eorum, & de poſteris quos non interfecerant filij Iſrael, ſubiugauit Salomon in tributarios: ergo tempore Salomonis ſupererant iſti populi, & tamen non ponuntur hic inter gentes, quæ dicuntur derelictæ. Reſpondendum igitur, quòd gentes derelictæ ad experimentum filiorum Iſrael fuerunt de omnibus ſeptem populis Chananæorum, ſcilicet quòd non erat aliquis de illis ſeptem, de quo non ſupereſſent aliqui. Dicendum etiam quòd omnes iſti ſeptem populi, ſiue partes iſtorum ſeptem populorum relictæ nominantur ſupra in litera, & Ioſue decimo tertio, hoc quidem non quantum ad nomen, ſed quantum ad partem terræ, in qua habitabant: velut ſi diceretur, manſerunt omnes gentes, quæ habitabant inter talem, & talem locum. Declaratur autem hoc magis: nam hic nominantur duo populi ſpecialiter, ſc. Chananæi, & Heuæi: deinde ponuntur Philiſthini, qui neceſſariò ſint diſtincti ab aliis, eruntque de Pherezæis, vel Iebuſæis, Amorrhæis, Hethæis, vel Gergeſeis, aut fortè de omnibus his: nam Philiſthini erant multi, ſcilicet, diuiſi in quinque reges: ideo de multis generibus poterant eſſe inter eos. Nominauit etiam Sidonios, qui ſunt magni populi, cùm dixerit, omnem Sidonium: & iſti non computantur inter Chananæos, vel Heuæos: ideo neceſſe eſt quòd eſſent de aliquo aliorũ quinque populorum, vel fortè de omnibus ſimul. Et ob hoc fuit ſcriptura cauta, quod nominauit loca habitationum, vt non cogeretur nominare nomina populorum, quia iſtud magis expreſſiuum, cùm per hoc cognoſcatur an magna pars Chananæorum relicta foret, vel pauca, quod non fieret exprimẽdo nomina. *Et duxerunt vxores filias eorum.* Dupliciter peccabant in hoc Iudæi. Primò quia iniebant fœdus de pace cum Chananæis: nam non acciperent filias eorum, & è contrariò, niſi pax eſſet: Deus tamen vetuerat pacem inter Iſraelitas & Chananæos, dicẽs quod ſub nullo fœdere conuenirent cum eis, ſed occiderent omnes in ore gladij, vt patet Deu. 20. c. Secundò peccabant contrahendo coniugia, quia Deus hoc vetuerat Deu. 7. & Exo. 34. *Ipſiq; filias ſuas eorum filijs tradiderunt.* Iſtud adhuc eſt maius dedecus, quàm quod Iſraelitæ acciperent filias Chananæorum in vxores. Primò quia cùm vir ſit maior vxore, Chananæi accipientes filias Iudæorum in vxores, cogerent eas ad idololatriam, & dato quòd mulier vellet reſiſtere, cum maneret extra terram ſuam, & non haberet aliquos eruditores in vera fide, nec ſanctuarium, ad quod aliquando iret, vt confirmaretur in amore cultus diuini, nequaquam potuiſſet. Vir autem accipiens filiam Chananæi, in vxorem non poterat violentare eam ad cultum idolorum. Etiam non tranſit in terram alienam, ſed manet in ſua, vbi habet templum Domini, & eruditores in fide. Quinimmò Iudæus accipiens Chananæam in vxorem poterat eam conuertere ad ritum Iudaicum, & ſaluaretur. Secundò quia cum filij ſint de familia patris, & ſint ſub poteſtate eius, quando aliqua mulier Hebræa tradita Chananæo filios procreaſſet, patet quod illi eſſent Chananęi: & ſic genus Iudęorum neceſſariò conuerteretur ad ritum Chananęorum, & efficeretur Chananęum. In viro ſecus erat, quia Iudęus accipiens Chananęam vxorem faceret omnes filios ſuos Iudęos, & ſequentes ritum Iudaicum. Tertiò quia dehoneſtabatur genus Iudęorum: nam cum ipſi acciperent vxores de Chananęis ſubiiciebatur genus Chananæorum Iudęis cum mulier ſit ſubdita viro: ſi autem acciperent Chananęi filias Iudęorum, eſſet genus Iudęorum ſubiectum Chananęis, in quo erat dedecus.

D

Doct. reſpon. ad quæſitum.

E

F

A

Quare Deus non permittebat Israelitas accipere vxores de filiabus Chanaan.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRET aliquis, quare Deus non permittebat, quòd Israelitæ acciperent vxores de filiabus Chanaan: nam quòd filiæ Iudæorum traderentur in vxores Chananæis erat nimis inconueniens propter prædicta, quòd tamen filiæ Chananæorum essent vxores Iudæorum, non erat aliquid de illis inconnenientibus, imò poterat sequi ex hoc duplex bonum. Primum erat, quia mulier illa Chananæa conuerteretur ad ritum Iudaicum compellente viro & saluaretur. Secundum erat: quia filij illius mulieris, qui aliàs futuri erant Chananęi si acciperent virum Chananæum, nunc essent Iudæi, & in cultu Dei.

Respõ. ad quæstum.

Respondendum quòd aliqua vtilitas sequi poterat. Tamen Deus magis voluit vitare in Iudæis damnum, quod sequi poterat accipiendo vxores Chananæas, quam desiderarit bonum, quod in dubio inde poterat prouenire: poterant autem Israelitę conuerti ad idola accipiendo vxores de Chananæis propter amorem mulierum, ideo omnino vetuit talem contractum, vt patet Exod. 34. cap. scilicet. Nec vxorem ducas de filiabus eorum filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ fornicari doceant filios tuos in Deos suos. Causa autem potissima huius fuit, quia Deus putauit verisimilius esse quòd Hebręi ducerentur ad idola propter vxores, quàm quòd conuerterentur vxores Chananææ ad Dominum propter viros: imò Deus sciebat hoc, ideo non permisit vllo modo talem contractum. Patet hoc in Salomone, qui erat sapientissimus virorum; & tamen vxores inclinauerunt cor eius, vt sequeretur idola, & fabricauit templa ac idola vxorum suarum, & coluit ea, vt patet 3. Reg. 11. potius ergo falli poterat quilibet alius minus sapiens; ideo nulli Iudæo fuit concessum quod acciperet vxorem de Philisthinis, vel aliis Chananæis. Secunda causa ad hoc fuit propter filios Israelitarũ, vt ait Arist. 1. Poli. vlt. c. in fine, Dimidium liberorum est mater, sc. ad hoc quod filij sint boni, vel mali, viri medietas huius, id est, maior pars facultatis, vel opportunitatis ad hoc est in matre: nam cum mater bona fuerit, erunt boni filij. Causa huius est, quia potentissima doctrina virorum est secundũ ea, quæ accipiunt in tenera ætate: nam si quis ad recte agendum à pueritia instruatur, facile sibi postea est tenere semper rectam consuetudinem: si autem instruatur in malo, cum nimia difficultate postea ad bonum retrahetur, quia mores paruulorũ valde infiguntur, & tunc erit ꝙ dicit Ieremias: Si potest mutare Æthiops pellẽ suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. sc. à tenera ætate. Ob hoc autem Arist. Ethic. li. 2. sequens doctrinam Platonis. Non modicũ confert statui à iuuene, id est, ex infantili ætate sic, vel sic assuesci. Sic Aug. 1. De ciuitate Dei. c. 3. sc. quod ob hoc Romani faciebant, vt paruuli sui in Virgilio mox erudirentur, vt tanquam maximus poetarum teneris ebibitus annis non possit faciliter aboleri: paruuli tamen in parua ætate, in qua sic, vel sic erudiri debent, conuersantur apud matrem: ergo mater est plus quam dimidium liberorum: cùm igitur filij Hebræorum nutrirentur apud matres Chananæas, instruerentur ab eis secundum ritus Chananęorum; ideo esset difficile istos postea bene agere. Causa tertia fuit, quia Deus habebat exosum totum genus Chananæorũ propter infandissima peccata, ideo volebat delere illud funditus tam in viris quam in fœminis paruulis: vnde non debebat aliqua dari in vxorem Hebræo viro, ne postea delenda foret: sicut enim in peccato Sodomorum fœminæ directè non peccabant, Deus tamen propter iniquitatem magnam illorum voluit funditus delere genus illorum, ideo tam viros quam fœminas & paruulos cremauit: ita in peccatis Chananæorum cùm tanta essent, voluit Deus perdere tam viros quam fœminas. De magnitudine peccatorum Chananæorũ patet Sap. 12. c. scilc. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ quos exhorruisti, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxilitarum perdere voluisti, & hoc fuit, quia Chananæi nullo modo corrigibiles erant: sic patet eod. c. sc. non gnorans quoniam in qua natio est illorum, & naturalis malitia illorum, & quoniam non poterat permutari cogitatio cordis illorum in perpetuum: semen enim erat maledictum à principio, nec timens aliquem, non ergo permisit Deus Israelitas accipere vxores de filiabus Chananæorum. *Seruierunt dijs eorum*, sc. omnibus dijs terræ Chananæorum exhibendo illis sacrificia, & tenendo reliquas cæremonias illoru relicto cultu Dei sui. *Fecerunt q malum in conspectu Domini*, s. declinãdo ad idola, & præuaricando totam legẽ. *Et obliti sunt Dei sui.* Non obliti sunt se habere Deum, scientes quod patres eorum aliquem Deum coluissent, quem ipsi non colebant, sed obliti sunt beneficiorum eius, sc. quod non impenderunt ei honorem vllum tanquam nunquam eis benefecisset. *Seruientes & Baalim & Astaroth*, id est, declinauerunt ad colendũ istos duos Deos, quia isti erant præcipui in terra Chanaan, vt declaratũ est præcedenti c. in Hebræo habetur. *Baalim, & Aseroth.* Et est in Hebræo Aseroth pluralis numeri, & significat lucos: nam asera est singulare, & significat arbores, vel magis vna arborem plantatam: Aseroth plurali significat multas arbores: sic patet Deu. 16. cum litera nostra dicit, non plantabis lucum in Hebræo habetur: Non plantabis Asera: cuius plurale est Aseroth. Fiebant autem altaria apud arbores propter sacrificia Priapi. s. quod post sacrificia possent vacare libidini inter arbores, & ob hoc dicunt Hebræi quod per Aseroth siue lucos intelliguntur hic Priapus, & Adonis. Nam vtriq; fiebant sacrificia pertinentia ad libidinem. De Priapo quod coleretur cum turpitudine, patet 3. Reg. 15. quod in specu subterraneo colebant, & vocabatur simulachrum turpitudinis. De Adoni de patet, quia ille erat amasius Veneris, vt narrat Ouidius decimo Metamorphos. & huic exhibebant anniuersarium luctum mulieres, & sacrificia quædam, vt patet Eze. 8. scil. Vidi mulieres plangentes Adonidẽ, & quia isti duo dij pertinebant ad libidinẽ, fiebant eis altaria inter arbores, siue Aseroth. Hieronymus autem transtulit Astaroth, eo ꝙ Aseroth non erat nomen idoli, sed arboris. Litera tamen hic videtur intelligenda de diis, cum dicat, ꝙ seruierunt Baalim, & Astaroth. Est aũt leuis mutatio de Aseroth ad Astaroth: non tamen habetur hic in Hebręo sicut in aliis locis, vbi litera nostra ponit Astaroth, vt patet 1. Reg. septimo, vbi dicitur Baalim, & Saaroth. Et primo Regum vltimo, scil. posuerunt arma eius in templo Astaroth, & vtrobiq; in Hebræo ponitur Astaroth, sicut in litera nostra. *Iratus q contra Israel Dominus.* Hic ponitur secũdum huius primę partis sc. pęna inflicta. Et dicitur iratus dominus indignatus, sc. ad puniendum, ex quo nos arguimus iram eius quamquam non sit. *Tradidit eos in manus Chusan Rasathaim*, sc. amouit protectionem suam ab Hebræis, & incitauit regem istum, vt pugnaret contra eos: ideo faciliter capti sunt ad seruiendum ei. Est autem Chusan Rasathaim vnum nomen istius regis, & fortè est compositum ex pluribus exaliqua causa. *Regis Mesopotamiæ.* Ista est ciuitas inter duo flumina, & est apud Euphratem in Syria. In hac ciuitate habitabat Nachor, & Aram, & Abraham cum patre suo Thare post exitum de terra Chaldæorum: & mortuo Thare exiuit inde Abraham, & venit in terram Chanaan iubente Deo, vt patet Gen. 11. & 12. c. In hac etiam habitauit Iacob pascens oues Laban, & accepit vxores: Gen. 28. & 29. c. In Hebræo habetur hic. *Regis Aran Naharain.* quod interpretatur Aran fluuiorum: nam Aran est nomen propriũ vrbis: Naharain significat flumina, quia Nahar singulare significat vnum fluuium: & hoc est quia ista ciuitas est inter duo flumina. Vocatur hic Mesopotamia, quod idem est, quia Mesopotamia est nomen Grecũ & dicitur à Meso, quod est medium, & potamos, quod est fluuius, quasi in medio fluuiorum. Vocatur autem in litera nostra locus iste aliquando Aran, & aliquando Mesopotamia. De primo patet Genes. 11. & 12. de secundo patet Gen. 28. & ratio diuersitatis est, quia in Hebræo aliquando ponitur Aran, & aliquando Aran Naharaim. Quando ponitur Aran etiam litera nostra ponit Aran: cum verò ponitur Aran Naharaim litera nostra ponit Mesopotamiam, quod significantius est quam Aran Naharaim. *Seruieruntq; ei octo annis.* scilicet, fuerunt sub potestate eius isto tempore, quia peccauerunt.

B

C

D

Ad quid apud arbores fiebat altaria apud Chananæos.

E

Pœna inflicta Israelitis.

Situs Mesopotamiæ.

F

Mesopotamia vnde dicatur.

A

Quamdiu tanto tempore manebant Israelitæ sub seruitute regis Syriæ.

Qvæstio IX.

Qværet aliquis quomodo tanto tempore manebant Israelitæ sub seruitute regis Syriæ, nam quando inuocabant Dominum exaudiebat eos, & dabat eis saluatorem, vt patet infra. In tanto ergo tempore quid fecerunt?

Responderi potest dupliciter: vno modo quòd Israelitæ non clamauerunt ad Dominum in his octo annis vsque ad finem eorum,,vel quasi: ideo prius non fuerunt liberati. Et hoc poterit esse verisimile, quia cùm Iudæi recessissent à cultu Dei, fortè non putabant malum istud euenire eis propter desertionem cultus diuini, sed ex aliis causis: ideo tolerabant amaritudinem suam. Postea autem, vexatione dante eis intellectum, cognouerunt quòd euenerant mala hæc quia dereliquerant Dominum, ideo clamauerunt ad ipsum. Aliter potest responderi, quod Israelitæ postquam traditi sunt in manus regis Mesopotamiæ clamauerunt ad Dominum, tamen non exauditi sunt vsq; ad annum octauum, & istud est verisimilius. Ratio huius est, quia Israelitæ peccauerant recedendo à Deo, & putabant se quasi nihil agere, ideo Deus voluit, quòd sustinerent pro hoc conuenientem pœnam, scilicet captiuitatem octo annorum. Vnde quamquam Hebræi clamarent non exaudiebantur, vt scirent quòd Deus vellet punire eos pro delictis. Sic factum est tempore Eglon regis Moab. Nam seruierunt ei Israelitæ decemocto annis, vt patet infra in litera: non tamen est verisimile, quòd in octo annis non clamauerint. Deus tamen non exaudiebat eos in toto illo tempore, & quia nunc magis peccauerunt quàm prima vice: magis punirentur quam clamarent. *Qui suscitauit eis Saluatorem.* Hic ponitur tertium huius primæ partis, scilicet, subleuans misericordia: nam Deus licet puniat, misereturnisi homo efficiatur incorrigibilis. Et dicitur quòd Deus suscitauit Saluatorem, scilicet, quia ipse dedit illum immittendo ei spiritum fortitudinis, & prudentiæ: & dando desiderium, vt pugnaret contra hostes Israel, quòd patet quia dicitur infra, fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel. Et vocatur iste Saluator, quia saluabat, id est, liberabat Israelitas de manu hostium. *Et liberauit eos.* scilic. pugnando contra Chusan Rasathaim. An verò alia bella egerit non habetur. *Othoniel videlicet filium Cenez.* Aliqui putant Cenez esse nomen mulieris matris Othonielis. Sed non est verisimile, quia scriptura parum curat in describendis genealogiis nominare matrem sed patrem. Item quia filij recipiunt nomen cognationis à patre, cùm dicantur esse de familia patris, & progenie. Caleb tamen frater Othonielis vocatur Cenezæus à Cenez: ideo verisimilius est quod sit nomen patris. *Fratrem Caleb minorem,* id est, erat minor quam Caleb, vel inter omnes fratres Caleb nullus erat minor quam Othoniel.

Subleuãs misericordia.

Improbatio opiniõis quorũdam. Prima. Secunda.

B

C

Quomodo Othoniel potuit esse primus iudex Israel.

Qvæstio X.

Qværet aliquis quomodo Othoniel potuit esse primus iudex Israel, quia præcedenti c. dicitur quòd mortuus est Iosue omnisque illa generatio congregata est ad patres suos, & surrexerunt alij, qui non nouerant Dominum: & tunc peccauit Israel, & introducti sunt iudices. Othoniel tamen fuit de illa generatione seniorum, quæ dicitur congregata ad patres suos: ergo ipse non potuit esse iudex primus. Hoc patet quia generatio illa vocatur generatio coætaneorum Iosue: Othoniel tamen fuit de istis, quia Caleb erat de coætaneis Iosue, & pertinens ad generationem illam, sed Othoniel erat frater Caleb: ergo erat ille de generatione illius temporis, & consequenter fuit Iudex. Respondendum quòd Othoniel fuit primus iudex sicut litera testatur hic, & cum dicitur quòd omnis illa generatio congregata est ad patres suos, antequam peccarent Israelitæ, & insurgerent iudices. Dicendum quòd Othoniel non fuit de generatione illa: nam de generatione illa vocantur illi, qui erant coætanei Iosue, & egressi sunt de Æhypto. Quod patet quia dicitur, quòd isti seniores viderant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel præcedenti capit. scilicet tam in Ægypto, quàm in deserto: & sic fuerunt Iosue & Caleb, & multi alij, qui quando egressi sunt de Ægypto erant sexdecim, vel septemdecim annorum, & viderant atque considerauerant mirabilia Dei. Othoniel autem non exiuit de Ægypto, sed natus est in deserto: & non viderat omnia mirabilia Dei, sed pauciora, ideo non est de generatione illa. Et non obstat quod sit Caleb frater, quia vocatur frater minor eius, scilicet, quod erat valde minor, & semper vocatur minor, vt patet Iosue 15. & supra primo, quasi esset valde minor: & sic non pertinebat ad coætaneos Caleb, & Iosue, qui dicuntur esse illa generatio seniorum, ideo viuente Othoniele mortuus est Iosue, & Caleb, & omnes, qui exiuerant de Ægypto, & peccauerunt Israelitæ, fuitque ipse assumptus in iudicem. *Fuitque in eo spiritus Domini.* In hoc apparet quòd essent isti iudices suscitati à Deo, quia veniebat super eos spiritus Domini, & hoc dicitur quasi de omnibus iudicibus, siue essent à Deo vocati, siue electi à populo. Vocatur autem spiritus Domini fortitudo, & prudentia, & impetus ad bellum. Est autem modus loquendi scripturæ, quòd quæcunq; qualitas missa à Deo in animam nostram dicatur spiritus, eo quòd sicut spiritus dicit aliquid habens motum, ita quodcunque à Deo causatum in anima nostra mouet nos. *Et iudicauit Israel.* Id est, vindicauit de manibus hostium, vel iudicauit, id est, rexit, scilicet quod dabat eis præcepta circa opera belli. *Egressusq; est ad pugnam.* Istud bellum motum fuit ex parte Chusan Rasathaim. Nam prius dominabatur Israelitis, & recipiebat ab eis tributa, quę volebat. Cum autem incidit spiritus Domini in Othonielem, noluit quòd soluerentur tributa, & tunc Chusan mouit bellum ad quod egressus est Othoniel. *Et tradidit Dominus in manus eius Chusam Rasathaim regem Syriæ,* scilicet, fecit eum victorem in bello contra Chusan.

D

Othoniel natus est in deserto.

Omnis qualitas à Deo in animam nostram missa dicitur spiritus

E

Quomodo tradidit Deus Chusan in manus Othonielis.

Caput XI.

Qværet aliquis quis modus fuit, quo Deus traderet Chusan in manus Othonielis.

Respondendum quòd fortè sicut cum Israelitæ peccabant contra Dominum Deus incutiebat eis timorem magnum, ita vt nullo modo resistere possent, vel auderent hostibus, vt patet Leu. 26. & Deu. 28. ita cum nunc conuersi fuissent ad Deum, Deus incussit timorem hostibus eorum, itavt nequaquam auderent expectare Israelitas. Sic enim fuit generaliter in omnibus bellis Chananæorum: nam Deus incutiebat timorem Chananæis, & terga vertebant, vt patet Exod. 23. sci. Timorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingrederis, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. Aliter esse poterat quòd Deus mitteret aliquas aues, vel bestias, quę adiuuarent in bello Israelitas, vel saltem impedirent Syros. Sic fuit in bello contra Chananæos: nam misit Deus vespas, quæ sunt parua animalia habentia aculeos venenatos, & percutiendo Chananæos in faciem impediebant à bello, & occidebant quosdam. Sic patet Exod. 23. & Deut. 7. scilicet, insuper cabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint & latere potuerint. De hoc etiam dicitur Sapien. 12. sed & his tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Aliter potuit hoc fieri, scilicet, vt Deus de cœlo daret auxilium, vt mittendo lapides grandinis: sicut quando pugnauit Iosue contra quinque reges: & in descensu Bethoron misit Deus lapides grandinis vsque Azecha: & plures fuerunt pereuntes lapidibus, quam quos Iosue occiderat, vt patet Iosue 10. cap. Vel poterat alio modo mitti auxilium de cœlo; sicut dicitur de pugna Barac contra Sisaram. Stellæ manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt: & de cœlo contra eum dimicatum est, vt patet infra quinto c. Multi alij modi esse poterant, quibus Deus tradetet regem Syriæ in manus Othonielis: de quibus magis declarabitur primo Reg. 22. cap. *Et oppressit eum,* id est, occidit illum, vel humiliauit, & compulit in

F

fugam.

A fugam. Iſte Chuſan à principio dominatus fuerat Iſraelitarum per bellum, vt ait Ioſephus quinto antiquitatum, ſcilicet, Caſtra quidem agente contra eos Cuſarcho rege Aſſyriorũ multi pugnantes perierunt, & oppreſſi fortiter capti ſunt: quidam ſe illi propter timorem ſponte tradiderunt: poſtea verò agente Othoniele ab Iſraelitis ſuperatus eſt. *Quieuitque terra quadraginta annis*, id eſt, fuit in pace poſt ſuperationem Chuſan, cum poſtea non oppreſſerit Iſraelitas.

Quomodo iſti quadraginta anni ſint computandi & à quo tempore inchoandi.

QVÆSTIO XII.

QVÆRET aliquis de iſtis quadraginta annis quomodo computati ſunt, & à quo tempore inchoandi. Aliqui putabunt quòd incipere debent à tempore victoriæ habitæ de Chuſan. Quod patet quia dicitur: Quieuit terra, & tamen terra non quieſcit quouſque ceſſent bella. Sed hoc non ſtat, quia tunc neceſſe eſt, quòd octo anni quibus fuit terra ſub poteſtate Chuſan diſtinguantur, & ponantur in numerum contra iſtos: ſed hoc modo colligentur multi anni in tempore iudicum; quia etiam 18. anni qui habentur infra in litera condiſtinguentur contra quadraginta annos, quibus quieuit terra: & viginti anni ſub rege Aſor condiſtinguentur contra quadraginta annos, quibus quieuit terra, de quibus infra quinto, & ſequenti cap. ſi tamen ſic computantur erunt valde plures anni, quàm ponantur 3. Reg. 6. vbi ponuntur 480. anni ab exitu de Ægypto vſque ad principium fabricationis templi Salomonis: nam plures quam 600. colligentur, quod tamen ſcriptura ſacra ſolum aſſerit fuiſſe tot annos, neceſſe eſt vt nos taliter computemus omnia tempora intermedia, quòd ſolùm contineant iſtos annos. Ob hoc autem conſiderandum, quod quandocunque ponuntur aliquot anni, quibus Iſraelitæ oppreſſi ſunt aliquibus hoſtibus, illi non ſunt per ſe computandi, ſed computantur ſub annis, quibus terra dicitur quieuiſſe: vel quibus dicitur præfuiſſe aliquis iudex, & hoc modo reducentur omnia ad concordiã. Modus autem colligendi iſtos annos erit incipiendo ab exitu de Ægypto, & ſunt quadraginta anni vſque intriotum in terram Chanaan. Deinde ſucceſſit Ioſue in principatu, cuius tempora non computantur, nec tempora ſeniorum, qui vixerunt poſt eum, ſed ſolum computantur quadraginta anni, quibus quieuit terra iudicante Othoniele: & ſub iſtis computare debemus tempus, quo præfuit Ioſue, & fuerunt viginti ſex anni, vt ait Ioſephus quinto antiquitatum, & manent quatuordecim computandi. Sunt etiam anni octo quibus Chuſan Raſathaim oppreſſit Iſrael, & manent ſex. Ex quo concluditur quòd longum tempus, quo dicuntur vixiſſe ſeniores poſt Ioſue, quando non peccauerunt Iſraelitæ ad plus fuit ſex annorum: alioquin dicemus male numeraſſe ſacram ſcripturam. Deinde fuit ſecundus iudex Aod, ſub quo computantur 80. anni, vt patet infra in litera, non quod omnibus his annis ipſe præfuerit, ſed quia totum tempus quod fuit à morte Othonielis vſque ad principatum Aod finitum fuit annorũ octuaginta, & in hoc includitur tempus illud, quod fuit ſine iudice. Nam mortuo Othoniele non fuit illico conſtitutus in iudicem Aod: ſed manſit terra ſic quouſque Iſraelitæ oppreſſi ab hoſtibus eguerunt duce, computantur etiam ſub hoc anni decem & octo, quibus oppreſſi ſunt Iſraelitæ à rege Moab infra in litera. Tertius iudex fuit Sangar, ſub quo nullum tempus computatur, vt patet infra in litera. Quartus iudex fuit Barac: & ſimul cum illo Debbora prophetes ſequen. cap. & ſub his dicitur quieuiſſe terra quadraginta annis, non quòd principatus iſtorum durauerit quadraginta annis, ſed quia de his ſubtrahi debet tempus, quo iudicauit Sangar quod non computatur: tempus quoq; viginti annorum quibus Iabin oppreſſit Iſraelitas ſequen. c. & totum tempus, quod fuit ſine iudice inter Sangar & Barac: & inter Aod, & Sangar. Quintus iudex fuit Gedeon ſub quo computantur quadraginta anni, infra octauo cap. ſed non præfuit ipſe his quadraginta annis, ſed computari debet in his tempus, quod fuit ſine iudice: & ſeptem anni, quibus oppreſſi ſunt à Madianitis, infra ſexto cap. Sextus iudex fuit Abimelech per violentiam, & intruſionem, qui tribus annis ſolùm præfuit, vt patet infra 9. ca. Septimus iudex fuit Thola, ſub quo computantur anni 23. ſed etiam ſub hoc computandum eſt tempus, quod fuit inter eum & Abimelech. De hoc infra decimo. Octauus iudex fuit Iayr, ſub quo computantur anni 22. & ſubintelligendum eſt tempus inter ipſum, & Thola. Nonus iudex fuit Iepte, qui iudicauit ſex annis, vt patet infra duodecimo: ante hunc autem ponuntur anni decem & octo ſine iudice, quibus Philiſthini, & aliæ gentes oppreſſerunt Iſraelitas. Et iſti 18. anni poſſunt colligi ſub annis Iepte, qui ſunt ſex ſolùm, ideo ponuntur per ſe ſicut anni ipſorum iudicũ. Et hoc quia ratio numeri hoc expetit. Nam ſi iſti 18. non ponantur diſtincti contra alios annos, non cõplebitur æqualiter numerus annorum 480. qui habentur 3. Reg. 6. Decimus iudex fuit Abeſan, ſub quo ſunt ſeptem anni, infra duodecimo. Vndecimus iudex fuit Chialon, ſub quo computantur decem anni, infra duodecimo. Duodecimus iudex fuit Abdon, ſub quo computantur anni octo, vt patet infra duodecimo. Tertiusdecimus iudex fuit Samſon ſub quo computantur anni viginti infra ſextodecimo. Inter Abdon autem, & Samſonem ponuntur anni quadraginta, quibus Philiſthiim afflixerunt Iſraelitas, vt patet infra tertio decimo. Et ſi iſti per ſe computentur, ſuperexcreſcet ſummã annorum poſitorum. 3. Reg. 6. ſi autem velimus ponere eos ſub annis Samſonis, eſt impoſſibile; quia ſunt pauciores. Sed poteſt dici quod illi quadraginta anni ponuntur ſub temporibus Abeſam Chialon, & Abdon, & Samſon, qui ſimul ſumpti ſunt anni quadraginta quinque. Vel poſſumus ponere illos annos ſub tempore Samſonis, & partim ſub temporibus Heli ſacerdotis, qui fuit iudex poſt Samſonem. Nam ſub tẽpore vtriuſque premebantur Iſraelitæ à Philiſthinis. Quartusdecimus iudex fuit Heli ſummus ſacerdos, ſub quo computantur quadraginta anni, vt patet 1. Reg. 4. & computantur ſub hoc tempora, quæ fuerunt intermedia inter eum, & Samſonem. Quintus decimus iudex & vltimus fuit Samuel cuius tempora non ponuntur determinata, quamq; nam colliguntur fuiſſe viginti anni primo Reg. 7. computantur autem ſimul tempora Samuelis, & Saulis regis primi, & faciunt annos quadraginta, quos ſcriptura, computat ſub Saule, vt patet Actu. 13. c. huic ſucceſſit ſecundus rex, ſc. Dauid, cuius regnum fuit quadraginta annorum, vt patet 3. Regu. 2. c. cui ſucceſſit Salomon, in cuius anno quarto, in principio fundatum eſt templum Domini, vt patet 3. Reg. 6. ideo de tempore huius computabantur ſolum tres anni: & ſic proueniet totalis ſumma annorum 480. æquata, quæ habetur allegato cap. *Et mortuus eſt Othniel.* In morte ſua conſummati ſunt anni quadraginta, qui nominantur hic, licèt non inceperunt ſub principatu ſuo, vt declaratum eſt. *Filius Cenez.* Eſt Cenez pater eius, vt dictum fuit. Aliqui volunt quòd vocatur Othoniel Cenezæus à loco: & eodem modo Caleb, ſed error eorum apparet hic, cum vocetur filius Cenez.

Anni quibus iudices Iſraelitarum regnarunt.

Addiderunt autem filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini: qui confortauit aduerſum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conſpectu eius. Et copulauit ei filios Amon, & Amalec. abijitque & percuſſit Iſrael, atque poſſedit vrbem palmarum. Seruieruntque filij Iſrael Eglon regi Moab decem & octo annis: & poſtea clamauerunt ad Dominum: Qui ſuſcitauit eis Saluatorem vocabulo Aod filium Gera filij Iemini, qui vtraque manu pro dextra vtebatur. Miſeruntq; filij Iſrael per illum munera Eglon regi Moab. Qui fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore. Obtulitque munera Eglon regi Moab Erat autem Eglon craſſus nimis. Cumque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, quo cum ei venerant: & reuerſus de Galgalis vbi erant idola, dixit ad regem: Verbum ſecretum habeo ad te o rex Et ille imperauit ſilentium: egreſſiſque omnibus, qui circa eum erant, ingreſſus eſt Aod ad eum Sedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Quiſtatim ſurrexit de throno. Extenditq; Aod ſiniſtram manum.

Infr. eo. & ſupra eodem.

Phrygia regni ſub Tantalo principiũ.

Tantalus Corinthiorũ rex claret.

A

num, & tulit ſicam de dextro fœmore ſuo, infixitq; eam in ventrem eius tam valide, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladium, ſed ita vt percuſſerat reliquit in corpore: ſtatimque per ſecreta naturæ alui ſtercora proruperunt.

Iſraelitarum tribulatio quæ fuit ſub Aod iudice ſecundo.

Addiderunt autem filij Iſrael. Hic ponitur ſecunda Iſraelitarum tribulatio, quæ fuit ſub ſecundo iudice, ſcilicet, Aod, & diuiditur in duas partes. Quia primò iſta tribulatio deſcribitur. ſecundò de iudice. Secunda agitur ibi. *Poſt hunc autem.* Prima in quarto. Primò ponitur Iſraelitarum culpa: ſecundo iungitur pœna ibi. *Qui confortauit.* Tertiò ſubditur pœnitentia ibi. *Et clamauerunt.* Quartò annectitur Dei miſericordia ibi. *Qui ſuſcitauit.* Et quoniam iſta liberatio fuit facta per Aod, ponitur primò eius conditio: ſecundò eius legatio ibi. *Miſerumq;.* Tertiò Eglon interfectio ibi. *Cumque obtuliſſet.* Quartò exercitus Eglon regis debellatio ibi. *Aod autem.* Circa primum dicitur. *Addiderunt filij Iſrael facere malum in cõſpectu Domini.* Iſtud malum quod faciebant erat idololatria, quia de aliis malis non multum Deus curabat, ſed tolerabat Iſraelitas, cùm eſſent viri imperfecti. Et dicitur quòd addiderunt facere malum, quaſi dicat, non contenti ſunt feciſſe malum ante Othonielem, ſed etiam nunc mortuo illo redierunt. Eſt autem putandum quòd tempore Othonielis Iſraelitæ non peccabant, & eo mortuo aliquanto tempore manſerunt in bono, ſed cùm non haberent principantem redierũt ad mala priora. Et tunc magis ſe tradiderunt idolis quàm à principio: ſic dicitur præcedenti cap. quòd mortuo iudice quocunque, reuertebantur & multo maiora faciebant, quàm fecerant patres eorum ſequentes Deos alienos. *Qui confortauit aduerſus eos Eglon regem Moab.* Iſtud eſt ſecundum huius partis, ſcilicet, pœna pro peccatis. Et dicitur quòd confortauit regem Moab, ſcilicet, dedit ei poteſtatem prælandi contra Iudæos, vt ſubiiceret eos ſibi in ſeruitutem. *Quia fecerunt malum in conſpectu Domini,* id eſt, non confortauit Deus ob aliud regem Moab contra Iſraelitas, niſi propter peccata: nam aliàs dato quòd omnes reges terræ conati fuiſſent percutere Iſraelitas, non valuiſſent. *Et copulauit ei filios Ammon, & Amalec,* Hoc fuit vt rex Eglon eſſet fortior ad ſubiiciendũ ſibi Hebræos, & poſtquam ſubiecciſſet, grauius eos premeret, cùm haberet ſecum multas gentes, quæ prædarentur, & vim inferrent, quàm ſi paucæ eſſent.

B

Quomodo Deus confortauit regem Moab contra Iſrael.

Qvæstio XIII.

C

Qværet aliquis, quomodo Deus confortauit regem Moab contra Iſrael?

Reſpondendum, quòd hoc fiebat dupliciter. Primò indirectè tollendo fortitudinem Hebræorum: nam ſicut cum Iſraelitæ quando colebant Deum ipſe dabat eis animoſitatem pugnandi, & vires magnas contra hoſtes: ita cũ ipſi peccarent faciebat è conuerſo, quia dabat animoſitatem hoſtibus pugnandi, & fortitudinem. De primo patet Deuteron. 8. ſcilicet. Ne forte diceres in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quia ipſe tibi vires præbuit, vt impleret pactum ſuum. De ſecundo patet, quia quando Iudæi delinquebant, Deus incutiebat timorem validum cordibus eorum, vt non poſſent ſtare coram hoſtibus; imò fugerent interdum nullo perſequente, tanquam ſi fugerent gladium; vt patet Leuitic. 26. & Deuteronom. 28. Iuualidatis autem hoc modo Hebræis hoſtes efficiebantur fortiores. Secundo modo fortificabat, vel confortabat Deus hoſtes Iſraelitarum directè, ſcilicet, apponendo illis vires & animoſitatem; ita vt ſi prius gentiles auderent pugnare contra Iſraelitas, quia videbantur eis formidabiles, nunc viderentur contemptibiles, & faciliter ſuperandi, & ſic egrediebantur confidenter. De viribus etiam dicendum, quòd Deus apponebat maiores vires hoſtibus Iudæorum, vt iam magis poſſent tolerare labores belli quam prius. Sic patet de Nabuchodonoſor, quem Deus contra Hebræos miſit. Et dicit de eo Abacuc. cap. 1. Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem, vt corriperes fundaſti eum, quaſi dicat, Domine non dediſti ei hanc magnam potentiam, niſi vt corriperet nos, & eſſet executor iudicij tui ſuper nos irrogando pœnam. Etiam confortabat Deus hoſtes Hebræorum ponendo nimis in corde eorum, vt pugnarent contra Hebræos, & conferendo fortitudinem, vt non laſſarentur in bello, qui alias laſſandi erant. Etiam faciendo vt proſpere euenirent eis omnia, quæ incipiebant, & deſiderabant, & vt nihil deſit eis de apparamentis belli. Hæc omnia tanguntur Iſaiæ quinto, vbi Deus confortauit Nabuchodonoſor, vt pugnaret contra Hebræos: cùm dicitur: Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce feſtinus veniet velociter, non eſt deficiens, nec laborans in eo, nec dormitabit, nec dormiet, nec ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius: ſagittæ eius acutæ, omnes arcus eius extenti, vngulæ equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi ſtrepitus tempeſtatis, rugitus eius, vt leonis, & rugiet vt catuli leonũ, frendet & tenebit eam prædam. Ecce patent omnia hic. Deſiderium patet, cum dicitur: Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad Deum de finibus terræ, ſcilicet, Deus ponet deſiderium ei veniendi, de finibus terræ ad pugnandum contra Iſrael. Deſiderium ex parte ipſorum hoſtium patet, cùm dicitur: Ecce feſtinus veniet velociter, nec dormitabit, nec dormiet, ſcilicet, tanto deſiderio mouetur ad pugnandum. Vires collatæ ad ſuſtinendum labores patent, cum dicitur: Non eſt deficiens nec laborans in eo, id eſt nullus eſt ægrotans, nec ſentiens laſſitudinem. Apparamenta ad bellum patent, cum dicitur: Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti, vngulæ equorum eius ſicut ſilex. Quòd autem nihil ſit impediens intentionem illorum, ſicut interdum ſolent impedire bella quædam defectus rerũ, quos patiuntur bellatores, patet cùm dicitur, non ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius, id eſt, non frangetur cingulum, nec rumpentur veſtes, aut calceamenta, vt ob defectum horum aliqualiter ad bellum impediri debeat, aut diſtrahi. Et per hoc intelligitur de aliis neceſſitatibus quod per nullam diſtraherentur à bello. Iſta omnia Deus daret Eglon ad confortationem contra Hebræos.

D

Quomodo Deus Amalec, & Ammon cum Rege Eglon contra Iſrael copularit.

Qvæstio XIV.

Qværetvr vlterius, quomodo Deus copulauit filios Amalec, & Ammon cum rege Eglon contra Iſrael.

Reſpondendum quòd cauſa copulandi iſtos populos potius quàm alios fuit, quia iſti duo populi erant apud terram regis Moab, qui erat principalis hoſtis Iſrael: nam Ammonitæ & Moabitæ terras coniunctas habent, vt patet Deuter. 2. ſcilicet, tu tranſibis hodie terminos Moab vrbem nomine Ar, & accedes in vicinia filiorum Ammon. Vnde olim tota terra Ammon, & Moab erat coniuncta ab Oriente vſque ad Occidentem vtriuſque, ſed poſtea duo Reges Amorrhæi, Sehon, & Og ruperunt continuitatem capientes magnam partem terræ Moab, & Amorrhæi. De quo declaratum eſt Numeri vigeſimo primo capite, & Ioſue decimo tertio. Terra quoque Amalec eſt in deſerto Arabiæ cõiuncta terræ Moab. Modus autem, quo Deus copulauit iſtas duas gentes regi Moab ad pugnandum contra Hebræos fuit, ſcilicet, quia Deus poſuit in mente eorum deſiderium pugnandi contra Iſrael, & confœderandi ſe cum rege Moab. Hoc autem poterat eſſe dupliciter, vno modo quod Deus quæreret aliquas occaſiones, vt deſiderarent pugnare iſtæ gentes contra Iſrael: ſic patet de Samſone infra quarto decimo, quia Deus voluit quod acciperet vxorem de Philiſthiim, vt haberet occaſionem pugnandi contra illos propter vxorem, cum Deus vellet illos punire, cùm dicitur: Parentes autem neſciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthiim. Facile autem Deo erat reperire occaſionem. Secundo modo fieri poterat quod Deus non poterat quòd Deus non poneret aliquam occaſionem, ſed ſolùm quòd moueret corda iſtarum gentium ad pugnandum contra Iſ-

E

Modus copulationis Amalecitarũ & Ammonitarum regi Moab contra Iſrael.

F

A *Cor hominis in Dei manu est.*

rael. Hoc etiam Deo facile est: nam corda nostra sunt in manu eius, & imprimet eis quamcunque cogitationem voluerit. Sic patet Prouerb. 21. scilicet. Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit vertet illud. Potest etiam quia sicut in potestate Dei est ponere timorem in cordibus nostris, ita erit ponere desiderium, vel quamcunque aliam passionem. Antecedens patet Leui. 26. scilicet, & qui remanserint de vobis, dabo pauorem in cordibus eorum. Item patet, quia sicut Deus alicui desideranti pugnare facit quòd non desideret, ita de aliquo non cogitante de pugna faciet, quòd nimis illam desideret. Primum autem facit, vt patet de Sennacherib, qui desiderabat euertere Ierusalem, & iam hoc dispoſuerat: Deus tamen misit cogitationem in corde eius, & fecit eum inde recedere non incepta pugna, vt patet 4. Reg. 19. cum dicitur: Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus exprobrauerunt pueri regis Assyriorum me: ecce ego immittam ei spiritum, id est, cogitationem, & audiet nũciũ & reuertetur in terram suam. Potest ergo Deus concitare aliquem ad desiderandum bella, de quibus prius non cogitabat: & sic fortè fuit hic de his gentibus concitatis contra Isral. *Abijtque & percussit Israel*, scilicet, rex Eglon venit cum filiis Ammon, & Amalec: & in bello superauerunt Israelitas, atque percusserunt plurimos. *Atque possedit vrbem palmarum.* id est, vrbem Iericho: sic vocatur multotiens, vt patet Deuteronom. vltimo, & supr. 1. Aliqui autem volunt quod ciuitas palmarum sit ciuitas Engaddi, quæ vineis, & arboribus claret in tota terra Israel: & non multum distat à Iericho. Sed falsum est, quia Deuteron. vltimo, accipiuntur pro eodem vrbs palmarum & Iericho, cum dicitur quòd ostendit Dominus Moysi vniuersum Nephthalin, & australem plagam, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum: ergo ipla Iericho est ciuitas palmarum. Vocatur autem sic, quia est vallis magna Iericho, apud quem fluit Iordanis, quæ palmis consita est: ibi etiam sunt arbores, de quibus balsamum colligitur. Vnde ait Iosephus quinto antiquitatum: terra Chananæę comparata alij terræ creditur esse fœlix: cum autem locis Ierichontinis, & Ierosolymorum æstimata, putatur valde viliſſima.

B *De ciuitate palmarũ.*

Quomodo rex Eglon palmarum vrbem cœperit.

QVÆSTIO XV.

QVÆRET aliquis, quomodo potest stare, quod rex Eglon cœpit vrbem palmarum: nam illa nunc deleta erat, quia Iosue imprecatus fuerat maledictionem si quis eam reædificaret, vt patet Iosue sexto. Aliquis respondebit quòd post hoc aliquis non obstante maledictione Iosue eam reædificauit: quia erat terra vberrima. Sed dicendum quòd nõ stat, quia Iericho semper fuit destructa quousque fuit reædificata tempore regis Achab, quando quidam vir de Bethel eam reædificauit, & in eo cõpletæ sunt maledictiones, quas imprecatus fuerat Iosue, scilicet, quia in primogenito suo iecit fundamenta: & in nouissimo liberorum suorum posuit portas, vt patet 3. Regum. 16. Dicendum igitur quòd Iericho hoc tempore non erat reædificata propter timorem maledictionum Iosue, vocabatur tamen ciuitas Iericho ipsum territorium eius: vel quia aliqui nunc habitabant ibi, licet non haberent muros, quos non audebant ponere. Quod patet quia filius Iethro soceri Moysi data est ciuitas palmarum, & habitauerunt ibi aliquanto tempore, vt patet supra primo. Tempore etiam Iosue quando deleta erat, & non habitabatur, posita est in numero vrbium ad diuidendum inter tribus, vt patet Iosue 18. & sic occupauit eam rex Moab; quia est propinqua terræ Moab: nam terra Moab extenditur vsque ad Iordanem, vt colligitur infra in litera, cum dicitur: Et occupauerunt vada Iordanis, quę transmittunt in terram Moab: & tamen Iericho est circa Iordanem: & sic est propinquissima ciuitas omnium ciuitatum terræ Chanaan Iericho ipsi terræ Moab. *Seruierunt q̃, filij Israel Eglon regi Moab.* scilicet, dando ei tributa, & sustinendo quascunque impositiones, & seruitia ipse vellet facere illos subire cum non possent resistere ei. *Decem & octo annis.* Tanto tempore seruierunt, quia non habuerunt in hoc tempore liberatorem: computantur autem isti decem & octo anni sub annis octuaginta, pertinentibus ad Aod: quamquam isto tempore non esset Aod iudex, sed vacabat iste principatus.

C *Doct. respon. ad quæsitum.*

Quare tanto tempore nunc Deus presserit Israelitas seruitute.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRET aliquis, quare tanto tempore nũc Deus presserit Israelitas, cùm ante hoc solum 6. annis eos presserit sub rege Syriæ pro idololatria, vt patet supra in litera.

Responderi posset quod hoc factum est propter maiorẽ contumaciam: nam quanto peccatum pluries iteratur, est maior contumacia, & pœna maior infligenda est. Cùm ergo ibi non fuerint castigati nunc pœna augmentata est. Sic etiam factum est sequen. cap. nam cum iterum rediissent Israelitæ ad idololatriam, Deus tradidit illos viginti annis sub manu Iabin regis Asor. Hoc aliqualiter erat verisimile, sed non stat: quia tunc cùm pluries post hoc redierint Israelitæ ad idololatriam, qualibet vice debebant maiori tempore puniri quàm præcedenti; & tamen non factum est sic, quia postea liberati sub Debbora redierũt ad peccata, & traditi sunt solùm septem annis in manibus Madianitarum, vt patet infra sexto. Aliter potest dici quod non fuit factum hoc solùm propter contumaciam, sed quia hac vice plus se tradiderunt idolis Israelitæ quàm præcedenti, & fecerunt maiores abominationes: sic enim dicitur præcedenti capitu. quod mortuo vno iudice reuertebantur filij Israel & faciebant maiora, quàm fecerant patres eorum. Sed adhuc dicendum, quod ista causa non sufficit, quia quamquam inæqualia peccata inæquales pœnas mereantur, & tamen interdum Deus maiora peccata minoribus cruciatibus punit, & quædam magna quasi impunita reseruans quædam parua acriter punit. Et hoc quia Deus non dat hic totam pœnam debitam peccatis, sed in futuro seculo reseruat pœnarum complementum. Ideo non bene arguitur, si nos videamus hic aliquos æqualiter puniri à Deo, quòd illi æqualiter peccauerint: vel si acrius puniuntur, quòd grauius peccauerint: teneret tamen argumentum, si istæ pœnæ essent in futuro seculo apud inferos, scilicet, quod qui in maioribus decesserũt culpis atrociori pœna plectuntur: & si aliqui beati viderent pœnas damnatorum, dato quòd non cognoscerent quantitatem culparum, per proportionem pœnarum cognoscerent culparum determinationem: solùm ergo redeundum est ad voluntatem Dei, scilicet, quod Deus dat tantam, vel tantam pœnam hic pro peccato: non quia tantum vel tantũ delictum est, sed quia ipse punire tantum vult, & sic iudicat expedire. Vnum tamen est, quòd hic, & in futuro seculo nũquam Deus punit vltra exigentiam culpæ, licet sæpe minus puniat. *Et postea clamauerunt.* Hic ponitur tertium huius partis secundæ, scilicet, Israelitarum pœnitentia. Viderunt enim tanto tempore se afflictos per regem Eglon, & non putabant se liberari posse per aliquem, nisi per Deum suum, ideo vexatione dante eis intellectum, redierunt ad clamandum ad Dominum. *Qui suscitauit eis Saluatorem.* Hic ponitur quartum, scilicet, Dei misericordia: nam quamquam sæpe petemus, & indigni simus misericordiis eius, non desinit nobis misereri cùm clamauerimus. Et dicitur Deus suscitasse Saluatorem: quia spiritus Domini factus est super Aod ad liberationem Iudæorum, sicut dicebatur de Othoniele & liberauit iste Israel. *Vocabulo Aod.* Iste fuit secundus iudex Israel, & fuit de tribu Beniamin. Primus autem fuerat de tribu Iuda. *Filium Gera.* Filius Gera vocatur ad exprimendum cognationem, quia de omnibus iudicibus signatur de qua stirpe fuerint. *Filij Iemini.* Id est Beniamin, vt aliqui volunt.

D

E *Deus in hoc seculo nõ pũit cõplet è peccatores.*

F

Quis dicatur esse hic Iemini cuius filius vel nepos describitur Aod.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRET aliquis, quis dicatur esse hic Iemini, cuius filius vel nepos describitur Aod. Aliqui volunt quòd iste vocetur filius Iemini, id est, habens geminã dextram, sc. quia vtraq; manu pro dextra vtebatur, & sic dicimus aliquem filium

A

lium iniquitatis,id eſt,habentem iniquitatem. Sed hoc non ſtat,quia tunc Iemini non referretur ad Gera,ſed ad Aod,ita vt diceretur quòd Aod erat filius Gera, & erat filius Iemini. Dicitur tamen hoc de ipſo Gera, ſcilic. quòd erat Aod filius Gera filij Iemini,id eſt,ipſe Gera erat filius Iemini,de ipſo tamen non dicitur quòd vtraque manu vtebatur pro dextra, ſed de Aod. Item non ſtat,quia iſte ſenſus ſtaret ſi Iemini eſſet genitiuus Latinus de Ieminus: & tamen falſum eſt, quia in Hebræo habetur Iemini : & litera noſtra poſuit Iemini, quia dicere Iemini repugnat Latino mori,& ſic ponitur tanquam proprium in litera noſtra. Aliter autem dicet aliquis, ſcilic.quòd Iemini fuit auus Aod. Sed nō ſtat,quia in multis ponitur quòd ſint filij Iemini,tanquam non ſit Iemini vir aliquis ſpecialis, ſed caput alicuius tribus à quo multi deriuentur. Aliter dicunt quidam quòd Iemini fuit quidam vir in ſtirpe Beniamin valde vituperabilis, qui ſæpe nominatur ad vituperium filiorum Beniamin. Sed hoc non ſtat: nam tunc non poneretur nomen huius,niſi in illis,quos ſcriptura vellet vituperare , cùm tamen ſcriptura enarraret progeniem Saulis vocauit eum filium Iemini,1.Reg.9. & tamen nolebat eum vituperare,cùm ibidem ſumme laudauerit eum,dicens quòd erat vir bonus & electus, & quòd in toto Iſrael non erat vir melior illo. Item Saul ſemel dixit ad ſeruos ſuos: Audite me filij Iemini, 1. Reg.22. cap. & tamen ibi non dicebat ad vituperandum, cùm ipſe vellet perſuadere eis,vt conſentirent ſibi contra Dauid,& annunciarent illi de eo: ergo nō

B

eſt Iemini nomen viri vituperabilis. Aliter autem dicendum quòd Iemini eſt nomen Beniamin : & vocatur ſic, quia Iacob vocauit eum Beniamin, ſiue Beniamin, id eſt filium dextræ Geneſ. 35. & per aphereſim tollendo benmanet Iamin, quod ſignificat dextram, & inde deriuatur Iemini, quod apud Hebræos eſt denominatiuum,vel poſſeſſiuum, ſicut in Latino quis à dextera dextrarium appellaret. Et ſic vocatur iſte filius Iemini,id eſt,dextrarij, ſcili.qui vocatur filius dextræ.Iſta eſt opinio Iudæorum.Iſtud probatur ex duobus.Primò quia in multis genealogiis ponitur Iemini : ſi tamen eſſet aliquis vir priuatus, vtpote auus Aod, non poneretur in aliis genealogiis: patet hoc 1.Reg.9. vbi in genealogia Saulis ponitur Iemini. Item in genealogia Mardochæi , & Eſther ponitur Iemini. Eſther.2.cap. Item ponitur quòd etiam Saul vocauit omnes ſeruos ſuos filios Iemini , & tamen non omnes erant de eadem cognatione particulari immediata, ſed nominauit per hoc caput alicuius tribus,ſubqua omnes colligerentur: & iſta erat tribus Beniamin, quia cùm eſſet Saul de ſtirpe Beniamin omnes famuli domus ſuæ erant de tribu Beniamin, & ſic vocauit eos filios Iemini , velut ſic vocaret filios Beniamin. Secunda ratio eſt, quia cum ponitur in aliqua genealogia Iemini ſemper ponitur vltimus tanquam ipſe ſit caput illius, ſi tamen non eſſet Beniamin,vel caput alterius tribus,contingeret quòd interdum poneretur alius ſu

C

perior eo in genealogia, quouſque accederetur ad caput tribus,& hoc nunquam fit.Ideo dicendum quòd ipſe ſit caput, & conſequenter erit nomen Beniamin , & ſic tenendum eſt hic, quòd iſte fuerit filius Beniamin, & ponitur hic immediatè nomen tribus non computando ſucceſſiones medias inter Aod,& Beniamin,quia ſic fit in omnibus aliis, vt patet primo Regum nono, & Eſther ſecundo capitulo. Qui vtraque manu vtebatur pro dextra. In hoc apparet magna eius diſpoſitio ad bellum , & quòd tardè laſſeretur, quia poterat vtraque manu vti vt dextra. Iſtud enim fuit documentum Platonis,& recitat illud Ariſtot. ſecundo Politic.in fine, ſcilicet, quòd in Politia debent ſtudere viri ambi dextros fieri, id eſt, vtraque manu pro dextra vtantur, quia per hoc nimis efficiuntur potentes ad bellum. In Hebræo habetur. *Siniſtra manus ſua dextra.* Et videtur idem ſignificare,ſcilicet,quòd ſiniſtra erat dextra,id eſt, quòd non ſolùm dextra erat dextra, ſed etiam ſiniſtra erat dextra : & ſic vtraque manu pro dextra vtebatur. Hebræi retorquent ad alium ſenſum dicentes, quòd ſiniſtra ſua erat dextra, id eſt, quod vtebatur ſiniſtra vt dextra : eo quòd dextra ſua erat inutilis,ſcilicet,clauda,& nō poterat aliquid operari per illam, hoc tenet litera Chaldaica. Idem Ra.Sa.Idem Ra.Da.Kimhi. Sed primus ſenſus , quem facit litera noſtra eſt melior , quia non eſt veriſimile , quòd homo priuatus altera manu efficeretur princeps pugnatorum, cùm ex hoc ad pugnam eſſet inutilis. *Miſeruntque per illum.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet, Aod legatio. Nam miſſus eſt in nuncium ad regem Eglon , & ex hoc habuit opportunitatem occidendi ipſum. *Miſeruntque per illum munera filij Iſrael Eglon regi Moab.* Iſta munera erant tributa ad quæ tenebantur ſingulis annis Iſraelitæ regi Eglon : & nunc ſoluere illa volebant , vel erant iſta munera aliqua gratis oblata in ſupererogationem , vt Iſraelitæ fauorabiliorem ſibi facerent regem Eglon. *Qui fecit ſibi gladium ancipitem* , id eſt,habentem duo capita. Aliqui vocant gladium ancipitem bis acutum,ſicut eſt enſis. Sed falſum eſt. Vocatur autem anceps,id eſt,duo capita,vel mucrones habens,alij gladij & enſes habent vnicum caput , eo quòd caput eſt ad vnam extremitatem,& ad aliam eſt capulus:& vocatur caput acuties,vel mucro : iſte autem gladius non habebat capulum in vna extremitate, ſed in medio, & vtraque extremitas erat acuta.

D

Aod legatio.

Quare Aod ſecundus iudex ſibi ancipitem gladium fecerit.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRET aliquis, quare Aod fecit ſibi talem gladium. Aliquis reſpondebit quòd hoc fecit, vt ipſe gladius facilius percutere poſſet , ſicut Ioab fecerat gladium fabrefactum , qui leui motu poterat euaginari ipſo nihil agente : & infigeretur in fœmore aduerſarij : ſic patet ſecundo Regum vigeſimo ,ſcilicet. Porrò Ioab veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui , & deſuper accinctus gladio dependentevſque ad ilia in vagina,qui fabrefactus leui motu egredi poterat,& percutere. Et videtur ſatis ſimilari huic gladius Aod,quia etiam ipſe indutus erat Sago ſicut Ioab tunica ſtricta. Sed obiicietur, quòd Aod non percuſſit Eglon egrediente ſponte gladio per artificium de vagina , ſed ipſe eduxit eum,& percuſſit fortiter regem Moab,vt patet infra. Aliter dici poteſt, quòd fecit iſtum gladium ancipitem , vt facilius poſſet percutere, ſcilicet, quia ad vtramque partem conuertibilis erat, & vtraque parte percuteret. Si tamen velis dicere quòd erat factus ad idem ad quòd fecerat Ioab gladium ſuum , ſatis ſtat. Cum autem obiicitur , quòd non percuſſit ſicut Ioab egrediente gladio ſponte , ſed ipſe eduxit. Dicendum quòd iſte modus percutiendi eſt,quando quis nimis poteſt appropinquare ei,quem percutere vult: Aod autem fortè non tantum potuit commodè appropinquare , ideo percuſſit alio modo quamquam ad alium finem fecerat. Vel fortè quamquam diſpoſuerat percutere Eglon egrediente gladio ; tamen cum fuit præſens vt fortius percuteret mutauit conſilium, & eduxit gladium. *Habentem in medio capulum* , id eſt,non erat capulus in vna extremitate gladij ſicut eſt in aliis gladiis,& enſibus, ſed in medio, & in vtraque extremitate erat acuties , vt mucro , velut ſi eſſent duo gladij , & dicitur capulus non à capite, ſed à capiendo ; quia per capulum gladius capitur,& tenetur. *Longitudinis palmæ manus.* Tanta erat longitudo capuli ſolum, vt poſſet teneri manu , & eſſet locus ſufficiens ad capiendum.

E

Aliare ſpon.ad quæſtum.

F

Et accinctus eſt eo ſubter ſago. Sagum eſt genus veſtis militaris quadratæ,vt dicit hiſtoria ſcholaſtica. Et in hoc diſcordat Aod, à Ioab ; quia Ioab accinctus erat gladio ſuper tunicam ſtrictam , ſecundo Regum vigeſimo. Aod autem ſub Sago. Ratio diuerſitatis eſt, quia Ioab erat in bello , & non erat ſuſpectum in eo quōd accinctus eſſet gladio : Aod autem non ibat ad bellum, ſed ad offerenda munera , eſſetque ſuſpectus ſi intraret coram rege accinctus gladio ; ideo ſub ſago abſcondit. *In dextro fœmore*,id eſt,in latere dexto.Ex hoc arguūt Iudæi, quòd Aod erat claudus manu dextra , & vtebatur ſiniſtra ; quia poſuit gladium in dextro fœmore : nam dextri ponunt gladios in ſiniſtra.

Sagum quid ſit.

Sed dicendum , quòd non colligitur ex hoc : quia cum Aod eſſet ambidexter , poterat ponere gladium in quocunque latere. Vel aliter,& melius , quia iſta regula tenet in gladiis magnis, vt in enſibus, qui non faciliter educi poſſunt de vagina , ideo ponuntur ſemper in lateribus oppoſitis ad manum , qua vtimur : paruum tamen gladium in quacunque parte indifferenter conſueuerunt poni ; & ſic erat de gladio Aod. *Obtulit munera regi Moab*, ſcilicet , licet multi Iſraelitæ irent cum Aod ad honorem munerum,vt patet infra in litera,ſci-

Deter. quæſt.

A

ra ſcilicet, profecutus eſt ſocios ſuos, qui cum eo venerant: tamen ipſe tanquam dignior obtulit illa regi. *Erat autem Eglon craſſus nimis.* Hoc ponitur hic ad declarandum quæ poſtea ſequuntur, ſcilic. quòd tam pinguis erat, vt gladius ſtringeretur adipe. *Cum obtuliſſet.* Hic ponitur tertium huius partis, ſcilicet, Eglon interfectio, ſcilicet. *Cumque obtuliſſet ei munera,* id eſt, poſtquam obtulit, & expediuit ſe à rege. *Profecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant,* id eſt, reuerſus eſt cum ſociis ſuis, & venit vſque ad Galgalam, & inde rediit ſolus ad Eglon. *Et reuerſus de Galgalis,* ſcilicet, ipſe veniebat expeditus à rege, & cum acceſſit in Galgalam reliquit ſocios procedere, & ipſe rurſus ad regem venit.

Eglon interfectio.

Quare nunc reuerſus eſt Aod de itinere ad occidendum regem, &c.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRET aliquis, quare nunc reuerſus eſt Aod de itinere ad occidendum regem, cum potuiſſet prius, quando obtulit munera idem facere quòd poſtea fecit. Aliquis reſpondebit quòd nondum venerat ſibi in mentem occidere regem, & nunc quando venit in Galgalam, venit ſibi in mentem, quod forte Deus poſuit hoc in corde eius, & reuerſus eſt. Sed non ſtat, quia Aod iam fecerat diſpoſitionem ad hoc, cum dixerit ſcriptura quod fecerat ſibi gladium ancipitem, & iſtud erat apparamentum ad occidendum Eglon, ergo præcogitauerat hoc. Nicolaus dicit quod cum venit Aod in Galgalam, & vidit ibi idola iratus eſt nimis: nam ibi fuit prima manſio Iſraelitarum in terra Chanaan, & poſita fuit ibi arca, celebrataque eſt ibi circumciſio, & apparuit angelus Domini: de quibus omnibus patet Ioſue quinto. Erat præter hæc memoria duodecim tribuum Iſrael ibi in duodecim lapidibus, quos Deus duci fecerat de Iordane: nunc autem in dedecus omnium iſtorum erant ibi poſita idola, ideo prouocatus nimis Aod contra regem Eglon rediit ad occidendum ipſum. Sed hoc non ſtat propter duo. Primò quia non eſt veriſimile, quod ante hoc neſciret Aod ibi eſſe idola, ideo non rediiſſet tunc, ſed prius cum obtulit munera occidiſſet regem. Secundò non ſtat, quia ante hoc patet Aod præcogitaſſe de morte Eglon cùm fecerit ſibi gladium ancipitem.

B

Nicol. reſpon. ad quæſtũ reſellitur

Reſp. 1. docto.

Dicendum ergo, quòd Aod diſpoſuerat iam occidere regem Eglon, noluit tamen quando obtulit munera, vt auferret ſuſpitionem, quia non poterat hoc fieri niſi omnibus abſentibus, & ſi illico vt munera obtulit, voluiſſet ſecretè loqui cum rege, fuiſſet aliqua ſuſpitio: nam putaretur quòd ad hoc ſolum munera tulerat, vt poſſet loqui regi ſecretè, & aliquid mali agere, cùm autem denuo rediret ad loquendum: & non oſtenderet aliam cauſam, niſi quod vellet loqui regi, non eſſet tanta ſuſpitio, ideo poſſet ſecurius agere, quod intendebat. Aliter dici poteſt, & iſta eſt ratio potiſſima, ſcilicet, quod hoc fecit propter ſocios ſuos: nam ad hoc quod offerret munera regi oportebat quod multi irent cum eo ad honorem munerum: non expediebat tamen quod manerent ibi dum Aod occidebat Eglon, quia oportebat quod ſi præſentibus eis hoc faceret, quod denunciaret illis, quid facturus erat, vt quando ipſe fugeret illi quoque fugerent: timuit tamen indicare hoc Aod alicui, quia fortè, vt eſſet acceptus regi Eglon nunciaret ei quiſquam, quid diſpoſuiſſet agere contra eum Aod, ex quo ſequebatur periculum omnium Iſraelitarum; ideo noluit cuiquam pandere quod propoſuetat. Ergo oportet quod abſentes eſſent, alioquin cum fugeret Aod mortuo Eglon, non contingeret omnes congregari ad fugiendum, aut expeditè fugere. Item dato quod Aod poſuiſſet dicere eis ſine periculo id quod intendebat, & dixiſſet illud: non expediebat quòd manerent ſocij in loco, in quo occideretur rex Eglon, quia aliqui ex puſillamitate obſtupeſcerent & mutarent colorem. In quo Moabitæ, qui aderant colligerent argumenta malorum, & poſſet impediri factum, vel tenerentur Iſraelitæ. Item mortuo Eglon, fugit Aod, & ſi ſocii ſui manerent ibi neceſſe erat, quod omnes ſimul fugerẽt cum Aod, quod non expediebat; tum quia aliqui propter timorem non poſſent fugere, ſicut quibuſdam hominibus euenit, ſcilicet, quòd poſtquam percuſſerint, vel occiderint hoſtes ſuos non poſſent fugere, ſed deſtituuntur totis viribus corporis, & per hoc cognito facto poſſent capi, vel quia cognoſcerentur fugere: in ſolo autem Aod nihil horum acderet, ideo voluit ipſe ponere ſocios ſuos in loco, in quo de eis iam timendum non eſſet, & tunc ipſe expeditus rediit ad faciendũ quod intendebat. *Vbi erant idola.* Erant idola in Galgalis, ſcilicet, quia rex Eglon duxerat idola de terra ſua, & poſuerat ea in Galgalis ad colendum ea ibi, vt ſemper haberet locum colendi. Sic exponit hiſtoria ſcholaſtica. Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi, & litera Chaldaica dicunt quòd erant hic idola, id eſt, erat lapidicina, de qua ſcindebantur lapides ad formandum idola, & poſtea ibi poliebantur. *Dixit ad regem: verbum ſecretum habeo ad te, ô rex.* Iam Aod erat notus & acceptus apud regem, quia obtulerat munera, ideo poterat accedere faciliter ad regem quandocunque vellet, & dixit quod habebat verbum ſecretum ad eum, ad hoc quod omnibus inde recedentibus haberet opportunitatem ad faciendum quod intendebat.

C

Reſp. 2. docto.

Nunquid mentitus fuerit hic Aod & an peccarit.

QVÆSTIO XX.

QVÆRET aliquis, an mentitus fuerit hic Aod, & an peccauit. Aliqui reſpondent quòd non mentius eſt, quia volebat ei aliquid exponere, ſcilic. quia Aod habebat à Deo reuelationem, & ſic dicitur in hiſtoria ſcholaſtica. Sed hoc nõ ſtat, quia dato quod Aod habuiſſet à Deo reuelationem ſuper morte Eglon, aut ſuper aliquo alio, non erat aliquid huius expoſiturus ipſi Eglon. Etiam quia litera manifeſtè indicat, quòd Aod nihil locutus fuerit ſecretè ad Eglon, ſed ſolũ occidit eum. Dicendum igitur, quòd mentitus eſt Aod ad occultandum intentionem ſuam, & vt poſſet illam exequi: nam aliàs non potuiſſet accedere ſecretè ad regem, nec oportet excuſare Aod à mendatio, qui alij viri maiores eo, & ſanctiores non excuſantur, ſicut patet de Patriarchis, vt de Abraham, & Iſaac, & de Dauid & aliis. Ad ſecundum, an peccauerit Aod, dicendo iſtud. Reſpondendum eſt, mendacium iſtud erat officioſum, ideo licèt peccatum veniale ſit, tamen excuſatur à mortali. Sed aliquis dicet, quòd non fuerit iſtud mendacium officioſum, ſed potius pernitioſum: pernitioſum autem ſemper eſt peccatum mortale. Reſpondendum, quod ſi Aod potuit iuſtè occidere Eglon, non fuit mendacium pernitioſum, cùm pernitioſum ſit ſemper in damnum alterius: malum tamen quòd alicui iuſtè infligitur non vocatur damnum, nec iniuria: ſi autem iniuſtè facta eſt occiſio, fuit mendacium pernitioſum, & eſt peccatum mortale: hoc autem dependet ex quadam dubitatione, de qua infra dicetur. Sed ad præſens teneatur, quòd non peccauit Aod occidendo Eglon, & conſequenter mendacium quod finxit ad occidendum illum, non fuit pernitioſum; quia non fuit in damnum vel iniuriam alicuius. *Et ille imperauit ſilentium,* id eſt, rex imperauit omnibus præſentibus ſilentium. Vocatur ſilentium receſſus: nam non iuſſit quòd tacerent, & conſiſterent, ſed quòd recederent, vt liberius loqui poſſet Aod: qnod patet, quia illico egreſſi ſunt omnes, vt patet in litera. In Hebræo habetnr. *Et dixit tace.* Hebræi referunt hoc ad Aod, ſcilicet, quòd rex dixerit ei, tace, ſcilicet, donec omnes iſti egrediantur: ſed ſenſus literæ noſtræ conſonantior eſt. *Egreſſiſque omnibus, qui circa eum erant,* ſcilicet, omnibus comitantibus regem, quia ſemper ei multi aderant tanquam magnifico regi, & potenti. *Ingreſſus eſt Aod ad eum.* Non eſt ſenſus quòd ingreſſus eſt poſt egreſſum aliorum, quia quando locutus eſt ad regem, dicens: verbum ſecretum habeo ad te, iam ingreſſus erat: ſed dicitur quòd nunc ingreſſus eſt; quia poſtquam omnes receſſerunt à rege introiuit in aliam domum ſecretiorem, ſcilicet, in æſtiuo cœnaculo, vbi erat thronus, & illuc etiam introiuit Aod ad eum. *Sedebat autem in æſtiuo cœnaculo ſolus,* ſcilicet, nunc excluſis omnibus ſolus ſedebat, quia nullus aderat niſi Aod: & hoc ponitur ad ſignificandum opportunitatem occidendi eum. Vocatur autem cœnaculum æſtiuum, id eſt, domus facta pro tempore æſtiuo, & iſta eſt domus frigida collocata verſus aquilonem: nam in domibus magnorum virorum conſueuerunt diſponi loca pro omnibus quatuor partibus anni, quæ habent diuerſas qualitates, & potiſſimè loca hybernalia, & æſtiua: ſic

D

E

Doct reſpon. ad primũ quæſitum.

Reſpon. an ſecũdũ quæſitum.

F

Silentiũ q.d.

Litera expoſitio.

A enim iubet Aristot. fieri, vt patet secundo Aeconomic. Vocatur cœnaculum largè quædam domus dispositaad hoc, quòd ibi cœnetur, id est, comedatur in aliquo tempore. *Dixitque ei : verbum Dei habeo ad te*, id est, debeo tibi loqui ex parte Dei.

Ad quid dicebat hoc Aod ipsi Eglon.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRET aliquis, ad quid dicebat hoc Aod ipsi Eglon. Respondendum, quòd dicebat ad hoc, quòd Eglon descenderet de throno suo in terram causa verbi Dei. Sed dicetur ad quid volebat Aod, quòd descenderet Eglon de throno: nam cum ibi soli essent, poterat facere Aod, quod vellet. Respondendum, quòd Aod voluit occidere Eglon sine rumore, ita quòd à nullo audiretur. Si autem mansisset in throno Eglon, & Aod accederet ad eum ad occidendum ipsum, videret hoc Eglon, quia ipse erat eleuatior super Aod: & non erat aliqua causa quare accederet Aod ad thronum. Videns igitur quòd accedere vellet, timeret suspicans aliquod malum, & clamaret priusquam percuteretur, & caperetur Aod, vel saltem conaretur effugere manus eius, & sic fieret aliquis rumor magnus, qui audiretur à manentibus extra, & conuenirent: ideo voluit vt descenderet, quia tunc posset appropinquare ad eum Aod, & nihil suspicaretur Eglon, nec videret gladium, sed simul mors & dolor, & cognitio vulneris essent.

B

Quod Dei verbum erat, hoc quod habebat Aod ad Eglon.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlterius, quod verbum Dei erat istud quod habebat Aod ad Eglon? Respondet historia scholastica, quòd erat somnium vel mandatum Domini. Sed nõ stat multum, quia dato quòd habuisset somnium de occidendo Eglon, & mandatum Domini, nihil de hoc enarrare ei. Etiam non enarraret ei aliqua alia, quia illa viderentur impertinentia, & dum enarrabantur posset Eglon suspicari aliquid mali, & caueret ab Aod. Sed dicendum qòd immediatè, vt descendit de throno occidit eum: dixit tamen istud mentiendo ad habendam opportunitatem, vt sicut prius dixerat quòd habebat verbum secretum, vt omnes recederent: ita nunc dixit quòd habebat verbum Dei, vt rex descenderet de throno. *Qui statim surrexit de throno*, scilicet, in reuerentiam verbi Dei, vt non audiret illud fedendo. Hebræi dicunt quòd Eglon meruit quòd surrexit ad audiendum verbum Dei, ideo de genere eius fuit Ruth Moabitis, de qua descendit Dauid. Sed ista multum sunt distantia à ratione: nam Ruth non erat de genere regali, sed plebeia, & pauper, cũ tradita fuerit in vxorem cuidam viro pauperi, & alienigenę, scilicet, Maalon filio Noemi, vt patet Ruth. 1. Item dato quod esset de genere regis, non fiebat aliqua gratia ipsi regi, nec ipse existimaret in præmium alicuius bonæ operationis, quod illa pauper fœmina tradenda viro Hebræo descenderet de stirpe eius, ideo siquid meruit in hoc (quod non confiteor) cùm esset in peccato mortali, non datum fuit ei hoc in præmium, sed aliquid aliud.

C

Cum dixit Aod ad Eglon, verbum Dei habeo ad te, de quo Deo intellexit Eglon.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRET aliquis, cùm dixit Aod ad Eglon: verbum Dei habeo ad te, de quo Deo intellexit Eglon, cum non reputaretur vnus Deus apud omnes.

Respondeti potest, quòd quamquam gentiles diuersimodè Deum colerent, tamen existimabant esse vnum Deum. Est enim opinio multorum poetarum, quòd vnicus erat Deus, qui vocabatur Iuppiter: & iste propter diuersas proprietates varia nomina accipiebat, vt aliquando vocaretur Iuppiter, aliquando Phebus, aliquando Mars, & interdum nomine viri, & interdum nomine fœminę, vt Diana, Minerua, Venus, Vesta, & non solum nomina multiplicarentur, sed etiam diuersa fortiretur simulachra: siue apud eandem gentem, siue diuersas: intantum quòd in eodem templo essent viginti simulachra repręsentantia eundem Iouem subdiuersis nominibus & figuris: & non solùm putabant istum solum esse Deum, sed etiam istum esse vbiq;, & esse omnia. Ista fuit opinio magni Catonis Vticensis, & recitat eum Lucanus libro nono, dicens. Iuppiter est quicquid vides. Eadem quoq; positio fuit Virgilij in Bucolicis Egloga tertia, cum dicit.

D

Magni Catonis opi. de Deo.

A Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena.

Tangit etiam istam positionem Aug. 7. de Ciuit. Dei. Hoc modo idem Deus putaretur esse apud omnes gentes, licet diuersis nominibus vocaretur, & varias fortiretur effigies, ideo audito nomine Dei, quicunque ille esset, quia non poterat esse, nisi Iuppiter, putaret eum Eglon esse Deum suum, & reuereretur illi. Aliter dici potest, quòd inter Gentiles erant varij dij ex institutione populorum, putabant tamen esse aliquem vnum Deum, qui esset vere potens & sublimis, licet non cognoscerent eum. Et de hoc prædicabant magnam excellentiam, licet non tantam vt nos: & ista erat positio philosophorum. Vnde Athenienses cum potuissent deorum multitudinem & altaria, constituerunt quandam aram Deo ignoto, quem valde laudabant, & concordauit cum eis Paulus, quòd iste erat Deus, quem ipse prædicabat, vt patet Actorum decimo septimo capitulo: hoc modo poterat esse apud Gentiles, quòd quandocunque vellet aliquis loqui de diis populorum, quòd illos specialiter nominarent, cum verò nominarent Deum absolutè, deberet intelligi locutio de illo Deo incognito, & supereminenti: & istud fortè putauit Eglon quando dixit Aod: Verbum Dei habeo ad te, & ob hoc surrexit de throno. Aliter dici potest, quòd licet apud Gentiles essent multi dij, & quælibet gens, vel ciuitas afficiebatur specialiter ad vnum, quem super cæteros colebat, & illum nunquam mutabat pro alio, vt patet Ieremiæ secundo, scilicet. Transite ad Insulas Cethim, & in Cedar mittite, & videte si factum est, & si mutauit gens Deos suos, & ipsi non sunt dij, tamen omnes alios ducebant dignos quodam honore, & nullum contemnebant putantes se puniri ab illo, si quemquam contemnerent: siue ergo esset Deus Hebræorum, siue gentis cuiuscunque rex Eglon ducebat illum dignum honore; ideo non curauit petere, cuius Dei esset verbum illud, sed illico vt audiuit, quòd erat verbum Domini, surrexit de throno.

Athenienſiũ opi.

E

Extenditque Aod manum sinistram. Ex hoc putant Hebræi, quòd patet intentio eorum, scilicet, quòd erat Aod claudus dextra, ideo eduxit sicam manu sinistra. Sed magis dicere debemus, quod eduxit manu manu sinistra, quia vtraque manu vt dextera vtebatur, & non curauit an dextra, vel sinistra percuteret. *Et tulit sicam de dextro fœmore suo*, scilicet, quòd erat ligata in dextro fœmore sub sago, vt iaceret, vt supra. *Infixitque eam in ventre eius*, id est, in ventre Eglon, percussit eum ibi potius quam alibi propter duo. Primum erat, vt non videret Eglon se percuti: si autem in capite, vel parte superiori corporis voluisset Aod percutere Eglon, vidisset gladium, & fugisset, vel clamasset, vel mouisset corpus aliqualiter, & sic fieret magnus rumor, vt audiretur ab exterioribus: cùm autem in ventre circa inguinem percuteret, quia non eleuabat gladium, non putauit Eglon se percuti quousque percussus est. Secundum erat, vt Eglon facilius, & citius moreretur. Si enim percussisset eum in alia parte superiori, & non in ventre, etiam si percussisset in capite: non ita cito fuisset mortuus, vel fortè non moreretur: in vẽtre autem ruptis intestinis mors erat necessaria, ideo ibi eum percussit. *Tam validè, vt capulus ferrum sequeretur in vulnere*, id est, fuit tam fortis percussio, quòd non solum introiuit ferrum in ventrem: sed etiam capulus, & manus: fuit autem tam dura percussio, vt non indigeret alio ictu. Et vt non posset clamare ruptis visceribus. Etiam quia nimis pinguis erat, & non pertingeret ictus ad ruptionem illam, nisi esset validus. *At pinguissimo adipe stringeretur*, id est, erat Eglon pinguissimus, ideo gladius strictè detentus fuit intra vulnus. Et hoc dicitur ad duo; primum est ad significandum, quòd cùm ictus fuerit ita validus, ferrum & manus intrassent aliquantulum in ventrem, sed tanta erat pinguedo, quæ strinxit gladium, vt non

F

Aod propter duo percussit Eglon regem in ventre potius q̃ alibi.

Doct. respon. ad quæst.

Opinio multorũ poetarum quod vnicus erat Deus

A vt non posset libere introire. Secundo ponitur ad significandum, quod quamquam voluisset Aod educere gladium, non fuit ei facile, quia adeps strinxit eum; ideo non eduxit illum, sed mansit in vulnere. *Nec eduxit gladium.* Scilicet, quia non potuit cum esset nimis strictus: nam iste gladius non habebat capulum in extremitate, sed in medio; & quia percussio fuit valida non solum introiuit gladius, sed etiam capulus, & mansit alia medietas gladij extra ventrem, cum esset anceps: & cum non haberet per quid teneret gladium Aod, & pinguedo stringeret illum, mansit in ventre. Quasi dicat, si non fuisset venter ita pinguis, dato quod infixus fuisset totus gladius, non mansisset, sed sponte cecidisset in terram. *Sed ita, vt percusserat, reliquit in corpore.* Scilicet, quia non potuit educere eum, cum esset capulus intra ventrem in vulnere. *Statimque per secreta naturæ, alui stercora proruperunt.* Id est, illico vt percussus est proruperũt stercora. Aliqui volunt quod hæc proruperunt per vulnus, quia ruptis visceribus, quidquid intus tenetur, effluit. Sed non proruperunt sic, sed magis per posteriora, quæ sunt loca naturæ secreta, scilicet, quia natura constituit foramina illa in loco abscondito & secreto: per vulnus autem non potuerunt prorumpere stercora, quia pinguissimus adeps vulneris locum obstruxerat. Cum ergo non posset gladius educi pinguissimo strictus adipe, multo minus stercora prorumpere possent. Causa autem prorumpentis stercoris fuit, quia Eglon mortuus fuit, & in mortuis non manent aliquæ potentiæ animales, aut naturales, ideo cum potentia retentiua sit secundum quam stercora, & vrina tenentur, ne fluant: mortuo animali, stercora pondere naturali ad inferiora tendunt, nullo detinente, & ob hoc hominibus recenter mortuis obstruuntur foramina inferiora, alioquin stercora prorumpunt, antequam sepeliantur.

B *Causa prorũpentis stercoris Eglon.*

Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, & obfirmatis sera, per posticum egressus est. Seruique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: forsitan purgat aluum in æstiuo cubiculo. Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes quod nullus aperiret, tulerunt clauem, & aperientes inuenerunt Dominum suum in terra iacentem mortuum. Aod autem dum illi turbarentur effugit, & pertransiit locum idolorum vnde reuersus fuerat, venitque in Seyrat: & statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filij Israel ipso in fronte gradiente. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, & occupauerunt vada Iordanis, quæ transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quemquam. sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos, & fortes viros Nullus eorum euadere potuit. Humiliatusq; est Moab in die illo sub manu Israel: & quieuit terra octoginta annis. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israel.

Pelops rex à quo Pelopones sus prouincia nomen accepit.

C

Ilion ædificatur à Laomedonte rege.

Exercitus Eglon debellatio.

Aod autem. Hic ponitur quartum huius partis, scilicet, exercitus Eglon debellatio: nam illo mortuo faciliter viri sui occisi sunt à Iudæis. *Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi.* Scilicet, clausit ostia cœnaculi illius in quo reliquerat mortuum Eglon. *Et obfirmatis sera.* Id est, non solum clausit ianuas, sed etiã obfirmauit sera, id est, posuit vectem, & pessulum. Hebræi dicunt, quod inuenit Aod claues portæ illius, & clausit claue, & fugit. Sed falsum est, quia dicitur infra, quod postea venientes serui regis ad ostium expectauerunt, donec erubescerent, id est, magno tempore: si tamen esset clausa porta à foris claue, vidissent hoc serui regis, & nõ expectassent, quia satis viderẽt, quod erat malitiose factum, quod aliquis clausisset portam à foris claue manente rege interius: præsertim, quia nullus eorum hoc fecerat: ideo præsumptio fortis esset, & illico aperirent portam, vt viderent quid de rege actum foret. Item quia cum diu ipsi expectarent, dixerunt: forsitan purgat aluum in æstiuo cœnaculo, & tamen si esset clausa ianua à foris claue, non esset bona præsumptio, si rex clausisset per partem interiorem, & quia tamdiu non aperiebat eratque firmata porta sera, esset præsumendum, quod purgaret aluum in æstiuo cœnaculo: mouentur tamen Hebræi ad hoc: quia dicitur infra: tulerunt clauem, & aperientes inuenerunt dominum suum mortuum: ergo clausa erat per partem exteriorem claue. Dicendum igitur, quod ista porta erat sicut solẽt esse quædam portæ communes, scilicet, quod ad hoc, quod claudantur non egent claue, sed solum quod iungantur ostia; ad aperiendum tamen egent claue. Etiam sunt portæ quædam, quæ possunt claudi per partem interiorem sine claue, & per partem exteriorem aperiuntur claue: & hoc modo stat litera, scilicet, quod cum Aod egressus est, non habuit aliquam seram, scilicet, clauem ad claudendum, sed solum coniunxit portas diligenter, & hoc erat obfirmare eas sera, & hoc non obstante poterat aperire quicunque staret interius sine claue, sed qui exterius erant non poterant aperire, & sic mansserunt serui regis ad portam. In Hebræo habetur loco totius istius clausulæ. *Clausit diligenter portas, & clausit.* Quia tamen ponitur bis clausit, ne semel ponatur superuacue litera nostra retulit primum ad coniunctionem portarum. Secundum ad affirmationem serarum, non quidem, quod claue vteretur ad obfirmandum sera, sed quia diligenter coniungendo valuas claudebantur sera.

D

E

Quare Aod clauserit domum Eglon rege mortuo.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRET aliquis, quare clausit Aod domum; nam iam sciebat mortuum esse Eglon, & non poterat egredi ad persequendum ipsum, vel ad vocandum seruos suos.

Respondendum, quod Aod iam expleuerat optatum, ideo iam non optabat nisi saluare se, & quia si serui regis cognoscerent hoc antequam plene Aod fugisset, tenuissent eum & occidissent, voluit quod hoc lateret seruos regis, & clausit ianuam, quæ erat valde accommodata huic operi, quod intendebat Aod: nam poterat claudi ex parte interiori sine claue, ita quod non posset aperiri ab extra nisi cum claue. Poterat etiam ab extra claudi sine claue, & ab intra poterat aperiri sine claue, sed non ab extra: vnde quando exiuit Aod, non erat ad portam quisquam de seruis regis, alioquin introissent illico ad regem ne maneret solus, & non potuisset claudere Aod illis præsentibus, & sic vidissent mortuum Eglon ante recessum Aod, & tenuissent eum: sed nemo erat ad portam, ideo potuit claudere portam, & recedere: cum autem venerunt serui regis, inuenerunt portam clausam, & obfirmatam sera, putaueruntque quod obfirmasset eam Eglon, vt purgaret ventrem, & nemo tunc introiret ad eum: & ob hoc quamquam ipsi potuissent illico aperire cum tenerent clauem, noluerunt ne offenderent regem purgantem aluum, vel facientem aliquid secreti; sed expectauerunt tamdiu, vt rex veniret ad aperiendum, cum vero supra modum moraretur, & ipsi iam erubescerent, aperuerunt portam, & inuenerunt regem mortuum. Hæc autem omnia existimauit prius Aod, quia erant verisimilia: ideo fecit ea ne caperetur: si autem reliquisset apertam portam, venientes serui regis ingressi fuissent illico, & inuenientes regem mortuum, tenuissent Aod, qui non poterat longe recessisse.

F

Per posticum egressus est. Id est, egressus fuit per quandam portam paruam, quæ vocatur postica, vel postlicum: & ponitur mutatio ordinis, scilicet, quia prius egressus est per postlicum, quam obfirmaret portas, alioquin non potuisset egredi. Posset tamen secundum istam literam esse alius sensus, scilicet, quod mortuo Eglon ipse Aod clausit portas cœnaculi magnas, per quas erat introitus, & clausit eas à parte posteriori, sine interiori, & ipse non fuit egressus per eas, sed per quandam aliam portam paruulam in posteriori parte domus, vt non viderent eum serui regis. Et vocatur postica porta posterior: sic enim Ebrardus distinguit anticam, & postlicam. Vocat anticam portam, quæ est in parte anteriori domus: & dicitur de ante, postlicam vocat portam,

Postica & antica quid.

A quæ est in parte posteriori domus:& dicitur de post. Iste sensus valde conueniens erat, & ista litera totaliter videtur illum velle. Obstat tamen aliqualiter litera Hebraica, quæ dicit, quod clausa porta egressus est Aod in quoddam deambulatorium, vel domum publicam, & sic videtur, quod egressus fuit per portas illas. Item quia si sic egressus fuisset Aod, mansisset postica aperta, & eadem difficultas esset de postica quæ de antica; ideo tenendum videtur primum. Si tamen volueris tenere istud secundum, satis stat, & causa egressionis Aod per posticum esset, vt lateret egressus eius seruos regis: sed putarent semper eum esse intus, & ob hoc non curarent: si autem vellet egredi per portam anticam, scilicet, maiorem viderent eum serui regis, & illico ingrederentur illuc: ad posticam autem forte nulli serui regis obseruabant, id est, potuit egredi incognita fuga eius. *Seruique regis ingressi.* Id est, ingressi sunt ad videndum quid rex faceret, & est sensus quod veniente Aod fecit Eglon, quod exirent omnes serui sui: & ista egressio fuit de quadam domo communi, in qua tunc erat rex, deinde ingressus est in quo erat cubiculum interius, scilicet, in cœnaculum æstiuum. Postquam vero transiit aliquantum temporis, ita vt putaretur finitam esse collocutionem regis & Aod, reuersi sunt ad illam primam domum, in qua regem reliquerant, & ingressi sunt in eam, sed non inuenerunt eum ibi, quia introierat in cœnaculum æstiuum, & inuenerunt obfirmatas portas. *Viderunt clausas*
B *fores cœnaculi.* Scilicet, tetigerunt eas, & repererunt esse obfirmatas sera, atque dixerunt postea. *Forsitan purgat aluum in æstiuo cubiculo.* Erat cubiculum æstiuum interius, & in illo putabant eum tunc purgare aluum. Motiuum autem fuit duplex, primum quia viderunt ianuas obfirmatas sera. Si autem esset colloquendo vel faciendo aliud, quod pudendum non esset, sed tenuisset portam patentem vel saltem non obseraset eam, & quia obserata erat hoc putauerunt. Secundum motiuum erat, quia tamdiu morabatur, & putabant quod maneret purgando ventrem.

Quomodo non viderunt serui regis Eglon egredientem Aod.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRET aliquis quomodo non viderant serui regis egredientem Aod. Responderi potest dupliciter, vno modo, quod quando rex iussit omnes egredi, vt colloqueretur Aod, putauerunt serui regis quod manerent aliquantulum in collocutione, ideo recesserunt inde per aliquantulum. Aod autem nihil moratus est, sed illico vt introiuit, occidit regem, & clausit ianuas, atque fugit: ita quod cum ipse fugit non erant præsentes serui regis. Post modicum autem redeuntes inuenerunt portas clausas, & expectauerunt dicentes, forsitan purgat aluum, & cætera. Aliter dici potest
C quod serui regis erant ad portam aliquantulum distantes ab illa: & cum Aod occidisset regem, non egressus est per illam portam, apud quam erant serui regis, sed clausit illam, & egressus est per posticam, vnde quamquam non procul à porta essent serui regis, non viderunt egredi Aod, sed post aliquantulum redeuntes putabant adhuc ipsum Aod manere cum rege. Sed tunc diceretur quomodo ergo serui regis dicebant, forsitan purgat aluum, & cætera. Dicendum quod quamquam putarent esse Aod interius, quia tamen intra cubiculum illud, in quo erat Aod cum rege, quod erat obfirmatum, erat adhuc aliud secretius, putauerunt, quod maneret Aod in cœnaculo primo, & ingressus fuisset rex in secundum: obstruxerat tamen portam, ne quis introiret nesciens, & molestaret regem. Alij autem volunt dicere aliter, scilicet, quod serui regis viderant ingredientem Aod per anteriorem portam, & tunc ipsi venerunt ad regem, & cum reperirent portam cubiculi clausam, & obfirmatam, putauerunt quod purgaret aluum. Hoc autem aliqualiter videbatur rationabile. Sed non stat, quia si egressus fuisset Aod videntibus seruis regis, & illi reperissent portam clausam, suspicati fuissent aliquid mali, & tenuissent eum, ideo magis verisimiles sunt duo modi præmissi. *Expectantesque diu, donec erubescerent.* Expectauerunt à principio putantes, quod purgaret aluum, sed cum iam moraretur supra modum erubuerunt. Expectando erubescentia erat: quia cum tamdiu rex moraretur non aperiendo, cœperunt suspicari aliquid mali D eueniisse illi, & quia istud eueniebat, quia non bene custoditus fuerat ab eis, in quo merebantur pœnam, erubuerunt. In Hebræo habetur. *Vsque ad vesperam.* Vbi nos dicimus donec erubescerent. Et causa diuersitatis est, quia in Hebræo ponitur (bos) & est nomen æquiuocum ad verecundiam, vel confusionem, & ad vesperum; ideo æqualiter potest exponi pro erubescentia vel pro vespere: litera tamen nostra posuit donec erubescerent, quia rationabilius erat, quia si poneretur pro vespera, non poneretur diu, scilicet, expectantes diu vsque ad vesperam, quia esset superuacuum, sed solum diceretur expectantes vsque ad vesperam: ergo accipitur ibi bos pro erubescentia. *Videntes, quod nullus aperiret.* In hoc patet id, quod supra dicebatur, scilicet, quod ista porta erat talis, quæ posset claudi per partem interiorem sine claue, & non aperiretur per partem exteriorem sine claue. Posset etiam per partem exteriorem claudi sine claue, sed ad aperiendum per partem exteriorem requirebatur clauis. Vnde putabant, quod rex clausisset per partem interiorem: & ob hoc expectabant quod ipse veniret ad aperiendum ne contristarent eum in vacatione sua. Cum autem viderunt quod nullus aperiebat, scilicet, nec rex, nec Aod, ipsi aperuerunt. Ex hoc patet aliqualiter quod ipsi putabant Aod intus manere, alioquin non diceretur, videntes quod nullus aperiret, sed videntes quod rex non aperiret, quia nullus relictus fuerat cum rege nisi Aod, & sic putabant eum E intus manere, quia non viderunt exeuntem. *Tulerunt clauem.* Quia ipsi habebant clauem, qua aperire possent per partem exteriorem quamquam clauderetur per interiorem, vel ab extra. *Et aperientes inuenerunt dominum suum iacentem in terra mortuum.* Nam illico vt percussit eum Aod, corruit mortuus, quia percussio fuit dura: & sic cum introierunt isti serui regis diu erat, quod mortuus fuisset.

An Aod occidendo per insidias regem Eglon stante tregua, & pace peccauerit. Et an treguæ de iure naturali sint obseruandæ.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRET aliquis, an Aod peccauit occidendo regem Eglon. Aliquis respondebit quod non, quia Deus iusserat occidi omnes Chananæos, vt patet Deuteronomij vigesimo: scilicet, quod omnes perirent in ore gladij, & sic erat de Eglon, qui opprimebat Israelitas: ideo potuit licite occidere eum Aod. In contrarium videtur, quia illicitum est statuta pace, quod aliquis occidatur, sed inter Israelitas & Eglon erat pax; quia seruiebant Israelitæ regi Eglon: ergo occidendo eum peccabant. Item Aod occidit Eglon per insidias, & fraudem magnam, dicendo quod haberet verbum secretum ad eum, & talis occisio semper est illicita, ergo pec- F cauit. Respondendum est, quod non peccauit Aod, sed potius meruit occidendo regem Eglon, quia abstulit hostem Hebræorum, & ipse ponitur in catalogo virorum bonorum. Item quia dicitur, quod Deus suscitauit eum ad liberandum Israel, vt patet supra, ipse tamen nullam aliam liberationem fecit nisi istam: ergo Deus mouit eum ad hanc, & sic non peccauit in illa. Item Deus dedit virtutem Aod ad faciendum omnia hæc, & reuelauit ei, quod faceret, vt infra declarabitur, ergo non peccauit faciendo. Cum autem obiicitur, quod non potuit eum iuste occidere, quia erat pax inter Israel, & regem Eglon.

Respondeti potest vno modo, quod de lege communi illicitum erat, quod Aod occideret Eglon: nam quicunq; hominum sit, postquam cum eo pax posita fuerit, seruanda est, & hanc non seruauit Aod. Sed dicendum, quod cum Deus reuelauerit ei, quod hoc faceret, erat actus licitus: quia præceptum Dei efficit quemcumque actum licitum. Sed adhuc dicet aliquis, quod præter diuinam reuelationem fieret iste actus licitus, quia Israelitæ non poterant componere aliqua fœdera cum Chananæis vetante Domino, ideo si aliqua interdum componerent de facto non tenerent, quia ea, quæ contra ius diuinum fiunt nullius efficacię sunt, & potest quis cõtrauenire propria auctoritate, imo debet: velut si quis iurasset non colere Deum, vel non seruare præcepta, iuramen-

Dei præceptum efficere quemcunque actum licitũ.

tum

A tum est nullius vinculi, & debet propria auctoritate contrauenire. Fœdera autem huiusmodi erant nulla, quia contra legem Dei interposita: ergo poterant propria auctoritate contrauenire Israelitę: & sic non peccarent. Sed dicendum quod ista solutio non stat propter duo. Primo, quia rex Eglon non erat Chananæus, sed Moabita, vt patet in litera, prohibitio autem stat de Chananæis, scilicet, quod nullo modo componeretur fœdus cum eis, sed occiderentur in ore gladij, Deuteronomij vigesimo: cum Moabitis autem, & cæteris gentibus bene poterant componi fœdera de pace, & si componerentur, seruanda erant. Secundo non tenet, quia dato, quod cum Chananæis, non deberent iniri fœdera, & Iudæi peccarent iniendo ea: tamen seruari debebant ne deciperentur gentes: nam putarent Chananæi, quod fœdera inita inter eos & Iudæos tenerent, sicut inter reliquas gentes, & ob hoc non se obseruarent ab eis. Quod autem non seruarent ea Iudæi, quia Deus vetuerat, & possent in pace percutere Chananæos tanquam nullo fœdere interposito, erat penitus contra ius naturale: ideo licet non tenerent fœdera ex parte Iudæorum, tenebant tamen in fauorem Chananæorum, ne notabiliter deciperentur, vel saltem si Iudæi vellent non tenere fœdera, debebant denunciare Chananæis, quod illa fœdera interposita non tenuerant, quia erant contra legem Dei sui: ideo quod deinceps cauerent tanquam nullo fœdere interposito, & tunc licitum erat Iudæis pugnare de
B cætero contra Chananæos. Eglon igitur dato, quod fuisset Chananæus, non potuisset ex hac parte iuste occidi ab Aod quousque denunciaretur ei non tenere fœdera. Ad secundum cum dicitur, quod occidit eum per insidias, dicendum eodem modo, quod de lege communi hoc non licuisset: licuit tamen Aod ex mandato Dei, & reuelatione. Aliter autem potest responderi ad ista duo argumenta, scilicet, quod de lege communi poterat Aod occidere Eglon, nec peccauit quidquam, quia Eglon erat hostis Israelitarum, Aod vero erat princeps Israel, ideo licebat ei occidere hostem. Cum autem dicitur, quod egit contra pacem interpositam, negandum est hoc: nam non erant fœdera inter Moabitas & Israel: quia fœdera sunt inter eos, qui sunt quasi æquales, & vnus non dominatur alteri: Moabitæ tamen premebant Israelitas, & exigebant ab eis tributum, ideo non erant fœdera inter eos. Nec mouere debet quemquam, quod maneret secure rex Eglon in terra Israel, quia hoc non fiebat propter aliquod fœdus interpositum, sed quia cum non possent Israelitæ resistere ei, manebat in terra eorum eis inuitis non tamen petita, nec impetrata pace: & ob hoc ne quid mali Iudæi tentare vellent, habebat secum rex Eglon decem millia Moabitarum, vt patet infra in litera. Eglon igitur potuit occidi ab Aod, vel à quolibet Israelita impune. Ad secundum quando dicitur, quod per insidias occidit eum. Respondendum, quod occisio per insidias, vel palam habet locum inter
C illos, qui tenentur mutuo aliquo vinculo pacis, & nullus cauet sibi ab alio nisi dictum fuerit ei: inter hostes autem non habet locum ista distinctio occidendi, quia quocunque modo quis hostem suum occidat, qui publice est hostis, dum tamen non interuenerint aliqua fœdera, licite eum occidit, nec dicitur eum per insidias occidere, quia quilibet se tenetur custodire à publico hoste, sed inter Eglon & Israelitas nullum erat interpositum fœdus, vt dictum est: ideo potuit licite Aod occidere Eglon. Si autem obiicias, quod si non fuisset aliquod fœdus inter Eglon & Israelitas, non permisisset Eglon accedere ad se Aod solitarie loquentem. Respondendum, quod non fecit hoc propter aliquod fœdus interpositum, sed quia putauit, quod non auderet aliquid agere Aod timore seruorum Eglon: nam etiam si fœdus fuisset interpositum non agebat caute Eglon permittendo ad se accedere Aod, sed non considerauit, quia excæcauit eum Dominus, vt traderet illum in manus Aod.

An Deus reuelarit Aod, quod occideret Eglon, vel iusserit ei.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlterius, an Deus reuelauit Aod quod occideret Eglon, vel iusserit ei. Respondendum, quod non apparet ex litera, an iusserit vel reuelauerit. Credendum tamen est omnino, quod reuelauerit: nam alioquin non ausus fuisset Aod tanta aggredi, scilicet, quod vellet occidere solus hominem habentem decem millia virorum secum, & quod posset euadere. Etiam quomodo poterat existimare Aod, quod rex Eglon vellet loqui cum illo in secreto abeuntibus omnibus: nam istud est contra consuetudinem regum, quibus nemo loqui potest nisi præsentibus aliis, præsertim quando est alienigena, & suspectus. Potius ergo credere debuisset Aod quod nunquam posset habere oportunitatem ad loquendum sic Eglon. Item dato quod crederet hoc fore possibile, quomodo credidit, quod posset euadere: nam omnino erat verisimile, quod dato, quod Eglon permitteret secum loqui secrete Aod, quod manerent famuli regis ad portam custodientes quid fieret, & sic quando egrederetur Aod ingrederentur illico serui regis, ne ipse solus maneret: & videntes eum mortuum tenerent Aod, & occiderent: ipse tamen obtulit se omnibus his. Verisimile ergo est, quod Deus reuelauisset ei, quod subiret hoc, & quod ipse dirigeret actum eius. Item patet, quia sicut existimauit: ita omnia euenerunt, licet essent contra consuetudinem communem: nam mox vt voluit loqui secrete cum rege, ille imperauit cæteris silentium, & quod inde recederent. Etiam cum petiuisset Aod ab Eglon, quod descenderet de throno, quia habebat verbum Domini ad eum confestim descendit: & tamen mirum est, quia reges etiam nimis deuoti non solent tantam reuerentiam exhibere verbo Dei quantam iste Gentilis exhibuit: ex quo apparet, quod Deus eum inuitum trahebat. Item quando exiret rege interfecto Aod erat magnum periculum, quia serui regis deberent stare ad portam, & tamen tunc nullus stetit, quia omnes recesserant, ita quod tantam rem nemine sciente fecit. Dicendum igitur manifeste, quod nullo modo iste facere potuisset talia, nisi Deus eum specialiter direxisset: & dato quod ipsum dirigeret, ipse non ausus fuisset talia facere, vel aggredi saltem nisi Deus ei reuelasset de possibilitate, & de modo. *Aod autem.* Hic potest esse quartum huius partis, scilicet, hostium debellatio. Nam mortuo Eglon faciliter omnes viri sui occisi sunt. *Aod autem dum illi turbarentur effugit.* Non est sensus, quod fugeret dum illi turbabantur, scilicet, quod dum erant turbati de morte insperata Eglon recesserit Aod, sed prius fugerat nescientibus Moabitis. Dicitur tamen dum illi turbarentur, scilicet, quod dum illi erant turbati, habuit locum Aod integre fugiendi: quia cum vidissent tam graue, & tam insperatum malum, diu turbati substiterunt: ita quod non venit eis in mentem persequi Aod: cum autem redierunt in seipsos, iam fugerat longe Aod. *Et pertransiit locum idolorum.* Scilicet, Galgalam vbi erant idola Eglon: vel vbi de lapidicina lapides cædebantur ad fabricandum idola. Sed primum verius est. *Vnde reuersus fuerat.* Id est, ab illo loco reuersus fuerat ad occidendum Eglon. Erat namque primo Aod cum multis aliis Israelitis ad ferendum munera regi, & expeditus ab eo rediit F cum sociis suis, venitque vsque ad locum idolorum, & ibi dimittens eos vt recederent reuersus est ad Eglon, & occidit eum. *Venitque in Seirath.* Iste locus est in sorte Ephraim, & erat propinqua sors Ephraim loco in quo occisus est Eglon: nam apud Galgalam sunt confinia sortis Beniamin, & Ephraim, locus tamen idolorum erat Galgala. *Et statim insonuit buccina in monte Ephraim.* Mons Ephraim vocatur tota sors Ephraim: vnde in omnibus locis vbi agitur de aliquo loco sortis Ephraim dicitur, quod est in monte Ephraim. Patet Iosue cap. 17. & vigesimo, & vigesimo primo, patet etiam supra primo, & 1. Regum 1. & multis locis. Insonuit autem buccina ad conuocandum viros bellatores ad pugnandum contra Moabitas, & insonuit immediate vt occidit Eglon; quia Moabitæ videntes regem mortuum timerent tanquam non habentes ducem: putarent etiam quod Israelitæ qui hoc aggressi fuerant aliud maius malum disposuissent facere, ideo non auderent exspectare, sed fugerent in terram suam: ad hoc autem Aod præoccupauit clangere buccina, vt congregarentur cito viri bellatores, & occuparent vada Iordanis ne fugerent Moabitæ.

(·.·)

An Aod Iſraelitis reuelarit antequam faceret, quod volebat occidere Eglon.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRET aliquis, an Aod reuelauerit Iſraelitis antequam faceret, quod volebat occidere Eglon. Reſpondendum quod non patet ex litera. Dicendum tamen quod non reuelauit eis, quia ex hoc poterat periclitari ipſe Aod, & etiam alij Iſraelitæ: nam forte aliquis eſſet inter Iſraelitas proditor, ſicut ſemper ſunt aliqui in magnis communitatibus: & ille vt magna bona impetraret à rege Eglon reuelaret ei, vel ſeruis ſuis quid facere vellet Aod: & tunc caperetur Aod & occideretur: reliqui autem Iſraelitæ tanquam conſcij huius criminis premerentur nimis ſupra ſolitum, ideo vt euitaret hæc tacuit: & ob hoc etiam noluit quod quando ipſe occideret Eglon manerent ſocij ſui in vrbe palmarum, in qua erat Eglon, ſed venit cum eis vſque ad locum idolorum, & inde rediit ad occidendum regem. Item patet hoc, quia ſi Aod nunciaſſet hoc Iſraelitis, ipſi congregati eſſent antequam Aod rediret de occiſione, & non oporteret quod clangeret buccina ad congregandum exercitum. *Deſcenderuntque cum eo filij Iſrael.* Non omnes Iſraelitæ, ſed illi, qui congregari cito potuerunt de monte Ephraim: nam licet magnam multitudinem potuiſſet congregare Aod, quia tamen interim Moabitæ fugientes tranſirent vada Iordanis, accepit quos potuit viros belli, & præoccupauit vada Iordanis, dum non tranſiuiſſet aliquis Iſraelita. *Ipſo in fronte gradiente.* Ipſe erat dux, ideo gradiebatur in fronte, id eſt, in principio exercitus ad dirigendum, & animandum cæteros, vt nemo recuſaret accedere quando ipſe iret. *Qui dixit ad eos: ſequimini me.* In hoc reddebat eos attentos ad agendum quod ipſe ageret: & ob hoc ipſe præibat in fronte exercitus, quia volebat, quod cæteri ſequerentur eum. *Tradidit Dominus inimicos veſtros Moabitas in manus veſtras.* In hoc confortabat eos, & hortabatur ad bellum, ſcilicet: ſi vultis pugnare, inimici veſtri Moabitæ in manu veſtra ſunt, ſcilicet, quia non permittetis eis tranſire Iordanem: & hoc fecit Dominus, ſcilicet, qui dedit vobis iſtam opportunitatem, vt ſic poſſetis eos occidere. *Deſcenderuntque poſt eum.* Scilicet, quia ipſe gradiebatur in fronte exercitus. *Et occupauerunt vada Iordanis.* Iſta fuit opportunitas Iudæis ad occidendum Moabitas. Nam erat rex Eglon in vrbe palmarum ſiue in Iericho, & cum eo viri ſui: iſta autem ciuitas non multum diſtat à Iordane. Cum autem vidiſſent Moabitæ mortuum regem, ſcientes ſe non poſſe reſiſtere Iſraelitis, deliberauerunt fugere in terram ſuam Moab, quæ coniuncta eſt Iordani ab Orientali parte. Iordanis vero eſt fluuius magnus, qui raro tranſuadari poteſt. Pontes etiam non habet: in quodam tamen loco erant vada, per quæ ibatur in terra Moab: & cum non eſſent niſi in illo loco, occupauerunt ea Iſraelitæ, & tenebant clauſos Moabitas: cumque aliquis ad tranſeundum veniret occidebant eum. *Qui tranſmittunt in Moab.* Licet Iordanis alibi vada habeat, non tamen habet alibi vada, per quæ eatur in terram Moab niſi illa, ideo Iſraelitæ in illo loco ſolum expectabant Moabitas certi, quod illuc venturi eſſent. *Et non permiſerunt tranſire quemquam.* Scilicet, quia Iſraelitæ erant multi apud vada. Moabitæ autem deſiderio euadendi diſperſi erant, & quilibet fugiebat qua poterat: vnde omnes faciliter capiebantur. *Sed percuſſerunt Moabitas in tempore illo.* Siue ad vada Iordanis ſiue aliis bellis, ſi qua poſtea geſta ſunt. *Circiter decem millia.* Tot ſecum habebat rex Eglon, quia erat rex potentiſſimus, & erat nunc in terra hoſtium: ideo ne quid auderent in ipſum committere, tenebat ſecum magnum, & robuſtum exercitum. *Omnes robuſtos, & viros fortes.* Id eſt, omnes iſti viri decem millia erant robuſti, quia cum Eglon veniret in terram hoſtilem, in qua paratus eſſe debebat ad bellum, debebat ſecum habere viros ad bellum aptos: vnde elegerat fortiſſimos viros in tota terra Moab. In Hebræo habetur. *Omnes pingues, & viros fortes.* Et ponitur hic eadem dictio vbi nos ponimus robuſtos, quæ ponitur ſupra, cum dicitur: de Eglon, quod erat craſſus nimis, ſcilicet, ſamem, quod ſignificat pinguedinem, litera tamen noſtra poſuit robuſtos, quia ſecundum modum Hebraicum viri magnarum virium vocantur pingues: conſuetudo autem latinorum hoc non ſuſcipit, ideo tranſtulit ſenſum ex ſenſu, & non verbum ex verbo. *Nullus eorum euadere potuit,* ſcilicet, quia non habebant tranſitum niſi per vada Iordanis, & illa occupârant Iſraelitæ antequam quiſquam de Moabitis tranſiret, ideo omnes interfecerunt. *Humiliatus q; eſt Moab die illo ſub manu Iſrael.* Id eſt, non auſus fuit amplius ſe erigere contra Iſrael, ſicut prius. Non tamen eſt intelligendum, quod Iſraelitæ oppreſſerint Moabitas ſicut ipſi oppreſſerant Iſraelitas: nam Iſraelitæ non tranſierunt in terram Moab ad ſubiiciendum illam ſibi, & ponendo ſub tributo.

Iſraelitæ ad bellum contra Moabitas hortabantur.

An peccauerint Iſraelitæ pugnando contra Moab.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRET aliquis, an peccauerint Iſraelitæ pugnando contra Moab. Aliquis dicet quod ſic, quia Deus dixit Deuteron. 2. quod non mouerentur nec pugnarent contra Moab, & Ammon. Reſpondendum quod non peccauerunt Iſraelitæ, quia ex parte Dei ibant ad pugnandum, & Deus dabat eis iſtam victoriam, ſicut dixit Aod, ſcilicet, tradidit Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deus tamen non induceret eos ad pugnandum, nec diceret hoc Aod, ſi peccarent pugnando, ergo non peccauerunt. Ad rationem in contrarium dicendum, quod illud præceptum fuit temporale, ideo non obligauit ad ſemper; quod patet, quia in eodem ca. dicitur: Tu tranſibis hodie terminos Moab vrbem nomine Ar, & accedes in vicinia filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec moueris ad prælium, & ſic ſolum vetatur ibi pugna pro illo tempore, quo tranſibant Iſraelitæ per terminos Moab, & Ammon, & non pro ſequenti tempore: vnde licite pugnare poterant, ſi aliqua cauſa rationabilis ſuboriretur. Item prohibitio pugnæ non fuit ibi directe ad tollendum pugnam, ſed vt Iſraelitæ non caperent aliquam partem terræ Moab, vel Ammon: nam ſubditur in eadem auctoritate. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in poſſeſſionem; quaſi dicat: non pugnes contra eos ad eripiendum terram de manu eorum, quia nihil dabo tibi de terra eorum. Et ſic eſt dicendum, quod nunquam licuit Iſraelitis, ſaltem pro tunc, accipere terram Moabitarum, & Ammonitarum, vel aliquam partem eius in poſſeſſionem, etiam ſi pugnarent ex cauſa legitima: licebat tamen interdum pugnare: & ſic Dauid multotiens pugnauit contra Moabitas, & Ammonitas. De Moabitis patet ſecundum Regum octauo. De Ammonitis patet 2. Regum 20. cap. Saul quoque pugnauit contra Ammon, & Moab, vt patet primo Regum vndecimo, & decimo quarto capitul. Item illud præceptum intelligitur quantum ad hoc, quod Iſraelitæ non mouerent bella contra Moabitas, & Ammonitas: ſi tamen Moabitæ, & Ammonitæ pugnarent contra Iſrael, nulla ratio eſſe poterat, quæ tolleret Iſraelitis iſtam defenſionem, & pugnandi ius ad repetendum, & reſarciendum iniurias, & damna inflicta.

An Iſraelitis nunc contra Moabitas, & Ammonitas liceret pugnare.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR vlterius, dato quod liceret Iſraelitis inſurgente cauſa pugnare contra Moabitas, & Ammonitas, an nunc liceret pugnare. Aliquis reſpondebit quod non, quia oportebat, quod Moabitæ inferrent aliquam iniuriam, vel damnum Iſraelitis, propter quod ipſi poſſent iuſte moueri: nunc autem non erat ſic, quia erat pax inter Moabitas, & Iſraelitas, cum manerent Moabitæ in terra Iſrael, & ipſi Iſraelitæ ruperunt pacis fœdera armando bellum contra Moabitas: ergo peccauerunt. In contrarium dicendum, quod habuerunt Iſraelitæ iuſtam cauſam pugnandi: nam Moabitæ mouerant à principio iniuſta bella contra eos, & interfecerant multos de eis, & rapuerant bona ipſorum, ſubiecerantque eos in ſeruitutem annis decem & octo, & tributa grauia imponebant ſuper eos. Pro his omnibus poterant Iſraelitæ pugnare contra Moabitas vſque ad plenam

A

satisfactionem pro iniuriis, & damnis: nec oportebat quod ad hoc Israelitæ inciderent bellum cũ solennitate ipsis Moabitis ad hoc quod se pararent & postea pugnarent, quia istud requiritur quando nondum cepta est hostilitas inter aliquas gentes: quando tamen cepit,& continue durat,non oportet indici bellum cum aliqua solennitate, & postquam aliquis semel hostis est, quousq; desinat esse hostis, admonitus est vt se custodiat. Sed adhuc sobiicietur,quod quãquam ista mala passi fuerant Israelitæ à Moabitis, quia semel fuerat pax interposita,non poterant mouere bellum,quia sic omnia præterita erant remissa per fœdera superuenientia, vel si non erant remissa, saltem dum fœdera durabant, non debebant mouere bellum, ergo peccauerunt. Respondendum, quod inter Israelitas & Moabitas nulla erant fœdera, sed Israelitæ victi fuerunt à Moabitis, qui violenter manebãt in terra eorum ad premendum eos, & exigẽdum tributa per 18. annos, & dato quod mille annis mansisset, non causabatur aliquod vinculum pacis,eo quod Israelitæ hoc sustinebant,quia illud non poterant elidere. Data igitur eis quacunq; opportunitate contra Moabitas, poterant licite insurgere ad pugnandum siue publice,siue latenter: & sic nunc fecerunt, ideo nõ peccauerunt:ratio autem adducta in contrarium præsupponit falsum, scilicet, quod esset pax inter Israelitas & Moabitas. *Et quieuit terra octuaginta annis à prælio.* Isti octuaginta anni computantur sic, scilicet, à morte Othonielis primi iudicis

B

postquam populus manens aliquanto tempore sine iudice, bonus fuit: deinde declinans ad idola oppressus est ab Ammonitis,& Moabitis annis decem & octo,post quos surrexit Aod:& principatum tenuit vsque ad annum octuagesimum completum,sed forte principatus suus nõ fuit 50.annorum, quia reliquum tempus intermedium fuit sine iudice. *Post hũc fuit Samgar.* Hic ponitur de tertio iudice,qui fuit Samgar, de quo pauca enarrantur. *Filius Anad.* Non describitur nomen tribus,& familiæ,de qua erat iste Samgar, sed solum,quod erat filius Anath, & hoc forte,quia Anath erat aliquis vir tam cognitus inter Israelitas, quod illo nominato cognita erat tribus,& familia. *Qui percussit de Philisthinis sexcentos viros.* Istud fuit opus clarissimum, scilicet, quod vnus vir occideret sexcentos in pugna. Nicolaus autem vult, quod iste Samgar nõ occidit omnes 600. sed aliquos illorum, & induxit aliquos de Israelitis ad sic faciendum: & omnes simul occiderũt sexcentos viros. Sed hoc non multum stat, quia litera expresse dicit: quod ipse occidit sexcentos viros: quod ergo velimus eam distrahere à suo sensu sine necessitate, est valde irrationabile, & sic tolleretur omnis certitudo significationis in scriptura:si autem esset aliqua necessitas,deberet mutari sensus scripturæ quantum ad corticem:hoc autem non esset nisi dicamus, quod Samgar non potuerit occidere sexcentos viros vomere: sed hoc non stat, sed Samson occidit mille viros habens solum mandibulam asini, vt patet infra decimo

C

quinto: ergo à fortiori posset iste occidere sexcentos. Nec obstat, quod si dicas, quod spiritus Domini erat in Samsone, & dederat ei vires supernaturaliter: nam non solum erat Deus in eo, sed etiã de omnibus aliis iudicibus dicitur, quod Deus suscitauit eos in iudices,& quod factus est spiritus Domini super illos: ergo his quoque dari vires poterant supernaturaliter, & verisimile est ad tempus eis datas, licet non continue sicut Samsoni,& hoc tenent omnes,vt Iosephus,& historia Scholastica: & ad hoc litera expressit illud tanquam speciale opus Dei. *Vomere.* In Hebræo habetur aliud nomen quod significat virgam,qua minantur boues,& vocatur vulgariter aguiada: & pro vomrre habetur communiter aliud nomen apud Hebræos vbicunque ponitur primo Regum decimo tertio,& Isai.secundo litera tamen nostra posuit vomerem, quia virga qua minantur boues fragilis est, & non poterat esse sufficiens instrumentum ad occidendum tot viros. Dicunt tamen Hebræi, & Nicolaus, quod de illa fecit lanceam, vel vsus est ea tanquam lancea, & occidit multos. *Et ipse quoque defendit Israel.* Id est, licet non egerit opera tam grandia, vt alij iudices: tamen etiam ipse defendit Israel: nam volentibus Philisthinis introire in terram Israel, iste Samgar restitit eis, & occidit sexcentos, & cessauerunt hac vice Philisthini ab ingressu in terram Israel.

De Sãgar tertio Israelitarum iudice

Nicolai opi. de Sãgar.

D

Quare non computatur tempus, quod fuit sub principatu Samgar tertio iudice.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRET aliquis quare non computatur tempus, quod fuit sub principatu Samgar, sicut computatur sub aliis iudicibus. Respondendum, quod duplex ratio fuit, prima est paruitas operis:nam licet Samgar quantum ad personam suam plus forte egit, quam iudices præcedentes, & quam quilibet de sequentibus præter Samsonem: tamen quantum ad populum fuit paruum opus, quia non liberauit populum de magna afflictione sicut quilibet duorum præcedentium iudicum: nam populus fuerat in captiuitate aliquanto tempore, quando quilibet illorum factus est iudex, scilicet, ante Othonielem sex annis: & ante Aod annis 18. & isti fecerunt magna bella contra reges, & populos, & liberauerunt Israel de seruitute: cum vero surrexit Samgar non erat populus Israel de seruitute sub aliquo populo: sed Philisthini tunc volebant opprimere eos: & Samgar exiens illis obuiam compescuit illos occidens sexcentos, sed ista non est causa potissima:nam alij iudices minus fecerunt quam Samgar ad vtilitatem populi, scilicet, quia nihil boni egisse leguntur, sicut Thola Iair infra decimo, & Abesan, Chialon,

E

Abdon infra duodecimo. Nam de nullo horum legitur, quod fecerit aliquod bellum. Secunda causa,& præcipua fuit paucitas temporis: nam fertur, quod Samgar eodem anno, quo mortuus est Aod surrexit, & eodem mortuus est, vt ait historia Scholastica, & tenent istud historiographi: vnde tempus suum computatur cum tempore Aod. Quod patet, quia mala facta post mortem Samgar dicuntur facta post mortem Aod,vt patet sequenti capitulo, scilicet,addiderunt filij Israel facere malum post mortem Aod, & cum illud malum quod ibi fecerunt,& captiuitas,vel seruitus, quam sustinuerunt pro malo sub rege Iabin computatur sub quadraginta annis Barac,& Debboræ, tanquam inter Aod & Debboram non fuerit aliquis iudex. Et sic de vno anno non fit mentio. Alij autem iudices, qui rexerunt septem, vel octo, aut decem annis, quamquam nihil feciſſe legantur, habent computationem temporis per se in scriptura, sicut Thola Iair, Abdon, Abesan, Chialon: quia maiori tempore rexerunt, vt patet infra decimo,& duodecimo.

Quare de Samgar non dicitur, quod suscitauit eis Dominus saluatorem nomine Samgar.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlterius, quare de Samgar non dicitur, quod suscitauit eis Dominus saluatorem nomine Samgar: sicut dicitur de aliis, suscitauit eis saluatorem nomine Othoniel, vel Aod. Respodendum, quo fuit propter duo. Primo quia spiritus Domini significat aliquid magnum, & nunquam dicitur de aliquo,quod mouetur à spiritu Dei,nisi egerit aliquid valde magnum. Samgar autem non fecit aliquid magnum in Israel, quia non triumphauit in magnis bellis sicut alij iudices, ideo non dicitur, quod suscitauerit eum Deus. Patet hoc, quia alij iudices liberabant penitus terram tempore suo de manu hostium. Samgar tamen licet egerit stragem illam Philisthinis non liberauit penitus Israel de manu hostium, sed habitabant Israelitæ cum timore, vt patet infra quinto capit. in diebus Samgar filij Anath, & in diebus Iahel quieuerunt semitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios, cessauerunt fortes in Israel,& quieuerunt,donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel: quasi dicat,tempore Samgar Israelitæ non audebãt ambulare publice per terram, etiam si essent viri fortes: sed ambulabant per calles deuios, & incognitos: & hoc durauit vsque ad Debboram, cuius tempore fuit facta plena liberatio. Secunda ratio huius est, & præcipua, quia Deus dicebatur suscitare aliquem saluatorem quando Israelitæ premebantur ab hostibus & clamabant, & ad clamorem eorum Deus suscitabat aliquem, qui liberaret eos, sicut patet supra de Othoniele, & Aod. De Samgar autem non fuit sic,

F

quia

A quia non erat Iſrael clamans ad Dominum quando ſurrexit Samgar, ſed Philiſthini veniebāt ſuper terram Iſrael. & Samgar obuius illis percuſſit ſexcentos, hoc etiam patet, quia dicitur hic in litera, & ipſe defendit Iſrael: de aliis autem iudicibus dicitur, quod liberauerunt Iſrael. Differentia autem horum eſt, quia defendere eſt reſiſtere alicui inuadenti. Liberare, vel ſaluare eſt tollere aliquem, qui premebatur de poteſtate opprimentis. Sic Samgar reſtitit Philiſthinis venientibus, ne introirent, & non repulit vel excluſit aliquos iam dominātes in terra. Othoniel autem, & Aod expulerunt hoſtes iam dominantes in terra. Per hoc etiam probatur, quod non fuerint magna opera Samgar: quia non dicitur de illo, quod liberauit Iſrael, ſed quod defendit, nō quidem ab omnibus, ſed à Philiſthinis ſolum: manebant tamen adhuc Iſraelitæ in timore vſque ad tempus Debboræ, vt patet infra 5.

Quare non dictum eſt terram quieuiſſe tanto, vel tanto tempore ſub Samgar.

Qvæstio XXXIII.

Qværetvr vlterius, quare non dictum eſt de tempore: quieuit terra tanto, vel tanto tempore, ſicut de aliis iudicibus dicitur, vt patet ſupra in litera de Othoniele, & Aod, & infra quinto de Debbora, & infra octauo de Gedeone. Reſpondendum, quod cauſa fuit duplex: vna eſt, quia terra dicitur quieuiſſe toto illo tempore, quod computatur ſub illo iudice, vt ſi computantur anni quadraginta, dicitur quieuiſſe annis quadraginta, ſed ſub Samgar non computatur aliquod tempus, quia paucum fuit, ſed colligitur tempus eius ſub Aod, vt ſupra dictum eſt, vel ſub Debbora, vt quidam volunt: ergo non poteſt dici quod quieuerit terra ſub eo. Secunda cauſa eſt, quia terra dicitur quieſcere, quia pœnitus liberatur ab hoſtibus, ſub Samgar tamen non fuit pœnitus liberata, ideo non dicitur quieuiſſe. Patet hoc quia ſub Othoniele dicitur quieuiſſe terra, eo quod ipſe oppreſſit Cuſan Raſathaim regem Syriæ, & liberauit pœnitus terram Iſrael de manu Syriorum. Aod quoque humiliauit Moabitas, & expulit eos de terra, & occidit regem eorum, ita quod poſtea Moabitę nunquam inquietauerunt Iſraelitas, tempore tamen Samgar non quieuit terra, quia non audebant Iſraelitæ ambulare publice per terram, vt patet infra quinto capitulo, ſcilicet, in diebus Samgar filij Anath, & in diebus Iahel ceſſauerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt calles deuios, ceſſauerunt fortes in Iſrael, & quieuerunt, ſcilicet, non audentes publice ambulare, donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſrael.

Quare non dicitur tempore Samgar, quod addiderunt filij Iſrael facere malum coram Domino.

Qvæstio XXXIV.

Qværetvr vlterius, quare non dicitur tempore Samgar, quod addiderunt filij Iſrael facere malum coram Domino: nam ſub aliis iudicibus ſic dicitur: ſic etiam patet pręſenti cap. cum dicitur, quod mortuo vno iudice, reuertebantur filij Iſrael, & faciebant maiora quam fecerant patres eorum, & tunc demum afflicti clamabant, & Deus dabat alium iudicem. Reſponderi poteſt dupliciter: vno modo, quod ante tempora Samgar Iſraelitæ non diuerterunt ad idola, hoc modo, ſcilicet, Samgar ſurrexit eodem anno, quo mortuus eſt Aod, & nondum declinauerant Iſraelitę ad idola, ideo non dicitur addiderunt: & hoc conſonat communi ſententiæ hiſtoriæ Scholaſticæ, & aliorum. Aliter poteſt dici, quod Samgar pauco tempore iudicauit, ſcilicet, vno anno, vel parum plus, & tamen non fuit immediate poſt Samgar, ſed annis aliquot poſt, & ante eum declinauerant Iſraelitę ad idololatriam, & Deus tradiderat illos in manus regis Iabin, & tamen, quia non computatur aliquod tempus ſub ipſo, ſed ſub Debbora, non fit mentio quaſi ipſe fuerit iudex, ſed quaſi nō fuerit quiſquam inter Aod, & Debboram. Hoc autem colligitur ſequenti capitul. cum dicitur: Addiderunt filij Iſrael facere malum coram Domino poſt mortem Aod: & ſic ante Samgar fuit. Sed aliquis adhuc dicet, quod malum quod fecerunt filij Iſrael poſt Aod, non fuit ante Samgar, ſed poſt: dicitur tamen poſt Aod, & non poſt Samgar, quia non computantur tempora Samgar. Sed hoc non ſtat, quia infra quinto dicitur: in diebus Samgar filij Anath, & in diebus Iahel ceſſauerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt calles deuios donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſrael: ergo videtur quod tempore Samgar opprimebantur Iſraelitæ ab aliquo, ita vt non auderent ambulare: & illa oppreſſio fuit ablata tempore Debboræ, ſed ſub Debbora non fuit ablata aliqua oppreſſio, niſi quam faciebat Iabin rex Aſor, ergo tempore Samgar iam premebat Iſraelitas Iabin. Dicendum ergo neceſſario, quod inter Aod & Samgar interciderunt aliqua tempora, & in illis aliquantulum poſt mortem Aod ſeruierunt Iſraelitę Domino, quo cito derelicto coluerunt idola, pro quo Deus tradidit illos in manus Iabin regis Aſor, & opprimebat eos nimis. Hoc dum fieret accidit, vt Philiſthini ruerent ſuper Iſraelitas, quibus exiens obuiam Samgar occidit ſexcentos vomere, & defandit Iſrael quantum ad illos, tamen non potuit aliquid agere contra Iabin regem Aſor, & ſicut quieſcebant tunc ſemitæ, ſcilicet, pro timore regis Aſor, ita quod non audebant Iſraelitæ publice ambulare de loco ad locum, ſed ambulabant calles deuios, vt dicitur infra quinto, & iſta eſt veritas. Non ergo debuit poni hoc, quod addiderunt filij Iſrael facere malum coram Domino, quia ſequenti capitulo ponitur malum quod fecerant ante Samgar. Cauſa autem quare non ponitur illud antequam dicatur de Samgar, eſt quia Samgar non liberauit Iſraelitas à malo, quod incurrerunt propter malum quod fecerunt poſt Aod: nam illud fuit ſeruitus ſub rege Iabin, à qua liberauit Debbora, & Barac Iſraelitas, vt patet ſequenti capitulo.

Chronica euentuum temporalium ſub Othoniel, & Aod iudicibus.

Qvæstio XXXV.

Chronica euentuum temporalium ſub his duobus iudicibus Othoniel, & Aod hæc fuit. Othoniel, iudicauit quadraginta annis quamquam non incipiant ſub eo, ſed ab introitu Iſraelitarum in terram Chanaan, & finiuntur in morte eius. Cœpit tamen principatus ſuus anno 66. ab exitu de Ægypto, ſcilicet, computando 26. annos priores ſub Ioſue, vt ait Ioſephus 5. antiquitatum, & fuit hoc anno 572. ætatis tertiæ, quæ cœpit ab Abraham: anno autem mundi, vt volunt, bis milleſimo quingenteſimo viceſimo ſecundo: & hoc ſecundum computationem, quam tenet litera Bibliæ Hebraicæ circa ætatem primam ſeculi, in qua ponit annos 1654. & tamen ſecundum Bibliam 70. Interpretum, & vt ait Auguſt. 14. De ciuitate Dei, fuerunt anni bis mille ducenti quinquaginta duo. Et ſic ſuperſunt anni quaſi 600. & ſecundum hanc computationem eſſet tunc annus mundi quaſi tertius milleſimus demptis 60. Huius, inquam, tempore regnauit Athenis quartus rex Erichthonius, cui ſupererant adhuc 4. anni pro tempore Aod, vt declaratum eſt præcedenti capitulo, & mortuus eſt 4. anno Aod, cui ſucceſſit quintus rex Athenienſis nomine Pandion, qui regnauit annis 40. & mortuus eſt iudicāte adhuc Aod anno ſuo quadrageſimo quarto, iſte Pandion habuit duas filias, ſcilicet, Prognæ, & Philomenam, de quibus præcedenti capitul. proſecuti ſumus. Poſt Pandionem cepit Athenis regnare ſextus rex nomine Erichthonius, qui fuit ſecundus Erichthonius, rexitque quinquaginta annis: mortuuſque eſt poſt mortem Aod annis 14. Quod patet, quia vt ſupra dictum fuit nunc anno 44. Aod mortuus eſt Pandion; ideo ſupererant de annis Aod ad complendum 80. annos 36. ſed Erichthonius ſecundus regnauit annis 50. ideo oportet, quod 14. annis poſt mortem Aod mortuus fuerit: eratque ille annus 14. ſub Barac, & Debbora. Hoc tempore, ſcilicet, Othonielis Charinus in Thebis Græcorum regnauit, ex cuius filia Semele natus eſt Dionyſius, qui à Poëtis vocatur Bacchus, vel Liber pater, ſcilicet, quia inuenit vſum vitis in Græcia. De genealogia huius Charini, & infortunius domus ſuæ enarrat Ouidius Metamorphoſeos libro tertio per maiorem partem eius. Sub hoc fuit Lynus Thebeus muſicus de antiquiſſimis poe-

Pandiō quintꝰ rex Athenienſis Prognem & Philomenam filias habuit.

tis.

A

tis. Eo tempore Danae fuit, ex qua Perſeus genitus eſt, qui per impluuium, aureum genitus dicitur, vt ferunt poetæ: de quo Terentius in Eunucho, & Auguſtinus de ciuitate Dei libro ſecundo. Iſte Perſeus pugnauit contra quaſdam gentes Aſiæ, quas redactas in ditionem ſuam, ex nomine ſuo Perſas appellauit tempore Othonielis. Bithinia ciuitas condita eſt à Phœnice: iſta eſt, in qua beatus Lucas mortuus eſt. Phœnix quaſdam literas Phœnicibus tradidit, & ad alēdum vermiculum, vt inde literæ fiant, vel picturæ inſtruxit. Vnde, & color ille Phœniceus dictus eſt, qui poſtea mutata litera puniceus dicitur. Ciuitas Ephira, quæ poſtea Corinthus appellata fuit in Græcia tunc à Siſypho condita eſt. Minor filius Europæ regnauit in Creta. De his Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib.3.& hiſtoria ſcholaſtica. Aod iudicauit Iſrael octuaginta annis, non quòd toto hoc tempore iudicauerit, cum includantur hic tempora ſine iudice & 18. anni quibus rex Eglon oppreſſit Iſraelitas, ſed quia in fine iſtorū annorum Aod mortuus eſt, & terminatur iſtud tempus anno 160. ab exitu de Ægypto. Quod patet computando 40. annos deſerti, & totidem Othonielis, & 80. ſub Aod, fuit autem iſte annus ab initio 3. ætatis 665. & ab exordio ſeculi 2613. volunt autem, quod ceperit principatus Aod elapſis ſolum 18. annis de iſtis 80. & ſic fuit principatus ſuus 62. annorum. Hoc autem eſt ſi illi 18. anni, quibus Iſraelitæ ſeruierunt regi Eglon computentur ſtatim poſt mortem Othonielis, quia ſatis eſt veriſimile. Tempore Aod, vt dictum eſt, regnabat Athenis Erichthonius ſecundus, vel Erichtheus, vt alij nominãt, cuius filia fuit Orinthia, quã Boreas rex Thraſſum rapuit. De hoc ponitur fabula 6. Metamorphoſeos: quia Boreas ſit ventus, & quod rapuerit Orinthiam per aerem: vnde dicitur.

Ephira ciuitas

B

Orinthiam amans ſuluis amplectitur alis.

Et ſic continuat Ouidius iſtas hiſtorias, vt chronographi. In diebus Aod Cirene ciuitas famoſa in Lybia condita eſt, de qua habetur Act. ſecundo, ſcilicet. Et qui habitant Cirenem, & partes Lybię. Tunc Triptolemus lòga naui Eleuſim veniens fumenta ibi diſtribuit. De hoc eſt fabula quòd duxerit frumenta ſuper ſerpentes, vt patet per Ouidium quinto metamorphoſeos. Et veritas fuit, quòd in naui longa portauit cuius inſignia erant duo picti ſerpentes, ſed poetæ habent locum transformandi. Sic etiam dicitur quòd Iupiter in forma Tauri rapuerit Europam filiam regis Tyri, & duxerit ſuper mare in dorſo, vt patet ſecundo Metamorphoſeos, & Seneca in Tragedia 4. cuius nomen eſt Hippolytus carmine quod incipit.

De his late doct. in con. ſuper Euſ.

Diua non miti generata ponto.

Veritas autem fuit, quòd rapuit eam, & duxit in quadam naui cuius inſignia erant Taurus pictus. Sed Ouidius aliter ordinat iſtud de Triptolemo: nam dicit illud accidiſſe ante regem Pandionem, & hiſtoriam de Progne, & Philomena.

C

Nam de Triptolemo ponit in fine 5. Metamorphoſeos, & de Pandione, & filiabus ponit vltra medium 6. Hoc tempore ferunt fuiſſe raptam Proſerpinam, de qua fabuloſe loquitur Ouidius 5. Metamorphoſeos circa finem. Veritas autem fuit quòd Orcus rex Moloſſorum Proſerpinam rapuit, ad cuius raptū è conuerſo venerant Herculus, Theſeus, & Pyrithous. Canis autem ingens quidam regis Moloſſorum, qui Cerberus dicebatur, Pirithoum deuorauit, & deuoraſſet Theſeum, niſi eum Hercules liberaſſet. Ex hoc habuerunt poetæ locū fingendi, quòd Cerberus erat canis inferni, & ille deuorauit Pirithoum, eo quòd dominus ſuus rex Moloſſorum vocabatur Orcus, qui eandem ſignificationem habet cum inferno. Et iſtud apud multos poetas vulgatur. Hoc temppre Frixus, & Helles ſoror ſua inſidias nouercæ euaſerunt in quadam naui, cuius inſigne erat aries pictus. Helles autem timens fluctus maris in Pelagus demerſa eſt, quod ab ea nomen accepit: & vocatur hodie Helleſpontus, id eſt pontus, vel mare Helles: & eſt nomen tam maris, quam inſulæ circa finem Europæ verſus Orictem. Ex hoc autem inſurrexit fabula apud poetas quod Frixus, & Helles ſuper arietem quēdam equor tranſierunt, & ob hoc rudis vulgus arietē inter cœli cōſtellationes collocauit, & eſt primum inter ſigna Zodiaci, quamquam alias communes aſtronomi ponant. Eo tempore in Dardania regnabat Tros, à quo Troiam vrbem conditam, & nominatam ferunt: tunc Perſeus pugnauit cō-

D

tra Gorgonem, quæ meretrix erat, & præ nimia pulchritudine, & maleficiis aſpiciens mentis impotentes reddebat. De hac fabula eſt tres fuiſſe ſorores Gorgonidas, quæ vno oculo vtebantur, & aſpicientes conuertebant in lapides. De quo Ouidius quarto Metamorphoſeos. In quo ipſe diſcordat à narratione temporis ſecundum nos, quia præponit hoc ad omnia ſacra, quę nos præpoſuimus ex tempore Moyſi vſque huc. Eo tempore Dionyſius, id eſt Baccus, vel Liber in India ciuitatum Niſam condidit: & eam ſuo nomine appellauit. De his Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib.2.& hiſtoria ſcholaſtica.

CAPVT IV.

Sup.12. & 3.& infr. 6. 2. Reg. 12.

ADdideruntque filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manu Iabin Regis Chanaan, qui regnauit in Aſar, habuitque Ducem exercitus ſui nomine Siſaram, ipſe autem habitabat in Aroſeth gentium. Clamauerunt q̃ filij Iſrael ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppreſſerat eos. Erat autem Debbora Prophetes vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Ramā, & Bethel in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam filij Iſrael in omne iudicium. Quæ miſit, & vocauit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & deſcende, & duc exercitum in montem Tabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filijs Nephthali & de filijs Zabulon: ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram principem exercitus Iabin & currus eius atque omnem multitudinem, & tradam eos in manum tua. Dixitque ad eam Barach: ſi venis mecum vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria nō reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur Siſara. Surrexit itaque Dabora, & perrexit cum Barach in Cedes, qui accitus Zabulon, & Nephthali aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu ſuo. Aber autem Cinæus receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis filijs Obab cogniti Moyſi: & tetenderat tabernacula vſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes. Nunciatumque eſt Siſaræ, quod aſcendiſſet Barac filius Abinoem in Montem Tabor, & congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Aroſeth gentium ad Torrentem Ciſon.

E

Perſeus rex claret, & Ardeā in Italia vrbē condidit.

Feſula na Thuſcię ciuitas condit-tur.

Sybilla Samia claret.

F

Addideruntque. In præcedentibus poſita in Iudæorum tribulatio, ſecundo hic conſequenter deſcribitur tertia, & fuit ſub rege Iabin, & diuiditur in tres partes, quia primo ponitur tribulatio: ſecundo de tribulatione liberatio ibidem. *Erat autem Debbora.* Tertiò pro liberatione gratiarum actio in toto cap.5.

An hæc continuum ordinem ad præcedentia habeant.

QVÆSTIO I.

QVÆRET aliquis circa primum an iſta, quæ ponuntur hic fuerint poſt præcedentia, vel ſit ordo mutatus, & an immediate fuerint, vel interciderit magnum tempus inter vtraque. Reſpondendum, quòd ea, quæ habentur hic, continuum ordinem habent ad præcedenria: nam præced. capitulo agitur de temporibus Aod: hic autem ſubditur de his, quæ facta ſunt poſt Aod, vt patet in principio literæ, ſcilicet addiderunt filij Iſrael in conſpectu domini facere malū.

A Eſt tamen mutatio ordinis ad aliquid, quia in fine præcedē-
tis capituli dictum eſt de Samgar,& hic in principio dicitur
de peccatis,quæ fecerunt Iſraelitæ poſt mortem Aod. Prius
tamen peccauerunt Iſraelitæ poſt Aod, quam Samgar fue-
rit Iudex, vt declaratum eſt præcedenti capitulo ad finem.
Quantum ad alia autem eſt continuus ordo , & facta ſunt,
quæ habentur hic immediate poſt ea, quæ habentur præce-
denti capitulo: nam paulo poſt mortem Aod peccauerunt
Iſraelitæ,& tamen peccatum eorum ponitur hic. *Addiderunt-
que filij Iſrael.* Scilicet ſuper mala,quæ fecerunt tempore prę-
terito addiderunt nunc iſtud: iſta enim conditio erat, quod
non quieſcerent praue agere,ſed mortuo vno iudice agebāt
peiora, quam prius egerant,vt patet ſupra 2. cap. *Facere ma-
lum in conſpectu domini.* Scilicet colere idola,quia cætera mala,
quaſi venialia Deus reputabat in ipſis Iudæis , ſi in hoc non
peccarent. *Poſt mortem Aod.* Scilicet, quia dum ille viueret
non peccauerunt , & quòd habebant caſtigantem, & ad-
monentem : mortuo autem illo ducebantur à mala con-
ſuetudine præcedenti cum nullum haberent repugnantem.
Aliquis obiiciet,quod deberet hic dici, quod peccauerunt
filij Iſrael poſt mortem Samgar, quia ille poſt mortem Aod
mortuus eſt, & de ipſo Samgar præcedenti capitulo dicitur.
Reſpodendum, quod non ponitur poſt mortem Samgar,
ſed poſt mortem Aod, quia iſta peccata Iſraelitarum pro-
B pter quæ traditi ſunt in manus Iabin, nō fuerunt poſt mor-
tem Samgar, ſed poſt mortem Aod antequam Samgar eſſet
iudex, vt declaratum eſt præcedenti capitulo in fine. *Et tra-
didit illos dominus in manus Iabin.* Iſta eſt tribulatio,ſcilicet,quia
traditi ſunt in ſeruitutem,& erāt durior inquantum erat ſub
ſeruitute Chananæorum, qui erat hoſtes acerrimi eorum: e-
rat quippe Iabin Chananæus , cùm vocetur rex Chanaan.
Traditio autem iſta fuit, quia Deus deſeruit Iſraelitas amo-
uendo ab eis adiutorium ſuum,& tribuendo animoſitatem,
& vires regi Iabin ad præualendum contra Iſrael. De modo
huius declaratum eſt ſatis præcedebti capitulo. *Regis Chanaā.*
Quomodo Iabin erat rex Chanaan. Non eſt Chanaan aliqua ciuitas ſpecialis:in qua regnaret Ia-
bin: nam ciuitas ſua erat Aſor, vt patet in litera. Nec accipi-
tur etiam Chanaan pro tota terra Chanaan, quia non erat
Iabin rex totius terræ Chanaan, cum maiorem partem eius
tenerent nunc Iudæi. Etiam tempore, quo nihil tenebant
Iudæi in terra Chanaan non erat Iabin rex totius terræ Cha-
C naan:nam præter eum erant multi reges,cum Ioſue,& Iſrae-
litæ occiderint 31. de quibus Ioſue, 12. & manebant adhuc
multi alij, ſcilicet 5.reguli Phyliſthinorum,& patet Ioſue 13.
& præcedenti capitulo,& alij reges Sidoniorum, & Heuæo-
rum: ſed vocatur rex Chanaan, id eſt rex terræ illius populi,
qui vocatur Chananæus:nam inter ſeptem populos Chana-
næorum erat vnus, qui ſpecialiter vocabatur Chananæus: &
terra huius vocatur ſpecialiter terra Chanaan:hoc patet prę-
cedenti capitulo iuncto Ioſ. 13. nam cum deſcriberentur gē-
tes derelictæ in terra de ſtirpe Chananæorum præcedenti
capitulo,dicitur, quòd reliquit dominus 5. Satrapas Phyli-
ſthinorum, & omnem Chananæum , & Henæum, & Sido-
nium , & Ioſue 13. ponuntur iſtæ gentes derelictæ in ter-
ra,& vbi ponitur hic omnem Chananæum,ponitur ibi om-
nis terra Chanaan,& omnis Chananæus, & tamen manife-
ſtum eſt , quod Chananæus, de quo hic dicitur non com-
prehendit omnes ſeptem populos Chananæorum , ſed ſo-
lum eſt quidem populus ſpecialis de illis, ergo terra Chanaā
non erit hic tota terra Chunaan, ſed ſolum terra huius po-
puli Chananæi: & ſic rex Iabin , qui vocatur rex Chanaan,
non dicitur rex totius terræ Chanaan, ſed ſolum terræ illius
populi ſpecialis, qui vocatur Chananæus. Alio modo dici
poteſt, & ſatis conuenienter, quod Iabin vocatur rex Cha-
naan, id eſt totus terræ Chanaan, ſcilicet omnium ſeptem
populorum Chanaan , & non vocatur rex Chanaan tan-
quam nunc eſſet rex,vel dominus totius terræ Chanaan, ſed
quia antiquitus antequam intrarent Iſraelitæ in terram,erat
Iabin rex totius terræ Chanaan. Etiam hoc non eſt intelelli-
gendum quantum ad hoc,quod prēter eum nullus rex eſſet,
ſed quia ipſe dominabatur omnibus regibus terræ Chana-
an: ſic patet Ioſue 11. cum dicitur: Aſor enim antiquitus in-
ter omnia regna hæc principatum tenebat,& vocantur om-
nia regna hæc ſcilicet Chanaan , vel quæ hic demonſtrata
ſunt. Item patet eodem cap.quia dicitur, quod Iabin rex A-
ſor fecit vocari multos reges, qui omnes ibidem nominan-
D tur:& illico conuenerunt ad pugnam,& ſic præerat illis cum
poſtea dicatur: Aſor enim , id eſt rex ciuitatis Aſor tenebat
principatum inter omnia hæc regna, ſed ibi nominātur re-
ges Iebuſæi, Chananæi,Pherezæi,Heuæi,& de omnibus aliis
gentibus: ergo Iabin rex Aſor erat dominus, vel rex non ſo-
lum illius populi, qui vocabatur Chananæus , ſed etiam to-
tius terræ Chanaan, ſcilicet omnium ſeptem populorum,&
iſte eſt verus ſenſus literæ.

*An rex Iabin exercitum magnum congregauerit,& con-
tra Ioſue pugnarit.*

Qvæstio II.

Qværet aliquis an iſte rex Iabin fuerit,de quo dicitur
Ioſ.11. quòd congregauit magnum exercitum , & pug-
nauit contra Ioſue. Aliquis dicet, quod ſic, quia ille vocatur
ibi Iabin rex Aſor, & iſte etiam vocatur hic rex Aſor. Item
iſte Iabin vocatur hic rex terræ Chanaan , & Ioſ.11.idem vi-
detur, cum dicatur: quòd Aſor antiquitus inter omnia re-
gna illa ſcilicet Chananæorum principatum tenebat: ergo
idem Iabin eſt. Reſpondendum eſt, quod eadem ciuitas A-
ſor eſt, de qua dicitur hic,& Ioſ.11.& tamen hic Iabin,& ille,
de quo ibi non eſt idem: quod patet,quia ab illo tempore vſ-
E que nunc non poterat ſuperuiuere,quia illud bellum fuit in
principio introitus Iſraelitarum in terrā Chanaan, ſ. primo
anno, vel in principio ſecundi, & tamen ab illo tempore vſ-
que huc tranſierant anni fere centum quadraginta : nam
anni quadraginta Othonielis computantur ab introitu in
terram Chanaan, de quibus tollamus vnum annum ſi vo-
luerimus, deinde addamus octuaginta annos Aod præcedē-
ti capitulo,deinde ponamus annos viginti,quibus oppreſſe-
rat Iabin Iſraelitas, quando pugnauit contra Siſaram magi-
ſtrum militiæ eius Barac, vt patet in litera: & tamen quando
ipſe fecit bellum contra Ioſue, vt patet Ioſ.11. eſſet annorum
viginti,vel triginta,quia faciebat bella & congregabat reges:
ergo ſi addantur his peruenient anni ad centum ſeptuagin-
ta annos,vel quaſi: ſed nulli hominum illo tempore hoc da-
tum eſt, ideo non erat iſte idem Iabin cum illo. Item effica-
cius patet hoc , quia ille rex Iabin occiſus fuit à Ioſue: ergo
iſte erat alius Iabin. Quod patet Ioſ. 11. cum dicitur: Reuer-
ſus cœpit Aſor, & regem eius percuſſit pladio : Iabin tamen
erat ibi rex Aſor , ergo ille mortuus fuit. Item, quia dicitur
ibidem,quòd ciuitas Aſor combuſta eſt,& omnes, qui de il-
la erant, nec manſit quiſquam: ergo etiam rex Iabin periit.
Sed dicendum eſt,quod iſte rex Aſor nunc vocabatur Iabin, *Determinat. quæſt.*
ſicut alius, quia forte ſic eum vocari accidit,vel quia omnes
reges Aſor ſic vocabantur, ſicut quodam tempore omnes F
reges Ægypti Ptolomæi dicebantur,& omnes reges Roma-
norum Cæſares Auguſti, & reges Iudæorum Herodes, & re-
ges Phyliſthinorum Abimelec,& reges Ægypti alio tempore
Pharaones, ſic & reges Aſor vocabātur Iabin. *Qui regnauit in
Aſor.* Non ſolum regnauit in Aſor, ſed etiam in magna alia
terra: ſed vocatur ab iſta ciuitate, quia iſta erat caput regni
ſui: ſic patet Ioſue 11. ſcilicet, Aſor enim antiquitus inter o-
mnia regna hæc principatum tenebat. Alij putant,quòd vo-
catur rex Aſor, quia ibi morabatur ſemper. Sed falſum eſt,
quia nūc Iabin morabatur in Aroſeth gentium, vt infra pa-
tet in litera.

Quomodo potuit Iabin regnare in Aſor.

Qvæstio III.

Qværet aliquis , quomodo potuit Iabin regnare in
Aſor, quia illa iam combuſta erat: nam Iſraelitæ com-
buſſerunt eam,& diruerunt,vt patet Ioſue 11. Reſponden-
dum eſt, quòd Aſor erat princeps communium ciuitatum,
& regnorum terræ Chanaan, & rex huius vrbis dominaba-
tur toti terræ Chanaan,ideo Chananæi,vt nō perderent iſtū
principatum conſtruxerunt inſtaurantes Aſor, quæ exuſta
fuerat,&nunc dominabantur in ea reges. Sed adhuc obiicie-
tur,quia non ſolum combuſta eſt,ſed etiā Iſraelitæ tenebant
eam: nam cœperunt illam de manu Chananæorum,vt patet

A Iosue 11. Aliquis respondebit, quod Asor fuit in potestate Israelitarum, sed postea Chananæi pugnantes cœperunt eam de manu Israel, sicut factum est de multis aliis vrbibus, quas tenebant Iudæi, vt ait Iosephus. 5. antiquitatum. Nam cœperunt eas Chananæi, sicut Gazam, & Ascalonem cœperũt de sorte Iudæ: & postea filij Iudæ recuperauerunt istas vrbes: sic etiam fuit de filiis Dan, quos arctauerunt Ammorrhæi in monte Hares; & non dederunt locum manendi in vallibus, accipiendo omnia loca eorum, quæ tenuerunt in vallibus: de quo supra primo, Sed dicendum, quod non stat, quia Israelitæ non tenebant occupatam vrbem Asor, ita vt habitarent in ea, sed combusserunt eam, & diruerunt, ideo non poterant de manu Israelitarum accipere eam Chananæi, cum illi non possiderent eam. Sed dicendum, quod Israelitæ exusserunt ciuitatem istam, & non habitabant in ea. Chananæi autem postea desiderio ciuitatis illius ducti instauraverunt eam, quod non potuerunt prohibere Israelitæ, & habitauerunt ibi, sicut prius, fueruntque reges habentes principatum, quem tenebant prius. Causa autem quare Chananęi voluerunt potius vrbem istam exustam reparare, quàm cæteras cum multæ aliæ exustæ essent, fuit desideriũ principatus illius prioris, quẽ ista ciuitas antiquitus tenebat inter omnia regna terræ Chanaan. Causa aùt quare Israelitæ combusserant eam, fuit quia ipsi tempore Iosue cęperunt multas vrbes, vt patet Iosue 11. & nõ poterant replere illas, & vt Chananæi non venirent ad accipiendum eas rursus, & esset iterũ Israelitis pugna, sicut à principio, combusserunt eas, & diruerũt, ne possent habere recursum ad illas Chananæi. Et istud fuit de vrbibus, quæ erant in plano: nam has combusserunt: vrbes vero manentes in collibus, & montibus non combusserunt: & hoc erat, quia vrbes, quæ erant in plano quamquã occuparentur ab Israelitis, non posset defendi, & caperentur rursus à Chananæis manentibus, sicut prius. Vrbes autem, quæ erãt in collibus poterant faciliter defendi: ideo illas non combusserunt excepta vnica, scil. Asor, quę erat super colles, & in loco forti tamen combusta est, vt patet Iosue 11. Ratio specialis fuit, quia Chananæi specialiter afficiebantur ad istã vrbem, quia ipsa fuerat caput regnorum suorum, & dato quod teneretur ab Israelititis, Chananæi pugnarent aduersus illam, & caperent, ideo vt totaliter desperarent de illa, combusta, & diruta fuit. Sed adhuc tanto desiderio mouebantur ad eam Cananæi, quod illam instaurauerunt magnis laboribus, & fecerunt esse caput terræ Chanaan, sicut à principio. *Habuit ducem exercitus sui nomine Sisaram.* Iste erat potẽtissimus vir, quia tota potẽtia Iabin erat sub eo, & dicitur de Sisara, q ipse fecit bellum hic contra Barac, & non Iabin. *Ipse autem habitabat in Aroseth gentium.* Aliqui libri habent hic Aseroth, sed corrupta est litera. Potest autem referri hoc ad Iabin scil. quod habitabat in Asoreth, vel refertur ad Sisarã, scilicet quod Sisara magister militię non habitabat in eodem loco, in quo Iabin, sed ille in Asor, & Sisara in Aroseth. Videtur autem magis intelligendum esse de Sisara, quod habitaret in Aroseth, eo quod de loco ipso congregauit exercitum, vt patet infra, scilicet congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Aroseth gentium. Vocatur autem ista ciuitas Aroseth gentium per excellentiam, quia erat ibi maior multitudo habitatorũ, quam in quacunque alia vrbe Chanaan. Vel quia in loco isto habitabant gentes Variarum linguarum ex consuetudine. *Clamauerunt que filij Israel ad dominum.* Scilicet vt liberaret eos de manu Iabin regis. *Nongentos enim habebant falcatos currus.* Dicitur hoc ad indicandum causam clamoris: quasi dicat, clamauerunt Israelitæ ad dominum, quia opprimebat eos nimis rex Iabin, & ad significãdum magnam oppressionem inducitur magnitudo potentiæ, qua poterat eos affligere, scilicet, quia nongentos currus falcatos habebat: magnæ enim potestatis erat habere nongentos currus falcatos, ideo in signum maximæ potẽtiæ ipsius Iabin ponitur de nongentis curribus. Erant autem isti currus falcati quadrigæ quædam habentes in rotis gladios extentos, & curuatos fortiter affixos, cumque currus velociter ex impetu mouerẽtur, quidquid curribus obuium erat lacerabatur, & isto modo omnes armati ex parte oppositа timentes impetum curruum fugiebãt: eratque magna pugna cum illis, & ob hoc omnes reges conabantur habere de his curribus: quia tamen magnorum sumptuum erant, non poterant multos habere, & sic quod Iabin habuerit nõgentos, reputatum est ad aliquid magnum. Iam vero ista instrumẽta bellica cessauerunt, quia solum erant apta in planissimis locis: in montibus autem, vel locis asperis, nihil omnino valebant. Etiam, quia in planis obiectis vepribus nihil proficiebant, vt ait Vegetius de re Militari. Vocantur autem isti currus falcati à falcibus, id est gladiis curuatis, quos rotis affixos habent. In Hebræo vocantur currus ferrei: non quod penitus sint de ferro, quia tunc essent immobiles propter pondus, sed quia ferrum habẽt in rotis, scilicet gladios curuatos. *Et per viginti annos vehemẽter oppresserat eos.* Isti viginti anni incipiunt post mortem Aod: nam paulopost peccauerunt, vt patet in littera, & in fine istorum viginti annorum pugnauerunt Sisara, & Barac. *Erat autem Debbora.* Hic ponitur secũdum huius capituli, scilicet liberatio populi, & diuiditur in tres partes. Quia primo ponitur diuina reuelatio. Secundò exercitus vtriusque congregatio, ibid. *Qui accersitis.* Tertiò hostium debellatio ibid. *Dixit Debbora.* Circa primum dicitur. *Erat à Debbora ante.* Scilicet diebus quibus accidit hoc, erat Debbora in Israel.

Doc. resp.

Populi liberatio.

D

Quare scriptura facit hic mentionem de Debbora.

QVÆSTIO IIII.

B QVÆRET aliquis, quare fit hic mentio de Debbora. Respondendum, quod ipsa habebat multas perfectiones, propter quas scriptura hic de illa sermonem ageret, tamen specialiter egit sermonem propter casum præsentem. Sciendum autem, quod quando historia de aliquo bello, vel aliqua re texitur, si illo tempore fuit aliquis vir, vel mulier notabilis, vel accidit aliquod factum famosum, licet illud nõ pertineat directe ad historiam, interponitur propter sui excellentiam: ita etiam fuit de Debbora, quia cum ipsa fuerit prophetes, & ad ipsam cõflueret totus Israel erat aliquid valde famosum propter quod de illa mentio fieri debebat. Sed adhuc dicendum, quod causa præcipua, propter quam facta est mentio, fuit, quia bellum istud factum est per Barac, & ille non egisset, nisi dicente ei Debbora ex parte Dei, imò etiã sic non egisset, nisi illuc iuisset Debbora: sic enim dixit, vt patet infra, scilicet, si venis mecum, pergam, si nolueris venire, non pergam: ipsa etiam egit Deo canticum postea propter istam victoriam, de qua habetur sequenti capitulo, ideo debuit hic introduci de illa.

E

An Dobbora fuerit iudex Israel: & an tempus eius computetur sub iudicibus.

QVÆSTIO V.

C QVÆRET vlterius, an Debbora fuerit iudex Israel, & computetur vnus de iudicibus, sicut Othoniel, Aod, & cæteri. Aliquis dicet, quòd sic, quia Debbora iudicabat toti Israel: & veniebant ad eam in omne iudicium, vt patet immediate in litera: ergo erat iudex. Item tempora computantur sub iudicibus eo tempore, quo ipsi viuebant, sicut sub Othoniele computat scriptura quadraginta, & sub Aod octuaginta, sed viuente Debbora computatur tempus sub illa: ergo ipsa erat iudex, & princeps illius temporis. Hoc patet sequenti capitulo, cum dicitur: In diebus Samgar filij Anath, & in diebus Iael cessauerunt semitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt calles deuios: cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel: & sic computat sub se tempus, in quo fuit Israel pacificus, sicut computat tempus sub Samgar sub quo erat inquietus: & tamen Samgar erat iudex: ergo etiam Debbora ponitur vt iudex. Respondendum, quod Barac, & Debbora fuerunt simul, & computantur sub tempore eorũ quadraginta anni, de quibus sequenti capitulo, non poterãt tamen ambo esse simul iudices, quia sicut duo eiusdem regni nõ possunt simul esse reges, quia rex dicit plenitudinem potestatis, quæ in duobus simul circa idem esse non potest cõuenienter, ita iudices conueniebant in Israel totam potestatem super populum, quam tunc aliquis posset tenere: ergo non poterant esse simul multi iudices. Manet ergo dubium

F

Quid currus falcati

Respon. ad quæ situm.

A *Ratio prima, quod Debboræ non fuerit iudex Iſrael.*

quis iſtorũ erat iudex, ſcilicet an Barac, vel Debbora. Quod patet, quia dominus iuſſit Debboræ, quod diceret Barac, vt iret ad bellum, & quod in manus eius traderet Siſaram, ſi tamen ipſa Debbora fuiſſet iudex, ipſa miſſa fuiſſet ad bellum, & non Barac. Item iudices vocabantur illi, qui ſaluabant Iſrael de manu tribulantium: ſed Debbora non ſaluauit, quin potius Barac, cum etiam Deus dixiſſet, quod in manus eius tradendus eſſet Siſara, vt patet infra: ergo non erat Debbora iudex, ſed Barac. Nec valet ſiquis obiiciat, quod non auſus eſt Barac ire ad bellum, niſi iret cum eo Debbora. Nã dixit, ſi veneris mecum pergam, ſi autem venire nolueris non vadam, quia hoc non dicebatur tanquam ipſa Debbora principaliter iret, vt dux belli, ſed quia erat Prophetes, & poſſet per eam Barac conſulere dominum, ſi oporteret de dubiis emergentibus circa bellum. Ipſe autem Barac erat dux belli, & Debbora nõ erat dux, ſed comitabatur Barac, ſic patet infra in litera, ſcilicet, qui accitis Zabulon, & Nephthali aſcendit cum decem millibus habens Debboram in comitatu ſuo, ergo ipſe erat iudex. Item patet hoc, quia cum Samuel exprobraret Iſraelitis beneficia à Deo collata, & induceret quomodo iudices liberauerãt Iſrael de manu hoſtium, poſuit Barac in numero Iudicum, & non Debboram, vt patet 1. Reg. 12. cũ dicitur: Et miſit dominus Ierobaal, & Bedan, & Barac, & Iephte. Item Apoſtolus ad Hebr. 11. cum introduxit quanta tulerunt viri ſancti, qui fuerunt iudices in Iſrael introducit ibi Barac, dicens: Deficiet enim tempus me enarrantem de Gedeon, Barac, & Samſon, Iephte, & Samuel: ergo Barac erat iudex, & non Debbora. Item non decebat, quod Debbora eſſet iudex, quia iudex Iſrael habebat plenitudinem poteſtatis: videbatur autem inconueniens nimis exiſtentibus viris tradere totam poteſtatem, & plenam mulieri ſuper illos: nõ ergo decuit, quod ipſa eſſet iudex in Iſrael. Ad rationes in contrarium reſpondendum. Ad primam, cum dicitur: quod ipſa iudicabat totum Iſrael, & quod aſcendebant ad eam in omne iudicium. Dicendum, quod iudex prout hic accipitur non eſt nomen officij, vel dignitatis pertinẽtis ad diffinitionem cauſarum, ſed magis eſt nomen poteſtatis ad bellum, vt ſatis declaratum eſt in prologo huius libri. Ideo dato, quod Debbora iudicaret cauſas, non vocaretur iudex, quia præter eam, manebat ſemper ordo iudicum in populo, & domus concilij, vbi erat ſacerdos magnus princeps iudicum, & hoc modo quilibet de illis potius debuiſſet vocari iudex, quam illi, de quibus in libro iſto: ſed hi vocantur iudices ex cauſa alia, vt dictum fuit. Ad ſecundam rationem, dicẽdum quod tempus non computatur ſub Debbora, ſed ſub Barac. Cum autem dixit ipſa: in diebus Samgar, &c. Dicendum quod ex hoc non apparet, quod computetur tempus ſub Debbora: nam hoc modo ſequeretur, quod tempus computatum fuerit aliquid ſub Samgar. Sed falſum eſt, quia ſcriptura nullos annos eius exprimere voluit. Etiam ſequeretur, quod ſub Iahel computaretur tempus, quia dicitnr, & in diebus Iahel quieuerunt ſemitæ, & tamen manifeſtum eſt, quod Iahel nõ fuit iudex, nec aliquis de hoc dubitat. Solũ ergo dixit, quouſque ſurgeret Debbora: non quod tempus illud computetur ſub illa, ſed quia in illo tempore, quo ipſa fuit, potuerunt Iſraelitæ ambulare confidenter per vias. *Erat autem Debbora Prophetes.* Spiritus propheticus non ſolum datur viris, ſed etiam fœminis. Sic enim Anna mater Samuelis fuit prophetes, & aliæ multæ fœminæ, & apud Gentiles etiam feruntur fuiſſe mulieres prophetiſſe, ſcilicet decem Sybillæ. *Vxor Lapidoth.* Aliqui libri habent Lapidoth cum cap. ſed corrupti ſunt: nam debet eſſe cum t. Iſta Debbora quamquam prophetes eſſet, habebat virum, quia in lege veteri quantumcunque mulier aliqua eſſet religioſa, non ſeruabat virginitatem, ſed omnes contrahebant, quia non concipere fuit tempore illo tanquam magnum opproprium. *Quæ iudicabat populum in illo tempore.* Scilicet tempore quo Iabin rex Aſor premebat Iſraelitas per viginti annos.

B

Ad primam rationẽ in diuerſũ.

Ad ſecũdam rationẽ.

C

D

Quis eſſet vir Debboræ.

QVÆSTIO VI.

QVÆRET aliquis de Debbora quis eſſet vir ſuus, ſcilicet an Barac eſſet vir ſuus: nam multi dubitant in hoc, & plurimi putant Barac eſſe virum eius. Aliquis dicet, quod non, quia hic dicitur, quod erat vxor Lapidoth, ergo non erat vxor Barac. Itẽ ſi eſſet Barac vir ſuus, cohabitaret ei, multum tamen ambo diſtabãt, quia Debbora morabatur in mõte Ephraim, & Barac morabatur in ſorte Nephthali in vrbe Cedes, ergo non erat vir ſuus. Reſpondendum, quod communiter tenetur, quod Barac ſit vir Debboræ: ſic tenet Magiſter in hiſt. ſcho. & Andreas: ſic etiam Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi, & fere omnes catholici doctores, & Hebræi. Cum autem in litera dicitur, quod erat vxor Lapidoth, dicunt noſtri, quod Lapidoth, & Barac erat idem vir, quia habent hęc nomina duo eandem interpretationem. Sic dicunt Andreas, & hiſtoria ſcholaſtica. Hebræi autem dicũt, ꝙ Lapidoth non ſit nomen proprium, ſed commune, & ſignificat Lapidoth lychnariam, vel illuminatricem, ſcilicet quæ facit lychnũ pro lucernis, & volunt, quod Debbora vocatur ſic, quia ipſa faciebat lychnum pro omnibus lucernis olei ſanctuarij, & hoc modo nõ ponitur hic nomen viri eius. Sed poſſumus nos dicere de quocunque voluerimus, quod eſt vir eius, & ſic dicunt de Barac. Sed iſta expoſitio non conuenit literæ noſtræ: nam ipſi volunt, quod Lapidoth non ſit nomen proprium, ſed commune pro lucernaria, quod non conſentit litera noſtra, dicens, quòd erat vxor Lapidoth. Ergo erat Lapidoth vir aliquis. Oportet igitur, quod Hebræi, qui tenent iſtam poſitionem, dicant quod deficit litera noſtra, quia cum debuiſſet dicere mulier Lapidoth dixit vxor: nam vxor eſt nomen coniugij, & ſignificat, quod Lapidoth eſſet vir eius: mulier autem ſolum ſignificat ſexum, & vocaretur mulier Lapidoth, id eſt mulier lucernaria. Reſpondendum igitur, quod iſta quæſtio eſt problema neuttum: nam neutra pars eſt ſufficiẽter manifeſtata. Poſſumus ergo tenere ſi volumus, quod Lapidoth, & Barac ſint duo viri, & ꝙ Debbora ſit vxor Lapidoth, & non Barac. Et hoc tenet manifeſte litera noſtra, quæ poſuit Lapidoth pro nomine proprio. Vel poſſumus tenere contrarium, quia oẽs illud tenent, & nõ repugnat literæ, & tunc debemus dicere ſecundam literam, quod Lapidoth nomẽ proprium viri eſt, ſicut Barac, & ſunt ambo nomina eiuſdem, ſicut frequenter multi ſunt multinomij, vt Petrus, qui etiam Bariona, & Simon, & Cephas vocatur. Et ideo iſte vir Debboræ aliquando vocatur Barac aliquando Lapidoth. Quod autem dicamus Lapidoth eſſe nomen commune ſecundam poſitionem Hebræorum facimus literam noſtrã defeciſſe in duobus. Primum, quia debuiſſet ponere Lapidoth tanq̃ commune dicens Lychnariam, vel lucernariam, & non tanquam proprium. Secũdum, quia debuiſſet ponere mulier, & poſuit vxor. Quod inconueniẽter dictum eſt, cum poſſit litera noſtra ſaluari: imo ſi recipiatur litera Hebraica, ille eſt ſenſus eius, ſcil. quod eſſet Debbora vxor Lapidoth: nam ſimilis modus loquendi per omnia ponitur in aliis locis in Hebræo, vbi dicitur de aliqua muliere, quod eſt vxor alicuius viri. Et per hoc patet reſponſio ad primam rationem. Ad ſecundum dicendum, quod quãquam vir, & vxor reguraliter debeant cohabitare, tamen Debbora propter ſpiritum propheticum non cohabitabat viro, quia ſpiritus prophetię non tangit prophetas tempore, quo vocant acceſſibus carnalibus, etiam ſi illi ſint liciti: & ſic de Moyſe ferunt, quod ſeparabat ſe a b vxore ſua propter ſpiritum propheticum, qui continuo quaſi ſedebat in illo. Iſta poſitio ſatis teneri poteſt: ſed mihi magis placet prima, ſcilicet ꝙ Lapidoth, & Barac eſſent duo viri, & quod eſſet Debbora vxor Lapidoth, quia iſtud magis videtur ſignari in litera Hebraica, & iſtud manifeſta vult litera noſtra. Etiam, quia reſponſio ad ſecundam rationem non eſt multũ conueniẽs: nam licet Debbora abſtineret à viro propter ſpiritum propheticum, tamen non habitaret ab eo tam diſtans, quia ſaltem habitarent in eadem vrbe, nunc aũt Debbora & Barac non ſolum habitabant in eadẽ tribu, ſed nec in eadem ſorte tribus, ſed Debbora habitabat in Bethel in mõte Ephraim:

E

Reſpõ. ad primam rationẽ.

Doct. reſp. ad quæſtum.

Ao primam rationẽ

F

Ad ſecundã rationẽ

Spiritus propheticus nõ tangit prophetas tẽpore actus veneri.

Barac

A

Barac autem habitabat in Cedes vrbe in ſorte Nephthali,tãquam non pertinerent ad eandem tribum.Etiam verba,quę loquitur Debbora ad Barac, & modus ſe habendi ad ipſum non eſt, vt vxoris ad virum, vt colligitur diſcurrendo per literam, ſed tanquam duorum extraneorum. Hoc ergo veriſimilius eſt.

Quomodo Debbora iudicabat Iſrael, cum non eſſet iudex: & cur mulieribus non permittitur eſſe iudices.

QVÆSTIO VII.

Prima ratio.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur, quod Debbora iudicabat Iſrael. Nam nõ accipitur iudicare, id eſt eſſe iudicem eo modo, quo accepimus in iſto libro,cũ iudex hic ſit nomen poteſtatis,& dux belli,& non diffinitoris cauſarum:ergo oportet,quod Debbora iudicaret populum,ſcilicet diffiniendo in cauſis eorum, ſed hoc erat incõueniens, quia mulier non debet eſſe iudex: nam ſi in teſte non accipitur,niſi in defectum,& teſtimonium ſuum eſt debile, à fortiori debet repelli à iudicando. Item ſi Debbora fuiſſet iudex, turbaretur totus ordo iudicum, & ceſſaret: nam in Iſrael fuit ſemper ordo iudicum, ſed quod eſſet domus conſilij,quæ erat domus aggregationis ſeptuaginta iudicum maiorum, ad quos deuoluebantur omnes cauſæ per appellationem, & præſidebat in his ſummus ſacerdos: in ſingulis autẽ locis ponebantur alij iudices minores, qui iudicabãt de cauſis illius loci,& cauſæ magnæ, in quibus illi dubitabant deferebantur iudicibus domus conſilij: etiam omnes cauſæ, in quibus extitiſſet appellatum. De quo declaratum eſt magis Num.11.Deut.17.c.Si autem Debbora iudicaret,eſſet ſuperfluum,quod ageret cũ pro toto Iſrael eſſent iudices, vel ipſa turbaret ordinem iudiciorum, quia non deberent ire cauſæ directe ad audientiam illorum, ad quos pertinebat, nec per appellationem etiam deuoluerẽtur legitime. Reſpondendũ, quod Debbora erat iudex,quia iudicabat populum: non eſt tamen intelligendum,quod ipſa ordinarie,vel ex ſubdelegatione alicuius audiebat cauſas formales ciuiles, vel criminales, ſed cum eſſet prophetes ſciebat reſpondere de occultis, ideo conueniebat ad eam totus populus, ad quærendum de aliquibus dubiis,quæ emergebant, ſicut tempore Samuelis confluebat ad eum totus Iſrael ad inquirendum de dubiis: intantum quod Saul venit ad petendum reſponſum de aſinabus perditis,vt patet 1.Reg.9. Simile autem erat in Debbora, ſcilicet quod ipſa reſpondebat ad omnia quæſita populi,& in hoc dicebatur iudicare totum populũ: accidebat autem interdum, quod pro aliqua cauſa deducta in iudiciũ dubitaretur per omnes iudices,ſcilicet quod neſcirent,quid iudicandum eſſet in ea, illa deuoluebatur ad Debbora, non vt ad habentem iuriſdictionem, & ad quam cauſa legitime deuoluenda foret, ſed per modum dubij quærebatur ab ea de cauſa illa,& ipſa reſpondebat: litigantes autem hoc ſuſcipiebant gratis ſcientes,quod nõ erraret in reſpondendo.Nã ex parte Dei reſpõdebat,& iſta erat cauſa quare totus populus in deſerto deſiderabat agere cauſas ſuas coram Moyſe, ſ. quia ipſe reſpondebat eis,vt ex parte Dei, vt patet Exod.18. ſcilicet: Venit populus ad me quærens Dei ſententiam. Et ſecundum hoc Debbora nõ perturbabat iuriſdictionem iudicum cæterorum,quia ipſa non audiebat de aliquibus cauſis foralibus ordinarie,ſed per accidens. Ad rationem primã in contrarium dicendũ dupliciter:primo concedendo quidquid concluditur,ſcilicet quod inconueniens ſit mulierem eſſe iudicem,& quod Debbora non erat iudex, ſed reſpõdebat in dubiis ex parte Dei.Secundo poteſt reſponderi,& melius, quod regulariter eſt inconueniẽs mulierem eſſe iudicẽ, & cauſa eſt, quia iudicium mulieris eſt imperfectum propter duo,primo ex parte incompletionis iudicandi: nam mulieribus rara prudentia eſt, & vix formant opinionem vniuerſalem, ſicut beſtiæ, vt ait Ariſtoteles Ethic.7.& ob hoc quodam modo dici poteſt de mulieribus, quod non ſint incontinentes quamquam mala agant,vt ait ibidemPhyloſophus: ad iudicandum autem requiritur complementum actus intelligendi, & opiniones vniuerſales circa agibilia. Secũdum propter quod non ſunt aptæ ad iudicãdum prouenit ex paſſionibus. Nam ſicut iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt,vt ait iuriſconſultus,ita &iudex debet eſſe conſtans ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt dictante iure. Mulieres autem non ſunt conſtantes nimium,quoniam facile alterãtur à qualibet paſſione: ergo non conuenit eas iudices eſſe. Quod ius conſiderans illis iudicandi officium interdixit.Nec ſolum iudicãdi,ſed etiam iudicãdi ,quia varium,& inſtabile teſtimonium eſt,quod fœmina profert. Hæc autem ſunt, quæ communiter,& quaſi ex conditione naturæ mulieribus accidunt,propter quod iura eas ab his actibus excluſerunt: ſi igitur interdum euidentiſſime conſtet in his duobus fœminam eſſe cõſtantem, & ſufficientem,& quia Deus ſuppleuit in illa,quod natura non potuit,non erit inconueniens eam iudicem fore, ſic enim fuit de Debbora: nam habebat ſpiritũ propheticum, per quem excellentius ſciebat dicere verum de quolibet dubio,quam quicunque vir,vt quia per cauſam diuinã etiam conſtans eſſet,ſcilicet quod non moueretur paſſionibus ad hoc,vel illud,cum Deus moueret eam ad reſpondendum: ergo non erat inconueniens eam fore iudicem : imõ melius erat eam,vel quamcunque fœminam iudicare (dum tamen haberet ſpiritum propheticum)quam quod quicunque vir iudicaret quantumcunque perfectus, & prudens, ſi non haberet ſpritum prophetiæ: ſed adhuc ipſa non erat iudex, ſed ſolum diffiniebat in dubiis eo modo, quo ſupra dictum eſt. Ad ſecundam rationem dicendum,quod non turbabatur ordo iudicum propter Debboram,quia ſi ipſa fuiſſet poſita vt iudex audiẽs ordinarie cauſas forales, vel ex delegatione, perturbaret aliqualiter iuriſdictionem aliorum iudicum,ſcilicet,quia non tractarentur cauſę coram illis iudicibus,coram quibus ordinarie tractandæ erant: ipſa tamẽ non diffiniebat aliquam cauſam huiuſmodi,ſed ſolum, quia erat prophetes,reſpondebat ad quæcunque dubia occulta; ad quæ non poſſet reſponderi modo humano, & in hoc dicebatur iudicare: & iſta vt communiter non pertinebant ad cauſas, quæ iudicialiter tractantur , ſed ad quaſcunque res, de quarum ſtatu,vel euentu dubitatur,vtpote,quod quęreretur ab illa,an talis,vel talis res euentura foret anno illo,& ſi interdum contingeret cauſas forales dubias fore, vt quia emergerent,vel inciderent caſus, de quibus nullum ius videretur expreſſum,poterat recurri,& recurrebatur ad Debboram, non per modum iudicij foralis, ſed per modum dubij, quod poteſt diffiniri per hominem iuriſperitum nullam habentem iuriſdictionem. *Et ſedebat ſub palma.* Iſte erat locus,in quo Debbora ſedebat expectans omnes Iſraelitas venientes ad interrogandum de dubiis, & habebat locum determinatum iſtum, ne cogerentur Iſraelitæ diuagari quęrendo eam hinc & inde. *Quæ nomine illius vocabatur.* Id eſt iſta palma vocabatur Debbora,ſicut ipſa mulier prophetes. Iſtud non habetur in Hebræo,licet poſſit colligi ex litera. *Inter Rama, & Bethel in monte Ephraim.*Ideſt iſta palma erat in monte Ephraim extra omnia loca , & vrbes: erat tamen inter vrbem Bethel, & Rama. Mons Ephraim vocabatur tota ipſa ſors Ephraim,ſicut reperitur communiter, erat palma iſta in ſorte Ephraim in extremitate ſortis:vnde loca iſta,quæ ponuntur hic, inter quæ erat palma non erant de terra Ephraim, ſed terra Beniamin,vt patet Ioſ.18.vbi ponuntur Bethel, & Rama in ſorte Beniamin, & nullus talis locus reperitur in ſorte Ephraim , quia tamen iſta palma erat in extremitate ſortis Ephraim, eratque magis coniuncta iſtis duobus locis ſortis Beniamin,quam aliquibus locis terræ Ephraim, dicitur fuiſſe iſta palma inter Rama,& Bethel. Sciendum autem quod Rama,de qua hic dicitur, & Ramatha, de qua fuit pater Samuelis,vt patet 1.Reg.& 2.ca.non ſunt idem locus, quia Rama eſt in ſorte Beniamin, & Ramatha eſt in ſorte Ephraim. Hebræi autem ſcilicet Rabbi Salomon, Rabbi Dauid Kimhi,dicunt,quod intelligũtur iſta aliter, ſcilicet quod fuit ſub palma inter Bethel,& Rama,id eſt quod Debbora habuit poſſeſſiones in tribus locis , ſcilicet in Iericho habuit palmas, quia illa vocatur ciuitas palmarum, & in Bethel habuit Olieta,in Lama habuit vineas, & iſta erant ad ſuſtentationem Debboræ.Sed iſtud eſt nimis alienum,quia litera nihil accedit ad hoc, ſed ſolum deſignat locum, in quo ſedebat Debbora, ſcilicet ſub palma inter Rama,& Bethel.Item non poterat habere Debbora poſſeſſionem in his omnibus locis. Quod patet,quia inter Hebręos poſſeſſiones tribuum erant

D

Vide de claris mulieribus vbi multæ perfectiores fuerũt multis viris: nam teſte Salomõe procul, & de vltimis finibus precium eius. Quãdo mulieres poſſũt eſſe iudices

E

Ad ſecundã rationẽ

F

Quo in loco Debbora ſedebat.

Notandum de Rama, & Ramatha Hebraorũ expoſitio.

Reſpõ. ad quæſitum.

Ad primam rationẽ in diuerſum Mulierẽ eſſe iudicẽ eſt inconueniens. Mulieribus rara prudentia eſt. Iuſtitia quid ſit.

Mulieris teſtimoniũ debile. Secũda ratio.

B

C

A distinctæ,& possessiones familiarum,& personarum descendentium de istis familiis,vt patet Nume.36.cap.& non poterant possessiones vendi, vel donari,vel permutari,aut aliquo modo alienari, vt maneret distinctio in personis per possessiones,vt patet eodem capitulo, & si fieret venditio quantũcunque pura esset, redibat possessio ad hæredes suos saltem in Iubileo Leuit. 25. capit. sed eadem persona non poterat pertinere ex parte patris ad diuersas familias, & vna familia ita habebat hæreditatem, & originem in vno loco, quod nõ in alio: ergo non poterat eadem persona habere hæreditatẽ in multis locis. Sed obiicies, quia primo Reg. 25. dicitur: Erat homo quidam in Maon, & possessio eius in Carmelo. Respondendum, quod iste non habebat possessionem in diuersis locis, sed habitabat in vno,& habebat possessionem in alio. Vel aliter, & melius, quod Carmelus erat mons apud Maon,& ille habendo possessionem in Carmelo habebat eã in territorio Maon, & consequẽter diceretur habere possessionem in Maon. *Ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium.* Id est ibant ad eam ad quærendum de omni dubio. In Hebræo habetur. *Ascenderunt ad eam.* Sed debet intelligi pro ascendebant: nam ascenderunt significat actum præteritũ, & sufficit, quod sit vnus ad hoc,quod sit istud verum:ascendebant autem significat consuetudinem ascendendi, & hoc necessario significat multos actus, quod conuenit literæ dicenti in omne iudicium,id est ad omne iudicium: & tamen non poterant vna vice ascendere ad omne iudicium, ideo quamquam litera Hebraica per barbariem suam posuerit ascenderunt,quia sensus erat,quod ascendebant:litera nostra transtulit ascendebant.

B

Quomodo populus poterat ascendere ad Debboram ad omne iudicium.

Qvæstio VIII.

Qværet aliquis, quomodo poterat populus ascendere ad Debboram ad omne iudicium. Nam istud videtur difficile,& fere impossibile ex duobus: primo ex parte Debboræ: nam ipsa vnica existens non poterat diffinire, vel saltem audire per successiouem causas omnium de Israel, cũ esset tantus populus: nam causæ, quæ orirentur per totum Israel in vno mense forte nõ possent diffiniri ab vno homine iudicialiter , & secundum successionem in decem annis. Quod apparet, quia Moyses abundantius habebat spiritum propheticum,quam Debbora,& erat aptior ad tolerandum labores,quia erat vir,& populus , qui tunc sub eo erat, paucus erat in comparatione eius, qui fuit sub Debbora. Nam si de septuaginta animabus, quæ introierunt in Ægyptum de femore Iacob Gen.46.in ducentis quindecim annis,quibus mansit Israel in Ægypto,vt declaratum est Exo.13.creuit populus ad sexcenta millia virorum pugnatorum Exod. 12. quanta multitudo creuisset de sexcentis millibus in annis centum octoginta,qui fuerunt ab exitu de Ægypto vsque ad Debboram,quo tempore iudicabat Moyses.Hoc patet accipiendo quadraginta annos ab exitu de Ægypto vsque ad introitum in terram Chanaan , & accipiendo quadraginta annos sub Othoniele, de quibus præced.capit.qui incipiunt computari ab introitu in terram Chanaan, vt ibidem declaratum est,& accipiendo octuaginta annos Aod,& viginti annos,quibus oppressit Iabin Israelitas antequam esset istud,ꝙ hic dicitur, qui simul sunt centum octoginta anni. Ad quãtam ergo multitudinem peruenissent in tanto tempore, & tamen Moyses non poterat diffinire omnes causas Israelitarũ in exitu de Ægypto, vt dixit Iethro Exo.18.scilicet:Stulto labore consumeris tu,& populus, qui tecum est: supra vires tuas negocium est,& solus non poteris illud tolerare: ergo à fortiori Debbora non posset nunc iudicare totum populum & in omni iudicio. Secundo videbatur hoc difficillimum ex parte populi: nam quod totus populus veniret pro quacunque causa de extremitatibus terræ Chanaan ad Debboram, erat depauperare totum populum superuacuis expensis, & dare quandam occupationem infinitam, ita vt non possent vacare agriculturæ,& aliis laboribus. Respondendum est, ꝙ vere sequebantur ista inconuenientia, si Debbora fuisset iudex ad omne iudicium ad iudicandum de omnibus causis

C

Resp. ad quæsitum

foralibus tam ciuilibus, quam criminalibus, tamen Debbora nõ iudicabat de aliquibus causis,sed solum,quia erat prophetes,& cognoscebat occulta,sciebat respondere ad dubia, de quibus inquirebatur, & quia in his respondebat toti populo,cum nullus esset tunc propheta,nisi ipsa,dicebatur populus ascendere ad ipsam ad omne iudicium,id est ad hoc,ꝙ iudicaret de qualibet re occulta,de qua dubitarent Israelitę: hoc aũt modo non sequebantur inconuenientia supra assignata,quia nõ insurgebant multa dubia de his, sicut quotidie emerdunt mille lites. Etiam , quia ad ista dubia inquirenda non veniebat populus ex necessitate,sed sponte, ideo nõ vexabatur veniendo,& hoc modo sufficiens erat Debbora respondere ad omnia dubia huiusmodi. Ita fuit de Moyse,quia postquam ipse reliquit causas forales aliis iudicibus , & ipse cœpit præesse populo in his, quæ ad dominum pertinebant, potuit faciliter tolerare laborem: Exod.18. *Quæ misit & vocauit Barac filium Abinoem.* Propter istam particulam introducta fuerunt omnia præcedentia ad indicãdum quomodo Debbora erat prophetes,vt videatur quomodo prophetice locuta fuerit ad Barac. Est autem subintelligendum, quod Deus locutus fuit Debboræ in spiritu prophetico iubens, vt vocaret Barac. Non ponitur hic modus stirpis Barac , sed intelligendum,quod fuerit de stirpe Nephthali, cum dicatur immediate,quod erat de Cedes Nephthali. Regulariter aũt habitabant viri Israel in locis suarum originum, quia ibi poterant habere possessiones,& nõ in aliis terris. *De Cedes Nephthali.* Id est de vrbe Cedes,quæ erat in terra Nephthali. Erat enim Cedes quædam ciuitas in sorte Nephthali in Galilæa, & fuit data sacerdotibus, & leuitis in possessionem Ios. 21. ca. & postea fuit assignata in vrbem fugitiuorum Ios.20.cap. *Dixitq; ad eum.* Scilicet postquam venit ad illam sub palma sua: nam erat honorabilis Debbora ad Israel, & omnes obediebant dictis eius, quia putabantur dicere ex parte Dei. *Præcepit tibi dominus Deus Israel.* Id est præcepit mihi,vt præciperem tibi. *Vade & duc exercitum in monte Thabor.* Iste mons est in extremitate sortis Issachar,vt ait Iosephus 5. antiquitatum , & est inter Issachar & Nephthali: nam duabus leucis fere distat à Nazareth contra orientem, vt patet in libro de situ Terræ Sanctæ. Areth autem in sorte Nephthali est, vt declaratum Iosue 19. & ibi patet in litera. In hoc monte Saluator noster transfiguratus est coram quibusdam discipulis suis, vt patet Matth.17. Sciendum autem,quòd iste Barac non eret aliquis princeps Israelitarum habens magnum exercitum,cui Deus mandaret, quòd cum exercitu suo iret ad pugnandum contra Sisaram , sed erat vir priuatus, & paruæ potentiæ: Israelitæ tamen iam sciebant, quòd Deus suscitabat quem volebat in iudicem super Israel,& illi dabat spiritum suum. Huic autem confestim Israelitæ obedientes erant tradentes quantum exercitum ipse voluisset, & ob hoc postquam Debbora dixit ei , quòd acciperet decem millia virorum, illicò accepit de tribubus, de quibus voluit.

D

Barac erat de stirpe Nephthali.

E

Situs montis Thabor

F

Quare Deus misit Barac, quòd duceret exercitum in montem Thabor.

Qvæstio IX.

Qværet aliquis,quare Deus misit Barac,quòd duceret exercitum in montem Thabor. Respondebit aliquis , quòd hoc factum fuerit ex prudentia bellica, scilic. vt Barac haberet locum tutiorem ad pugnandum : mons autẽ Thabor erat altissimus. Sed hoc non stat propter duo. Primò , quia Deus daturus erat istam victoriam supernaturaliter, ergo non quæret prudentiam bellicam, & fortitudinem ex situ loci, quia diminueretur tunc laus victoriæ, & non attribueretur plenè Deo.Secundò non stat , quia quærere loci fortitudinem ad pugnandum est pro illo , qui vult se defendere, & non pro eo , qui vult inuadere , quia inuasor debet persequi inuasum quocunque fugerit. Barac autem nolebat hic prouocare Sisaram ad bellum , ideo non debebat quærere loci fortitudinem.Sed dicendum est , quòd Deus nolebat quòd Barac prouocatet Sisaram, cum ipse dixisset : Ego adducam ad te Sisaram in torrentem Cison. Erat autem Sisara in Aroseth gentium, vt patet supra , & audito , quòd aliquis de Israelitis armabat exercitum , ipse exiret ei obuiã , & quia

A

si locus, in quo esset Barac cum exercitu, esset procul ab Aroseth, vbi habitabat Sisara, fortè pigritaret illuc ire, vel iret serò: voluit Deus, quòd Barac iret ad locum propinquum Aroseth gentiũ, & iste erat mons Thabor: ideo iussit, quòd iret ad montem Thabor, non quidem, quòd ascenderet in illum, & tueretur se loci firmitate, sed quòd esset prope illũ, quia illuc veniret Sisara. Et patet hoc, quia dixit Deus, quòd adduceret Sisaram ad torrentem Cison: ergo pugna apud torrentem futura erat in plano, & non existente Barac in monte. *Tollensq; tecum decem millia pugnatorum.* Noluit Deus, quòd essent plures, vt ascriberetur victoria illi: nam multitudo Sisaræ erat quasi innumerabilis, scilicet, vltra trecenta millia, vt vult Ioseph. 5. antiquitatum. *De filijs Nephthali, & de filijs Zabulon.* Istæ duæ tribus erãt simul apud montẽ Thabor.

Quare potius de tribu Nephthali, & Zabulon congregati sunt bellatores, quàm de alijs.

QVÆSTIO X.

QVÆRET aliquis, quare potius de his duabus tribubus congregati sunt bellatores, quam de alijs. Aliquis respondebit, quòd hoc erit, quia istæ duæ tribus habebant viros magis promptos ad bellum. Sed non stat, quia tribus animosior, & bellicosior erat tribus Iuda, sic significatur Gen. 49. cum dicitur: Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuę in ceruicibus inimicorum tuorũ, ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti, vt leo, & quasi leena, quis suscitabit eum? idem patet Deut. 33. in benedictione Moysi: nam dixit Moyses de illo: audi domine vocem Iudæ, & ad populũ suũ introduc eum: manus eius pugnabũt pro eo, id est, ipsemet Iudas pugnabit pro se, in quo innuitur fortitudo, scil. quia ipse sufficiens erat pugnare pro seipso, tribus etiam Gad erat fortissima ad bellũ, sic colligitur in benedictione Iacob Gen. scil. Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum: & in benedictione Moysi, Deut. 33. cõmendatur fortitudo Gad bellica, cùm dicitur: Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requieuit: cœpit brachiũ, vt verticẽ, id est vno ictu amputauit brachiũ, & verticem: Zabulon autẽ, & Nephthali, qui iubentur hic ire ad bellũ, nõ enarratur aliqua fortitudo, vel aptitudo ad bellum. Respondendum, quod fortè hoc factum est, quia Deus volebat istud bellum cito fieri, scilicet quòd gentes ituræ ad bellum cito armarentur, nè Sisara præoccuparet venire in terrã Israel, & inueniret eos nondũ paratos, & quia Zabulon, & Nephthali erant apud montem Thabor, vbi debebat fieri bellum, propinquiores, quám aliæ tribus, iussit potius, quòd irent de his tribubus, quàm de alijs: non tamen per hoc innuebatur, q̃ solùm deberet Barac accipere istos ad bellũ, quia etiã si plures sponte venirent susciperentur. Quod patet seq. capit. cùm dicitur: qui sponte obtulistis animas vestras de Israel benedicite domino. Etiam, quia nõ solùm Zabulon, & Nephthali iuerunt ad bellum, sed etiã Isachar, vt patet sequen. capit. scil. duces Isachar fuerunt cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti. Item, quia increpantur illi, qui propinqui erant ad locum belli de terra Israel, & nõ venerunt ad illud. *Ego autem adduco ad te.* Scil. quasi per violentiam, scil. quia ego mouebo eum, veniet. Dicunt Hebræi, quòd astrologi Sisaræ dixerant ei, q̃ non ascenderet hac vice ad pugnandũ contra Israel, quia nõ esset ei prosperũ, & ipse nolebat ascendere: Deus tamen mouit eum ad veniendũ, vt traderetur in manus Israelitarum: *In locum torrentis Cison Sisaram.* Apud istum torrentẽ fuit pugna, & plurimi de mortuis ex parte Sisaræ corruerũt in torrentem, vt patet sequ. capit. scil. Torrens Cison contraxit cadauera eorum, torrens cadum in torrens Cison. *Principem exercitus Iabin.* Scil. quia Iabin nõ iuit ad bellũ, sed suus princeps exercitus Sisara, quia ista est consuetudo magnorũ regum non exire ad bella. *Et currus eius ac omnem multitudinem.* Id est currus Iabin, & omnem multitudinẽ exercitus Iabin, quam congregauerat, scil. Sisara ad pugnandũ contra Israel. *Et tradam eos in manu.* Id est dabo in potestate tua, vt possis facere de illis quod volueris. *Dixitque ad eam Barac: si venis mecũ vadam.* Debbora mittebat Barac ad bellum, & non dicebat, quòd itura foret cum ipso, ideo ipse dixit quòd si illa iret cũ eo veniret ad bellum. *Si nolueris venire non pergam.* Id est, si tu nolueris venire ad bellum, etiam ego non veniam.

B

C

Doct. respon. ad quæsitum.

Hebr. optimo.

D

An Barac peccaret, si noluisset ire ad bellum, non eunte illuc Debbora.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR an Barac peccaret, si noluisset ire ad bellum, non eunte illuc Debbora. Respondendum, quòd constito, quòd Deus iuberet Barac ire in bellum, siue Debbora iret illuc, siue non tenebatur illuc ire, etiam si sciret se moriturum in bello: ideo si Debbora non iuisset, & ob hoc cessasset Barac ire peccasset: iuerunt tamen postea ambo, vt patet in litera. Sed dicetur an peccauerit Barac dicendo istud, scilicet, si venis mecum, vadam, & si nolueris venire, non pergam. Respondendum, qaòd si hoc dixisset, quia formidabat aliter ire, vel quia intendebat sic facere, vt dicebat, peccabat: non intendebat tamen sic facere Barac: sed etiam si illuc non iuisset Debbora, ipsa iuisset, nec petiuit Barac Debbora ad eundum secum quasi sine illa ille timeret: confidebat enim, quod Deus daret ei victoriam etiam illa abutente, cùm hoc promisisset, sed petiuit eam ad consulendum dominum in bellũ per eam, si oporteret de dubijs emergẽtibus, ne aliquid ageret iustius cùm ipse nõ esset propheta, & in hoc petiuit iniustum, iuit autẽ Debbora ad hoc cum ipso: vnde, & ipsa instruxit eum in omnibus, quæ facturus erat. Sic patet infra. Cùm esset Barac in monte Thabor, dixit ad eum Debbora: surge: hæc enim est dies, in qua tradidit dominus Sisaram in manus tuas, en ipse est ductor tuus, & tunc surrexit Barac, & ante hoc non pugnabat. Etiam nõ fecit hoc Barac ex paruitate fidei, q̃ crederet se liberandũ in bello præsente Debbora, non absente illa, quia tunc fuisset Barac modicæ fidei. Sed falsum est, quia Apostolus in Catalogo Sanctorũ, quos de fide laudat, dicens: sancti per fidem vicerunt regna: ponit Barac inter cœteros, cùm ait: Deficiet me enim tempus enarrantem de Gedeon Barac, & Samson, Iephte, & Samuel, & alijs prophetis, vt patet ad Hebræos 11. cap. ergo iste fidem plenã habuit, & consequenter nõ peccauit petendo, q̃ iret cum eo Debbora. Et cùm dixit, si venis mecum vadam. Respondendũ, quòd nõ intendebat sic facere Barac, quia etiã non eunte illa iuisset, sed posuit hæc, vt moueret Debboram ad eundũ cum ipso, quia hoc multũ desiderabat ex causa supra posita. *Quæ dixit ad eum: ibo quidem tecum.* Scilicet consensit faciliter, quia Barac petebat iusta. *Sed in hac vice tibi victoria non reputabitur.* Id est, quia vis, quòd ego vadam tecum, non reputabitur victoria tibi, sed fœminæ. In Hebræo habetur. *Tamen non erit pulchritudo tua super iter, quo vadis.* Id est, quia vis, quòd eam tecum non habebis pulchritudinem, vel honorem super iter quo vadis, id est in actu quem facis hac vice, scil. quia non reputabitur ibi sed fœminæ, & ad idem redit. *Quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Ista est causa, scilicet, quòd non tradetur Sisara in manus mulieris, & ipsa laudabitur, & non tu. In Hebræo habetur. *In manus mulieris vendetur Sisara.* Scilicet dabitur ei tanquam venditus, ita quòd possit de illo facere quod voluerit.

E

F

Quæ mulier sit ista in cuius manus traditus est Sisara.

QVÆSTIO. XII.

QVÆRETVR quæ mulier ista sit, in cuius manus traditus est Sisara. Respondetur communiter, quòd fuit Iahel, quæ occidit ipsum, vt patet infra in liteta: multi tamen tenent, quod dicitur hoc de Debbora, & sic vult Rabbi Dauid Kimhi. Et hoc patet, quia dato, quòd non iret Debbora cum Barac, erat tradendus Sisara in manus Barac, vt patet supra, quia sic dixerat sup. Debbora, & Sisara fugiturus erat ad domũ Iahel, & occidendus ab ipsa, & tamen si non iuisset illuc Debbora, ipsa nõ dicebat, quòd victoria nõ esset ascribenda Barac, sed quia petiuit, quòd illuc iret dixit hoc: ideo videtur, quòd nõ de Iahel, sed de se intelligebat, & est sensus valde rationabilis, scil. quia si Barac iret sine Debbora ipse esset dux belli, & omnia quæ fierent imputarentur ei, cũ autẽ iuit nunc illuc Debbora, & ipsa erat prophetes, æstimabatur magis ipsa, quã Barac. Vnde iam nõ putabatur Barac, vt dux, sed potius ministrãs ad imperiũ Debboræ, ideo dato

A quod Barac occideret Siſaram, non imputaretur ei, ſed Debboræ, & eſt ſenſus: in manus mulieris tradetur Siſara, id eſt iã non reputabitur traditus in manus tuas, ſed in manus mulieris, id eſt in manus meas. Nec obſtat, quod Iahel occiderit Siſaram: nam ſicut ſi Barac perſequeretur Siſaram, & cõtingeret ab aliquo de ſuis capi, & occidi, nõ imputaretur illi viro, ſed Barac, qui erat dux: ita cum Siſara fuerit cõpulſus fugere à Barac, & perierit exercitus ſuus, quamquam contingeret eum occidi ab aliqua fœmina, nõ attribueretur illi fœminæ, ſed Barac, quia ipſe eum ad talem neceſſitatem cõpulit. Si autem velis accipere in manus mulieris tradetur, id eſt occidetur Siſara, intelligetur de Iahel, ſicut communiter intelligitur. Non eſt ergo magna differentia quid velimus dicere. Sed obiicietur, quia ſupra dictum eſt ad Barac, & tradã eum in manus tuas. Reſpondendum, quod eſt duplex traditio, ſcilicet vna ad perſequendum, & alia ad occidendum: fuit traditus in manus Barac, quia de ipſo triũphauit, & perſecutus eſt eum, totumque exercitum eius deleuit, fuit traditus in manus Iahel ad occidendum. *Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes.* Erat Debbora in monte Ephraim ſub palma, & inter Rama & Bethel, & recedens inde iuit cum Barac, vt venirent in bellum, ſed venerunt prius in Cedes, quæ erat ciuitas Nephthali, de qua erat oriundus Barac, vt ibi congregarent exercitũ de Zabulon, & Nephthali: nam

B iſta ciuitas erat propinqua monti Thabor, ad quem cũ exercitu venire debebat Barac. *Qui accitis.* Hic ponitur ſecũdum huius partis, ſcilicet populi cõgregatio. Et diuiditur in duo, quia primo ponitur congregatio facta ex parte Barac. Secũdo congregatio ex parte Siſarę ibid. *Nunciatumque eſt.* Circa primum dicitur. *Qui accitis Zabulon, & Nephthali.* Id eſt vocatis illis ad bellum: vocauit autem iſtas duas tribus, quia de eis iuſſerat dominus, quod ſumeret pugnatores, vt patet ſupra, & non vocauit totum Zabulon, & Nephthali, ſed ſolum decem millia virorũ de ambabus tribubus, ſicut dominus dixerat. *Aſcendit.* Scilicet vadens in montem Thabor, vt ſpectaret ibi aduentum Siſaræ, de quo Deus dixerat, quod adduceret eum ad torrentem Ciſon, vt patet ſupra. *Cum decem millia pugnatorum.* Iſtos iuſſerat Deus accipere, & iſtos accepit: alij tamen præter hos ſponte venerunt, ſicut de Iſſachar, vt patet ſequenti capitulo, ſcilicet de Iſachar duces fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti. *Habens Debbora in commitatu ſuo.* Scilicet, quia ipſa iuit cum Barac vſque ad locum belli, ſcilicet vſque ad montem Thabor & torrẽtem Ciſon: poſtea autem in perſecutione Siſaræ, & fuga nõ fuit cum Barac, ſed manſit in loco caſtrorum, quia actus pugnandi nõ pertinebat ad ipſam. Etiam, quia ipſa ſolum erat opportuna in bello ad denunciandum tempus, quo incipiendum eſſet bellũ. Et hoc dixerat antequam recederet Barac de Thabor. *Haber autem Cinæus.* Hic ponitur de Haber Cinæo, quia agit ad hiſtoriam, ſcilicet, quia vxor eius Iahel occidit Siſaram. Iſte Haber Cinæus erat vnus de Cinæis deſcendentibus de ſtirpe Iethro ſoceri Moyſi. *Receſſerat quondam à cæteris Cinæis fratribus ſuis.* Cinæi dicuntur de Cin: nã Iethro ſocer Moyſi multa nomina habebat, ſcilicet Raguel, Iethro, Ieter, Obab, Cin. De primo patet Nume. 10. de ſecundo patet Exod. 3. & 18. de tertio patet Exo. 4. de quarto patet Num. 10. de quinto patet Num. 24. ſcilicet, ſi electus fueris de ſtirpe Cin, id eſt Iethro: Filij huius venerunt cum Iſraelitis per deſertum ſemper deſerta terra natali, vt ait Ioſephus 5. antiquitatum: poſtea in terra Chanaan acceperunt illico habitandi locum in vrbe palmarum, ſcilicet in Ierichovt patet ſupra primo: manſerũt autem ibi aliquanto tempore, & poſtea receſſerunt cum filiis Iuda in deſertum partis ſuæ ad partem meridianam, vt patet eodem capitulo: ab illis autem Cinæis congregatis in vnum receſſit obaliquam cauſam Haber, & habitauit in terra Galilææ. *Filij Obab.* Iethro etiam vocabatur Obab, vt patet Num. 10. *Cognati Moyſi.* Id eſt ſoceri: nam non habebat cognationẽ aliquam ad Moyſen, ſed affinitatem, ſcilicet, quia Moyſes acceperat filiam eius in vxorẽ, ſed vocatur large cognatus pro affine. *Et extenderat tabernacula ſua.* Scilicet in terra Galilææ In ſorte Nephthali. Iſte Haber habebat tabernacula, ſicut paſtores conſueuerunt habere, & ſicut habet quædam gens Arrorum, quæ non habet certum, & fixum locum ad manẽdum, ſed mouetur hinc, & inde: ideo non faciunt domos, ſed habent tabernacula portatilia quę alio nomine vocãtur palia, & vocantur iſtę gentes vulgariter Alarabes, & ſunt agareni, ita antiquitus, quia ſubſtantia hominum maxime conſiſtebat in pecoribus, & terra latiſſima erat nõdum plene habitata, ad hoc, quod ſemper poſſent eligere loca melioris habitationis, non faciebant domos manentes, ſed habebant tabernacula portatilia, & ſic erat de Haber. Intelligendum autem, quod Haber Cinæus erat vir diues habens magnam diſtantiam, & familiam. Quod patet, quia habebat multa tabernacula, quæ extendit per vallem. Item, quia dicitur infra, quod pax erat inter domum Haber Cinæi, & Iabin regẽ Aſor: ſi tamen fuiſſet Haber aliquis homo parui ſtatus, non feciſſet mentionem vllam de eo maximus rex terræ, ſcilicet Iabin ad hoc, quod componeret cum eo pacem, ſed erant fœdera inter eos: Haber Cinæus ergo erat vir magnus, & famoſus. *Vſque ad vallem, quæ vocatur Sennim.* Scilicet extẽdit tabernacula in parte quadam terræ Galilææ, & illa pars perueniebat vſque ad vallem quandam, quæ vocatur Sennim, quæ erat vallis magna, & famoſa in terra Nephthali. *Et erat iuxta Cedes.* Scilicet habitatio Haber Cinæi, & vallis illa Senim erat iuxta vrbem Cedes, de qua erat Barac, vt patet ſupra in litera. Ex hoc patet, ꝙ quando fugit Siſara non fugit directe in terram ſuam, ſed magis rediit in terram Iſrael. Nam Barac perſcutus eſt exercitum Siſaræ vſque ad Haroſeth, gentium in qua morabatur Siſara, vt patet ſupra: ipſe autem Siſara fugit in domum Haber, qui erat iuxta Cedes, de qua erat oriũdus Barac dux belli. *Nunciatumque eſt Siſaræ.* Hic ponitur cõgregatio populi ex parte Siſaræ: nam non potuit congregare ita cito, nec ita ſecrete Barac decem millia virorũ, quin præcognoſceret illud Siſara, & ipſe quoq; armauit multitudinẽ ſuam. *Quod aſcendiſſet Barac filijs Abinoem in montem Thabor.* Scilicet cum decem millibus armatorum, & intelligitur, quod aſcendiſſet. i. aſcẽdere diſpoſuiſſet. Nã fama erat quando cõgregabat exercitum, quod aſcendere vellet in montem Thabor ad expectandum Siſaram, & quamquam nondum factũ eſſet nunciatum eſt tanquã iam factum, vel forte iam aſcenderat, & tunc nunciatum eſt Siſaræ. *Et congregauit nongentos falcatos currus.* Hic ponitur apparatus belli Siſaræ, & nominantur currus eius, quia in his conſiſtebat maior virtus belli.

D

De Haber Cinæo.

E

Populi congregatio ex parte Siſaræ.

An ſolum nongentos currus tulit in bellum Siſara, vel tria millia, vt vult Ioſephus.

QVÆSTIO. XIII.

QVÆRET aliquis, an ſolum nongentos currus tulerit in bellum Siſara. Et videtur, quod non, quia hic nominantur iſti nongenti tanquam non tulerit plures. Item Iabin rex non habebat plures, ergo Sira princeps militiæ eius non poterat habere plures. Patet hoc ſupra in litera cum deſcriberetur potentia Iabin, & dictũ eſt: nongentos quippe currus falcatos habebat. In contrarium videtur, quod plures habuerit in bello: nam Ioſephus 5. Antiquitatũ dicit: Iabin rex de ciuitate Aſor poſita ſuper paludem Samachonitidem habebat armatorum trecenta millia, & equitum decem millia, curruum tria millia poſſidebat, & ſequitur ibi quomodo cũ toto iſto apparatu pugnauerit contra Barac: ergo ſaltem tria millia curruum habebat. Reſpondere poſſet aliquis, quod non eſt curandum de Ioſepho cum ex ſacra ſcriptura cõſtet contrarium. Sed iſtud non eſt conuenienter dictum: nam cũ Ioſephus ſit maximus auctor in hiſtoriis antiquis, & ſit cercertiſſimus, noueritque plene hiſtoriam Biblię, non addidiſſet aliquid, niſi quod non credidiſſet repugnare ſcripturæ. Cum igitur concordari poteſt ſcripturę, potius interpretandum eſt pro ea, quam è contra, quia res potius debet interpretari, quod valeat, quam quod pereat. Dicendum igitur, quod Siſara habuit in bello totam iſtam multitudinẽ armatorum, & equitum, quæ nominata eſt, & in hoc non dubitatur, quia non repugnare videtur literæ. De curribus etiam dicendum, quod fuerint tria millia curruum, ſicut dicẽdum putauit Ioſephus. Et quando dicitur hic, quod erant nongenti currus, reſponderi poſſet, quod iſti nongenti currus erant ipſius regis: alij autem ſcilicet duo millia, & centum erãt aliorum ſibi ſubiectorum, ideo non computãtur inter currus regis. Vel aliter dicendum, quod habebat Iabin tria millia curruum, & nongenti erant electi: duo millia autem, &

F

Doct. reſp. ad quæſtum.

centum

A centum erant qualescunque, ideo nominati sunt in scriptura solum nongenti. Sic patet de curribus Pharaonis: Exod. 14. nam dicitur: Tulit sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit. Istum sequitur histo. schol. dicens: Congregauit Sisara exercitum ad torrentem Cison trecenta millia armatorum, & decem millia equitũ, & nongentos currus falcatos, & alios currus duo millia, & centũ. s. de aliis, qui non erant ita electi, sicut nongenti. Si autem velis intelligere alios. i. non falcatos, non est cõueniens sensus, quia currus non falcati non erant in exercitatione bellica. *Omnemque exercitum de Haroseth gentium.* Id est etiam congregauit omnem exercitum, quem habebat in Haroseth gentium, & in territorio illius. Erat enim Sisara princeps militiæ; ideo habebat exercitum ad manum suam, & poterat faciliter congregare quandocunque vellet. Erat autem ista multitudo exercitus trecentorum millium armatorum, & decem millium equitum. *Ad torrentem Cison.* Ad locum istum congregauit, quia Barac erat apud montem Thabor: Torrens autem Cison erat circa montem Thabor.

Dixitq; Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. Perterruitq; dominus Sisaram, & omnes currus eius, vniuersamque multitudinem in ore gladij ad conspectum Barac: intãtum, vt Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, & Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum vsque ad Aroseth gentium, & omnis hostium multitudo vsque ad internetionem caderet. Sisara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Haber Cinæi. Erat autem pax inter Iabin regem Azor, & domũ Haber Cinæi. Egressa igitur Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi, intra ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitq; Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: nunquid hic est aliquis? respondebis: Nullus est. Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondite, & cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumq; malleo defixit in cerebrum vsque ad terram. Qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaq; Iahel in occursum eius, dixit ei: Veni, & ostendam tibi virum, quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filijs Israel: qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.

B

C

25 q. 5. §. fin. in fin.

Hostiũ debellatio.

Dixitque Debbora. Hic ponitur tertium huius c. scilicet hostium debellatio. *Dixitq; Debbora ad Barac.* Erat enim ipsa cum Barac in monte Thabor quando venit Sisara, & hortata est Barac ad pugnandũ. *Surge.* Id est celeriter fac, & non timeas inchoare bellum propter multitudinẽ hostium. *Hæc est enim dies, in qua tradidit dominus Sisaram in manus tuas.* Nondũ enim tradiderat Deus Sisaram in manus Barac, cum non esset adhuc inchoatum bellũ, sed traditurus erat eum: dicitur tamẽ, quod iam tradidisset propter certitudinem, nam Deus id q facere disponit, ita certissime eueniet, quod dato, quod nondum factum sit, habere debemus illud ita certum, ac si iam factũ fuisset. Vel dicitur. *In qua tradidit.* Id est tradere disposuit. Sed obiicietur, quod non tradidit Deus in manus Barac Sisaram, sed in manus Iahel. Respondẽdum, quod in manus vtriusque traditus est, sed in manus Barac ad triumphandũ de eo, & delendum exercitum eius: in manus autem Iahel ad occidendum ipsum. *En ipse est ductor tuus.* Id est ipse diriget te, vt prospere agas contra Sisaram. Ad hoc autem erat necessaria Debbora in bello scilicet vt diceret quando esset tempus bellandi.

D

An superstitiosus fuerit Barac expectando tempus ad bellandum.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRET aliquis, an superstitiosus fuerit Barac expectando tempus ad bellãdum scilicet quousque sibi diceret Debbora. Aliquis dicet, quod sic, quia obseruare dies, vel tempora ad pugnandum, vel ad faciendum similia, est superstitio, cum hoc sit ascribere virtutem corporibus cęlestibus ad faciendum hæc, sed Barac expectauit quousque Debbora dixit ei: Surge, hęc enim est dies: ergo superstitiosus fuit. In contrariũ videtur, quod obseruare superstitiones erat Deo valde odibile, sicut habetur Leuit. 19. & Deut. 18. Barac tamen laudatur, vt vir sanctus, & ponitur ab Apostolo in Catalogo Sanctorum ad Hebr. 11. ergo non obseruauit superstitionem. Item si hoc obseruasset, Deus non dedisset ei victoriam, sed potius fecisset eum succũbere, vt videtur, quod nihil proderant superstitiones suæ: dedit tamẽ Deus magnificam victoriam: ergo non seruauit superstitionem. Respondendum, quod Barac non fuit hic in aliquo superstitiosus. Et cum dicitur, quod obseruauit tempus. Dicendum, quod si seruasset tempus, scilicet quod esset dies Martis, & nõ Mercurij, vel talis, & non talis, vel quod esset tunc tale signum ascendens, vel tale, aut quod esset tunc hora talis planetæ, vel esset coniunctio, aut aspectus aliquis talium, vel talium planetarum, esset superstitiosus, quia erat obseruare aliquid inutiliter, scilicet, quia ex hoc ascriberemus virtutem temporibus, vel corporibus cęlestibus ad dandum victoriam huic, vel illi. Quod falsum est, cum ista solum proueniant à Deo, & ipse vetuit respici ad istas superstitiones, vt patet Iere. 10. scilicet: Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanę sunt, id est obseruare hoc est vanum, & illud est superstitio, scilicet, cum obseruatur id quod nullius vtilitatis est: tamen si seruetur solum tempus, quia Deus iubet aliquid fieri nũc, & non postea, vel sic, & sic nõ est superstitiosum, sed ad obedientiam pertinet, & sic Debbora dixit ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit dominus Sisarã in manus tuas. Nominauit enim diuinam voluntatem ad obseruandũ illud tempus, & non aliud tempus, ideo non erat superstitio. Sic enim fuit de Dauid, quia Deus iussit ei, quod non inciperet pugnare contra Philisthinos quousque audiret sonitũ gradientis in cacumine pirorum, vt patet 2. Reg. 5. Causa huius fuit, quia forte Deus disposuerat hoc tempore facere miraculum pro Barac, & non alio. Nam hic fuit pugnatũ de cęlo contra Sisaram, vt patet seq. cap. scilicet: De cęlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt. Voluit vero Deus istam pugnam de cœlo esse certo tempore, ideo vt concurreret cum illa Barac iussum est ei, quod aggrederetur certo tempore. Hoc exprimitur in mãdato facto Dauid 2. Reg. 5. scilicet: cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim. Ad rationem in contrarium dicendũ quod obseruare dies, & tempora ad pugnandum, vel agendum similia ex superstitione est Deo odibile, cum tamẽ obseruatur tempus mandato Dei, nõ est superstiosum, sed meritorium. *Descendit itaque Barac de monte Thabor.* Non est Barac super montem, sed apud illum: dicitur tamen descẽdisse, quia iuit ad torrentem Cison, ad quem venerat Sisara, & erat ibi locus humilior. *Et decem millia pugnatorum cum eo.* Scilicet decem millia virorum, quos acceperat de Zabulon, & Nephthali: aliqui autẽ alij venerunt de aliis tribubus, vt de Issachar, quia tamen erant pauci, non facit hic de eis scriptura mentionẽ. Vel forte, quia non venerunt ad principium belli, sed postea in fuga Sisaræ. *Perterruit dominus Sisaram.* Scilicet vt non auderet pugnare, sed fugere.

E

F

Ratio in contrariũ.

Respõ. ad quæsitum.

Obseruare tempora cęlestium corporum cęlestium est superstitio.

Ad rationem in contrarium

Quomo-

A

Quomodo Deus perterruit Siſaram in bello.

QVÆSTIO XV.

QVÆRET aliquis, quomodo Deus perterruit Siſaram. Reſpondendum, quod fuit iſte terror mittendo aliqua ſigna de cœlo, quæ incuterent formidinem magnam Siſaræ, ſicut ſi tonaret Deus de cęlo ſuper Siſaram, vel concuteretur terra. Sic factum eſt tempore Samuelis, vt patet 1. Reg. 7. ſcil. Intonuit dominus de cœlo fragore magno ſuper Phyliſthin in die illa, & exterruit illos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael: vel forte miſit ſonitum magnum de cœlo tanquam aduenięntis magnæ multitudinis exercitus, & terrore eius fugerunt Chananęi: ſic fuit de Syris pugnãtibus contra Iſrael, vt patet 4. Reg. 6. ſcil. ſiquidẽ ſonitum fecit Deus audiri in caſtris Syrię curruum, & equorum exercituſque plurimi. Dixerũtque adinuicem Syri: ecce mercede conduxit aduerſum nos rex Iſrael reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris relinquentes tentoria ſua, equos, & aſinos, & mulos in caſtris, fugeruntq; animas tantum ſuas ſaluare cupientes. Vel forte Deus oſtendit multitudinem angelorum armatorum exeũtium ad pugnãdum contra Siſaram, quos ipſe putabat viros armatos, & extimuit. Sic fuit quando Deus oſtendit montem plenũ equorum, & curruum igneorum in adiutorium Eliſæi contra Syros, vt patet 4. Reg. 6. Vel poterat Deus mittere lapides de cœlo, qui occiderent, & turbarent exercitum Siſaræ, ſicut fuit contra quinque reges, cõtra quos pugnauit Ioſue. Nam miſit dominus lapides grandinis de cœlo in deſcenſu Bethoron vſque ad Azecha, & pluribus lapides intulerunt mortẽ, quam gladio periiſſent, vt patet Ioſue decimo. Multis aliis modis ſimilibus hoc fieri poterat: neceſſe erat tamen, cp eſſet aliquod ſignum de cœlo, quo terrerentur, quia ſequ. cap. dicitur: De cœlo contra eos dimicatum eſt: ſtellæ manentes in ordine ſuo contra Siſaram pugnauerũt. Ioſephus autem dicit 5. antiquitatum, cp congreſſis Iſraelitis cum Siſara, Hymber eis magnus influxit,, & quia nimia ſimul grando, & pluuia in faciem Chananęorum verſa eſt, & ventus eorum aſpectibus imminebat, arcus eorum, & fundibilæ inutiles fiebant, & armati propter frigora vti gladiis non valebant: Iſraelitis vero tempeſtas immiſſa poſt tergum minus nocebat, & circundantes hoſtes medios multos eorum occiderunt. Ita tenet Hiſtoria Scholaſtica. Veriſimile eſt autem, quòd Siſara, & exercitus videntes hoc fugerẽt, ſcientes quòd Deus pugnaret contra eos: ſicut dixerunt Ægypti: in mari rubro: fugiamus Iſraelem, quia dominus pugnat pro eis cõtra nos: Exod. 14. c. *Et omnes curras eius.* Id eſt omnes ſedentes in curribus, & etiam equos curruum, quoniam de cœlo aliqua portenta, vt tonitrua, vel lapides, vel fulgura viderent; non ſolũ viri, ſed etiam equi terrerentur, & fugerent. *Vniuerſamque multitudinem in ore gladij.* Id eſt etiam iſte terror fuit ſupra totam multitudinem pugnatorum eius, quæ fertur fuiſſe trecentorum millium armatorum, & decem millium equitum, & trium millium curruum, vt ait Ioſephus 5. antiquitatum. Et dicitur, quod perterruit omnes in ore gladij: non quòd terreret eos per gladium, ſed quia terruit eos de cœlo modo prædicto, & fecit cadere perterritos in ore gladij, quia non cecidiſſent, niſi perterriti fuiſſent. *A cõſpectu Barac.* Id eſt perterruit illos, ita vt non auderent ſuſtinere conſpectum Barac, ſed fugiebant. *Ita vt Siſara de curru deſiliens pedibus curreret.* Id eſt intantum prævaluit iſta turbatio & terror, quod Siſara non potuit ſe continere eundo in curru, ſed deſcendit, & pedibus fugit.

Primus modus dicendi

Secundus dicendi modus.

B

Tertius dicendi modus.

Ioſephi ſententia.

Quare Siſara de curru deſcendit, & pedibus fugit.

QVÆSTIO. XVI.

QVÆRET aliquis, quare Siſara deſcendit de curru, & pedibus fugit: nam cum iam non poſſent Chananæi ſuſtinere impetum Iſraelitarum: ſi fugiendum foret, conuenientius fugeret Siſara in curru quia velociores erant equi, quam quod ipſe pedibus curreret, vel ſaltem ſi currus non erat ita velox poterat equum ſumere. Reſpondẽdum, quod Siſara fugit pedibus, quia putauit aliter ſe non poſſe euadere: tantum enim terruerat Deus Chananæos, quòd reſiſtere non audebant, & etiam fugere ſufficienter non poterant: putauit ergo Siſara, quod breuiter caperentur omnes de exercitu ſuo, & ſic factum eſt, quia Barac perſecutus eſt eos vſque ad Haroſeth gentium, & deleuit totũ exercitum & currus. Vt ergo poſſet euadere Siſara, voluit pedibus fugere: nõ quòd ſic velocius fugeret, ſed quia magis totus foret: nam ſi manſiſſet in curru, cum eſſet currus ſuus diſtinctus ab aliis curribus in pluribus, Iſraelitæ perſequerentur eum potius, quam cæteros: ſic fuit quando pugnauerunt Syri contra Iſrael tempore regis Achab: nam iuſſit rex Syriæ ſeruis ſuis, vt contra nullum pugnarent, niſi contra regem Iſrael ſolum: ille autem mutauerat habitum, & manſerat Ioſaphat rex Iudæ in habitu regali, ideo illum perſecuti ſunt Syri vehementer quouſque clamauit, & cognitum eſt eum nõ eſſe regem Iſrael. De hoc 3. Reg. vlt. Vt ergo non caperetur deſcendit de curru, & quia ſi fugeret recto itinere in terram ſuam, caperetur pedeſter inter cæteros fugientes, & occideretur: diuertit & fugit in domum Iahel. *Et Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum vſque ad Haroſeth gentium.* Id eſt tantus fuit timor Chananæorum, & animoſitas Iudæorum, quod perſecuti ſunt eos vſque ad Haroſeth gentium, id eſt vſque ad terram Iabin. Nam Siſara habitabat in Haroſeth gentiũ, & ibi conſueuerat habere exercitum, vt patet ſupra in littera, ſcilicet congregauit Siſara nongentos currus, & omnem exercitum de Haroſeth gentium. *Et omnis hoſtium multitudo vſque ad internetionem caderet.* Id eſt accidit quod omnes hoſtes ceciderunt gladio: & hoc fuit vſque ad internetionem, id eſt ad totalem deletionem ſcilicet quod nullus maneret. Vnde in Hebræo dicitur hic. *Et non manſit nec vnus.* Et iſtud non habetur tam expreſſe in Latino, ſed ſignificatur per hoc ſcilicet quod omnes multitudo hoſtium cecidit vſque ad internetionem. *Siſara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel.* Non fugit Siſara recto curſu, ſed declinauit ad domum Iahel, & vocatur domus Iahel, quia quamquam debuiſſet nominari à viro & non à fœmina, tamen quia ipſa occidit Siſaram, & non vir ſuus, nominatur ipſa. *Vxoris Haber Cinæi.* Hic nominatur vir ſuus, quia cum nominata fuerit ipſa, ſi non nominaretur vir ſuus, putaretur non habere virum: ideo nominatur. Etiam vt ſciatur, quæ fuerit iſta Iahel, vel de qua ſtirpe, nam ſupra tactum eſt de Haber Cinæo, cum autẽ nũc dicatur, quod ipſa erat vxor Haber, cognoſceretur, quæ erat, vel ad quam gentem pertinebat.

D

E

Quare Siſara non fugit directe in terram ſuam, ſed rediit in domum Haber Cinæi.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRET aliquis, quare Siſara non fugit directe in terram ſuam, ſed rediit in domum Haber Cinæi. Reſpondendum, quod Siſara videns magnum impetum Barac perſequendo Chananæos, putauit, quòd ſequeretur omnes illos vſque ad terram ipſorum, & quod antequam illuc plene peruenirent nullum dimitteret viuere, ſicut factum eſt. Nã perſecutus fuit eos vſque ad Haroſeth gentium, & nullum permiſit viuentem. Si autem ipſe fugeret cum illis, etiam ſi mutaſſet habitum inter cæteros, vt incognitus occideretur, & quia omnes Chananæi fugiendo directe ibant in terram ſuam, ſcilicet ad Haroſeth gentium: ipſe Siſara declinauit, & venit in domum Iahel, quæ erat in terra Galilææ apud Cedes, de qua erat Barac. Et quia contra illam partem nemo fugiebat, & etiam non erat aliqua perſecutio verſus illuc, putauit ſe tuto fugiturum. Alia cauſa erat quia inter regem Iabin, & domum Haber erat pax, & amicitia, vt dicitur immediate: ideo putauit Siſara, quod ſeruaretur ibi abſconditus per aliquot dies dum ceſſabat perſecutio hoſtium, & tunc abſcondite poterat ire in terram ſuam.

C

F

Quomodo Haber vsque ad vallem Senim iuxta Cedes habitare permittebatur.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRET etiam circa hoc præter ea, quæ dicta sunt supra scilicet quod habitabat Haber vsque ad vallem Senim iuxta Cedes, quomodo permittebatur ibi habitare: nam ista erat terra Nephthali, & Haber non erat de stirpe Nephthali, ideo præiudicabat eis manendo in terra sua, & occupando partem magnam eius: nam cum esset vir diues, & potens magnam partem terræ occupabat. Sic patet supra, cum dicatur, quod extenderat tabernacula sua vsque ad vallem, quæ vocatur Senim. Respondendum, quod Haber erat de Cinæis, & isti erant filij Iethro soceri Moysi. Israel. tæ autem promiserãt Iethro in deserto, quod si iret cum eis in terram Chanaan, quod quidquid optimum esset in illa, darent ei: cum ergo filij eius venerint cum Israelitis sub spe huius spõsionis, non debebant eis mentiri fidem, sed dare eis locum ad habitandum: & quia isti non erant de filiis Israel, non poterat eis assignari terra aliqua in sortem, sed dabatur eis facultas eligendi in qua terra habitare vellent, & tribus quæ haberet sortem illam permittebat eos ibi dans eis partẽ sufficientem terræ ad manendum. Et ob hoc à principio isti elegerunt vrbem Iericho, quæ dicitur vrbs palmarum ad habitandum, quia illa terra est fertilissima in toto Israel, & habitauerunt ibi, vt colligitur supra primo, pertinebat autem terra illa ad Beniamin, tamen permisit eis ibi manere: de inde elegerunt Cinæi manere cum filiis Iudæ in sorte sua, & dicitur, quod ascenderunt de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in desertum sortis suæ, vt patet supra primo. Postea autem placuit Haber Cinæo recedere à fratribus suis, & morari in terra Nephthali, ideo permissus est, quia nullus de Israel poterat prohibere Cinæos, & putabant Israelitæ se obligatos ad hoc, & etiam ad alia maiora propter beneficia, quæ susceperant à Iethro in deserto. Sic dicit Saul quãdo pugnare voluit contra Amalechitas, scilicet. Dixit Saul Cinæo: Abite recedite ab Amalech, ne forte inuoluam te cum eo: tu enim feci sti misericordiam cum omnibus filiis Israel cum ascenderent de Ægypto, vt patet 1. Reg. 15. *Erat autem pax inter Iabin regem Asor, & domus Haber Cinæi.* Quasi dicat, licet Iabin haberet bella contra Israelitas, & premeret eos seruitute, tamen cum Haber Cinæo habebat pacem, & hoc forte, quia Haber non erat de origine Iudæorum. Vel forte, quia nouiter venit ad habitandum circa terram regis Iabin, & antequam veniret, iniuit cum eo fœdus de pace tenenda. Ex hoc autem patet magnitudo diuitiarum, & potentiæ Haber Cinæi, quia alias non curasset facere mentionem de eo vnus rex potentissimus. *Egressa igitur Iahel.* Posita morte exercitus ponitur hic mors ducis, scilicet Sisaræ, quem occidit Iahel. *In occursum Sisaræ.* Vidit Iahel Sisaram fugientem, & cognouit eum, ideo exiuit in occursum illius, vt eum gratis susciperet, quasi beneficium exhibitura. *Et dixit ad eum: intra ad me domine mi.* In est ingredere in domum: nam secundũ modum communem loquẽdi Hebraicum accipitur ingredi ad aliquam mulierem, id est cognoscere eam carnaliter: sed hic non accipitur sic. *Intra ne timeas.* Dicebat ad securandum animum eius, quia posset putare latere insidias. *Qui ingressus tabernaculum eius.* Quasi nihil formidians mali propter pacẽ, quæ erat inter Iabin & Haber & Cinæũ. *Et opertus ab ea pallio.* Non fuit oportus pallio ad dormiẽdum, licet ipse illico dormierit: sed ad latendum, ne quis transeuntibus eum videret. *Dixit ad eam: da mihi obsecro paululum aquæ, quia valde sitio.* Labor magnus belli, & fugæ induxerant magnam sitim, & forte diu erat, quod non biberat scilicet à principio belli, nam impetus Barac non permittebat Chananęos ad aliquid attẽdere, nisi ad fugam. *Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Erat enim Haber diues in gregibus, ideo promptum fuit vxori suę habere vtrem lactis ad dandum de eo Sisarę. *Et aperuit illum.* Scilicet postquam bibit Sisara operuit eum rursus Iahel, sicut prius, ne quis posset eum videre.

Cur Iahel dedit lac Sisaræ aquam petenti.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRET aliquis, cur Iahel dedit lac Sisaræ petenti aquam. Respondebit aliquis, quod forte non occurrit Iahel ita cito habere in domo aquam, vel vinum, vt satisfaceret voluntati Sisaræ: ideo dedit ei lac, quod in promptum erat. Vel aliter potest dici, quod forte in terra illa viri, & fœminæ vtuntur poculo lactis communiter, vt poculo aquæ, vel vini, & reputant illud sapidius, & preciosius: Sisara autem, vt minus peteret petiuit modicum de aqua: Iahel autẽ, vt esset vrbanior, & seruiret illi principi, obtulit ei lac, & ille gratis accepit: quod patet, quia non respuit lac, quod ei propinauit Iahel. Alij dicunt aliter, quod fecit hoc Iahel ad capiendum experientiam de Sisara, an esset in suo sensu, vel propter timorem incepisset esse extra mentem, & hoc, vt si sciret eum extra mentem, faceret de eo quod vellet, alioquin abstineret, & quia dedit ei lax, cum ipse petiuisset aquã, ille non considerauit an esset lac, vel aqua, sed bibit putãs esse aquam, apparuit esse extra mentem, ideo tunc concepit Iahel securam opinionem de occidendo ipsum. Aliter autem & melius dici potest, quia Iahel cogitauerat occidere eum quod non poterat nisi ipso dormiente, ideo procurauit quomodo eum cito soporaret, & istud erat dando lac, quia lac bibitum, vel in cibum sumptum faciliter soporem prouocat, & est ille sopor fortis, & tenax. Et cum Iahel dedit lac Sisaræ, credendum est, quòd ipse dixerit, cur non dabat ei aquam, & ipsa non se habere quicquam potabile ad præsens, nisi lac responderit, & tunc biberit Sisara. Istæ duæ positiones vltimæ sunt conuenientes, & potissimum vltima, quia necesse est dici, quod lac traditum fuerit tãquam quoddam apparamentum ad mortem Sisaræ. Quod patet: nam sequenti capitulo laudat Debbora ipsam Iahel, quia occidit Sisaram, & inducit ibi ea, quæ pertinebant ad mortem eius tanquam instrumẽta dicens: Sinistram manum misit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram. Ponitur etiam ibi de lacte, cum dicitur: Benedicta inter mulieres Iahel, aquam petenti lac dedit. Si tamen non pertinuisset ad mortem eius lac, non fuisset ex hoc benedicta Iahel. Ideo dicendum, quod datum est lac, vt obdormiret Sisara facilius. *Dixitque Sisaram ad eam.* Hic patet, quod Sisara non erat extra mentem præ timore, vt volunt aliqui dicentes, quod biberit lac putans se bibere aquam: nam de salute sua diligenter præuidit: putauit enim, quod quamquam fuga hostium non fuisset contra illam partem, in qua erat Sisara, tamen finita persecutione, & bello putauit, quòd Barac, & viri sui inquirerent per omnia loca circumlatentia ad locum belli, an aliquis à casu latuerit, & quod venirent in domum Iahel, ideo voluit, quod ipsa euitaret malum hoc. *Sta ad ostiũ tabernaculi.* Hoc voluit Sisara, ne introirent aliqui ad inquirendum eum intra domum, & inuenirent: nam cum ipsa ad ostium maneret, responderet transeuntibus, & non intrarent in domum: si tamen ipsa esset intra tabernaculum inquirentes Sisaram, introirent in domum cum nullus sibi responderet, & inuenirent eum. *Et cum veniret aliquis interrogãs te.* Hoc dicebat, quia nõ credebat verisimile, quod post bellum non inquirerentur loca circumstantia, vt sciretur an aliquis latuisset, & quod ad domum Haber Cinæi veniretur, quia erat propinqua loco belli. *Num est hic aliquis.* Scilicet nõ inquisituri erant specialiter pro Sisara, sed pro quocunque: quamquam ille erat, quem ipsi magis inuenire desiderarent. Sic patet, quia cuia cum venit Barac, & Iahel occidisset Sisaram, dixit ad Barac: veni & ostendam tibi virum, quem quęris. *Respondebis nullus est.* Credendum est, quod Iahel sponderit Sisaræ se sic responsuram, & facturam ad salutem eius quæcunque posset, cum recepisset eum, & vocasset benigne, & quia alias non mansisset Sisara securus in domo eius.

Doct. resp. ad quæst. tum.

Dater. quæst.

A

Si quis quærens Siſaram petÿſſet à Iahel, & illa reſpondiſſet non eſt hic, an peccaſſet.

QVÆSTIO XX.

QVÆRET aliquis, ſi aliquis quærens Siſaram petiuiſſet à Iahel, & illa reſpondiſſet, non eſt hic, an peccaſſet. Aliquis reſpondebit, quòd ſolum peccaret venialiter, quia erat peccatum mendacij officioſi, ſcilicet pro ſaluanda vita alicuius. Reſpondendum, quòd non eſt dubium an peccaret, ſed dubium eſt an mortaliter, vel venialiter peccaret: nam ſi eſſet mendacium iſtud pernitioſum eſſet peccatum mortale: ſi autem officioſum eſſet veniale. Sed dubium eſt, an eſſet mẽdacium officioſum, vel pernicioſum. Et reſpondendum, quòd ſi iſta Iahel fuiſſet mulier de ſtirpe Iudæorum, & vxor viri Iudæi, mendacium eſſet pernitioſum, ſi ad defendendã vitam Siſaræ mentiretur: nam non vocatur officioſum, eo quod eſt ad defendendam vitam, ſed quia eſt ad defendendã vitam, quæ iniuſte auferenda erat: nunc autem vita Siſare non auferebatur iniuſte, ſed iuſtiſſime, quia iuſſu Dei, cum ipſe iuſſiſſet fieri bellum contra illum, & dixiſſet, quod traderet illum in manus Barac, vt patet ſupra: imò defendere vitam illius eſſet valde pernitioſum, quia ille poſtea fugiens armaret Chananæos rurſus contra Iſrael, & opprimeret populum, & quicunque liberaret eum à morte, eſſet reus omnium malorum, quæ ipſe poſtea ageret: potiſſime, quia quęlibet mulier Iudæa tenebatur diligere ſalutem tertæ ſuæ, & abominari hoſtes, atque ad eorum interitum agere quãtum poſſet. Quòd ergo aliqua mulier Iudæa eum occultaſſet, & negaſſet, vt fugeret incolumis, erat fauere hoſtibus, & tenebatur crimine partiæ proditæ, & ipſa erat hoſtis: non ſolum ergo peccaret mortaliter, ſed etiam grauiſſime. De Iahel autem videbatur dubium propter duo. Primò, quia ipſa non erat de populo Iſrael origine, ſed de Madianitis. Etiam non erat vxor viri Iſraelitæ, ſed Cinæi. Secundò, quia vir ſuus, & tota domus eius fecerat pacem cum rege Iabin. De primo dicendum, quod licet non eſſet Iahel origine Iudæa tenebatur ad deſiderandum, & procurãdum ſalutem Iſrael iuxta vires, quia q̃ q̃ proaui ſui fuiſſent Madianitę, cũ ipſa non nata fuerit in terra Madian, ſed in terra Iſrael, & forte aui ſui, & proaui ibi nati fuerant, quia iam centũ octoginta anni fere trãſierant ex eo tempore, quo Cinæi cęperant eſſe cum filiis Iſrael. ſ. à primo anno exitus de Ægypto, quando venit Iethro ad Moyſen in Sinai deſertum, de quo Exo. 18. & Nu. 10. quibus quadraginta annis deſerti addantur quadraginta anni Othonielis & octuaginta anni Aod, & viginti anni in oppreſſione Iabin erunt ſimul centum octoginta anni: & ſic in iſto tempore iam plene erant Cinęi effecti pars populi Iſrael: vnde tenebãtur ipſi, & vxores eorum procurare vtilitatem huius populi, ſicut Hebræi ex genere. Item licet non eſſet Iahel vxor viri Hebræi, tamen erat vir ſuus natus, & non conuerſus ad Iudaiſmum, & forte patres, & proaui eius fuerũt in ritu Iudaico, ideo tenebatur ipſe procurare vtilitatem populi Iudaici, & conſequenter vxor eius. De ſecundò, ſ. de pace facta inter Iabin, & domum Haber non dicetur nunc, ſed infra: preſupponatur tamen nunc, q̃ non obſtabat illa, quin, poſſet Iahel prodere ipſum Siſaram. Dicendum igitur, quod Iahel non peccaſſet venialiter, ſ. officioſe, ſed magis peccaret mortaliter, & grauiſſime, ſi mentita fuiſſet, vt abſcõderet Siſaram. *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi.* Clauus tabernaculi eſt paxillus ferreus, quo in terra tabernaculum funibus extentum figitur, & tulit Iahel vnum de clauis illis. *Aſſumens pariter & malleum.* Iſta inſtrumenta erant valde neceſſaria vtentibus tabernaculis ad fingendũ ea, & ad mutandum, & deponendum, & ob hoc Iahel habuit illa in prõptu, quia vir ſuus vtebatur tètoriis portatilibus. Intelligendũ autem, quod fecit hoc Iahel poſtquam cognouit ſopore grauatum fore Siſaram. *Et ingreſſa abſconſe, & cum ſilentio.* Scilicet leuiter, vt non excitaretur Siſara, & impediretur opus eius. *Poſuit ſupra tempus capitis eius clauum.* Eo quod partẽ iſtam prõptam inuenit ad figendũ ea, vel quia pars iſta tenerior eſt, & leui ictu poſſet caput transfodere. Hic ponitur tempus, & eſt antiqua grammatica: nam nunc tempus dicitur, vt aſſeuerãt omnes doctiſſimi, & reputant puerile dictum eſt tempus, & tempora: ſed olim non fuit puerile cum Ieronimus, qui ſe profitetur inter grammaticos, & rhetores ab ipſa ſua infantia enutritum, vt patet in prologo ſuper Iob, qui incipit: Cogor per ſingulos: hoc dixerit. Conſuetudo tamen ex tempore in vocabulis introducitur, & ceſſant, quæ fuerũt, & noua ſuperducuntur, & fiet quidquid volet vſus, vt ait Horatius in libro ſuo de correctione poetarum, qui incipit.

Humano capiti ceruicem pictor equinam.

Percuſſit malleo. Scilicet clauum poſitum ſupra tempus. *Defixit in cerebrum vſque ad terrã.* Vnica percuſſio fuit, ſed fuit valida: ideo potuit tranſuerberare vſque ad terram, alioquin ſi prima percuſſio fuiſſet debilis ſurrexiſſet Siſara ante ſecũdam percuſſionem. *Qui ſoporem morti ſocians.* Id eſt ſopor ſuus fuit coniunctus cum morte: quaſi dicat: quod poſtquam cępit dormire, nunquam euigilauit, ſed in ipſo ſopore mortuus eſt. *Defecit & mortuus eſt.* Scilicet defecit viribus: nam cum valida fuiſſet percuſſio non habuit vllas vires ad ſurgẽdum, voluebatur tamen per terram in primo limine mortis, ſic patet ſequenti capitulo, ſcilicet inter pedes eius ruit, defecit & mortuus eſt: ante pedes illius voluebatur, & iacebat exanimis.

B

Quare Iahel occiderit per ſeipſam Siſaram, & non tradidit eum in manus Iſraelitarum.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRET aliquis, quare Iahel occiderit per ſeipſam Siſaram, ſed debuiſſet ſeruare eum, vt traderet in manibus eorum, qui inquirerent eum, & ſic non ageret tam directe contra pacem interpoſitam cum rege Iabin. Reſpondẽdum eſt, quod Siſara erat magnus hoſtis Iſrael, & ſi euaſiſſet inde, poterat facere multa mala Iſraelitis, quæ abominabatur Iahel, ideo deſiderauit ipſa nimis quod morertur, & quia timebat, quod forte nullus veniret ita cito ad inquirendum ipſum, & ipſe experge factus de ſomno forte recedere inde vellet, deluderetur intentio Iahel, ideo feſtinauit occidere eum per ſeipſam. Alia ratio erat, quia ſi ipſa non occidiſſet eum, ſed tradidiſſet in manus inquirentiũ eum, forſitan pręſumeretur contra eam, quod ipſa voluiſſet ei ſponte dare locum euadendi, & quia nunc non prodidiſſet eum ſponte, ſed quia non potuit eum celare: haberetur autem ad hoc radix ſuſpicandi, ſcilicet quia domus Haber habebat pacem cum rege Iabin, vt patet ſupra, & ſi ſuſpitio iſta vera eſſet, Iahel eſſet rea criminis, ideo vt excluderet à ſe iſtam ſuſpitionem, interfecit eum. Alia ratio fuit, quia forte Iahel erat mulier auida laudis, & quia occidere iſtum principẽ erat magna gloria, cum eſſet tam potens, potius ea voluit eum occidere quã tradere alteri occidendum. Cum autem dicitur, quod minus directe egiſſet contra pacem interpoſitam, ſi ipſa non occidiſſet eum. Reſpondendum, quòd ſi pax interpoſita obligabat eam quocunque modo eum occideret peccabat, & agebat contra fœdera, nec eſt differentia in hoc an ipſa per ſe eũ occideret, vel alteri eum traderet occidendum, & ad hoc ſolum ſeruaſſet eum, vt occideretur, & tamen neutrum agendo putabat ſe Iahel teneri crimine ruptorum fœderum, de quo infra dicetur.

C

Cum veniſſet Siſaram ad domum Iahel cur non dixit ei Iahel, quod inde recederet.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlterius, cum veniſſet Siſara ad domum Iahel, cur nõ dixit ei Iahel, quod recederet inde, & quia non poterat ibi eſſe ſecurus, & in hoc videtur, quod ſatisfeciſſet vtriſque, ſcilicet tam paci interpoſitæ, quam Iudæis: nã ſi ſic dimiſiſſet eum ſatisfeciſſet ei, quod non occidebat illũ, nec tradebat alteri occidendum: nunc autem ipſa occidit, & viſa eſt violaſſe fœdera: ſatisfeciſſet etiam Hebræis, quia non receptabat eum in domo ſua ad dandum illi locum fugiendi, & euadendi. Reſpondendum, quod Iahel cautius egit eum ſic occidendo, quam dimittendo: nam illo modo offendiſſet vtramque partem, & nulli profeciſſet: nam ſi reſpexiſſet fœdera pacis, & ob hoc nollet eum occidere, nec ſeruare

D

In vocabulis ſtatur vſui approbato per ſapientes.

E

F

alteri

A alteri occidendum, non ſolùm obligabatur ad hoc, ſed etiam ad occultandum eum: nam ſi non reperiret illum, caperetur in agro non habens locum ſe abſcondendi, & hoc ipſa videbat, ideo tenebatur rea fracti fœderis. Etiam non ſatisfaciebat Iſraelitis, quia ſi ipſa, ſic eum non reciperet, & ob hoc fugeret, poterat ille euadere, & poſtea egiſſet mala multa in Iſrael, quorum omnium tenebatur rea Iahel, quia potuiſſet eum occidere, & noluit, ſed ob hoc eum à ſe eiecit, vt non occideretur, ergo teneretur crimine fautricis hoſtiũ: non fuit igitur conueniens modus ille. Iſte autem, quem tenuit fuit valde conueniens: nam non putabat, ſe obligatam fœdere, quin poſſet occidere Siſaram, ideo vt plenè redderet debitum populo ſuo, & natali terræ, ſe ſolùm eum recipit, ſed etiam induxit, vt intraret, dicens: intra ad me domine mi, nè timeas: & poſtea occidit illũ. *Et ecce Barac.* Id eſt poſtquam occidit Iahel Siſaram accidit, quod veniret Barac dux exercitus Iſraelis. *Sequens Siſaram veniebat.* Id eſt, veniebat ad inquirendum Siſaram an alicubi lateret, quia compererat ipſum in bello fugiſſe de curru. Et non dicitur, quòd veniebat ſequens Siſaram, ſcil. quòd vidiſſet Siſaram fugientem, & nunc perſequeretnr eum per iter, quo fugerat, ſed perſequebatur eum, ſcil. inquirendo. *Egreſſaq; in Iahel in occurſum eius.* Scilicet, ad congratulandum ei de morte Siſaræ, & vt aliquid boni nunciaret: nam Barac putabat, quòd fortè euaſiſſet Siſara, de quo nimis doleret, quia poterat rurſus mouere bella contra Iſrael, nunc verò nunciando ei mortem Siſaræ, aliquid lætum enunciabatur. *Dixit veni & oſtendam tibi virum, quem quæris.* Antequam quicquã loqueretur Barac, locuta eſt Iahel, quia ſciebat, quòd ipſe principalius inquirebat Siſaram, quam aliquẽ alium. *Qui cum intraſſet ad eam.* Id eſt, in domum, vel tabernaculum eius. *Vidit Siſaram iacentem mortuum.* Quia non excluſerat eum de domo quouſque venirent viri Iſrael, & viderent quid egerat Iahel. *Et clauum infixum in tempore eius.* Silicet, quia ſicut infixerat eum configens terræ, ita & nunc manebat, vt daretur probatio rei factæ, & non crederetur, quòd aliunde mortuus ductus fuiſſet. *Humiliauit ergo Deus in die illa Iabin.* Scilicet, fecit eum impotentem, vt iam non poſſet eleuari ſuper populum Iſrael premendo illo, ſicut prius, quia mortuo Siſara duce exercitus, & deleto exercitu, combuſtiſq; curribus, & ſubneruatis equis, non manebat ei adminiculum contra Iſraelitas: ideo non ſolùm non poterat eos opprimere, ſicut à principio, ſed etiam non poterat iam defendere ſe ab illis. *Regem Chanaan.* Vocatur rex Chanaan, id eſt, totius terræ Chanaan, quia ciuitas Aſor, in qua ipſe regnauit erat principatum tenens ſuper omnia regna Chanaan, vt patet Ioſue 11. *Coram filijs Iſrael.* Id eſt videntibus eis humiliatus eſt, ſcil. quia per terrorem, quem Deus miſit de cœlo ſuper Siſaram, & exercitum eius humiliatus fuit Iabin, ita quod non auderet iam pugnare
C contra Iſraelitas. Vel dicitur. *Coram filijs Iſrael.* Id eſt, à facie filiorum Iſrael, ſcil. quòd ipſi fuerunt, qui humiliauerunt eum, domino tamen agente hoc. *Qui creſcebant quotidie.* Scilicet, in poteſtate: nam diminutio vnius oppoſiti eſt confortatio alterius, & quia quotidie decreſcebat rex, creſcebãt Iſraelitæ, quia nunc ſub Barac colebant dominum. Ipſe enim ſuſcepto beneficio illo ſpeciali à Deo, coegit illos ad colendum ſemper Deum dum ipſe vixit. *Et forti manu opprimebant Iabin.* Id eſt, cum magna poteſtate inſurgentes in eum opprimebant ipſum inferendo ei violentias multas. Nam poſtquã ſemel præualuerunt, armabant ſæpe exercitum, vt eum oppugnarent, & prædabantur in terra eius, atq; capiebant loca. *Regem Chanaan.* Quanquam non maneret nunc iſte titulus, tamen ſemper nomen manebat, quia antiquitus hoc fuerat, vt patet Ioſue vndecimo. *Donec delerent eum.* Scilicet totaliter eius potentiam deſtruendo, & caperent terram eius: vnde poſt hoc nunquam iſte rex pugnauit contra Iſrael.

An Haber Cinæus peccauerit faciendo pacem cum Rege Iabin.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRET aliquis, circa ſupra dicta, an Haber Cinæus peccauerit faciendo pacem cum rege Iabin: nam dicitur in litrra, quòd pax erat inter Iabin & domum Haber. Aliquis dicet, quòd ſic, quia Iabin erat hoſtis Iſraelitarum, & premebat eos duriſſimè. Haber autem erat vnus de populo Iſrael, quòd ergo ipſe iniret pacem cùm hoſte Iſrael, videbatur agere contra populum. Reſpondendum, quòd Haber Cinæus non peccauit faciendo pacem cum Iabin, nec offendit in hoc Iſraelitas, quia alioquin ipſi eum expuliſſent de medio ſui tanquam hoſtem, & fauorem hoſtium, & publicaſſent bona eius: ſed nihil ei mali intulerunt permittendo viuere, vbi vellet: ergo nõ offendit populum. Pro quo ſciendum, quod iſta pax poterat multipliciter iniri. Vno modo, quòd cum Iabin eſſet rex potens, & Haber eſſet habitans circa terram eius quòd præſtitis aliquibus magnis ſeruitijs, & muneribus ei ab eo obtinuerit pacem, ſcil. quòd nullus de regno Iabin noceret Haber Cinæo, nec rebus eius, & tamen Iabin non petiuit hoc ab Haber Cinæo, quia cùm ille non eſſet vir potentiſſimus, ſed ſolùm quidam vir diues, non timebat, quòd ei quicquam mali infligere poſſet, ideo non curauit petere ab eo aliquam ſecuritatem, ſed ſolùm ei illam præſtitit, & in hoc non faciebat Haber quippiam contra Iſraelitas, quia quòd ipſe quæreret vtilitatem ſuam, non nocendo Iſraelitis, non faciebat iniuſtum. Si autem promiſiſſet adiuuare regem Iabin contra quemcunque hoſtem ſuum, tunc Iſraelitæ offenderentur, quia Haber deberet pugnare contra eos. Alio modo poterat iniri pax, ſcil. quòd Iabin & Haber conuenirent inter ſe, ſcil. quod nullus de regno Iabin noceret Haber, & quod Haber, vel domus eius nõ
B offenderet in aliquo Iabin, & habitatores regni eius: tamen non cõuenerunt vlterius de mutuo adiutorio impendendo. Aliter etiam fieri poterat, ſcil. cum quod Iſraelitæ opprimerentur à Iabin tributis, & vellent aliqualiter reſiſtere, nõ habebant pacem cum eo, quia non ſubdebantur omnino. Haber autem ſoluebat tributa immoderata, ſcil. quantumcunque petijſſet Iabin, ideo ſpecialiter ei pater ei præſtiterat ſecuritatem, & pacem. Aliter eſſe poterat, quòd Haber & Iabin conueniſſent inter ſe de non nocendo in alterutrum, & de compugnando mutuo, ſcilicet, quòd quicunque eſſet hoſtis vnius eſſet hoſtis alterius, & quandocunque vnus indigeret auxilio ad bellum, teneretur alius ei auxilium præſtare: iſtud autem non ſolùm vocatur pax, ſed etiam fœdus, & amicitia: ſic Ariſt. 8. & 9. Ethic. dicit eſſe amicittam inter duas ciuitates, quæ de compugnando conuenerunt: ſimile fœdus & amicitiam compoſuerunt Romani cum Iudæis, vt patet 1. Mach. 8. Dicendum autem, quòd in tribus modis primis non offendebat aliqualiter Haber Cinæus Iſraelitas, ſed ſolùm procurabat vtilitatem ſuam. In quarto modo ipſe offenderet eos, eſſetque hoſtis populi cùm per hoc obligaret ſe ad pugnandum contra Iſrael, & tunc Iſraelitæ non paſſi fuiſſent eum inter eos viuere. Dicendum igitur, quod habebat pacem aliquo de tribus modis primis cum Iabin.

An Iahel Siſaram occidendo peccarit.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR vlterius, an peccauit Iahel occidendo Siſaram. Aliquis dicet, quòd ſic, quia dicitur ſupra in litera: erat enim pax inter Iabin regem, & domum Haber Cinæi: ergo occidendo Siſaram violabat fœdera interpoſita, quod eſt graue peccatum, non ſolùm de iure poſitiuo, ſed etiam de iure naturali, & gentium. Item Iahel induxit Siſaram, vt introiret in domum ſuam promittens ei ſecuritatẽ, & poſtea occidit eum: ergo peccauit. Reſpondendum, quòd non peccauit Iahel occidendo Siſaram, quia ſacra ſcriptura laudat eam, vt patet ſeq. c. in cantico cum Debbora prophetes dixit: Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi: ſcriptura tamen non laudat vitia. Dicendum ergo, quod nõ peccauit, ſed potius meruit, eo quod habet multiplex incentiuum ad hoc. Primum fuit, quia ſicut quilibet de populo tenebatur iuxta vires dare operam ad procurandum ſalutem populi & maxima ſalus populi erat in occidendo Siſaram, ita & Iahel tenebatur ad laborandum pro ſalute populi, & conſequenter poterat licitè conari ad occidendũ Siſaram: nam Haber Cinæus, & vxor ſua, & tota domus ſua erant partes domus Iſrael, eo quod morabantur in terra illa, & non habebant alibi habitationem: ideo tenebantur magis pugnare pro ſalute terræ huius, quam alicuius alterius. Item Haber

D

Pax inter Iabin, & domũ Haber multipliciter iniri poterat

E

F

Cuiuſdam rationes in diuerſum

Iahel meruit Siſarã occidendo, & propter millia debuit illud facere.

A erat Iudæus, ſcilicet, ſeruans ritum Iudaicum ipſe, & vxor ſua, & tota domus ſua, ideo pugnandum ſibi erat pro gente, quæ tenebat hanc legem. Item Haber erat quaſi habens originem de Iudæis: nam licèt antiqua progenies eius, & aliorum Cinæorum fuerit de Madianitis, tamen iam erant quaſi 180. anni, quibus Cinæi pertinebant ad populum, ita quòd iam habuerant auos, & proauos in populo Iſrael, ideo rationabiliter agendum eis erat pro ſalute huius populi. Item Iahel poterat hoc iuſtè agere, quia ſciebat iſtam eſſe voluntatem Dei, ſcilicet, quòd Deus dixerat, quòd traderet Siſaram in manus Barac, vt patet ſupra in litera: ergo ſciebat licitum eſſe cuilibet eſſe miniſtrum Dei occidendo Siſaram. Item hoc oſtenſum eſt, quia Deus de cœlo pugnauerat contra Siſaram, & exercitũ eius, vt patet ſequ. cap. & ſupra in litera dicitur, quòd perterruit dominus Siſaram, & omnes currus eius, ideo non erat culpabile exercere vindictam in illos, quos Deus puniri volebat. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd non egit Iahel contra fœdera, & pacem. Nam ſi primò modo de 4. ſupra poſitis fuerit pax, non obſtante illo poterat Haber, & quilibet de domo ſua pugnare contra Iabin, & quoſlibet de regno eius: eo quòd Haber nihil promiſerat Iabin. Si autem fuerit pax ſecundo modo non peccauit Iahel, quia illud fœdus tenebat, quando Iabin non innouaret aliquid in quo læderetur Haber, ſed nunc in pugna iſta læſus eſt aliqualiter, ideo poterat frangenti fidem eandem frangere. Aliter & melius dici poteſt, quòd dato, quòd iſto modo tenetur Haber nihil nocere Iabin, aut rebus eius: tamen Iahel non tenebatur ad hoc, eo quòd ipſa non interuenerat in hoc fœdere, quia vt communiter viri componunt fœdera, & non fœminæ, quia non timetur de eis ad hoc caſus. Vel aliter dicendum, quòd dato, quòd ipſa ſic pepigiſſet, Deus mouit cor eius ad hoc faciendum quod ipſa bene cognouit, ideo non tenebatur ad aliquid, quia ſpiritus Dei mouet in libertatem iuxta illud Apoſtoli: Qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege. Si autem tertiò modo eſſet pax facta, tam ipſe Haber, quàm quilibet de domo ſua poterat habita opportunitate liberare ſe ab illa ſeruitute, quia illa non erat compoſitio fœderis, ſed ſolùm redemptio vexationis per ingentia munera: poteſt autem quilibet quandocunque ei occurrerit eximere ſe à tali vexatione. Si autem dicas, quòd quarto modo erant fœdera inita non eſt concedendum, quia non permiſiſſent Iſraelitæ, vt ſupra dictum eſt: non ergo peccauit Iahel contra pacem poſitam. Ad ſecundam rationem cùm dicebatur, quòd promiſit ei ſecuritatem, & non ſeruauit. Reſpondendum, quòd licèt aliqua circumſtantialia eſſent in actu Iahel non bona: tamen ipſe actus bonus fuit.

Ad primam rationẽ in diuerſũ 1. quæſt. praced

B

An Iahel in verbis, quæ locuta eſt ad Siſaram peccauit.

C

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlterius, an Iahel peccauerit in verbis, quæ locuta eſt ad Siſaram, dato quòd non peccauerit occidendo ipſum. Aliquis dicet, quòd ſic. Primo, quia ipſa egreſſa eſt in occurſum Siſare oſtendendo ei bonam faciem, vt vellet manere apud eam, & poſſet eum interficere. Secundò, quia dixit: Intra ad me domine mi, intra ne timeas, & ob hoc Siſara ſecurus introiuit in tabernaculũ. Tertiò, quia poſt introitum in domum oſtendit ſe nimis obſequioſam Iahel circa Siſaram operiendo eum pallio, & dando ei bibere, & hæc omnia faciebat, vt eum ſecuraret ad occidendum. Quartò, quia vt colligitur ex litera ipſam, conſenſit, vel promiſit ſe mentituram pro illo, & tamen non intendebat mentiri, nec mentita eſt, & in hoc ipſo mentita eſt, ſcilicet quando Siſara dixit ſta ad oſtium tabernaculi, & cùm venerit aliquis interrogans te, nunquid hic eſt aliquis: reſponde, nullus eſt: & hoc facere conſenſit Iahel, quia alioquin non manſiſſet Siſara in domo illius: mentita eſt, cùm non intenderet ſic agere. Reſpondendum eſt, quòd in actu Iahel interuenerunt aliqua, quæ erant licita, ſcilicet, deſiderare occidere Siſaram, qui erat hoſtis populi Iſrael, & cooperari ad hoc ipſum: & ob hoc ſcriptura laudat Iohel non ſimpliciter, ſed quantum ad ea, in quibus bene egit: vnde ſequenti capitulo, non laudatur Iahel, niſi quòd occiderit Siſaram percutiendo eum malleo, & clauo, & quòd ei lac in potum dederit, quòd erat ad faciliter dormiendum. De verbis autem, quæ locuta eſt non fit ibi vlla mentio, quaſi non eſſet laudabilis propter illa: ſic enim fit in quibuſdam alijs factis: nam factum Raab, ſcilicet, quòd liberauerit exploratores Iſraelitarũ laudatur, ſed non mendacia eius ad liberandum illos: effectus quoque obſtetricum Ægypti, & actus cõmendatur, & Deus laudat eas promittens bona, ſed non laudantur mendacia: Exod. 1. & de Raab Ioſue 2. & 6. ſcriptura quoq; laudat opus Iudith, & deuotionem eius ad populum, pro quo morti ſe expoſuit vt occideret Holofernem, ſed non commendat multiplicia mendacia eius, quæ dixit coram Holoferne, & ſimulauit, vt poſſet eum occidere. De hoc per totum librum Iudith: non ſunt ergo commendanda omnia verba Iahel, nec excuſanda à peccato. Sed tunc dicetur, quomodo peccauit? Aliquis reſpondebit, quòd peccauit mortaliter, quia mentiri ad defendendam vitam alicuius eſt officioſum, ideo eſt veniale: è contrario ergo mentiri ad occidendum aliquem erit pernicioſum, ſed ſic fecit Iahel. Reſpondendum, quòd non omne mentiri ad conſeruandum vitam eſt officioſum, nec mentiri ad occidendum eſt ſemper pernicioſum, ſed conſideranda eſt cauſa pro qua hoc fit: nam ſiquis mentiatur ad tuendam vitam alicuius in caſu, quo tenebatur velle mortẽ illius pernicioſum eſt: ſicut ſiquis ſit hoſtis publicus patriæ omnia diripiens, & diruens: ſi ille capiendus ſit, & aliquis de terra illa, quam iſte depauperat per mendacium ſuum liberauerit eum, cùm ex hoc det ei occaſionem ad cætera furta, & faueat hoſti publico, mortaliter peccat, & peccatũ ſuũ eſt pernicioſum, quia in perniciem patrię vertitur vita huius: qui ergo manifeſtat, vt moriatur, non peccat: velut ſiquis eum in bello iuſtè indicto occidat, & qui eum celauerit patriæ proditor eſt. Ita igitur de Siſara, & Iahel: nam Siſara hoſtis patriæ erat, ideo ꝙ Iahel mentiretur ad occidendũ eum nõ erat pernicioſum, ſed ſalubre patriæ: ipſum tamẽ mendacium in ſe per nullam viam honeſtari poteſt, ſed poteſt eſſe bonum quod per mendacium eſt: & ſic ſaltem ſemper erit veniale mendacium quantumcunque illud excuſauerimus. Hoc dicendum videtur de Iahel, ſcilicet quòd venialiter in his mendacijs, & fictionibus peccauerit.

Doct. reſpon. ad quæſitum.

D

Mendacium officioſum & pernicioſum.

E

CAPITVLVM V.



Ecinerunt ꝙ Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum: benedicite Domino. Audite reges, auribus percipite principes: ego ſum, ego ſum, quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael. Domine cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœliq; ac nubes diſtillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael. In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel quieuerunt ſemitæ: qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios. Ceſſauerunt fortes in Iſrael, & quieuerunt; donec ſurgeret Debbora: ſurgeret mater in Iſrael.

F

Hercules Iouis filius vir immenſi roboris claret.

Cecineruntq;. Poſita eſt in ſuperioribus hoſtium debellatio, hic cõſequenter pro collata victoria ſubditur gratiarũ actio, & vocatur iſtud canticum Debboræ, & Barac. Eſt autem principaliter ipſius Debboræ, in quo ipſa primò ſe, & alios ad laudes diuinas incitat. Secundò conſtantiam filiorum Iſrael recitat ibid. *De machir.* Tertiò cui ſit attribuenda victoria explicat ibidem. *De cœlo dimicatum eſt.* Quartò ipſam Iahel cõmendat ibidem. *Benedicta Iahel.* Prima in duas, quia primò ſe & alios ad Deum laudandum incitat: ſecundò ad hoc rationem applicat ibidem. *Domine cum exires.*

A

An hic sit ordo mutatus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ dicuntur hic, sint continuata ad præcedentia, vel sit ordo mutatus. Respondendum, quòd nō potest hic conuenienter assignari ordo cum superiori, eo quòd in superioribus tangebatur historia, hic autem solùm canticum sine historia: facta autē inter se continuari possunt ordine naturæ, vel dicta inter se ordine rationis, dicta tamen cum factis, vel è conuerso non possunt directè habere ordinem. Dicendum tamē hic, quòd non est ordo mutatus, quia præcedēti capitulo dictum est de bello, & victoria Barac contra Sisaram, hic autem subijcitur canticum pro hac causa factum, & istud fuit factum immediatè post bellum, ideo cōuenienter ponitur post præcedentia: nam nulla gesta temporum inter hoc, & illa supra dicta interuenerunt, præcipuè cùm istud canticum videatur factū die qua consummatum est bellum, vt patet in litera, scilicet, cecinerunt Debbora, & Barac in die illa, scil. in die belli, vel die occisionis Sisaræ. *Cecinerunt.* Canere ponitur, vt est distinctum contra loqui: nam ea, quæ prosaice dicuntur ad locutionem pertinent, & dicitur aliquis loqui illa, vel dicere, quæ autem metrice dicuntur, vel pertinentia ad cantilenas non dicuntur dici, sed cantari, & sic cùm ea, quæ habentur in toto isto capitulo, procedant lege metrica, & per certa membra carminis, sicut melius apparet apud Hebræos: nam hoc est, sicut carmina, quæ in choreis dicuntur, & in voce simul, & musicis instrumentis. Sic patet de cantico Mariæ sororis Moysi: nam ipsa sumpsit tympanum, & cum cæteris mulieribus cantauit primò canticū, quod Moyses fecerat: de quo Exo. 15. ideo apud Hebrēos ista cantica aliter punctuantur, quā oratio prosaica, sicut aliter metra diuisim punctuantur apud prophetas, quàm oratio soluta apud oratores. *Debbora, & Barac filius Abinoem.* Ambo cantabant, sed Debbora erat auctrix cantici, cùm ipsa haberet spiritum propheticum dictantem hæc: Cantabant autem ambo, quia ipsi fuerant mediatores huius misericordiæ Dei, scil. in victoria contra Sisaram. Nam Debbora hoc denunciauit, & Barac illud expleuit actualiter pugnando. *In die illa.* Scilicet, die quo occisus fuit Sisara. Vel die, qua redierunt de prælio. *Dicentes.* Scilicet ea, quæ sequuntur. *Qui sponte obtulistis animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* In hoc incitat Debbora se, & alios ad incipiendum laudes Dei. Et refertur ad bellatores, qui sponte se obtulerunt ad eundū ad bellum, scilicet, quòd licèt Deus iussisset ire decem millia de Nephthali, & Zabulon, & ex hoc tenerentur ire etiam inuiti: tamen dicente eis Barac, & Debbora ex parte Dei sponte iuerunt. Et isti incitantur ad benedicendum domino: quasi dicat: vos fuistis in periculo pugnando contra Sisaram, & Deus liberauit vos adiuuando de cœlo, ideo benedicite ei in retributione beneficij agendo gratiarum actiones.

Incitatio Deborę & aliorū ad laudes Dei incipiēdas.

B

C

An hi eundo ad bellum obtulerunt se ad periculum, cùm essent certi de victoria.

QVÆSTIO II.

QVÆRET aliquis, an isti eundo ad bellum obtulerunt sed ad periculum. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus eripuit Israel de manu Sisaræ, & de cœlo dimicatum est contra eum. Respondendum, quòd Nicolaus vult, quòd non fuit propriè periculum, sed large cùm Deus pugnaturus esset, & non ipsi. Etiam aliqui volunt, quòd accipiatur periculum pro bello, quo est materialiter periculum, scilicet, qui obtulistis vos ad periculum, id est ad bellum. Sed dicendum est, quòd fuit hic periculum. Pro quo considerandum, quòd periculum quanquam à pereundo dicatur, tamen non est illud, in quo aliquis perit, sed in quo timetur, quòd aliquis pereat, aut verisimile est, quòd pereat & sic cōmuniter actus fortitudinis sunt pericula, quia in illis potest homo perire, vel mala pati: & sic est de omnibus bellis, quæ propriè vocantur bella: nam quòd homines nimis inæqualiter se habentes pugnent, vt inermes cum armatis, vel decem contra vnum, regulariter non est periculum, ideo quòd decem homines offerant se ad pugnandum contra alium hominem de communibus, non dicuntur se offerre ad periculum. Si igitur pugnantibus Iudæis contra Sisaram erat aliquod dubium de salute omnium, vel aliquorum ipsorum, dicebantur, se exponere periculo. Ratio autem dubitandi an fuerit periculū est, quia Deus pugnauit pro Israel, vt patet infra, scilicet de cœlo pugnatum est contra Sisaram. In hoc autem considerandum, quòd aliquando pugna Dei supplebat omnem pugnam Iudæorum, ita quòd eis non pugnantibus tradebatur victoria, iuxta illud Exod. 14. scil. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, id est nihil facietis: & sic euenit, quia Israelitis ambulantibus per mare percussit dominus castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, & ferebantur in profundum maris, & tunc non est dicendum, quòd Iudęi se exposuerint periculo, quia nihil fecerunt. Sic etiam fuit in torrentibus Arnon: Num. vigesimo primo: sic etiā tempore Ezechię quando percussit Dominus castra Assyriorum per noctem, & perierunt 185. millia, vt patet quarto Regum decimonono capit. Aliquando autem Deus dabat Israelitis victoriam non faciens ipse omnia, sed adiuuans Israelitas, sicut fuit persequente Iosue quinq; reges Amorrhæos: nam in descensu Bethoron vsque Azeca misit Deus lapides grandinis de cœlo magnos, & plures ceciderunt lapidibus, quàm gladio, vt patet Iosue decimo. Sic etiam fuit quando tempore Samuelis intonuit Dominus de cœlo super Philisthiim: atque perterruit eos, & cœsi sunt ab Israelitis: primo Regū septimo. Et in hoc distinguendum est, quia Deus aut prænunciabat, quòd adiuturus esset Israelitas, aut non: si non prənunciabat dicendum, quod exponebant se periculo, quia à principio non patebat quicquam de Dei adiutorio: & isti obijciebant se ad omnem euentum: ideo habebant in hoc actum fortitudinis, quanquam Deus postea totum bellum ageret. Si autem prænunciaret Deus, quòd adiuturus erat, aut certificabat quòd nullus de Hebræis periret, aut non: si primum, dicendum, quòd nō se exponebant periculo, sed labori: si secundum, dicendum, quòd se exponebant periculo, quia per promissionem Dei certi erant de victoria, sed non de euasione omnium in bello. Erat tamen expositio ad periculum magna, vel parua: secundum quòd promissio Dei magis vel minus certificabat. Aliquis autem dicet, quòd non potuit hic esse periculum vllum, quia ante bellum Deus certificauit Barac de totali victoria, vt patet præcedenti cap. cum dixit Debbora: ego ducam ad te in locum torrentis Cison Sisaram, & currus eius atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. Respondendum quòd hoc non obstat, quin fuerit hic periculum, quia per hoc certificatus erat Barac, quòd nullus euaderet de viris Sisaræ: tamen non erat certificatus an aliqui de suis perirent, quia satis stat plenitudo victoriæ cum morte aliquorum de suis. Item etiam si Deus dixisset Barac, quod saluaret eum, & viros suos in bello, nisi in nimis determinate loqueretur, ita vt in omnino pateret determinatio voluntatis suæ, semper manebat dubium & periculum, quia si aliqui de euntibus ad bellum peccarent post istam Dei denunciationem: fortè illi, & alij non peccantes traderentur in manus hostium, & cæteri vincerent bellum. Sic fuit tempore Iosue: nam Deus promisit ei dicens: Omnem locum, quem calcauerat vestigium pedis vestri vobis tradam. Et postea sequitur: Nullus poterit resistere vobis cunctis diebus vitæ tuæ, & tamē populo post hoc in secundo bello terræ Chanaan contra Hai ceciderunt triginta sex de Israelitis, & fugati sunt à Chananæis, vt patet Iosue septimo. Ita ergo facta promissione ad Barac poterat timere quilibet de exercitu eius an Deus vellet tradere eum hostibus propter peccata sua: ideo quilibet se offerebat periculo, sed non magno: sicut in alijs bellis, in quibus Deus nihil prænunciat. In Hebræo habetur hic. *Vlciscendo vltiones in Israel, nobilitando vel liberando populum benedicite Domino.* Litera Chaldaica, & omnes Hebræi exponunt hoc, scilicet, vlciscendo vltiones in Israel, id est Deus vltus est in Israel peccata eorum, quia propter mala, quæ egerunt tradidit eos in manus regis Iabin: & iste oppressit eos, & nunc Israelitæ vendicabant in exercitu eius istam vltionem, scilicet, quòd pro vindicta, quam exercuit in eos ex promissione Dei vendicabant se nunc retribuentes aliam vindictam pro eis: pro hac

Deus aliquādo solus pugnabat pro Iudæis, aliquādo autē eos adiuuabat.

D

E

F

A vindicta, quam eis Deus concedebat, debebant benedicere Deo. Ista sententia aliqualiter concordat literæ nostræ, sed non tantum euacuat totam sententiam literæ Hebraicæ, sicut litera nostra. Pro quo sciendum, quòd apud Hebræos ponitur hic vna dictio, quæ significat nobilitare, vel liberũ facere, & extenditur ad significandum sponte vel gratis, & ob hoc transtulit Ieronymus solum sensum omittens aliqua verba & posuit sponte loco illius. Et quia dicitur vlciscendo vltiones, & iste est actus belli trãstulit Ieronymus loco huius. Qui sponte vos obtulistis pericula, quod idem est, quod qui sponte iuistis ad vsciscendum vltiones, sed est apertius. *Audite reges.* Hic reddit attentos auditores, & ad notandum magnitudinem rei, pro qua canit dicit. *Audite reges.* Scilicet quia etiam reges debent esse attenti ad enarrationem tanti facti. *Auribus percipite principes.* Eadem sententia est repetita, sicut fit in canticis, & exaggeratio rhetorica pertinens ad eos, qui nimis volunt mouere affectus. *Ego sum, ego sum.* Fit duplicatio ad maiorẽ demonstrationem, quasi dicat: attendite diligenter ad me, quia ego sum, quæ laudabo dominum pro beneficijs collatis Israel. Rabbi Salomon introducit hic quandam fabulam de monte Thabor, & Hermon: causa introductionis est, quia immediatè agitur de his montibus, dicit enim quòd cùm Deus vellet dare legem, mons Thabor, & Hermon contendebant dicentes, mihi dabit legem: & alius è contrario mihi dabit: cùm autem dedit eam in monte Sinai erubuerunt isti duo montes, ideo dixit eis Deus, non soliciti sitis, quia ego sum, ego sum, qui vos nobilitabo plusquam montem Sinai, & quia loquebatur duobus montibus dixit bis, ego sum, ego sum. Sed ista non solum est fabula, sed etiã insania vecors: nam cùm fabula in iocosis proponitur, fabula est, quia terminis suis contenta est: sed cùm in sacra Scriptura proponitur, non iam fabula, sed magis insania est. *Quæ domino canam.* Debbora loquitur, in quo patet quòd quanquã vocetur canticum Debboræ, & Barac, quòd canticum est Debboræ. *Psallam Domino Deo Israel.* Canere est in voce, psallere est cum vasis musicis cãtare, vel solùm in eis harmoniã reddere: & in Hebræo vtrobiq; ponitur canere: sed litera nostra mutauit istam duplicationem, & posuit, psallam. Istud canere, vel psallere est pro beneficijs præstitis, quæ in cantico subiungentur. *Domine cùm exires.* Hic Debbora rationem motiuam ad canendum applicat: & diuiditur in tres partes, quia ponuntur 3. rationes motiuæ: prima est de datione legis: secunda est de populi liberatione imperfecta: tertia de liberatione completa. Secunda ibi. *In diebus Samgar.* Tertia ibi. *Noua bella.* In primo introducitur legis datio, & potest irtroduci tanquam aliquid in cantico ad laudandum positum, sicut in carminibus heroicis describuntur magnifica gesta virorum ad laudandum eos. Vel potest introduci tanquam aliquod motiuum ad canendum, scilicet, quia est quoddam beneficium, pro quo tenebantur Israelitæ laudare Deum. Pro quo sciendum, quòd Iudæi quidam exponunt hoc fabulosè de datione legis, & dicunt, quòd Deus obtulit legem Idumæis habitantibus in monte Seir, & ipsi noluerunt eam recipere, quia cùm Deus recitaret eam, & peruentum esset ad illum locum, scilicet, non occides. Dixerunt Idumæi, non conuenit nobis ista lex, quia pater noster Isaac benedixt nobis, dicens: viues in gladio Gen. vigesimo septimo. Dicunt etiam, quòd proposuit legẽ Ammonitis, & Moabitis, & ipsi quoq; non cœperunt eam, quia cum diceretur in ea, non mæchaberis, non visa est eis conueniens. De Ismahelitis idem dicunt. Et secundum hoc exponunt literam dicentes. *Domine cum exires de Seir.* Id est, de monte Seir in quo habitant Idumæi, scilicet, cum veneris de dando eis legem, & ipsi noluerunt eam. *Et transires per regiones Edom.* Id est, per regiones Idumæorum, quòd idem est, sed repetitur sententia: nam Edom, & Seir sunt nomina Esau: nam Genes. vigesimo quinto, dicitur, quòd vocatus est de Seir, id est hispidus, vel villosus, vocatus est Edom, id est rubens, scilicet, quia concupiuit lenticulam rufam, & dixit: da mihi de coctione hac rufa, & sequitur ibi, quòd propter hoc vocatum est nomẽ eius Edom: terra autem, in qua habitabant posteri Esau vocatur terra Edom, vel mons Seir, vel mons Esau, vi patet Abdid, capitu. vnico, & Mala. Primo, & Deuteronomij secundo. *Terra mota est.* Ista omnia sequentia pertinent ad montem Sinai secundũ expositionem omnium, vt infra dicetur, sed quia ista expositio præsupponit aliquid ridiculum, vt declaratum est Deuteronomij trigesimo tertio, non oportet ei insistere. Nicolaus autem, & alij doctores exponunt de datione legis in monte Sinai, scilicet, *Domine cum exires de Seir.* Scilicet demittendo populum Seir in erroribus suis iusto tuo iudicio non dando eis legem, sed velles eam dare Hebræis, facta sunt ea, quæ sequuntur in monte Sinai, scilicet quòd terra mota est, & cætera. Sed ista expositio videtur nimis aliena à litera: nam dicitur, domine cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, in quo significatur motus, & transitus Dei, in quo oportet dari aliquem motum Dei, vel transitum saltem largum, sed Deum deserere Idumæos in errore suo nihil pertinet ad transire per regiones Edom. Item si intelligeretur de dimissione illius gentis in errore suo, cùm non solùm illam sed etiam omnes alias gentes Deus dimiserit in errore, quoniam dimisit omnes gentes ambulare in vias suas, vt patet Acto. decimotertio, & solis Iudæis legem dedit, vt patet Psal. 147. scilicet. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Debuisset dicere de qualibet alia gente, quòd Deus exiuit de illa, vel transiuit per terram eius. Item dicitur in litera, quòd cùm Deus exiret de Seir terra mota est, & sic referuntur ista ad idem tempus, sed Deus nõ dimisit Idumæos in errore suo tunc quando Iudæis dedit legem, se ab æterno dimiserat eos in errore, vel saltem à principio gentis illius, cùm nunquam eis lumen cognitionis suæ ostenderit: ergo non est dicendum, quòd tunc quando exiuit de Seir terra mota est. Patet quia actus Dei circa nos non sunt ab æterno, sed non facere ab æterno est sicut apud nos propositiones negatiuæ sunt ab æterno veræ, scilicet, sortem non cucurrisse hodie, vel non fuisse Episcopum ab æterno est: & tamen si Episcopus fuit eum fuisse Episcopum non est ab æterno: ita Deum illuminare gentem aliquam, vel dare ei legem ex tempore est, sed non illuminare, vel non dare legem est ex æterno: ergo à principio Deus dimiserat Idumæos, & non tunc cùm mota est terra in monte Sinai. Huic modo loquendi consonat scriptura Malach. primo ad Romanos nono, scilicet antequam quicquam boni vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Dilectio autem Dei ad Iacob quantum ad propositum mentis diuinæ fuit ab æaerno, ideo dicitur: antequam quicquam boni, vel mali ageret: benefacere tamen Iacob ℘ erat actus dilectionis ex tempore fuit: odium verò ad Esau quantum ad propositum diuinæ mentis ab æterno fuit, scilicet, antequam Esau malum faceret, & quia ad deserendum eum non requiritur aliquis actus positiuus ex tempore, manet desertio ab æterno sicut diximus de proportione negatiua, quæ ab æterno est vera. Aliter exponit literam Rabbi Dauid Kimhi de bellis dicens, quòd fuerunt facta bella apud montes Seir, & tunc dicitur terra mota à facie domini, & distillasse montes, quia Deus ostendit aliqua mirabilia super montes illos. Sed etiam istud non multum applicatur, quia non apparent bella hic facta, nec mirabilia in bellis. Aliter exponit Andreas, scilicet, quòd in hoc innuitur habitudo gloriæ Dei ad res irrationales, scilicet, quando Deus transibat per desertum præcedens Israelitas, montes illi, terra quasi honorantes gloriam Dei moti sunt, & tremuerunt, & istud fuit quando transiuit apud montes Seir, quia in deserto per quod transierunt Israelitæ erant montes Seir, vt patet Num. 21. & Deut. 2. & ista expositio est valde conueniens. Nam necesse est hic fieri metaphoram, quia aliàs non staret quòd montes fluerent, id est, liquefierent, sicut illud: montes distillabunt dulcedinem: & illud, quòd valles abundabunt frumento, & hymnum dicent. Et tunc est sensus quòd Debbora velit hic ostendere gloriam magnam Dei, quia non solùm res rationales ei reuerentur, sed etiam res inanimatæ vt terra, & montes, & dicetur. *Domine cum exires de Seir.* Deus non exit, nec intrat in aliquem locum, quia cœlum, & terram implet, Ierem. 23. Etiam quia Deus moueri non potest: ergo non exit, Malach. 3. & Iacobi 1. sed dicebatur exire, quia Israelitæ mouebantnr per desertum, & credebant Deum præcedere eos ad omnia loca, ad quæ debebant moueri: vnde quando mouebantur castra, dicebat Moyses: Surge domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Et cum castra figerentur dicebat: Reuertere domine ad multitudinẽ

Fabula Rab. Salom. de Thabor & Hermõ.

B

C

Iudæorum cõmentũ.

D

Expositio Nicol. & aliorũ doctor.

Rabbi Dauid Kimhi expositio litera.

F

Andr. expositio litera.

exercitus

A

xercitus Iſrael; vt patet Nu. 10. Iſtud autem dicebat, quando mouebatur, & deponebatur arca, eo quòd in ea credebatur Deus habitare, de quo dictum eſt Exo. 25. cap. & hoc modo exibat Deus, & tranſibant Iſraelitæ, tranſierunt autẽ Iſraelitæ in circuitu montis Seir: nam dicitur Deut. 2. circuiuimus montem Seir longo tempore, poſtea autẽ introierunt in terram Seir, vt patet ibidem cùm dicitur: concede nobis tranſitũ, ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir. Et iterum: Cumque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitant in Seir per viam campeſtrem, ideo tunc Deus exiuit de Seir. *Et tranſires per regiones Edom.* Eadem ſententia eſt, quia filij Edom & Seir ſunt idem. ſic etiam de regionibus Seir, & Edom: tranſierunt autem Iſraelitæ & Deus cùm eis per regiones Edom, ſed modicum: nam cum eſſent apud Cadeſbarne non conceſſit rex Edom Iſraelitis tranſitum in terram Chanaan per terram ſuam, vt patet Num. 20. Ideo coacti ſunt Iſraelitæ circuire montem Seir longo tempore Deut. 2. quouſque tæderet eos itineris, & laboris, Num. 21. & tunc conceſſerunt introitum Idumęi in quandam partem extremam terræ ſuæ, quæ eſt deſerta, vt patet Deut. 2. Scilicet cumq; tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitant in Seir per viam campeſtrem de Helath, & Aſiongaber.

ß *Andr. Nic. & omniũ litera expoſitio.*

Terra mota eſt. Andreas, & Nicolaus & omnes ferè referunt omnes iſtas clauſulas ad montem Sinai, ſcilicet, terra mota eſt in monte Sinai, cœli ac nubes diſtillauerunt aqua ſcilicet in monte Sinai. Motiuum autem eorum eſt, quia non reperiunt aliquid, ad quòd applicent hæc niſi ad montem Sinai. Sed iſta expoſitio non ſatis ſtat. Primò quia dicitur hic, domine cum exires de Seir terra mota eſt, ergo oportet quòd iſtud ſaltem de motu terræ referatur ad tempus, quo exiuit Deus cum Iſraelitis de monte Seir, & tamen Iſraelitę fuerunt in monte Seir 40. annis poſtquam facta ſunt illa, quæ dicuntur in Sinai, ergo non pertinent ad idem. Patet antecedens, quia Iſraelitæ ſteterũt in deſerto Sinai tertio menſe poſt exitum de Ægypto, & tamen in monte Seir non ſteterunt vſq; ad medietatem, vel amplius anni 40. nam Aaron mortuus eſt in monte Hor. Num. 20. & poſt hoc ſteterunt Iſraelitæ in terra Seir Num. 21. & tamen Aaron mortuus eſt menſe 5. anni 40. ab exitu de Ægypto, vt patet Numeri 33. cap. Item non ſtat iſta poſitio, quia in litera dicitur, & Sinai à facie domini Iſrael, & hoc ponitur poſt omnia, ergo ponitur tanquã diuerſum ab alijs, alioquin ſuperfluè poneretur. Item quia ponitur ibi &, quæ facit diuerſitatem in copulatis: ergo diuerſa ſunt, quæ enarrantur hic. Exponendum ergo eſt, quòd referantur iſta ad diuerſa tempora, ſcilicet, terra mota eſt cùm Deus exiuit de regione Seir, quia realiter ſic factum eſt: Nam quando Iſraelitę intrare debuerunt in terram duorum regum Amorrhæorum per anguſtum introitum inter duos ſcopulos, erant multi Amorrhæi latentes in cauernoſitatibus ſcopulorũ, vt occiderent omnes Iſraelitas tranſeuntes, & prohiberent tranſitum Deus autem inclinauit ſcopulos vſque ad terram, & oppreſſi ſunt ibi omnes Amorrhæi, vt patet Numeri vigeſimoprimo, cùm dicitur: vnde dicitur in libro bellorum Domini, ſicut fecit in mari rubro, ita faciet in torrentibus Arnon: ſcopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Mobitarum. Iſtud miraculum de terræ motu accidit quando exierunt Iſraelitæ de terra Seir: nam parum poſt exitum de terra Seir venerunt ad torrentem Arnon, vbi hoc fuit, quia iſta vicina ſunt, vt patet Deuteronomij ſecundo, & Numeri vigeſimo primo, & ibidem declaratum eſt. *Cœli ac nubes ſtillauerunt aqua.* Iſtud refertur ad aliud miraculum, quod factum eſt, quando nondum exierat Deus de Seir, ſed dum tranſiret per regiones Edom, id eſt dum ambularet in circuitu illarũ regionum: & forte intra ipſam terram Edom: nam cum Iſraelitæ non potuiſſent habere tranſitũ per terram Seir apud Cadeſbarne cœperunt circuire montem Seir longo tempore, in quo cœpit populum tædere itineris & laboris, & murmurauerunt Numeri vigeſimo primo, tunc miſit Deus in populũm ignitos ſerpentes, & peribat populus: deinde factus eſt ſerpens æneus, ad cuius aſpectum ſanabantur vulnerati. Hoc autem fuit inſigne miraculum, & fuit intra terram Edom, vel in circuitu illius. De hoc autem cœli & terra mirati ſunt, quia hoc inſolitum erat, ideo ponitur actus ipſorum ad ſignificandum quendam motum admirationis per

C

Methaphoram, ſcilicet. *Cœli ac nubes ſtillauerunt aqua.* Scilicet quòd cœli fecerunt conuerti nubes in aquam, & ſic diſtillabant. *Montes fluxerunt à facie Domini.* Id eſt, montes præ admiratione tanti miraculi in conſpectu domini, qui videbatur eſſe præſens per operationem miraculi, fluxerunt, id eſt, liquefacti ſunt. *Et Sinai à facie Domini Iſrael.* Id eſt, etiam Sinai fluxit, vel liquefactus eſt à facie domini non potens ſuſtinere conſpectum gloriæ eius intelligendo per metaphoram. Hoc autem fuit, quia in datione legis apparuit gloria domini ſuper montem, vt dicitur Exod. decimonono cap. ſcilicet iam aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat, totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: eratque mons omnis terribilis. Alio modo poteſt exponi tota iſta litera de adminatione, & tremore gentium habitantium circa deſertum, per quod tranſibant Iudæi: & eſt ſenſus, quòd quando Deus tranſibat per deſertum coram Iſraelitis, gentes, quæ in circuitu habitabant, cognoſcentes miracula, quæ Deus faciebat pro Iſraelitis, & quomodo nubes ſua præcedebat eos per diem, quod columna ignis per noctem omni tempore, timebant, quòd Deus Iſrael vellet conterere eos, & turbabantur nimis: ſic patet Exod. decimo quinto, quando audierunt gentes tranſitum Iſraelitarũ per mare, ſcil. Aſcenderunt populi, & irati ſun dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm: tunc turbati ſunt principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor, & obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Sic etiam patet Ioſue 2. cùm dixit Raab exploratoribus: Noui quòd tradiderit dominus vobis terram, etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus, quòd ſiccauerit dominus aquas maris ad introitum veſtrum, & hoc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, & non remanſit in nobis ſpiritus. Iſte autem terror populorum ſignificatur hic per terræ motum, & per cœlum, & nubes diſtillantes, monteſque fluentes. Et fuit iſtud quando Deus exiuit de Seir, quia per miracula tunc facta timebant habitatores terræ. Iſta ſententia aliqualiter poteſt ſtare, ſed melior eſt præcedens, ſcil. quia ſi diceretur hic ſolùm de montibus, & terra generaliter poſſent intelligi habitatores terræ, & potentes principes, tamen nominatur etiam ibi Sinai, ideo oportet, quòd ſpecialiter referatur hoc ad montes, & terrã, ſiue realiter, ſiue ſecundum metapboram. In Hebræo dicitur: *Et Sinai arſit à facie Dei Iſrael.* Vbi nos dicimus, & Sinai à facie Dei: quia deficit verbum apud nos, & eſt ſenſus, quòd montes fluxernnt à conſpectu Dei, & etiam Sinai fluxit à facie Dei. Secundum literam Hebraicam eſt ſenſus, quòd arſit; ſcilicet quia apparuit ignis ſuper eum in datione legis Exo. decimo nono, & Deuteronomij quinto, & non ſolùm tunc, ſed etiam quadraginta diebus poſt quando aſcendit Moyſes in monte Sinai pro tabulis, & toto tempore ſequenti quandiu manſerũt Iſraelitę ibi apparuit gloria domini in ſpecie ignis ſuper montem, ita vt videretur ardere, Exo. vigeſimo quarto cap. *In diebus Samgar.* Hic ponitur ſecunda ratio, vel motiuum ad laudandum Deum, ſcilicet, pro liberatione, licèt imperfecta, quæ fuit tempore Samgar, & dicitur. *In diebus samgar filij Anath.* Iſte fuit tertius Iudex Iſrael, & de quo ſupra tertio capit. *Et in diebus Iahel.* Iſta fuit, quæ occidit Siſaram. Et non eſt intelligendum, quòd ſub Iahel computetur aliquod tempus, quia ſolùm computabatur tempus ſub iudicibus, cùm illi præſiderent populo, Iahel autem non fuit iudex, ſed dicitur. *In diebus Iahel.* Id eſt, dum ipſa vixit, & tamen dies illi non computabantur ſub ea, ſed ſub iudicibus, ſcilicet, Aod, & Barac: ſub Samgar autem computari tempus debuiſſet, quia erat iudex, quia tamen fuit paucum tempus, non curauit de illo ſcriptura, ſed adiunxit temporibus Barac, & dicitur. *In diebus Iahel.* Scilicet non poſtquam occidit Siſaram, quia tunc non ceſſabant ſemitæ vt infra dicitur: ſed intelligitur de diebus Iahel, ante mortem Siſaræ ceſſauerunt ſemitæ, id eſt non audebant Iſraelitæ, publicè ambulare per vias, niſi eſſent multi ſimul propter timorem hoſtium.

D

E

F

Secundum motiuũ ad laudandũ Deum.

Quomodo in diebus Samgar non erat tutum per vias incedere.

QVÆSTIO III.

QVÆRET aliquis, quomodo in diebus Samgar non erat ſecurum incedere per vias: nam ipſe erat vir fortiſſimus, & ipſe occidit ſexcentos de Philiſthijm vomere, & dicitur quòd ipſe defendit Iſrael ſupra tertio capit. Reſpondetur, quòd Samgar non fecit ſalutem plenam in Iſrael, quia ſolùm defendit populum à Philiſthinis, qui tunc inuadebant Iſraelitas, quia illi erant pauci, & impotentes: rex tamen Iabin tunc premebat Iſraelitas, & per viginti annos oppreſſit: fuitque tempus Samgar dum eſſet Iabin: tamen non potuit ſaluare de manu Iabin: ideo licèt ſaluaſſet de manu Philiſthinorum egrediebantur oppreſſores de terra regis Iabin, & obſidebant vias: ideo non audebant Iſraelitæ incedere per vias, niſi multi eſſent ſimul, & ſic ſemitæ, quæ olim tempore pacis erant vſitatæ, nunc ceſſabant. *Et qui ingrediebantur per eas.* Id eſt, qui ſolebant alio tempore incedere per iſtas vias. *Ambulauerunt per calles deuios.* Id eſt, per itinera recurua, ſcilicet omnia itinera publica erant obſeſſa, ideo non relinquebantur niſi quædã viæ paruæ per ſyluas, & montes: & iſtæ erant deuiæ, & circueuntes terram. Vel ambulabant Iſraelitæ per loca inuia, & in hoc vt declinarent loca periculoſa latronum cogebantur circuire hincinde. *Ceſſauerunt fortes in Iſrael.* Scilicet ceſſauerunt à bello, quia quanquam fortes eſſent, propter multitudinem, & rationem hoſtium non audebant pugnare contra eos. Vel ceſſauerunt fortes, ſcil. ab itineribus, quia etiam viri fortes non audebant publicè per vias ambulare. *Et quieuerunt.* Scilicet ceſſando ab omnibus operibus, quæ ſunt ingrediendo de loco ad locum propter timorem hoſtium: iſta autem omnia dicuntur ad ſignificandum magnitudinem victoriæ tempore Barac, cùm fortes temporis præcedentis non auſi fuiſſent propter timorem Iabin publicè ambulare per vias. *Donec ſurgeret Debbora.* Scilicet quia ipſa nunciauit Barac ex parte Dei, quòd acciperet decem millia virorum contra Siſaram: & non dicitur: Donec ſurgeret, id eſt, donec eſſet, quia etiam ea iudicante Iſrael, premebantur Iſraelitæ, quia ipſa præceſſit per aliquod tempus ad victoriam habitam de Siſara, & ſemper premebantur vſque ad mortem Siſaræ: ideo intelligitur. *Donec ſurgeret.* Scilicet ad dicendum Barac, quòd pugnaret contra Siſaram. *Surgeret mater in Iſrael.* Id eſt ſurgeret mulier: eſt repetitio ſententiæ ſicut ſæpe fit in iſto cantico. Accipitur hic mater abſolute pro muliere, & non pro habente filios, ſicut filius, vel filia, & nurus ſæpe accipiuntur abſolutè, vt patet Cantic. ſecundo. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Et ibidem: Sicut inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios: & tamen hic neceſſe eſt, quòd accipiatur abſolute, quia non ponitur ad quid referatur, & ſic vulgariter dicimus: tu es bonus filius, id eſt bonus iuuenis, vel bona filia, id eſt bona fœmina.

Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit. Clypeus, & haſta ſi apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael. Cor meum diligit principes Iſrael: quia propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini. Vbi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur iuſtitiæ domini, & clementia in fortes Iſrael. Tunc deſcendit populus domini ad portas, & obtinuit principatum. Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: Surge Barac, & apprehende captiuos tuos filij Abinoem. Saluatæ ſunt reliquiæ populi. Dominus in fortibus dimicauit. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos ò Amalec: de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum. Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti. Qui quaſi in præceps, ac baratrum ſe diſcrimini dedit: diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum rerperta eſt contentio. Quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos gregum? diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum reperta eſt contentio. Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus. Aſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur. Zabulon verò, & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome. Veneruut reges, & pugnauerunt, pugnauerunt reges Chanaan in Achan iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.

Fabulæ hoc tẽpore primum inuentæ.

Noua bella. Hic ponitur tertia ratio, vel motiuum ad laudandum dominũ, ſcil. quia fecit mirabilia bella, & conſummatam victoriam. Et agit duo, quia primò ponuntur bella præſentia, ſecundò bella præterita ibi. *Dominus in fortibus.* Circa primum dicitur: *Noua bella elegit Dominus.* Scilicet, faciendo, quòd magnus exercitus vinceretur per fœminam: nam Iahel occidit Siſaram principem magnæ militiæ, & hoc hactenus inauditum fuerat, ideo noua bella fuerunt hæc: vel vocantur noua bella, ſcilicet quia Deus illa fecit mirabiliter pugnando de cœlo, vt infra dicitur: & huic ſenſui conſonat litera ſequens, ſcilicet. *Portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Id eſt non fuit bellum iſtud hominum, ſed Dei, quia ipſe ſubuertit portas hoſtium, ſcilicet, quia Iſraelitæ non ſolùm nunc vicerunt in campo, ſed etiam pugnabant poſtea contra vros terræ Iabin obſidendo vrbes, & frangebant portas. Nam occiſo Siſara, cùm ſæpe poſtea Iſraelitæ pugnarent contra terram regis Iabin ſemel ducerunt ſub duce Barac exercitũ contra vrbem Aſor, & obuium ſibi regem Iabin cum multo exercitu interfecit: ciuitatem ſunditus diruens, vt ait Ioſephus quinto antiquitatum, & hiſtoria ſcholaſtica. Et hoc eſt quod dicitur præcedenti capitu. Humiliauit Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filijs Iſrael, qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin, donec delerẽt eum, id eſt occiderent. In Hebræo dicitur hoc. *Elegit Deos nouos tunc ſubuertit portas.* Et exponit hoc Rabbi Salomon, & Hæbræi, quòd Iſraelitæ elegerunt Deos nouos, ſcilicet Baalim, Aſtaroth ſupra ſecundo, & tertio. Et ob hoc Deus faciebat, quòd hoſtes pugnarent vſque ad portas Hebræorum, & ſubuerterent eas. Sed iſta ſententia non coaptatur literæ, quia iſta innuit pœnam Iſraelitarum: hic tamen agitur de victoria, & bonis, quæ Deus eis conferebat, ideo conuenientius expoſuit litera noſtra literam Hebræam, quæ Barbara eſt, & extrahitur ſenſus literæ noſtræ de Hebræa ſic, quia dicitur in Hebræo: elegit nouos Deos, vbi ponitur nomen Dei indifferens ad ſingulare, & plurale, ſcilicet, Edom quod plurale eſt quantũ ad declinationem, & tamen in ſenſu eſt ſingulare: ſic patet Gen. primo, vbi ſuper ponitur Eloim pluraliter, vbi litera noſtra transfert Deus ſingulare, & Hebrei ſic ſuper exponunt: Elegit autẽ in Hebræo eſt ſingulare, ideo litera noſtra dixit Deus elegit, & quia in Hebræo ponitur nomen ſignificans nouitatẽ in plurali, quia ſignificat nouas res, ac ſi dicatur, Deus elegit noua. Litera noſtra ad magis exprimendam addidit bella, cum hic debello agatur. Alia clauſula, ſcilicet. Tunc ſubuertit portas hoſtium, planior eſt: quia eadẽ eſt in Hebræo, & Latino: & debet referri ad Deum, qui ſubuertit portas hoſtiũ. *Clypeus, & haſta ſi apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael.* Quidam Hebrei exponunt literã iſtã dicentes: clypeus, & haſta ſi apparuerunt in Iſrael, id eſt in decem millibus Iſrael, qui iuerunt de Zabulon, & Nephthalim cum Barac. In quadraginta millibus, id eſt dato quòd eſſent quadraginta millia hoſtiũ pugnantium contra Iſrael cum Siſara. Et eſt ſenſus, quòd nullus de decem millibus euntibus cum Barac habuit gladium aut lanceam, vel clypeum. Sed iſta ſententia nimis errat. Primò quia eſt nimis aliena, cùm ponuntur quadraginta millia Iſrael, & exponuntur pro decem millibus per quaſdam interpoſitiones nimis extraneas. Secundo, quia videtur falſum, quòd cum Siſara ſolùm fuerint quadraginta millia virorum pugnatorum: nam potentia iſtius regis Iabin apud Iudæos reputabatur ſicut infinita, & ob hoc non ſe audebant ei opponere: ſi tamen eſſent ſolùm 40. millia pugnatorum inter equites, & pedites, non eſſet valde magna multitudo: maximè quia Ioſephus 5. antiquitatum

Tertia motiua ad laudandum dominum ex tel.

Ioſep. li. 5. antiquit.

A antiquitatum dicit, quòd erant trecenta millia pugnatorum & decem millia equitum, & tria millia curruum. Tertio videtur falsum, quòd omnes, qui iuerint cum Barac fuerint inermes ad bellum, scilicet, quòd non habebant lanceam, nec clypeum: non est enim vllatenus verisimile, quòd penitus inermes irent ad bellum. Aliter exponit literam istam litera chaldaica & quidam Hebræi, scilicet, clypeus, & hasta si apparuerunt in 40. millibus Israel, id est, nullo tempore, quo premebantur Israelitæ à Iabin etiam si essent 40. millia de Israel simul non audebant pugnare contra viros Iabin, nec etiam audebant pugnare contra eos dato quòd vellent: quia non habebant clypeum nec hastam. Sed etiam istud non conuenit, quia nō adaptatur ad sententiam, quæ signat releuationem Iudæorum, & victoriam, & nō depressionem. Nicolaus, & nostri exponunt clypeus, & hasta si apparuerunt, id est, non apparuerunt in 40. millibus Israel, id est in 40. millibus, qui cùm Barac iuerunt. Tunc autem obijcitur, quòd solum fuerunt decem millia, vt patet præcedenti cap. Respondet Nicolaus, quòd quanquam à principio solùm elegit Barac decem millia: tamen incipiendo bello, & iam incepto aggregati sunt alij 30. millia: & isti non habebant lanceam, aut hastam. Litera Chaldaica exponit clypeus, & hasta & cætera, id est Israelitæ timebant regem Iabin, ideo etiam 40. millia de alijs non audebant pugnare contra Israel,
B & dato quod vellent pugnare non habebant lanceā, nec clypeum. Sed videtur dicendum quòd sensus literæ est, quod Debbora laudet istud bellū, quia erat factum à malè armatis, & quasi inermibus contra armatos valde: nam exercitus Sisaræ erat valde munitus apparatu bellico, scilicet in curribus, & equis, & omnibus armaturis 40. millia autem Israelitarum id est, tota multitudo Israel (Nam ponitur numerus determinatus pro indeterminato) erat inermis, ita quòd vix apparebat inter eos gladius, lancea, vel clypeus. Sed aliquis dicet, hoc non esse verisimile, quia quomodo inermes irent ad bellum? Respondendum quòd fundis vtebantur ad bellum, & alijs generibus leuis armaturæ deficientibus clypeo, & hasta & etiam his deficientibus cōfidentes de Dei adiutorio procedebant ad bellū: sic patet in bello Saulis cōtra Philisthinos: nam cùm venisset dies belli dicitur quòd nō inuentus ensis aut lancea in manu totius populi, nisi in manu Saulis, & Ionathæ: Primo Regum 13. cap. Et tamen intrepidè incesserunt tunc Israelitæ ad bellum: eodem lib. 14. *Cor meum diligit principes Israel.* Scilicet principes illos, qui iuerūt ad bellum. Congratulatur enim eis Debbora, quòd de solo Deo confisi exposuerunt se morti procedentes ad bellum. *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini.* Id est periculo bellico. Dicit propria voluntate, quia multi iuerunt, quibus non iussit Barac: nam ipse solum elegit decem millia, & tamen plures postea sponte iuerunt, & illi, qui ire iussi sunt, sponte iuerunt, *Benedicite Domino.* Id est, laudate eum, scilicet, quia eripuit vos de periculo, cùm pugnaretis pauci, & inermes contra numerosum exercitum, & valde munitum: & hoc dicitur ad illos solum, qui se obtulerunt de crimini, vel saltem principaliter, quia licèt alij manentes in locis suis deberent benedicere Deo de liberatione de manu hostium, cùm premerentur ante hoc ab eis: tamen illi, qui iuerunt ad bellum, liberati sunt à maiori malo, scilicet, a morte. *Qui ascenditis super nitentes asinos.* Hic inducuntur ad benedicendum domino minus principaliter illi qui nō iuerunt ad bellum, recipiebant tamen beneficium libertatis mortuo Sisara: & dicitur: qui ascenditis super asinos nitentes, id est, pulchros vel lucidos aut pingues. In Hebræo dicitur. *Super asinas albas.* Et idem est, quia lucidus & albus, vel nitens idem significant, & non dicuntur nitentes, id est, fortes de nitor, eris: sed nitentes, id est, lucidi, vel albi de niteo nites, id est luceo: Est sensus, tempore Sisaræ non audebant Israelitæ per terram Israel discurrere, vt patet supra in litera, scilicet cessauerunt semitæ, & qui ambulauerunt per eas, ingressi sunt calles deuios, cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt, donec surgeret Debbora, & si aliquando debebant Israelitæ transire per vias publicas, oporteoat quòd equitarent super velocissimos equos, vt hostes non possent eos in cursu consequi; nunc autem data pace poterant Israelitæ securè ambulare per totam terram suam, etiā equitando super asinas, quæ sunt animalia pigerrima ad cursum, ideo vos qui

C *Quare dicatur propria voluntate obtulistis vos discrimini.*

equitatis super asinas albas, scilicet, propter magnam securitatem terræ: & non consueueratis hoc prius facere benedicite domino. *Et sedetis in iudicio.* In Hebræo habetur. *In domo iudicij.* Scilicet, erat vna domus magna, in qua erat consistorium iudicium. Et pro quo sciendum, quod sicut declaratum est, Nu. 11. & Deu. decimo septimo, in Israel ponebantur iudices per singula loca de viris illius tribus, & assistebant cuilibet iudicio duo Leuitæ, quia Leuitæ erant eruditi in lege quantum ad iudicia, & isti iudicabant in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus, vt patet Deuteronomij decimo septimo, scilicet inter causam, & causam, lepram & lepram, sanguinem & sanguinem. Sanguis tamen signat causam criminalem, quæ est causa sanguinis. Supra istos iudices erant alij iudices, quia erant numerati septuaginta, scil. & erant succedentes illis septuaginta senioribus, quos accepit Moyses in coadiutores in deserto: Num. vndecimo, & princeps horum erat summus sacerdos: hi omnes erant in vno loco, & ille vocabatur domus iudicij, ad quam deuoluebantur causæ Israelitarum dupliciter, scilicet, per modum dubij, vel per modum appellationis: & ista duo tanguntur Deuteron. decimo septimo. Si ambiguum, & difficile iudicium repereris inter portas tuas. Ambiguum iudicium est cùm iudices inter se non concordabant, aut non erant certi de iure, & tunc ipsi deuoluebant causam, aut de consensu eorum partes deuoluebant illud ad dominum iudicij ferentes illuc omnia acta prioris iudicij. Difficilè iudicium vocatur aggrauatorium, scilicet quando sententia continebat grauamen: nam tunc per appellationem deuoluebatur ad domum iudicij. Isti iudices erant in quodam loco, & sedebant vt communiter in publico: & nunc cum erat viuens Sisara non erant isti in domo iudicij, & hoc quia non audebant sedere in locis publicis: & potissimè quia, licèt ipsi in domo consilij manerent siue iudicij, tamen nullus veniebat ad ventilandum coram eis causas, eo quòd cessauerunt semitæ in Israel, vt patet præcedenti capitu. ideo vacabat officium iudicum: deinde mortuo Sisara, & data tranquillitate multa ad causas confluebant, & sedebant iam iudices in domo iudicij: ideo benedicere Deo debebant, qui eis tale tempus præstiterat. Si autem dicatur, qui sedetis in iudicio: sicut dicit litera nostra, potest intelligi tam de domo consilij quàm de iudicibus particularibus existentibus per singula loca: nam isti consueuerant sedere in portis ciuitatis, quia erant loca publica, vt omnium transeuntium causas audirent, & faciliter determinarent, vt colligitur Deutero. decimoseptimo, scilicet, & iudicum videris intra portas tuas verba variari, id est, si videris variari verba iudicum, qui in portis sedent. Idem patet Ruth quarto capit. vbi cum Booz vellet tractare cum consanguineo suo de iure cognationis,, ad suscipiendam hæreditatem, iuit ad portam ciuitatis, & ibi sederunt decem viri audientes de causa. Tempore autem Sisarę nō audebant sedere iudices in portis timore hostium, & nunc audebant occiso illo: ideo deberent benedicere Deo. *Et ambulatis in viam.* Id est, omnes, qui iam ambulatis per vias benedicite Deo, qui hoc vobis tribuit: nam paulo ante hoc non audebat quisquam vestrum ambulare propter hostes. Nam cessauerunt semitę, & ambulauerunt per calles deuios præcedenti capitu. *Loquimini vbi collisi sunt currus.* Id est vos omnes laudate Dominum & proferte magnalia eius, scilicet, vbi collisi sunt currus, scil. Sisaræ quos ipse confregit: nam de cœlo dimicatū est, & timore magno fugiebant equi per abrubta, & frangebantur currus. *Vbi hostium suffocatus est exercitus.* Istud fuit ad torrentē Cison, & Cadumin apud quos fuit bellum, vt patet præced. cap. nam dicitur, quòd Sisara congregauit exercitum apud torrentem Cison, & Dominus dixerat Barac: ego ducam ad te in locum torrentis Cison Sisaram, & omnem exercitum eius, vt tradam eos in manus tuas: postea cum fugerent viri Sisaræ, coacti sunt transire per torrentē Cison, & Cadumin, & ibi suffocati sunt, patet infra in litera, scilicet, torrens Cison contraxit cadauera eorū: torrens Cadumin, & torrens Cison. *Ibi narrentur iustitiæ Domini.* Id est, in loco vbi hæc facta sunt narrentur: dicendo Deus fecit hic talia, & talia miracula, & istud est ad exaltationem Dei. Vocantur iustitiæ Dei, quia Deus iustè se habuit occidendo Sisaram, & exercitū eius, quia isti erant iniqui & merebant mortē hanc. *Et clementia in sortes in Israel.* Id est, ibi narretur clementia,

D

De iudicibus Israelitici populi.

E

F

A quam Deus habuit in fortes Iſrael: in eodē enim facto Deus fuit iuſtus, id eſt rigoroſus, & clemens: iuſtus quidem, quia nocentes pro qualitate culparū puniuit: clemens autē erga Iſraelitas, quia ex ſola miſericordia adiuuit eos, ipſi autē nō merebantur adiuuari cum ſæpe offendiſſent Deum. In Hebræo habetur. *A voce ſagittantium, vel frangentium haurientium aquas iuſtitia Domini in Iſrael.* Et iſtud eſt loco totius clauſulæ noſtræ, ſcilicet. *Vbi colliſi ſunt currus.* Vſque. *Clementia in fortes Iſrael.* Et Hebræi dicunt, quòd eſt ſenſus, ꝙ tempore Siſaræ Iſraelitæ non audebant egredi de vrbibus ad hauriendū aquam. Sagittarij erant in circuitu ciuitatū, & vulnerabant haurientes aquā, & tunc eſt ſenſus: illi, qui ſolebant haurire aquā in medio ſagittantium, & ponebant ſe in periculo laudent Deum, & enarrant iuſtitias eius, quia dedit eis locum hauriendi aquam ſecurè. Sed iſta litera idem ſignificat, quod litera noſtra ſi recipiatur, ſed noſtra accepit ſenſum ex ſenſu, quia iſtud idioma Hebraicū eſt Barbaricū, & dicitur à voce ſagittantium, vel frangentium. Terminus hic poſitus propriè ſignificat frangentes, & ſignificat voces, vel ſtrepitus fractorum curuum, ſcil. ibi vbi fractorū curruū audiebatur ſonitus laudentur mirabilia Dei. *In medio haurientium aquas.* Terminus hic poſitus ſignificat haurire aquas, vel ſubmergi in aquis, & eſt ſenſus in medio ſubmerſorū, id eſt in loco, vbi ſubmergebantur hoſtes narrentur mirabilia Dei. *Iuſtitia Domini in Iſrael.* Id eſt, narretur Iuſtitia domini. Hic autem ſupleuit litera noſtra dicens iuſtitiam, & clementiam: iuſtitiam ad hoſtes, & clementiam ad fortes Iſrael. Vocantur autem fortes illi, qui ſponte iuerunt in bellum: nam fortitudo eſt medietas circa timores, & audacias, & eſt ſecundum quam homo confidenter, & impauidè exponit ſe terribilibus: iſti autem, qui iuerunt ad bellum expoſuerunt ſe diſcrimini, & hoc ſponte, ideo fortes ſunt. Hoc patet in litera. *Tunc deſcendit populus Domini ad portas.* Id eſt, quando mortuus eſt Siſara. *Populus domini.* Id eſt populus Iſrael. *Deſcendit ad portas.* Id eſt vſq; ad portas hoſtiū: nam perſecuti ſunt Iſraelitæ cum Barac exercitū Siſaræ fugientē vſq; ad Haroſeth gentiū, vt præced. cap. & tamen Siſara habitabat in Haroſeth gentiū, vt patet eodem cap. Etiam intelligitur de tēporibus ſequentibus: nam cum ſemel obtinuiſſent Iſraelitæ in bello contra Siſaram pugnabant quotidie contra Iabin, & obtinebant loca de terra eius. Sic patet præced. cap. ſcil. Humiliauit ergo Deus in die illa regem Iabin coram filijs Iſrael, qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan. *Et obtinuit principatum.* Non habetur iſtud in Hebræo. Et eſt ſenſus, quòd tunc quando deſcendit ad pugnandum contra hoſtes, obtinuit principatum, ſcil. quia ante hoc erant Iſraelitæ ſubiecti Chananæis: nunc autē obtinuerunt principatū, quia prævaluerunt contra Iabin, & occiderunt eum, vt ait Ioſephus quinto antiquitatum, & obtinuerunt terram. *Surge Debbora.* Iſta eſt excitatio ad laudandū Deum, & incitat ſeipſam Debbora dicens, *Surge Debbora.* Id eſt, incipe cantare vel confortare in cantu, quē cœpiſti, *Surge Barac.* Incitat Barac ad canendū, quia ipſi fuerat facta magna miſericordia Dei, cùm eum tanti exercitus principem fecerit, & tam fœlices triumphos tribuerit. Rabbi Salomon exponit literā iſtam dicens, quòd iſta erant verba Iſraelitarū ad Debbora ad canendū, quia ſpiritus propheticus receſſit ab ea, ea quod gloriata fuerat dicens: ceſſauerant fortes, & quieuerunt, donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſrael: cunq; Iudæi viderent eam nō poſſe quicquam dicere, hortati ſunt Barac, vt caneret, dicentes: Surge Barac, id eſt incipe canere. Sed fabula eſt hæc, quia manifeſtum eſt, quòd totum quod ponitur hic eſt canticū Debboræ, & ſi diceremus, quòd iſta dixit populus, oportet etiā, quòd diceremus omnia ſequentia eſſe verba populi, quia omnia ſunt in eodem contextu, & modus loquendi eſt continuatus. *Surge Barac.* Repetitur verbum ad maiorē immutationem. *Loquere canticum.* Id eſt profer verba cantici in laudē Dei. *Apprehende captiuos tuos fily Abinoen.* Eadem ſententia eſt repetita: nam Barac, & filius Abinoen idem ſunt, ſicut ſæpe eadem ſententia, per diuerſa verba repetitur, vt cum dicitur ſecundo Reg. 20. non eſt nobis pax in Dauid, nec hæreditas filio Iſai. Item patet tertio Regum. 12. & tamen Dauid, & filius Iſai idem ſunt, & dicitur. *Apprehende captiuos.* Id eſt ea, quę e ſpolijs belli duxiſti.

B

C

Expoſitio Rab. Salom.

D

An licuit Barac aliquos captiuos ducere de bello contra Siſaram.

QVÆSTIO IV.

QVÆRET aliquis, an licuit Barac ducere aliquos captiuos de bello facto contra Siſaram. Aliquis reſpondebit, quòd non, quia Deus iuſſit Deuteronomij vigeſimo, quòd cum Chananæis non facerent Iſraelitæ aliquod pactū ad permittendum eos viuere poſtquam caperent, ſed omnes occiderent in ore gladij. Simile patet Numeri trigeſimo tertio, ſed iſti, qui veniebant cum Siſara erant Chananæi, quia Iabin, qui erat dominus horum vocatur rex Chanaan præcedenti capitu. ergo non licebat Barac ducere captiuos, ſed occidere tenebatur omnes. Reſponderi poteſt, quòd Barac captiuauit multos, & ſecum duxit. ſed non duxit, vt illius vitam concederet, ſed vt occideret in terra Iſrael: Deus autem non prohibuerat iſtud, ſed ſolùm eis dare vitam ſub aliqua conditione pacti, vel tributi. Alio modo dici poteſt, quòd iſti, qui captiui ducti ſunt, non erant Chananæi, ſed de alijs gentibus: quia forte in regno Iabin morabantur gentes aliarum nationum, quæ non erant de origine Chananæorum: & de illis poterat Barac captiuos ducere. Hoc autem veriſimile eſt potiſſimè de Haroſeth, quia vocatur illa ciuitas Haroſeth gentium præcedenti capit. vt omnes volunt, quia ibi erant gentes de multis nationibus, ſicut ad ciuitates celeberrimas conuenire ſolent. Vel tunc forte de extra regnum Iabin venerunt aliqui in auxilium eius, qui non erant de ſtirpe Chananæorum. Aliter poteſt dici, quòd hic accipiuntur largè captiui, id eſt, omnes res captę in bello, & iſta erant ſpolia, licèt non eſſet inter ea aliquis captiuus.

E

An Barac in ducendis Chananæis captiuis ad occidendum peccaret.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlterius, quia dictum eſt, quòd fortè ducebat Barac Chananæos aliquos ad occidendum eos ibi, an in hoc peccaret. Aliquis dicet quòd ſic, quia ſic Saul duxit regem Amalec nomine Agag de terra Amalec viuentem, & poſtea occidit eum Samuel primo Regum decimo quinto, & tamen Saul peccauit ducendo eum, & redarguitur, vt patet ibidem. Reſpondendum, quòd licuit hoc Barac, ſcil. ducere aliquos de Chananęis ad occidendum in terra Iſrael, quia id, quod ad Dei laudem fit, dum tamen nō ſit ab eo prohibitū, ſemper eſt licitum, poterat tamen hoc agere ad laudem Dei Barac, ſcil. vt populus Iſrael, qui non iuerant ad bellū videns hoſtes ſuos coram ſe occidi: de hoc laudaret Deum, & gauderet. Sic namque apud multas gentes conſuetum eſt: nam & Romani cum dabant alicui victori triumphū in vrbe in complemento feſtiuitatis occidebatur princeps hoſtium apud capitolium ſi potuiſſet capi viuens in bello ſic fuit in bello Iudaico cùm datus eſt triumphus Veſpaſiano, & Tito: nam Simon princeps ſeditioſorum in Ieruſalē viuens captus ad capitolū occiſus eſt, vt ait Ioſephus libro de bello Iudaico. Poterat quoque hoc facere ap tollendum Iſraelitis timorem Chananęorum, vt iam non timerent eos, cùm viderent coram ſe miſerabiliter occidi, ſic enim fecit Ioſue quando cœpit quinque Chananæos in ſpelunca vrbi, Maceda: nam educens illos, fecit quòd viri de exercitu ſuo ponerent pedes ſuper colla regum ad hoc, quòd iam non timerent illorum gentem: Ioſue decimo capitu. Sic etiam fecit Gedeon ad conuincendum perfidiam virorum Saccoth, qui dixerant ei: forſitan palmæ virorum Zebee, & Salmana in manu tua ſunt, & Gedeon captis illis in bello duxit eos in Soccoth ad conuincendum perfidiam virorum Saccoth, & ibi occidit Zebee, & Salmana, vt patet infra octauo capitu. ſic enim poterat Barac ex multis cauſis ducere aliquos de Chananæis captis in bello ad occidendum in terra Chanaan, vbi erant Iſraelitæ. Ad rationem in contrariū dicendum, Saul non peccauit ducendo Agag viuentem, ſed quia dux eum intentione dandi ei vitam, quod erat contra Dei iuſſum, ideo occidit eum Samuel: Barac autem

F

Romani ſolebant reges in bello captos poſt triumphū interficere.

Ad rationem in diuerſum.

ducebat

A ducebat iſtos animo occidendi eos in terra Iſrael. *Saluati ſunt reliquiæ populi.* Id eſt, ſaluatus eſt Iſrael de manib⁹ hoſtiũ. Vocantur autẽ reliquiæ populi, quia Chananæi occiderant aliquos de Iſraelitis in viginti annis, quibus oppreſſerũt eos, & reſidui nunc ſaluati ſunt. *Dominus id fortibus dimicauit.* Hic ponitur debellatio hoſtium præterita, & futura: enarrantur enim hic aliqua magnalia Dei incidentaliter ad incitandum in canticum: & dicitur. *Dominus in fortibus dimicauit.* Id eſt, adiuuit fortes Iſrael ad dimicandum contra hoſtes, & ipſe fecit bella eorum. In Hebræo habetur. *Dominus deſcendit mihi, vel fregit in fortibus.* Ideo ſignant, ſcilicet, dominus fregit mihi, id eſt ad vtilitatem meam, vel pro me, ſcilicet, fregit hoſtes noſtros: & hoc in fortibus, id eſt per fortes. *Ex Ephraim deleuit eos in Amalec.* Hic incipit enumerare bella, quæ Deus egit in fortibus Iſrael, & dicitur, quòd Deus deleuit eos, id eſt, hoſtes Iſrael in Amalec, ſcilicet, ipſos hoſtes, qui erant Amalechitæ: & hoc ex Ephraim, id eſt, ile fortis, qui fuit, per quem Deus deleuit Amalechitas fuit de Ephraim, id eſt de tribu Ephraim, ſcilicet Ioſue: nam Ioſue fuit primus, qui pugnauit contra Amalec quando Amalechitæ inuaſerunt Iſraelitas in Raphidi Exodi decimo ſemptimo. *Et poſt eum ex Beniamin in populos tuos Amalec.* Id eſt, quod poſtquam Ioſue pugnauit contra Amalec pugnauit etiam Saul, & eſt ſenſus:

B ô Amalec poſt eum, id eſt, poſt Ioſue, qui primo contra te pugnauit, ex Beniamin, in populos, id eſt, fuit quidam de Beniamin, qui pugnaret cõtra populos tuos, ſcil. Saul: nam Saul erat de tribu Beniamin primo Regum nono, & iſte deleuit Amalechitas primo Regum decimo quinto. In hebræo habetur. *Et Ephraim ſua radix in Amalec.* Et eſt ſenſus: ſua radix, id eſt, ſuum principium pugnandi in fortibus fuit ex Ephraim, ſcil. quia primus fortis de Iſrael, quem Deus ad pugnandum adiuuit fuit de Ephraim, ſcil. Ioſue, qui fuit de Ephraim & hic in Amalec, id eſt, cõtra Amalec, quia primũ bellum quod fecit Ioſue contra Amalechitas. Exod. decimo ſeptimo. Nam ante hoc non fuit aliquod bellum Hebræorũ contra aliquam gentem, & iſtud eſt quid dicitur Nume. 24. ſcilicet, principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur, id eſt, prima gens de gentibus, quæ pugnauerunt contra Iſrael fuit Amalec: & extrema huius perdentur, ſcilicet, quia ad extremum Saul deleuit gentem illam, & dicitur ſua radix, id eſt radix Dei, ſcilicet, quia dictum eſt dominus in fortibus dimicauit, & ſubditur, ex Ephraim ſua radix, id eſt principium bellorum quòd Deus fecit in fortibus pro Iſraelitis fuit ex Ephraim, ſcil. in Ioſue. Et iſtud, quòd dicit litera noſtra, ex Ephraim deleuit eos in Amalec. *De Machir.* Hic ponuntur bella præſentia, ſcil. illud ꝙ factũ eſt cõtra Siſaram. Et ponit ſolũ bellũ factũ contra Amalec de præteritis eo ꝙ Amalec offẽdit nimis Iſraelitas, quia fuit prima gẽs, quæ pugnauit contra Iſrael, vt patet Nu. 24. & ob hoc Deus

C iuſſit Iſraelitas nimis tenere mẽte iniuriã iſtã ſuſceptã ab eis, vt delerent eos data oportunitate Deut. 25. ſcil. memẽto quid fecerit ibi Amalec, quãdo egrediebaris ex Ægypto, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant cæciderit, quando eras fame, & labore confectus, nec timuerit dominum: cùm ergo dominus dederit tibi requiem, delebis nomen eius ſub cœlo, caue ne obliuiſcaris. *De Machir principes deſcenderunt.* Enarrat Debbora illos, qui de Iſraelitis iuerunt ad bellũ cum Barac: & dicitur, quòd de Machir deſcenderunt principes, ſcil. qui irent ad iſtud bellum: iſti erant de tribu Manaſſe, nam Manaſſe genuit Machir, vt patet Geneſ. 25. cap. & ab iſto nominata eſt familia Macharitarum Numeri vigeſimo ſexto capit. Aliter autem poteſt exponi ſecundum quoſdam, quòd hic tangatur bellum præteritum, ſcil. de Machir principes deſcenderunt, id eſt, de ſtirpe Manaſſe, ſiue Machir filij Manaſſe præfuerunt aliqui, qui pugnauerunt contra Amorrhæos, & obtinuerunt terram Galaad: ſic patet Num. 32. ſcil. porro filij Machir filij Manaſſe perrexerunt in Galaad, & vaſtauerunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius. Etiam Iair fuit de filijs Machir: & iſte obtinuit viculos vrbis Nobe eodem cap. Sed iſta ſententia non conuenit huic literæ; quia hic dicitur de Machir, & Zabulon ſub eodem contextu, ſcilicet, de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui ducerent exercitum ad bellandum. Sed manifeſtum eſt, quòd id quod dicitur de Zabulon intelligitur de præſenti bello; quia illos vocauit Barac ad pugnandũ præcedenti cap. ergo etiam filij Machir fuerunt in bello iſto, & de hoc hic tangitur. *Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.* Id eſt, etiam fuerunt viri de ſtirpe Zabulon, qui duxerunt exercitum ſecum ad bellandum: nam erant principes. In Hebræo habetur, *De Zabulon ducentes in virga ſcripturis.* Et exponunt Hebræi, quòd cum Debbora fuerint ſcriptores, ad bellum: ſcilicet forte ad orandũ, ſed idem eſt quod ſenſus literæ noſtræ; quia virga ſcriptoris æquiuocũ in Hebræo: & poteſt ſignificare virgã ducis regentis in bello. *Duces Iſſachar fuere cum Debbora.* Id eſt etiam de tribu Iſſachar deſcenderunt aliqui ad bellum; & dicitur quòd fuerunt cum Debbora, quia Debbora, & Barac erant tanquã duces huius belli, & idem erat eſſe cum Debbora, quod cum Barac. Hebræi dicunt quod iſti erant cum Debbora, ſcil. ad orandum, & non ibant cum Barac ad pugnandum. Dicunt etiam quòd iſti ibant ad dicendum qua hora pugnandum foret. Hoc autem quia primo Paralipom. 12. dicitur quod de filijs Iſſachar venerunt ad Dauid viri eruditi, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberent filij Iſrael. Sed hoc nihil eſt, quia illud non intelligitur, niſi de quadam prudentia politica, quæ pertinet ad diſponendum res debitis temporibus. Dicendum ergo, quod iſti iuerunt ad pugnandum ſicut cæteri, quanquam dicantur iuiſſe cum Debbora, quia idem erat ire cum Debbora, & cum Barac. *Et Barac veſtigia ſunt ſecuti.* Scilicet, iuerunt cum ipſo ad bellandũ: nam Debbora & Barac ſimul ibant. *Qui quaſi in præceps & baratrũ diſcrimini ſe dedit.* Hoc refertur ac Barac, ſcilicet quod ille dedit ſe in præceps, id eſt in præcipitium, & caſum magnum: & in baratrum. Vocatur autem baratrũ profunditas magna à voranda dicta: & eſt ſenſus quod Barac exponendo ſe diſcrimini pugnando cõtra Siſaram dedit ſe quaſi in baratrum, & præceps. *Diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum reperta eſt contentio.* Poteſt dupliciter intelligi: vno modo quòd tempore huius belli erat magna contentio inter viros de tribu Ruben, & ob hoc attendentes domeſtica bella non iuerunt ad pugnam totius populi: & eſt ſenſus, diuiſo contra ſe Ruben, id eſt in iſto tempore belli erat diuiſus cõtra ſe Ruben, id eſt inter ſe per ſeditiones: & reperta eſt contentio magnanimorum, id eſt, fuerunt viri magnanimi tunc in tribu Ruben, qui fouerent contentionem. Aliter poteſt intelligi quòd audito iſto bello filij Ruben dubitabant an ire deberent in bellum iſtud, vel non & dum moram facerent deliberando, accidit quòd ſoli filij Zabulon, & Nephthali irent illuc: iſti vocantur magnanimi, & eſt ſenſus: diuiſo contra ſe Ruben, id eſt habente diuerſas ſententias, ſcilicet, quia quidam dicebant eundum eſſe in bellum, & alij non. Magnanimorum reperta contentio, id eſt reperti fuerunt in contentione, id eſt, in bello cõtra Siſaram ſoli magnanimi, ſcilicet, filij Zabulon, & Nehpthali. Iſtos ſenſus ponit Andreas, ſed primus illorum eſt melior. In Hebræo habetur. *Duces mei in Iſſachar cum Debbora Iſſachar: ſic Barac in valle miſſus eſt pedibus ſuis: in partibus Ruben duces magni corde.* Iſtud eſt quod continet litera noſtra ex illo loco. *Duces Iſſachar.* Vſq; ad illum locum. *Quare habitas.* Et conſonat in ſenſu cum litera noſtra, nam cum dicitur. *Duces mei in Iſſachar cum Debbora.* Et idem quod litera noſtra dicit. *Duces Iſſachar fuere cum Debbora.* Cùm autem dicet Hebræus. *Iſſachar ſic Barac.* Dicit litera noſtra. *Et Barac veſtigia ſunt ſecuti.* Et eſt ſenſus Hebreæ literæ. *Iſſachar ſic Barac.* Id eſt, ſic iuerunt duces Iſſachar cùm Barac, ſicut cum Debbora. Et hoc eſt, quòd ſecuti ſunt veſtigia Barac, Cum autẽ dicitur. *In valle miſſus eſt pedibus ſuis.* Dicitur in litera noſtra. *Qui quaſi in præceps ac baratrum diſcrimini ſe dedit.* Et eſt ſenſus quòd Barac dimiſſus eſt in valle pedibus ſuis id eſt, ita fuit in periculo exponendo bello ſe, ſicut ſi dimitteret pedibus ſuis in valle, id eſt, ad cadendum de altitudine in vallem pedibus ſuis, id eſt, ſuper pedes ſuos. Et hoc clare ſignat idem, quod quaſi in præceps ac baratrum. Cum autem dicit Hebræus. *In partibus Ruben duces magni corde.* Eſt ſenſus, quòd in tribu Ruben erant magnanimi fouentes inter ſe contentionem: & ob hoc non venerunt ad bellum: & hoc ſignificat litera noſtra, ſcil. diuiſo contra ſe Ruben magnanimorũ reperta eſt contentio, id eſt erant magnanimi in tribu Ruben fouẽtes contentionẽ, & ob hoc erat diuiſus cõtra ſe Ruben. *Quare habitas inter duos terminos.* Eſt quædã vituperatio ad tribũ Rubẽ, quia noluit venire ad bellandũ, ſed manebat in quiete in paſcuis.

D

Hebræorum opinio pœnes literã.

E

Baratrum quid ſibi velit

F

Dicitur

A *Expositio Nicol. confutatio*

Dicitur autem habitare inter duos terminos, vt ait Nicolaus quia habitabat in medio Gad, & dimidiæ tribus Manasse in terra duorum regum Amorrhæorum. Sed hoc non stat, quia Ruben tenebat loca coniuncta terræ Moab, & erat in extremitate terræ illius: Gad autem erat in medio Ruben, & dimidiæ tribus Manasse, vt patet ex locis, quæ data sunt cuilibet istarum tribuum, & declaratum est Numeri trigesimo secundo, & Iosue decimotertio, vbi ponitur diuisio possessionis harum tribuum. Sed dicitur habitare inter duos terminos, id est, inter terram Moab ex vna parte, & terram Chanaan ex alia, tribus namq; Ruben habebat ad latus meridianum totam terram Moab, & ad latus occidendale ipsum Iordanem, qui est principium terra Chanaan ad occidentem Nume. 34. & hæc declarata sunt Numeri 32. & Iosue 13. *Vt audias sibilos gregum.* Dicitur hoc, quia Ruben cum non iret nunc ad bellum vocabat officio pastorali: nam tribus illa abundabat nimis in pecoribus, & iumentis, & tradebat se penitus occupationi gregum gaudebatque audiendo balatus pecorum. Hoc patet Numeri 32. nam dicitur, quòd filij Ruben, & Gad habebant infinitam substantiã in iumentis, & pecoribus, ideo petierunt à Moyse terram Galaad, quàm viderunt aptam alendis animalibus. *Diuisio contra se Ruben magnanimorum reperta est contentio.* Exponatur sicut supra. Et repetitur hic modo cantici, quia in canticis sæpe eadem repetuntur: sic etiam repetitur supra illud verbum, qui sponte obtulistis & cætera in Hebræo habetur. *In partibus Ruben magni inquisitores corde.* Id est, erant in tribu Ruben viri nimis inquirentes iurgia, quia erant duri corde. Et istud significat litera nostra, scilicet, magnanimorum reperta est contentio. *Gad trans Iordanem quiescebat.* Hic redarguitur tribus Gad, quia non venit ad bellum, cùm potuisset: potissimè quia in hac tribu erant viri fortissimi, & satis apti ad bellum, & laudantur de fortitudine per Moysen Deteronomij trigesimo tertio, in benedictione sua. Et Genes. quadragesimo nono: & ipsi egerunt aliquid magnę fortitudinis quando tulerunt cadauera Saulis, & filiorum eius de platea, vel muro Bethsan primo Regum trigesimo primo, & Paralipo. decimo capitu. Et dicitur, quòd quiescebant trans Iordanem quia tribus Gad acceperat possessionem in terra duorum regum Amorrhæorum, Sehon, & Og ad Orientalem partem Iordanis Numeri trigesimo secundo, & Iosue decimo tertio. *Dan vacabat in nauibus.* Hic redarguitur tribus Dan, quòd non venerit ad bellum. Et dicitur, quòd vacabat nauibus, id est, laborabat in nauibus transferendo merces in eas per mare, quòd est opus negociatorum. Rabbi Salomon, dicit quòd vacabat nauibus, id est, intentus erat ad parandum se ad fugam per mare, ne veniret ad bellum, vel timore hostium si prævalerent contra Israel. Pertingit enim possessio Dan ad mare magnum, quod vocatur mare Mediterraneum, & est in termino Occidentali terræ Chanaan. De hoc patet Iosue decimonono, scilicet, quòd pertingit possessio Dan in Ioppen, & ipso fine concluditur, & tamen Ioppen est portus in mari Mediterraneo, quo appellunt euntes hinc Ieroſolymam. Et vocatur vulgariter Iasa. Asor habitabat in littore maris, scilicet, habebat occupationem suam in littore maris circa merces, & morabatur in portubus, id est, in locis, ad quæ solent de locis extraneis per mare conuenire mercatores: habebat enim Asor multos portus, quia in eius sorte ponitur Tyrus, & Sidon, & magna pars littoris maris Mediterranei in termino Occidentali terræ Chananæorum, vt patet Iosue decimo nono. *Zabulon verò, & Nephthali obtulerunt animas suas morti.* Id est, iuerunt ad bellum, in quo offerebant se morti, & mortui fuissent, nisi Deus eos adiuuasset: & dicitur de istis duabus tribubus, nõ quòd nõ iuissent aliæ, quia de tribu Manasse iuerunt aliqui, cùm dicatur supra, de Machir principes descenderunt. Etiam filij Issachar venerunt in bellum, cùm dicatur: Duces Issachar fuere cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti. Sed dicitur de istis solis: quia isti fuerunt præcipui, qui iuerunt ad bellum, & de istis elegit Barac iuxta mandatum Dei decem millia præcedenti capitu. In Hebræo habetur. *Zabulon, qui vituperabat animam suam morti, & Nephthalim.* Hebræi intelligunt, quòd isti desperabnt de vita, ideo nihil pro ea dabant, sed vituperabant illam. Sed non stat, quia tunc non vocarentur fortes, cùm fortes sint confidentes in periculis. Isti tamen vocantur fortes supra, ideo debet intelligi, quòd isti vituperabant animam suam morti, id est, exponebant se morti pro toto Israel, & in hoc videbantur vituperare animam suam, cùm non curarent de ea pro salute aliorum. *In regione Merome.* Iste fuit locus belli, vbi iste tribus obtulerunt animas suas. In Hebræo habetur. *Super altitudinem campi.* Scilicet, quòd istud bellum fuit super aliquem campum altum. Litera autem nostra posuit regionem Merome, quia multa nomina Hebræa sunt, quæ possunt accipi indifferenter pro communibus, & proprijs, nisi quantum contextus scripturæ hoc prohibeat: & ita accepit hic pro nomine proprio litera nostra, quod conuenientius videbatur. Hebræi autem exponunt per commune nomen. *Venerunt reges, & pugnauerunt.* Intelligitur de bello isto facto tempore Sisaræ, in quo venerunt reges, sed in exercitu Sisaræ: nam Iabin rex Chanaan habebat multos reges sibi subiectos, cùm antiquitus omnia regna terrę Chanaan subiecta forent regi Asor, qui vocabatur rex Chanaan: vnde ad vocationem Iabin regis Asor conuenerunt illico multi reges ad pugnandum contra Iosue vndecimo capitu. Vel dicuntur reges, scilicet duces, qui veniebant cum Sisara, quia erant cum magna potentia, & ob hoc vocabãtur reges, sicut dicit Sennacherib: nonne principes mei reges sunt? Rabbi Anai dicit, quòd in terra Chanaan erant sexaginta duo reges, & occisi sunt triginta duo in Iericho, & triginta duo, tempore Sisaræ nunc. Sed falsum est. *Pugnauerunt reges Chanaan.* Replicatio eiusdem sententiæ sæpe fit, sicut in canticis. *In Tanach iuxta aquas Mageddo.* Tanach est quædam ciuitas in sorte Manasse, vt patet Iosue decimo septimo, & supra primo. Sed dicetur quomodo ergo fuit istud bellum in Tanach, cùm fuerit apud aquas Mageddo. Aliquis respondebit, quòd Mageddo & Tanach sunt idem locus. Sed non stat, quia Iosue decimo septimo computantur tanquam duæ ciuitates, & supra primo, & Iosue decimo secundo, ponuntur duo reges de his duobus locis. Sed dicendum est, quòd Tanach, & Mageddo erant loca coniuncta satis, & quia exercitus Sisaræ erat inter vtrumque locum, dicitur esse apud vtrumque, vel extendebat se exercitus propter magnitudinem ab vno loco in alium: *Et tamen nihil tulere prædantes.* Scilicet, quòd isti reges, qui veniebant cum Sisara, licet pugnauerunt, non tulerunt aliquid de Israelitarum terra, eo quod debellati sunt ab eis, & dimiserunt spolia sua in terra Israel.

B

C

D

Expositio Rab. Anas.

E

Tanach quid sit

De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt. Torrens Cison traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos. Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius Benedicta inter mulieres Iahel vxor Aber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos. Percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimus, & miserabilis. Per fenestram respiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur. Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? Vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socrui verba respondit. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: vestes diuersorum colorum Sisaræ traduntnr in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur. Sic pereant omnes inimici tui Domine: Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent Quieuit terra per quadraginta annos.

Manetus Ægyptius historicus.

F

Sinistram non est de textu, sed additũ ab interprete.

Picus rex Pisa ludũ primus inuenit & Picenum prouinciam à se nomi nauit.

A *Cui victoria attribuenda sit.*

De cœlo dimicatum est contra eos. Hic ponitur quartum huius capi. scilicet, cui victoria attribuenda sit explicat, scilicet, quòd non ab hominibus, sed à Deo pugnatum est, & dicitur, de cœlo dimicatum est, id est Deus, qui in cœlo est, dimicauit contra Sisaram, & exercitum suum: nam Israelitæ non valuissent dimicare contra eos. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo contra Sisaram dimicauerunt.* In hoc patet, quòd de cœlo pugnatum sit contra Sisaram: quia stellæ pugnauerunt contra eum. Et dicitur manentes in ordine & cursu suo, ad differentiam belli facti sub Iosue contra quinq; reges Amorrhæorum. Nam tunc de cœlo pugnatum est: tamen stellæ non fuerunt in ordine & cursu suo, sed omnes steterunt in monte: nam sol, & luna steterunt, cum dicatur Iosue 10. scilicet, sol ne mouearis contra Gabaon, & luna contra vallem Aialon nunc autem astra, licèt pugnabant, mouebantur.

Quomodo dimicatum fuit de cœlo contra Sisaram, & stellæ pugnarunt contra eum.

Qvæstio VI.

B Qværet aliquis, quomodo dimicatum fuit de cœlo contra Sisaram? Respondendum quòd principaliter pugna contra Sisaram fuit hic de cœlo, scilicet, in grandine, & pluuia cadente super exercitum Sisaræ: & compellente illum ad fugam; sic ait Iosephus 5. antiquitatum dicens: Congressis Israelitis cum Sisara imber eis magnus influxit, & quia simul nimia pluuia, & grando in faciem Chananæorum versa est, & ventus eorum aspectibus imminebat, arcus eorum & fundibulæ inutiles fiebant: & armati propter frigora vti gladijs non valebant: Israelitis verò tempestas immissa post tergum minus nocebat, & circundantes hostes medios multos eorum occiderunt. Est autem hoc verisimile: nam sic pugnauit Deus contra Chananæos sub Iosue mittendo super eos grandines magnos & multos, ita vt pluribus mortem lapides quam gladius Hebræorum intulerint, Iosue 10. potuit etiam esse quod de cœlo fieret aliquis strepitus super Sisaram & exercitum eius ad hoc quòd territi nō auderent resistere Israelitis: sic fuit tempore Samuelis contra Philisthinos, vt patet primo Regum septimo, scilicet. Intonuit dominus fragore magno de cœlo super Philisthijm: & cœsi sunt à facie Israel. Sic etiam 4. Regū septimo, factus est magnus sonitus per noctem, quem putantes Siri esse strepitum magnæ militiæ superuenientis, fugerunt relinquentes castra sua plena spolijs. Vel fortè apparuerunt milites venientes de cœlo quos nimis formidabant ipsi Chananæi. De hoc quarto Regum sexto cap.

C *Quomodo stellæ pugnarunt contra Sisaram manentes in cœlo.*

Qvæstio VII.

Respon. Raab. Kimhi.

Qværet Aliquis, quomodo stellæ pugnauerunt contra Sisaram? Respondet Rabbi Salomon, quòd stellæ de cœlo incanduerunt, & calefecerunt lutum itinerum, & præ calore cadebant vngulæ equorum Sisaræ: sic habetur infra. *Vngulæ equorum ceciderunt.* Et tunc Sisara fuit impotens ad pugnandum mutilatis equis. Sed istud ridiculum est, quia stellæ non sic calefaciunt feruere lutum. Etiam quia vngulæ equorum non ceciderunt ob hoc, sed propter aliam causam vt infra dicetur. Rabbi Dauid Kimhi, respondet aliter dicens, quòd stellæ manentes in ordine suo pugnauerunt, id est ita velociter pugnatum est contra Sisaram. Litera tamen hoc innuit: sic etiam supra dicitur, dominus in fortibus dimicauit. Aliter respondet idem Rabbi Dauid Kimhi, scilicet, quòd stellæ calefecerunt Chananæos exercitus Sisaræ nimis: & illi ingressi sunt torrentem Cison, vt refrigerarentur, & aqua occidit eos. Et hoc dicit signare literam infra, scilicet, torrens Cison contraxit cadauera eorum. Sed etiam istud non multum stat, quia magis diceretur tunc pugnare Cison, quàm stellæ. Etiam quia ad causandum istum calorem corporibus Chananæorum non debebant operari stellæ, sed alio modo fieri debebat. Andreas respondet quod stellæ vel corpora cœlestia non pugnauerunt nec egerunt quicquam in isto bello, & redarguit ipse in hoc mathematicos, qui istam victoriam astris tribuunt, sed dicit quòd est sensus, quòd stellæ pugnauerunt, id est, Deus præsidens cœlo, & stellis pugnauit. Sed etiam istud non multum stat, quia non significaretur hoc modo aliquod speciale opus, aut miraculum: & de quolibet vertente posset dici hoc, scilicet, quòd stellæ manentes in ordine suo pugnauerunt pro illo: nam non potest aliquis vincere, nisi Deus ei dederit, primo Machabæorum tertio, scilicet. Sicut fuerit voluntas in cœlo ita fiat. Item primo Regum decimoquarto. Dicendum ergo, quòd stellæ manentes in ordine suo pugnauerunt contra Sisaram, quia fortè sidera videbantur inflammata venire super exercitum Sisaræ, & hoc quia fortè aliquæ cometæ vel succensiones flammarum dimittebantur ab alto, quasi sidera caderent, quæ vulgares ignem esse putant, & ista peruenientia ad Chananæos exurebant quos tangerent. Maius tamen malum erat, quod per timorē incutiebant: nam æque turbati currus huc illucque trahebant per prona, & abrupta, & sic cadebant equi, & currus, atque ascensores, & frangebantur currus, & moriebantur ascensores, & equi fracturam patiebantur membrorum: & hoc est quod supra dicitur, scilicet, vbi collisi sunt currus, scilicet, cadendo per abrupta in præceps ac baratrum. Et hoc modo equi timore & rabie stimulati, impetu magno ferebantur in torrentem Cison, & Cadumim, & suffocabantur equitantes. Hoc etiam est, quod infra dicitur, scilicet, quòd vngulæ eqorum ceciderunt, scilicet, cùm discurrerent per loca petrosa, ac abrupta, & caderent de altissimis in præceps. *Torrens Cison contraxit cadauera eorum.* Hoc fuit quando fugientes viri Sisaræ ab Israelitis præ timore, & turbatione mentis inciderunt in torrentem Cison & Cadumim: nam apud istos torrens bellum factum fuit, & specialiter apud torrentem Cison, vt patet præcedenti capitu. Et dixit, quòd contraxit cadauera eorum, id est, collegit, scilicet, quia multi in eo mortui sunt. In Hebræo habetur.

Torrens Cison contraxit eos. Id est, simul mortuos traxit, & pertinet ad idem. *Torrens Cadumim.* Iste erat alius torrens circa torrentem Cison, & in hunc quoque multi Chananæorū lapsi sunt. Cadumim secundum Hebræos potest esse nomen commune & proprium: si sit nomen commune, signat antiquitatem, & est sensus quòd torrens iniquitatum cōtraxit cadauera eorum, scilicet mare rubrum, quod vocatur antiquum, quia antiquitus transierunt Israelitæ per illud, scilicet quando exierunt de Ægypto. Sed istud nimis alienum est à sensu literæ, quia hic agitur de bello contra Sisaram, & est idem cōtextus, ideo est particula torrens Cadumim non potest trahi ad aliam historiam longè distantem, ideo litera nostra posuit Cadumim pro nomine proprio. *Torrens Cison.* Est sententia decurtatè repetita, id est, torrens Cison contraxit cadauera eorū sicut supra dicitur. *Conculca anima mea robustos.* Incitat se Debbora ad se exaltandū propter istam victoriam, & contemnendū Chananæos, scil. conculca anima mea robustos, id est, Chananæos, qui gloriantur in robore suo, & non potentia Dei: nam hi cito conculcantur. Vel potest intelligi de conculcatione reali, scil. quòd aliqui de Chananæis ducti fuissent de bello ad terram Israel, vt Israelitæ ponerent pedes super colla eorum, sicut factū est Ios. tempore, regibus quinq; Ios. 10. & postea occiderentur, & Debbora posuit pedes super colla istorū. Hoc satis est verisimile, quia supra dicitur: Surge Barac, apprehende captiuos tuos filij Abinoem, vt ibi declaratū est. *Vngulæ equorum ceciderunt.* Id est confracti sunt pedes equorū, & vngulæ in bello: & significatur causa, cùm subditur. *Fugientibus in impetu, & in præceps ruentibus fortissimis hostium.* Id est, hoc factum fuit propter cursum immoderatum: tanto fuerant Chananæi timore concussi ardente desuper cœlo, & flammarum globis in modum stellarum venientibus vsq; ad eos, quòd non poterant se, aut equos continere: sed fugiebant impetuose per quancunq; partem possent, & accidebat quòd caderent de altis rupibus in præceps, & confringebantur currus, & equorum vngulæ ac ipsi hostes peribant. In Hebræo habetur. *Tunc confracti sunt calcanei ab hinnitibus fortium.* Est autem ista litera valde decurtata more Hebræo, scilicet tunc confracti sunt calcanei. id est, vngulæ equorum, sicut dicit litera nostra: cùm autem dicitur ab

D E F

A

hinnitibus fortium: est sensus quòd fortes, id est, hostes hinniebant, scilicet fremebant mente sicut hinnientes: & præistorum impetu, & turbatione ceciderunt vngulę equorum, scilicet, quia fortissimi hostium turbati mente & fugientes permittebant equos ire quocunque vellent, vel ducebant eos per loca confragosa & præcipicij, & cadentibus equis frangebantur vngulæ. *Maledicite terræ Meroz.* Nicolaus dicit quòd Meroz est nomen dæmonis, qui incitauit Sisaram ad veniendum in pugnam contra Israel. Et est sensus: maledicite terræ Meroz, id est terræ Chananæorum subiectæ huic dæmoni: maledicite habitatoribus eius, scilicet, Chananęis, qui habitabant cum eo: & hoc quia non venerunt ad adiutorium domini, sed magis è conuerso venerunt in pugnam contra Israelitas. Sed iste sensus valde alienus est, quia dicitur hic, quia non venerunt in adiutorium: est tamen adiutorium quando est bellum constitutum. Chananæi autem fuerunt, qui pugnauerunt: ergo non poterat dici de ipsis, quòd non venerunt in adiutoriū, sed deberet dici quòd non venerunt in prælium. Item quia maledictio nunquam ponitur, nisi pro peccato cùm sit pœna: Chananæi tamen nō tenebantur adiuuare Israelitas in bello: ergo non erat eis maledicendum, quia non veniebant in adiutorium eorum, ergo alij erant hi, qui tenebantur adiuuare Israelitas. Est ergo Meroz nomen terræ cuiusdam existentis apud locum belli, & habitatores illius noluerunt venire ad bellum, ideo maledicuntur: alij verò qui longe erant à loco belli, quanquam increpantur quòd nō venerint, sicut patet supra de multis tribubus, tamen non maledicuntur. *Dixit angelus Domini.* Iste angelus est Michael, qui est princeps Hebræorum, vt patet Daniel. 10. & iste tanquam dux iussit maledici illi terræ, quæ noluit ire ad bellum. Alij dicunt quòd iste angelus fuit Barac princeps belli, qui vocatur angelus domini eo quòd à Deo missus est ad istud bellum, vt patet præcedenti capit. Et in Hebræo quicunq; nuncius vocatur angelus, quia idem nomen est pro vtroque, Est sensus quòd Barac iussit maledici huic terræ, quia ipse cùm esset dux belli poterat his imponere pœnam non euntibus, si moniti fuissent illuc ire. *Maledicite habitatoribus eius.* Scilicet non solùm maledicite terræ, sed etiam habitantibus in ea: imò magis maledicendum est habitatoribus, quia ipsi peccauerunt & non terra. *Quia non venerunt ad auxilium domini.* Vocatur auxilium Domini, non quòd Deus egeat auxilio, sed quia bellum Israelitarū quando boni erant vocatur bellum domini, & hostes eorum vocantur hostes Dei: patet Exod 23. cap. ideo consequenter auxilium eis præstitum dicebatur auxilium Dei. *Et in adiutorium fortißimorum eius.* Fortissimi Dei vocantur famuli Dei fortissimi, qui se exposuerunt huic bello scilicet, Zabulon, & Nephthali & alij qui cum eis descenderunt, scilicet, de Machir, & Isachar, vt patet infra in litera.

Nicolai opinio de Meroz.

Doct. opin. de Meroz.

B

C

An peccauit Dobbora prouocando Israelitas ad maledicendum terræ Meroz.

Qvæstio VIII.

Qværet aliquis, an peccauit Debbora prouocando Israelita ad maledicendum terræ Meroz. Aliquis dicet, quòd sic: quia diabolo, qui est pessima creatura, non est maledicendum, ergo à fortiori nec alijs rebus. Patet hoc, quia cùm Michael Archangelus disceptaret cum diabolo super corpore Moysi, & nollet satana quiescere iussis Dei, Michael non ausus est maledicere ei, quanquā merebatur illud, sed dixit, imperet Deus in te Satan, vt patet Iudæ vnico capit. vnde ibi valde arguuntur illi, qui maledicunt indifferenter cuicunq; rei. Item dicetur, quòd non est verisimile, quòd Angelus hic iusserit maledicere, quia ipse angelus noluit maledicere diabolo in canonica Iud. cap. vnico. Respondendū, quòd maledicere siue infligatur iustè, siue sine causa iniustum est. Attendendū est tamen, q; qui maledicunt nullā causam habentes semper peccant, qui verò habent causam, aut habent iurisdictionem ad hoc imponendum, aut non: si non habent, peccant: quia maledictio est pœna quædam: non tamen quilibet sua auctoritate debet pœnas infligere male agenti, sed solùm ipse iudex: etiā si quis passus fuerit nō potest licitè maledicere ei, à quo iniustè patitur, quia iam ipse propria auctoritate imponeret pœnam lædenti, quod non licet. Hoc autē verum est, nisi non habens iurisdictionem moueatur à Deo ad maledicendum ex dispensatione quadam, quia tunc licitum opus est. Sic fuit in Dauid, qui maledixit montibus Gelboe secundo Reg. primo. Qui autē non mouetur, peccat. Sic patet de Iob, qui arguitur, quia dixit, pereat dies in qua natus sum: Iob tertio. Si autē maledicere sit ab illo, qui habet iurisdictionem, licita est: sicut pœnæ alię infliguntur licitè ab habente iurisdictionem, cum causa subsit, ita & maledictio licitè imponeretur, cùm sit pęna quædā: sic patet de maledictionibus, quas imposuerunt Israelitæ super non obseruantes legem, vt patet Deuter. 27. Nam quantū ad illud habebant auctoritatē à Deo, qui iussit illas poni: sic etiam Ecclesia cum anathematizat, imponit maledictiones super excōmunicatos, vt patet ex forma anatematizandi. De Debbora dicendum est, quòd non peccauerit, dicendo quod maledicerent terræ Meroz: quia Angelus Domini mandauit hoc, sed Angelus nunquā iubet nisi quæ recta sunt, & à Deo volita. Et si accipiatur Angelus Domini pro ipso Barac. Dicendū, quòd non peccabat Debbora hoc dicendo, nec Barac imponendo maledictionem, quia Barac erat iudex Israel, & habebat iurisdictionem, ideo poterat proferre istam sententiam: si autem accipiatur Angelus Domini pro ipsa Debbora, ita quòd ipsa pro se loquatur, sicut vult historia scholastica, erit licita maledictio, quia ipsa loquebatur propheticè Deo mouente, ideo quodcunq; dicebat, rectum erat.

Maledicere vt sit licitum.

D

Iob peccauit maledicendo.

E

An ex maledictione Debboræ aliquid sit secutum: & quando ex maledictione sequitur effectus, & quando non.

Qvæstio IX.

Qværitvr vlterius, an ex ista maledictione aliquid secutum fuerit. Respondendum, quòd non constat an euenerit aliquid: imò non constat an fuerit interposita aliqua maledictio, quia solum Debbora hortata fuit hic Israelitas ad maledicendum terræ Meroz: sed non dicitur, quòd ipsa maledixerit illi terrę nec aliquis de Israelitis, ideo an maledictio euenerit, non est inquirendum. Dicendum autem est, quòd quando quis habet auctoritatem maledicendi, & maledicit, quòd euenit id quòd imprecatur ipse per maledictionem. Sic patet de Paulo, qui habebat auctoritarem tradendi hominem dæmoni per inuocationem tanquam iudex: & hoc est maledicere, & inuocauit hoc super quendam iuuenem Corinthium, & venit in eum dæmon, vt patet primæ Corint. cap. 5. Generaliter etiam dicendum, quòd quascunq; maledictiones imprecantur iudices habentes auctoritatem hoc faciendi, certissime euenient, nisi ille in quem petuntur euenire doluerit, & sic obtinuerit solutionem à Deo, & quia hoc modo parentes habent quandam auctoritatem super filios, non in modum iudicum, sed vt illorum, ad quos res pertinet quasi totaliter, quia filius est pars patris, quinto Ethicorum, possunt maledicere, & si interdum filijs maledixerint eueniunt mala, quæ imprecantur sic patet Eccles. tertio, scilicet, Benedictio fiatris firmat domos filiorū, & maledictio matris eradicat fundamenta. Interdum etiam qui iurisdictionem non habent, sed mouentur à Deo, vt maledicant faciunt maledictiones suas euenire: sic patet de Dauid, qui maledixit montibus Gelboe dicens: Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia descendat super vos, nec sint ibi agri primitiarum, quia ibi abiectus est Clypeus fortium. Patet hoc secundo Reg. 1. capit. Hæc autem euenisse ferunt auctores certissimi: nam super montes illos pluere nunquam dicunt, vt ait historia scholastica. Si igitur maledictio à Debbora, & Barac posita fuisset super terram Meroz, certissimè euenisset, quia iustè ponebatur, & ab illis quæ habent auctoritatem imponendi eam. *Benedicta inter mulieres.* Hic fuit actus suus valde vtilis Israelitis, & animositatis magnę in fœmina, ideo sine laude non debuit præteriri: sic enim commendabatur Iudith occiso Holoferne, & canebat coram ea totus Israel: Iudith vltim. capit. Sciendum autem quòd, vt declaratum fuit præced. cap. in actu Iahel aliquid fuit laudabile, & aliquid vituperabile: hic autem non laudatur simpliciter, sed solùm inquantum benè egit.

Quando maledictio comprehendit maledictum.

F

Maledictio parentum in filios quantū valeat.

A *Benedicta inter mulieres Iahel.* Id est, benedicatur plus quàm cæteræ mulieres, quia nulla mulier illo tempore tãtùm Israëlitis contulit. *Vxor Haber Cinæi.* Dicitur hoc ad differentiam, quia aliæ mulieres vocabantur Iahel. *Benedicatur in tabernaculo suo.* Dupliciter potest exponi ista litera: vno modo, quòd benedicatur in tabernaculo suo, id est augeatur, & multiplicetur nimis in rebus domesticis: Benedicere enim importat multiplicationem. Est autem benedictio in tabernaculo, quando multiplicantur res domesticæ, vel familiares: & quia fœlicitas fœminarum reputatur ipsa domus opulenta, & trãquillitas, imprecata est Debbora super Iahel benedictionem in tabernaculo suo. Alio modo intelligitur: benedicatur in tabernaculo, id est manens in tabernaculo suo benedicatur, quasi dicat, vsque huc benediximus euntibus ad bellum, manentibus autem in tabernaculis ex parte maledediximus, & ex parte eos redarguimus: ipsa tamen Iahel quamquam mansit in tabernaculo, benedicatur in tabernaculo, quia tantùm ipsa egit in tabernaculo, sicut bellatores in pugna, scil. quia in domo sua occidit Sisaram.

Aquam petenti lac dedit. Ad quid dederit lac declaratum est præcedenti cap. & laudatur hic de isto, quia fuit quædam cõueniens cautela ad occidendum Sisaram, quòd daretur ei lac: nam sic faciliùs sopiretur, & esset sopor grauior, haberetque maiorem opportunitatem ad occidendum eum, quàm data aqua.

B *Et in phiala principum obtulit butyrum.* Ponitur hic phiala non pro vase angusto, quod est ad potum ministrandum, sicut communiter accipimus, sed pro quodam vase amplo, quòd peluis vel catinum appellatur. Et dicitur, quòd obtulit butyrum, non quòd verè illud obtulerit, sed ponitur quasi ad repetendum sententiam de lacte, quia lac, & butyrum cõiũcta sunt. Vel fortè postquã obtulit lac, etiam dedit ei butyrum, vt comederet. Dicitur autem in phiala principum: non quòd illa phiala esset aliquorum principum, sed quia tunc fuit applicata ministerio principum. *Sinistram manum misit ad clauum.* Scilicet quando voluit percutere Sisaram capite. *Et dextram ad fabrorum malleum.* Accepit malleum in manu dextra, quia illa est ad opus certior, & accommodatior. Vocatur malleus fabrorum, quia fabri ferrarij vtuntur illo magis, quã alij artifices. *Percussitq; Sisaram.* Scilicet transfigendo clauum vsque ad terram. *Quærens in capite vulneris locum.* Id est, eligens in quo loco eum percuteret, vt faciliùs moreretur: & quia tẽpora sunt ad hæc aptiora, percussit in eis. *Tempus validè perforans.* Scilicet, quia fortiter percussit, ideo sufficit vnica percussio ad inferendum mortem Sisaræ. *Inter pedes eius ruit.* Istud propriè pertinet ad eos, qui vulnerantur stantes, vel sedentes, & cadunt ad pedes vulnerantis, sed non fuit sic de Sisara, quia ipse iacebat in terra extentus, & sic potuit clauus configi cum terra. Dicitur tamen, quòd ruit inter pedes eius, id est ante pedes eius mortuus est. *Defecit.* Id est viribus, quia euacuatus est sanguis, & vulnus erat magnum. *Mortuus est.* Scilicet, quia vulnus erat incurabile, & quasi immediatè post percussionem mortuus est. *Ante pedes illius voluebatur.* Non est sensus, quòd Sisara surrexerit, vel saltem motus fuerit de loco suo, qui clauus infixus capiti erat confixus cum terra, & sicut ipsa confixit, ita manebat quousque venit Barac: nam dicitur præced. cap. quòd Barac ingressus in domum Iahel vidit Sisarã mortuum, & clauũ infixum in tẽpore eius: sed est sensus, quòd illicò, vt percussus est Sisara fuit caput eius confixum, & non potuit illud mouere, sed mouebat pedes: & mouebatur paululùm per terram. *Et iacebat exanimis, & miserabilis.* Id est, postquam percussus est, iacuit exanimatus coram Iahel, & miserabilis, id est factus miser, scil. quondam in tanta rerum celsitudine præsidebat, nunc instantanea calamitate fœminea dextra fugitiuus, & latens occubuit. In Hebræo habetur pro tota ista clausula alia litera, scil. *Inter pedes suos incuruatus est, cecidit, cecidit, iacuit inter pedes suos, cecidit iacuit vbi incuruatus est: ibi cecidit damnificatus, vel læsus.* Sententia totius istius literæ est, quòd Sisara mortuus est ante pedes Iahel. Est autem hic litera Hebraica superflua nimis: ita quòd litera nostra studens sententiæ soli, non potuit ponere tot verba, licèt ea diuersa: nam hic nullum verbum est nisi iacuit, cecidit, incuruatus est: & tamen ponuntur septies, eo quòd fit repetitio superuacua, ideo non fuerunt posita in litera nostra septem verba, sed solùm quinque: quia nõ potuerunt plura reperiri diuersę significationis quantum ad hoc: & vbi dicitur damnificatus, vel læsus, litera nostra posuit exanimis, & miserabilis; quia ista fuit læsio, quam ibi suscepit Sisara. Quidam autem turpissimus Talmudista exponit, quòd septies Sisara carnaliter cognouit Iahel: & hoc inducit, quia septies ponitur hic cadere vel incuruari inter pedes Iahel, talia tamen consueuerunt poni in Hebræo pro cognitione carnali. Sic patet Iob trigesimo primo capit. cùm dicitur: Si deceptum est cor meum super mulierem, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alterius vxor mea, & incuruentur super eam alij. Sed ista expositio est infandissima, nam dato quòd accidisset (quod nequaquam verisimile est) vt patet ex multis considerãti conditionem temporis, & personarum, & opportunitatis, de quibus nõ expedit loqui: nunquid Scriptura laudasset Iahel de hac turpitudine? Quid enim aliud foret nisi sacrã Scripturam scenicam meretriculam constituere, quæ relatis suis turpitudinibus delectetur? sed hoc adhuc in Poëtis impudicum est. Patet ergo quantum Iudæi miseri, & vecordes atque deliri sunt.

Prospiciens per fenestram vlulabat mater eius. Hic ponitur planctus, & querela pro tard o reditu Sisaræ: quamquam enim mater Sisaræ sciret Iudæos impares potentia esse Sisaræ, ita vt vix expectare auderent eum in campo, tamen quia diligebat eum nimis, solicita erat, timebat id quod non iudicabatur possibile. Ista est enim conditio amoris: sic quidem ait Ouidius in libro Heroidum epistola Penelope ad Vlyssem, scilicet. D E

Res est soliciti plena timoris amor.

Aspiciebat ergo mater Sisaræ per fenestram, quando videret redeuntem Sisaram de bello, & quia tardabat vlulabat ipsa & gemebat. *Et de cœnaculo loquebatur.* Id est, loquebatur de domo. Est sensus, quòd mater Sisaræ propter cordis amaritudinem erat inquieta, & non poterat consistere in eodem loco, ideo aliquando ad fenestram respiciens an veniret, rursus autem domum siue palatium intrabat, & illud vocabatur cœnaculum, quia cœnaculum est omnis domus, quæ ad ibi ponendas mensas disposita est, & tamen siue esset mater Sisaræ ad fenestram, siue rediret in cœnaculum, semper vlulabat, & loquebatur, quia amaritudo non sinebat eam esse tacitam: nam in Hebræo habetur, *Semper fenestra in vtroque.* Litera autem nostra mutauit nomen, ne videatur repetitio inutilis. *Cur morantur regredi currus eius.* Sisara in curru sedebat, & in eo pugnabat: nam præcedenti capitulo dicitur, quòd Sisara de curru desiliens, pedibus fugit. De isto curru conqueritur mater eius, quòd tardaret. *Quare tardauerunt pedes quadrigarum illius.* Id est rotæ quadrigarum. Repetitio eiusdem sententiæ, sicut sæpè fit in hoc carmine:

Vna sapientior cæteris vxoribus eius hæc socrui verba respondit.

Scilicet Sisara habebat multas vxores, & concubinas, quæ cũ matre Sisaræ erant, & vna de sapientioribus vxoribus Sisaræ respondit ea, quæ sequuntur socrui, id est matri Sisaræ. In Hebræo habetur: *Sapientes principissæ respondebant, etiam ipsa in se sua dicta reflectebat.* Et secundùm hoc volunt Hebræi, quòd ista verba quæ sequuntur, erant vxorum Sisaræ: & etiam mater sua loquebatur hæc. Sed non est iste sensus, sed potiùs, quòd sapientes principissæ, id est vna vxor principissæ de sapientioribus respondit hæc, quæ sequuntur, & nihilominùs mater Sisaræ reflecteret in se sua dicta priora, scilicet quare morantur regredi currus eius. *Forsitan nunc diuidit spolia.* Scilicet, non conqueraris, quia licèt multum tardet non moratur in bello, sed in diuisione spoliorum, & hoc prosperum est. Ex hoc patet, quòd mater magis diligit filium, quàm vxor virum, quia mater suspicabatur malum de filio, & vlulabat: concubinæ autem, & vxores suspicabantur bonum, scilicet quòd diuideret spolia, & acciperet pulchram fœminam, qui tamen magis diligit, magis timet, atque solicitus est, quia C F

Res est soliciti plena timoris amor.

Vt ait Ouidius in libro Heroidum, Epistola prima. Sed dices, quòd vxores non suspicabantur hæc, sed dicebant socrui, vt consolarentur eam. Sed non stat, quia dato quòd non putarent ista esse vera, aut verisimilia, tamen cùm possent illa cum quodam vultu non lachrymoso proferre, non tantùm dolebant, vt mater, quæ vlulabat. Etiam qui verè dolet, non potest alium dolentem consolari, sed istæ consolabantur ma-

A trem: ergo illa amarior erat. *Et pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Hoc ſuſpicabantur vxores: nam cùm amor vxoris & viri etiam ſi honeſtus ſit, cœperit quoddam initium ex commixtione, ſemper vxor zelat virum, & vir vxorem: & zelatæ ſunt vxores Siſaræ, quòd in exercitu Hebræorum eſſent puellæ ſpecioſæ, de quibus eligerentur ſpecioſiſſimæ pro Siſara. In Hebræo habetur: *Puella puellarum capiti viri.* Et poteſt eſſe ſenſus, quòd puella puellarum, id eſt de numero puellarum captarum in bello eligitur puella, id eſt vna puella capiti viri, ſcil. quòd cuilibet viro daretur vna puella, & diuideretur per capita virorum. Et eſt ſenſus, fortè tardat Siſara diuidendo ſpolia, & dando cuilibet vnam puellam, quia in eligendo eas morabatur. Aliter & melius exponitur ad ſenſum literę noſtrę, ſcil. *Puella puellarum capiti viri.* Id eſt vna puella ſpecioſior inter cæteras: quia ille genitiuus ſignificat excellentiam, vt flos florum capiti viri, id eſt eligitur viro capitanco, ſcilicet Siſaræ, qui erat caput belli: & hunc ſequitur litera noſtra, quia erat magis ad propoſitum.

Vxores Siſaræ quare potius ſuſpicatæ ſunt de ſpecioſiſſ. fœminarum, quàm de aliquo alio.

Qvæstio X.

B Qværet aliquis, quare vxores Siſaræ potius ſuſpicatæ ſunt de ſpecioſiſſima fœminarum, quàm de aliquo alio? Reſpondetur, quod ſecundùm conditionem amoris omnis amans eſt timens, & ſolicitus, vt ait Ouidius. & ſecundùm quòd diuerſa ſunt ea, circa quæ eſt amor, ita ſunt varij timores: nam qui ſolam pecuniam cupit, de ſolius pecuniæ habitudine ſolicitus eſt: vxores autem cùm viros diligunt, habent initium amoris ſui ex commixtione carnali, potiſſimè cùm ex commixtione proles naſcitur, alioquin ſteriles citò diſſoluuntur, vt ait Ariſtoteles octauo Ethicorum. In hac quoque commixtione conſeruatur amor coniugum: nam dum venter alicui extraneo non commiſcetur, alternus durat amor: ſi verò ad alienum fiat commixtio, ceſſat omnis viciſſitudo amoris. Et quia vxores diligunt, ſi bonæ ſunt: & ſi viri cœperint alias diligere, ceſſabit omne bonum, quia inter eos ſunt maximè ſuſpectæ circa viros quòd accipiant alias, & ob hoc, quia ſi Siſara acciperet aliam fœminam pulchriorem cæteris de filiabus Iſraël, illam præponerent cunctis vxoribus ſuis, & aliarum minueretur ſtatus, magis ſolicitæ erant vxores Siſaræ an ſumeret aliquam puellam ſpecioſam, quàm circa vitam eius. Mater autem Siſaræ diligebat eum, quia genuerat illum: ideo de ſola perſona & vita ſolicita erat.

Veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam. Id eſt dā tur ei in partem prædæ veſtes variorum colorum, ſcil. quia colligerentur de terra Iſraël multæ veſtes: & de illis partem maiorem & potiorem ſumeret Siſara.

C *Et ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.* Id eſt, etiam congeritur, id eſt congregatur varia ſupellex ad ornandum colla, id eſt ad ponendum in collis equorum, vel ad ornanda col la virorum, & fęminarum: vt ſi colligebantur lapides pretioſi, vel alia pulchra iocalia. In Hebræo habetur ex loco illo veſtes diuerſorum colorum: *Spolia tinctũrarum Siſaræ, ſpolia tinctũrarum panni pretioſi, ſpolia tinctũrarum ceruicibus ſpolij.* Iſta litera eſt ſuperabundans nimis, quia repetuntur aliqua verba ſine ſenſu, & dicitur: *Spolia tinctũrarum Siſaræ.* Id eſt, traduntur Siſaræ ſpolia tincturis, id eſt de pannis tinctis varijs coloribus. Et hoc dicit litera noſtra. Veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur. Cùm autem dicitur: *Spolia tinctũrarum panni pretioſi.* Superabundans eſt, & repetitur eadem ſententia per alia verba, vel quaſi eadem, ſcilicet quòd iſta ſpolia tinctũrarum ſunt panni pretioſi. Cùm autem dicitur: *Spolia tinctũrarum ceruicibus ſpolij.* Eſt ſenſus, quòd ſpolia diuerſorum colorum accipiebantur pro ceruicibus, id eſt ad ornandum colla, & hoc dicit litera noſtra: & ſupellex varia ad ornādum colla congeritur: ille autem genitiuus ſpolij ſuperabundans eſt, ſicut multa alia in ſermone Hebræo.

Sic pereant omnes inimici tui Domine. Iſta eſt concluſio canticci, & finitur in oratione, ſcilicet quòd Debbora orabat, vt omnes inimici Dei, id eſt Iſraëlitarum ſic perirent ſicut perijt Siſara. Vocantur autem inimici Dei, non quòd Deus inimicos vllos habeat, cùm nihil odiſſe poteſt, Sapien. 11. ſed quando Iſraëlitæ colebant Deum, promiſerat eis Deus, quòd inimicus eſſet inimicorum eorum, & affligeret affligentes eos, Exod. vigeſimo tertio cap. ideo Iſraëlitæ vocabant vt communiter inimicos ſuos, inimicos Dei. D

Qui diligunt te ſicut ſol in ortu ſuo reſplendet, ita rutilent. Id eſt, colentes te cuiuſmodi erant Iudæi, rutilent per eminentiam proſperitatis, ſicut cùm ſol in ortu ſuo fulget. Hebræi exponunt hoc de futuro ſeculo, & putant hoc eſſe id quod habetur Eſai. 30. ſcilicet: Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum: quod ſatis conuenienter dici poteſt, hic tamen non intendebat Debbora niſi de præſenti proſperitate, quia orauerat quòd omnes inimici Iſraël perirent ſicut Siſara: nunc orat quòd Iſraëlitæ, qui Deũ diligunt, ſemper habeant proſperitatem: & non ſubdantur hoſtibus, nec obſcuretur eorum fœlicitas aduerſa calamitate, ſicut non eſt obſcurata lux ſolis, quando eſt in ortu, quando totum orbem ſua luce lætificat irradiando. *Hebraorũ ex. poſitio litera.*

Chronica temporalium euentuum ſub Samgar, Debbora, & Barac.

Qvæstio XI.

Chronica temporalium euentuum ſub Samgar, Debbora, & Barac, quorum tempora ad idem pertinẽt, ſcilicet quia ſub omnibus ſimul computantur anni quadraginta, de quibus dicitur hic, quòd *Quieuit terra annis quadraginta.* In principio horum annorum regnabat apud Athenienſes Erichthonius ſecundus in hoc nomine, cuius anni 14. fuerant completi anno, quo mortuus eſt Aod. vt declaratum eſt ſuprà 3. in fine. Reſtabant ergo de regno ſuo triginta ſex anni ad complendum 50. poſtquam regnauit apud Athenas Cecrops ſecundus in hoc nomine annis 40. cuius annus 4. erat quando mortuus eſt Barac, & completi fuerunt iſti 40. anni, de quibus hic. Eo tempore, vt ait hiſtoria Scholaſtica, regnum defecit apud Argos, & tranſlatum eſt in Micenas. Obijt Liber pater, qui & Bacchus dicitur, & nomine proprio Dionyſius: cuius ſepulchrum eſt apud Delphos iuxta Apollinem aureum. Pingitur verò muliebri corpore, quia mulieres militantes in ſuo exercitu habuit. Hoc tempore Ilium, quæ Troia dicta eſt, ab Ilio rege ſic nominato, condita fuit. Milletus quoque ciuitas Græciæ tunc condita eſt. Quæ verò dicuntur de Libero patre, ſiue Dionyſio ſecundùm Paulum Oroſium libro primo de Ormeſta mundi, longè antè fuerunt, ſcilicet quinque annis antè exitum Iſraëlitarum de Ægypto, qui fuit annus ante Vrbem conditam octingenteſimus decimus. E *Troia quo tẽpore cõditur.*

Caput VI.

F *Supr. 2. & 3. & 4.*

Tyrrheni Tyrrhena prouincia & marino mẽ indidit.

Fecerunt autem filij Iſraël malum in conſpectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſsi ſunt valdè ab eis. Feceruntq; ſibi antra, & ſpeluncas in montibus, & munitiſsima ad repugnandum loca. Cumque ſeuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalec, cæteriq; Orientalium nationum: & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ: nihilque omninò ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oues, non boues, non aſinos. Ipſi enim, & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant, & innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant, deuaſtantes. Humiliatusque eſt Iſrael valdè in conſpectu Madian. Et clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas. Qui miſit ad eos virum Prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de AEgypto, & eduxi vos de domo ſeruitutis, & liberaui de manu AEgyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligẽ-

A

bant vos: Eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum, & dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.

Fecerunt autem. Deſcripta fuit in præcedentibus tertia tribulatio inflicta per reges Chananæorum, hic ſubditur quarta tribulatio inflicta per reges Madianitarum, & Ammonitarum. Fuerunt autem Iſraëlitæ liberati ab iſta tribulatione per Gedeonem. Et diuiditur in duas partes. Primò ponitur pars principalis, ſecundò incidentalis, infrà 9. cap. prima in duas, primò ponitur tribulatio, ſecundò à tribulatione liberatio, ibi. *Qui miſit ad eos.*

Quarta tribulatio Hebræorũ ſub Madianitis, et Ammonitis.

Nunquid hic ſit ordo continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, ſint continuata ad præcedentia, vel ſit ordo mutatus?

Reſpondendum eſt, quòd ordo cõtinuatus eſt, quia prius Iſraëlitæ liberati fuerunt de manu Iabin, quàm de manu Madianitarum: hic autem agitur de plaga quam intulerunt Madianitæ Iſraëlitis. Dicendum etiam, quòd iſtud cœpit paruo tempore poſt ea, quæ habentur præced. cap. nam ibi ponitur totum tempus, quo durauit Barac, in quo Iſraëlitæ non declinauerunt ad idola: illo autem mortuo quanquam aliquanto tempore manſerint Deum colentes, citò tamen deſeruerunt eum, & Deus illicò tradidit eos in manus Madianitarũ: iſta enim erat conditio Iſraëlitarum, ſcil. quòd tempore iudicis cuiuſcunque non colerent idola, & illo mortuo colerent ea multo magis quàm priùs, ſuprà 2. c. Hic tamen agitur de perſecutione facta per Madianitas, ergo modicum fuit inter complementum 40. annorum, de quibus præced. ca. & principium huius perſecutionis per Madianitas. *Fecerunt filij Iſraël malum in conſpectu Domini.* Iſtud malum erat, quòd colebant idola, quia iſtud vocatur malum per excellentiam, & alia in cõparatione huius non reputabantur mala à Deo in Iudæis, & hoc erat commune in Iudæis: nam dicitur ſuprà 2. quòd mortuo iudice quocunq; declinabant Iſraëlitæ ad idola, & faciebant peiora quàm prius.

B

Iſraelitarum cõditio penes idola.

Quare dicitur hic, quòd fecerunt malum Iſraëlitæ.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR ſecundùm Rabbi Salomon, quare dicitur hic quòd fecerunt malum Iſraëlitæ, cùm ſuprà tertio, & quarto, & alijs locis dicatur: addiderunt filij Iſraël facere malum.

C

Reſpondit Rabbi Salomon, quòd in omnibus alijs vicibus non erant remiſſa peccata Iſraëlitarum, ideo peccata ſuperuenientia dicebantur ſuperaddita prioribus: nunc autem erant remiſſa omnia peccata præcedentia per cãticum Debboræ, in præcedenti cap. ideo dicitur: Fecerunt malum, ſcilicet nunc nouiter cœperunt, non exiſtentibus peccatis veteribus. Sed iſtud non ſtat, quantum ad aliquam partem. Prima pars eſt falſa, ſcilicet quòd in præcedentibus vicibus peccata non erant remiſſa. Nam aut loquimur de peccatis illis quantum ad culpam, vel quantum ad pœnam. Primum non ſtat: nam Iſraëlitæ clamabant ad Dominum, & dabat eis Saluatorem, qui liberabat eos de manu hoſtium, vt patet ſuprà tertio, & quarto: ſi tamen non fuiſſent abolitæ culpæ Iſraëlitarum, non dediſſet eis Saluatorem, quoniam non exaudiret eos: nam orationes peccatorum non exaudit Dominus, Ioan. 9. ergo quando habebant iudicem, remiſſæ erant culpæ. Item quia dicitur, quòd antequam daretur iudex Iſraëlitis clamabant ad Dominum, per quod innuitur contritio, & oratio lachrymoſa, iſta autem cauſant remiſſionem peccatorum. Item toto tempore, quo aliquis iudex principabatur, Iſraëlitæ colebant Dominum: ergo iam receſſerant à cultu idolorum, & conſequenter non manebant in peccato priori. Quod autem quantum ad pœnam remiſſæ eſſent iniquitates, apparet, quia pœna, quæ dabatur à Deo his, erat quòd tradebatur Iſraël in manus hoſtium, & ab hac liberabantur per iudicem aduenientem: ergo erat remiſſum peccatum quantum ad pœnam, & ſic debet teneri generaliter, quòd quandocunque moriebatur aliquis iudex, remiſſa erant peccata Iſraëlitarum præterita, quantum ad culpam, & pœnam. Secunda pars dicti non ſtat, ſcilicet, quòd per canticum Debboræ nunc fuerant remiſſa peccata omnia præterita: & iſta non ſtat, quia dato quòd temporibus præteritis nullum peccatum fuiſſet remiſſum, ſicut iſti præſupponunt, non remittuntur omnia per canticum. Et primò patet, quia non remittebatur aliquod peccatum, quia peccatum quantum ad culpam, ſola contritione deletur, Ezech. 18. Quacunque hora ingemuerit peccator, peccati eius non memor ero: ſed per iſtum canticum non conterebantur Iſraëlitæ de peccatis præteritis, quia poterant illud cantare non dolendo de peccatis, cùm multotiens peccatores enarrent iuſtitias Domini, iuxta illud Pſalm. 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & ſumis teſtamentum meum per os tuum? Item dato, quòd velles quòd illi, qui cantabant iſtum canticum cantarent contriti corde, & per hoc remitterentur peccata eorum, tamen non omnes Iſraëlitæ hoc cantauerunt, ſed Debbora, & Barac, vt patet præcedenti cap. Si autem dicas, quòd quamquam iſti ſoli cantarent, tamen cantabant nomine omnium Iſraëlitarum, & proficiebat eis. Adhuc non poteſt ſtare, quia non fuit iſtud canticum pro omnibus, ſed ſolùm in laudem eorum, qui expoſuerunt ſe morti. Vnde dicitur: qui ſponte obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino, & tamen non omnes iuerunt ad bellum de Iſraël: ſed quidam maledicuntur, quia non iuerunt, vt dicitur de terra Meroz, ſcilicet: Maledicite habitatoribus terræ Meroz, dicit angelus Domini. Alij autem increpantur, ſicut Ruben, Gad, Dan, Aſer, & aliæ tribus: ergo non poterant per canticum dimitti omnia peccata præterita.

Peccantiũ orationes non exaudit Dominus.

D

Dicendum ergo, quòd omnia peccata Iſraëlitarum, propter quæ tradebantur in manu hoſtium dimiſſa erant, quando moriebatur aliquis iudex, dicitur tamen: addiderunt facere malum, ſcil. quòd non fuerunt contenti malis, quę fecerunt tempore præcedenti, ſed etiam nunc alia mala adiungebant: hic autem ponitur, fecerunt, non ad ſignificandum aliquid ſpeciale, ſed quia non curat Scriptura diſtinguere, an dicatur addiderunt, vel fecerunt. *Qui tradidit eos in manu Madian ſeptem annis.* Id eſt, dedit eos ſub poteſtate Madianitarum ſeptem annis; vt affligerentur: & non ſolùm ſub Madianitis, ſed etiam ſub Ammonitis, & alijs populis Orientalibus, vt patet infrà in litera, & ſequenti cap.

E

Quomodo Iſraëlitæ in manu Madian tradi poterant.

QVÆSTIO III.

F

QVÆRET aliquis, quomodo poterant tradi Iſraëlitæ in manu Madian, cùm nunc non eſſent Madianitæ?

Reſpondendum, quòd Madianitæ nunc erant in magna multitudine, ita vt ſubijci poſſent eis Hebræi. Sed obijciet aliquis, quòd non eſſent, quia Iſraëlitę deleuerant omnes Madianitas, vt patet Num. 31. nam non reliquerunt niſi fœminas virgines, reliquos autem tam viros, quàm fœminas, magnos & paruos occiderunt, eod. cap. Reſpondendum, quòd nunc erant multi Madianitæ, quia licèt Iſraëlitæ occiderunt omnes Madianitas, quos habere potuerunt: multi tamen conſpecta duriſſima clade bellorum antè tempus de terra fugerunt, alij verò in ipſo bello exiſtentes, cùm ſe Iſraëlitis inferiores viderent, fugerunt ad alias gentes, & iſti multi erant. Recedentibus autem de terra illa Iſraëlitis, redierunt iſti in terram ſuam, & breuiter multiplicati ſunt ad magnum numerum, quia illi, qui fugerant multi erant: etiam quia à tempore, quo iſta facta ſunt de pugna Madian vſque ad tribulationem iſtam Iſraëlitarum tranſierunt anni multi, in quibus poſſent Madianitæ multiplicari ad magnũ numerum. Quod patet, quia illud bellum factum eſt vltimo anno exitus de Ægypto ad intrandum terram Chanaan, ſcilicet 40. anno quo ſteterant in deſerto. Quod patet ex ordine libri Numerorũ: nam iam peruenerant circa Iordanem ad manſionem penultimam, quando fecerunt iſtud bellum, quia habetur de aduen-

A aduentu apud Iordanem, Num. 21. & tamen postea habetur de pugna contra Madian, Numer. trigesimo primo: ergo iam peruenerant ad Iordanem. Item quia Aaron mortuus fuisset anno quadragesimo ab exitu de Ægypto quinto mense, vt patet Numerorum trigesimo tertio, mors tamen sua fuit in monte Hor, Numer. 20. & hoc multo antequam venirent ad locum, de quo iuerunt ad pugnandum contra Madian, vt patet ex ordine libri Numerorum: ergo bellum istud fuit anno quadragesimo ab exitu de Ægypto. Accipiantur ergo quadraginta anni, quibus iudicauit Hothoniel, sub quibus comprehenduntur tempora Iosue, vt declaratum est in prologo libri huius, & suprà 3. his addantur anni 80. sub Aod, suprà 3. deinde iungantur quadraginta anni sub Barac & Debbora, præcedenti cap. qui sunt centum sexaginta anni, in quibus poterant Madianitæ multiplicari nimis: nam Israëlitæ quando ingressi sunt in Ægyptum, erant solum 70. computatis magnis, & paruis, Genes. 46. & Exod. 1. & tamen ibi existentes solis ducentis quindecim annis, vt declaratum est Gen. 15. multiplicati sunt intantum, quòd in exitu erant sexcenta millia peditum absque paruulis, & mulieribus, Exod. 12. cap. ergo Madianitæ in centum sexaginta annis poterant multiplicari ad magnum numerum. Item simile fuit de Amalechitis: nam Saul pugnauit contra illos, & deleuit eos neminem derelinquens masculum, aut fœminam, 1. Reg. 15. tamen post paucum tempus Dauid pugnauit contra Amalechitas, 1. Regum 17. & 30. hoc autem, quia tempore belli multi fugerunt de bello, & de terra: & finito illo redierunt, & populauerunt eam: sic ergo facilè fuit nunc multos esse Madianitas.

B *Et oppressi sunt valdè ab eis.* Modus oppressionis infrà ponitur, scil. quòd vastabant totam terram Israël, ita vt nihil eis ad cibum relinquerent, sed omnia cum gregibus suis, & iumẽtis comedebant, & depascebantur.

Fecerunt ǫ̃ sibi antra. Id est fecerunt caueas in montibus, in quibus laterent propter timorem aduenientium Madianitarum, quia non solùm vastabant terram, sed etiam occidebãt habitatores eius. In Hebrẽo habetur: *Menacharoth.* Quod Hebræi exponunt, id est luminaria, eo quòd Macharoth deriuatur de luce, vel lumine, & putant aliqui Hebrẽi, quòd erant ista luminaria flammæ cremantes factæ in montibus ad ostẽdendum aliquid à longè per fumum: sicut fit inter pugnantes in confinibus regnorum, sic etiã fecerunt Israëlitæ quando ceperunt vrbem Hay: nam per fumum dederunt signum captæ vrbis, Iosue 8. Dicit tamen Rabbi Dauid Kimhi, quòd (Menacharoth) signat caueas habentes aliquas paruas fenestras in vijs, & hoc accepit litera nostra, scilicet: *Antra, & spelunc as in montibus.* Aliud genus cauearum in quibus latebant: iste erat modus Israëlitarum, scil. quòd quando timebant hostes, iacebant in montibus, in speluncis, & fixuris petrarum: sic fuit tempore Saulis quando Philisthini duxerunt magnum exercitum contra Israël, 1. Regum 13. scilicet quod cùm vidissent Israëlitæ se in arcto positos (afflictus enim erat populus) abscõderunt se in speluncis, & abditis, & in petris quoque, & in antris, & in cisternis.

Hebræorum opinio.

C *Et munitissima loca ad repugnandum.* Id est, quia putabant Israëlitæ, quòd non possent se defendere à Madianitis manentes in vrbibus, fugerunt in loca altissima montium, quæ solis ibicibus peruia erant, 1. Regum 24. & ibi putabant se defendendos de manu Madian. Vocantur autem loca munitissima, non quæ erant artificio humano munita, aut vallo circundata, sed naturaliter habebant fortitudinem ad resistendum ibi hostibus.

Modus tribulationis Israelitarũ cũ gẽtibus

Cumq; seuisset Israël. Hic ponitur modus tribulationis Israëlitarum cum Gentibus, scilicet quia Israëlitæ colebant agros, & serebant: Madianitæ autem, & aliæ gentes comedebant fructus eorum. *Ascendebat Madian, & Amalec.* Scilicet, postquam seuerant, & creuerat seges antequam peruenirent ad maturitatem vel spicam, veniebant Madianitæ, & Amalachitæ. Istæ gentes fauebant sibi inuicem contra Israëlitas: nam Deus qui volebat percutere Israëlitas, concordabat gentes istas, vt vnanimiter conuenirent contra Israëlitas, & magis possent eos affligere: sic etiam suprà tertio, Deus concitauit Moabitas contra Israël, & coniunxit eis filios Ammon, & Amalec. Quomodo autem Deus vniret corda istarum gẽtium ad persequendum Israël, declaratum est suprà 3. In Hebræo dicitur: *Veniebant Madian, & Amalec.* Sed idem est.

D *Et cæteri Orientalium nationum.* Id est, etiam omnes aliæ nationes Orientales veniebant. Vocantur hic Orientales, qui habitant ad Orientem terræ habitabilis, vt Indi, & aliæ gentes: sed quicunque populus est magis propinquus Orienti, quàm alius, etiam si sit sibi propinquus vocatur Orientalis respectu eius, sic patet de Madianitis, & Amalechitis, qui vocantur Orientales respectu terræ Iudæorum: manifestum tamen est, quòd vtraque harum terrarum est coniuncta terræ Iudęorum. Nam terra Amalec est coniuncta terræ Iudęorum ex latere Meridiano, & est in desertis Arabiæ, vt colligitur primo Regum 15. & 27. cap. & extenditur ad Orientem versus mare rubrum plusquam terra Iudæorum. & quando Israëlitæ steterunt in Cadesbarne, erant apud Amalechitas, vt patet Num. 14. Nam ibi erant in Cadesbarne, Num. 13. & ibi murmurauerunt: & dixit Deus Israëlitis, quia Amalachites, & Chananę habitant in vallibus cras mouete castra, Numer. 14. Et iterum ibidem dicitur, quòd descendit Amalechites, & Chananæus, qui erat in montibus, & persecutus fuit Israël vsque Horma: est tamen Cadesbarne iuxta terram Israël, scilicet in latere suo Meridiano, vt patet Numeri 34. & Iosue 15. sic etiam Madianitæ apud terram Chanaan: nam Israëlitæ exeuntes apud Iordanem anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, vt declaratum est suprà, pugnauerunt contra Madian, Numer. 31. cap. non tamen potuissent puguare, nisi esset Madian circa terram Chanaan: sic etiam aliæ terræ satis propinquæ terræ Chanaan vocantur ei Orientales, scilicet Mesopotamia, siue Haran, vt patet Numer. 23. cùm dixit Balaam de Haran vocauit me Balach rex Moabitarum de montibus Orientis, est tamen Mesopotamia, siue Haran satis coniuncta terræ Chanaan, vt declaratum est eodem capitulo. Hoc modo quidam nostrorum erant putantes, quòd Magi, qui venerunt ad Christum, venerint de extremo Orientis apud Indos, quia dicitur, quòd viderunt stellam eius in Oriente, Matt. 2. erat tamen illud satis propinquum terræ Chanaan. Vocantur autem hic cæteri de nationibus Orientalibus, scil. Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Syri, qui erant coniuncti terræ Iudæorum, & erant magis Orientales, nominantur tamen Amalechitæ, & Madianitæ, quia isti erant principales hostes. *Et apud eos figentes tentoria.* Scilicet istæ gentes non dominabãtur Israëlitis manendo in terra eorum; & exigendo tributa, & faciendo alias impositiones, sicut Philisthini tempore Saulis dominabantur Israëlitarum, & tenebãt semper magnam turmã militum in terra Israël, quæ vocatur statio Philisthinorũ, 1. Reg. 10. & 13. & isti milites cogebant Israëlitas ad non habendũ fabros ferrarios, nec arma, 1. Reg. 13. sed veniebãt singulis annis in terram Israël, dum erant segetes viridcs, & omnia vastabant ducentes secum greges suos, & iumenta. Et dicitur, quòd figebant tentoria apud Israëlitas, scil. quia ducebant tentoria, & totã familiam suam, vt aliquãto tempore quolibet anno manerent in terra Israëlitarum, quousque comederent omnia, quæ apud illos erant.

Situs terræ Amalec, & Madiã

F *Sicut erant in herbis cuncta vastabant.* Id est, antequam venirent ad maturitatem, consumebant omnia, vt Israëlitę non haberent aliquos cibos, & iste erat modus ad subijciendum Israëlitas in seruitutem defectu ciborum. *Vsque ad introitum Gazæ.* Id est, isti populi Orientales extendebantur per totam terram Chanaan, & accedebant vsque ad introitum Gazæ. Est autem Gaza quidam terminus terræ Chanaan, vt patet Genes. 10. cap. scilicet: Facti sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & est Gaza in confinio lateris Meridiani, & Occidentalis: nam latus Occidentale est mare Magnum, Numer. 34. capit. Gaza autem est apud mare Magnum, Iosue 15. & ponitur solùm iste terminus Occidentalis ad significandum, quòd istæ gentes extendebantur per totam terram Chanaan: nam istæ gentes erant Orientales respectu terræ Chanaan, cùm dicatur hic, quòd veniebant Madian, & Amalech, & cæteri Orientalium nationum, ideo introitus suus erat per frõtem Orientalem terræ Chanaan: maior autem extensio sua esset si extenderentur vsque ad latus Occidentale terrę illius, & sic fiebat. Ad quod significandum posita est Gaza, quæ erat in extremitate Occidentis terræ Chanaan. Et dicitur: vsque ad introitum Gazæ, id est terræ Gazæ: nam istæ gentes non vastabant terram Gazæ, quia illa pertinebat ad Philisthinos, & istæ gentes non erant hostes Philistinorum, sed

Gaza quid sit & vbi.

Error quorũdã nostrorũ circa aduentũ Magorũ ad Christum.

A Iſraëlitarum. *Nihilq; omninò ad vitam pertinens : elinquebant in Iſraël.* Id eſt, iſtæ gentes vaſtabant omnia, quæ habebant Iſraëlitæ, & non relinquebant aliquid viuens in terra eorum, & hoc tam in plantis, quàm in animalibus: nam omnes ſegetes comedebant ante maturitatem: animalia quoque quæcunq; habere poterant ducebant in terram ſuam, ita vt non maneret Iſraëlitis aliquod de quo viuerent. *Non oues, non boues, non aſinos.* Per iſta animalia intelliguntur omnia alia quæcunque haberent Iſraëlitæ. Nam ea quæ ad cibos pertinebant, comedebant iſtæ gentes in terra Iſraël, iumenta verò ducebant in terram ſuam.

Ipſi enim & vniuerſi greges eorum veniebant. Id eſt, non veniebant iſtæ gentes expeditæ ad pugnandum: ſed ducebant ſecum omnes greges ſuos, & armenta, & iumenta: hoc autē vt poſſent vaſtare omnia terræ naſcentia terræ Iſraël, vt paſcerentur ibi ſine labore eo tempore, quo iſta ſufficerent: non veniebant autem expediti ad bellum, ſcientes quòd Iſraëlitæ non reſiſterent eis, ita vt pugnare oporteret, ſed fugerent in montes. *Cum tabernaculis ſuis.* Maior pars iſtarum gentium, ſcilicet Amalechitæ non habent certa habitacula, ſed tentoria portatilia habentes, quando expedire putant mutant domicilium, & ſic eſt nunc inter quaſdam gentes Africanorū. Portabant ergo iſti domos ſuas, vt manerent aliquanto tempore in terra Iſraël.

B *Et inſtar locuſtarum vniuerſa complebant.* Id eſt, iſtæ gētes cum gregibus ſuis, & armentis replebant totam terram Iſraël ad modum locuſtarum: nam gentes erant multæ, & habebant pecora, & iumenta innumerabilia, & extendebantur per totam terram ad inquirendum meliora paſcua, quæ inuenire poſſent, ſicut extenduntur locuſtæ ſuper vniuerſam faciem terræ. *Vniuerſa multitudo hominum, & camelorum.* Intelligitur dupliciter, vno modo referendo ad præcedentia, ſcil. quòd veniebant de Amalech, & Madian vniuerſa multitudo hominum, & camelorum, quæ erant in terris illis, ideo faciliter deſtruebant quidq; d erat in terra Iſraël. Alio modo referēdo ad ſequentia, ſcilicet quòd vniuerſa multitudo hominum, & camelorum quidquid tetigerat deuaſtabat. Sed primus ſenſus eſt melior.

Quidquid tetigerant deuaſtantes. Id eſt iſtæ gentes cum pecoribus, & iumentis quidquid tangebant vaſtabant, ſcil. quia quamquam non comederent omnia, ſolo tactu vaſtabant ea conculcando præ multitudine hominum, & camelorum. Dicitur hic de camelis ſpecialiter, quia terra illa abundabat nimis in camelis, potiſſimè in terra Madian, & in deſertis Arabiæ. Sic tangitur Iſai. 60. ſcilicet: Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha.

Humiliatusq; eſt Iſraël valdè in conſpectu Madian. Id eſt oppreſſi ſunt valdè Iſraëlitæ à Madianitis, ſcilicet deducti ad magnā calamitatem, & non poterant reſiſtere eis. In Hebræo habetur: *Depauperatus eſt Iſraël coram Madian, vel miſer factus eſt.* Sed
C ad idem redit, quia pauperes, qui olim diuites fuerunt, depauperantur, & humiliantur. Dicitur autem de ſolis Madianitis, quia iſti erāt præcipui hoſtes, licèt multi Orientales populi venirent cum eis. *Et clamauit ad Dominum poſtulans auxiliū contra Madianitas.* Iſtud fuit in fine ſeptem annorum, cùm Iſraëlitæ non poſſent aliundè habere liberationem, clamauerunt ad Deum ſuum, vt liberaret eos: tunc autem doluerunt de peccatis ſuis præteritis, quia alioquin Deus non liberaſſet eos. Et credendum eſt, quòd Iſraëlitæ promiſerint tunc Deo quòd ſemper colerent eum ſi liberaret eos, ſicut fecerunt infrà 10. quando aſſumptus eſſe Iephte Galaadites in iudicem, nam dixerunt: peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantùm nunc libera nos.

Quando Deus liberabat Iſraëlitas de oppreſſione ſibi impoſita, an totus Iſraël derelinquebat idola.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRET aliquis, quando Deus liberabat Iſraëlitas de oppreſſione, quam impoſuerat eis propter illorum idolatriam: an totus Iſraël derelinquebat idola, & quomodo Deus conuertebatur ad afflictionem Iſraëlitarum?

Reſpondendum, quòd Iſraëlitæ toto tempore quo colebant idola intentione indurata, premebantur à gētibus, cùm autem non inuenirent liberatorem, dabat eis vexatio intellectum, iuxta illud Iſai. 28. & clamabant ad Dominum, vt liberaret eos: & quia ſciebant quòd non exaudiret eos, quia offenderāt eum, niſi deſererent idola, & conuerterentur ad eū, abijciebant idola, & petebant à Deo, quòd liberaret illos, & colerent eum, & in hoc confitebantur peccatum ſuum: ſic patet quando aſſumptus eſt Iephte, cùm dixerunt: peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantùm nunc libera nos. Et iſtud fiebat generaliter quandocunq; Iſraëlitæ premebantur à gentibus, & dandus erat aliquis iudex, ſic patet 1. Reg. 12. ſcil. poſtea clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus Baalim, & Aſtaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorum, & ſeruiemus tibi: & miſit Dominus Ieroboal, & Badan, & Barac, & Iephte, & Samuelem. Et ſic videtur, quòd quandocunq; mitti deberet quilibet iſtorum, Iſraëlitæ promittebant Deo, quòd colerent ipſum: non ſolùm hoc, ſed etiam actualiter proijciebant à ſe idola, & tunc Deus adiuuabat eos: ſic patet ante ſumptionem Iephte, infrà 10. cùm dicitur: Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantùm tu libera nos nunc. Et ſequitur: quæ dicentes omnia de finibus ſuis alienorum deorum idola proiecerunt, & ſeruierunt Domino, qui doluit ſuper miſerijs eorum: ſic etiam factum eſt tempore Samuelis 1. Reg. 7. cùm ipſe dixit ad Iſraëlitas, ſi in toto corde veſtro reuertimini ad Deum, auferte de
E medio veſtri deos alienos Baalim, & Aſtaroth, & dicitur: Abſtulerunt filij Iſraël Baalim, & Aſtaroth: & ſeruierunt Domino ſoli: & ibi ſequitur quomodo pugnauerit pro eis contra Philiſthinos. Sciendum tamen, quòd quanquam aliqua idola manerent inter Iſraëlitas rara, cùm tamen ferè totus Iſraël depoſuiſſet idola, Deus mittebat liberatores: ſic enim fuit hac vice, nam Deus miſit Gedeonem in liberatorem, & tamē nondum erant ablatæ omnes aræ idolorum, quia in vrbe ſua erat quædam ara Baal pertinens ad familiam patris Gedeonis, & Deus iuſſit ipſi Gedeoni, quòd ſuffoderet eam, vt patet infrà in litera. Credendum autem, quòd raræ aræ idolorum manſerant tunc in Iſraël, quia iam clamauerant Iſraëlitæ ad Dominum, & iſte clamor importat contritionem quādam de peccatis, ſcilicet, quia dicebant: peccauimus tibi, libera nos, vt ſuprà dictum fuit. *Qui miſit ad eos.* Hic ponitur ſecundum huius capituli, ſcilicet de tribulatione liberatio. Sciendum autem, quòd Iſraëlitæ nunquam à Deo liberabantur, niſi quando dolebant de peccatis præteritis, ideo Deus miſit Iſraëlitis repræhenſorem, vt verè pœniteant: ſecundò miſit liberationem, vt vincant, ibidem. *Venit autem angelus.* Circa primum dicitur: *Qui miſit ad eos virum Prophetam.* Scilicet in fine annorum iſtorum miſit Deus Prophetam ad Iſraëlitas, vt redargueret eos.

De tribulatione reuelatio.

Quomodo & ad quid miſſus fuit vir iſte Propheta.

QVÆSTIO V.

F QVÆRET aliquis, quomodo & ad quid miſſus fuit iſte vir Propheta?

Reſpondendum eſt, quòd poſtquam Iſraëlitæ ſeptem annis oppreſſi ſunt à Madianitis, clamauerunt ad Deum, tamen tunc nondum omnes Iſraëlitę abſtulerant idola de terra ſua: ideo non erant diſpoſiti ad hoc, quòd Deus illos liberaret: Deus tamen compatiens eis, quia premebantur nimis, miſit ad eos virum Prophetam, vt redargueret eos ex parte Dei, & ceſſarent Iſraëlitæ à cultu idolorum, & tunc Deus conueniēter poſſet eos adiuuare: & ſic Deus ex benignitate ſua nō ſolùm miſeretur nobis, ſed etiam facit nos dignos miſericordia ſua, inquirens tempus, in quo miſereatur: & ſic interdum nō ſumus digni miſericordia, & ſi Deus vellet agere contra nos, oporteret, quod affligeret nos: ideo differt punitionem, vt adueniat tempus, in quo ſimus digni redemptione, & miſericordia. Sic patet Iſai. 30. ſcilicet: Ideo expectat nos Deus, vt miſereatur noſtri. Sic autem miſit Deus iterum quendam repræhenſorem ad Iſraëlitas viuente Ioſue, vt patet ſuprà 2. nā angelus venit ibi ad locum flentium, & ibi locutus eſt contra Iſraëlitas. Credendum eſt, quòd nunc facta redargutione per iſtum virū ad Iſraëlitas ipſi doluerint, & fleuerint, & reliquerint idola: ſic enim factum eſt quādo angelus venit ad incre-

A pandum Iſraëlitas,ſuprà 2.nam fleuerunt omnes, ideo vocatus eſt locus ille flentium,& extunc fuerunt Iſraëlitę diſpoſiti,vt Deus illos adiuuaret.

Quis fuerit iſte vir Propheta,quem nunc Deus miſit.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlteriùs,quis fuerit iſte vir Propheta,quẽ nunc Deus miſit?

Reſpondent communiter doctores noſtri, quòd fuit angelus Dei veniens in figura viri,ſicut ſæpè veniunt, ideo vocatus eſt vir.Sed iſtud non eſt rationabiliter dictum: nã quòd angeli aliquando vocentur viri ſatis ſtat.Nam ſic vocatur Gabriel Daniel.10.& tamen erat angelus:hoc autem propter ſimilitudinem corporum aſſumptorum:non tamen vocantur angeli conuenienter Prophetę,eo quòd nullam ſimilitudinẽ cũ Prophetis habent, quia Prophetæ dicuntur à quadam cõditione ænigmaticæ cognitionis,quia Prophetæ,vel per ſomnia,vel per alios quoſdam modos obſcuros cognoſcunt: angeli verò cognoſcunt per verbum, in quo eſt clariſſima cognitio;ideo nequaquam concordant cum Prophetis,vnde nõ reperietur in ſacra Scriptura angelos vocari Prophetas, licèt Prophetæ vocentur angeli, & angeli vocentur viri: ſic enim dicit Auguſtinus:Nomine virorum ſæpè dicũtur angeli, ſed angelos Prophetas dici non occurrit,quãuis è conuerſo. Alij tamen dicunt,quòd ſi angeli futura prænunciant, cur nõ dicentur Prophetæ:quaſi dicat, nil prohibet. Sed falſum eſt,qa modus cognitionis hoc vetat: nam ſi quis aſtrologicè enunciet aliquid futurũ,non dicitur Propheta,ſed ſapiens: ſi quis tamen à Deo ſolo inſtructus iſta enunciet,Propheta dicetur: quia iſte ſic, & ille aliter cognoſcit: ita ergo circa futurũ differunt cognitio Prophetarum & angelorum.Dicendum igitur,quòd iſte fuit vir,& non angelus: quanquam iterum venit quidam angelus ad arguendum Iſraëlitas, ſicut iſte redarguit ſuprà 2.c.Sed tunc dubitãt,quis Propheta fuerit.Hebræi aũt & Nicolaus dicunt,quòd fuit iſte Phynees, qui erat Propheta.Reſpondendum,quòd nullo modo poteſt ſtare:nã verum eſt,quòd Phynees erat Propheta,vt vult Ioſephus 5.Antiquitatum: tamen non potuit ipſe viuere vſq; ad tempus iſtud,quod patet,quia Phynees in anno,quo Iſraëlitæ introierunt in terram Chanaan occidit ſcortum Madianitidem, & Zambri principem tribus Simeonis, Num. 25. & ſic ille erat tunc vir fortis,& animoſus,& ſaltem eſſet tunc annorum vigintiquinq;,vel quaſi: deinde accipiantur quadraginta anni ſub Hothoniele,in quibus includuntur tempora Ioſue, & octuaginta anni Aod,ſuprà 3.& 40.anni ſub Barac,& Debbora,præcedenti cap.& ſeptem anni quibus oppreſſi ſunt Iſraëlitæ à Madianitis, ſunt ſimul quaſi anni ducenti,ſcilicet 192. nullus tamen ad tantam ætatem acceſſit illo tempore, ſed ad

C mediocritatem, vel paulo plus. Hebræi tamen non attendunt tempora,ideo nimis errant. Sic etiam dicunt, quòd iſte fuit vir ille,qui locutus eſt ad Eli ſacerdotem ſummum, 1.Reg. 2. in fine temporis ſui, & tunc fierent anni Phynees vltrà 370. computando ſequentia tempora vſque ad finem principatus Eli: ſed iſta abſurda ſunt. Dicendum ergo, quòd iſte fuit quidam vir Propheta, & non conſtat quis ille fuerit, quia nihil de illo ſcriptum habemus.Sic enim fuit de illo viro Dei, qui venit ad Eli, 1.Regum 2. quia nihil vltra de illo exprimitur, & ſic fuerunt multi alij Prophetæ non famoſi, quorum nulla ſcripta fuerunt. *Locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël.* Primò aſſeruit ſe à Deo miſſum, vt reciperentur verba eius. *Ego vos feci conſcendere de Ægypto.* Iſtud beneficiũ Deus exprobrat Iſraëlitis præcipuè, quia iſtud fuit maximum, quod eis impendit:ideo ſæpè commemoratur.

Sciendum autem,quòd Deus quandocunq; vult increpare aliquos, ſemper exprobrat eis beneficia, ſi aliqua ſpecialia ab eo receperunt, quia ex hoc redduntur ingrati, non obedientes Deo ſuſceptis beneficijs.Item quia violator pacti eſt, quia fuit interpoſitum pactum inter Iſraëlitas & Deum, ſcil. quòd haberet Deus Iſraël in populum ſpecialiter eis benefaciendo,& Iſraëlitę haberent Deum in Deum ſuum eum ſpecialiter colendo,& legem datam obſeruando, Exod. 19. cap. *Et eduxi vos de domo ſeruitutis.* Id eſt, in Ægypto eratis ſerui, & non ſolùm ſerui,ſed etiam maxima,& grauiſſima premebantur ſeruitute. Vnde vocatur illa ſeruitus fornax ferrea Ægypti.Vocatur etiam ergaſtulum, Exod. 6. ſcil. Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum. Vocatur etiã catena cõprimens ceruices,Leuit.26. ſcil.confregi catenas ceruicum veſtrarum,vt incederetis erecti. *Et liberaui de manu Ægyptiorum.* Eadem ſententia repetita, quia idem eſt educere de Ægypto, & liberare de manu Ægyptiorum. Vel poteſt eſſe diſtincta ſententia, ſcilicet: Liberaui vos de manu Ægyptiorum, quando perſequebantur vos extra Ægyptum ſuper mare rubrum: nam tunc educti erant Iſraëlitæ de Ægypto, ſed non de poteſtate,vel manu Ægyptiorum, nec erant plenè liberati,niſi ibi liberati fuiſſent.De hoc Exod.14.& 15.*Et omnium inimicorum veſtrorum qui affligebant vos.* Intelligitur tam de illis,qui erant in deſerto,quàm de illis contra quos pugnauerunt in terra Chanaan. Nam in deſerto pugnauerunt multæ gentes contra Iſraëlitas,ſcilicet Amalechitæ,Exod.17. poſtea Chananæi & Amalechitæ,Num.14.poſtea ſoli Chananęi regis Arad,Num.21.deinde duo reges Amorrhæi,Numer.21.& Deut.2.& 3.poſtea Madianitæ,Num.31. & ab omnibus his liberati ſunt,quia triumphauerunt de eis,vt patet præallegatis capitulis: in terra autem Chanaan tranſito Iordane multa bella habuerunt,de quibus per totum Ioſue,& non intelligitur hic de illis, contra quos pugnauerunt poſt mortem Ioſue ſub iudicibus præteritis,quia patet in ſequenti litera, ſcilicet: *Eiecią eos ad introitum veſtrum.* Id eſt,Chananæos eicci de terra ad introitum veſtrum, id eſt quando vos ingrediebamini. Accipitur eijcere,id eſt facere,quòd non occuparent terram, & hoc ſiue occidendo eos, ſiue expellendo de terra: maximã pars erat eiectorum per occiſionem. *Et tradidi vobis terram eorum.* Scilicet,feci vos poſſidere illam, & vos non potuiſſetis vllatenus poſſidere eam, niſi ego mirabiliter vos adiuuiſſem. *Et dixi:Ego Dominus Deus veſter.* Id eſt, ego ſolus ſum Deus veſter,& non debetis timere alium, nec tenere idolũ in Deum. *Ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis.* Accipiuntur hic Amorrhæi: non prout dicit vnum de ſeptem populis terræ Chanaan, ſed vt nominat omnes illos ſeptem, quia iſti Iſraëlitæ,ad quos Deus loquebatur, non habitabant omnes in terra populi Amorrhæi, quia quidam in terra Iebuſæorum,Hethæorum, & Pherezæorum: ſic enim Chananęus interdum accipitur generaliter pro omnibus ſeptem populis, interdum verò pro vno. Et dicitur:Ne timeatis deos Amorrhæorum,id eſt ne exiſtimetis eos timendos,quia nihil ſunt, ſed ſolùm lapides, & ligna: qui verò putat illos timendos arbitratur illos deos eſſe,vel habere aliquam virtutem,& hoc erat inducere eos ad credendum, quòd dij Amorrhæorum non erant dij, ſed figmenta. *Et noluiſtis audire vocem meam.* Scilicet, quia ſemper timuiſtis, & coluiſtis eos deſerendo me.

Quomodo iſte ad increpandum veniens non denunciauit pœnam aliquam Iſraëlitis.

QVÆSTIO VII.

QVÆRET aliquis,quare iſte,qui venit ad increpandum non denunciauit aliquam pœnam Iſraëlitis: nam ille, qui venit ad increpandum, ſuprà 2.denunciauit pœnam magnam,ſcil.nolui delere gentes iſtas à facie veſtra, vt habeatis hoſtes,& dij eorum ſint vobis in ruinam.

Reſpondendum, quòd non denunciauit iſte pœnam propter duo: Primò, quia pœna, quæ denunciari debebat iſtis, ex parte erat in eis, & ex parte denunciata erat: nam quòd communicarent Iſraëlitæ Gentilibus, & colerent deos eorum, erat cauſa, vt manerent Gentes in hoſtes eorum, & dij illarum gentium in ruinam Iſraëlitarum: iſta autem pœna iam denunciata fuerat tempore Ioſue, ſuprà 2. capit. ideo cùm nunc eſſet eadem culpa,& deberetur eadem pœna, non oportebat iterum denunciari. Iterum ex parte Iſraëlitæ ſuſtinebant iſtam pœnam: nam tunc premebantur à Madianitis, quia iſta redargutio fuit anno ſeptimo ſeruitutis ſub Madian.Cùm autem venit angelus ad nunciãdum Iſraëlitis pœnam,& increpandum eos, ſuprà 2. non patiebantur Iſraëlitæ aliquam pœnam, quia erat tempore Ioſue. Ideo decuit tunc annunciari pœnam tanquam futuram, ſed nunc ſuperfluum

erat

D

Inimici Iſraëlitarũ contra quos pugnauerunt.

E

hic qũ Amorrhæi accipiantur.

F

A erat cùm eam haberent actualiter. Secunda ratio est, quia iste nuncius, qui nunc venit, fuit disponens ad liberationem Israëlitarum, scilicet, quia Deus volebat eos liberare: ipsi tamẽ erant indispositi, quia adhuc multi eorũ colebant idola, ideo misit increpatorem, vt recederent ab idolis, & colerent Deũ, & tunc essent dispositi, vt Deus liberaret eos. Sufficiebat ergo, quòd hic poneretur increpatio, vt corrigerentur, & non denunciaretur aliqua pœna, quia non tenebantur ad hanc: sed suprà 2. debuit pœna denunciari, eo quod non veniebat nuncius ad disponendum eos, vt liberarentur ab aliqua oppressione, sed solùm ad increpandum pro malisiquæ agebãt, vt magis moueret eos prænunciauit pœnam, ne arbitrarẽtur impunes futuros.

Venit autem Angelus Domini, *& sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumq; Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait:* Dominus tecum virorum fortissime. *Dixitq; ei Gedeon: obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: de Aegypto eduxit nos Dominus Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian. Respexitq; ad eum Dominus,* B *& ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian. Scito quòd miserim te. Qui respondens ait: Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei* Dixitq; ei Dominus. *Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum virum. Et ille: si inueni, inquit, gratiam coram te: Da mihi signum, quòd tu sis qui loqueris ad me Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi Qui respondit: Ego præstolabor aduentum tuum. Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes, carnesq; ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde. Cumq; fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos. Ascenditq; ignis de petra, & carnes, azymosq; panes consumpsit: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius. Vidensq; Gedeon, quòd esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitq; ei Dominus: Pax tecum: Ne timeas, non morieris. Aedificauit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocauitq; illud, Domini pax, vsq; in præsentem diem.*

Micenarum regni principium

1.q.1. c. cùm scripti.

C

Missio liberatoris Israelitarum.

Dux eligitur ad pugnandũ

Venit autem Angelus. Hic ponitur missio liberatoris, & diuiditur in duo: primò dux belli eligitur, secundo ad pugnandum mittitur, sequenti cap. prima in quatuor: primò dux eligitur ad pugnam, secundò certificatur circa personam angelicam, ibid. *Et ille: si inueni gratiam.* Tertiò præcipitur ei ad tollendam patris idololatriam, ibidem. *Cumq; adhuc esset in Ephra.* Quartò duplex signum petitur ad certificandum victoriam, ibidem. *Igitur omnis Madian.* Circa primum dicitur. *Venit Angelus Domini, & sedit sub quercu.* Iste Angelus veniebat ad dandum Israelitis liberatorem, & venit ad Gedeonem, quia ipse futurus erat liberator. Sciendum, quòd licèt iste esset Angelus Dei, tamen nondum constabat Gedeoni, an esset Angelus, sed putabat hominem esse, ideo petiuit ab eo signum, & quando vidit eum euanuisse credidit eum esse Angelum, & tunc timuit mortem. *Et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra.* Est Ephra nomen loci, in quo erat quædam magna quercus famosa, & sub illa sedit Angelus.

Quomodo dicitur Angelum sub quercu sedisse.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur, quod sedit Angelus sub quercu: nam apparuit Gedeoni, & Gedeon erat in torculari, ideo non appauit sub quercu.

Respondeti potest multipliciter: vno modo, quod Angelus sedit sub quercu, & non erat ibi Gedeon, nec ibi apparuit ei, sed inde iuit ad torcular, in quo excutiebat Gedeõ far. Sic dicitur suprà 2. quod Angelus Domini ascendit de Galgalis in locum flentium. Aliter dicunt alij, quod Gedeon erat sub quercu, vbi sedit Angelus, & non erat ibi in torculari aliquo, sed in area: dicebatur tamen esse in torculari, quia vbi erat nunc area fuerat quondam torcular. Aliter potest dici, quod sub illa quercu erat aliqua domus, in qua erat torcular, & in illa apparuit Angelus Gedeoni, primus & secũdus sensus nõ multũ stant. De primo, patet, quia superfluè diceretur, quod sedit Angel⁹ sub quercu Ephra, si ibi nihil facturus erat. Etiã quia hic non dicitur, quod venit de quercu Ephraim ad torcular, in quo erat Gedeon, sicut supra 2. dicitur, quod ascẽdit Angelus Domini de Galgalis in locum flentium. Secundus autem sensus non stat, quia litera dicit, quod erat in torculari, & omnes expositores tenent, quòd esset in torculari, vnde Iosephus 5. antiquitatũ ait: hoc maximum fuisse diuinæ prouidentiæ indiciũ, vt tunc vteretur torculari pro area, qa futurum erat per eũ, vt area, & torcularia replerentur. Dicẽdum ergo, quod torcular erat sub quercu: erat tamẽ locus ille forsitan aliqualiter occultus, & ibi Gedeon purgabat triticũ, ne videretur, & posset fugere à facie Madianitarum.

Quomodo dicitur, quod sedit Angelus sub quercu, quæ erat in Ephra.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo dicitur hic, quod sedit Angelus sub quercu, quæ erat in Ephra: nam Ephra est ciuitas in sorte Bẽiamin, vt patet Ios. 18. vbi ponitur inter vrbes Beniamin.

Aliquis dicet, quod erat tũc Gedeon in Ephra terræ Beniamin quãquàm ipse esset de tribu Manasse. Sed hoc nõ stat, qa hic dicitur, qꝺ ista Ephra pertinebat ad tribum Manasse: nã dicit, qꝺ ista area Ephra pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri: sed familia Ezritarũ est in Manasse, vt patet Num. 6. ergo Ephra erat in sorte Manasse. Item patet, quia ista area erat Ioas, & Ioas erat pater Gedeonis infrà in litera: Gedeon autẽ erat de tribu Manasse infrà in litera: ergo ista ciuitas Ephra erat in sorte Manasse. Respondendum, qꝺ Ephra erat in sorte dimidiæ tribus Manasse habitantis ad partem Occidẽtalem Iordanis: erat tamen duplex Ephra. Vna in sorte Beniamin, de qua Ios. 18. & 1. Reg. 13. cùm dicitur, quod vnus cuneus pergebat contra viam Ephra. Alia Ephra ponitur in sorte Manasse, & de illa dicitur dic. & sæpè vsque ad c. 9. Sic enim est de multis alijs ciuitatibus, quæ æquiuocantur in nomine: sic patet de Bethlehem: nam est in tribu Iuda, vt patet Matt. 2. & Mich. 5. & est in tribu Zabulon, vt patet Iosu. 19. sic etiam Asor duplex est in tribu Iudæ, & alia Asor in tribu Nephthali, vt patet Ios. 15. & 19. ideo pro diuersitate istorum locorum oportet considerari modum loquendi scripturæ, vt ex hoc cognoscatur an de isto, vel de alio dicatur.

Et pertinebat ad Ioas. Scilicet illa quercus, & torcular, quod erat ibi, pertinebat ad Ioas: & ob hoc Gedeon purgabat ibi triticum, quia Gedeon erat filius Ioas, vt patet infrà in litera. *Patrem familiæ Ezri.* Non vocatur pater huius familiæ quasi ipse fuerit primus in hac familia, quia ista familia habuit originem ab Ezri, ideo vocatur familia Ezri, vel Ezritarum, Num. 26. sed vocatur pater, id est, princeps, quia iste Ioas erat vir honorabilior in tota familia Ezritarum, & fortè ipse descendebat directè ab Ezri per primogenitorum lineam, & ob hoc principatus familiæ pertinebat ad eum.

Considerandum autem, quod tribus Israel distinguuntur per familias, & familiæ per domos, & domus per viros, vt patet Iosue 7. cap. tribus nominantur ab ipsis filijs Iacob, idco

Quõ distinguũtur tribus.

D E F

A

ideo tot sunt tribus quot filij eius, excepto quod Leui non cõputatur in tribum, quia non accepit sortẽ,& Ioseph computatur in duas tribus,scil.Ephraim,&Manasse,quia accepit duas sortes, 1.Paralip.7.c. familiæ aũt vocantur cognationes magis speciales sub ipsis tribubus, & istæ denominantur à filijs,vel nepotibus illorum,qui nominauerunt tribus,vt sicut à Iuda nominatur tribus Iuda,ita à filijs Iudæ, scil.Sella,Phares, & Zaram vocãtur familiæ Sellaitarum,Zareitarum,Pharesitarum, & à nepotibus Iudæ Esron, & Amul filijs Phares nominantur duæ familiæ, scil.Amuelitarum, Esronitarum, vt patet Nume.26.c. & sic est in tribu Ruben, & Zabulon,& singulis:de numero autem familiarum totius Israel, & quot familiæ sunt sub qualibet tribu habetur Nume.26. Deinde quælibet familia diuiditur per suas partes,quę vocantur domus,& illæ sunt minores cognationes: sic enim patet de Dauid,nã ipse erat de tribu Iuda, & de familia Phares, & postea ipse constituit quandam specialiorem cognationem in familia Pharesitarum, quæ non vocatur familia, sed domus,& sic dicitur Luc.1.de Domina nostra, qaod erat de domo Dauid, id est,de progenie.In qualibet autem familia erat deriuatio à capite familiæ, & ille, qui descendebat directè à capite familiæ per lineam primogenitorũ erat princeps, vel pater, & isti vocantur patres:sic fuit Ioas in familia Ezri,& consequenter Gedeon,qui erat primogenitus eius, erat princeps huius familiæ. *Cumq; Gedeon filius eius* Scilicet Ioas,ad quem pertinebat quercus Ephra. *Excuteret atq; purgaret frumẽta in torculari.*

B

Fortè non erat adhuc inuentus vsus triturandi messes, scilicet excutiendi grana percutiendo flagello, & baculo,sicut in quibusdam terris fit. Vel fortè quamquàm inuentus esset vsus triturandi, non audebant Iudæi tunc triturare, quia hoc deberet fieri in publico: hoc tamen non auderent propter Madianitas, ideo in secretis locis excutiebant grana baculo, & flagello. Sic fuit nunc in Gedeone. Et ista videtur causa quare fecit in torculari,scilicet, quia erat locus secretus. Vel si vis dicere,quod nõ fiebat propter timorem, dicetur,quòd excutiebatur ibi triticum, quia erat locus mundus, & non poterant grana effugere. *Vt fugeret Madian.* Id est,vt fugeret à facie Madian.

Ad quid proderat Gedeoni excussio granorum,vt fugeret.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quomodo poterat effugere, vel ad quid proderat ei excussio granorum,vt fugeret.

Resp. adquæsitum.

Respondendum, quod Madianitæ, & cæteri populi orientales,de quibus suprà dicitur, veniebant in terra Israel tempore messis cùm nondum matura erat, vt possent omnia vastare,& extendebant se per terrã totam Israel: venientibus aũt eis Israëlitæ fugiebãt ad montes:nam dicitur suprà,quod fecerant sibi antra,& speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca:in his locis manebãt Israëlitę absconditi timore mortis eo tempore, quo manebant Madianitæ in terra eam vastando, quibus recedentibus de terra Israelitæ descendebant de montibus,& colebant terram pro sequenti anno ne omninò perirẽt,& in angustia, & miseria, sed vt poterant sustentabantẽ. Aduenientе autem tempore messium,si manerent aliqua loca nondum inuasa à Madianitis pręoccupabant Israëlitæ, segetes non plenè maturas qualitercunque metere,& excutiebant grana,ferebantque quod poterant secum in montes, vt ibi sustentarentur eo tempore, quo manebant in terra Madianitæ:vnde quia nunc nondum Madianitæ occupauerant villam Ephra, Gedeon purgabat triticũ, vt ferret secum in montes ad manẽdum in antris, & speluncis quousque recederent Madianitæ.

C

Angelus Domini apparuit ei. Scilicet in figura viri,quia aliter non poterat videri ab eo, nec potuisset loqui, sed nondum credebat Gedeon esse Angelum.*Et ait,Dominus tecum virorum fortissime.* Ista salutatio fuit magnæ laudis, qualis nullus virorum suscepit vnquàm ab Angelo, nec potest dici, quòd ista esset falsa,& adulatoriè dicta: nam Angeli Dei non mentiuntur,& hoc dicitur ad confortandum eum: est sensus, Dominus tecum,id est,ipse adiutor tuus,& liberabit te ab omnibus malis.

D

Qualiter Gedeon vocatus fuerit ab Angelo virorum fortissimus.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR qualiter Gedeon vocatus fuerit ab Angelo virorum fortissimus.

Respondendum, quod multipliciter hoc potest accipi.Vno modo,quòd dicatur ad consolãdum eum:nã Deus missurus erat eum in ducem ad pugnandum contra Madian. Et quia si putaret se virrum infirmum non auderet pugnare, testimonio Dei vocatus est fortissimꝰ:sic fuit de Iacob,quando ingressus est terram Chanaan, & occurrit ei frater suus Esau:nam timebat eum valdè, Gen.36. cap. & vt Deus consolaretur eum, misit Angelũ, vt luctaretur cum eo ad auroram,quãdo visurus erat fratrẽ suum,& finxit Angelus, quod nõ potuit eum superare,& volebat recedere à Iacob: nec poterat:& posteà subditur ibi,q; Angelus dixit ibi Iacob:nõ vocaberis vltrà Iacob,sed Israel, quia si contra Deũ fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis, & tunc cõsolatus abijt Iacob, ita fuit hic consolatio Gedeonis contra Madianitas. Aliter dici potest, quod vocatur fortissimus non propter dispositionem,quã nunc habebat,quia nunc ad fugiendum se parabat,sed propter ea,quæ facturus erat posteà:nam magnifica gesta fecit contra Madianitas,vt patet infrà.

E

Sed adhuc dicendum, quod nihil obstat ad hoc, quòd nõ esset nunc Gedeon virorum fortissimus, licèt noluit Nicolaus,qui tenet istam immediatam positionem, scilicet quod non erat fortissimus, quia fugere parabat. Nam non fugiebat Gedeon ex timore, sed desiderio conseruãdi vitam: nam insipientia magna erat fugiente toto Israel in montes ipse solus tantæ multitudini Madianitarum se obijcere.

Aliter dici potest,quod erat fortissimus robore,& animositate, ita quod inter Israëlitas nullus erat ei æqualis robore, aut animo:& hoc est satis rationabiliter dictum. Primus tamen modus est conuenientior literæ: nam litera sequens de hoc intelligitur,& etiã ista,nam est sensus: Dominus tecum virorũ fortissime,id est,ipse est tecum adiuuans te,& liberans in omnibus:& ob hoc es fortissimus. Et in hoc sensu intellexit Gedeon verba Angeli.Quod patet ex responsione sua,sc. si Dominus nobiscum, cur nos apprehenderunt hæc oĩa, id est,verum est, q; Dñs est adiuuans nos,& liberans, & fortificans,cur tãta mala patimur? Rabbi Salom.& Rabbi Dauid Kimhi dicunt aliter vocari Gedeonem fortissimum, scil.per quandam illusionem,& ad hoc introducunt quandam quasi fabulam dicentes, quod Gedeon, & Ioas pater suus erant in torculari excutientes grana, & Gedeon dicebat patri suo,tu senex es,& impotens:venient hostes, & fugere nequibis: recede ergo prius,quàm capiaris: ego autẽ manebo, quia sum vir fortis,& licèt veniant hostes,fugere potero:recessit autem Ioas,& manente Gedeone apparuit Angelus dicens ei, virorum fortissime, quia ipse dixerat se virũ fortem, & sic est ista quasi illusio,scil.quod Angelus ideo eum sic vocauerit,q; ille sic se appellauit.Sed ista fabulosa,& ridiculosa sunt:nã Angeli Domini non agunt aliquid ludendo,vel irridẽdo,sedseriosè. Item,quia nõ est verisimile,quòd Angelus Domini irrideret eum,quem hortabatur ex parte Dei,vt esset dux belli.Itẽ falsum est quod præsupponunt, quòd scil.pater Gedeonis Ioas fugerit de torculari: nam sequenti die adhuc manebant in vrbe illa Ephra,quando perductũ est ad eum, quòd Gedeon suffodisset altare Baal infrà in litera: ergo ista nihil sunt, sed tenendus est primus sensus suprà positus.

Rabi Salom. & Rabbi Dauid Kimhi opinio.

F

Dixit q; Gedeon,obsecro Domine mi. Id est, obsecro vt respondeas ad hoc quod obijcio.*Si Dominus nobiscum est,cur apprehenderunt nos hæc omnia.* Quasi dicat,non videtur verum, quia si Deus nobiscum esset, nõ euenissent nobis tanta mala, quanta euenerunt. Sciendum autẽ,quod nunc non credebat Gedeon, quod iste, qui loquebatur erat Angelus,aut Propheta, sed quod mentiebatur, ideo obiecit ei hoc, quia impossibile esset dictum Angeli, sed posteà cognouit, quod erat aliquis nuncius Dei, quando Angelus Domini respexit in Gedeonem, vt infrà patet ex modo loquendi Gedeonis, sed adhuc non cognoscebat,quod erat Angelus,sed putabat esse aliquẽ virum quousque euanuit in sacrificio.

A

Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri nobis. Est modus quasi conquęstionis de Deo, scil. si vera sunt mirabilia, quæ patres nostri narrauerunt nobis de Deo, vbi illa sunt, id est, vbi est nūc potestas faciendi illa mirabilia? quasi dicat, quare non facit nunc talia si potestatem habet? Dicitur, quæ narrauerunt patres nostri, quia Gedeon nō fuit in Ægypto, nec fuit tempore Iosue in introitu terræ Chanaan, quia tunc fuerunt facta miracula, de quibus nulla vidit Gedeon: fluxerāt enim ab exitu de Ægypto vsq; ad tempus istud quasi ducēti decem anni, scil. quadraginta in deserto, & quadraginta sub Iosue, & Hothoniele, & octuaginta sub Aod suprà 3. & 40. sub Barac, præced. cap. qui simul faciunt 200. annos, quibus addatur tempus medium post mortē Barac vsq; ad istum annum septimum tribulationis Israel sub Madian, & essent quasi 10. anni. Non ergo viderat aliqua miracula Gedeon, sed patres sui narrauerant ei, quia Deus iubebat, quòd patres narrarent filijs, & illi nepotibus, vt sic deriuaretur memoria operum Dei per omnes generationes, sic patet Exod. 13. & Deut. 6. & Ios. 4. *Atq; dixerunt, de Ægypto eduxit nos Dominus.* Scilicet & educendo nos fecit multa mirabilia, & nunc non agit aliquod liberando nos.

Nunc autem dereliquit nos, & tradidit in manu Madian. Id est, tunc fecit mirabilia multa, & nunc nullum agit, sed potiùs deseruit nos in manus hostium. Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi exponunt aliter istam literam, scil. quod Gedeon dixit Angelo: heri fuit Pascha, & pater meus narrauit mihi mirabilia Dei, scil. Psalmum illū, in exitu Israel de Ægypto, & tamen nunc nō agit Deus aliqua miracula similia illis. Et arguit, aut patres nostri, qui erant in Ægypto erant iusti, aut peccatores: si iusti liberauit eos meritis suis, si peccatores liberauit eos benignitate sua: nunc autem liberet nos aliquo modo istorum, sed non liberat. Ista tamen expositio ridicula est: nam non erat tunc Pascha, vt infrà dicetur. Etiam non est verum, q̄ pater Gedeonis enarrauerit ei Psalmum: In exitu Israel de Ægypto, q̄a iste Psalmus nōdum erat factus: sed debet intelligi, q̄ enarrabantur in vespere paschali, scil. 14. luna mensis primi, qui erat vespere festiuitatis, & erat ipse dies Paschæ omnia gesta Dei educendo Israëlitas de Ægyto. Itē cùm dicunt, quod Gedeon arguit cōtra Angelum, aut patres nostri erant iusti, &c. dicendum falsum esse, quia istud argumentum est inconueniens. Nam dato, quòd essent Israëlitæ viri iusti, dum manebant in Ægypto, non merebantur educi de Ægypto, eo q̄ actus nostri boni facti propter Deum nō sunt causantes debitum, vel obligationem ad hoc, quòd Deus pro nobis aliquid agere debeat, quia nos tenemur ei ad seruitutē, & cùm seruierimus nihil fecimus supererogationis, sed adhuc sumus serui inutiles, sic patet Luc. 17. cum dixit Christus parabolam, scil. quis autem vestrum habens seruum arātem, aut bouem pascentem, qui regresso de agro dicat illi statim, transi, & recumbe, & non dicat ei para, quòd cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & post hæc tu manducabis, & bibes, non puto: sic vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Quantacunq; ergo bona pro Deo faciamus, nunquàm erit nobis obligatus ad faciendum aliquod bonum, quia vbi est obligatio incidit iustum politicum, quod est iustum propriè dictum, & tamen inter hominem & possessionem suam, vel inter hominem & seruum nō est iustum simpliciter, vel politicum, vt ait Arist. 5. Ethico. homo tamen quilibet est seruus Dei per naturam, & est possessio eius, vt patet Deut. 32. qui possedit te, fecit, & creauit te: ergo non potest esse iustum politicum inter Deum, & hominē, & consequenter non potest ex aliqua causa Deus obligari homini. *Respexit q̄ ad eum Dominus.* Id est, ille Angelus respexit ad Gedeonem.

B

Rabi Salom. & Rabbi Dauid Kimhi expositio litera.

An Gedeon peccauerit dicens, vbi sunt mirabilia, quæ narrauerunt nobis patres nostri,

QVÆSTIO XII.

QVÆRET aliquis, an Gedeon peccauit dicens: vbi sunt mirabilia, quæ narrauerunt nobis patres nostri?

Aliquis dicet, quod sic, quia Gedeon dicebat ista obijciendo contra verba Angeli, & nō credendo, quòd ille vera diceret, vt suprà declaratum est. Respondendum, quod non peccauit Gedeon, quia ipse non negabat mirabilia Dei, quæ narrauerant patres sui, dicendo illa falsa, sed mirabatur, & quasi conquerebatur, cùm Deus fecisset illa, cur nunc nō faceret similia mirabilia liberando: non credebat tamen Gedeon, quod ille, qui loquebatur esset Angelus, nec Propheta, & etiā putabat verba sua falsa esse, scilicet quod Deus erat cum Israelitis, & ob hoc arguit contra eum dicens: si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos omnia mala hęc? & in hoc non peccabat, quia nondum constabat ei illum esse Angelum, vel Prophetam. *Vade in hac fortitudine tua.* Id est, vade cum fortitudine tua, quam nunc habes. *Et liberabis Israel de manu Madian.* Scilicet percuties Madianitas, & non persequentur vltrà Israel.

C

D

In qua fortitudine iturus erat Gedeon ad liberandum Israel de manu Madian.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRET aliquis, quæ fortitudo erat ista, in qua iturus erat Gedeon ad liberandum Israel de manu Madian.

Respondēdum, quod fuit quædam fortitudo nouiter causata in Gedeone, quā Deus contulit, ita vt non formidaret multitudinē Madianitarum. Et ista fuit tradita quādo Angelus respexit eum, non quidem q̄ Angelus posset talem virtutem conferre: nam nullus potest agere in hominem, vel in alium conferendo talem virtutem, vel aliam quamcunq; nisi per media naturalia ad causandum illam per generationem, vel alterationem, nisi sit Deus, qui totam naturā in virtute continet: potissimè, quia ista erat qualitas quædam collata animæ; nullus aūt potest agere in animam, nisi Deus, qui ei illabitur, & intrinsecus est: fuit aūt ista fortitudo collata respiciente Angelo, quia tunc quando ipse respexit Deus operatus est, sicut sacerdote proferēte verba cōsecrationis Deus consecrat, & sacerdos nihil agit: simile autem Christus respiciendo fecit: nam Petrus negauerat Christum ter, & vltima vice Christus respexit Petrum, & immutauit fortissimè cor eius, ita vt qui prius negauerit, tunc subitò in amarissimas lachrymas prolapsus est, Luc. 22. scil. Et conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei: priusquàm gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè. Vel dicitur: vade in hac fortitudine tua, id est, ad fortitudinem adiutorij quod tibi promitto, scil. quòd tu possis liberare Israel de manu Madian.

E

Scito quòd miserim te. Id est, cognosce, quòd ego miserim te, id est, cùm pugnaueris contra hostes, vel videris eorum multitudinem nō paueas, sed recordare, quod ego misi te, & possum tibi subijcere, atq; subijciam omnia castra Madian. Sciendum, q̄ nunc cognouit Gedeon, quod ille, qui loquebatur ei erat à Deo missus, quia sensit in se quandam immutationem factam cùm respexit eum Angelus. Tamen nesciebat an Angelus esset, vel Propheta. *Obsecro Domine mi, in quo liberabo Israel.* Id est, quomodo liberabo, vel p̄ quid: quasi dicat, nulla mihi ad hoc opportunitas est, q̄a paucitas est potentiæ meæ, vt patet immediatè. *Ecce familia mea infima est in Manasse.* Scilicet, q̄a familia Ezri fortè erat de minimis familijs tribus Manasse, & hoc quantum ad multiplicationem prolis, quia erant pauci viri in ea. *Et ego minimus in domo patris mei.* Id est, & de omnibus viris domus patris mei: ego sum minimus in potentia. Etiam si essem primogenitus, vel maioris excellentiæ. Hoc dicebat Gedeon, q̄a si ipse pugnare deberet, putabat, quòd deberet prævalere contra Madian in multitudine gentis, sed in hoc ipse deficiebat. Adiutores sui debebant esse illi, qui erant in familia sua, sed illa erat parua: quia dicitur esse minima in tota tribu Manasse: ergo magis aptus videbatur ad hoc quilibet de alijs familijs, quam ipse: ipse specialiter aliter pugnare potest fultus adiutorio domesticorū suorum, sed in tota domo patris sui nō erat alius minor eo in potētia, ergo ineptus erat ipse ad pugnandū contra Madian: simile enim obiecit Saul Samueli, quādo denunciauit ei, quòd futurus esset rex, dicēs: nunquid nō filius gemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter familias de tribu Beniamin, vt patet 1. Reg. 9. quasi dicat: ego non sum aptus, vt sim rex propter paruam potentiam cognatorum.

F

A

An peccauit Gedeon dicendo in quo liberabo Israel.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRET aliquis, an peccauit Gedeon dicendo, in quo liberabo Israel, & obijciẽdo, quo familia sua erat parua: Aliquis respondebit, quod peccauit, quia non credidit illicò, vt dictum sibi est. Etiam, quia visum est ei, quòd nõ possem facere hoc, quia potestas sua erat parua: nam familia erat parua, & domus paternæ ipse minor erat.

Respondẽdum, quod non peccauit. Aliqui enim dicunt, quod non peccauit, qa non dubitauit de victoria, sed de modo: & hoc non est peccatum, quia non erat sibi reuelatus modus: sic enim Domina nostra ad verba Angeli dubitauit dicens: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Et tamen non peccauit, quia dubitauit non posse fieri quod Angelus dixerat, sed nesciuit modum, & quæsiuit. Sed dicendũ, quod nõ fuit hoc in Gedone: nam non dubitauit de modo, sed etiam de ipsa victoria, scil. an posset eam habere, vel an Deus ei illam concedere vellet: nam non solùm nunc dubitauit, sed etiam multis factis postea dubitauit, infrà in litera. *Doct. resp ad ꝙsitum* Dicendum tamẽ, quod non peccauit Gedeon hac vice, quia ipse non cognoscebat Angelum, qui loquebatur, vt patet infrà in litera: ideo dato, quòd non assentiret verbis, eius non erat admirandum. Quousq; ergo magis declararetur Gedeoni putabat, quod ista pugna fieri debebat potestate humana, sed ipse non habebat potestatem ex familia sua, quia

B

parua erat in tribu Manasse, nec ex familiarib⁹ suis, quia ipse minimus erat in domo patris sui, ideo rationabiliter dubitabat in quo liberaret Israël, id est, per quid.

Dixitq; ei Dominus: ego ero tecum. Id est, non indiges magno auxilio humano, quia ego ero tecum, & sufficiens erit tibi ad superãdum hostes. In hoc ostẽdit iste, qui loquebatur, quod erat Deus, vel Angelus, quia alius nõ poterat adiuuare in bello. *Et percuties Madian quasi vnum virum.* Id est cum auxilio meo ita facilè erit tibi percutere Madian quasi si percuteres vnum virum. *Certificatio penes personã angelicam.* Vel percuties quasi vnum virum, id est, sicut quando vnus vir percutitur nihil manet de eo viuens, ita percuties Madian, ꝙ nullus maneat de omnibus castris Madian. Nam rari manserunt, vt patet seq. c. & infrà 8. sed primus sensus est melior. *Et ille.* Hic ponitur certificatio circa personã angelicã, s. an ist iste, qui loquebatur esset Angelus. *Et ille.* Id est Gedeon dixit ad Angelum. *Si inueni inquit gratiam in oculis tuis.* Id est, si diligis me, vel si vis mihi facere aliquod bonum. Quòd enim aliquis coram alio gratiam inueniat: est quod ea, quæ ipse facit illa sibi bona videantur, vel ipsamet persona appareat, & desideret ei complacere. *Da mihi signũ, quòd tu sis, qui loqueris ad me.* Id est, da mihi signum, siue fac aliquod miraculum ad demonstrandũ, quod tu, qui loqueris ad me, es Angelus Dei, vel es talis, qui potes in bello me adiuuare, vt percutiã Madian.

C

An peccauit Gedeon petendo signum ad sciendum quis erat iste. qui loquebatur ei.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, an peccauerit Gedeon petendo signum ad sciendum quis erat iste. Aliquis dicet, quod sic, quia tenebatur credere Gedeon: nam verbis prophetiæ credere obligamur plusquã eis, quæ oculis conspicimus, vt patet 2. Petri cap. 1. ergo siue iste acciperetur vt Angelus, siue vt Propheta, credendum erat sibi simpliciter, & adhuc magis Angelo, quàm Prophetæ, quia Angeli boni nũquàm possunt loqui mendacium.

Respondẽdum, quod non peccauit, quia obligamur credere prophetiæ quando constat nobis verba esse propheticè dicta: sed Gedeon nesciebat an iste esset Propheta, vel Angelus, ideo etiam si non crederet aliquid de verbis suis nõ peccabat: & isto modo intelligitur dictum B. Petri: credere tamẽ non obligamur, quòd aliquis sit Propheta, vel Angelus, quan quàm ipse profiteatur illud, nisi ostenderit in aliqua probatione necessaria, sic patet Deut. 18. vbi Deus dixit, si dubitabatur de verbis alicuius, qui se Prophetam dixerat, quòd peteretur signum ab eo: & si eueniret erat probatio sufficiens, alioqui non. Item dato, quòd crederemus aliquem esse Prophetam, non obligabamur credere illum vera dicere, quia interdum Prophetæ non loquuntur propheticè, & mentiuntur, vel errant, interdum enim ex solo errore, vt in Nathan Propheta accidit, qui iussit Dauid, quòd ędificaret templum, & posteà tamen contrarium dixit: quia Deus illud non dixerat, 2. Regum 7. cap. Interdum autem ex iniquitate, sicut fuit in Balaã, qui malà loquebatur, licèt esset verè Propheta Dei, Num. 22. & 23. & 24. cap. & ob hoc dato, quòd constaret aliquem Prophetam esse ex multis actibus præteritis, quando aliquid posteà loqueretur, non obligabamur credere illud à Deo datum esse, ideo ad hoc, quòd assentiretur ei tenebatur indicare signum, sicut habetur Deut. 18. similiter quoq; beatus Ioan. Cano. 1. cap. 4. dixit: Nolite credere omni spiritui, sed probate an spiritus ex Deo sint. Quod intelligitur de spiritibus apparentibus, vt de Angelis, & de hominibus: non enim credendum est immediatè Angelo, quamquàm dicat se à Deo missum, & bona enunciet: nam Sathanas sæpè transfigurat se in Angelum, Luc. 2. Corinth. 11. Intelligitur etiam de Prophetis, & prædicatoribus: nam non est credendum omni vocanti se Prophetam, nec sunt accipienda dicta omnium prædicantium, sed in his omnibus probandum est an ex Deo sint: sic patet eodem capitulo Ioan. nam dicitur: Nolite omni spiritui credere, sed probate spirit⁹ si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum: & hoc quantum ad Prophetas: deinde subditur de prædicatoribus, scil. in hoc cognoscitur spiritus Dei, omnis spiritus, qui confitetur Christũ venisse in carne, hic ex Deo est. Licitum ergo erat Gedeoni inquirere quis erat, qui loquebatur: imò meritorium, quia dementia quædam est cuilibet assentire de se magna dicẽti, nisi quatenùs constiterit legitimis documentis, id est probatione certissima. Ista petitio signi, vel inquisitio est licita, quando nondum præcessit aliqua certificatio: si tamen aliquis semel certificatus est, dubitare posteà, & petere probationes infidelitas quædã est: nam qui certus est certiorari non debet. Et sic intelligitur, quod ait Apostolus: an experimẽtum quæritis eius, qui loquitur in me Christi, scilicet, quia isti iam habuerant de hoc probationẽ: quòd ergo nunc peterent iterum experimentum erat quædam infidelitas: nõ fuit autem tale quid in Gedeone, quia nihil certitudinis adhuc susceperat. *Ne recedas hinc, donec reuertar ad te portans sacrificium.* Referatur ad superiora, scil. non recedas hinc quousq; reuertar ad te, & portabo sacrificium, id est, materiam aliquam ad offerendum.

D

Aliquãdo Prophetæ mentiũtur.

Non semp angelis credendũ est, licèt bona dicant.

E

An Gedeon peccauerit offerens Angelo Sacrificium.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRET aliquis, an peecabat Gedeon offerens Angelo Sacrificium, cùm soli Deo offerendum sit, & ad quid offerret Sacrificium. Nam dicitur hic: & offeram tibi, scilicet, quod Sacrificium illi Angelo apparenti erat offerendum.

F

Respondendum, quod non peccauit: nam nõ offerebat ei cùm nesciret quis esset, sed dicitur offerã tibi, id est, ponã coram te, & tamen ad honorem Dei offerẽdum erat Sacrificiũ. Sic patet in Hebræo: nam dicitur. *Fac signum, quod mihi loqueris.* Vbi litera nostra dicit: da mihi signum, ꝙ tu sis, qui loqueris ad me: sed in hoc litera nostra clariùs locuta est, & posteà subditur in Hebræo. *Non recedas hinc quousq; reuertar ad te portans sacrificium, & ponam ante te.* Nunc ista litera ponam ante te, potest habere triplicem sensum. Primus est, ponam ante te, scil. ad hoc, quòd tu offeras, & non ego, & offeratur Deo. Secundus sensus, ponã ante te. i. præsente te offeram ad honorẽ Dei. Tertius sensus, ponã ante te. i. offeram coram te ad honorem tuum: primus & secundus stant, & nõ tertius: ideo litera nostra ad exponenda in aliquo illorum. Cùm autẽ quæritur ad quid Gedeon volebat ducere sacrificium. Respondendũ, quòd ad certificationem de Angelo loquente an esset Angelus, vel quis: nam ipse locutus fuerat taliter de se, quòd oporteret eum esse Deum, vel Angelum eius, nam dixit: Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum virum: ideo Gedeon dixit, si inueni gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis qui loqueris ad me, id est quod tu qui loqueris ad me, sis

A

ille,qui potes me adiuuare ad occidendum Madianitas quasi vnum virum. Ad hoc autem putauit Gedeon, quod nihil erat,in quo conuenientiùs appareret, quàm in sacrificio, scil. si Angelus ille faceret venire ignem de cœlo super sacrificiũ, ideo tulit sacrificiũ,& signũ huius est, quia tulit Gedeon sacrificium,& non ignem , & Angelus tetigit illud summitate virgæ,& exustum est:tũc cognouit certissimè Gedeon,quòd Angelus Dei erat,qui loquebatur.

An peccauerit Gedeon offerendo holocaustum per se ipsum.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Gedeon offerendo holocaustum per se ipsum. Aliquis dicet, quòd sic, quia istud erat specialissimum ministerium sacerdotũ, & nulli licebat,nisi sacerdotibus,si quis autem prẽter eos conaretur hoc facere,moriebatur,Numer.4.& 18. & sic fuit de Core,& socijs suis 250.viris, qui combusti sunt coram altari, Nume.16.cap. Gedeon autem erat de tribu Manasse, in qua non erant sacerdotes,nec Leuitæ:ergo erat ei illicitum.

Respondendum,quòd non peccauit Gedeon,qa ipse nolebat offerre sacrificium,ita quòd ipse faceret cęremonias sacrificij, sed duxit materiam sacrificij ad hoc, quòd Angelus sacrificiũ faceret,& per hoc cognosceret Gedeon an ille esset Angelus,vel aliqs à Deo missus:quod patet,qa dixit Gedeon ad Angelum , quòd portaret sacrificium,& poneret corã eo, scil.ad hoc,qp ipse Angelus cremaret illud,& faceret cæremonias illius,postea verò iussit Angelus,quòd poneret super petram sacrificiũ illud,& posuit:Angelus verò tetigit illud virga,& exustũ est: nihil ergo Gedeon egit de cæremonijs sacrificij,sed Dei Angelus,ideo non præuaricatus est in lẽge.

B

Nõnullorum resp. ad quæsitum.

Aliqui autem respondent aliter dicentes, quod egit hoc Gedeon ex dispensatione, sicut multi sancti patres egerunt similia,vt Samuel obtulit sacrificia, & non erat sacerdos, & etiam obtulit extra locũ sanctuarij, 1. Reg.7. similiter quoq; Elias non erat sacerdos,& tamen obtulit sacrificium in conspectu populi etiam,& extra sanctuarium, scil.in mõte Carmelo,3.Reg.18. Sed ista responsio non stat propter duo.Primò, quia nunquàm recurrendum est ad priuilegia existente iure cõmuni,& peccatum est dici fieri ex priuilegio quod fit ex iure cõmuni:sed Gedeon faciebat hæc iure cõmuni : nam præsentare materiam sacrificij ipsi sacerdoti cuilibet licebat laico,& sacerdoti,viro, & fœminæ : sed hic nihil actũ est, nisi quòd præsentauit Gedeon materiã sacrificij Angelo, & nihil fecit de cæremonijs sacrificij: ergo licuit hoc sibi iure cõmuni,& sic non est alleganda dispẽsatio,vel priuilegium. Secundum est,quia.si egisset ex dispensatione,hoc fuisset, qa Deus moueret eum ad faciendum hoc, & istud esset signum propheticum,scil.quia Deus reuelabat ei, quòd faceret. Sic fuit in Samuele,& Elia, quia erant Prophetæ, & inspirabantur à Deo ad faciendum hoc, sicut incitabantur ad alia dicẽda,vel reuelaretur ei per Angelum,aut per Prophetam,sicut reuelatum fuit Dauid , quòd faceret sacrificia in monte Moria per Prophetam Gad,vt patet 2.Reg.24.c.Gedeon tamen nõ erat Proheta,vt Deus ei hoc per spiritum propheticum inspiraret.Nec etiam reuelauit ei per aliquem Prophetam , aut Angelum,quia ipse nunc dubitat de Angelo, & ad hoc adducebat,vt Angelus offerret, & cognosceretur an esset Angelus: ergo non habuit ex dispensatione.

Improbratio

C

Quomodo Gedeon penitus à peccato excusaretur si Angelus non offerret sacrificium,& ipse deberet offerre.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlteriùs , quomodo excusaretur totaliter à peccato Gedeon, si Angelus non offerret sacrificium, & ipse deberet offerre.

Respondendum,quod Gedeon portabat sacrificandi materiã non intentione sacrificandi per se , sed vt cognosceret Angelum per sacrificiũ: vnde erat intentio sua ponere materiam istam corã Angelo,vt ipse eã sacrificaret:si Angelus hoc faceret nihil pecaret Gedeon.Si autem Angelus nollet facere cæremoniam aliquam super materiam illam, sed relinqueret intactam,vel conaretur facere, & nequiuisset succendere illud,vtpotè si non esset Angelus, Gedeon cognouisset hunc non esse Angelum,nec à Deo missum : & hoc sufficiens sibi erat,nec fecisset sacrificium de materia illa, sed comedisset, vel seruasset ad alios vsus,& sic non peccaret.

D

An peccauit Gedeon sacrificando in loco isto.

QVÆSTIO XIX.

QVÆREETVR vlteriùs, an peccauerit Gedeon sacrificando in loco isto. Aliquis respondebit quòd sic , quia solùm erat licitum offerre sacrificia in loco sanctuarij, Deute. 12. vnde si quis extra sanctuarium offerret, erat reus mortis,sicut si sanguinem effudisset,Leuit.17.

Respondendum est,quòd non peccauit Gedeon,qa aliàs Deus nõ haberet eũ, tam acceptũ in omnibus istis,& tribuẽs magnificã victoriam per manus eius.Et stat eadem ratio,quę in præced.q. scil.quia Gedeon non intendebat offerre sacrificium in loco illo, nec per se, sed intendebat præsentare illã materiam sacrificandam Angelo,vt per eam cognosceret,an esset Angelus,& si Angelus vellet eam sacrificare,& sacrificare non peccabat Gedeon, quia ipse nihil agebat: Angelo autem vbicunq; licebat hæc facere:si verò non esset ille Angelus,nõ posset succẽdere materiam illam, & maneret vt prius: tunc Gedeon cognito , quod ille non erat Angelus reseruaret materiam illam ad cibos,& non sacrificaret,& sic nõ peccaret sacrificando , nec extra sanctuarium sacrificando, quia neutrum eorum egit. Nicolaus autẽ dicit,quod hoc fuit ex dispensatione spec ali: erat enim vnus casus,in quo specialiter licebat offerre sacrificium extra sanctuarium , scil.quãdo in aliquo loco apparebat Angelus:sic Dauid construxit altare in Areunam Iebusæi,2.Reg.24.Quia ibi apparuit Angelus percutiens:sic etiam Manue pater Samsonis obtulit sacrificium extra sanctuarium , vbi apparuit ei Angelus, infrà tredecim.Sed dicendum,quòd ista positio nõ stat propter duo, sicut suprà dicebatur. Primò, quia existente iure communi peccatum est recurrere ad priuilegium :& prouenit ex ignorantia iuris communis : sic fuit hic in Gedeone,quia non fecit aliquid,quòd non liceret facere cuilibet , tam viro,quàm fœminę sine dispensatione vlla,quia non fecit sacrificium,vt declaratum est.Secundum est,qa non est verũ,quod vbicunque apparet Angelus, vel Deus possent Israëlitæ facere sacrificia,nisi cõstaret aliquo modo de voluntate Dei per reuelationẽ Angeli,vel aliàs quòd vellet ibi fieri sacrificia : sic patet in locis allegatis:nã Dauid non obtulit sacrificium in monte Moria,in Areunam Iebusęi,quia ibi apparuit Angelus,sed qa Propheta ei dixit ex parte Dei. Sic patet 3.Reg. 24. vbi dicit, quod Gad Propheta iussit Dauid hoc facere.Item quod allegatur infrà 13. de Manue sic fuit : nam volebat Manue dare cibos Angelo Dei,putãs eum esse Prophetam, & Angelus dixit:si me cogis non comedam panes tuos:si autem vis sacrificium offerre , offer illud Domino: & tunc Manue obulit sacrificium iussu illius,& licuit sibi, aliàs autem non obtulisset-nam quando cognouit Manue , quod erat Angelus Domini: iam obtulerat sacrificium , hic autem nondum cognoscebat Gedeon, quod ille erat Angelus , nec etiam ille iubebat tanquàm Angelus,nec tanquàm Propheta: ergo non licebat ei ex aliqua dispensatione offerre sacrificium in illo. Sed dicendum est,sicut prius.

E

Nicolai respon. ad quæsitum.

F

Qui respondit,ego præstolabor aduentum tuum, videbat Angelus quod Gedeon volebat ducere sacrificium ad experiẽdum,an ipse esset Angelus, & qa hoc erat conueniẽs expectauit Angelus illum.*Et egressus est itaq; Gedeon,& coxit hœdum.* Voluit Gedeon facere sacrificium,tã de carnibus,q̃ de pane, ideo coxit hœdũ,& azymos panes. Erat iste hœdus paruulus , & tener, ideo offerebat : quia Deus volebat tenera , & pinguia pro se. *De farinæ modio azymos panes,* id est, de vno modio farinæ accepit partẽ,&fecit panes azymos ad offerẽdũ.In Hebræo habetur. *Et fecit vnam fanecam farinæ azymos panes* , est sensus,quod vnam totam fanecam,vel modium farinæ fecit panes.Litera autem nostra ponit de modio farinæ , scilicet quia fortè visum est ei,quod multum erat facere vnam fanecam, vel modium tritici panes : satis tamẽ potest intelligi litera nostra, sicut Hebræa,s.quod vnam totam fanecam tritici panes fecit,

Hœdus tener quare Deo offerebatur.

Litera Hebræa.

scili-

A

ſcilicet quod de modio farinæ fecit panes, id eſt, de toto modio farinæ fecit panes, & eſt hoc ſatis rationabile, quia ſicut erant multæ carnes, ſcilicet vnus hœdus, ita debebant eſſe multi panes, & tamen nõ erat magna menſura modius, ſicut nunc eſt, quia non erat vnus modius, fortè decima pars fanecæ noſtræ. Quod patet, quia Booz dedit Ruth ſex modios tritici portandos, ſuper humeros in pallio, vt patet Ruth 3. & tamen modicum ſic portare puella poterat de area in domũ. *Carnesq; ponens in caniſtro*, ſcil. poſtquàm coxit hœdum poſuit eum in caniſtro, vt ferret ad Angelum manẽtem ſub quercu. *Et ius carnium mittens in ollam.* Id eſt, tulit ius, ſeu coquinam in olla ad Angelum.

Quare Gedeon hœdum coxit ad offerendum.

QVÆSTIO XX.

QVÆRET aliquis, quare Gedeon coxit hœdum ad offerendum: nam non offerri ſolet aliquid coctum, ſed carnes crudæ cremanẽ in altari, vt patet Leuit. 1. 3. & 4. & 7.

Reſpondẽdum, quod Gedeon coxit carnes ad duos vſus, ſcil. ad comedendũ, & ad offerendum: non enim ſciebat Gedeon, an ille eſſet Angelus, vel homo, ideo duxit cibos, vt comedere poſſet de illis, ſi eſſet homo Propheta, & reſiduũ offerret Domino in ſacrificium, & fieret experiẽtia, quam volebat Gedeon: ſic enim fecit Manue pater Samſonis: nam voluit facere hœdum de capris, & panes, vt comederet Angelus, quem putabat eſſe hominem Angelus verò reſpondit, quòd non comederet, ſed offerret illud Deo in ſacrificium, infrà 13. cap. ſic autem Angelus iſte, qui erat verus Angelus nõ comedit, ſed ſuccendit cibos in holocauſtum, quia tamen Gedeon dubitabat, & volebat facere cibos, pro viro oportuit, quòd coqueret, vel aſſaret cibos.

B

Quod ſacrificij genus erat hoc Gedeonis.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlteriùs, quod genus ſacrificij erat iſtud. Reſpondendum, quod nõ erat propriè in aliquo genere ſacrificij, nam nullum genus ſacrificij erat in quo tales cæremoniæ fierẽt. Quod patet, quia erãt tria genera ſacrificiorum, holocauſtum, hoſtia pacifica, & hoſtia pro peccato. In holocauſto autẽ nihil coquebatur, ſed omnes carnes crudæ ponebãtur in altari ſuper ignem, & cremabant, Leuit. 1. In 3. ſcil. hoſtia pacifica nihil coquebatur: nã nihil de illa Deus accipiebat, niſi adipes, vt patet Leuit. 3. & interdum renes ſiue lumbos, quãdo erat pacifica hoſtia de arietibus, vt patet ibidem. Hoſtia autem pro peccato non erat, quia illa cremabatur, interdum tota cum pelle cornibus, & fimo: vt ſi eſſet pro peccato ſacerdotis magni, vel totius populi, Leuit. 4. & interdum ſoli adipes cremabanẽ, & omnes carnes proueniebant ſacerdotibus, Leuit. 6. vocatur tamen ſacrificium inquantum oblatum eſt Deo, & combuſtum, ſicut cætera ſacrificia: ſic enim eſt in quibuſdam alijs, quæ non ſunt in aliquo illorum trium generum, tamen vocantur ſacrificia: ſicut agnus paſchalis, qui vocatur ſacrificium Domini, Nume. 9. & tamen non erat in aliquo illorum trium generum cùm carnes eius totaliter comederentur à populãribus, Exod. 12. ſic etiam vitula rufa erat ſacrificium, Nume. 19. tamen non pertinebat ad aliquod generum trium cùm tota cremaretur extra caſtra, & nihil de ea, ſcilicet, adipes: nec ſanguis offerebantur in ſanctuario, tamen iſta de omni ſacrificio pertinebant ad Deum. Sic patet Leuit. 3. ſcilicet, Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in cunctis generationibus, & habitaculis veſtris, nec adipem, nec ſanguinem omninò comedetis. Reducebantur tamen iſta duo ſacrificia, ad tria genera ſacrificiorum propriè dicta, ſcilicet, agnus paſchalis ad holocauſtum, & vitula ruffa ad hoſtiam pro peccato, vt declaratum eſt Nu, mer. 19.

Tria genera ſacrificiorũ.

C

(..)

Ad quod genus ſacrificij reduceretur hoc Gedeonis ſacrificium,

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlteriùs, ad quod genus ſacrificij reduceretur iſtud ſacrificium Gedeonis, quod cũ quolibet habet paucam ſimilitudinem.

Reſpondendum, quod reducitur tamen magis ad holocauſtum, quàm ad alia genera, quia in holocauſto quidquid apponebatur, cremabatur, & nihil habebãt inde ſacerdotes, Leuit. 1. & 6, ita hic fuerunt omnes carnes combuſtę cum panibus, & iure carnium: in alijs autem ſacrificijs non cremabantur omnia, ſed partes quædam ſecundùm varietatem, de quibus Leuit. 3. 4. & 7.

D

An ſacrificium de carnibus coctis offerri licuit, vt Gedeon fecit.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, an licuerit offerri ſacrificium, ſic vt obtulit Gedeon, ſcilicet de carnibus coctis.

Aliquis dicet quod non, quia nulli licebat agere contra ea quæ ſcripta erant in lege Moyſi, ſed ipſe deſcribens de ſacrificijs iuſſit carnes omnium ſacrificiorum crudas offerri, & incendi ſuper altare, vt patet Leuit. 1. & 3. & 4. & in multis alijs locis: ergo offerẽs carnes coctas in ſacrificium peccauit.

E

Reſpondendum, quod non peccauit propter duo: primò, qa Gedeon non fecit iſtud ſolum ad offerẽdum, ſed principaliter ad comedendũ, vt ſi ille homo eſſet Propheta, & de reliquo faceret experientiam, quã ipſe intendebat, non poterat, tamẽ caro eſſe diſpoſita ad cibum humanum, niſi coqueretur aut aſſaretur, ideo debuit eam coquere vel aſſare, deinde cùm præſentauit eam Angelo, ipſe noluit comedere, quia Angelus erat, ſed ſuccedit, & ſic non peccauit Gedeon, quia ipſe committebat carnes illas, & panes diſpotioni Angeli, ſcilicet, quòd comederet, vel ſacrificaret ſicut vellet: voluit autem ſacrificare ille carnes: ergo Angelo imputandum eſt, ſiue bonum ſiue malum, quod hic eſſet. Secunda ratio eſt, quia ſi quis vellet facere holocauſtum, vel hoſtiam pacificam, vel pro peccato, & cremaret carnes, peccaret ſi coxiſſet illas, vel aſſaſſet priùs. Gedeon tamen non intendebat hic facere aliquod iſtorum ſacrificiorum, ſed ſolùm ſuſcipere experientiam de Angelo, an eſſet Angelus per cremationem carnium, ſcilicet, ſi poſſet illas ſuccendere non appoſito igne: & ad hoc nihil magis erat, quòd carnes eſſent coctæ vel aſſæ, quãquàm eſſent crudæ: ideo non fuit circa hoc attendendum. Nam ſicut fuit experientia in carnibus & pane, ita potuiſſet facere eam in panno, vel lignis, aut lapidibus: obtulit tamen potiùs carnes, & pãnem ex cauſa dicta, ſcilicet, vt poſſent eſſe ad cibum. *Tulit omnia ſub quercu*, quia ibi manebat Angelus expectando ſub quercu. *Et obtulit ei*, ſcilicet, poſuit coram Angelo, ſcilicet, vt faceret de illis quidquid vellet, ſiue cremando, ſiue comedendo. Sciendum autem, quod Hebræi dicunt, quòd quando facta ſunt hæc, erat Paſcha, quod probant ex duplici motiuo, vnum eſt, quia obtulit Gedeon Angelo azymos panes, Hebræi tamen non comedebant azyma, niſi in feſtiuitate azymorum. Secundum eſt, quia in die Paſchæ ad noctem patres narrabant filijs ea, quæ fecerat Deus pro illis in exitu de Ægypto, & tamen ſuprà dixit Gedeon: patres noſtri narrauerunt nobis mirabilia, & ſic exponit Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi illam literam.

F

An verum ſit, quòd tunc eſſet Paſcha, ſiue feſtum azymorum.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR circa hoc, an verum ſit, quòd tunc eſſet Paſcha, ſiue feſtum azymorum.

Reſpondendum quòd non, & patet primò, qa feſtũ azymorum erat ſemper die decimoquinto, menſis primi, vt patet Leuit. 23. & in iſto feſto nondum erant aliquæ ſegetes

matu-

A maturæ in terram Chanaan, vnde in ſecunda die azymorum mittebatur, primò falx in meſſe ordeacea, vt patet eodem c. & ante hoc nulli Hebræo licebat quicquam metere, nec comedere panes nouos aut ſaltē ſumere grana de ſpicis, cū dicatur eodem cap. panem polentam, & pultes non comedetis de ſegete, vſque ad diem, quo offeretis ex ea Domino Deo veſtro, Gedeon tamen iam excutiebat triticum, quod meſſum erat: ergo præterierat tempus paſchale. Item patet, quia ſicut in feſto azymorum iubebat ſibi Deus de primis ſegetibus, ſcilicet, de ordeis antequàm quicquam comederetur, vel meteretur offerri ſibi partem in manipulo: ita antequàm quicquam comederetur de nouo tritico iubebat in feſto Pentecoſtes offerri ſibi de qualibet domo, duos panes nouos, Leui. 23. Gedeon autem excutiebat, nunc triticum in torculari, ergo tranſierat feſtum Prntecoſtes, quod eſt quinquaginta diebus poſt feſtum azymorum, Leuit. 23. vel tunc erat, & nondū comedere intendebat de farre illo, quod excutiebat vſquequò tranſiret Pentecoſtes. Item non ſtat poſitio Rabbi Salomon. quia repugnat literæ: nam ipſe dicit, quod Gedeon dixit Angelo: heri fuit Paſcha, & pater meus narrauit mihi miracula exitus de Ægypto, ergo dies iſte, in quo dicebat Gedeon iſta, eſſet dies quintusdecimus mēſis primi, quæ eſt primus dies azymorū, & conſequenter eſſet dies magnæ feſtiuitatis. Nam in illo non licebat facere aliquod opus, Leuit. 23. Gedeon tamen excutiebat triticum, & Deus non increpuit eum, ſcil. Angelus præſens: ergo nō erat dies azymorum. Sed

B adhuc aliquis reſpondebit, quod prædicta tria argumenta nō concludunt: nam licèt teneret illud regulariter, tamen quòd obligarentur Iudæi ad nō metendū ante illas feſtiuitates, & quòd in die primo azymorum nihil facerent: tamen neceſſitas nimia abſoluebat, ſicut Chriſtus dixit Matth. 12. quando Apoſtoli in ſabbato vellebant ſpicas & comedebant, & ipſe defendit eos allegās exemplum de Dauid: hic autem erat vrgens neceſſitas, ſcilicet, quia volebat fugere Gedeon propter timorem ſuperuenientium Madianitarum, vt patet ſuprà in litera: & ſi diſtuliſſet ad alios dies præueniſſent Madianitæ, & occupaſſent oppida, & ſegetes, ideo licuit ei hoc facere.

Dicendum, quod non ſtat, quia dato quòd contra legem voluiſſet metere far, & excutere de primo azymorum nō reperiſſet in terra, qa nondum habebat ſpicam. Nam tempore illo vix eſt, aliqua ſpica hordei matura in terra Chanaan: ſed virides erant omnes, & nondum quiſquam meſſuit, ſed primæ ſpicæ virides de hordeo ducebantur coram Domino in manipulo ad offerēdum, vt patet Leuit. 23. ergo nihil erat de tritico, quòd colligi poſſet: Gedeon tamen meſſuerat & excutiebat: ergo neceſſariò iam tranſierat feſtū azymorum. Ad argumenta Iudæorum dicendum, quòd nulla ſunt. Ad primum non valet, vt ait Nicol. quia non facti ſunt panes azymi propter feſtiuitatē ſed ꝓpter ſacrificiū, qa in ſacrificio nihil fermentatū poterat offerri, Leuit. 2. ſ. Oīs oblatio, quæ offerē Dño, abſq; fermento erit, nec quicquam fermenti, aut mollis adolebitur in ſacrificio Domini Dei tui. Sed iſta ſolutio non tenet, quod patet, quia ſi fuiſſet iſtud, quod obtulit Gedeon propriè ſacrificium, etiam non potuiſſent carnes coctæ cremari in altari, ſed crudæ, qa ſic iubebatur in omni ſacrificio, Leuit. 1. & 3. & 4. vbi ponuntur cærimoniæ omnium ſacrificiorum, ſed potuit hoc fieri, ergo potuerunt panes fermentati offerri. Sed dicendū, quod cauſa fuit ipſa feſtinatio Gedeonis: nam ipſe volens habere experimētum de Angelo, orauit nimis, vt pręſtolaretur: Si inueni gratiam in oculis tuis nō recedas donec reuertar, & conceſſit hoc Angelus. Putauit aūt Gedeon, quòd ſi ipſe magnam moram faceret, recederet Angelus, vel faſtidiretur, ideo voluit citò expedire: & qa non habebat panes in domo, oportuit, quòd nouos faceret, & qa ſi illi debuiſſent fermētari oportebat expectare diutiùs quouſq; fermentarentur, voluit ergo facere azymos, vt citò expediret, quia illi mox vt formantur poſſunt coqui.

Conſiderandum autem per hoc quod in teera Chanaan, & in terra Ægypti, & in magna parte Aſiæ in terris valdè calidis, in tertio vel ſecūdo climate, propter caliditatem regionis panes formati & cocti, illicò dureſcunt, ideo coguntur quaſi quotidiè formare panes homines terræ illius, & quia ſi haberent maſſam fermentatam ſemper factam illa corrumperetur velociter propter fermētum, & propter calorem regionis, faciunt paſtam maſſæ non fermentatæ, & illam cuſtodiunt per quotcunq; dies volunt: quia non poteſt corrumpi faciliter cùm non habeat fermentum, & ſi induratur mollificant eam aqua, & de illa quandocunq; volunt ſumūt partes, & formant quot panes volunt: manet autem reliqua maſſa. Et hoc modo ſi oporteat velociter parari cibos, ſic panes formant. Iſtud patet aliqualiter Exo. 12. nam Iſraelitæ exeuntes de Ægypto ligauerunt maſſas in pallijs, & portauerunt in itinere non fermētatas, & de illis facichāt quotidiè panes quan diù durauerunt illæ maſſæ. Si autem fuerant fermentatæ corruptæ fuiſſent illicò antequàm Iudæi poſſent facere aliquem panem, ſcil. die, quo exierunt de Ægypto, ideo non fermentauerunt maſſas, & iſta fuit cauſa quare in exitu de Ægypto Iſraëlitæ non fermētarent maſſas. Sed arguetur quod falſum eſt, qa Exo. 12. dicitur: tulit populus cōſperſam farinam antequā fermentaretur, & ligans in pallijs impoſuit ſuper humeros ſuos, & iterùm, coxerūt farinam, quam dudùm de Ægypto conſperſam tulerant, & fecerūt ſubcinericios panes: nec enim poterat fermentari cogentibus exire Ægyptijs, & nullam moram facere ſinentibus.

Reſpondēdum, quod Iſraëlitæ habebant intentionē conſpergēdi maſſam, & fermentandi illa nocte, & faciēdi fermentatos panes, vt recederent in aurora, qa tamē coacti ſunt media nocte recedere ex inopinato, ſurrexerunt & conſperſerūt farinam aqua, & potuiſſent tunc ponere modicū de fermēto, & ipſa maſſa ꝑ ſe poſteà fermentaretur: quia tamē non permittebantur tantam moram facere in Ægypto, vt poſito fermento poſſet maſſa fermētari, & formari in panes ac coqui, noluerunt eā fermentare, qa tunc cùm portaretur fermēta-

E ta corrumperetur ante finē diei ipſius: imò ante 4. vel 5. horas propter terræ calorē, & tamen Iſraëlitæ non poterant illa die ſedere ad coquēdum, & formandū panes propter feſtinantiā exeundi de Ægypto, ideo voluerunt fermētare maſſas: voluntarium ergo fuit in Iſraëlitis quòd non fermētarent maſſas. Iſtum modum ſuprà poſitū maſſarum non fermentatarum ſeruant vſq; hodiè gentes Ægypti, & Arabiæ, & Chanaan, vt referunt, qui viderunt, & refert Rabbi Abrahā Abenezra ſuper Exodū, qui fuit in Ægypto, & Arabia, vt ipſe teſtaē. Hoc etiam obſeruatū fuit à principio in terra illa, antequàm eſſent Iudæi in ea. Et hoc apparet Gen. 18. quia quando venerunt tres Angeli ad eum fecit citò azymos panes, vt patet ibidem: eodem quoq; die iuerunt duo Angeli iſtorum Sodomam in domum Loth, & dedit illis azymos panes, Gen. 19. non tamen accidiſſet hoc, niſi quia erat talis conſuetudo in terra illa. Ad ſecundam rationem Rabbi Salom. dicendum, quod illa eſt fabula: noſtra litera non dicit quod præcedenti die recitauerat pater Gedeonis ei miracula exit⁹ de Ægypto, ſed ait: vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres noſtri nobis? & eſt ſenſus quod aliàs conſueuerant eis talia narrare. Et patet, quia dicitur patres, & ſignificat antiquitatē narrationis: aliàs dixiſſet quæ narrauit pater meus mihi: non ergo erat tunc feſtum azymorum, ſed aliud tempus poſt, ante Pentecoſten, vel paulò poſt, quia farra nō erant omninò matura, tamē excutiebant de ſpicis. *Cui dixit Angelus: tolle carnes, & panes azymos.* Gedeon poſuerat hæc corā Angelo, vt diſponeret de eis quæ vellet, ipſe autē iuſſit, quòd poneret ſuper petram: erant enim iſta ſimul in caniſtro. *Et pone ſuper petrā illam,* oſtendit eam ſibi Angelus ad oculum, & voluit ipſam eſſe altare. *Et ius deſuper funde,* id eſt, funde coquinam carnium ſuper carnes, & panes ſimul poſita, ita vt omnia madefierent.

Angelus quare iuſſit ius deſuper fundi.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRET aliquis, quare iuſſit Angelus, quòd funderetur ius deſuper.

Reſpondēdum, quod ad hoc fuerunt duæ rationes. Prima fuit, qa Angelus voluit dare experientiam de ſe, quod eſſet Angelus: eſſet aūt tanto maior experientia, quanto eſſet maius miraculum, & qa quanto magis madefierent carnes & panes, tanto erāt minus diſpoſita ad combuſtionē, voluit ea madefieri. Sic fecit Elias qñ coram populo in mōte Carmelo obtulit ſacrificiū ad conuincendos Prophetas Baal. Nam vtriq; ſine igne ſacrificiū facturi erant; Elias verò ad manifeſtationē magnam miraculi fecit repleri quatuor hydrias aquæ, &il-

Reſpon ſio Nicolai.

C

Quadā terra in ſecūdo & tertio climate coguntur quotidiè formare panes.

D

F

A & illas effudit ſuper carnes, & ligna ſacrificij; iterum autē ac iterum hoc fecit, ſcil. duodecim hydrias aquæ effundi fecit, quouſq; foſſæ apud altare repletæ ſunt aqua: & cùm oraſſet, ignis egreſſus à Domino vorauit carnes, & ligna & lapides altaris, & puluerē in circuitu, & aquas, vt patet 3. Reg. 18. c, & ſic manifeſtè cognita fuit poteſtas Dei. Secunda cauſa fuit, quia Gedeon obtulit Angelo carnes, & panes, & ius carnium neſciens an homo eſſet, & ſi vellet comedere, haberet, de quo ſecundùm conſuetudinē humanam comederet. Angelus aūt non erat comeſturus, quia verus Angelus erat, ideo voluit vt omnia, quæ Gedeon tulerat, in Dei ſacrificium cederēt, & ſic fecit ius carnium ſuper carnes, & panes fundi. *Cumq; feciſſet ita*, ſcil. quia poſuit omnia ſuper petram, & fudit ius ſuper carnes. *Angelus Domini extendit ſummitatem virgæ, quam tenebat manu*, ſcil. extendit virgam ad tangendum ſacrificia, vt ſic inſurgeret ignis, & cognoſceretur, quod per Angelum fiebat. *Et tetigit carnes, & azymos panes*, ſcilicet vt vtrunq; cremarentur. *Aſcenditq; ignis de petra*, ſcil. immediatè vt Angelus tetigit azymos panes & carnes, ad ſignificandum, quod voluntate eius exibat ignis ille, & non ab accidenti. *Et carnes azymosq; panes conſumpſit*, ſcilicet cremauit faciliter nihil dimittendo, quia ille ignis à Deo datus erat.

Quare volebat Gedeon probationem iſtam in crematione ſacrificij, &c.

QVÆSTIO XXVI.

B QVÆRET aliquis, quare volebat Gedeon probationem iſtam in crematione ſacrificij ad ſciēdum an iſte, qui loquebatur erat Angelus, vel Propheta miſſus à Deo.

Reſpondēdum, quod crematio huiuſmodi erat ſupernaturalis, & quomodocunq; aliquis oſtēdit miraculum ad confirmationem dictorum ſuorum, ſufficienter probat: ſic enim iuſſit Deus, quòd ſi dubitaretur de Propheta, an vera diceret, quòd peteretur ſignum, & ſi eueniret, vel non, cognoſceretur, an eſſet Propheta, vel non, Deut. 18. Alia cauſa erat, quia crematio ſacrificij ſpecialius pertinebat ad Deum, ideo ſi prę-ſente iſto cremaretur ſacrificium, manifeſtum eſſet à Deo miſſum, ſic enim probauit Elias coram toto Iſraël, cùm Iſraëlitæ adulterati fuiſſent poſt Baal, & ait: quouſque claudicatis in duas partes? ſi Deus eſt ſequimini illum, & ſi Baal eſt ſequimini eum: & obtulit ei probationem de cremationē ſacrificiorum, quam ſpontè ſuſceperunt, & quia ſacrificium ſuum crematum eſt, & non ſacerdotum Baal, illi occiſi ſunt, 3. Regum 18. cap. petiuit ergo hanc probationem Gedeon tanquàm conuenientem.

An iſte ignis, qui combuſſit ſacrificium, de cœlo venerit,

QVÆSTIO XXVII.

C QVÆRETVR vlteriùs, quomodo iſte ignis, qui combuſſit ſacrificium venit, ſcil. an venit de cœlo, vel an cauſatus eſt de carnibus vel lapide.

Aliquis dicet, q; Deus miſit illū de cœlo ad ſignificandam ceptionem ſacrificij: ſic patet de ſacrificio, quod fecit Aaron in principio ſacerdotij ſui: nam ignis venit de cœlo: quia dicitur Leuit. 9. Ecce ignis egreſſus à Domino deuorauit holocauſtum. Item patet de Elia. Nam orāte eo cecidit ignis de cœlo ſuper ſacrificia ſua, vt patet 3. Reg. 18. cùm dicitur: cecidit autē ignis Domini, ſed cadere eſt de alto, & ſic venit de cœlo. Item quando Elias vocauit ignē ſuper quinquagenarios, venit de cœlo, vt patet 4. Reg. 1. ergo ſic fuit hic.

Reſpon-ſio ad q̄ſitum Reſpondendum, quòd quocunq; modo veniret iſte ignis ad cremationem hoſtiarum, erat à Deo: poterat tamē vtroq; modo eſſe. Nam quòd de ſphæra ignis duceretur aliqua pars ignis, miraculum erat, tum q̄a eſt contra naturā ignis deſcendere: tum & principalius, quia nō videtur quomodo poſſet ignis de cœlo deſcendēs tranſire p frigidiſſima interſtitia caliginoſi aëris, & non extinguat. Quòd etiā ſubitò ignis generaretur in terra de petra ſine concuſſione, vel de ipſis carnibus, & panibus, miraculum eſt: ponendum eſt ergo illud quod magis conuenire videtur literæ, magis autē conuenit, quòd dicatur ignis iſte genitus ſubitò de carnibus ſacrificij, vel de petra, cùm dicatur ignis aſcēdiſſe de petra: ergo dicendum erit, q̄ iſte ignis nō venit de cœlo, ſed fuerit cauſatus de petra. Cùm aūt obijcitur de igne, qui egreſſus eſt à Dño, dicendum quod non apparet an venerit de cœlo, vel egreſſus fuerit de altari: magis aūt videt dicēdum, q̄ ille ignis egreſſus fuerit de altari, ſic patet Leuit. 10. de igne, qui egreſſus eſt à Dño, & combuſſit Nadab, & Abiu: nā de illo declaratum eſt quòd egreſſus fuerit de altari holocauſtorum, cùm ipſi irent ad offerendū thus: ſi tamē dicamus quod venit de cœlo ignis, non obſtat ad id quod dicimus, quia non eſt dubium vtroq; modo fieri poſſe: ideo tenebitur modus ille, qui magis cōformatur literæ: iſte aūt eſt, quòd iſte ignis egreſſus fuerit de petra. Ad ſecundū dicitur de igne, quē Elias fecit venire ſuper ſacrificium dicendū, quod illud fiebat ad manifeſtationē magnam virtutis Dei, quia Elias contēdebat contra oēs Prophetas Baal, & quia expreſſius miraculum erat, ſi viderēt venientem ignem de cœlo ad cremandum ſacrificium, quàm ſi ſuccenderetur de ipſo ſacrificio, ideo venit de cœlo: hic autem non fuit hoc neceſſarium, ſed ſatis erat, quòd oſtenderetur miraculum aliquod: ideo fuit ſurgens ignis de petra. Ad tertium de igne veniente de cœlo ſuper quinquagenarios. D *Ad 1. rationem in diuerſum.* *Ad 2. rationē*

Dicēdum, quod ſic venit, quia ſic eum vocauit Elias: ſi autem vocaſſet eum aliter, ſ. vt ſurgeret de terra, ſic ſurrexiſſet. Gedeon aūt nihil petiuit ſpecialiter, ideo ſuffecit q̄ Deus daret quemcunq; modum crematiōnis ſacrificij. *Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius*, id eſt conſummata cremationē ſacrificij, Angelus diſparuit. Hoc autē, quia iam probauerat id, quod intendebat ſe eſſe Angelum: & hoc opus erat Gedeoni ad hoc quòd crederet, & diſponeret ſe ad faciendum illa, quæ ipſe dixerat, & in iſta fuga, vel diſparitione dedit ſignum, q̄ erat Angelus: nam ſi fuiſſet homo verum corpus habens, non potuiſſet ſic euaneſcere: videnſque Gedeon quòd eſſet Angelus Domini, ſcil. per iſta ſigna data cognouit eum eſſe Angelum. *Ad 3. rationē* E

Quomodo ex his Gedeon cognoſcebat quòd iſte eſſet Angelus.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRET aliquis, quomodo ex his cognoſcebat Gedeon, quòd iſte eſſet Angelus: nam nondum videbatur aliquod ſignum exprimens hoc: quòd enim eſſet conſumptio ſacrificiorum per ignem à Deo inuocatum, nō probabat eum Angelum, quia ſic Elias fecit venire ignem ſuper ſacrificium ſuum, 3. Reg. 18. etiam quodcunq; miraculum factum non magis probat eſſe Angelum, cùm quæcunq; miracula fieri poſſint per Prophetas inuocato Deo, & ipſe iuſſit, quòd à Prophetis peterentur ſigna ad confirmationē dictorum ſuorum, Deut. 18. ſed ſolùm concludebat iſtud ſignum neceſſariò, quod iſte erat aliquis miſſus à Deo, ſed an eſſet Angelus, vel Propheta non diſtinguebat.

F Reſpondēdum, quod cognouit Gedeon hunc eſſe à Deo miſſum, & eſſe Angelum, quia facto ſacrificio euanuit: quòd non potuiſſet ſi fuiſſet homo. Sed arguetur, quia ſic euanuit Elias: nam raptus eſt ab oculis Eliſæi, & ductus eſt in Paradiſum, 4. Reg. 2. c. Reſpondendum, quod non euanuerunt iſti duo ſimiliter; nam Elias non euanuit, ſed propter magnam elongationem deſijt videri, vnde Eliſęus vidit Eliam cùm raperetur ab eo, quouſq; longè ab eo fuit, ideo clamabat dicēs: ô pater currus Iſraël, & auriga eius. Sic etiam Apoſtoli videbant Chriſtum aſcendentem in cœlo per longa ſpacia aëris: deinde euanuit ab oculis eorum, Act. 1. Angelus tamen iſte ſubitò diſparuit, ita quod Gedeon nō vidit eum euntem, nec à ſe recedentem, ideo manifeſtum fuit ipſum eſſe Angelum. *Ait, heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini*, id eſt, vę mihi, quia Deus vult ſuper me mala inducere, cū viderim Angelum eius. Erat enim inter Iudæos opinio, quòd qui videret Angelos Dei, vel Deum, moreretur, ideo putauit Gedeon quòd moriturus eſſet. *Facie ad faciem*, id eſt, manifeſtè, & non per aliqua ſimulachra occulta. Conſiderandum, quod iſtud poſuit hic Gedeon pro cauſa principali mortis ſuæ, ſcilicet, quia viderat facie ad faciem.

Quomodo Gedeon, vel alij Iudæi putabant, quòd si viderent Angelum, morerentur.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRET aliquis, quomodo Gedeon, vel alij Iudęi putabant, quòd si viderent Angelum morerẽtur. Respondendum, ꝙ Deus dixerat Moysi in monte Sinai: nõ videbit me homo & viuet. i. non poterit me aliquis videre qui possit postea viuere, Exo. 33. c. ex hoc opinati sunt cõiter Israëlitæ, ꝙ quicunq; videret Deum, vel Angelos Dei morereẽ: qa Angeli sunt nimis Deo propinqui, & ob hoc quãdocunq; aliquis de vulgaribus Iudæorũ videbat Angelũ Dei, putabat se moriturum, sic fuit de Gedeone hic: sic etiã fuit de Manue patre Samsonis, infrà 13. qui dixit de se & vxore sua, quod morituri erãt, quia viderant Angelum. Et posuit Gedeon, quod viderat facie ad faciem, quia istud faciebat præcipuè quòd moreretur, putabat nanq; quòd si vidisset Angelum Dei per posteriora, & non facie ad faciem, quòd non moreretur. Hoc patet ex eo quod habetur Exo. 33. quod dixit Dñs Moysi, nõ poteris videre faciem meam. Et sequitur: non enim videbit me homo, & viuet, id est, nullus poterit videre faciem meam quin moriatur: ꝙ tamen posset videre posteriora, & nõ moreretur patet, qa immediatè sequitur: ecce locus est apud me, & stabis super petrã: cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea, donec transeã: tollamq; manũ meam, & videbis posteriora mea, faciẽ autem meam videre non poteris, scil. ponam te in foramine petræ, vt non videas me transeuntem, & protegam te dextera mea donec transeam, id est, operiam vultum tuum ponendo manum meam super illum, vt non videas vultum meum cùm transeo, tollamque manum de oculis tuis, & videbis posteriora: faciem autem meam videre nõ poteris, scilicet, quia iam ego transiui. Necesse est ergo, quòd intelligatur de visione faciei quantum ad illos, qui morituri essent, & visio posteriorum nihil nocebat: vnde quando aliquis videbat posteriora Angeli, vel Dei, non conquerebatur tanquàm moriturus, sic fuit de Agar, quæ vidit Angelum, & ait: hic profectò vidi posteriora videntis me, ideo vocauit nomen putei viuentis, & videntis me.

Cùm Iacob vidit Angelos Dei, cur non dixit quòd moreretur.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRET aliquis, cùm Iacob vidit Angelos Dei, cur nõ dixit quòd moreretur: idem de Moyse qui sæpè videbat illos. De Iacob patet, nam obuiam habet multos Angelos, & dixit de eis, castra Dei sunt hæc, Gen. 32. posteà venit Angelus in specie viri, & luctabatur cum eo vsq; auroram, & vocauit nomen loci Phanuel, dicens: vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. De Moyse patet quòd videret Angelos, quia Deus dixit de illo: ore ad os loquor, & palàm, & non per ænigmata Deum videt, Num. 12. cap.

Respondendum de Iacob, quod ipse non timuit viso Angelo quòd moreretur, quia opinio Israëlitarum, quòd morerẽtur viso Angelo, vel Deo causata fuit, eo quod Moyses dixit: non videbit me homo & viuet. Sed hoc non fuit dictum ante Iacob: ideo ipse non habebat opinionẽ istam. De Moyse dicendum, & de alijs Prophetis, quod ipsi erant viri sapiẽtes, id est, à Deo illuminati, & cognoscebant qui erãt illi, qui apparebant eis, & ad quid veniebant: ideo non pauebãt eorum aduẽtum: soli autem vulgares veritatis ignari hoc putabant, de quibus erat Gedeon & Manue pater Samsonis: ideo isti putauerunt, quòd morerentur visis Angelis. Sed adhuc instabitur, quia Deus dixit Exod. 33. non videbit me homo & viuet, quod de vultu intelligitur.

Respondendum, quod illud intelligitur de quodam corpore glorioso nimis, & lucido, quod Deus fecit transire ante Moysen, cuius pars anterior erat tam excellens, ꝙ nulla armonia sensuũ humanorum posset pati illius lucẽ, & decorẽ, sed necesse erat hoĩem mori: pars aũt posterior non erat tam admiranda, sed contemperabatur ipsi humano aspectui, ideo illam potuit videre Moyses: faciem aũt non vidit tunc Moyses, nec vnquàm posteà vidit, & si aliquando videbat Angelos facie ad faciem, non videbat sub illa admiranda: ideo nec timebat, nec lædebatur. Vulgares autem putabant, quòd quandocunq; viderent Angelos Dei facie ad faciem, videbant illam faciem, de qua locutus fuerat Moyses: ideo putabant se morituros, & timebant. Moyses autem, & alij Prophetæ sciebant se non videre faciem illam, & non timebant. *Dixitq; ei Dominus, pax tecum,* iste erat Angelus, qui locutus fuerat prius Gedeoni, & nunc disparuerat: quia tamen timebat Gedeon se moriturum, Angelus ille formauit quandam vocem in aëre nõ apparente corpore, & audiuit illam ad se delapsam Gedeon, & consolatus est. Hoc tenet Rabbi Dauid Kimhi. Ex hoc apparet, quod argumenta quædam quæ faciunt quidam de nostris contra Iudæos, & vt communiter omnes ad probandum Messiam esse Deum verum, non tenent: nam nos probamus, eo quod scriptura prædicat de illo nomen Domini Tetragrammaton, & dicimus, quòd nulli cõuenire potest nisi Deo, etiam secundùm positionem omnium Iudæorum, & tamen manifestum est, quod hic ponitur nomen Tetragrãmaton, vbi litera nostra dicit Dominus, & non intelligitur de Deo, sed de Angelo, qui loquebatur prius Gedeoni.

Opinio Iudæorum & Catholicorũ.

An posset stare, quòd hic significet istud nomen Tetragrammaton ipsum Deum verum, & quod iste, qui nunc locutus est, sicut Deus verus.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRET aliquis, an posset stare, quòd hic significet istud nomen Tetragrammaton Dei ipsum Deum verum, vt confirmentur rationes nostræ contra Hebræos arguendo de deitate Messiæ.

Respondet Dauid Kimhi, quòd hic accipiatur pro Deo vero, & ꝙ ipse locutus fuerit & nõ Angelus. Sed dicendum, ꝙ ista positio est impossibilis, qa Deus verus nõ potest loqui, eo ꝙ loqui dicit necessariò motum, Deus autem non potest facere aliquid quòd sit cum motu, sed oĩa in instanti, cùm scriptura dicat, quod Deus nõ mutatur, & competit ei ex natura hoc summi boni, & puri actus: vnde nec potest facere aliquid aliud quòd motũ inducat, sed quandocunq; aliqua talia prędicantur de Deo intelligitur, quòd Angeli illa fecerint, & nõ Deus. De hoc magis declaratũ est Exo. 25. & 28. c. necesse est ergo, quòd Angelus locutus fuerit hic. sic errant argumenta nostrorum: sed Iudæi concedunt ea, quia Deus excæcauit intellectũ eorum, ita vt etiã ad falsitates obiectas eis à quibusdam nostris respondere nequeant. Patet etiam contra hoc Exo. 20. vbi dicitur: ego sum Dñs Deus tuus, & ponit ibi Tetragrammaton nomen Dei in Hebræo; & tamen ille, qui loquebatur non erat Deus verus, sed Angelus, vt patet ad Galat. 3. c. scil. lex data est propter transgressiones ordinata per Angelos in manu mediatoris, ergo Angeli erant, qui protulerunt oĩa verba legis, idẽ patet clariùs Exo. 3. de Moyse cùm vidit ignem in rubo. Et dicitur quod locutus est Domin⁹ de rubo. Exponit in cõtextu illo in Hebræo nomen Dei Tetragrammaton, & tamẽ constat ꝙ ille erat Angelus, Act. 7. cùm dixit B. Stephanus, expletis 40. annis appparuit Angelus in deserto Sina in igne flammę rubi, ergo non accipitur semper nomen tetragrãmaton pro Deo vero, sed interdũ pro Angelis, sic est in multis alijs locis sępissimè. Potest tamen poni aliter regula illa, quàm Hebręi, & nostri ponũt, & erit vera, scil. ꝙ nomen Dei Tetragrammaton nunquàm ponitur, nisi ad significandũ Deum verum: significat tamen interdum illos, qui non sunt Deus. Quod declaratur sic: intentio Scripturæ est attribuere Deo actus excellẽtes, qui fiebant ad vtilitatem populi Iudaici, vt putarent Israëlitæ illos factos per Deum, & ei soli gratias agerent: si autem scirent facta hæc per Angelos, vel per alios, putarent se teneri illis, ideo faciebat Deus quod Angeli, qui veniebant ad loquendum aliquid Israëlitis, vocarentur Deus, & non Angeli, vt sic crederent Israëitæ, quod Deus erat verus, qui faciebat hæc: & tunc prædicabatur de eis nomen Dei Tetragrammaton. Quod verò Deo conuenit eo quod ipsi tunc fungebantur vice Dei, & quod ampliùs est Scriptura volebat innuere simplicibus quod illi erãt Deus: quando tamen Angeli apparebant manifestè in effigie

Regula pulchra.

corporali humana, quanquàm vocarentur Adonai, vel Elohim, tamen nũquàm prædicabatur de eis Tetragrammaton: quia quanquàm tunc fungerentur vice Dei, nolebat scriptura innuere esse Deum, sed Angelos, cùm expressè eos Angelos nominaret, & tunc stat vera regula, quia nunquàm reperietur in scriptura quòd nomen Tetragrammaton prędicetur de aliquo, qui apparuit in effigie corporali, ita quòd posset putari Deus propter non videri corpus eius, & tamen nõ omnes hi, de quibus prædicatur Tetragrammaton erant verus Deus. Et tunc quando argueremus de Christo, quod erat verus Deus, quia vocatus est hoc nomine. Posset respondere Hebræus, quod omnes illos, quos scriptura vocat Tetragrãmaton nomine, vult significare esse Deum: tamen nõ omnes sunt Deus, sicut apparet de multis Angelis, & sic diceret ꝙ non sequitur de Christo, quòd sit Deus verus, ideo argumentum ex hac parte non est solidum veraciter: quia tamẽ Iudęi, & nostri pariter affirmant illam regulam primam suprà datam, tenet argumentum contra Inpæos ex concessis.

Dixitq; Dominus ei: pax tecum. Id est, salus vel quies sit tecum: pax enim significat tranquillitatem, & secutritatem à malis: & est sensus, quòd nullum malum eueniret Gedeoni, quanquàm viderat Angelum Dei. *Ne timeas, non morieris*, id est, non timeas quod times, quia nõ morieris propter visionem Angeli, sicut arbitraris.

Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino. Istud fuit ad regratiandum Deo pro incolumitate præstita: nam putabat Gedeon se moriturum.

Quod altare fuerit istud quod ædificauit Gedeon.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR circa altare istud quod fuit, scil. an fuerit aliquod de altaribus, quę nominantur in cap. isto, vel fuerit distinctum ab omnibus illis.

Respondet Nicolaus, quod istud ponitur hic per anticipationem, scil. quod istud altare non fuit nunc factum, sed fuit illud quod iussit postea Deus fieri super petram, de quo infrà. Dicendum, quod ex litera non apparet euidenter, an istud sit distinctum altare, vel idem. Sed videtur dicendum rationabilius, quòd fuerit distinctum, quod patet, quia altare illud, quod fecit Gedeon super petram egit, quia Deus ei iussit, & reuelauit ei modum faciendi: istud autem fecit Gedeon ex alia causa, scil. quia Deus denunciauit ei liberationem à timore, quod patet ex nomine: nam vocauit illud Domini pax: ergo non fuit idem, si tamen volueris tenere oppositum, non multum insto, quanquàm hoc est rationabilius.

An licuerit Gedeoni hoc altare ædificare.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR, an licuerit Gedeoni ædificare istud altare. Aliquis dicet quod non, quia nulli licebat habere aliud altare, præter altare holocaustorum, quod erat in sanctuario, alioquin esset sacrilegium, Ios. 22. ca. & reus mortis esset, qui talia faceret, Leuit. 17.

Respõdebit ad hoc Nicolaus facillimè, scil. ꝙ nõ peccauit, quia mandato Dei egit: nã secundum ipsum altare istud & illud, de quo dicitur infrà, idẽ est, sed mãdato Dei licitum erat quodcunq; fieri. Tenendo tamen aliam positionem, quæ rationabilior erat, scil. ꝙ istud altare sit distinctum ab alijs, dicẽdum est, quod licuit ei agere, quia ibi locutus est ei Dñs: sic enim sancti patres varia altaria construxerunt, vt Abraham inter Bethel, & Hay, Gen. 12. Isaac autem in Bersabee altare ædificauit, vbi Deus apparuit ei, Gen. 26. Iacob quoq; ædificauit altare ad puteum iuramenti, Gen. 46. erexit etiam titulum in Bethel, Gen. 28. iterum autem ibi ædificauit altare, Gen. 35. Moyses etiam ędificauit altare in Raphidim, Exo. 27. iterum etiam erexit 12. titulos in monte Sinai, Exo. 24. c. Sed respondebitur, quod istud non stat, quia non licuit Gedeoni facere, quod istis licuit: nam isti fecerunt ante prohibitionẽ: cùm enim nondum data esset lex licebat cuiq; offerre quòd voluisset, & quando voluisset, & vbi, sicut dicitur, Deute. 12. non facietis ibi, quod nos hic facimus singuli quod rectum sibi videtur, Abraham autem, Isaac, & Iacob fuerunt ante dationem legis, ideo licitum erat eis facere altaria vbicunq; vellent. De Moyse dicendum, quod etiam ipse constituxit altare ante dationem legis, Exo. 17. in Raphidim, & postèà in Sinai data est lex: data autem lege, vetita sunt altaria vbiq; fieri, Leuit. 17. & patet Iosue 21. vnde ob hoc insurrexerunt 10. tribus ad pugnandum contra duas, & dimidiam, vt patet eo. c. scil. quia ædificauerant altare, ideo non licebat iam Gedeoni. Respondendum, quod non licebat alicui Israëlitæ sine mandato Dei expresso, vel sine inspiratione prophetica facta ei construere altare præter illud quod erat intra sanctuarium, & hoc intelligitur de altari ad offerendum victimas: licebat tamen construere altare in memoriã & testimonium alicuius rei sine mãdato Dei: sic fuit de altari facto per duas tribus & dimidiam apud Iordanem, Ios. 22. nam nouẽ tribus & & dimidia putauerunt ꝙ faciebãt altare illud ad faciendũ sacrificia, ideo volebant pugnare tanq; contra hæreticos, & schismaticos: cùm aũt responderunt illi, qui faciebãt solùm in memoriam, placatæ sunt nouem tribus & dimidia, & non pugnauerunt: si tamen fuisset hoc illicitum, non placatæ fuissent, nec permisissent: sic autem Gedeon fecit ad solã memoriam, s. vt sciretur ꝙ Deus locutus fuerat ei, sic remouens timorẽ, ideo etiam sine mandato Dei expresso licuit ei cõstruere altare. Quod patet, quia nõ legitur ibi aliquas victimas immolasse. Sed adhuc aliquis arguet, ꝙ non solùm altaria ad sacrificia, sed etiam tituli ad memoriam gestarum rerum erant illiciti. Quod patet Leuit. 26. c. scil. nõ facietis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, altaria autem facta ad memoriam vocantur tituli: ergo ista non erant licita. Respondẽdum, quod ista omnia erant illicita quando fiebant ad aliquas cæremonias idolatriæ, vt patet eo. cap. cùm dicitur: nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis cũ, ergo ad alios vsus bonos licita erãt altaria, & tituli. Hoc autem potissimè erat, quãdo fiebant ad memoriam alicuius rei pertinentis ad laudem Dei: sic enim fuit istud altare, quia manebat in memoriam quòd Deus locutus fuisset ibi Gedeoni de salute sua, & totius Israel, simile patet de Moyse. Nam ipse constituit in datione & confirmatione legis duodecim titulos per duodecim tribus Israel, ad memoriam quod duodecim tribus susceperant ibi legem Dei, sic etiam duæ tribus & dimidia construxerunt altare in titulum & memoriam, quòd ipsi pertinerent ad Deum Israel, Iosue 22. cap. licitum ergo fuit hoc Gedeoni, quanquàm Deus non iusserit.

Vocauitq; illud, Domini pax, nomen altaris fuit istud, quia Deus dixerat Gedeoni: pax tecum, ne timeas, non morieris, simili modo imponebantur antiquitùs nomina rebus ex euentibus, sic patet Exo. 27. cùm vocauit Moyses altare, quod fecit, Dominus exaltatio mea, eo quod quando fuit factum illud altare, exaltati sunt Israëlitæ prævalendo contra Amalechitas, vt patet ibidem, sic etiam Abraham vocauit montem, vbi voluit filium suum immolare, Dominus videt, quia Deus vidit ibi voluntatem eius, & liberauit filium suum, Genes. 22. c. scil. Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt, vnde vsq; hodiè dicitur, in monte videbit Dominus, id est, quod ipse mons vocatur Dominus videbit, sic etiam patet Ezech. vltimo, vbi de quadam ciuitate agitur, quæ est de vita æterna, & dicitur: & nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. *Vsq; in præsentem diem*, refertur ad tempus scriptoris libri huius, scilicet ad Samuelem, cuius tempore adhuc manebat altare illud in loco, vbi Gedeoni Deus locutus fuerat.

Cumq; adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem, destruesq; aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succides: & ædificabis altare ⸗ Domino Deo tuo in summitate petræ huius: super quã ante sacrificium posuisti: tollesq; taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum; quæ de nemore succideris. Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diẽ noluit facere, sed omnia

nocte

D

Doct. resp. ad 5 sitũ.

E

An licuerit erigere titulos.

F

Mœurialy-ricus floret.

A

nocte compleuit. Cumq; surrexissent viri oppidi eius mane, viderunt destructam aram Baal, lucumq; succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. Dixerunt q; ad inuicem: quis hoc fecit? Cumq; perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia: & dixerũt ad Ioas: produc filium tuum huc, vt moriatur, quia destruxit aram Baal, & succidit nemus. Quibus ille respondit: nunquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo. Qui aduersarius est eius, moriatur antequàm lux crastina veniat: si Deus est vindicet se de eo, qui suffodit aram eius. Ex illo die vocatus est Gedeon Ierobaal, eo quòd dixisset Ioas: vlciscatur se de eo Baal, qui suffodit arã eius. Igitur omnis Madian & Amalec, & orientales populi congregati sunt simul: & transeuntes Iordanem castrametati sunt in valle Iezrael. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangẽs buccina cõuocauit domũ Abiezer, vt sequeretur se: misit q; nuncios in vniuersum Manasses, qui & ipse secutus est eum: & alios nuncios in Aser, & Zabulon, & Nephthalim, qui occurrerunt ei.

Sybilla Erithea.

Cumq; adhuc esset. Hic ponitur tertium huius partis, scilicet vbi instruitur Gedeon ad destruendam patris idololatriam, & dicitur. *Cumq; adhuc esset in Ephra,* id est, manebat adhuc Gedeon in Ephra, quando dicta sunt ei, quæ sequuntur, quasi dicat, quanquàm excuteret Gedeon triticum, vt fugeret à facie Madianitarum, vt patet supra, tamen nondum fugerat, sed manebat in Ephra. *Quæ est familiæ Ezri,* id est, pertinet ista ciuitas ad familiam Ezri: est enim Ephra in sorte Manasse in dimidia tribu, quæ accepit sortem ad Occidentem Iordanis, & cùm diuiderentur vrbes huius tribus, per familias fuit Ephra in parte familiæ Ezri, quia familia Ezritarum est vna de familijs Manasse, vt patet Nume. 26. & de ista familia erat Gedeon.

Gedeõ instruitur ad destruẽdam patris idololatriã.

B

Nocte illa dixit Dominus ad eum, scilicet, ista præcedentia dicta sunt ad Gedeonem, per diem cùm excuteret triticũ, quæ autem sequuntur dicta sunt per noctem in sequenti nocte. Ex hoc accipiendũ est, quòd ista dicta fuerint Gedeoni dormienti per somnium, & expergefactus surrexit, & fecit quæ iussa sunt, vt patet infrà. In Hebræo nõ habetur ista litera sic, nec punctuatur sic, sed dicitur. *Et adhuc ipsum est in Ephra, & fuit nocte illa dixit Dominus.* Sed dicendum, quod ista litera satis conuenit literę nostræ. Et potest exponi dupliciter. Vno modo, quòd accipiatur in neutro ipsum: & refertur ad altare, scilicet, & adhuc ipsum est in Ephra, id est, altare illud manet in Ephra, & hoc est quod dicit litera nostra, quod vocatur altare illud Gdeon Domini pars vsque in præsentem diem, id est, vsque hodiè quo scriptus fuit liber ille, erat altare in Epra: & vocatur sic. Aliter, & meliùs debet accipi, quòd ipse ponatur in masculino, & refertur ad Gedeonem. Et est sensus, & adhuc ipse in Ephra, id est, Gedeon manebat in Ephra, & fuit nocte illa, id est, in illa nocte qua manebat in Ephra, locutus est ei Dominus quæ sequuntur. *Dixit Dominus ad eum*, scilicet, Angelus qui per noctem locutus est Gedeoni. Nam Deus non potest loqui, vt dictum est.

Duplex huius litera expositio.

C

Tolle taurum patris sui, scilicet, tolle eum ad immolandũ. Isti tauri erant mansueti. Nam Iudęi arabant in tauris: & eos iungebant curribus, & plaustris ad ferenda onera: nam non licebat Israëlitis tollere testiculos alicui animali ad mansuetandum eum, vel ad efficiendum illud conuenientiùs ad cibos, vt patet Leuit. 22. cap. scilicet: Omne animal, quod vel cõtritis vel tusis, vel sectis, vel ablatis testiculis est, non offeretis Domino: & in terra vestra, hæc omninò non facietis, scilicet, non auferetis testiculo animalibus, & tamen tauri à parua ætate mansuetabantur: & quanquàm postea magni essent non erant feroces, sed obediebant iugo, Vnde poterat Gedeon istos tauros portare faciliter quo vellet, & dicitur. Tolle taurum patris tui: non quòd non haberet pater suus, nisi vnum taurum, siue bouem: sed quia ille erat alquis specialis seruatus ad aliquem vsum, scilicet ad idololatriam. *Et alterum taurum annorum septem.* Iste taurus erat totius populi, qui erat excellens, & seruatus ad idololatriã, vt ait historia scholastica. Et vocatur annorum septẽ, quia seruatus fuerat magno tempore, vt impinguaretur nimis ad idololatriam: & peruenit ad tantam ætatem, vel vt ait Nicolaus isti septem anni non referuntur ad ætatem tauri, sed ad tempus impinguationis, scilicet, quia maioris ætatis erat: tamen fuerat septem annis custoditus in pascuis, vt impinguaretur ad idololatriam.

D

Quare Deus iubebat Gedeoni occidere tauros, &c.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRET aliquis, quare Deus iubebat Gedeoni facere hæc, scilicet, occidere tauros: & suffodere altare Baal.

Respondendum, quod Deus volebat liberare Israëlitas de manu Madianitarũ: & ad hoc oportebat, vt ipsi essent dispositi ad suscipiendum misericordiam suam: & quia nihil est, per quod homo magis auertatur à Deo, quàm per idololatriam, voluit Deus quòd Israëlitæ prius desererent idololatriam, quã ipse liberaret eos: ad hoc aũt misit quendam virum Prophetam, vt increparet Israëlitas, vt patet supra in litera. Non fuerunt autem omnes castigati: nam adhuc manebat ara Baal in ciuitate, de qua erat oriundus Gedeon, & erat illa Ara patris sui, vt patet hic, videbatur autem valdè irrationabile, quòd Deus liberaret Israëlitas per manum illius, in cuius ciuitate & familia atque progenie manerent idolorum altaria. Fuit ergo valdè conueniens, vt ille esset vltor Dei Israel destruendo idola, qui futurus erat vltor Israëlitarũ contra Madian: & ob hoc iussit ei, quòd hæc faceret.

E

Destrues q; Aram Baal, quæ est patris tui. Ara, & altare pro eodem accipiuntur generaliter in scriptura: quãquàm nos vocemus Aram lapidem quendam consecratum positum super altare ad celebrandum: & ille lapis etiam altare vocatur, scil. altare portatile. Ista Ara erat in publico loco, ideo poterat Gedeon ire per noctẽ ad eam, & suffodere. *Quæ est patris tui,* id est, ara erat Ioas patris Gedeonis: hoc autem quia fortè ipse eam construxerat: vel in aliquo prædio suo erat, vel ipse tribuebat impensas ad sacrificandum in ara illa: & ob hoc quando destructa fuit, non ausi fuerunt oppidani occidere Gedeonem: sed iuerunt ad Ioas nunciantes de suffossa ara per Gedeonem quasi non pertineret hoc ad eos, sed ad Gedeonis patrem Ioas. *Et nemus quod circa aram est, succide,* erant ligna plantata apud altare: & istud erat quasi generale in altaribus gentilium, quòd apud illa plantarent arbores densas, vt expletis sacrificijs vacarent libidini inter illas arbores, & hoc maximè accidebat in sacrificio Priapi, in quo vel erant arbores apud altare ad libidinem exercendam: vel erant aliquæ specus, occultæ, in quas introibant cultores idoli, & vacabãt libidini: & aliquando erat vtrunque scilicet arbores, & specus Sic patet 3. Regum 15. cùm dicitur de rege Asa, quod amouit Maachan matrem suã, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat: subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum: & combussit in torrente Cedron. Ista autem fuit causa, quare Deus iussit, quòd apud altare suum nunquàm plantaretur lucus, aut aliqua arbor, Deutero. 16. cap. scilicet ne per hoc Israëlitæ inclinarentur ad sacra Priapi, & inhonestam libidinem. Iussit autẽ Deus succidi nemus, ne maneret locus ad hoc, quòd Israëlitæ vellent restaurare altare, & haberent ibi nemus, in quo exercerent libidinem sicut prius. Nunc verò licèt restaurarẽt altare non haberent nemus, & sic non proderat altare.

Apud gentiliũ altaria specus & nemora erant ad libidinem exercẽdam.

F

Et ædificabis Domino Deo tuo, scilicet, illud altare erat Baal: tu autẽ facies aliud quidem sic pro Deo tuo Israel. Considerandum autem in hoc, quod hic multa facta sunt ex dispẽsatione Deo iubẽte, quæ nullo modo licuissent aliter ipsi Gedeoni. Primum est, quod ipse construxit altare, nulli hoc licebat. Secundum erat, quod obtulit sacrificium cùm non esset sacerdos: & hoc erat vetitum, Num. 3. & 16. & 18. Tertium erat, quia obtulit extra sanctuarium, vbi nulli licebat, Leuit. 17. cap. Quartum fuit, quia obtulit per noctem: tamen non licebat fieri hoc nisi per diem, nisi in sacrificio vespertino, quod incipiebat ad Solis occasum: & ardebat tota nocte, vsque ad auroram. Quintum fuit, quod obtulit in sacrificium animalia dedicata ad idololatriam. Et hoc erat valdè illicitũ. Nam non solùm hoc, sed etiam de manu gentilium non licebat sumi aliquid ad sacrificium, eo quod omnia erant suspecta de

Multa fecit Gedeõ Deo dispensante, quæ sibi nõ licuerant secundũ legem.

A idololatria, Leuit.22.ſcil. De manu alienigenę, non offeretis panes Domino Deo veſtro: nec quicquid aliud dare voluerit: quia corrupta ſunt oĩa. Sextum fuit, quia ad ſacrificiũ ſumpſit ignem alienũ: tamen ſolũ licebat ſumi ignem altaris holocauſtorum. Vnde Nadab, & Abiu mortui ſunt, quia acceperunt de igne alieno, de quo Deus non iuſſerat Leuit.10.c. Septimum erat, quia ad ſacrificium iſtud fuerunt ſumpta ligna de nemore conſecrato idololatriæ, vt patet in litera. Nihil tamen de rebus idoli applicandum erat Deo.

Quare Deus voluit, quòd Gedeon nunc conſtrueret ei altare in loco iſto, &c.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR, quare Deus voluit, quòd Gedeon nunc conſtrueret ei altare in loco iſto, cùm hoc eſſet contra legem ab eo datam.

Reſpondendum, quod cauſa eſſe potuit duplex. Vna quod Gedeon, ad hoc priùs immolaret Domino, quà iret ad bellũ cõtra Madian, ſed ipſe iturus erat in breui, ideo voluit quòd faceret ſacrificium in Ephra. Hoc patet, quia cõſuetudo erat apud Hebræos, quòd non irent ad bellum priùs quàm facerent ſacrificia. Sic fuit de Saule, qui expectabat Samuelem. Et cũ videretur ſibi morari, & timeret, quod Philiſthijm irruerent ſubitò ſuper ipſum, obtulit ſacrificiũ non expectato Samuele. Sic patet 1.Reg.13.cap. ſcilicet: Et dixi, Nunc deſcendent ad me Philiſthijm, & faciem Domini non placaui, neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum: & ſic iſta conſuetudo inter Iſraëlitas obligabat quaſi lex, cùm eſſet diuturna, & laudabilis. Secunda cauſa fuit, quia Deus voluit diſperdere idololatriam de ciuitate Ephra, in qua erat Ara Baal: & ob hoc iuſſit, quòd deſtrueretur Ara Baal. Nõ ſufficiebat autem ad hoc quòd coleretur Deus: ideo expulſo Baal voluit Deus eſſe quaſi in poſſeſſione, quòd ipſe coleretur in Ephra, & nõ Baal: ideo iuſſit deſtrui altare Baal, & conſtrui altare ſibi: quia per hoc accipiebatur poſſeſſio ad colendum Deum, cùm altare ſolùm fit ad ſacrificia.

B

An licuit Iſraelitis offerre in altari à Gedeone conſtructo.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRET aliquis, an licuit Iſraëlitis poſteà offerre in iſto altari, quod conſtruxit Gedeon.

Reſpondendum, quod ſecundùm Hebræos, & Nicolaum licitũ erat. Dicunt enim, quod quandiù mãſit ſanctuarium in Sylo, & in locis extra templũ Salomonis licuit altaria conſtrui in diuerſis locis. Poſteà autem non. Hoc aũt tempore manebat in Sylo: & mãſit ibi vſq; ad tempus Heli ſummi ſacerdotis. De quo 1.Reg.4. nam ibi dicitur, de ablatione arcæ, & paulò poſt ablatum eſt deinde ſanctuarium: & ductum eſt in Nobe. Vnde tempore Saulis ibi erat, vt patet 1. Reg.21. & 22.c. Sed iſtud falſum eſt: quia poſtquàm ſanctuarium fuit collocatum in Sylo tempore Ioſue cœpit obligare lex, & fuit peccatum offerre extra ſanctuariũ, niſi ex diſpenſatione quadam, de quo dicetur 1.Reg.9.c. Dicendum ergo, quod nulli licuit offerre hic. Nam id quod ex conceſſione ſpeciali factum eſt, non debet trahi ad conſequentiam. Sic patet extra de electione.c. cùm in cunctis. Deus autem conceſſit hoc Gedeoni, imò iuſſit ex cauſa ſpeciali, quæ ſuprà tacta eſt: & aliàs illicitum fuiſſet. Sed poſteà non fuit iſta cauſa, niſi Deus ſpecialiter mandaret: ideo nemini licuit, ſed debebat manere iſtud altare in memoriam facti præteriti. Sic enim multa alia manſerunt, vt illud de quo Ioſue 22. & illud, de quo Exod.17. & illud, de quo Exo.24. cum duodecim titulis coniunctis loco duodecim tribuum Iſrael: & illud quod fabricatum eſt inter montem Hebal, & Garizim. De quo Deute.27. & Ioſue 8. & illud quod fecit ſuprà Gedeon, & vocatur pax Domini. *In ſummitate petræ huius ſuper quam ſacrificium ante poſuit*, id eſt, quod iſtud altare conſtructum eſt de aliquibus lapidibus ſuper petram illam, in qua prius Gedeon obtulerat ſacrificium, ſcilicet, quando tulit Gedeon carnes, & panes azymos, iuſſit Angelus quòd poneret ſuper quandam petram, & ibi combuſta ſunt ſacrificia. Sciendum, quod

C

Reſp. adquaſitum.

hic non fit demonſtratio ad oculum: quia nũc non erat Gedeon in loco, vbi apparuerat ei Angelus ſub quercu, ſed in domo ſua: quia erat nox, vt hic dicitur, ſed fit demonſtratio ad intellectum: quia Gedeon nouerat lapidem hunc, de quo Deus loquebatur. D

Quare Deus permiſit ſuper lapidem illum fieri altare.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR, quare permiſit Deus ſuper lapidem illum fieri altare.

Reſpondẽdum, quod Deus elegit ſibi locum ſacrũ, ſed ipſe iam cõſecrauerat miraculo ſuo petram illã, cauſando ibi ignẽ ſupernaturaliter ad cremandum ſacrificiũ ideo conuenientiùs ibi, quàm alibi fieret iſtud altare. Etiam quia hic erat iam vſus conſecrandi: cũ ſemel fuiſſet facta oblatio, ideo conueniebat ad deinceps offerendum. *Tolleſq; taurum ſecundũ.* Iſte erat taurus impinguatus ſeptem annis ad idololatriam, qui erat taurus populi. Hunc enim occidit Gedeon. *Et offeres holocauſtum.* Id eſt, offeres eum in holocauſtum, ſcilicet facien do omnes cæremonias holocauſti decoriando, & abluendo inteſtina: omnes autem carnes ponendo in igne, vt patet Leuit.1. *Super lignorum ſtruem.* Strues eſt tumulus, & ſuper tumulum lignorum ponebatur holocauſtum: nam primò incendebantur ligna valdè, deinde ſuperponebantur carnes animalis, vt cremarentur totaliter. *Quæ de nemore ſuccideris*, id eſt, iſta ligna erant de nemore illo, quod erat apud altare Baal, & Gedeon debebat totum nemus ſuccidere, & cremare in holocauſto taurorum. E

Deus quare iuſſit offerri hos tauros idolo dicatos.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR, quare Deus iuſſit offerri hos tauros in holocauſtum, qui erant dedicati ad immolandum idolo, cùm poſſet Deus alia animalia habere in holocauſta. Et quare iuſſit nemus ſuccidi.

Reſpondẽdum, quod Deus volebat hic extirpare idololatriã in ciuitate Ephra, vt deinceps ſolus Deus coleretur ibi, & ob hoc voluit quòd omnia, quæ ad idololatriam pertinebant tollerentur: pertinebat autem altare ad idololatriã, quia in illo fiebant prophana ſacrificia, ideo iuſſit illud ſuffodi, & ſic fecit Gedeon, deinde illi duo tauri pertinebant ad idololatriam, quia primum eorum dedicatum tenebat Ioas pater Gedeonis ad idololatriam. Secundum verò totus populus conſecrauerat, & iſte impinguebatur à ſeptem annis, vt eſſet ſolennis victima: vt ergo viri de Ephra non facerent magnificum feſtum Baal offerentes illos tauros, voluit Deus quòd occideret eos Gedeon. De luco ſiue nemore, dicẽdum quod iſtud erat principium, quod ad idololatriam pertinebat: nam ſi altare ſuffoderetur facilè, erat ibi vel alibi denuò conſtrui: ſi verò occiderentur tauri illi dedicati facilè erat haberi alias oblationes, deſtructo tamẽ nemore quod erat de ritu ſacrorum neceſſarium, non poterat aliud ſic aptum illicò haberi: vnde ſi manſiſſet nemus ibi denuò conſtructum fuiſſet altare: debet ergo ſuccidi lucus tanquàm principium pertinens ad idololatriam. F

Quomodo de tauris idolo conſecratis fieri potuit holocauſtum.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo potuit de iſtis rebus immundis fieri holocauſtum Domino, ſcilicet, de tauris conſecratis idolo, cùm Deus vetuerit hoc Leuit.22.c. cùm dicitur quod de manu alienigenæ non ſunt panes accipiendi ad offerendum Domino, nec aliud quidquid dare voluerit, quia omnia contaminata ſunt, ſcil. ſuſpecta de aliqua immunditia per adhæſionem ad idola. A fortiori ergo quãdo de aliquo conſtat, quòd ad idola pertineat, minùs offerri poterit: ſed de iſtis duobus tauris cõſtabat, quod à multo tẽpore, ſcilicet, à ſeptem annis erant publicè dedicati ad idolola-

triam: ergo non debuisset de illis aliquid offerri?

Respondendum quòd licuit; & potest dupliciter dici, vno modo, quòd ista quæ erant consecrata illis: etiam si actualiter consecrarentur eis in altari non contrahebant aliquam consecrationem, vel benedictionem, per quam essent munda vel immunda: vnde non sunt prohibita à cibo idolothyta, vt ait Apostolus 1. ad Corint. 8. dicens, quòd idolum nihil est, id est non potest causari aliquid boni, vel mali ex eo: quia nihil est, id est nullius virtutis, vel efficaciæ: & sic Deus voluit in sacrificijs suis munda solùm offerri: consecrata autem idolis non erant realiter immunda, quanquam essent opinione legis immunda, ideo Deus in talibus poterat aliquando aliter interpretari, & sic fuit hic.

Sacrificiũ dupliciter sumi potest.

Aliter & melius responderi debet, quòd sacrificium dupliciter accipitur, aliquando enim est sacrificium propriè dictum, quod directè fit ad laudem Dei, & tunc debet fieri de his, quæ statuta sunt in lege: aliquando verò sacrificium largè dicitur, pro quacunque re, quæ destruitur, vel crematur ad honorem Dei: & isto secũdo modo sacrificium fit interdum de immundis, imò magis de immundis, quàm de mundis: sic enim qñ erat aliqua ciuitas idololatrarum, debebat tota succendi, cum omnibus supellectilibus suis, occisis prius omnibus animalibus eius, & omnia quæ erant in vrbe erant posita sub grandi anathemate, vt nulli liceret de eis quicquam accipere: Deus tamen dicebat, quòd omnia illa cremarentur in sacrificium eius, Deut. 13. Ecce ergo qualiter de immundissimis est sacrificium, hoc autem non est directè sacrificium, sed indirectè in pœnam idololatrarum, & ne alicui humano ministerio applicentur, res eorum tanquam execrandæ, iubebat Deus illas cremari propter se: sic fuit hic. Nam nõ fuit directè sacrificium, quia tũc accepisset Deus de alijs animalibus non dedicatis idolis, sed voluit idololatris causam idolatrandi auferre, & ob hoc iussit sibi hæc offerri, ne idolis offerrentur. Et tunc concedendum est, quòd de immundissimis sacrificia fieri possunt. Cùm autem dicitur, quòd non sunt accipienda dona de manu Gentilium ad offerendum Domino. Respondendum, quòd intelliguntur de sacrificijs propriè dictis, quæ nos Deo offerimus, secus autem de quibusdam sacrificijs largè dictis, quæ ipse sibi offerri iubet.

Assumptis igitur Gedeon decem viris de seruis suis. Id est, ad explendum hæc sacrificia, & cæremonias istas, non sufficiebat solus Gedeon, ideo accepit secum decem seruos suos. Fuit autẽ hoc ex dispẽsatione factum, quia isti nõ erant de stirpe sacerdotali, ideo non poterant esse ministri sacrificiorum, sicut hic fuerunt.

Fecit sicut præceperat ei Dominus. Scilicet, omnia suprà posita tam de altari, & nemore, quàm de sacrificijs compleuit.

Timuit autem domum patris sui. Id est, viros de domo patris sui, scilicet totam cognationem: nam multi erant, & prohibuissent Gedeonem hæc agere, si vidissent. *Et homines illius ciuitatis.* Nam in ciuitate Ephra erant alij, qui non erant de domo patris Gedeonis, qui etiam prohibuissent Gedeonem, quia cultum publicum Baal destruebat, ideo postea isti accusauerunt eum, vt patet infrà in litera. *Per diem facere noluit.* Scilicet, noluit facere sequenti die: nam ista per noctem reuelata sunt, scilicet nocte illa, quę secuta est, postquam fecerat sacrificium super petram. *Sed omnia nocte compleuit.* Scilicet, in illa nocte, qua ei reuelata sunt surrexit postquam dormiebant omnes viri oppidi cum seruis suis, & compleuit hęc. *Cumq; surrexissent viri oppidi mane, viderunt destructam aram.* Nemo enim per noctem audierat hoc, fortè quia erat ista ara separata aliqualiter ab habitationibus hominum, vt esset in loco sacro, & ibi potuerunt securè omnia complere: in aurora tamen viderunt, quia fortè pergebant ad sacrificium, vel ad orandum coram ara Baal, & erat ara destructa. *Lucumq; succisum.* Scilicet nemus quod erat iuxta aram, in qua vacabatur libidinibus, succidit Gedeon, & cremauit cum holocausto. *Et taurum alterum impositum super altare.* Iste erat taurus secundus, scilicet, qui impinguatus fuerat septem annis ad idololatriam, & alius erat taurus patris Gedeonis, vt patet suprà.

Quomodo dicitur, quòd taurus iste erat impositus super altare.

QVÆSTIO XL.

QVÆRET aliquis, quomodo dicitur hic, quòd taurus iste erat impositus super altare, quia Deus iussit specialiter de tauro isto, quod offerretur in holocaustum, vt patet suprà. Respondendum, quòd Gedeon fortè completis omnibus alijs, posuit istum taurum super altare, vt cremaretur, & iam erat quasi aurora, & tunc vt non videretur ab oppidanis recedens, reliquit taurum incombustum super altare in prunis: illi verò venientes repererunt eum super altare nondum crematum: fuit autem hoc conueniens, vt illi scirent tauros, quos dedicauerunt idololatriæ, iam crematos, nec inquirerent illos.

Quid factum sit de alio tauro Ioas.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR vlteriùs, quid factum est de alio tauro Ioas, qui etiam ad idololatriam segregatus erat. Aliquis dicet, quòd non fuit factum de eo quidquam, sed mansit. Sed dicendum quod non stat, quia litera dixit, tolle taurũ patris tui, & alterum taurum septem annorum. Si autem de illo nihil fieri deberet, frustrà iuberet eum Deus accipi.

Dicendum ergo videtur, quòd Gedeoni iussum est, quòd immolaret illum, & immolauit ipsum, Scriptura tamen subticuit. Et tunc dicendum, quòd illum taurum primò immolauit, & cremauit Gedeon, deinde circa auroram finito illo imposuit taurum alterũ septem annorum super ignes altaris, & illum incombustum reliquit, vel præ angustia temporis, & illum repererunt oppidani super altare. *Super altare quod tunc ædificatum erat.* Scilicet altare Baal erat suffossum, & erat constructũ nouum altare super petrã, in quo nũc erat taur⁹ Deo oblatus. *Dixerunt q; ad inuicem, quis fecit hæc?* Istud dicebant admirantes, quis ausus fuisset facere hæc. Vel quis saltem desiderasset hoc facere, cùm omnes essent cultores Baal. *Cumq; perquirerent auctorem facti*, scilicet, diligenter inquisiuerunt per præsumptiones, & testes. *Dictum est: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia.* Istud dictũ fuit à testibus, quia fortè aliq; viderunt eum facientem aliquid horum, vel saltem viderunt eum per noctem ambulantem, & euntem contra partem illam, quanquam non viderunt agentem, & ex similibus coniecturis collectum est ipsum egisse hæc.

Et dixerunt ad Ioas, scilicet totus populus iuit ad Ioas petendo mortẽ Gedeonis, quia ista iniuria erat publica, cùm Deus Baal esset Deus totius populi, & lucus, & taurus communia erant. *Produc filium tuum, vt moriatur.* Id est, educ eũ de domo, & trade nobis, vt occidamus eum. Non acceperunt isti Gedeonem propria auctoritate, eo quòd Gedeon erat filius Ioas, qui erat princeps in familia Ezritarum, & sic erat princeps in loco illo, ideo ab eo petierunt illum nihil facere audentes contra illius præceptum: & quia Ioas noluit eis tradere Gedeonem, non conati sunt eum accipere. *Quia destruxit aram Baal, & succidit nemus.* Istæ duæ erant magnæ iniuriæ tunc; q a erant factæ contra Deum eorum, & contra totum populum; ideo reus mortis erat. Occiderat etiam Gedeon duos tauros consecratos, sed hoc non allegauerunt, quia non erat tanta iniuria. *Quibus respondit: nunquid vltores estis Baal & pugnatis pro eo?* Ioas noluit permittere occidi Gedeonem pro his, ideo conuertit verba colorata ad excusationem, dicens: Nunquid vltores estis Baal & pugnatis pro eo? quasi diceret, ridiculum est, quia si Deus est, ipse debet vindicare iniurias suas: & non debetis vos pugnare pro eo. Vel potest aliter introduci per modum increpationis, scilicet, quis vos constituit vltores Baal, & pugnatores pro illo? nam si ipse Deus est, ipse se vindicabit.

Qui aduersarius est eius moriatur antequam lux crastina veniat, q.d. moriatur aduersarius eius, si aliquẽ habet ante lucẽ crastinam: &, tñ non occidamus nos eum, sed ipsemet occidat, si Deus est. Sicut patet ex litera sequenti. In Hebræo habetur: *Nunquid vltores estis Baal, & saluabitis eum?* Vbi litera nostra dicit,

A

cit,& pugnatis pro eo.Sed idem eſt,quia pugna pro aliquo fit ad liberandum illum. *Si Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit arã eius.* Videbatur argumentum iſtud concludere ex vtraq; parte,ſcil.quia aut erat Deus Baal, aut non : ſi non erat,non erat pugnandum pro eo,qui nullum honorem merebatur. Si autem erat Deus, ipſe poterat ſeipſum defendere, & non oportebat quòd aliquis pugnaret pro eo. Sed iſtud argumentum Ioas non tenebat:nam ſi Deus fuiſſet Baal, poterat ſeipſum vindicare, tamen non erat relinquendum ei quòd ſe vindicaret,ſed cultores eius debebant eum vindicare: ſic patet de Deo noſtro. Nam eſt Deus verus, ſi quis tamen blaſphemet eum,vel publicè velit deſtruere cultum illius, nos non debemus permittere,ſed iudices tenentur punire talia delicta,& ſi non punierint peccant mortaliter:quia ſicut nos tenemur eũ colere, ita tenemur iniuriatoribus ſuis repugnare, licèt ipſe neutro horum egeret, Ioas autem fecit iſtud argumentum apparens ad excuſationem Gedeonis, ne occideretur. *Ex illa die vocatus eſt Gedeon Ieroboal.* Iſtud nomen eſt aduentitium,ſcilicet eueniens à caſu:nam vocatur tribus nominibus iſte,ſcil. Gedeon,Ierobaal, Ierobeſech:Gedeon eſt nomen proprium à natiuitate impoſitum, Ierobaal interpretatur reſiſtẽs Baal, ſcil.quia Ioas dixit,qui hoſtis eſt Baal vindicet ſe de eo,& non potuit ſe vindicare de Gedeone,qui erat hoſtis ſuus, viſus eſt ei Gedeon reſtitiſſe:Ierobeſech non reperitur apud nos:& tñ in Hebræo ſæpè ponitur Ierobeſech , vbi litera noſtra ponit Ierobaal:ſic patet 2.Reg. 11. cùm dicitur in litera noſtra: quis occidit Abimelec filium Ierobaal, in Hebræo habetur filium Ierobeſech,& interpretatur Ierobeſech reſiſtens confuſioni, vel verecundiæ:nam idola ſunt confuſio, vel verecundia pro illis,qui faciunt illa & colunt: & quia Ierobaal dicitur reſiſtẽs Baal,vel idolo,idem erit:nam Boſech verecundia, vel confuſio interpretatur,ſic patet in Iſboſeth verecundia, vel confuſio:nam vocatur Iſboſeth, vel Iſbaal de Iſboſeth , patet 2. Regum 2.& 3.& 4. De Iſbaal patet 1. Paralipom. 8. cap. & interpretatur Iſboſeth vir confuſionis, vel verecundiæ : Iſbaal autem vir idoli,vel Baal:& iſta idem ſunt. *Eo quòd dixiſſet Ioas : vlciſcatur ſe Baal de eo,qui ſuffodit aram eius.* Nõ enim propter hoc vocatus eſt ſic, quia tunc non vocaretur Ierobaal, cùm non interpretetur vltor Baal,vel vlciſcatur Baal,ſed interpretatur reſiſtens Baal,ſed vocatur Ierobaal,quia dixit iſta Ioas,& non vindicauit ſe Baal de Gedeone , & tamen iſte erat hoſtis eius: ideo videtur quòd non potuerit Baal vindicare ſe de Gedeone,& quòd reſtiterit ei Gedeon.

Tria hæc nomina Gedeonis vnde originẽ traxerunt

Signũ datur ad certificandum victoriã.

Igitur omnis Madian. Hic ponitur quartum,ſcilicet datur ſignum ad certificandum victoriam.Et diuiditur in duo, quia primò ponitur quidam apparatus ad pugnam. Secundò ſubditur ſignum de certificata victoria.*Dixitq; Gedeon.* Circa primum dicitur:*Igitur omnis Madian,& Amalec,& Orientales populi.* Iſti omnes veniebant contra Iſraëlitas quolibet anno; & venerunt nunc in iſto ſeptimo, & erat præcipuus populus Madian , deinde Amalechitæ : Orientales verò populi erant , vt Ammonitæ & Moabitæ: & cæteri qui erant ad frontem Orientalem terræ Iſraël. *Congregati ſimul.* Vt non poſſent eis reſiſtere Iſraëlitę propter multitudinem eorum.Nam dicitur ſuprà quòd erant multi ſicut locuſtæ . *Et tranſeuntes Iordanem.* Omnes iſti populi introibant in terram Iſraël per Iordanem, quia Iordanis eſt in fronte Orientali terræ Chanaan , Num. 34. & omnes iſti populi erant Orientales ad terram Chanaan, Amalechitæ autem poterant introire in terram Iſraël per latus Meridianum , quia attingebant ad latus Meridianum terræ Chanaan,ſed vt intrarent ſimul cum alijs gentibus, intrauerunt per partem Orientalem,ſcilicet per Iordanem.*Caſtrametati ſunt in valle Iezrael.* Id eſt, fixerunt caſtra in quadam valle apud vrbem Iezrael:eſt enim Iezrael in ſorte Iudæ,vt patet Ioſue 15,& eſt apud montem Gelboe, apud eam verò factum eſt bellum, in quo mortuus eſt Saul , & Ionathas : vnde dicuntur ibi fixiſſe caſtra , 1. Regum 29. de hac vrbe erat prima vxor Dauid,ſcilicet Achinoem.Fortè autem Madianitæ, & aliæ gentes fixerunt caſtra in loco iſto, quia ibi erant ſegetes maturiores , & ibi volebant depaſcere terram , & deinde extenderẽt ſe ad alia loca. Eſt etiã Iezrael non longè à Iordane,ideo tranſito Iordane caſtra fixerunt apud Iezrael , & hoc eſt veriſimilius.

B

C

De ſitu Iordanis.

Prima vxor Dauid Achinoem.

Spiritus autem Domini induit Gedeon. Id eſt, ſpiritus Domini venit ſuper Gedeonem incitando eum ad bellum.

D

Quis ſpiritus induerit Gedeonem.

QVÆSTIO XLII.

QVÆRET aliquis, quis ſpiritus erat iſte?

Reſpondetur , quòd ſpiritus Dei multipliciter accipi poteſt : nam ſpiritus à ſpirando dicitur , & ob hoc omne cuius patet aliquis motus , vel impulſus , vocatur ſpiritus : & quia quilibet habitus exiſtens in intellectu,vel voluntate, eſt principium alicuius operationis,& quantum ad hoc videtur habere motum,vel impulſum quendam, vocatur ſpiritus:ſic enim dicitur ſpiritus Domini ſeptuplex, ſcil. ſpiritus ſapientiæ,ſcientiæ , fortitudinis , conſilij , timoris, pietatis,intellectus, vt patet Iſai. 11. ſic etiam dicimus eſſe ſpiritum Prophetiæ,ſcil.quandam illuſtrationem factam in anima noſtra, per quam intellectus noſter mouetur ad intelligendum ea , quæ naturaliter intelligi non poterant : hic autem non accipitur ſpiritus pro prophetia , quia non erat neceſſaria ad præſens, vel ſaltem non erat prophetia maximè neceſſaria,quia magis neceſſaria erat fortitudo,& prudentia bellica.

Spiritus prophetiæ ad ſit.

Dicendum ergo, quòd accipitur hic ſpiritus Domini pro ſpiritu fortitudinis, ſcilicet quia ante hoc Gedeon erat timidus : nã propterea excutiebat triticum,vt fugeret à facie Madian,vt patet ſuprà in litera: nunc autem Deus dedit ei quandam animoſitatem,qua non formidaret hoſtes,etiam ſi multi eſſent:vnde non timuit vocare paucos ad pugnandum cõtra omnes populos Orientales. Sic accipitur 1. Reg.11. cùm dicitur,quòd ſpiritus Domini inſilijt in eum:& diuiſit boues in fruſta mittens per omnes terminos Iſraël , comminatus, quòd qui non exiret ad bellum,ſic fieret bobus eius , erat ille ſpiritus fortitudinis, vel animoſitatis ad pugnandum contra Ammonitas. Iterum autem dicitur,quòd incidit in eum ſpiritus Domini,1.Regum 10. Sed ibi accipitur pro ſpiritu prophetandi.Quod patet,quia cùm haberet obuium gregẽ prophetarum, inſilijt in eum ſpiritus Domini, & cœpit prophetare cum eis : ideo cùm multiplex ſit ſpiritus Domini , debet accipi ſecundùm materiam ſubiectam,id eſt ſecundùm conditionem rei,de qua dicitur:hic autem dicitur de bello : ideo oportet quòd accipiatur ſpiritus pro robore, vel animoſitate.*Qui clangens buccina vocauit domum Abiezer.* Quanquam nullus elegiſſet Gedeonem in ducem belli, ipſe ſe fecit in ducẽ: quia Deus incitabat eum,& vocauit domum Abiezer , id eſt, familiam Abiezer.Iſta eſt familia Ezri , de qua ſuprà dicitur, quæ aliquando vocatur Abiezeritarum , & aliquando Ezritarum,ſecundùm quòd ipſe,qui eſt caput familiæ,habet multa nomina.Vocauit autem illos,qui erant de iſta domo, quia erant cognati ſui, & promptius venirent ad adiutorium eius, quàm de alijs familijs,vel tribubus.*Vt ſe ſequeretur.* Id eſt, vt irent quocunque ipſe iret , ſcilicet quia nõdum fuerat aliquid præconſiliatum de bellando:nec ſciebant iſti de domo Abiezer quid facturi eſſent; ideo tanquam neſcientibus loquebatur quòd ſequerentur eum . *Miſitq; nuncium in vniuerſum Manaſſe.* Etiam miſit nuncios ad vocandum totam tribum Manaſſe , quod intelligitur de dimidia tribu Manaſſe, quæ erat ad Occidentalem partem Iordanis: nam alia medietas manebat ad Orientalem partẽ Iordanis cum tribu Ruben,& Gad, & quia diuiſis erant locis ab alia tribu Manaſſe, in qua morabatur Gedeon ad Occidentem Iordanis nõ vocauit illos:vocauit autem Gedeon tribum iſtam,quia erant cognati ſui : & putauit quòd gratè venirent.*Qui & ipſe ſecutus eſt eum.* Putauerunt quòd fortè Deus ſuſcitaſſet eum liberatorem Iſraël, ſicut ſuſcitauerat alios iudices,ideo ſpontè venerunt.*Et alios nũcios miſit in Aſer, Zabulon , & Nephthalim.* Ad iſtas tribus etiam miſit nuncios,quia iſtę fortè habebant aliquam compoſitionem,vel amicitiam ſpecialem cum tribu Manaſſe:ideo putauit quòd facilius venirent, & ſic factum eſt. *Qui occurrerunt ei.*

E

F

Cùm , ſcilicet , iam receſſiſſet Gedeon de Ephra, & veniret verſus caſtra Madian occurrerunt ei iſtæ tribus tres.

* * *

Quare non vocauit Gedeon alias tribus, cùm vocarit istas.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR quare non vocauit Gedeon alias tribus, cùm vocauerit istas?

Aliquis dicet quòd omnes vocauit, tamen non fit mentio nisi de quibusdam. Dicendum, quòd non stat, quia infrà 8.c. conquesta est valdè tribus Ephraim de Gedeone, cur nō vocauerit eos, & ipse placauit illos verbis. Item patet, quia si omnes tribus vocasset, venissent de omnibus aliqui pugnatores, & congregati fuissent valdè multi; tamen omnes simul solùm erant 32. millia.

Dicendum ergo, quòd solùm vocauit istas quatuor tribus, scilicet Manasse, Aser, Zabulon, & Nephthalim. Causa autem potuit esse duplex. Prima, quia non erat necessaria tāta multitudo, quanta veniret de omnibus tribubus, nam in multitudine exercitus erat victoria belli: sic enim dictum est ad Barac, quòd cùm pugnaret contra Sisaran, sumeret decem millia virorum de Zabulon, & Nephthalim, suprà quarto cap. erat tamen penè innumerabilis exercitus Sisaræ. Alia causa fuit, quia istæ tribus habebant fortè maiorem communicationem, & confœderationem cum Manasse alijs tribubus, & ob hoc cognito quòd Manasse iret ad bellum, ipsi quoque irent: fortè autem aliqui de alijs tribubus erant superbi propter dignitatem suam, & multitudinem, sicut tribus Iuda, & Ephraim, & Beniamin, ideo nō dignarentur venire ad vocationem Gedeonis, vt essent sub ducatu eius, sic etiam in pugna Barac cōtra Sisarā non fuit tribus Iuda, nec Ephraim, vt colligitur suprà 4. & 5. cap.

Quare Gedeon vocauit tantam multitudinem exercitus de quatuor tribubus.

QVÆSTIO XLIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Gedeon vocauit tantam multitudinem exercitus, scil. de quatuor tribubus: nam Deus noluit quòd pugnarent omnes, sed solùm trecenti de trigintaduo millibus, vt patet sequenti cap.

Respondendum, quòd Gedeon sciebat victoriam à Deo futuram, & non virtute hominum; ideo noluit vocare omnes tribus: essent tamen illæ, & plures necessariæ, si viribus pugnandum esset contra Madianitas, & alios Orientales: putauit tamen futurum sicut in alijs bellis, quæ facta sunt opere Dei, scilicet, sub Barac contra Sisaram: nam iussu Dei accepit Barac decem millia virorum: sic etiam sub Aod & sub Hothoniele, suprà tertio. Gedeoni autem non fuit dictum quot pugnatores acciperet, ideo accepit quos putauit conuenire, sicut fieri solebat tempore aliorum iudicum; Deus tamen voluit facere aliquid specialius tempore Gedeonis; ideo congregato toto exercitu triginta duo millia virorum dixit Deus, quòd erat multus exercitus, vt patet sequenti cap. & redegit illos vsque ad trecentos viros: hoc autem non fuit denunciatum Gedeoni ante cōgregationem exercitus, ideo congregauit tot: fuit autem conueniens, quòd Deus permitteret Gedeonem congregare exercitum, vt postea iuberet dimittere illum; quia maior gloria erat sicut Dei triumphantis, quàm si non conueniissent nisi trecenti pugnatores, quòd cum eis vicisset Madianitas.

Dixitq; Gedeon ad Deum: Si saluum facis per manum meam Israël, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël Factumque est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere, concham rore impleuit. Dixitque rursus ad Deum. Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere. Oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa vt postulauerat: & fuit siccitas in solo vellere, ros in omni terra.

Dixitq; Gedeon ad Dominum. Hic ponitur signum de certificanda victoria: nam petiuit Gedeon signum, & Dominus ei dedit. *Dixitq; Gedeon ad Dominum.* Id est, locutus est ad eum petens ab eo signum.

Signū de certificāda victoria.

Quomodo Gedeon loquebatur nunc ad Deum, & qui sunt modi, quibus homo potest loqui Deo.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRET aliquis, quomodo loquebatur Gedeon ad Dominum? In quo sciendum, quòd non potest dari hic talis modus, sicut cùm Deus loquitur alicui: nam tunc nihil agit ille, cui Deus loquitur, sed Deus apparet ei, quando vult, & loquitur, & ille audit quæ dicuntur. Ad hoc autē, quòd aliquis loquatur Deo, oportet quòd ipse faciat Deum sibi apparere, aut saltem respondere sibi in voce, quando ipse quæsierit?

Respondendum, quòd regulariter ad hoc erant tres modi, scilicet vulgarium, sacerdotum, & Prophetarum. Modus vulgarium est, quòd ipsi quando de aliquo voluerint habere de aliquo responsum, petant à summis sacerdotibus, quòd consultant Dominum pro eis in vestibus sacris, & Deus respondebat: sic enim Dauid, qui laicus erat, de dubijs circa bellum inquirebat per Abiathar in rationali, vt patet 1. Regum 23. & 30. sic etiam Deus instituit fieri: nam quando ipse constituit Iosue principem super Israël, dixit: Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum, vt patet Numer. 27. capit. Secundus modus erat sacerdotum magnorum, & isti poterant consulere Dominum super dubijs duobus modis. Primo modo in die propitiationis introeuntes in sancta Sanctorum, vbi loquebatur ei angelus respondens ad quæsita, de quo declaratum est Leuit. 16. capitulo. Secundus modus sacerdotum magnorum erat, quando ipsi volebant sæpè consulere Dominum, quòd induerentur rationali, & Ephod, & de quocunque inquirerent, respondebatur eis, vt patet Exod. 28. & iste modus erat pro quocunque tempore. Tertius modus erat Prophetarum, & isti consulebant Dominum super aliquo petentes responsiones, & vt Deus responderet eis orabant & ieiunabāt. Et post aliquot dies Deus respondebat, sic patet Ieremiæ 42. cap. vbi consuluit Dominum Ieremias pro filijs Israël, an deberent descendere in Ægyptum, & post decem dies respōdit eis: sic etiam erat in Daniele, cui Deus ostendebat aliquas visiones, & non dabat intelligentiam illarum: ipse verò affligebat se ieiunio per multos dies quousque Deus ei responderet, & postea mittebatur ad eum Gabriel, vt declararet ei visionem, vt patet Daniel. 9. & 10. cap. Gedeon autem erat laicus, & non correspondebat ei regulariter nisi primus modus, scil. quòd ipse consuleret Dominum per sacerdotem magnum.

Dicendum tamen est, quòd ipse non fuit locutus ei per hos consultores: sed Deus voluit facere aliquid speciale in eo, scilicet, quòd sic eum destinauerat, vt esset liberator Israël: ita ei aderat in omnibus, quæ vellet responsum reddens: quia alioquin cùm Gedeon esset adhuc vir imperfectus laicus, qui de Deo nulla magna cognouerat, diffideret se posse pertingere ad hanc rem magnam, ad quam Deus eum mittebat, & cessasset. Ideo dicendum, quòd quandocunque Gedeon dubitabat de aliqua re, & volebat sibi Deum præsentem ad respondendum, apparebat angelus Domini, & quærebat ab illo: & sic cùm in duabus noctibus bis quęsierit Gedeon à Domino, aderat angelus in qualibet nocte ad respondendum. Vel potest dici, quòd Deus non apparebat Gedeoni ad hoc, quòd loqueretur ei Gedeon, sed solùm orabat Gedeon Deū vt fieret sic, vel sic: & orando dicebatur loqui ad Deum: licèt Deus non responderet, cùm faceret quod petebatur, & hoc satis rationabile est.

A

Quando, & vbi Gedeon fecerit has ſignorum victoriæ petitiones.

QVÆSTIO XLVI.

QVÆRET aliquis, quando & vbi Gedeon fecerit iſtas inquiſitiones,& petitiones ſignorum?

Reſpondendum, quòd hic fuerunt duo ſigna petita, & fuerunt in duabus noctibus conſequentibus: in prima enim nocte petiuit, vt ſolùm vellus eſſet roridum,& terra arida, & expreſſit concham roris. In ſecunda nocte petiuit aream eſſe complutam,& vellus ſiccum,& factum eſt,& tunc fuit certificatus Gedeon de iſtis ſignis.

Dicendum eſt, quòd habuit illa Gedeon antequam iret ad bellum:nam ipſe miſit ad vocandum quatuor tribus ſuprà poſitas, & dum veniebant expectauit paucis diebus, & tunc in duabus noctibus habuit iſta duo ſigna, poſtea verò iuit ad bellũ contra caſtra Madian.Iſta tamen ſigna videtur habuiſſe in Ephra, ſic patet ſequenti cap. nam dicitur, quòd poſt hoc Gedeon,& omnis populus qui cum eo erat,venit Madian.

Si ſaluum facis per manum meam Iſraël. Id eſt, ſi vis ſaluare Iſraëlitas de manu Madian per manum meam,id eſt me exiſtẽte iudice & duce belli.*Sicut locutus es.* Scilicet, quia dixiſti mihi, vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu B Madian.Et iterum:ego ero tecum,& percuties Madian quaſi vnum virum.

Primũ ſignum Gedeonis. *Ponam vellus hoc lanæ in area.* Id eſt permitte quòd ponã vellus lanæ in area:& quòd tu facias ea,quæ ego peto, ſcil.quòd facies ſiccã aream, & complutum vellus, q.d.ſi feceris,vt peto,intelligam quòd vis ſaluare Iſraël per manum meam,alioquin intelligam, quòd non ſaluabo Iſraël. *Si in ſolo vellere ros fuerit, & in omni terra ſiccitas.* Scilicet, quòd in tota terra, q̃ in circuitu eſt per aliquantam diſtantiam nulla omninò ſit gutta roris. *Sciam quòd per manum meam ſicut locutus es liberabis Iſraël.*Id eſt, ex hoc cognoſcam certiſſimè quòd liberabis Iſraël per manum meam, id eſt me duce exercitus: alioquin dubitabo de hoc an facturus ſis. *Factumq́, eſt ita.* Scilicet,quòd poſuit Gedeon vellus in area,& apparuit complutum vellus tota area ſicca manente. *Et de nocte conſurgens.* Iſtud ſignum per noctem fuit, quia ros de nocte venit, & ſurrexit de nocte ne falleretur in ſigno per diem ſurgendo: vtpotè ſi ſurgeret per diem, & calor diei deſiccaſſet rorem leuem terræ, & adhuc maneret in vellere, & putaret euenìſſe ſignum, & non euenìſſet: ſurgendo autem per noctem, ſi aliquis ros ceciderat: ſiue ſuper vellus, ſiue ſuper aream manifeſtè appareret, quia non eſſet conſumptus calore diurno. *Expreſſo vellere concham compleuit.* Id eſt, tantùm fuit de rore in vellere, quòd exprimendo illud repleta eſt concha. Iſtud eſt ſignum manifeſti miraculi: quia iſtud non erat ſicut in rore, qui communiter accidit, ſed velut, ſi vellus miſſum fuiſſet in flumen. & C ſubintelligendum, quòd in terra nullus ros erat, quia ita petiuerat Gedeon, alioquin non fuiſſet ex hoc certificatus ad aliquid.

An peccauerit Gedeon petendo hoc ſignum à Deo pro certificatione victoriæ.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR circa hoc, an peccauerit Gedeon,petendo iſtud ſignum à Deo pro certificatione victoriæ?

Hebræorũ reſponſio ad quæſitum. Reſpondent Hebræi, vt ait Rabbi Dauid Kimhi, quòd non peccauit,quia peccatum eſt cùm quis dubitat de potentia Dei ad faciendum, ſcilicet an poterit facere hoc vel illud: dubitare tamen,an aliquid faciat non eſt infidelitas,nec peccatum. Sed iſta reſponſio non ſtat, quia peccatũ infidelitatis eſt, inquantum negamus aliquam Dei perfectionem, vel nõ aſſentimus illam eſſe.In Deo autem nõ ſolùm eſt ſumma poteſtas,ſed etiam immẽſa bonitas, ideo ſicut negare Dei poteſtatem infidelitas eſt,ita negare eius bonitatem:qui aũt negat Deum aliquid agere poſſe, quòd non includit contradictionem negat potentiam Dei,& eſt infidelis; qui autẽ negat,vel non credit Deum facere quæ promittit, vel qui aſſerit negat bonitatem Dei: ergo eſt æqualiter infidelis cũ illo,qui negat Dei potentiam.Fortè dicas quòd in Deo non eſt tanta perfectio bonitatis,ſicut potẽtia,quod falſum eſt; quia omnia abſoluta ſunt idem.Quod autem negetur bonitas illo modo patet, quia ad virum bonum pertinet complere promiſſa, vel obſeruare veritatem in verbis: alioquin Deus eſſet mẽdax & infidelis:ſic autem arguit Apoſtolus 2.ad Tim. 2. c. ſcil.ſi nos credimus fidelis ille permanet, & ſeipſum negare nõ poteſt, q.d.quia Deus fidelis eſt: non poteſt negare nobis præmium promiſſum:ſi ergo negaret, vel non ſeruaret promiſſa vel aſſerta,non maneret fidelis.Sed dicendum infidelem,vel poſſe eſſe infidelem infidelitas peſſima eſt:ergo qui non credit, vel qui dubitat an Deus faciet ea, quæ promittit,infidelis eſt: & ſic non ſtat poſitio iſtorum Iudæorum. De Gedeone autẽ ſic erat, quia Deus dixerat ei quòd per manum eius traderet Madianitas in manus Iſraëlitarũ: ergo ſi dubitaret an ſic futurũ eſſet,erat infidelis. Aliquis dicet,quòd non peccauit, quia ſic declaratum fuit ſuprà,quòd Gedeon petens ſignum nõ peccauit.Reſpondendum,quòd non eſt idem hic, & ibi:nam ibi Gedeon nondum cognoſcebat an ille, qui loquebatur eſſet Propheta,vel angelus,vel alius homo;ideo voluit habere ſignum,& petiuit ſignum in ſacrificio combuſto ſuper petram: hoc autem licitum erat, quia Deus permittebat,quòd peterẽtur ſigna à Prophetis, Deut.18. c. nunc tamen erat certificatus, quia iam certificauerat cum angelus; ideo quòd denuò peteret ſignum,erat infidelitatis cuiuſdam.

Dicendum ergo,quòd ſatis apparet Gedeonem dubitaſſe circa verba Dei,& erraſſe:nam angelus apparuit Gedeoni,& dixit ei,quòd per manum eius liberaret Iſraël, & quòd percuteret Madian tanquam virum vnum: & Gedeon tunc ſolùm dubitauit,quia neſciebat quis eſſet,qui loquebatur.Probauit autem poſtea angelus dictum ſuum per miraculum:nam creD mauit ſacrificium ſuper petram non appoſito igne, & poſtea iterum locutus eſt ad eum iubens alia; ideo nõ debuiſſet Gedeon maiorem petere certificationem. Item ipſe confeſſus fuit, hoc dicens: Si ſaluum facis Iſraël per manus meas, ſicut locutus es.Item,quod amplius eſt, Deus immiſit ſpiritum ipſi Gedeoni ad pugnandum contra Madian,& tunc ipſe miſit nuncios,& congregauit populum: non debuiſſet ergo dubitare de promiſſione Dei facta,cùm immitteret ei ſpiritum ad hoc faciendum. Item quod maius eſt, ſi Gedeon nunc ſemel tãtùm petiuiſſet ſignum, aut in ſolo vellere, vel in ſola area, eſſet aliquid tolerabile:ſed duplex ſignum petijt,ſcil.vna nocte in vellere, & alia nocte in area:cùm quodlibet iſtorum eſſet ſufficienter expreſſiuum,& certificatiuum. Non eſt ergo dubitandum,Gedeonem fuiſſe nimis infidelem, & peccaſſe grauiter in his,niſi aliquid ſit,per quod excuſetur.

duplex à Deo ſignum petijt Gedeõ.

Sed aliquis arguet, quòd nullo modo peccauit,quia tunc Deus non condeſcendiſſet alicui ſigno ab eo petito, condeſcendit tamen ſingula faciens, vt ille petebat, ergo non peccauit.

Reſpondendum,quòd hoc non probat:nam quamquam aliqui peccatores ſint, non deſinit Deus operari per illos. Sic fuit de Balaam qui erat nequiſſimus,& conabatur Deo repugnare: Deus tamen loquebatur,& prædicebat futura per eũ, vt patet Num.22.& 23.& 24. cap. Idem patet de Caipha, qui malus erat,tamen Spiritus ſanctus locutus eſt per eum, Ioan. 11. Sed adhuc obijcietur, quia Deus non exaudit peccatores, vt patet Ioan.9. & intelligitur quantum ad operationem miraculorum,ſicut in caſu iſto, ſcilicet quia dicebatur ibi Chriſtum eſſe peccatorem, & reſponſum eſt ibi, quòd non erat peccator cùm oratione ſua Deus ſanaſſet cæcum,quia ſcimus quòd peccatores Deus non exaudit: ergo ſi eſſet peccator Gedeon, Deus non exaudiret eum orantem, vt fieret miraculum. Reſpondendum eſt, quòd Deus non exaudit peccatores,vt faciat pro eis miracula, ſi miracula ſunt ſolùm in fauorem eorum:ſi tamen ſunt in fauorem aliorum, interdum Deus exaudiuit eos,ſic fuit hic: quia iſtud miraculum certificationis fiebat in fauorem totius Iſraël, potius quàm in fauorem Gedeonis, ideo etiam ſi ipſe eſſet peccator, exaudiret eum.Sic enim Spiritus ſanctus per Caipham locutus eſt de ſalute totius orbis,per mortem Chriſti, licèt Caiphas iniquus eſſet;quia iſta verba non erant in fauorem Caiphæ, ſed ad vtilitatem totius orbis. Manet ergo ſemper, quòd erat Gedeon infidelis ex his,niſi ſit aliquid, per quod excuſatur. Nicolaus excuſat eum, quòd quando ſignum petitur ex diffidẽtia

Doc. reſpon. ad qſitum q̃ Gedeon peccauit in petẽdo ſigna.

Gedeonis excuſatio per Nicolaũ.

pro-

A promissionis, est peccatum infidelitatis: si tamen petitur ex quadam familiaritate collocutionis diuinæ, non est peccatū: sic fuit de Gedeone, nam ipse non diffidebat complendum esse, quod dictum fuerat; sed quia familiariter Deo poterat loqui, petebat sæpè super eadem re. Sed adhuc non satisfacit; quia familiaritas loquēdi est, cùm aliquis plura loquitur quā aliàs locuturus esset, & cùm maiori confidentia non formidā do durum responsum: non tamen facit petere superflua omninò. Hoc dato, aut erat omninò certus Gedeon, quòd Deus daret ei victoriam de Madianitis, sicut promiserat, aut dubitabat; si dubitabat eccè infidelitas, quæ non excusatur per familiaritatem loquendi: nec tunc fieret petitio signi per familiaritatem, sed propter dubitationem. Si autem dicatur quòd omninò erat certificatus, quòd haberet victoriam cōtra Madian, frustrà erat quærere signum super hoc, potissimè quia non semel, sed bis petiuit cum magna instantia: non ergo potest dici quin Gedeon dubitauerit, quia verba sua manifestè hoc significant.

Alia excusatio Gedeonis.

Sed potest aliter excusari Gedeon, scilicet quòd ipse certificatus erat primò, quia Deus traderet Madian in manus ei⁹, quia tamen promissiones factæ à Deo intelliguntur semper cum conditione, & etiamsi non exprimatur aliqua conditio, vt patet Ierem. 18. scilicet: Repentè loquar de regno, & gente, vt ædificem, & plantem illud: & si fecerint malum super oculis meis pœnitentiam agam super bono, quod locutus fuerā, vt facerem illi: & sic Gedeon timere posset quòd quanquam

B Deus promisisset hoc agere, & verba Dei firma sunt: tamen propter demerita eius, vel aliquorum de Israël mutaret quod dixerat. Dubitabat ergo an hoc eueniret nunc, ideo licèt primò certificatus esset, petijt nunc certificari, vt sciret si Deus mutauisset interim sentētiam propter demerita alicuius. Ista excusatio est nimis legitima, & concordat literæ; quia confitemur sic dubitasse Gedeonem, tamen ista dubitatio non inducit peccatum.

Sed adhuc non sufficit ista responsio, quia si ob hoc dubitasset Gedeon solùm petiuisset vnū signum, scil. quia primò certificatus fuerat suprà ab angelo; ad sciendū aūt an interim fuisset mutata sententia Dei propter demerita sua, vel populi, sufficiebat petere vnum istorum signorum, scil. in area, vel in vellere: petijt tamen in vtroq;, & vnum post aliud, ergo nō egit ex hoc: sed dubitans an Deus ageret, & nequaquā propter mutationem meritorum populi. Sed adhuc respondebitur, quòd hoc non concludit; quia ista duo signa petita sunt in duabus noctibus succedentibus sibi, & inter vnam noctē & aliam poterat mutari sententia Dei, cùm Israëlitæ in vna die possent agere aliquid, per quod demererentur à Deo adiuuari, sicut promiserat eis, quia Ierem. 8. dicitur: Repentè loquar de gente & regno, & sic repentè mutatur sententia Dei: ideo non erat irrationabile petere sequenti nocte pro mutatione, si qua erat.

C Respondendum, quòd hoc nullo modo stat, quia nunc cū in qualibet hora possit Dei sententia mutari, etiam si nunc Deus respondeat super aliqua re, oportunum erit in sequenti hora rursus petere: & licèt in illa, vt in prima respondeat, expediet petere in 3. & 4. & sic nunquam cessare à requisitione, quod est valdè absurdum. Item non stat, quia Gedeon nō attendit ad hoc, nam tunc cùm bis quæsierit etiam sequenti die iterū inquirere debebat, & in quolibet sequenti die quousque obtineret victoriam, quia hoc modo nō magis aliquis certificatur per duas responsiones, quàm per vnam, nec magis per mille, quàm per duas. Gedeon non quæsiuit amplius super hoc, sed illicò iuit ad bellum, & licèt aliqui dies interciderint inter ista signa posita & bellum, non petiuit aliqua signa illis diebus, ergo non petebat propter certificationem de mutatione sententiæ, sed quia ignorabat an Deus complere vellet quod promiserat.

Causa positionis horum signorum Gedeonis.

Dicendum, quòd causa positionis horum signorum fuit magna dubitatio Gedeonis: nam Iudæi erant & fuerunt semper nimis increduli: nec aliquid credūt, nisi multa signa præcesserint, sic ait Apostolus 1. ad Cor. 1. scil. Iudæi signa petunt, Græci autem sapientiam quærunt. Erat insuper Gedeon rusticus non cognoscens virtutem Dei, nec conditionē in obseruatione promissorum: erat etiam timidi cordis, scil. quia non confidebat rebus nisi quas videbat, ideo licèt semel petiuisset signum, iterum petebat quousq; visum est sibi, quòd erat sufficiēter certificatus, ideo Deus sciens conditionē eius, condescendebat ei in his signis, imò & alia superaddit, quæ non petebat Gedeon. Quod patet seq. c. qñ Deus iussit Gedeoni, quòd descenderet in castra Madian, & fecit quòd ibi quidam enarraret alteri somnium & interpretationem eius in fauorem Israëlitarum. Sed tunc dicetur, cùm tātum dubitauerit Gedeon, an peccauerit mortaliter? Aliquis dicet q̄ non, quia ponitur in catalogo sanctorum, vt patet ad Hebr. 11. vbi Apostolus nominat viros sanctos laudatos, inter quos ponitur Gedeon. Item & efficacius patet, quòd nō fuerit dubius, vel infidelis, quia dicitur ad Hebr. 11. Sancti per fidē vicerunt regna, operati sunt iustitiam, & ponitur ibi exemplū de Gedeone, & alijs: ergo iste fidem habuit. Item quia dicitur ibidem, quòd hi omnes testimonio fidei probati sunt, & tā ante hoc ponitur de Gedeone, & alijs, ergo fuit fidelis.

An Gedeō peccauerit mortaliter.

Respondendum, quòd ista non obstant, quin potuisset in hoc Gedeon peccasse mortaliter.

Ad primum dicendum, quòd quanquam aliquis ponatur in catalogo sanctorum, non sequitur quòd non peccauerit; sed sequitur quòd non finiuit in peccato. Nam Dauid ponitur in catalogo, imò testimonio Dei laudatur nimis, quia dicitur 1. Reg. 13. Inueni virum secundùm cor meum, & præcepi ei, vt pasceret populum meum Israël. Idem patet Psalm. 88. & tamē grauiter peccauit Dauid in homicidio, & adulterio, 2. Reg. 11. Iephte Galaadites peccauit, quia erat princeps latronum, & agebat prædas ipse, vt patet infrà 11. ponitur tamē E in catalogo sanctorum virorum, quos laudat Apostolus, vt patet ad Hebr. 11.

Ad 1. rōnem.

Ad secundum dicendum, quòd Gedeon laudatur per fidem, quia licèt à principio non crediderit, tamen postea sæpè à Deo certificatus credidit: hic autem adhuc erat aliqua fides quæ laudabilis erat; quia non videns victoriam aliquam, nec sentiens se habere excellentiam super hostes, solo Deo iubēte, accepit trecentos viros, & perrexit contra innumerabilem penè multitudinem Madianitarum.

Ad 2. rōnem.

Ad tertium dicendum eodem modo, quòd Gedeon probatus fuit testimonio fidei cū alijs, quia licèt à principio fuit aliqualiter infidelis, postea credidit, & non dubitauit se exponere morti contra hostes postquam credidit: nam sufficit ad esse aliquem fidelem, quòd quando fuerit infidelis, quòd aliquando credat. Sic patet de Thoma, qui dixerat quòd non crederet Christum surrexisse, nisi mitteret manum suam in latus eius, & videret loca clauorum, & tamen Christus veniēs dixit ei: noli esse incredulus, sed fidelis: ergo quāquam nimis fuisset incredulus, poterat adhuc esse fidelis in eadem re: & sic de Gedeone, quanquam à principio nimis dubitasset, poterat postea esse probatus testimonio fidei; & sic fuit, quia per solam fidem exposuit se rebus durissimis.

Ad 3. rōnem.

Dicendum, quòd de Gedeone non est dubium, quin peccauerit venialiter, sed an peccauerit mortaliter, est dubium: peccata tñ infidelitatis magna sunt, sed potest dici quòd quāquam in alio viro Propheta, vel sapiente qui habuisset aliquā experiētiam de collocutione Dei, vel de proprietatibus eius, esset peccatum totiens signum petere: in Gedeone tñ, quia erat vir simplex & inexpertus sermonis, vtpotè qui putauit se moriturum, quia vidit angelum Domini, nō erat hoc peccatum. Nam multa in vno sunt peccatū, quæ in alio nō reputantur mala. Si tñ aliquis asserere velit Gedeonem peccasse mortaliter in hoc, non resisto ei, quia satis est ei rationabilis confirmatio, nec est inconueniens eum peccasse mortaltter.

Doc. responsio.

F

Dato quòd non peccasset Gedeon, petendo signum sæpè, an peccasset petendo tale signum.

QVÆSTIO XLVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, dato quòd non peccasset Gedeon petendo signum sæpè, an peccasset, quia petijt tale signum, scilicet in vellere & area.

Aliquis respondebat quòd sic, quia petere tale signū pertinet ad augurium: sunt autem auguria illicita. Quod patet, quia si Deus dixisset Gedeoni, quòd traderet Madian in manus eius, & ad hoc traderet ei istud signum de area, vel vellere, debebat illud suscipere Gedeon, & non erat aliqua superstitio: quòd tamen ipse Gedeon poneret sibimet istud

A

signum dicens, quòd si esset vellus complutum, & area sicca, intelligeret quòd Deus volebat tradere ei Madian, aliàs non, videbatur esse superstitio: & per istum modum Deo nihil nobis respondente, poteramus nos consulere Deum, & conari accipere certificationem de qualibet re, vtpotè si quis dicat, si in via inuenero talem, vel talem rem, intelligo quòd Deus vult, quòd expediam negotium, pro quo venio, alioquin nō. Et istud nihil aliud est, quàm obseruare auguria in auibus, quod est omninò superstitiosum. Item patet, quia hoc Gentiles obseruabant, sic patet 1.Mach.5.c. cùm dixit Timothæus principibus exercitus sui: Cùm appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ; si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens potest cōtra nos, si verò timuerit trāsire, & posuerit castra circa fluuium, trāsfretemus ad eum, quia poterimus contra Israël. Iudęis tamen prohibita erant ista, quibus gentibus vtebantur.

Doc re spon. ad q̄situm

Respondendum, quòd non fuit superstitio in petitione signi huius in vellere, & area. Pro quo considerandum, quòd talia signa secundùm se sunt auguria, cùm homo constituat sibi aliquid, per quod diuinum iudicium cognoscere conetur, Deo nihil dicente, efficitur tamen istud signum interdum non superstitiosum, & hoc per duo: primum est, si illud signum quod ponitur non possit euenire, nisi supernaturaliter, vt si quis dicat, si Deus suscitauerit istum mortuum, intelligam quòd vult prosperare iter meum, alioquin non: si tunc suscitet illum mortuum manifestum est, quòd à Deo factum sit: & sic colligitur quòd Deus velit prosperari iter illius. Secundum est, cùm ista signa ponuntur præmissa oratione ad Deum, quòd ipse dirigat illa, & ostendat sententiam suam per ea. Nam tunc Deus oratus interdum condescendit, & ostendit quid velit. In signo autem Gedeonis fuerunt ista duo: Primum, quia non videtur quòd possit hoc accidere, nisi supernaturaliter ab aliquo agente intelligente, scilicet quòd in prima nocte esset vellus madens, & tota area sicca. In secunda autem terra compluta, & siccum vellus, & sicut petebat Gedeon, ita eueniebat. Secundum etiam fuit hic, quia Gedeon posuit istud signum prę̄mittens orationem: nam dixit, oro vt solum vellus siccum sit, & tota terra rore madens, similia autem exempla sunt in Scriptura: nam sic Eliezer seruus Abrahæ scire volens an Deus prosperum egisset iter illius, posuit signum dicens: Ego sto ad fontem, & puella, cui dixero, inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit; bibe tu, & Chamelis tuis dabo potum, illa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc sciam, quòd feceris misericordiam cum domino meo. Iste autem præmisit orationem ad inuestigandum sententiam Dei, per istud signum, & sic euenit, vt ipse petiuit, Genes. 24. & iste non dicitur peccasse. Sic quoque Ionathas volens ire ad pugnandum contra Philisthinos cum armigero posuit signum, dicens: Ecce nos trāsibimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos: manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos: si autem dixerint, ascendite ad nos, ascendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum, vt patet 1.Reg.14. & sic factum fuit postea. Præmisit autē orationem ibi Ionathas, vt patet ex litera: sic etiam Apostoli electuri vnum loco Iudę posuerunt sortes ad inuestigandum diuinam sententiam, & dixerunt: Domine Deus, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, vnum accipere locum ministerij, de quo præuaricatus est Iudas, vt patet Actu. 1. c. & Deus ostendit voluntatem suam faciens, quòd caderet sors super Matthiam, quem ipse elegerat: in his tamen omnibus nihil est, quod minus videatur pertinere ad superstitionem, quàm quod egit Gedeon: nam in omnibus commune fuit, quòd ista signa non ponerentur, nisi præmissa oratione, tamen factū Gedeonis fuit supernaturaliter eueniens. Alia aūt poterant contingere aliter naturaliter: nam nunc aream totā siccam fore vellere compluto: & rursus terram madescere vellere desiccato eo modo, quo petebat Gedeon agentis ab intentione est: & non videbatur posse contingere, nisi supernaturaliter. In seruo Abrahæ poterat accidere aliter, quia dato ꝙ Deus non mouisset specialiter cor puellæ; poterat ipsa ex liberalitate offerre viro potum, & Chamelis suis. De Ionatha eodem modo, quòd dicerent ei hostes ascendite, vel manete in ipsis erat: & non oportebat quòd poneretur aliquid supernaturale. Sic etiam fuit de sortibus Apostolorum: nam licèt verum sit, quòd Deus faceret, quòd caderet sors super Matthiam, tamen etiam si ipse specialiter non ageret poterat cadere, quia necesse erat quòd caderet super eum vel super aliū.

B

In signo Gedeonis hæc duo fuerunt.

C

D

De sorte, an liceat sortē mittere.

Considerandum, quòd quamquam omnia ista fuerint licita, nō fuerunt simpliciter licita, sed ex dispensatione, quod patet, quia Ecclesia non tolerauit id quod semel Apostoli fecerunt, nec est nunc licitum id fieri. Item patet hoc efficacius, quia in quolibet istorum poterat accidere error magnus, ita vt nō cognosceretur voluntas Dei per hæc, & fallerentur inquirentes. In primo, scil. de Eliezer seruo Abrahæ patet, qa ipse dixit quòd mulier, quæ dixerit ei: bibe tu, quin etiā Chamelis tuis potū tribuam: nā poterat accidere, quòd nulla de toto populo, vel de venientibus ad fontē hoc ei diceret, & tñ in illis erat aliqua, quā Deus elegerat pro Isaac. Item poterat accidere, quòd quælibet puella, hoc ex liberalitate diceret, & falleretur Eliezer, quia poterat putare aliquam paratam esse quæ non parata erat domino suo. In signo Ionathæ poterat accidere error: nam poterant Philisthini dicere ei, accedite ad ad nos, & ostendemus vobis rem, & tamen Deus non intenderet tradere Philisthinos in manu Israëlitarum; quia ista verba ad vtrumq; euentum flecti poterant: vel poterant dicere, manete donec eamus ad vos, & fortè Deus disposuisset dare victoriam Iudæis. In signo etiam sortium Apostolorum non erat cōueniens inquisitio, quia poterat esse, quòd sors caderet super illum, quem Deus non elegisset; quia Deus permitteret hoc propter peccata Apostolorum malè eligentium; sicut permittit regnare hypocritam propter peccata populi, vt patet Iob 34. & hoc modo Deus permittit interdum iniusta omnia propter peccata eorum, qui tolerant illa: & de his dicit Dominus, regnauerunt, & non per me; principes extiterunt, & non cognoui: vt patet Oseæ 8. c. Ideo in his tribus signis secundùm se magna erat superstitio, & illicitum opus: sed Deus ex dispensatione conuertit illa in bonum, & ostendit voluntatem suam per ea. In signo etiam Gedeonis poterat esse error: nā dato quòd Deus mitteret rorem super vellus, & rursus super areā, non sequitur quod signaretur, quòd traditurus erat Madianitas in manus Gedeonis, quia propter peccata Gedeonis, scil. quia per superstitiones cōsulebat eum, poterat iustè permittere eum errare, scil. quòd euenirēt ista signa, & nō traderetur Madian in manus Israël, nec Deus in hoc fallebatur: quia ipse nihil promittebat, nec dabat signum, sed Gedeon petebat illud.

E

Determinatio.

Dicendum igitur, quòd omnia hæc, & similia secundùm se illicita sunt, & superstitiosa: licuerunt tamen istis, quia erāt viri imperfecti, & in statu imperfecto, scil. tēpore veteris testamenti. Apostoli etiam, quando posuerunt sortes imperfecti erant, quia nondum acceperant Spiritum sanctum, quia de his sortibus dicitur Act. 1. & de missione Spiritus sancti dicitur Act. 2. post missionem autem Spiritus sancti, iam non vsi sunt sortibus, sed per electionem susceperunt omnes ministros, sicut patet in Stephano, & alijs sex viris, quos elegerunt, vt præessent viduis, Act. 6. c. Licitum ergo fuit signum Gedeonis ex permissione.

F

Dixitq; rursus ad Dominum. Hic petiuit secundum signum. Et potest intelligi quòd locutus est ad Dominum apparente sibi angelo Dei, quandocunq; ipse loqui vellet. Vel quod ista dicebat Gedeon orando, & non apparebat sibi angelus: confidens tamen quòd Deus faceret, quæ ipse petebat ponebat signum, & istud est rationabilius. *Ne irascatur furor tuus contra me.* Hoc dicebat Gedeon: quia cùm semel tentasset, & reperisset signum, nō debebat conari iterum petere: & quia Deus poterat rationabiliter irasci ei, & imputare hoc ad pœnam, ait: Ne irascatur, &c. Sic locutus fuit Abraham ad Dominū, Genes. 18. quando sæpè orauit, ne deleretur Sodoma, si reperirentur tot iusti; & semper diminuebat: & vt non irascereretur Deus frequentatis petitionibus, præmittebat illud, scil. Ne irascatur, &c.

Si adhuc tentauero. Id est, si iterum solum tentauero. *Signum quærens in vellere.* Non erat signum in vellere solùm, sed etiam in terra, quia hac vice debebat esse terra compluta, & vellus siccū. *Oro vt solū vellus siccum sit: omnis aūt terra rore madens.* Id est tota area, vel tota terra, q̄ est in circuitu velleris ad aliquātam distantiā. *Fecitq; Dominus nocte illa vt postulauerat.* Istud fuit nocte secunda, qa in duabus noctibus acciderūt ista duo signa.

Et fuit

Et fuit siccitas in solo vellere. Scilicet, vt nulla gutta roris appareret in eo: imo nec appareret tenerum tactu nocturni aeris, sicut omnia nocturna tacta aura molliscunt etiam si ros non sit, quia humidior nox est regulariter die.

Et ros in omni terra. Scilicet, in tota terra in circuitu, & erat tota continuate, & vniformiter madens, ne putaretur quod si esset per partes madens, quod etiam accidisset in loco velleris nullum distillare rorem.

Quod istorum fuerit maius signum.

Qvæstio XLIX.

Qværet aliquis, quod istorum fuit maius signum. Respondendum, quod vtrunq; fuit supernaturaliter: nam non erat verisimile naturaliter accidere, quod tota terra in circuitu vnius velleris sicca esset, & in vellere tantus esset ros, quod exprimeretur vna concha roris, & è contrario. Dicendum tamen, quod maius videtur secundum, scilicet, quod esset tota terra in circuitu velleris compluta: & in vellere esset omnimoda siccitas; quia ros & pruina magis solent inhærere, & facilius fiunt in pilis, quam in rebus duris & compactis; sicut in principio hyemis, vel autumni videmus paruam glaciem, quæ in terra nullo modo apparet, & pendet in capillis hominum, & in vestibus longorum pilorum, si per noctem in agro fuerint: sic etiam erat vellus: ergo facilius appareret ros ibi, vel quæcunque impressio, quam in terra, vel in alia re dura: potentiæ tamen agentis non est magis facile hoc, quam illud.

Caput VII.

IGITVR Ierobaal, qui & Gedeon de nocte consurgens, & omnis populus cum eo venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem castra Madian, in valle ad Septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israel, & dicat: meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: qui formidolosus & timidus est, reuertatur. Recesserunt q; de monte Galaad, & reuersi sunt ex populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanserunt. Dixit q; Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi, vt tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, reuertatur. Cum q; descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaq; numerus eorum, qui manu ad os proïciente, aquas lambuerant, trecenti viri, omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon. In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum. Sumptis itaq; pro numero cibariis, & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: & ipse cum trecentis viris se certamini dedit.

Deut. 20. 2. Macha. 3

Igitur Ierobaal. In præcedentibus descripta est vocatio Ducis, hic consequenter ponitur modus certaminis. Et diuiditur in quatuor, primo ponitur bellatorum electio, secundo electorum assecuratio ibi. *Castra autem Madian.* Tertio assecuratorum certatio ibi. *Diuisit q; trecentos.* Quarto adiutorum associatio ibi. *Conclamantes autem.*

An hic sit ordo continuus, & an immediate factus.

Qvæstio I.

Qværetvr circa primum, an ea quæ habentur hic sint continuata ad præcedentia, & an immediate facta fuerint. Respondendum, quod hic est ordo continuus: nam præced. cap. agebatur, quomodo vocatus fuit Gedeon à Deo ad hoc quod pugnaret cõtra Madian, hic autem agitur qualiter pugnauerit: ergo istud post illud. Ad secundum dicendum, quod istud fuit factum vno, vel duobus diebus post præcedentia: & fuit modus, quia Deus primo iussit Gedeoni, quod iret ad pugnandum contra Madianitas, & illa nocte diruit altare Baal, & fecit sacrificia, de quibus præcedenti ca. deinde sequenti die, cum vellet ire ad bellum, petiuit à Deo signum per noctem in vellere & terra; & alia nocte tertia petiuit secundum signum in vellere, & terra: & interim venit populus, quem ipse miserat vocari de Manasse, Aser, Nephthali, & Zabulon. Et videtur quod quarto, vel quinto die ipse iuerit ad bellum. *Igitur Ierobaal, qui & Gedeon.* Id est, iste vocatur Gedeon, & Ierobaal, & etiam Ierobesech. Causæ horũ nominum declaratæ sunt præced. cap. post hoc tamen communius nomen fuit sibi Ierobaal quam Gedeon: nam dicitur præced. ca. ex illa die vocatus est Gedeon Ierobaal. *De nocte consurgens.* Istud intelligitur, quod forte erant prope castra Madianitarum, & voluerunt de nocte consurgere, vt non sentirent Madianitæ aduenire Gedeonem, quousq; viderent eum super se. Vel forte, vt irrueret super castra eorum nocte, id est, surrexit de nocte, id est, multum ante auroram, vt ambularet nocte, & die & posset venire sequenti die ad castra Madianitarum. *Et omnis populus cum eo.* Iste erat populus quatuor tribuum, scilicet, Manasse, Aser, Nephthalim, & Zabulon. Nam de his tribubus solum vocauit bellatores, vt præced. ca. Et isti conuenerunt ad eum in Ephra. Vel melius est, quod conuenerunt cum eo obuiantes ei in alio loco. Sic colligitur præced. cap. scilicet, Gedeon clangens buccina, vocauit domum Abiezer, vt sequeretur, misitq; nuncium in vniuersum Manasse, qui & ipse secutus est eum, & alios nuncios in Aser, Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei: ergo nõ venerunt ad Ephra, sed ad alium locum in via qua ibatur ad bellum. *Venit ad fontem, qui vocatur Arad.* Scilicet, quia ibi requieuerunt aliquantulũ sumendo cibos, vel retrahendo spiritum. Iste fons Arad erat apud montem Galaad, de quo hic dicitur, & fit mentio de fonte, quia in aqua fontis facta fuit probatio, quæ infra habetur de bibentibus, & lambentibus aquas. Erat autem fons iste non longe à castris Madian, ideo dicitur immediate de castris Madian. *Erant autẽ castra Madian in valle.* Scilicet, castra Madianitarum, & omnium orientaliũ populorum, qui veniebant simul in modum castrorum, vel exercitus, & nondum dispersi erant per terram Israelitarum ad comedendum segetes, & vastandum. *Ad septẽtrionalem plagam collis excelsi.* Forte iste collis excelsus erat mõs Galaad, de quo dicitur immediate, quod erant Israelitæ apud illum, & accesserunt illuc triginta duo millia virorum. In Hebræo habetur. *Ad septentrionalem partem ostendentis in valle.* Et ad idem redit, quia ostendens in valle vocatur scopulus altus, qui supereminet ad alias partes terræ, & quãtum ad hoc est ostensor, & dicitur ostendens in valle, quia super vallem ostendit. Vel vt dicit Rabbi Dauid Kimhi, quod super scopulum illũ erat aliquis speculator ostendens vias transeuntibus per valles, ideo dicitur ostẽdere super vallem, & est modus ad significandum locum excelsum, quia de talibus locis fiunt ostensiones, ideo litera nostra dixit. Collis excelsi. *Dixit q; Dominus ad Gedeonem.* Hic ponitur electio pugnatorũ, & ponitur duplex electio, scilicet, vna per legem communem de formidolosis: alia per speciale mandatum de lambentibus aquas: secunda ibi. *Dixit q; Dominus.* Et dicitur, quod Dominus dixit Gedeoni, scilicet, quod angelus Dei locutus est Gedeoni ista apparendo ei in humana effigie, vel forte loquendo ei per somnium, vt si dormierunt apud fontem illum: sed magis videtur, quod locutus fuerit in vigilia. Deus autem nunquam loquitur, nec apparet alicui. *Multus populus tecum est.* Erant enim triginta duo millia. Nam facta prima electione recesserunt de monte Galaad viginti duo millia, & tamen mansẽ-

runt decem millia, vt patet in litera. Et vocatur multus non respectu Madianitarum, quia illi erât centum triginta quinque millia, de quibus cœsa sunt in principio centum viginti millia, & fugerunt quindecim millia, vt patet sequenti cap. sed erant multus populus respectu eius, quod Deus volebat agere. *Nec tradetur Madian in manus eius.* Id est, ego non tradam in manus eius. In Hebræo habetur. *Ad hoc, quod ego dem Madian in manus eius.* Et est eadem sententia. *Ne glorietur contra me.* Id est, ne vsurpet sibi gloriam mihi debitam: nam etiam si iuisset totus ille populus, scilicet, triginta duo millium non esset sufficiens ad pugnandum contra Madianitas, quę erant centum triginta quinque millia: ideo oportebat, quod per miraculum liberarentur, sicut existentibus trecentis, sicut postea fuerunt: sed existentibus triginta duo millibus gloriarentur dicentes, quod viribus suis pugnauerant: ergo melius erat, quod soli trecenti pugnarent. *Et dicat meis viribus liberatus sum.* Hoc forte dicerent Israelitæ si triginta duo millia pugnassent contra Madian.

Quomodo Israelitæ gloriari poterant contra Deum dicentes, quod viribus suis liberati fuerant.

Qvæstio II.

Qværet aliquis, quomodo Israelitæ poterant gloriari contra Deum, dicentes, quod viribus suis liberati fuerant: nam Madianitæ erant pugnaturi contra seipsos, & mutua se cœde truncaturi: ergo victoria non erat Israelitarum, sed Dei: vnde sicut nunc euntibus trecentis ad bellum cum tubis, & amphoris Madianitæ se mutuo truncauerunt, & bellum non fuit istorum, sed Dei: ita triginta duo millia, imo etiam si centum millia Israelitarum conueniissent in modum istorum, nihil magis agerent, quam isti, & non attribueretur eis victoria, sed Deo: sic enim super mare Israelitæ erant sexcenta millia peditum: Exod. 12. & tamen ipsi non dicuntur pugnasse contra Ægyptios, sed Deus. Nam dicitur Exod. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Respondendum, quod si omnes Israelitæ triginta duo millia ituri fuissent contra Madian cum solis tubis, & amphoris, & lampadibus, non potuissent sibi vsurpare victoriam: tamen non ituri erant sic, quia superfluum erat tantam multitudinem sic ire: sed pugnaturi essent ordinatis aciebus modo hostili, & tunc si Israelitæ vincerent possent dicere, quod viribus suis egerant. Sed adhuc dicetur, quod non poterant sibi vsurpare victoriam istam, quia Deuter. 8. dicitur: Ne forte dicas in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed recorderis Domini Dei tui, quoniam ipse tibi vires præbuit, vt seruaret pactum suum. Item ex parte Madianitarum erant centum triginta quinque millia sequenti cap. & Israelitæ solum triginta duo millia: ergo si superarentur Madianitæ ab Israelitis etiam in congressu belli appareret affuisse diuinum adiutorium. Respondendum ad primum, quod quamquam omnia bella, quæ Israelitæ prospere agebant Deo auctore facerent, tamen ipsi ex iniquitate sua vsurparent sibi interdum laudem, nisi esset aliquod manifestum signum, quod nequaquam negare possent. Ad secundum dicendum, quod Israelitæ poterant dicere, quod fortitudo sua, & experientia bellica, & conueniens ordo fecerunt eos victores contra hostes, sicut interdum inter gentes accidebat, in quibus Deus non ostendebat specialiter fauorem suum, quod pauci bene ordinati, & confidentes, multos praue dispositos superarent. Conueniens ergo fuit, quod fieret pugna, sicut facta est in trecentis viris, qui nihil pugnauerint, & in quibus negari non poterat, quin Deus illud egisset. *Loquere ad populum.* Scilicet, in voce præconis, vt cuncti audirent. *Et cunctis audientibus prædica.* Id est, fac prædicari per præconem. Vel vade per omnes turmas, & partes exercitus, & prædica istud, vt omnes audiant. *Qui formidolosus est, & timidus.* Ista duo timorem significant, sed differunt, quia vnum significat maiorem timorem, & aliud minorem. *Reuertatur.* Scilicet, in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum: Deut. 20.

Quomodo fiebant istæ proclamationes ad hoc, quod fugerent de bello formidolosi ante conflictum.

Qvæstio III.

Qværet aliquis, quomodo fiebant istæ proclamationes ad hoc, quod fugerent de bello formidolosi.

Respondendum, quod modus erat, quod quando Israelitæ ibant ad bellum locatis castris in loco, vbi manere debebant circa locum pugnæ, surgebat vnus de sacerdotibus, qui ibant ad bellum, & clamabat: ibant namque semper sacerdotes ad bellum, scilicet, ad clangendum saltem, quia buccinæ argenteę sacrę portandę erant in bellum, & tamen in istis nemini licebat clangere, nisi sacerdoti, de quo Numer. 10. cap. dicitur: Filij Aaron sacerdotis clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris: si ad bellum exieritis de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersus vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, & eruamini de manu inimicorum vestrorum. Ibant etiam sacerdotes interdum cum arca ad bellum, sicut duo filij Eli sacerdotis, 1. Reg. 4. & alij sacerdotes, 1. Reg. 14. Et ibant sacerdotes ad excitandum, vt Deuter. 20. Interdum etiam ibant ad pugnandum, quia licebat eis, sicut tempore Machabæorum ipsi erant duces belli, & præcipui bellatores. Quocunque modo esset, necesse erat aliquem sacerdotem semper esse in bello, & locatis castris vnus de præcipuis sacerdotibus, qui ibi manerent, stare debebat coram toto populo, & loqui verba hæc exhortando, scilicet. Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam comittitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cœdere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. His dictis tacebat sacerdos, vt patet Deutero. 20. Deinde cum essent castra bellatorum distincta per duces, quilibet dux surgebat in turma sua, & dicebat transeundo per medium, ita quod audiretur ab omnibus. Quis est, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est, qui plantauit vineam, necdum fecit eam esse communem? vadat, & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui despondit vxorem, nec dum accepit eam? vadat & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Quis est formidolosus, & corde pauido? reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. His dictis silebant duces exercitus, & recedebant quicunque volebant habentes conditiones has, & tunc duces exercitus singuli cuneos suos ad bellandum præparabant, & comittebatur bellum.

Sacerdotes tempore hebræorum ad bellum ibant, vt tubis clãgerent, & aliquando dimicabãt.

An soli formidolosi de bello recedebant, vel alij quoque.

Qvæstio IV.

Qværetvr an soli formidolosi, & pauido corde recedere poterant de bello, vel etiam alij. Aliquis dicet, quod soli formidolosi, vt patet hic. Nam iussu Domini Gedeon proclamauit, qui formidolosus & timidus est reuertatur. Respondendum, quod in quocunque quatuor modorum poterat quicunque habens illum reuerti de bello: nam Deuteron. 20. iussit Deus, quod duces turmarum dicerent. Quis est homo, qui plantauit vineam? Quis est, qui ædificauit domum? Quis est, qui duxit vxorem? Quis est formidolosus? reuertatur. Ergo tenebantur duces in quocunq; bello dicere ista quatuor, cum lex ea posuisset quasi æqualiter impedientia. Item etiam nouiter coniugatis, qui nõdum compleuerant annum cum vxore, non debebat imponi manere in bello, sed recedere poterant cum cæteris, vt patet Deuter. 24. scilicet, quando accepit homo vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis publicæ iniungetur, sed vacabit absque culpa domui suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua. Item patet, quia in aliis bellis, quæ erant maioris necessitatis, quam istud, obseruabantur omnia illa quatuor:

ergo

A ergo obſeruarentur in hoc. Apparet, quia iſtud bellum nullius neceſſitatis erat quantum ad multitudinem pugnatorum, imo Deus quærebat occaſionem quomodo expelleret pugnatores, quia erant multi, vt dicitur in litera, ſcilicet, populus multus eſt, nec tradetur Madian in manus eius. In omnibus autem bellis erant neceſſarij bellatores magis, quam in hoc, ſed in aliis ſeruabantur illa quatuor, quæ ponuntur Deuter. 20. ergo etiam ſeruarentur hic. Quod autem in aliis ſeruaretur patet 1. Mach. cap. 3. cum dicitur: Et dixit Iudas his, qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores: & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſque in domum ſuam ſecundum legem, & tamen illud erat bellum maximæ neceſſitatis, quia omnes gentes conuenerant ſuper Iudæos, & non erat aliquod miraculum, per quod liberarentur, ſicut hic, ſed oportebat eos viriliter pugnare. Item, quia dicitur, quod dixit Iudas his, quod recederent ſinguli in domos ſuas ſecundum legem, id eſt, quod ſecundum legem obligatur ad faciendum hoc: ſic igitur obligaretur Gedeon prædicare hic de omnibus quatuor modis, exprimitur tamen vnus illorum, & ſubintelliguntur alij. *Receſſeruntque de monte Galaad.* Omnes iſti, qui receſſerunt venerunt de monte Galaad, quia fons Arad, apud quem caſtrametati fuerant, & mons Galaad erant ſimul.

Quomodo ſtat quod dicitur in litera.

B

QVÆSTIO V.

QVÆRET aliquis, quomodo ſtat hoc, quia dictum fuit, quod iſta fiebant ad Occidentalem partem Iordanis, Galaad tamen eſt ad Orientem Iordanis, ſcilicet, in terra duarum tribuum, & dimidiæ, Numer. 32. cap. Aliquis dicet, quod fuerunt iſta ad Orientalem plagam Iordanis, quia ciuitas Ephra, de qua erat Gedeon, erat ad Orientalem partem Iordanis, cum dimidia tribus Manaſſe habitet in parte illa ad Orientem Iordanis cum tribu Gad, & Ruben, vt patet Numer. 32. & Deuter. 3. & Ioſue 13. & ſic erat Gedeon cum ſociis ſuis nunc apud montem Galaad. Sed hoc non poteſt ſtare, quia dicitur, quod Madianitæ venernnt apud Iordanem, & tranſito illo caſtrametati ſunt in valle Iezrael, vt patet in litera: ſed iſti veniebant per partem Orientalem: ergo prius venirent in terram Manaſſe, quæ eſt ante Iordanem, in qua erat Gedeon, quam accederent ad Iordanem, & ſic prius pugnaſſet contra eos Gedeon, vel ſaltem iam fugiſſet de terra ſua. Sed vtrumq; falſum eſt, quia ſemper manſerat in Ephra, & excutiebat ſegetes, vt fugeret à facie Madian, vt patet præcedenti capitulo. Item ſi eſſet Gedeon ad partem Orientalem Iordanis in terra duarum tribuum, & dimidiæ, neceſſe erat ad hoc, quod veniret ad pugnandum contra hoſtes, qui iam tranſierant Iordanem, quod ipſe tranſiret Iordanem, ſed non tranſiuit nunc Iordanem, ſed poſtea perſecutus eſt Madianitas vſque ad Iordanem, & tranſiuit, vt patet ſequenti capitulo: ergo habitabat Gedeon ad Occidentalem plagam Iordanis. Item ſi bellum Gedeonis fuiſſet, vt venientis de parte Orientali Iordanis, compuliſſet fugere Madianitas ad Occidentalem partem verſus mare magnum: fugerunt tamen ad partem Orientalem ad aquas Iordanis, vt patet in litera infra: ergo Gedeon veniebat à parte Occidentis. Item Gedeon perſequens Madianitas tranſiuit Iordanem, & accedens ad viros Socoth, qui erant apud Iordanem petens, qui cum ei improperaſſent ait illis, cum reuerſus fuero victor in pace conteram carnes veſtras, vt patet ſequenti capitulo: ſi tamen habitaret Gedeon ad Orientalem partem Iordanis apud Galaad non erat rediturus ad tranſeundum Iordanem: ergo non erat Ephra in dimidia tribu Manaſſe, quæ habitabat ad Orientem Iordanis. Dicendum ergo, quod mons Galaad non accipitur pro illo, in quo Laban perſequens Iacob apprehendit eum Geneſ. trigeſimo primo, quia iſte eſt ad Orientem Iordanis, & iſte eſt, de quo dicitur Numeri trigeſimo ſecundo, ſcilicet, quod regiones Galaad erant vberrimæ ad alenda pecora, ſed eſt quidam mons paruus ad Occidentalem partem Iordanis in ſorte Iudæ circa vrbem Iezrael. Et quia Madianitæ caſtrametati fuerant in valle Iezrael, Gedeon duxit exercitum circa montem illum. *Et reuerſi ſunt de populo viginti duo millia virorum.* Scilicet, de triginta duo millibus, reueſi ſunt viginti duo millia: quia quidam erant formidoloſi, alij vineas plantauerunt, alij domos, alij vxores duxerant, iuxta illud Deut. 20. *Et tantum decem millia remanſerunt.* Scilicet, quia tota congregatio pugnatorum de quatuor tribubus ſolum erant triginta duo millium, de quibus recedentibus viginti duo millibus, manebant decem millia. D

Cur Deus inquirebat occaſiones ad excludendum multitudinem de exercitu.

QVÆSTIO VI.

QVÆRET aliquis, cur Deus inquirebat occaſiones ad excludendum multitudinem de exercitu, vt relinquerentur ſoli trecenti, cum poſtea ad pugnandum contra Madianitas Gedeon vocauerit alias tribus, ſcilicet, Nephthali, Manaſſe, & Aſer, & Ephraim. Reſpondendum, quod Deus voluit, quod Iſraelitæ non poſſent gloriari, quod ipſi viciſſent fortitudine ſua, ſi multi conueniſſent ad pugnandum, ideo eiecit omnes de caſtris præter trecentos, & dum iſti manerent facta eſt victoria mirabilis, ſcilicet, quia Madianitæ occiſi ſunt, ſcilicet, de illis 120. millia, & ſolum manſerunt 15. millia ſeq. cap. & fugati ſunt illi à facie Iſraelitarum trecentorum: illi vero de Iſraelitis, qui poſtea vocati ſunt, non fuerũt vocati ad pugnandum, vt haberẽt victoriam, quia iam illam habuerant: ſed ad perſequendum fugientes, vt maior eſſet victoria: & hoc modo non poterant Iſraelitæ ſibi aſcribere victoriam, ſicut ſi à principio veniſſent ad pugnandum: nam de pugnantibus, qui ſemel fugere incipiunt terga vertentes victi ſunt, ſed Madianitæ iam fugerant, quando vocatæ ſunt aliæ tribus in adiutorium: vnde Gedeon non vocauit viros Ephraim, vt venirent ad locum certaminis, ſed vt irent ad occupandum vada Iordanis, ne tranſirent Madianitæ, vt patet infra in litera. Item Madianitæ erant 135. millia, & de illis perierant centum viginti millia antequam vocarentur aliqui de Iſraelitis: poſtea autem manſerunt 15. millia ſolum, de quibus plurimi fugerunt: ergo quamquam Iſraelitæ vocati in his 15. millibus agerent magnam cœdem, non poterant ſibi aſcribere victoriam, cum centum viginti millia, qui perierunt Deo incitante eos contra ſeipſos occiſi ſunt. Nam mutua ſe cœde trucidabant, vt patet infra: ideo quamquam poſtea Iſraelitæ occiderent aliquos de Madianitis, non poterant ſibi aſcribere victoriam, cum id quod erat potiſſimum Deus per ſe egiſſet. *Dixitque Dominus ad Gedeon.* Id eſt, angelus Dei locutus eſt Gedeoni, quæ ſequuntur: frequenter enim hic loquebatur ei, quia multa agere debebat mandato Dei, & nullum illorum auderet agere Gedeon, imo nec ſciret an acturus eſſet, niſi Deus ei reuelaret. *Adhuc populus multus eſt.* Scilicet, manebant decem millia virorum, & iſti non erant opportuni ad pugnandum contra Madian eo modo, quo Deus volebat, ſcilicet, tenendo buccinas, & lampades, quia etiam iſti poſſent aſcribere ſibi victoriam ſi pugnarent contra Madian, cum deberent pugnare in acie. Deus autem noluit, quod haberent colorem contra ipſum vſurpandi victoriam. *Duc eos ad aquas.* Scilicet, ad fontem Arad, apud quem erant: de quo ſupra dicitur. *Et ibi probabo eos.* Scilicet, qui debebant ire, vel reuerti per modum infra poſitum. *Et de quo dixero tibi, quod tecũ vadat, ipſe vadat.* Id eſt, quẽ oſtendero tibi per ſignũ debere illuc ire, tecũ ducas. *Et quem ire prohibuero reuertatur.* Id eſt, ille quẽ prohibuero per ſignum datũ reuertatur. E

Quare Deus dixit hoc Gedeoni.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quare Deus dixit hoc Gedeoni, quia etiam ſi hoc non fuiſſet dictum, manifeſtum erat, quod Gedeon ſolum faceret quod Deus iuberet. Reſpondendum, quod fuit hoc dictum ad tollendam ambiguitatem, & nimis inſtruẽdum: nam Gedeon putabat, quod quamquam Deus de illis decem millibus tolleret aliquos, manerent ſex millia, vel quinque millia: cum vero per ſignum datum reperiret ſolum recentos, putaſſet aliquem errorem intercidiſſe, & dubitaret hoc facere, vel denuo ſuper hoc conſuleret dominum, quia non videretur ei quomodo trecenti viri pugnare F

C

A deberent contra 135. millia Madianitarum. Vt ergo Gedeon non obstupesceret, nec dubitaret repertis solum trecētis viris, fuit sibi specialiter commendatum, quod faceret id quod Deus iuberet, scilicet, nō dubitaret mittere illos, quos Deus prohibuisset, & recipere solum illos, quos Deus ire iussisset. Sic enim factum est de Samuele: nam iussit ei Deus ire ad vngendum vnum de filiis Isai, & ait: ego ostendam tibi quid facias, & vnge quem monstrauero tibi, & tamen manifestum erat, quod Samuel non erat facturus contra id, quod Deus diceret. Fuit tamen dictum sibi specialiter hoc ad instructionem quandam ne turbaretur cum Deus aliquem ostenderet ei, quem vncturus esset. Nam postea sic accidit, quia putauit Samuel, quod primogenitus vngendus erat, potissime, quia erat ille pulcher aspectu, & corpore, & statura mirabilis, vnde voluit vngere eum: sed dixit Dominus ad Samuelem, ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quoniam ego abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Si autem Deus non præuidisset specialiter instruēs Samuelem, quod illum vngeret, quem ei ostenderet, forte vnxisset primogenitum Isai, scilicet, Eliab: ideo ne miraretur dictum est ei hoc. *Cumq; descendisset populus ad aquas.* Ad fontem Arad. *Dixitq; Dominus ad Gedeon.* Ista fuit alia locutio: nam quando dixit, quod duceret eos ad aquas, & quod probaret eos ibi, non dedit modum probandi, sed postea quando fuit totus exercitus apud aquas: vnde erat nimis familiaris hic Deus Gedeoni. *Qui manu, & lingua lambuerit aquas.* Lambere aquas est eas non totaliter absorbere, sed aqua ad os attracta aliquam partem deglutire alia cadente in terram. *Sicut solent canes lambere.* Quia iste modus bibendi canum est per attractionem. *Separabis eos seorsum.* Id est, isti erunt in vna parte, quia pertinebant ad electos. *Qui autem curuatis genibus biberint.* Scilicet, fixis genibus in terram, & in mergendo os in aqua ad deglutiendum aquas: ecce quamquam forte Gedeon, & socij sui portarent aliqua vasa ad bibendum: tamen non biberunt per vasa, quia sic non distingueretur modus bibendi.

B *Lambere quid sit.*

Quomodo est factum quod dicitur in litera.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRET aliquis, quomodo factum est hoc? Respondendum, quod Gedeon dixit omnibus viris suis, quod Deus iubebat, quod omnes biberent ad aquas illas, quia ibi volebant distinguere eos, alioquin non est verisimile, quod omnes de exercitu bibissent, quin aliquis relinqueretur, cùm essent decem millia. Etiam dato, quod biberent omnes, si non agerent ex præcepto biberent taliter, id est, in locis ita separatis, quod nō posset iudicari de quolibet qualiter biberat, sed ad hoc, quod cognosceretur hoc, necesse erat, quod omnes singillatim biberent coram Gedeone, & ipse faceret eos separari in partes duas, secundum quod dupliciter bibebant: ergo oportet dicere, quod eis fuerit datum mandatum de hoc, & ipsi sciuerint, quod ad hoc bibebant, vt probarentur, & ob hoc quamquam non desiderarent potum bibebant. Sicut quando Moyses voluit cognoscere peccatores in fabricatione vituli, fecit quod omnes biberent, & tunc apparuerunt signa in peccatoribus: Exod. 32. non tamen fuit istis dictum, quod erat signum repellendorum, & quod signum accipiendorū, ideo quilibet bibebat secundum q̄ consueuerat, vel secundū quod desiderabat, & certissime cogniti sunt.

C

An Gedeon etiam biberit.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, an Gedeon etiam biberit. Respondendum, quod non, quia istud fiebat ad cognitionem, scilicet, qui deberent ire ad bellum: de Gedeone autem notum erat, quod ire deberet, eo quod ipse erat dux: ergo non oportebat, quod biberet. Item ipse sciebat, quæ signa erant repellendorum, & quæ accipiendorum, ideo poterat tenere quem modum voluisset, scilicet, vel eundo, vel recedēdo: probatio ergo nulla erat, quia nihil hoc proficiebat, nisi in non cognoscente modum probationis. Item Deus dixit ei, quod ipse separaret quosdam in partem vnam, & quosdā in partem alteram: ergo si ipse bibere deberet, alter deberet separare eum. Item ipse erat iudex aliorum videndo quomodo bibebant, separando illos: ergo oportebat, quod respectu eius alius esset iudex, & illi notificaretur signum de accipiēdis, & reiiciendis: sed hoc nulli nisi Gedeoni reuelatum est. Item si daretur Gedeoni, quod biberet, posset bibere flexo genu, & deberet reiici de bello, & oportebat accipi alium: sed istud ridiculum est, quia Deus elegerat eum in ducem, & facta fuerant circa ipsum omnia, quæ habentur præcedenti capitulo: ergo non debebat ipse bibere. *In parte altera erunt.* Vt distinguantur reiiciendi ab accipiendis. Istud non habetur in Hebræo: litera tamen nostra posuit, quia necesse erat subintelligi ad complementum sententiæ. *Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proijciente aquas lambuerant, trecenti viri.* Isti fuerunt in parte vna, qui sicut canes biberunt, & ituri erant ad bellum, voluit autem Deus, quod solum essent trecenti de istis, vt esset paruus numerus euntium ad bellum, & patrata pugna non possent Israelitæ sibi ascribere victoriam. *Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.* Erat autem multitudo quasi decem millium virorum, quia solum deerant isti trecenti, & biberunt flexo poplite, id est, fixis ambobus genibus in terram, & toto corpore complanato terræ. *Et ait Dominus ad Gedeonem, in trecentis viris, qui lambuerunt aquas liberabo vos.* Id est, per manum trecentorum virorum lambentium aquas liberabo Israel de manu Madian. Hic sæpe loquebatur Deus Gedeoni, & non dicebantur omnia hæc simul. Causa autem fuit, quia si Gedeon sciuisset quod erat signum euntium ad bellum, & quod reiiciendorum, cum ipse desideraret, quod multi irent ad bellum, quia putabat hoc securius, verbo, vel signo expressisset quem modum bibendi ipse vellet habere Israelitas. Sed dicetur, quod non faceret hæc Gedeon, quia peccaret declarando signum Dei, quod ipse volebat esse occultum. Nam directe repugnabatur voluntati Dei in hoc. Ipse enim volebat, quod probarentur Israelitæ in hoc: sed si aliquo modo cognoscerent aliqui de istis modos bibendi, non fieret in eis probatio conueniens. Dicendum, quod quamquam Gedeon ab intentione non ostenderet verbo, vel nutu alicui, quem modum de istis duobus bibendi tenere deberent: tamen cum ipse cuperet, quod Israelitæ biberent, vt taliter omnes, vel multi irent ad bellum, quando videret, quod aliqui flexo vtroque genu bibebant, conturbaretur necessario vultus eius: nam affectio hominis in vultu significatur, nec est facile eam omnino tegere: ideo ne Gedeon magis in vnam, quam alteram partem moueretur voluit Deus adhuc occultum sibi esse signum. *Et tradam Madian in manu tua.* Scilicet, subiiciendo tibi. Vel effugando à facie tua. Vel tradam eos tibi vulnerandos, sicut dixit Deus Iosue, vt patet Iosue vndecimo, ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel. *Omnis autem reliqua multitudo reuertetur in locum suum.* Scilicet, nouem millia septingenti viri, qui flexerant vtrumque genu ad bibendum, & isti reuersi sunt in domos suas: postea tamen forte aliqui de istis redierunt ad pugnam contra Madian effugatis Madianitis: nam de Nephthali, Aser, & Manasse venerunt postea multi bellatores, vt patet infra in litera.

D E F

Quare Deus accepit potius bellatores de lambentibus aquas, quam de flectentibus vtroque genu.

QVÆSTIO X.

QVÆRET aliquis, quare Deus accepit potius de illis, qui lambebant aquas, quam de flectentibus vtroq; genu. Respondet Nicolaus, quod fuit duplex causa. Vna quia Deus volebat accipere illos, qui pauciori egerent cibo, & potu, & forte, quia magis conueniebant ad istam expeditionem: sic enim fuit de lambentibus, quia illi non bibunt quasi ad satiandum ventrem, sed ad irrorandum, & sic est in eis paucitas sitis: in aliis vero magna. Secunda causa est, quia volebat eligere viros tolerantissimos laborum, & quia illi, qui toto corpore procumbebant ad bibendum paucos labores sustinerent, eo quod præ lassitudine quasi ad recreandum membra in terra extendebant: alij vero non inclinabantur quasi non egerent recreatione, sed manebant super vnum poplitem: ideo accepit lambentes aquas, & non flectentes

Nicolai responsio ad quæstionem.

genua,

A *Improbatio.*

genua, quia illi erãt assuefacti sic flectere genua coram Baal. Sed ista non est causa literalis, nec etiam est vera, quia quãdo aliqui colebant idola flectebant vnicũ genu, vel vtrumq; corã illis, sed non extendebantur toto corpore super terrã: ad bibendum tamen totaliter extendebantur super terram, vt applicarent os aquę, & immergerent, nisi qui lãbebant aquam, vt canes, quia isti flectebant vnum genu, vel vtrumque, sicut adorantes; ideo isti potius debebant reiici à bello. Ioseph. autem 5. antiq. vult, quod isti trecenti electi sunt tãquam timidiores: nam Deus volebat ostendere victoriam istam magnificã, eo quod exercebatur per paucos, & timidos, quia & qui procumbentes bibebãt confidentiores erant, scilicet, bibentes spatiose prostrati in terram, nec timẽtes hostem, qui vero lambebant aquas, bibebant velociter præ timore, & non audebant procũbere terræ, vt non grauarentur surgere irruentibus hostibus, ideo hos elegit, vt sic sciret totus Israel, quod victoria erat Dei, & non ipsorum. Istud est satis rationabile, & concordans intentioni literæ, scil. quia Deus volebat paucos Israelitas in bello, vt non ascriberent sibi victoriã: ita volebat eos timidos, & debiles, vt minorem colorem haberent ascribendi sibi victoriã: vnde ait vbi supra de Gedeone: præcepit Deus, vt circa medium diem in Solis ardore ad flumen faceret venire exercitum, & eos quidem, qui inclinati biberent, magnanimos æstimaret, qui vero cũ festinatione biberent, eos crederet formidine hostium detineri, & cũ hoc Gedeon iuxta Dei voluntatem adimpleret, trecenti viri reperti sunt, qui timore manibus aquã lamberent, & hos duxit. Sed adhuc potest dici, & valde rationabiliter, quod Deus voluit, quod illi qui lamberent aquas irent ad bellum, quia Deus volebat, quod pauci irent ad bellum, & quia de bibentibus, vt communiter plures sunt, qui aquam prostrato corpore bibebant, quam lambentes, noluit accipere lambentes.

Ioseph opinio.

B *Doct. resp. ad quæst.*

Cur Deus non dixit Gedeoni, elige tibi trecentos viros de his.

Qvæstio XI.

Qværetvr, cum Deus vellet solum trecentos viros ad istud bellum, cur non dixit Gedeoni elige tibi trecentos viros de his, & non essent tot experimenta. Respondendum, quod Deus egit hoc ad tollendum contentiones, & animositates: nam si Gedeon elegisset trecentos, videbatur innuere cæteros non esse idoneos ad bellum, vel saltem istos esse meliores omnibus aliis, in quo alij indignarentur, quod præponerentur isti eis, quia forte multi de eis, qui relinquebantur erant idonei magis, quam qui eligebantur. Etiam putarent, quod non faciebat hoc Gedeon mãdato Dei, sed ex corde suo: ad tollendum ergo hæc, dedit signum manifestum, scilicet, quia biberunt omnes de populo, & qui lambebant aquas separati sunt in partem vnam, alij vero in aliam, & omnes lambentes accepti sunt, & alij reiecti. Et in hoc non visa fuit aliqua acceptio personarum, nec potuit fieri ex voluntate Gedeonis: nam si accepisset aliquos de vna parte, & alios de alia fuisset acceptio: fuerunt tamen accepti omnes, qui erant in vna parte. Expediuit ergo dari istud signum, vel aliud simile, in quo non appareret aliquis fauor. *Sumptis itaque pro numero cibis.* Id est, cum accepit Gedeon trecentos viros, remisit alios, & quia isti habebant multos cibos tanquam omnes ituri essent ad bellum, diuiserunt cibos, & acceperunt socij Gedeonis cibos pro numero, id est, quantum putabant eis sufficere secundum numerum suum, & reliquos cibos tulerunt alij, qui recesserunt. *Et tubis.* Id est, etiam tulerunt tubas pro numero, id est, tot, quot ipsi erant: nam trecentas habuerunt, cum essent trecenti, & quilibet buccinabat, vt patet infra in litera.

C

Quomodo nunc socij Gedeonis tot tubas sumpserint.

Qvæstio XII.

Qværet aliquis, quomodo nunc socij Gedeonis tot tubas sumpserint, quia regulariter non sunt necessariæ in bello tot tubæ, quot viri. Respondebit aliquis, quod non sumpserunt trecentas tubas quot ipsi erant, sed tot tubas quot necessariæ eis erant: ita intelligitur de cibis, quod sumpserunt cibos pro numero, id est, secundum necessitatem tot virorum. Sed hoc non conuenit, quia constat, quod isti tubas habuerunt, quot ipsi erant, vt patet infra in litera, quia omnes tubis clangebant. Dicendum ergo, quod multitudo bellica, quæ ibat cum Gedeone, habebat multas tubas, & de illis accepit Gedeon trecentas pro sociis suis. Et hoc, quia iam sciebat modum pugnandi, scilicet, quia Deus ei reuelauerat, quod ipse, & viri sui debebant tenere tubas, & lampades in manibus, sicut postea factum est, & quamquam non dicatur hic, quod istud iam Deus dixisset, tamen subintelligendum est, quia etiam postea non exprimitur, quod Deus hoc iusserit: tamen manifestum est, quod iusserit, quia alioquin non auderet Gedeon facere aliquid tale. *Omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua.* Scilicet, omnes nouem millia septingentos iussit ire in tabernacula sua, quia Deus iussit his solis trecẽtis, quod irent ad pugnam. *Et ipse cum trecentis viris se certamini dedit.* Id est, iuit ad locum certaminis, & ibi spectauit quid Deus ei facere iuberet.

D

Castra autem Madian erant subter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse, & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ. Madian autem & Amalech, & omnes orientales populi fusi iacebant in valle, vt locustarũ multitudo: cameli quoq; innumerabiles erant, sicut arena, quæ iacet in littore maris. Cũq; venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hunc modum referebat quod viderat: vidi somniũ, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: Cumq; peruenisset ad tabernaculũ, percussit illud, atq; subuertit & terræ funditus coæquauit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian: & omnia castra eius. Cumq; audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit, & reuersus est ad castra Israel, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

E

Mars Iouis filius belli Deus à gẽtibus appellatus claret.

Castra autem Madian. Hic autem ponitur secundum huius capituli, scilicet, electorum ad bellum assecuratio, & fuit ista assecuratio in duobus, primo ex Dei promissione, secundo ex somnij narratione, & interpretatione ibidem. *Cumque venisset Gedeon.* Circa primum dicitur. *Castra autem Madian erant subter in valle.* Id est, non distabant multum à loco, in quo nunc erat Gedeon cum trecentis viris suis, & in quo probati fuerunt alij ad aquas: & dicitur, quod erant in valle, scilicet, in valle vrbis Iezrael, vt supra dicitur. *Eadem nocte dixit Dominus ad eum.* Scilicet, nocte, qua accessit ad locum illum circa castra, locutus est angelus Domini ad illum, quod faceret hæc, quia non expediebat, quod maneret Gedeon ibi vsque ad sequentem diem nihil agens, quia cum solum haberet trecentos viros, cognoscerent hoc Madianitæ, & irruerent super eum, atque delerent. Etiam non haberet opportunitatem ad fallendum eos postea, scilicet, eundo postea per noctem cum buccinis, & lampadibus, quia cum subito venit putauerunt infinitam multitudinem bellatorum aduenisse, quæ circundederat castra Madian, & præ turbatione conuersi in se mutua se cœde truncabant: si tamen cognoscerent paucitatem virorum Gedeonis, non possent turbari visis lampadibus, & buccinis. Factum est ergo nocte illa, vt prius Gedeon in castra irrueret, quam putaretur adesse. *Surge descende in castra.* Scilicet, in castra Madian: ista descensio erat ad audiendum somnium, de quo infra. *Quia tradam eos in manu tua.* Id est, iam tradidi, scilicet, quamquam nondum sint occisi, tamen iam traditi sunt, quia nunc tradentur in descensu.

Electorum ad bellum assecuratio.

F

A

Quare iussus est descendere Gedeon in castra.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quare iussus est descendere Gedeon in castra, cum nunc non descenderet ad pugnam, sed postea. Respondendum, quod ad confortationem, quia Deus volebat cõfortare eum,& quia hoc fieret auditis verbis somnij, & interpretatione eius, voluit quod descenderet ad audiendum. Sed dicetur, ad quid erat opus hoc, cum Gedeon certus esset ex præcedentibus, quod Madianitæ tradendi essent in manus eius. Respondendum, quod Gedeon erat vir imperfectus,& dubitãs de victoria sibi danda,& quamquam Deus certificasset eũ,adhuc erat trepidus,sicut patet preced. cap.quia licet Deus certificasset eum,tamen postea bis signũ petiit. Nunc igitur quamquã ipse non peteret signum,Deus certificauit ipsum in enarratione somnij, cui valde assensit Gedeon,& hoc fecit,vt cõdescenderet conditioni eius, quia valde dubius erat super hoc, & nimis confortaretur relatione aduersariorum. *Si solus ire formidas,descendat tecum puer tuus Phara.* Id est, armiger. Quamquam enim sciret Gedeõ,quod non posset ipse cum puero magis resistere hostibus, quam ipse solus, tamen magis confortaretur eo præsente, ideo dixit ei Deus, quod descenderet cum eo. *Et cum audieris quid loquantur.* Id est, cum audieris somnium, & interpretationem eius. *Tunc confortabuntur manus tuæ.* Id est, tu confortaberis magis ad pugnandum, quam alias, quia cum ipsi aduersarij confiterentur, hoc signum esset, quod Deus concussérat eos timore. *Et securior ad hostium castra descendes.* Id est,audito hoc descendes securior, scilicet, in secunda vice, quando iueris ad pugnandum:nam nunc non ibant ad pugnandum,sed ad audiendum quid diceretur in castris, in Hebræo habetur. *Et cum audies quid loquantur.* Sed idem significat.

B

Quomodo confortarentur manus Gedeonis audiendo quod diceretur in castris.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quomodo confortarentur manus Gedeonis audiẽdo quod diceretur in castris. Respondendum, quod cum plures probationes sunt ad aliquid, tanto res, quæ probatur, firmior efficitur: cum ergo super præcedentes probationes adderetur ista, confortarentur manus Gedeoni,plus quam prius. Aliter dicẽdum etiam,quod omnes probationes quas hactenus dederat Deus Gedeoni, firmæ erant, sed nondum patebat aliquid de illis in opere, per istam autem probationem pateret aliquid in re: nã nunc auditurus erat Gedeon somnium, in quo Madianitæ confiterentur timorem suum de Gedeone conceptum,& cũ aliquis hostis incipit formidare alium quasi desperando de euasione minor illo efficitur, ideo Gedeon hoc audiens sciret se maiorem Madianitis,& confortaretur contra eos. Item Madianitæ erant multo plures quam Israelitæ,scilicet,vt nullo modo timere deberent Israelitas, nunc vero cum Gedeon audiret eos enarrãtes timorem suum conceptũ de Gedeone, sciret manifeste,quod Deus incussérat eis timorẽ illum,& confortaretur nimis.Item sciebat Gedeon,quod omnes istę gẽtes erant nimis superstitiosæ attendẽtes ad somnia,ideo cum somniarent se delendos à Gedeone, illico crederent, & conseruarent mente, & videntes subito per intempestã noctem irruisse super se Gedeonem, putarent verum esse somniũ, & fugerent, vel turbati sæuirent in seipsos. *Descendit ergo ipse, & Phara puer eius in partem castrorum.* Noluit descendere solus,vt non timeret, & dicitur in partem castrorum, scilicet, ad primam partem castrorum:quoniã non ausus est introire in castra. *Vbi erant armatorum vigiliæ.* In extremitate castrorũ semper solent esse armati custodientes, ne hostes subito irruãt in castra,& vsq; ad illam partem descendit, nec visus est,vel fortenõ est cognitus, quia putauerũt vigiles, quod esset de manentibus in castris. *Madian autem,& Amalech,& omnes orientales populi.* Omnes isti conuenerant contra Iudæos. Vocantur orientales omnes,qui morabantur ad orientalẽ partẽ Iordanis,& terræ Israel, scilicet, Ammon,& Moab, & reliqui. *Fusi iacebant in valle.* Id est, dispersi per vallem: dormiebant enim securi,quia multi erant,& quia habebant super se vigilias armatorum. *Vt locustarum multitudo.* Scilicet,quod sicut locustæ sunt valde multæ,& quando veniunt,& insident alicui terrę operiunt superficiem terræ:ita isti populi operiebant terram præ multitudine. *Cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quæ est in littore maris.* Istæ gentes abundabant maxime in Camelis,potissime Madianitæ, vt patet Isai. 60. cap. scilicet: Inundatio Camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Ephra. Ducebant autem secum gentes istæ Camelos suos, scilicet,vt saturarentur,& impinguarentur in terram Iudęorum. Etiam, vt in eis portarent onera: nam cum tabernaculis suis veniebant cum filiis, & vxoribus, præcedenti capitulo.Erant etiam ad ferendum onera de terra Iudæorum, scilicet, res aliquas mobiles,vt quæcunque supellectilia. Et dicitur,quod erant sicut arena, quæ est in littore maris, eo quod erant valde multi. *Cumq; venisset.* Hic ponitur assecuratio ex somnij relatione, & interpretatione, scilicet. *Cumque venisset Gedeon.* Scilicet, cum accessisset ad extremam partem castrorum, in qua erant vigiles. *Narrabat aliquis proximo suo.* Id est, incipiebat narrare, quia alioquin Gedeon non aduertisset plene sententiam in Hebræo dicitur. *Narrabat aliquis virsomnium proximo suo.* Et idem est:sed litera nostra posuit solum aliquis, quia hoc magis congruit ad signandam incertitudinem qualis erat hic. *Et in hunc modum referebat, quod viderat.* Scriptura exprimit somnium,& interpretationem,vt videatur quomodo ex somnio illo confortatus est Gedeon.

C

D

E

Quomodo Deus misit hic Gedeonem ad audiendum somnium, cum ipse vetaret somnia.

QVÆSTIO XV.

QVÆRET aliquis, quomodo Deus misit hic Gedeonẽ ad audiendum somnium, quia ipse prohibebat nimis attẽdere somniis, & quibuscunq; superstitionibus Deut. 18. scil. Non inueniatur in te, qui lustres fratrem suum, aut filiã ducẽs per ignem,aut qui ariolos scisciteturr,& obseruet somnia. Simile Leuit.19.cap. iubendo tamen Gedeoni ire ad audiendum somnium, & interpretationem eius, fauebat somniis innuẽdo illa esse alicuius auctoritatis. Ideo non erat cõueniens.Responderi potest,quod somnia sunt duplicia quędam sunt à Deo immissa:alia vero ab aliis causis. De somniis à Deo immissis non est prohibita interpretatio, & auditio. In somniis autem prouenientibus ex aliis causis, vt communiter est superstitio,licet quædã naturaliter eueniant,de quibus non intẽdo. De primis patet, vt de somniis prophetarũ: nam Deus per somnia, vt communiter reuelabat eis veritates supernaturales Num.12. scil. Si fuerit inter vos propheta Domini: in visione apparebo ei, aut in somnio loquar ad illũ: reuelationes tamen propheticæ sunt necessariæ, cũ dicat B.Petrus: plus assentiemus eis,quam rebus,quas videmus: 2. Petri c.1.Quia tamen non constat nobis ista somnia prophetarũ esse prophetice immissa,vel aliter eueniſſe, licebat cuiq; assentire illis quousq; propheta daret signum,vt patet Deut. 18.Interdum etiam accidit esse somnia immissa illis,qui non sunt prophetæ,& non intelligunt illa,sed alij exponũt:& tũc si à viris prophetis, vel approbatis in sacra scriptura illa exponantur,credendum est tam somnio,quam expositioni,sic fuit de somnio duplici Pharaonis in vaccis,& spicis, Gen.41. Nam à Deo immissum est, vt dixit Ioseph Gen. 41. & nullus potuit exponere præter Ioseph,cui Deus dederat sapientiam exponendi somnia. Vnde ipse dixit: nunquid non est Domini interpretatio? Genes. 40. & iterum respondit Pharaoni quærenti, quod interpretaretur, absque me respondebit Deus prospera Pbaraoni: Genes.41. Sic etiam fuit in Nabuchodonosor, qui non erat propheta, nec intellexit somnia: Deus tamen misit ei duo somnia, vnum de statua Dan. 2. & exposuit illud Daniel,dicens: Deus,qui reuelat mysteria,reuelabit tibi, quæ ventura sunt. Et aliud de sua deletione per arborem magnam Daniel. 4. & vtriusque interpretationem Daniel dedit,& asseruit illa venire à Deo. De his autem non vetitum est obseruari somnia, imo iussum est, quia istæ sunt prophetiæ. Alia somnia sunt, quæ accidunt ex multis causis indeterminatis, & ista sunt superstitiones, & qui ista

Somnia sunt duplicia: quædã à Deo immissa, & quædã ab aliis causis.

F

Credendũ est tã somnio, ꝙ expositioni.

obser-

A obseruant, faciliter incidunt in idololatriam, ideo Deus vetuit obseruari illa. Somniũ autem, quod nunc narrabat Madianita, verè à Deo immussus erat, ideo habebat certam significationem, & poterat ei fides certissima adhiberi. Quod autem à Deo esset immissum, patet, quia ipse misit Gedeonem ad audiendum ipsum. Aliter potest responderi, quod quamquam indistinctè Hebræi non deberent insistere somniis, vel expositioni eorum accommodando aliquam fidem, tamẽ Gedeon poterat confortari, quia gentes adhibebant fidem his: & habito isto somnio terrerentur, & timerent Gedeonem, & hoc satis erat Gedeoni, vt confortaretur: sed primum melius est.

Nunquid Gedeon superstitiosè ageret assentiendo expositioni datæ ab alio Madianita.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius, dato quòd somnium esset à Deo, an Gedeon superstitiosè ageret assentiendo expositioni datæ ab alio viro Madianita. Aliquis dicet, quod non erat superstitio, cùm somnium esset à Deo, in diuinis autem non est superstitio. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia dato, quod somnium esset à Deo, poterat esse friuola interpretatio, & esset superstitio obseruãdo illam, sic patet in sacra scriptura. Nam constat illam verissimam esse, aliquis tamen poterit eam taliter exponere, vt nullo modo expositio admittenda sit, à fortiori ergo accidet in expositione somniorum. Vnde dicendum, quòd dato, quòd constet aliquod somniũ esse à Deo, nunquam est firmiter assentiendum alicui expositioni eius, nisi expositor sit propheta, sed iste vir Madianita, qui exponebat, non videbatur propheta, sed magis exponebat secundum doctrinam superstitionis gentium in expositione somniorum, & in auguriis: ergo assentire expositioni eius erat superstitiosum. Respondendum, quòd non constat plenè an vir iste haberet spiritum propheticum ad interpretandum somnia, ideo indifferens erat eius interpretationi assentire, & cuilibet audienti illam melius iudicare, vt superstitiosum, quàm vt firmam veritatem. De Gedeone tamen dicendum, quòd rationabile erat, quòd crederet istam interpretationem esse à Deo: imò quòd omnino sic tenere debebat. Primò patet, quia, sicut constabat ei somnium à Deo esse, vt patet ex dictis, ita cõstaret interpretationem esse à Deo, quia alioquin nihil prodesset somnium à Deo, mitti. Item quia Deus misit Gedeonem ad audiendum somnium, & interpretationem, vt roborarentur manus eius: si tamen expositio non esset certa, & à Deo confortatio nulla esset, vel falsa: ideo oportebat veram esse expositionem. Item totum, propter quod mittebat Deus Gedeonem in castra est expositio somnij, quia de somnio secundum se ipse nihil intelligeret, ergo expositio à Deo erat. Item si expositio non fuisset à Deo immissa cordi exponentis, esset superstitiosa, & Deus mitteret Gedeonem ad audiendam superstitionem: sed hoc falsum est, ergo erat expositio à Deo. Sciendum tamen, quòd tam ille, qui somniabat, quàm ille, qui exponebat à Deo mouebatur, sed non intellexerunt. *Vidi somnium.* Id est vidi imagines rerum per somnium. *Et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex ordeo volui, & in Madian castra descendere.* Id est apparebat mihi, quòd super vnum collem istorum erat vnus panis subcinericius, & veniebat rotando super castra ista Madian, quæ sunt in valle. Sic enim dicitur in somnio Nabuchodonosor, quod lapis excisus de monte sine manibus percussit statuam in pedibus, & comminuta est: Dan. 2. In Hebræo habetur. *Videbatur mihi canistrum panis hordeacei volui.* Scilicet, quòd in canistro erãt multi panes, & rotabatur canistrum, & dispergebantur panes. Litera autem nostra posuit vnum panem, quia rationabilius est hoc, quàm quòd rotaretur canistrum: nam dispersio panum de canistro non importabat aliquam conuenientem significationem super illos, qui importabantur nomine panis. Item, quia si poneretur canistrum multorum panum, non solùm significaretur Gedeon, sed æqualiter omnes, qui cum eo erant. Expositor tamen interpretatus est, quòd significabatur Gedeon: ergo conuenientius ponitur vnus panis, sicut dixit litera nostra. *Cumque venisset ad tabernaculum percussit illud, atque subuertit.* Intelliguntur multa tabernacula, quia non solùm vnum tabernaculum deleturus erat Gedeon, sed etiam omnia castra Madian. *Et terræ funditus coæquauit.* Scilicet, quòd non dimisit aliquid de tabernaculo erectum, sed totum complanauit: ita vt nihil maneret de tabernaculi figura, vel statu. In Hebræo habetur præter hæc. *Et cadebat tentorium.* Quod satis intelligitur per hoc quòd dicitur, & terræ funditus coæquauit. *Respondit is, qui loquebatur.* Scilicet ille cui narrabatur somnium: Deus tamen immisit spiritum propheticum ad intelligentiam huius somnij, & vera exposuit.

Gedeõ tenebatur credere expositioni somnij Madianita.

Quomodo spiritus propheticus communicabatur Madianitis, qui erant Gentiles.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR quomodo spiritus propheticus communicaretur his, qui erant in circuncisi, & idololatræ.

Respondendum, quòd Deus quantum ad gratiam gratis datam cuiusmodi est spiritus propheticus, non distinguebat inter bonos & malos, & inter circuncisos & incircuncisos: sicut facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & peccatores. Matth. 5. quia ista sunt gratis data, & non gratum facientia: ita & spiritus propheticus indifferenter immittitur. Nam parum differt ab excellenti ingenio, sed ingenia maiora fuerunt inter incircuncisos quàm inter Iudæos, vt patet ex inuentione totius sapientiæ, quæ penè à gentilibus exorta est, & catholici nostri eam compleuerunt. In quo ambiguum est valde, an Iudei aliquam particulam sibi ascribere possint, sed quidquid habent mendicatum est. In Iudæis quoque quibusdam pessimis sapientia data maxima est. Sicut Salomoni, qui turpissimus vir postea fuit. De spiritu etiam prophetiæ satis patet. Nam gentilibus datus est, sicut fuit Balaam ariolus de Mesopotamia, & tamen erat verus propheta, cui multa, & magna reuelata sunt, vt patet Numer. 24. Patet etiam de sybillis: nam decem sybillæ fuerunt, vt tangit August. 18. de Ciu. Dei, & nominat eas Lactantius lib. 1. de falsa religione, siue de natura Deorum. Omnes has prophetasse aiunt, & non solum prophetauerunt, sed etiam prophetiam vnius earum, quæ Erithrea dicitur ab Ecclesia recipitur, & recitat eam Augu. 18. de Ciuitate Dei, quæ constat in viginti septem versibus exametris, & multa dicta sunt ibi de Domino Iesu, & leguntur in lectionibus matutinalibus Natalis Domini. Inter Iudæos etiam aliqui mali fuerunt prophetæ, sicut Cayphas, de quo Ioan. 11. Ideo nõ est mirum si ad vtilitatem populi Dei Madianitæ quoque datus fuerit spiritus propheticus ad horam scilicet vt per hoc confirmarentur Israelitæ in proposito pugnandi. *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ.* Scilicet totum istud somnium intelligitur de gladio Gedeonis. *Tradidit enim Dominus in manus eius Madian.* Scilicet populum Madian, & per hunc intelligitur etiam Amalec, & omnes alij populi Orientales, qui conuenerant in valle. *Et omnia castra eius.* Scilicet, quia gentes occidet, & castra diripiet.

Inuentio sapientiæ à Gentibus quasi tota exorta est

De quo Deo intellexerat hic vir iste, quòd tradiderat Madian in manus Gedeonis.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR de quo Deo intellexit hic vir iste, quòd tradiderat Madian in manus Gedeonis.

Respondendum sicut supra dictum fuit, quòd iste vir exposuit somnium per spiritum propheticum, & sic iste nihil dixit, nisi quod Deus posuit in mente eius, sed Deus locutus est de seipso; ideo necesse erat, quod intelligerentur hæc de vero Deo, qui ista indiderat cordi viri. Sed tunc restat dubiũ, cùm iste vir nesciret se moueri à Deo exponẽdo hoc, sed putabat, quòd à seipso ista loquebatur, quem sensum ipse habebat, scilicet, quem Deum ipse putabat esse, de quo loquebatur, quia fortè intelligeret de alio nimis diuerso, sicut fuit de Caypha, qui propheticè dixit: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: & hoc dixit à spiritu sancto Ioan. 11. ipse tamen accepit in hoc sensu, quòd expediebat ad bonum statum vrbis Ierusalem, &

A vt non periret illa tota gens, occideretur Christus, quia si nõ occideretur venirent Romani, & tollerent gentem, & locum: Spiritus sanctus protulit ad significandum, quod expediebat Christum mori pro salute totius generis humani, ne omnes perirent, vt ibidem exponitur in litera: ita hic potuit esse. Respondendum, quod vir iste potuit de hoc Deo concipere dupliciter. Vno modo, quod iste Deus esset quidam Deus supremus inter alios Deos, qui tamen non plene cognoscebatur, & quandocunque nominabant Deum non exprimentes nomen intelligebatur de hoc, quia erat suprema virtus. Athenienses autem, qui cæteris gentibus peritiores erant Deo isto, abundantius senserunt, constituentes ei aram inter cæteros Deos, & concordauerunt in multis proprietatibus eius cum Beato Paulo: Act.17. fortè autem intellexit vir iste de hoc Deo. Secundò modo poterat concipere de Deo Hebræorum: nam quilibet gens Deum suum habebat, & putabant aliæ gentes Deum Hebræorum esse, sicut Deus ipsarum, sicut dixerunt Syri serui regis Benadab: dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos: sed melius est, quòd pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos, vt patet 3.Reg.20. & tamen dij montiũ sunt quidam dij speciales apud Gentiles, qui vocabantur Iugatini. Quicquid tamen esset putabant Deum Hebræorum esse potentiorem diis Gentium: sic dixerunt Philisthini 1.Re.4. Venit Deus in castra, & ingemuerunt dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis, quis nos seruabit de manu Deorum sublimum istorum? hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Concedebant etiam imò astruebant Gentiles bella Deorum, quo modo quædam gens pugnans habebat Deos pugnantes pro se, & alij dij pugnabant pro alia gente: sic in bello Troiano introducitur Iuno pugnasse pro Græcis, & Venus pro Troianis, & Venerẽ fuisse in bello vulneratam. De hoc Ouidius in lib. de Remedio amoris, & de Arte amandi, & Virgilius in 10. Æneidos. De hoc Aug. de Ciui. Dei li. 3. ita Gentiles putabant, quòd Deus Iudæorum pugnaret pro eis cõtra Madian, & contra Deos Madianitarum, & traderet Madian in manus Israel. Quòd etiam pugnaret Deus Israel contra Deos Gentilium ipsemet dixit Num. 33. quòd fecit iudicia in omnibus diis Ægyptiorum, confringendo eos: confitebantur autem istud bellum Philisthini dicentes, quòd Deus Israel percutiebat Deos suos 1.Reg.6. scilicet. Dabitis gloriam Deo Israel, si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra. Dicendum ergo verisimilius esse, quòd iste vir exponens somnium intellexerit, quòd Deus Israel traderet Madianitas in manus Gedeonis: nam Madianitæ nouerant potentiam Dei Israel, cùm essent vicini Iudæorum.

B

Cùm somniator & expositor cognouerint destructionem Madian certissimè, cùm mouerentur à Deo, cur non fecerunt Madianitas de loco recedere, &c.

C

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlterius, cùm isti duo viri, scilicet somniator, & expositor cognouerint destructionem Madian certissimè, cùm mouerentur à Deo, cur non fecerunt, vt recederent Madianitæ de loco, vel saltem, vt adhiberent super se maiorem diligentiam.

Respondendũ, quòd quamquam isti duo viri à Deo moti sunt ad somniandum, & exponendum non putauerunt se moueri à Deo, sed somnium esse de communiter accidentibus: expositionem verò non esse à Deo, sed per artem suam, quam in expositione somniorum obseruabant, & quia somnia sæpe fallebant eos, licet interdum verum reperirent, non multũ attenderunt ad hoc, putantes esse sicut in aliis. Quòd autem isti, quamquam à Deo mouerentur, non intellexerint se moueri ab illo, patet: nam somniatoribus sic sæpe accidit: sic fuit in Ioseph, qui habuit somnia à Deo signantia prælationem suam super patrem, & fratres, Gen.37. & ipse non intellexit tunc: postea vero, quando accidit compleri illa, scilicet, inclinatis coram eo fratribus suis, recordatus est somniorum, quæ aliquando viderat, vt patet Geneseos quadragesimo secundo capite, sic etiam Pharao habuit à Deo somnium, sicut dixit Ioseph Geneseos quadragesimo secundo, tamen non putabat Pharao se à Deo moueri, sed quòd ista acciderent, vt communiter accidit. Sic etiam de Nabuchodonosor fuit, qui vidit duo somnia, Danielis secundo & quarto vtrumque fuit à Deo: ipse tamen non putabat à Deo prouenire, sed Daniel dixit ei, quòd Deus volebat ei per hoc reuelare futura. De expositoribus etiam, quòd interdum nesciant se moueri à Deo patet, quia sicut per aliquos ad denunciandum futura loquitur Spiritus sanctus, & ipsi non putant se moueri à Deo, vt fuit de Caipha Ioannis vndecimo, ita ad exponendum aliqui illuminabuntur à Deo, & non putabunt se à Deo dicere motos. Ita etiam si quis petat à Deo spiritum intelligendi, vel respondendi in aliquo tempore necessitatis, si deuote petit, & confidenter, & est honor Dei, certissimè Deus dat, & tamen interdum isti loquentes accepto spiritu loquuntur, & nescIunt an ex se, vel à Deo dicant, nisi cùm interdum magna dicunt, quæ alias non nouerunt.

D

Quomodo hæc applicentur Gedeoni.

E

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, cùm totum istud signum dicatur de Gedeone, sicut dixit expositor, quòd nihil aliud est, nisi gladius Gedeonis: quomodo hæc applicentur Gedeoni. Respondendum, quòd secundum Rabbi Salomon: erat panis ille hordeaceus, quia tunc erat festum azymorum, in cuius secunda die offerebatur manipulus spicarum hordei: Leuit. 23. cap. Sed hoc non stat, quia tunc non erat Pascha, vt declaratum est præced. cap. Item, quia dato, quod esset Pascha, nihil attinebat ad somnium panem hordeaceum esse, vel non. Dicendum ergo, quòd Gedeon significatus est in pane hordeaceo, quia est hordeum aliquid contemptibile, & non accipitur ab hominibus in cibum: ita Iudæi, de quibus erat Gedeon, erant contemptibiles apud Madianitas, & alias gentes, quia opprimebantur ab eis nimis, vocatur panis subcinericius, quia subcinericius velociter formatur, & coquitur, & non expectat tempus fomentandi sic bellum Gedeonis fuit velociter, & inopinatè factum: nam non opinantibus Madianitis superuenit eis Gedeon: videbatur etiam panis iste volui super castra Madian, id est descendere rotando, eo quòd Madianitæ posuerant castra in valle, & Gedeon stetit cum viris suis in summitate montis, & postea descenderunt ad castra cum impetu, quasi descenderent rotando: dicitur etiam quòd percutiebat ille panis castra Madian, & coæquabat terræ tabernacula, quia Gedeon nihil reliquit de castris Madian, sed deleuit omnia.

Quomodo Gedeon audito somnio, & interpretatione confortatus est.

F

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, cùm Gedeon descendit in castra, & audiuit somnium & interpretationem, quomodo confortatus est, quia videtur quòd non poterat confortari, cùm non posset intelligere, cùm illæ gentes essent multum differentes ab Hebræis.

Responderi potest, quòd Gedeon intelligebat linguam istarum gentiũ, quia istæ gentes erant conuicinæ terræ Chanaan, & omnes quasi habitabant in terminis illius. Vel potest dici quòd cum Deus mitteret eum ad castra, quamquam non intelligeret prius linguam gentis illius, fecit eum intelligentem illam, & cognouit quę dicebantur, melius tamen est primum: nam sequenti cap. habetur quomodo Gedeon loqueretur ad Zebeæ, & Salmana reges Madian: & tamen ibi non est necessitas ponendi miraculum, cùm non ageretur aliquid quòd pertineret ad Deum: dicendum ergo quòd lingua erat alternatim cognita propter vicinitatem prouinciarum. *Cumque audiuisset Gedeon somnium & interpretationem eius, adorauit.* Scilicet dedit gratias Deo inclinando se in terram & adorando, quia ostenderat ei tale signum, in quo manifestabatur totalis victoria eius certissima. *Et reuersus est ad castra Israel.* Ista castra erant trecentorum virorum, qui erant socij

A Gedeonis: reliquerat enim eos in loco latibuli, cùm ipse, & Phara puer eius descenderunt ad castra Madian. *Surgite, tradidit enim Dominus Madian in manus nostras.* Id est paramini ad bellum, scilicet accipiendo tubas, & lampades. *Quia Deus tradidit castra Madian in manus nostras.* Id est certissimum est, quod tradet.

Diuisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate Domino & Gedeoni Ingressusque est Gedeon & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigilijs noctis mediæ, & custodibus suscitatis, ceperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamauerunt que gladius Domini & Gedeonis: singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, vlulantesque fugerunt: & nihilominus instebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant, fugientes vsque ad Bethsetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath.

Aegaũ mare ab eo qui regebat denominatur.

B *Thesaus Aegai filius erat.*

Assecuratorũ certatio.

Diuisitque. Hic ponitur tertium huius cap. scilicet assecuratorum certatio, & dicitur. *Diuisit trecentos viros in tres partes.* Solùm erant trecenti, & diuisit eos in tres partes: centenos, & centenos, vt consisterent in diuersis partibus in circuitu castrorum Madian. *Et dedit illis tubas in manibus.* Scilicet cuilibet dedit vnam tubam, quia pugna eorum erat nũc in buccinando, & non in mouendo arma. *Et lagenas vacuas.* Scilicet singulis vnam lagenam, vt intra eas ferrent lampades, vt viderentur multi esse exercitui Madianitarum. *Ac lampades in medio lagenarum.* Id est posuerunt lucernas in medio amphorarum. Vocantur lampades, vt volunt Hebræi carbones igniti, vel torres, aut aliquid aliud incensum, quod satis magnum lumen præstare poterat, & non poterat faciliter extingui. Ex quo patet, quòd non erant lucernæ simplices, quia faciliter potuissent extingui à patente aëre post confractionem lagenarum. Istæ lampades fuerunt positæ in lagenis quando exiuerunt Israelitæ de castris, & erant lagenæ vndique clausæ præter quam in orificio superiori, ita vt venientibus Israelitis contra castra Madian nullum venire viderent, si tamen essent lagenæ fractæ, vel ex aliqua parte aperte vidissent Madianitæ venientes Israelitas ad castra à longe, vt interim se pararent ad resistendum eis.

Lampades qd more Hebræorum.

C *Et dixit ad eos, quod me videbitis facere, hoc facite.* Ante hoc non dixerat Gedeon sociis suis, quid agere deberent: nunc autem, vt auferat sibi onus semper præcipiẽdi dixit eis, quòd me videbitis facere, hoc facite, id est non expectetis alia mandata à me, sed quidquid ego faciam, vel dicam, hoc vos facite, & dicite. In Hebræo habetur. *A me videbitis, & facietis.* Id est vos videbitis me facere aliqua, & illa faciatis, quia idem est. *Ingrediar partem castrorum.* Scilicet partem, in qua erant vigiliæ, sic enim fuit prius quando venit Gedeon in castra Madian, venit solum in partem castrorum, in qua erant vigiliæ, vt patet supra. *Et quod fecero sectamini.* Id est sicut ego clangam, & tenebo lampadem, & complodam lagenas, ita & vos quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque tuba clangite, scilicet quilibet de vobis clangat: nam quot viri erant, tot tubas habebant: & primus debebat esse Gedeon, vt daret signum aliis, vt scirent quando oportebat clangere, ne facerent ante tempus.

Quare Gedeon, & eius socij habuerint nunc tubas, & lampades: & an fuerit propter solennitatem dationis legis.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quare Gedeon, & socij sui habuerunt nunc tubas, & lampades. Respondet Rabbi Salomon, quòd hoc factum fuit propter solennitatem dationis legis, quia tunc sonitus tubarum erat, & apparebant lampades. Sic patet Exodi decimo nono, scilicet: Iam dies tertius aduenerat, & mane inclaruerat: & ecce cæperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, & clangor buccinæ vehementius perstrepebat. Sed dicendum, quòd hoc nihil ad propositum attinet, quia hic agebatur de opere bellico, & non de commemoratione festorum: potissimè, quia tunc non erat festum Pentecostes, in quo dicunt datam fuisse legem vt asserit Rabbi Salomon, sed festum azymorum quod est quinquaginta diebus prius. Sed dicendum, quòd fuerunt ob aliam causam. Quòd enim haberent socij Gedeonis aliquam buccinam, causa erat, quia semper in buccinis clangendum est ad bella, quia sunt ad dandum signum inchoandi, vel desinendi, vel faciendi aliquid. Aliud etiam quia incitant animositatem propter sonitus iratos. De hoc Arist. octauo Politicorum, Et ob hoc omnes gentes vtuntur classicis in bello. Erat etiam specialis causa in Iudæis, quia Deus iubebat, quod in bellis clangerent tubis, vt Deus recordaretur eorum, de hoc Numeri decimo, scilicet: Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui contra vos dimicant, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Quod autem essent tot viri, quot tubæ alia causa est, scilicet quia Deus volebat, vt bellum istud Israelitarum non esset in armis, sed in clangoribus, vt Madianitæ videntes per noctem subito super se tot tubas putarent tantum esse exercitum, quantum requirebat tubarum pluritas, si autem esset vna tuba vel paucæ, non putaretur esse tantus exercitus, nec crederetur venire ex omnibus partibus castrorum, sed solùm ex vna. De lampadibus autem causa est ad terrendum Madianitas, quia cum ipsi subito viderent tot faculas in circuitu suo: ita vt quasi essent castra vndique vallata, putaretur quod conuenissent super eos valde magni exercitus, qui tantum lumen exigent, ideo conturbarentur magis. Sed dicetur, quare non erant solę faculæ, vel solę tubæ. Respondendum, quòd neutræ sufficiebant: nam si solæ faculæ ponerentur, & non audiretur aliquis alius strepitus bellicus, Madianitæ putassent hoc esse miraculum, qualia sunt illa, quæ à Deo accidere solent, & non crederent esse exercitum, ideo quamquam in se timore concuterentur, tamen non mouerentur in seipsos tanquam in hostes: si autem solas tubas audiuissent non videntes lumen non putarent esse tantum exercitum, nec scirent à qua parte veniebant. Etiam & potissimè, quia cum istæ tubæ sonarent intra castra Madianitarum, scilicet in prima parte castrorum putaretur, quòd istæ tubæ erant vigilum, & non tantum terrerentur Madianitæ, sicut visis faculis, & tubis, ideo simul fuerunt tubæ, & lampades.

Ra. Sa respon. ad quæsitum.

Doct respon. ad quæsitum.

D E F

An istæ tubæ quas ferebant socij Gedeonis, essent tubæ sanctuarij.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR vlterius, an istæ tubæ quas ferebant socij Gedeonis, essent tubæ sanctuarij, quas iusserat Deus fieri. Aliquis dicet quòd sic, quia Deus iussit quòd clangeretur in bellis illis tubis, & essent in recordatione coram Deo. In contrarium videtur, quòd non fuerunt tubæ illæ, quia illæ fuerunt solum duæ, vt patet Numeri decimo, isti autem habuerunt nunc trecentas tubas. Sed ad hoc respondebitur quòd non sequatur, quia quamquam iusserit Deus Moysi facere duas tubas, non venit facere plures: ideo postea multæ factæ leguntur: nam in bello contra Iericho, quando circundabatur ciuitas sacerdotes clangebant septem tubis lubi

A leorum, vt patet Ioſue ſexto. Dicendum tamen adhuc eſt, quòd non fuerunt iſtę tubę ſacrę: quòd patet, quia licet multę tubæ ſacræ eſſent, tamen non fierent tot, vt eſſent trecentę, quia illæ ſolum fiebant, vt clangerent in bellis, & ad ſacrificia, & ſimilia de quibus Num. 19. in quibus non requirebatur tantus numerus tubarum. Item patet efficacius, quia tubæ ſacræ ſolùm erant, vt clangerent in eis ſacerdotes, vt patet Num. 10. ſcilic. Filij Aaron Sacerdotis clangent in eis: hoc erit legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Sed iſti euntes ad bellum non erant ſacerdotes, ſed de filiis aliarũ tribuum, cum dicatur præcedenti cap. quòd conuocarit tribum Manaſſe, Aſer, Zabulon, & Nephtali. Et de his ſolum manſerunt trecenti viri ad extremum, ideo oportet, quò eſſent de aliqua vel aliquibus harum tribuum: ideo non liceret eis clangere tubis ſacris. Sed aliquis obiiciet, quòd quamquam non eſſet licitum hoc regulariter, licuit nunc ex diſpenſatione, ſicut Gedeoni licuerunt alia præcedenti cap. vt facere ſacrificia, & altaria conſtituere. Dicendum, quòd non ſtat, quia non fuit aliqua diſpenſatio: nam tubæ iſtæ non fuerant ſpecialiter aſſumptæ ad iſtud miniſterium, quo poſtea vſus fuit in eis Gedeon, ſed ferebantur ad bellum, cùm iret multitudo magna, ſcilicet triginta duo millia, & tunc remiſſis omnibus ad loca ſua præter trecentos de tubis aliorum ſumptæ ſunt tubæ pro his & cibi, vt patet ſupra in litera, ergo non erat diſpenſatio, ſed ferebantur tubæ multæ
B à laicis venientibus de diuerſis tribubus. Cùm autem arguitur, quòd Deus iubebat in bellis ſumi buccinas argenteas, quas fecerat Moyſes. Dicendum quòd illud erat verum in bellis totius Iſrael, quando totus Iſrael ex communi conſenſu, vel princeps populi faciebat bellum contra hoſtes: nam tunc portabantur buccinæ ſacræ, & ibant ſacerdotes ad clangendum in eis: iſtud autem non fuit bellum totius populi: ſed Gedeon cum viris de familia ſua iuit, & poſtea congregauit ſibi quoſdam de populo: ideo non oportebat, quòd ferrent tubas ſacras. *Et clamate: Domino & Gedeoni.* Id eſt quando buccinaueritis interdum voces emittite clamando de Deo, & Gedeone, ſcilicet dicentes: gladius Domini, & Gedeonis, vt patet infra.

Quomodo Gedeon in tantam arrogantiam prorupit, vt iuberet hoc dicere.

Qvæstio XXIV.

Qværetvr quomodo Gedeon in tantam arrogantiam prorupit, vt iuberet hoc dici: quia in hoc videtur victoriam Deo, & ſibi aſcribere: ſed nulli hoc fas eſt, cùm victoria totaliter à Deo ſit, potiſſimè nunc. Nam hoc totum miraculo geſtum eſt, cum Gedeon, & ſocij ſui nihil egerint. Reſpondendum, quòd non fecit hoc Gedeon ad aliquam arC rogantiam, ſed ad incutiendum timorem Madianitis, ſicut ipſi conceperant. Nam in expoſitione ſomnij dictum eſt: non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ: cum autem nunc nomen Gedeonis audirent, crederent ſomnium verum fuiſſe, & facilius timore concuterentur. Item factum eſt ad hoc, quòd cognoſceretur dux exercitus: nam interdum quidam duces ſunt terribiles hoſtibus, quorum nomine audito paueſcunt hoſtes, quos nominari in bello valde bonum eſt, nam accidit, quòd aliqui pugnantes interdum cum aliquibus viris fortibus, ſi putent eos debiles poterunt præualere, quia pugnabant confidenter tanquam præualituri, & ſi putant eos viros fortes pauebunt, & vocatur iſta fortitudo per ignorantiam, de qua Ariſt. 3. Ethi. ponit exemplum, dicens quòd Argei ſolebant pugnare contra Sicionios, qui debiles erant, & præualebant: ſemel autẽ contingit, quòd pugnarent contra Lacones, qui erant fortiſſimi, à quorum facie ſi cognouiſſent illico fugituri erant Argei: putauerunt tamen eos Sicionios fore, & confidentes fortiter pugnauerunt atque præualuerunt: nominandus ergo erat Gedeon, quia hoſtibus terribilis habebatur. *Ingreſſus eſt & Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo.* Hic deſcenderunt Gedeon, & ſocij ſui ad caſtra Madianitarum, & ingreſſi ſunt omnes trecenti, vt omnes ſimul clangerent, & clamarent. In Hebræo habetur. *Et centum viri, qui erant cum eo.* Dicendum quòd varietas inſurgit, quia Gedeon introiẽs caſtra Madian, diuiſit ſocios ſuos in tres partes, vt poneret eos ad tres partes caſtrorum Madian, vt patet in litera, ſcilicet cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis: & in qualibet parte erant centum viri: ideo Gedeon fuit in vna parte, in qua erant centum viri, & de his intelligitur litera Hebraica, ſcilicet. *Centum viri, qui cum eo erant.* Id eſt in parte ſua: litera autem noſtra voluit ponere omnes viros Gedeonis: ideo poſuit trecentos. *In partem caſtrorum.* Scilicet in primam partem caſtrorum, in qua erant vigiles.

Quare ſocij Gedeonis venerunt vt introirent in primam partem caſtrorum.

Qvæstio XXV.

Qværetvr quare ſocij Gedeonis venerunt, vt introirent in primam partem caſtrorum: nam cum commouerentur Madianitæ poterant percutere ſocios Gedeonis, ſicut ſe alterna cæde truncabant. Reſpondendum quòd Gedeon cum viris ſuis introierunt in primam partem caſtrorum, ſcilic. in qua erant vigiles, & non in aliquam partem caſtrorum multitudinis: ibi enim potuiſſent percuti: quia eſſent intra ipſam multitudinem, quia tumultuabatur, ſed in loco vigilum nequaquam illi autem vigiles confugerunt in caſtra populi, & oportuit Gedeonem cum ſociis eſſe coniunctos caſtris, quia alioquin nondum putaretur quòd aliquis exercitus hoſtilis introiſſet in caſtra Madian, & non mouerentur in alterutrum: nunc autem cùm ſtarent coniuncti caſtris tenentes faculas & buccinas, putabant Madianitæ, quod reliqui de exercitu hoſtili introierant intra caſtra Madian ad percutiendum, & illi manebant exterius ad illuminandum, & ob hoc putantes Madianitæ eſſe hoſtes inter ſe cœperunt mutuo ſe percutere tanquam contra hoſtes pugnarent. *Incipientibus vigilijs noctis mediæ.* Id eſt tunc erat media nox quando introiuit Gedeon cum ſociis ſuis. Cauſa autem quare illo tempore introirent, fuit, quia voluit ſubito Gedeon terrere hoſtes, & iſtud eſſet, ſi nec ipſi hoſtes dormientes, nec vigiles eorum cognoſcerent, quia in media nocte incipiebant quidam vigiles, vt dicitur hic. *Incipientibus vigilijs noctis mediæ.* Et ſi veniſſent dum manerent alij vigiles, qui vigilauerant à principio noctis ſcirent illi, quòd nulli eſſent ingreſſi caſtra: & non commouerentur in ſe ſubito Madianitæ, quamquam viderent in circuitu tubas, & lampades, eſſent parati ſi quis eorum caſtra introire vellet: nunc autem vigiles nondum erant excitati, qui vigilare debebant in principio mediæ noctis, ſed Gedeon, & ſocij ſui excitauerunt eos, ita vt ſubito viderent eos apud caſtra, & tunc neſcierunt an aliqui eſſent intra caſtra vel non, & turbati ſunt. *Et cuſtodibus ſuſcitatis.* Scilicet vigilibus. *Cœperunt buccinis clangere.* Scilicet tunc accedendo ad caſtra cœperunt clangere. De cuſtodibus ſuſcitatis poteſt dupliciter intelligi: vno modo, quòd erat media nox, quando cœperunt Iſraelitæ introire caſtra, & tunc vigiles præcedẽtes ſuſcitauerunt à ſomno vigiles noctis mediæ, & in illa ſuſcitatione venerunt Iſraelitæ. Aliter poteſt intelligi, & melius quòd vigiles caſtrorum circa medium noctis ſopore grauati fuerunt, & tunc venit Gedeon, & ſocij ſui, nec excitati ſunt cuſtodes quouſque cæpit ſtrepitus, & clangor Gedeonis apud caſtra: & ſic etiam ipſi vigiles putauerunt eſſe hoſtes intra caſtra, quia non viderunt eos venientes: vnde omnes conturbati ſunt, & in ſe conuerſi. *Et complodere inter ſe lagenas.* Id eſt cœperunt percutere eas inuicem, & ſic ſunt fractæ: habebat enim quilibet lagenam vnam, & cõplodebat eam cum lagena alterius, & ſic frangebatur. *Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis.* Iſti viri diuiſi fuerunt in tres partes per centenos, & centeni erant in tribus locis in circuitu caſtrorum: & non clauſerunt omnia caſtra ne Madianitæ non videntes locum euadendi irrũperent per medium clangentium, & occiderent aliquos eorum. Reliquerunt autem partem quãdam apertam, vt per illam poſſent fugere Madianitæ, & ſic factum eſt: nam pars Orientalis verſus Iordanem, per quam erat iter ad terram ipſorum manſit aperta, quia illa erat, per quam ipſi magis fugere cuperent. *Et hydrias confregiſſent.* Scilicet confregerunt lagenas inuicem colliden-
do eas.

Gedeon cum ſociis ſuis quare media nocte introirẽt in caſtra Madian.

A

Quare Israelitæ confregerunt lagenas.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR quare confregerunt lagenas. Nunc respondendum, quod fecerunt propter duo, primum erat, quia ipsi portauerunt ignem intra lagenas, vt existentes in castris non viderent: nam si essent faculæ patentes, possent Madianitarum vigiles, vel aliqui de castris videre à longe venientes Israelitas cum Gedeone, & cauerent sibi ab illis: nec timerent postquam veniissent scientes, quòd nullus introierat in castra: & sic non concitarentur in seipsos, postquam autẽ accesseruut ad castra, si non confregissent lagenas, mansissent lampades occultæ, & nihil viderent Madianitæ, ideo vt viderent subito super se tot faculas, & putarent hostes ingressos in castra, oportebat, vt cùm accederent ad castra confringerentur lagenæ, & subitanea appareret lux. Secundum erat ad terrendum Madianitas, vt putarent esse fragorem exercitus: simul enim buccinare cœperunt, & concutere trecentas lagenas, vt secundum multitudinem tubarum, & facularum ita putaretur multitudo exercitus: & quia ille fragor fuit factus apud castra subito expergefacti Madianitæ putauerunt super se irruisse Gedeonem cum magno exercitu, ideo mox vt expergefacti sunt conuerterunt gladios in se inuicem. *Tenuerunt sinistris manibus lampades.* Scilicet fractis lagenis tenuerunt faculas manibus, vt putarentur illuminare exercitum, qui introierat in castra Madian. *Et dextris sonantes tubas.* Id est in dextris manibus tenuerunt tubas, & clangebant: est enim manus dextra aptior ad hoc quàm sinistra, quia sinistra est ad motum inepta, dextra ad applicandum ad quemcunque locum eleuando, vel deprimendo aptior, vt ait Isidorus vndecimo Etymo. *Clamauerunt: Gladius Domini, & Gedeonis.* Id est confortetur gladius Domini, & Gedeonis super castra.

B

Quare clamabant, gladius Domini, & Gedeonis non pugnantibus Israelitis contra Madianitas.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR cum nullus de Israelitis pugnaret contra Madianitas, quare clamabant gladius Domini, & Gedeonis. Respondendum, quòd Israelitæ volebant per omnem modum innuere Madianitis, quòd magna multitudo exercitus introiuerat in castra eorum, & ad hoc dicebãt, gladius Domini, & Gedeonis, id est gladius Gedeonis, qui est intra castra confortetur per gladium Dei: & tunc Madianitæ putauerunt, quòd intra castra essent iam hostes cum Gedeone, & isti, qui clangebant buccinis clamabant hoc ad confortandum, & concitandum bellatores suos. Nam in bellis ista classica, vel litui habentur ad clangendum, quia conditio eorum est excitare iram, vel animositatem, & generaliter in omnibus instrumentis, quæ habent longum tractum, & angustum, & non habent multa spiracula. De his octauo Politicorum.

C

An peccarint Israelitæ faciendo fraudes, vt conuerterent Madianitas ad bellum intestinum.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerunt Israelitæ faciendo istas fraudes, vt fallerent Madianitas, & conuerterent eos ad pugnandum contra seipsos.

Respondendum, quòd licebat, quia Deus iussit, & quidquid Deus iubet etiam si alias malum esset, bonum efficitur: sicut iussit Abrahæ occidere filium suum, & licuit Gene. 22. iussit Israelitis furari bona Ægyptiorum, & licuit: Exo. 3. & 11. atq; 12. Sed adhuc dicendum, quòd dato, quòd Deus non iussisset, erat licitum: nam si licebat Israelitis occidere Madianitas: ergo licebat eis occidere illos quomodocunq; possent. Bellum autem licitum erat, cùm Madianitæ quolibet anno fine causa inuaderent terram Israelitarum, & demolirentur illam, & depascerentur vniuersa. Sed obiicietur, quòd hoc faciebant Madianitæ propter peccata Israelitarum, vt executores diuinæ iustitiæ, vt patet præced. c. sc. Fecerunt Israelitæ malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manu Madian septem annis: ergo non peccabant. Respondendum, quòd Madianitæ solum permittebantur à Deo venire super Israelitas propter peccata eorum, & alias non permissi fuissent: non tamen iubebantur à Deo venire, nec ipsi sciebant se venire à Deo missos, sed veniebant propter desideria sua, sc. vt lucrarẽtur, & dominarentur Israelitis. Et adhuc dato, quòd dicerent se missos à Deo, nesciebant, & peccabant: sic patet de Sennacherib, qui dixit Regi Ezechiæ se missum à Deo, 4. Reg. 19. & Isa. 36. & secundum veritatem sic erat, vt patet Isa. 10. tamen ipse non putabat se missum à Deo, nec in virtute Dei hæc agere, quamquam illa diceret. Sic patet eod. ca. sc. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse: in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & ad populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam: ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius nõ sic existimabit, sed ad conterendum erit cor eius dicet enim nunquid non principes mei simul reges sunt & cætera peccabant ergo, quia contra conscientiam agebant bella iniusta. Cum ergo Israelitæ haberent iustum bellum, licebat eis per quemcunq; modum occultũ pugnare, & ponere insidias, sicut iussit Deus Ios. 8. quando pugnatũ est contra vrbem Hai.

D

An liceret Israelitis pugnare contra Madianitas agendo ista &cæt.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlterius, an liceret Israelitis pugnare contra Madianitas agẽdo ista, si manifestum esset eis, quòd Madianitæ mittebantur à Deo, & quod etiam ipsi Madianitæ non mouebantur desideriis suis, sed solum, quia Deus eis expresse iussisset. Respondendum, quod iste casus est difficilior quam supra positus, quia tunc constabat Israelitis, quòd Deus permittebat super eos venire Madianitas propter peccata, vt reuelauit eis vir Dei veniens ad eos, supra præced. ca. tamen sciebant, quòd Madianitæ non erant expresse missi à Deo, sed mouebantur ex affectionibus suis, ideo legitimè poterat responderi eis, vt personis priuatis: nam persona priuata etiam pro iustissima causa non potest pœnam vllam infligere. Sed adhuc dicendum quòd quamquam constaret eis, quòd Deus expresse misisset Madianitas ad pugnandum cõtra illos, non tenebantur non resistere illis, sed licitè resistere. Causa est, quia quomodocunque esset, Deus non mittebat illos, vt iudices, sed vt hostes, hosti autem resisti semper potest. Ad hoc autem, quòd Deus mitteret illos, vt iudices oportebat, quòd mandaret Mandianitis, quod irent in terra Israel, & delerent illam propter peccata. Etiam, quod denuntiaret Israelitis, quod obedirent Madianitis volentibus destruere terram: & tunc ex mandato illo erant obligati Israelitæ non resistere, alias nequaquam. Causa est, quia vt est determinatio omnium sanctorum, & habetur 1. Senten. dist. vlt. non tenemur conformare voluntatem nostram Deo in volito, sed in radice volendi, & in fine, sc. quòd sicut ipse ex charitate vult, ita & nos velimus, & sicut ipse omnia ad bonum finem vult, & nos ad bonum velimus. Vnde si vult quòd pater meus moriatur, & hoc mihi constet, nõ tenetur velle, imò volendo quòd moriatur pecco, & volendo, atque contrariũ exorando, & conãdo ad illud mereor, nisi Deus expresse mihi dixerit, quòd illud velim: quia tunc nonobligor ex voluntate Dei cognita, sed ex præcepto impositio: ita hic quamquam determinate Deus iussisset Madianitis, quod delerent terram Israel, & ipsi venientes nihil præterirent de forma mandati, & hoc constaret Israelitis, adhuc non tenebantur parere Madianitis, sed poterant illos occidere, vt hostes.

E

An peccarent Israelitæ innuentes Madianitis, quòd introisset exercitus magnus in castra eorum, cum nullus introisset.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR vlterius, an peccarent Israelitæ innuentes Madianitis ꝙ introisset exercitus magnus in castra

F

Quo modo tenemur cõformare voluntatem nostram diuinæ voluntati.

A

eorum, cum nullus introiſſet. Aliquis dicet quòd ſic, quia hic erat mendacium, & illud ſemper eſt peccatum.

Reſpondendum, quòd non fuit illicitum, quia omnia ſic vt fecerunt Iſraelitæ Deus fieri iuſſerat. Sed adhuc dicendũ, quòd præter mandatum Dei licebat, quia vbi eſt iuſtum bellum, licet hoſti contra hoſtem occidere, & prædari, & conſequenter omnia, ſine quibus iſta fieri nequeunt: ſicut ſi alicui delegatur cauſa, vt ſentiet in ea, delegantur omnia, ſine quibus non poteſt ſententiare. Extra de Officio dele.c. præterea, ſolùm autem cauendum eſt in hoſtibus, ne fœdera impoſita violentur, vel in aliquo mentiantur, quia tunc peccãt: & quodcunq; bellum inde ſecutum iniuſtum ſit, quamquam aliàs iuſtum foret ex cauſa, pro qua fit. Ratio diuerſitatis eſt, quia cùm quis ſcit aliquem eſſe hoſtem ſuum, ſcit quòd ille inquiret ei omnia mala, quæ poterit, & ſibi cauere ab illo, & ſi hoſtilitas ſit publicata inter illos, qui viciſſim bellũ indicere poſſunt: non oportet, quòd aliquis eorum moneatur, ſed quòd obſeruet ſe per omnem modum: quia nihil hoſtibus illicitum eſt. Vnde quocunque modo potuerit vnus occidere alterum, ſiue per inſidias, ſiue per fraudem, vel quocunque modo licet, quia non vocantur ibi inſidiæ, nec fraus, cùm ius gentium iſta concedat, & vbi ius aliquem monuit, non oportet ad illud amplius admoneri: ſicut dies interpoſita ad aliquid agendum, vel ſoluendum pro homine interpellat, & non oportet admoneri debitorem ad ſoluendum in termino. Cùm autem interponuntur fœdera, vel quæcunque verba promiſſionis inter hoſtes, illa ſunt omnino ſeruanda de iure gentium, ideo qui contra illa fecit, tanquam violator iuris peccat, & omnia bella facta prætextu fraudis huius mendacij, vel ruptorum fœderum iniuſta ſunt, quamquam alias ſint iuſta ex cauſa: ſic tenet Aug. & declaratum eſt ſuper Ioſ. 8.c. hic autem non intercidit aliquod mendacium, quia Iſraelitæ nihil promiſerant Madianitis quod violarent, nec aliquid locuti ſunt, quod falſum eſſet, ideo non peccabant. Quod autem vellent, quòd Madianitæ intelligerent eſſe exercitum magnum hoſtium in caſtris ipſorum, non erat mendacium, licet conarentur occultare veritatem. Nam qui ponit inſidias vult innuere hoſtibus, quòd non ſint plures bellatores, quàm qui apparent: & quòd non ſunt alibi quàm vbi apparent, & falſum eſt: tamen iſtud licitum eſt, vt tenet Aug & declaratum eſt Ioſ. 8. Ratio diuerſitatis huius, & mendacij quòd eſt in voce, eſt, quia de iure gentium eſt, quòd hoſtes ſe inuicem fallant, vt poterunt, & quod inſidias ponant, ideo quilibet debet eſſe præmonitus ne hoſtis ſuus ei inſidias poſuerit: ſed ſi fœdera tamen interpoſita ſunt, vel quæcunque verba inuicem habita, de iure gentium ſeruanda, & ob hoc hoſtes non ſe obſeruarent inuicem ſuper hoc tanquam nihil mali paſſuri, & poſſent faciliter perire: tunc quomodocunq; in verbo mentiri peccatum eſt, ſicut in quibuſcunque aliis communicationibus humanis: quia ibi ſicut non eſt licitum verbo mentiri, ita nec fraudes vel diſſimulationes fieri: & hoc ad fallendum animo lucrandi, vel alium lædendi: animo tamen euadendi pericula, vel damna licet quibuſdam diſſimulationibus vti in rebus, licèt non in verbis, vt declarabitur primo Regum ſexto capitul. Licuit ergo Iſraelitis dicere, gladius Dei, & Gedeonis: quia per hoc non mentiebantur, cùm non aſſererent illum eſſe in caſtris, ſed orabant, vt confortaretur, & volebant quòd Madianitæ ſic intelligerent. *Stantes in loco ſuo ſinguli.* Id eſt iſti viri trecenti diuiſi fuerant in tres partes, & in tribus locis, & vbi quilibet confregit lagenam ſuam, ibi manſit. *Per circuitum caſtrorum.* Hoſtilium, non eſt intelligendum, quòd eſſent totaliter in gyro, ita quòd ambirent omnia caſtra, vt ſupra dictum fuit: ſed ſolum erant in tribus locis per circuitum, & manebant aliquæ partes mediæ per quas poterant exire fugiendo Madianitæ.

Fœdera ſeruanda hoſtibus. Nihil hoſtibus eſt illicitum.

Inſidiæ in bello licitæ.

B

C

Quare quilibet iſtorum virorum ſtabat in loco ſuo.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR quare quilibet iſtorum virorum ſtabat in loco ſuo, ſcilicet quòd non introibat in caſtra, vel non recedebat aliquantulum inde.

Reſpondendum, quòd propter duo. Primum vt non occiderentur à Madianitis: nam mox vt iſti buccinis increpuerunt turbati Madianitæ conuerſi ſunt in ſe putantes in hoſtes agere, & ſi acceſſiſſent ad partem interiorem Gedeon, & ſocij ſui inuoluti fuiſſent in mortem gladio Madianitarum. Et iſta eadem cauſa fuit quare non circundederunt omnia caſtra, ſcilicet ne Madianitæ volentes fugere cogerentur irrumpere per medium clangentium, & occiderent aliquos eorum. Etiam non expediebat, quòd aliqualiter diſcederent à caſtris, ne Madianitæ putarent eos fugere, & perſequerentur illos. Secundum erat, vt Madianitæ putarent quòd iſti non erant pugnantes, ſed illuminantes exercitum pugnatorum, qui erat intra caſtra: ad illuminandum autem non expediebat, quòd accederent, & recederent, ſed quod manerent in eodem loco. *Omnia itaque caſtra turbata ſunt.* Id eſt omnes qui erant in caſtris turbati fuerunt, quia ſubito viderunt ſuper ſe tot lumina, & buccinas, & fragorem tanti exercitus. *Et vociferantes vlulantes fugerunt.* Id eſt videntes ſe ſic circundatos, & putantes eſſe hoſtes in caſtris ſuis fugerunt neſcientes contra quem pugnarent, & in fuga vociferabant, & vlulabant. Iſtæ voces non erant exortantium ad bellum, nec compellentium ad fugam, ſicut dicitur Exo. 32. ſed erat vox mœroris fugientium. *Et nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinantes.* Id eſt, quamquam fugerent Madianitæ ſemper ſequebantur eos viri Gedeonis buccinantes.

D

E

Cum Madianitæ eſſent in fugam conuerſi, & viri Gedeonis non eſſent percuſſuri illos, quare illos perſequebantur.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRITVR cum Madianitæ, eſſent conuerſi in fugam, & viri Gedeonis non eſſent percuſſuri illos, quare perſequebantur eos, & inſiſtebant ſemper buccinantes.

Reſpondendum, quòd omnia, quæ Gedeon faciebat, erat vt Madianitæ putarent hoſtes eſſe in caſtris, & conuerterentur in ſeipſos tanquam in hoſtes: Madianitæ autem mox audito fragore, non conuerſi ſunt in ſe, ſed fugerunt, ideo ſi viri Gedeonis manſiſſent in loco ſuo, nihil factum eſſet, quia fugientes Madianitæ putarent, quòd hoſtes non perſequebantur eos, vel quòd non erant in caſtris, cum viderent buccinatores cum faculis manere, & non haberent motiuũ conuertendi gladios in alterutrum: cum autem viderunt quòd ſemper perſequebantur eos putauerunt quod hoc faciebant, quia erat exercitus Gedeonis intra Madianitas: ideo conuerſi ſunt in ſe tanquam in hoſtes. *Immiſitque Dominus gladiũ in omnibus caſtris.* Id eſt concitauit Deus Madianitas in omnibus partibus caſtrorum ſuorum, vt in alterutrum pugnarẽt. *Et mutua ſe cæde truncabant.* Id eſt vnus occidebat alium ſicut hoſtem. Erat autem facilis iſta occiſio, quia omnes erant inermes, & coniuncti loco & turbati, ita quòd non ſe obſeruaret alter ab altero: vnde in breui mortui ſunt valde multi, ſcilicet centum viginti millia, vt patet ſeque.c. In Hebræo non habetur mutua ſe cæde truncabant, ſed eſt explanatio literæ præcedentis.

F

Quomodo factum eſt, vt Madianitæ in ſe conuerterentur gladio percutiendo nemine illos percutiente.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR quomodo factum eſt, vt Madianitæ in ſe conuerterentur gladio percutiente illos.

Reſpondet Ioſephus quinto antiqui. quod hic erant multæ gentes linguis diſcordantes, & ob hoc putantes ſe hoſtes conuertebant in alterutrum gladios. Quod autem diuerſæ gentes eſſent, patet, quia præcedenti cap. & hic dicitur, quòd erant Madianitæ, & Amalecitæ, & reliqui orientalis populi, & iſti linguis diſcordabant. Iſta cauſa ſatis veriſimilis eſt, & nunc potiſſimè mouere poterat eos, quia ſubito excitati à ſomno viderunt ſuper ſe tot buccinatores & faculas, putauerunt hoſtes eſſe in caſtris, & quia incipientes loqui audierunt inter ſe linguarum diuerſitatem, quilibet coniunctum ſibi hoſtem putabat. Aliter dici poteſt, & melius, quod hoc fuit ex quadam perturbatione immiſſa eis ſupernaturaliter à

Ioſephi reſponſio ad quæſitum.

Deo,

A

Deus ad quãcunque passionem potest cor dã mouere.

Deo,ita vt non se cognoscerent: & ista perturbatio signatur cum dicitur: immisit Dominus gladium in castris,id est perturbauit eos,& fecit quòd vicissim se gladiarent. Est enim in potestate Dei cor hominis Prou.21.sc. sicut diuisiones aquarum, si cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit, vertet illud : ita de cordibus omnium aliorum virorum intelligendum est: ideo potest Deus mouere corda ad quamcunque passionem:scilicet ad iram, gaudium, tristitiam, timorem,vel insaniam,vel dolorem. Patet de ira Leuit.26.scilicet qui remanserint de vobis dabo pauorẽ in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium, cadent nullo persequente, & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes. Simile patet Ex.23.s.terrorem meum mittam in præcursum tuum,&c.idem Deut.28.cap.De gaudio,vel clementia patet Esther.14. nam cum introiuit Esther erat Assuerus quasi furibundus, & Esther occidenda erat, quia accessit non vocata,& subito Deus conuertit Assuerum in clementiam,&gaudium, & ipse consolabatur Esther tanquam sororem. Aliquando mutat in iram, sicut quando peccabant Israelitæ, Deus concitabat populos finitimos in iram cõtra eos,&persequebantur illos : sic patet supra, scilicet. Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortauit aduersus eos Eglon regem Moab, & copulauit ei filios Ammon, & Amalec. Sic etiam erat quandocunque concitabat alios populos,vt Assyrios,Chaldæos,quod patet clare Isa.10. sc. Væ Assur virga furoris mei & baculus ipse: in manu eorũ indignatio mea : ergo Deus concitabat illos ad iram, vt per eos vlciscereturiram suam. Aliquando Deus mouet ad imprudentiam,scilicet vt nesciant homines iudicare de eis,quę sunt notissima, sic factum est cum orauitDauid,quod Deus infatuaret consilinm Achitofel 2.Reg.15. & quamquam cõsilium eius vtile foret, infatuauit Deus Israelitas, vt non assentirent consilio eius, sed consilio Chusi quod erat ridiculum,& stultum,2.Reg.17. Interdum mouet Deus hominem ad tantam dementiam,vt nesciat quando est dies, & quando est nox,& palpet in meridie,quasi cæcus: sic patet Deute.20. scilicet: Percutiat te Deus amentia, & cæcitate atque furore mentis,& palpes in Meridie sicut palpare solet cęcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Interdum etiam mouet mentẽ nostram,vt ea,quæ coram nobis sunt cernentibus oculis, & non excæcatis non videamus: sicut fuit in Sodomitis Gene. 19. & in seruis Benadab regis Syriæ 4.Reg.6.ca. & sic de aliis passionibus. Interdum etiam mouet ad obliuionem præcedentium subito, & inducit nouos modos, & habitus in anima: sic factum est in ædificantibus Babylonem : nam Deus confudit subito linguam vnam , vt non se intelligerent , & dedit illis 72. linguas,vel 70.vt alij volunt. De hoc Gene.11. ita poterat Deus causare quemcunq; modum perturbationis vellet,ita vt non se intelligerent Madianitæ, tempore regis Iosaphat: nam Ammonitæ,Moabitæ,& Idumæi, qui venerant,vt contra pugnarent,conuersi sunt in seipsos,& mutuis vulneribus conciderunt,vt patet 2.Paral.20.cap,

B

Deus quandoque iustum dementiæ mouet.

Deus interdũ hominem ad dementiã mouet.

C

Vbi fuerit maius miraculum in diebus Iosaphat vel in bello Madianitarum.

QVÆSTIO XXXIV.

QVÆRETVR, cum hic, & in diebus Iosaphat fuerit simile bellum,vbi fuit maius miraculum.

Respondendum,quòd maius fuit in bello Iosaphat: nam hic habita fuerunt multa incentiua,quæ non fuerunt in bello Iosaphat : nam istud fuit factum per noctem, in qua minus poterant iudicare an hostes essent inter eos. Illud autem fuit per diem. Item hic viderunt Amonitæ buccinatores subito super se conclamantes : Gladius Domini, & Gedeonis, & strepitum lagenarum, quasi magni exercitus, ex quo putabant hostes esse in castris : ibi autem nihil tale viderunt:nã consocios suos venientes viderunt.Item hicMadianitę erant dormientes, quando irruit Gedeon, ideo turbari verisimile erat,illic autem vterque exercitus vigilabat, & contra se veniebat. Item hic non pugnauerunt Madianitæ contra aliquos extrinsecos ad quos irent, sed putantes intra castra esse hostes,in seipsos tanquam in hostes conuersi sunt: illi autem viderunt socios suos venientes, & in illos tanquam in hostes impetum egerunt , per quæ omnia, & plura materiæ differendi colliguntur conferendo ea, quæ habentur hic, & secundo Paralip.20.cap. *Fugientes vsque Bethseca.* Ista est ciuitas quædam in terra Israel citra Iordanem, & vsque ad illam durauit interfectio,quia forte ibi illuxit dies, & Madianitæ cognouerunt seipsos atque desierunt in alterutrum pugnare, & sic non occisi sunt omnes Madianitæ. *Per crepidinẽ Abelmehula in Tebbath.*Id est etiam persecuti sunt eos Abelmehula vsque ad locum Tebbath per quandam crepidinem,id est mõtem præruptum,quia non erat via plana,sed per abrupta: & quandocunque sors obtulisset , ferebantur præ turbatione præceps, & Israelitæ per eadem loca persequebantur eos. In Hebræo habetur.*Ceredaza.* Quod ponitur tanquam nomen proprium,vbi nos ponimus per crepidinem. Et Hebræi ponunt vt nomen proprium vrbis,vel montis. Et forte erat aliqua terra , vel mons præruptus , cuius causa litera Hebraica, nomen posuit. Ieronymus autem cognoscens terram illam cùm ipse ambulasset totam terram Chanaan , & Ægyptum pedibus,vt cognosceret omnia loca, de quibus fit mentio in scriptura,& sic posset confidenter transferre, vt ipse testatur in quodam prologo super Paralip. qui incipit Eusebius , sic transtulit quasi esset mons præruptus. Aliqui putant , quòd Tebbath est ciuitas,quę vocatur Thebes,de qua habetur supra,de qua fuit Elias propheta,sed non patet,an sit verum.

D

E

Conclamantes autem viri Israel de Nephthali & Aser, & omni Manasse persequebantur Madian. Misitque Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens. Descendite in occursum Madian, & occupate aquas vsque Bethbera, atque Iordanem. Clamauitque omnes Ephraim, & præoccupauit aquas atque Iordanem vsque Bethbera. Apprehensosque duos viros Madian, Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb , & Zeb portantes ad Gedeonem tranfluenta Iordanis.

Isa. 10. 23. q 5. § fin in fin.

Ibimorti tradidit.

Tyrus Syriæ ciuitas conditur.

Adiutorum associatio.

Conclamantes autem. Hic ponitur quartum, scilicet adiutorum associatio,scilicet,quia fugientibus Madianitis cõiuncti sunt Gedeon, & viris eius alij Israelitæ ad persequendum hostes. *Conclamantes autem viri Israel de Nephthali.& Aser, & omni Manasse persequebantur Madian.* Id est fugientibus Madianitis alij Israelitæ,scilicet de Nephthali,& Aser,& Manasse, id est de istis tribubus conclamabant, id est conuocabant se exhortantes ad persequendum Madianitas.

Quomodo Israelitæ ad persequendum Madianitas conuocari poterant.

F

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR quomodo Israelitæ poterant conuocari ad persequendum Madianitas: nam Madianitæ cœperunt fugere media nocte , & non cessauerunt fugere quousque euaderent de periculo , sed dum venirent Israelitæ conuocati effugissent Madianitæ.Aliquis dicet,quòd istę tribus, quæ nunc iuerunt ad persequendum Madianitas, erant paratæ in aliquo loco, ita quòd poterant mox, vt ipsi fugerent persequi eos. Quod patet,quia istæmet tribus sunt,quæ præcedenti capitulo commemorantur venisse ad Gedeonem, scilicet misit nuncium in vniuersum Manasse,qui secutus est eum. Alios etiam nuncios in Aser,Zabulon,Nephthali, qui occurrerunt ei.

Respondendum , quòd isti non erant in aliquo loco expectantes : nam Gedeon nesciebat euentum belli,vt iuberet illis expectare,ideo cumDeus iussisset,quod recederent,ipse hoc etiam iussit, & recesserunt in domos suas, vt patet supra in litera, scilicet omnem reliquam multitudinem præcepit ire in tabernacula sua.

Aliter dici potest,quòd istud factum est, quia Madianitæ erant intra terram Israel in valle Iezrael prȩcedenti capitulo, & cum fugerunt transierunt per multa loca Israel sicut hic in litera dicitur : & de illis locis exibant viri ad persequendum

A Madianitas, & iſti coniungebantur Gedeoni. Sed hoc non ſtat, quia iſti congregati erant de Manaſſe: Nephthali, & Aſer, vt patet in litera: ſed non occurreret Gedeoni, & viris ſuis perſequendo Madianitas tranſire per loca omnium harum tribuum. Dicendum ergo, quòd iſtæ tribus conuenerunt per vocationem, quia videns Gedeon fugiſſe Madianitas, miſit nuncios per omnes tribus propinquas, vt perſequerentur Madianitas. Quod patet, quia dicitur infra, quod miſit Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim dicens: deſcendite in occurſum Madian. Ita ergo mittere poterat ad omnes alias tribus, de quibus hic. Cum autẽ obiicitur, quod prius quàm aliqui de iſtis vocatis venirent, effugerent penitus Madianitæ. Dicendum quòd non putabat hoc ſic futurum Gedeon. Et cauſa erat, quia iſte tribus erant in via, per quam fugituri erant Madianitæ, vel quaſi: ideo prius quã Madianitæ accederent ad loca illa, accederent nuncii Gedeonis vel quaſi, & ſic ſatis conuenienter poterant exire de illis tribubus. Et quamquam Madianitæ præcederent, cùm ipſi iam eſſent laſſi, & Iſraelitæ recentes ad laborem ſurgerent, breuiter conſequi poſſent eos. Alia cauſa erat & potiſſima, quia ad hoc quòd Madianitæ egrederentur de terra Iſrael in terram ſuam, neceſſe erat, quod ambularent fortè prius per duos dies, vel tres, & in his neceſſe erat, quòd interdum requieſcerent propter laborem, & ad ſumendum cibos: & tunc

B Iſraelitæ poterant conſequi eos, quamquam multum præcederent eos Madianitæ: & ſic factum eſt, quia ſequ. c. dicitur quod cum Gedeon perſequeretur Madianitas, reperit Zebee, & Salmana cum exercitu ſuo requieſcentes in pace inter vrbem Nobe, & Iecbaa, & tunc irruit ſuper eos iterum Gedeon: viri quoq; Ephraim tenuerunt multos ad vada Iordanis infra in litera. Alia cauſa erat, quia ad hoc quòd fugerent Madianitæ in terram ſuam, debebant primo tranſire Iordanem, qui pontem non habebat, ſed vada anguſta, in quibus tranſeundis moraretur multitudo Madian forte vna die, cũ eſſet tanta. & interim poterant venire Iſraelitæ vocati. *Et dedit Dominus victoriam populo ſuo Iſrael in die illo.* Duplex victoria fuit, vna quam Deus per ſe ſolus fecit, nihil agentibus Iſraelitis, ſcilicet inquantum Madianitæ conuerſi ſunt in ſeipſos: & iſta fuit, quia perierunt quaſi centum viginti millia. Secunda victoria fuit, in qua Iſraelitæ aliquid egerunt, ſcilicet quia ipſi perſecuti ſunt Madianitas, & occiderunt multos apud Iordanem, & poſtea ſequenti cap. *Miſit Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim.* In ſortem Ephraim. Vocatur tota ſors Ephraim mons, eo quod erat montuoſa, ſic enim nominatur vbique, vt patet Ioſu. 17. & 20. & 21. & ſupra 4. & 1. Regum 1. ad iſtos miſit quia propinqui erant.

An peccarit Gedeon vocando pugnatores, cùm Deus prius iuſſiſſet multos Iſraelitas de bello recedere.

C

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR an peccauit Gedeon vocando pugnatores, cùm Deus prius iuſſiſſet recedere de bello multos de Iſraëlitis.

Reſpondendum quòd non, quia Deus volebat quòd eſſent pauci in bello, vt non poſſent vſurpare ſibi victoriam, vt ipſe dixerat Gedeoni ſupra in litera: nunc autem iam bellũ, quòd Deus facturus erat, finitum erat, ſcilicet quòd Madianitæ in ſeipſos conuerſi multos trucidarent, ideoquamquam Deus nihil ei nunc locutus eſt, credidit non eſſe iniuriam diuinæ vltionis, quòd Iſraelito congregarentur ad perſequendum iam Madianitis, quia etiam ſi aliquos de illis occiderent Iſraelitæ, imò & ſi omnes ſuperſtites occiderent, non poterant ſibi vſurpare victoriam. Rationes huius ſupra aſſignatæ ſunt. *Dicens, deſcendite in occurſum Madian.* Scilicet deſcendite de montibus, in quibus habitatis, & ite contra Madianitas. *Et occupate aquas vſque Bethbera, atque Iordanem.* Id eſt occupate omnes aquas Iordanis vſque Bethbera. Hæc litera videtur quòd deberent Ephraitæ occupare alia flumina, quæ erant vſq; Bethbera, & ipſum fluuium Iordanis. Sed hoc non ſtat: quia Iordanis eſt qui circuibat terram Chanaan in parte orientali: Num. 34. & per illum tranſire debebant Madianitæ; nec oportebat aliquas occupari aquas, niſi Iordanem: ſed erit ſenſus. *Occupate aquas vſque Bethbera atque Iordanem.* Id D eſt occupate Iordanem, qui eſt in directo ſortis veſtro, & omnes aquas eius vſque Bethbera. Pro quæ ſciendum, quòd caput ſortis Ephraim erat apud Iordanem, & apud illam ex parte meridiana erat ſors Beniamin, quæ etiam perueniebat ad Iordanem, vt patet Ioſ. 18. & apud illam ad Meridiem ſors Ioſue, quæ etiam perueniebat ad Iordanem Ioſu. 15. erat autem vrbs Bethbera, de qua hic dicitur in termino ſortis Iudę, vt patet Ioſu. 15. vnde eſt ſenſus quòd Ephraitæ occuparent Iordanem, ſcilicet qui erat in directo ſortis eorum: & omnes aquas eius vſq; in Bethbera; quia forte vſq; ad illum locum erant vada Iordanis, & per illa tranſire debebant Madianitæ, ſic vt aliqui volunt. Sed melius exponetur ſecundum quòd litera innuit, & ſine aliqua difficultate, ſcilicet quòd inter locum, de quo fugiebant Madianitæ vſque Bethbera erant aquæ, id eſt flumina, quæ habebant vada in certis locis ſolùm, & illas aquas debebant occupare Ephraitæ, vt non poſſent tranſire Madianitæ, & occiderentur ibi, & poſtea occupare debebant Iordanem, vbi erat principium impeditiuum hoſtium: quia illud flumen erat magnum, & erat in paucis locis vadabilis.

Quomodo poterant Ephraitæ ire ad præoccupandum aquas & Iordanem.

QVÆSTIO XXXVII.

E

QVÆRETVR quomodo poterant Ephraitæ ire ad præoccupandum aquas, & Iordanem: nam non eſt hic ſimile ei, quod ſupra dictum eſt: eo quòd inter locum fugæ. & Iordanem non erat magna diſtantia.

Reſpondendum, quòd Ephraitæ erant prope viam fugæ & poterant cito venire. Item quamcunque aquam deberent tranſire Madianitæ cũ eſſent valde multi, neceſſe eſſet, quòd morarentur magno ſpatio, & ob hoc dum tranſibant aquas priores poterant deſcendere Ephraitæ in Iordanem ad occupandum eum, & ad aliquas aquas coniunctas Iordani, & ſic factum eſt. *Clamauitque omnes Ephrai.* Id eſt omnes Ephraitæ exhortati ſunt ſe ad veniendum, & venerunt ad aquas: nam ipſi velociter per omnia loca ſua propinqua miſerunt nuncios, & deſcendebant priores, qui poterant de vrbibus, quibus primo facta eſt vocatio: deinde de aliis vrbibus. *Præoccupauit aquas, atque Iordanem.* Scilicet conſtituerunt magnum exercitum apud Iordanem, & apud ſingula flumina per quæ tranſituri erant Madianitæ, vt cùm venirent illi diſperſi occiderent eos Ephraitæ. *Apprehenſoſque viros Madian.* Id eſt duos viros principes Madian, ſcilic. Ephraitæ manentes apud Iordanem inter cæteros Madianitas, quos occiderunt cæperunt iſtos duos principes Oreb, & Zeb viuos. *Et interfecit Oreb in petra Oreb.* Scilicet occidit eum ſuper quandam petram, quæ poſtea vocata eſt petra Oreb, & quando ſcriptus eſt liber iſte F vocabatur petra Oreb, ideo ſcriptor ſic eam cognominauit. *Zeb verò in torculari Zeb.* Id eſt occiderunt Ephraitæ Zeb in torculari quodam, quod poſtea vocatum eſt torcular Zeb ab euentu.

Quomodo ſtat quòd Ephraitæ occiderint Oreb & Zeb.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRET aliquis, circa hoc quomodo ſtat, quòd Ephraitæ occiderint Oreb, & Zeb, quia ſequen. c. dicitur quòd Gedeon occidit Zebee. Aliqui reſpondent quòd Oreb, & Zeb, & Salmana, & Zebee ſunt idem: quod patet quia ſequ. cap. tam iſti duo, ſc. Oreb, & Zeb, quam illi duo, ſc. Zebee, & Salmana vocantur duces, vel reges: & ſatis apparet, quia Ephraitæ duxerunt capita eorum trans Iordanem infra in litera: ſi tamen fuiſſent viri paruæ conditionis non duxiſſent Iſraelitæ capita eorũ trans Iordanem. Sed hoc non ſtat, quia dicitur hic Ephraitæ occiderunt iſtos, ſed ſeq. c. dicitur quòd Gedeon per ſe occidit Zebee, & Salmana. Nec poteſt aliquis obiicere, quòd quamquam iſta fecerint Ephraitę, quòd aſſcribantur Gedeoni, quia facta ſunt ſub ducatu ſuo, ſicut factum eſt de Ioſue in quibuſdam, vt declaratum eſt Ioſue 11. quia hic ponitur quomodo Ephraitæ occiderint Oreb, &

Zeb,

A Zeb: & ponitur locus, ſc. vnum in petra alium in torculari: ſed de Salmana,& Zebee ponitur ſequen.cap.quod Gedeon dixit filio ſuo, quòd occideret eos, & non auſus eſt: deinde ipſe irruit in eos,& occidit illos. Item ſequ.ca. & hic dicitur, quòd Ephraitæ attulerunt capita Oreb, & Zeb ad Gedeonẽ trans Iordanem, & Gedeon ait quid tale facere potuit quale vos feciſtis? Dicendum ergo,quòd iſti viri erant quatuor viri principes Madianitarum,& duos ceperunt Ephraitę apud Iordanem, & duos cepit Gedeon vltra Iordanem inter Nobe,& Iechaa,vt patet ſequ.cap. Quod autem ſint quatuor diſtincti patet Pſal.82. cum dicitur: Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zebee, & Salmana. Differunt etiam nomina, quia vnus horum vocatur Zeb, alius vocatur Zebee. *Et perſecuti ſunt Madian.* Scilicet Ephraitæ erant apud Iordanem, & iſtas aquas prædictas,& cum veniebant Madianitæ percutiebant eos: illi verò non curabant principaliter pugnare ne interim congregaretur totus Iſrael, & opprimeret eos ſimul, ſed tranſibant aquas,dum percuterent,& ſic tranſieruntIordanem, & omnes aquas & occiſi ſunt multi de eis, & capti: nam tunc capti ſunt duo principes eorum, ſci. Zeb, &Oreb, & cum tranſiſſent omnes Madianitæ Iordanem,ipſi quoque Ephraitæ tranſierunt poſt eos, vt rurſum ſequerentur eos à tergo,& occiderent. *Capita Oreb, & Zeb portantes ad Gedeonem trans fluenta Iordanis.* Hæc portabant in ſignum victoriæ magnæ,ſcilicet quòd occidiſſent duos reges Madianitarum. A-
B liquis turbabitur in hoc,quomodo Ephraitæ præoccupauerunt Iordanem, ſcilicet antequam tranſirent Madianitæ, & ſteterunt ibi occidentes de eis dum tranſibant, & poſtquam tranſierunt ipſi quoque Ephraitæ tranſierunt. Quomodo ergo non habuerunt obuium Gedeonem, ſed iuerunt ad eum trans Iordanem.Ex quo patet,quòd Gedeon tranſierat antequam ipſi venirent: ſed tunc ſequeretur inconueniens, ſcilicet quòd Gedeon tranſierat Iordanem anteMadianitas, quod falſum eſt,cum perſequeretur eos.Dicendum ergo, ꝙ Iordanis habebat plura vada, & Madianitæ fugientes diuiſi ſunt ad plura vada,vt facilius,& velocius tranſirent:Gedeon verò ſecutus fuit aliquam partem Madianitarum: & illa trãſiuit per aliquod vadum, in quo non erant viri Ephraitæ, ideo poſtea iuerunt ad illum vltra Iordanem ferentes capita Oreb, & Zeb regum Madian.

CAPVT VIII.

C *DIxeruntque ad eum viri Ephraim: Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos non vocares cum ad pugnam pergeres contra Madian? Iurgantes fortiter, & prope vim inferentes. Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemijs Abiezer? In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb. Quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cum locutus eſſet, requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum. Cumque veniſſet Gedeon ad Iordanẽ tranſiuit eum cum trecentis viris, qui ſecum erant: & præ laſſitudine fugientes perſequi non poterant. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerant: vt poſſimus perſequi Zebee, & Salmana reges Madian. Reſponderunt Principes Soccoth: Forſitan palmæ manuum Zebee, & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas, vt demus exercitui tuo panes. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee. & Salmana in manus meas,conteram carnes veſtras cum ſpinis,tribuliſque deſerti.Et inde conſcendens,venit in Phanuel: locutuſque eſt ad viros loci illius ſimilia: Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant viri Soccoth. Dixit itaque eis: cum reuerſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc.*

Dixeruntque. Deſcripta in præcedentibus hoſtium expugnatio,hic ponitur victoriæ perfectio quomodo,ſcili. occiſi fuerunt plures de Madianitis,& etiam reges eorum. Et diuiditur in ſeptem partes. Primò ratione victoriæ ponitur quędam contentio; Secundò malignorum deriſio ibi. *Cumq; veniſſet Gedeon.* Tertiò hoſtium comprehenſio ibi. *Zebee autem, & Salmana.* Quartò deriſorum punitio ibi.*Reuertenſq; de bello.* Quintò aduerſariorum occiſio ibi. *Dixitque ad Zebee.* Sextò prædę diuiſio ibi. *Et tulit ornamenta.* Septimò naſcitur quædam hæc tranſgreſſio ibi. *Fecitque ex eo Gedeon.* D

An ſit hæc aliqua mutatio, & an immediate facta poſt præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum in ea, quæ habentur hic habeant ordinem continuatum ad præcedentia, vel ſit aliqua mutatio, & an fuerint hæc facta immediatè poſt præcedentia.Ad primum dicendum quòd ordo continuatus eſt quia ſupra ponebatur quomodo perſecutus ſit Gedeon principes Madiã hic autem ſubditur qualiter comprehendit eos, & diuiſit prædam,fecitque alia conſequentia ad bellum, ideo neceſſario ſunt hæc poſt illa. Ad ſecundum dicendum,quòd iſta facta fuerunt immediatè poſt præcedentia: nam dicitur ſupra quòd viri Ephraim cæperunt Oreb,& Zeb,& decollauerunt eos, duxeruntq; capita ad Gedeonem tranſiens Iordanem. Hic autem ponitur contentio habita inter Ephraitas,& Gedeonẽ reſpectu huius belli: & fuit tunc facta quando obtulerunt ei capita Zeb,& Oreb, & ſic non fuit mora aliqua vel interpoſitio inter ea, quæ habentut præcedenti ca. & hic.*Dixerunt q; ad eum viri Ephraim,* ſcilic.cùm ſuperbia quadam, & tumore protulerunt querelæ verba. *Quid eſt quod facere voluiſti.* Quaſi dicat malum eſt,quòd feciſti. *Vt non vocares nos,* quaſi dicerent nos vocandi eramus. E

Quomodo Ephraitæ dicunt ſe non vocatos.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR quomodo Ephraitæ dicunt ſe non vocatos: nam præcedenti cap.ponitur quòd Gedeon miſerit nuncios in omnem montem Ephraim,&de aliis tribubus non ponitur quòd vocatæ fuerint.

Reſpondendum quòd Ephraitæ conqueruntur quòd nõ fuerint vocati à principio,cùm iuit Gedeon ad bellum, cùm factum eſt principale bellum:nam nunc non fuit bellũ præcipuum, ſed perſecutio hoſtium fugientium, & quia maior honor erat exiſtentibus in præcipuo bello conqueſti ſunt.

Cur Conqueſti ſunt Ephraitæ de Gedeone. F

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR vlterius cur conqueſti ſunt Ephraitæ de Gedeone. Reſpondendum quòd hoc fuit quia putauerunt ſe contemni: erant enim ſuperbi Ephraitæ: ideo faciliter putabant ſe contemni, ſ. ſi non obſeruarẽtur eis multæ cæremonię honoris. Erat autem motiuum huius præcipuum,quia Ephraim, & Manaſſe erãt pars tribus Ioſeph,ſed Iacob pater Iſraelitarũ ex priuilegio ſpeciali fecit Ephraim, & Manaſſe eſſe duas tribus.& quamquam eſſet Manaſſe ætate Maior, Iacob benedicens poſuit manum dextram ſuper Ephraim, & dixit eum dilatandũ in gentes, & Manaſſe ſolũ in populos,& quod minor ætate eſſet maior honore.Ge.48. Ob hoc conſtitutus eſt Ephraim tanquam princeps, & ſub eius vexillo erat tribus Manaſſe in deſerto Num.2.cap.nunc autem quia Manaſſe erat maior ſecundum carnem contendebat interdum cum Ephraim,de dignitate,& ob hoc quidquid agerent viri Manaſſe attendebant viri Ephraim, an in contemptum eorum agerent,vel ad proponendum ſe eis, & quia Gedeon erat de tribu Manaſſe ſupra 6. c.& perrexit ad bellum,non vocata tribu Ephraim,putabant Ephraitę quod feciſſet Gedeon in contemptũ eorum, vt ipſi de Madianitis obtinerent victoriam, & viderentur maiores Ephraitis.

Quare potius Ephraitæ conqueſti ſunt, quam aliæ tribus.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, vlterius quare potius Ephraitæ conqueſti ſunt, quòd non vocati fuiſſent, quam aliæ tribus.

Reſpondendum, quòd fortè hoc factum eſt, quia non vocati fuerant primo ad bellum: nunc autem vocabantur ad fugam, in qua eſſet labor perſequendo hoſtes, & non eſſet honor, quia non conſequerentur inde magnam victoriam, ſicut in bello principali. Sed hoc non ſtat, quia etiam aliæ tribus non vocatæ fuerunt à principio, & vocatæ fuerunt poſtea, imò quòd grauius eſt aliquæ tribus repulſæ fuerunt à bello prius, & poſtea vocatæ fuerunt, ſcilicet Nephthali, Aſer, Zabulon, Manaſſe: Ephraitas autem non decuit tunc nominari. Potiſſimum ergo quod commouebat Ephraitas erat: quia putabant quòd Gedeon, & viri Manaſſe egiſſent hoc in contemptum eorum, non erant autem aliquæ tribus, quibus cum tribu Manaſſe eſſet aliqua contentio ſuper aliqua prælatione alterna ſicut erat inter Ephraim, & Manaſſe: ideo iſti potius conqueſti ſunt. Alia cauſa fuit, quia cum filij Manaſſe eſſent cõpetitores ſui, & obtinuiſſent nunc magnificam victoriam, ſcilicet quàm Deus per illos exercuit, & nõ per Ephraitas inuiderunt eis Ephraitæ: quia noluiſſent, quòd in hoc viderentur excellentiores eis filij Manaſſe, ſi tamen Manaſſitæ non obtinuiſſent nunc in bello, vel non fuiſſet tam memoranda victioria noncontendiſſent, quare non vocauerant eos: imò forte à principio, ſi vocaſſet eos Gedeon dedignati fuiſſent ire cum eo, ne ſubiicerentur ducatui filiorum Manaſſe. In Hebræo habetur. *Dixeruntque viri Ephraim.* Sed iſtud eſt per improprietatem idiomatis, in quo numeri, & perſonæ, & aliæ proportionalitates non ſeruantur. *Iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.* Id eſt cùm hæc dicebant viri Ephraim non proferebantur ea pacifice, ſed cùm magno iurgio, & iniurioſis verbis, & quaſi volentes inferre vim, id eſt facere bellum contra Gedeonem, quia non vocauerat eos, & ſic vlciſcerentur iniuriam ſuam.

An Ephraitæ peccarent iurgium contra Gedeonem facientes.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR an Ephraitę peccarent facientes iurgium contra Gedeonem.

Reſpondendum, quòd ſic, quia ex ſola ſuperbia, & inuidia collatæ victoriæ viris de tribu Manaſſe mouebantur, vt dictum eſt, ſed quidquid propter iſta fit peccatum eſt. Item quia nullam cauſam habebat vocare eos ad bellum, dux enim poteſt quos voluerit ad bellum vocare: fortè autem deuitauerat Ephraitas tanquam tumultuantes, & non bene ſibi ſubiicibiles propter ſuperbiam, ideo vocauit alios. Item Deus fecerat, quod omnes vocati recederent de bello præter trecentos: quomdo ergo Ephraitæ poterant manere in bello? Intentio autem Ephraitarum erat, quòd ipſi omnes fuiſſent in bello, vt eis imputaretur victoria. Valde ergo iniuſtè agebant iurgantes contra Gedeonem: hoc enim ſolicitum habebant Ephraitæ præ ſuperbia ſua de deſiderio honoris. Sic enim iterum contra Iephte Galaaditem tumultuati ſunt dicentes: quare vadens in pugnam contra filios Ammon vocare nos noluiſti, incendemus igitur te, & domum tuam igne infra 12. Et orta eſt ibi grauis ſeditio. *Et ille reſpondit.* Scilicet Gedeon reſpondit molliter: videns enim ſuperbiam, & tumorem Ephraitarum noluit eis reſpondere iuxta ſtultitiam ſuam, ſed blande, vt placarentur, alioquin neceſſe erat oriri durum bellum inter vtroſque, & fortè Gedeon habebat paucos de Manaſſe, Ephraitæ erant multi. Vel dato quòd poſſet præualere cõtra Ephraim noluit eſſe auctor effuſi ſanguinis in Iſrael. Etiam quia propter bellum inteſtinum, dimitteretur bellum hoſtile, & hoc graue peccatum erat, ideo vt ſapiens reſpondit molliter. *Quid enim facere tale potui, vt vos feciſtis.* Vidit quòd Ephraitæ ſolum tumultuabantur deſiderio honoris, & præ inuidia honoris, quem videbantur accepiſſe Manaſſitę, ideo vt quieſceret ſpiritus eorum aſcripſit ei honorem. In Hebræo habetur. *Quid feci, vt vos.* Quaſi dica: non feci ego aliquid laudabile, ſicut vos. Iſtud refertur ad occaſionem Oreb, & Zeb, quos occiderunt Ephraitę præcedenti cap.

An peccauit Gedeon dicens quid tale facere potui & cætera.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR an peccauit Gedeon dicens quid tale facere potui, vt vos, cũ ipſe maiora feciſſet quam Ephraitæ: quia ipſe occidit duos reges potentiſſimos Madianitarũ, ſc. Zebee, & Salmana. Sed dicendum, quod hoc non ſtat, quia Zebee, & Salmana nondum erant occiſi, ſed poſtea capti, & occiſi ſunt infra in litera. Dicendum tamen quod Gedeon Maiora fecerat, quam Ephraitæ. Nam ipſe cum trecentis viris non expauit conſiſtere ante caſtra 135. millium: & tenuerunt buccinas, & faculas coram illis cum poſſent Madianitæ conuerti in eos. Etiam perſecuti ſunt ſemper Madianitas, ita vt propter eos Madianitæ conuerſis in alterutrũ gladiis alterna ſe cæde truncabant. Gedeon tamen erat valde humilis, & forte ex humilitate propria merita nõ menſurabat: nam humilium iſta conditio eſt, vt non reſpiciant quantum proficiunt, ſed quantum à perfectione deficiunt non quid merentur, ſed quid demerentur: bona autem aliorum humiles conſiderant, & appreciantur. Vnde actus Ephraitarũ poterat attendere Gedeon tanquam laudabiles, & ad ſuos nõ attenderet, & diceret: quid tale potui agere, vt vos feciſtis? quaſi ipſe nihil egiſſet, & illi magna egiſſent. Vel poteſt eſſe, quòd intelligatur hoc per hironiam, ſc. quod maiora eſſent geſta Gedeonis quam Ephraitarum: ipſe tamen per quandam hironiam plus laudauit geſta Ephraitarũ. Sed iſtud ſecundum non multum ſtat, quia tunc Ephraitæ intelligentes ſe irrideri magis contriſtarentur, vt vim facerent Gedeoni: erat tamen intentio Gedeonis placandi, & non concitandi Ephraitas: Aliter poteſt dici, quòd iſtud intelligebat Gedeon à ſeipſo, ſc. quid tale potui ego agere viribus meis quale vos feciſtis, ſed ſi aliquid feci illud viribus Dei egi, & hoc verum eſt, quia non potuiſſet Gedeon viribus ſuis, & ſuorum capere duos principes Madian, ſc. Oreb, & Zeb cùm ſolum eſſent trecenti, ſed etiam Ephraitæ non potuiſſent hoc agere viribus propriis, ſed adiuti à Deo egerunt iſtis duobus modis, ſc. primo & tertio: non ergo mentiebatur Gedeon nec peccaret. Sed tamen nihil impedit dici, quod Gedeon ſciens ſe maiora egiſſe, quam Ephraitæ dixerit hoc illis non ex humilitate, ſed vt placaret illos, & hoc etiam modo, licet eſſet mendacium erat officioſum, ſc. ad tollendum ſcandalum, & ſolum peccabat venialiter, & melius erat illud dicere, quam non dicere permittendo ſcandalum oriri. *Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemia Abiezer.* Hic magis extollit Ephraitas dicẽs: melior eſt racemus Ephraim, id eſt, modicum de Ephraim, quam vindemia Abiezer, id eſt quàm multum de tribu Manaſſe. Iſta litera ponitur ad ſignificandum excellentiorem eſſe tribum Ephraim tribu Manaſſe, & familia Gedeonis, vt ſic Ephraitæ videntes ſe de hac victoria magis laudari, quam Gedeon, qui erat præcipuus auctor quieſcerent. Et poteſt introduci dupliciter. Vno modo, quod racemus Ephraim, id eſt paucæ perſonæ de Ephraim erant meliores quam tota vindemia Abiezer, id eſt quam omnes viri de familia Abiezer: iſta eſt familia, de qua erat Gedeon, vt patet ſupra ſexto, & nominauit iſtam familiam, & non totam domum Manaſſe, ne videretur grauare familias alias Manaſſe ſubiiciendo illas in laude Ephraitis: contra ſuam autem familiam confidenter loquebatur, putans quòd ex hoc non grauarentur. Vel quia Ephraitæ putarent ſatis ſibi eſſe ad ſuam exaltationem, quod præponerentur familiæ, de qua erat Gedeon, qui erat victor. Vel fortè, quia illi trecenti viri, qui ſteterunt ſoli contra Madianitas erant de familia Abiezer, & iſtud eſt veriſimilius. Aliter poteſt introduci litera, ſcilicet melior eſt racemus Ephraim, quã vindemia Abiezer, id eſt paucæ perſonæ occiſæ ab Ephraim ſunt maioris ponderis, quàm omnes quos occiderunt filij Manaſſe, & intelligitur hoc de Oreb, & Zeb regibus Madian, quos occiderunt Ephraitæ. *In manibus*

A *Exaggeratio potissime convenit passionatis.*

vestris tradidit Dominus principes Madian, Oreb, & Zeb. Quasi dicat non habetis de quo contendatis mecum super bello: nam vos feciſtis totum bellum, & habetis laudem illius, quia Deus noluit tradere in manus meas principes Madian Oreb, & Zeb: ſed in manus veſtras, in quo fecit vos laudabiliores. *Quid tale facere potui, quale vos feciſtis.* Repetitio ſententiæ eſt, ſed non inutiliter, quia ponitur ad exaggerandum: nam in rethoricis magnam vim obtinet exaggeratio, quod potiſſimum conuenit paſſionatis, vel contra paſſionatos, qui leui perſuaſione ad appoſitum non flectuntur. Item ſupra poſuerat iſtam propoſitionem, quam non probauerat: deinde probata ea per duas rationes repetit illam: ſic enim ſæpe habetur in multis locis ſcripturæ. *Quod cum locutus eſſet requieuit ſpiritus eorum, quo tumeſcebant contra eum.* Scilicet iſti erant ſuperbi, & nihil deſiderabant niſi gloriam, & laudem, & erant inuidi, & nolebant, quòd aſcriberetur alteri victoria: vtrunque fecit Gedeon. Nam primò laudauit Ephraitas ſuper Manaſſitas. Secundo dixit non fuiſſe victoriam Manaſſitarum, ſed Ephraitarum, & hoc dicto requieuit ſpiritus Ephraitarum, id eſt ſuperbia, vel ira: ſic accipitur Iſa. 2. ſcilicet, Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eius, quia excelſus reputatus eſt ipſe, id eſt ceſſate loqui cum homine, qui habet iram in naribus, quia ſuperbus eſt: ſic erant Ephraitæ, ſcilicet ſuperbi, & irati: & magis erat iſte ſpiritus ſuperbiæ quã iræ, quia dicitur: quo tumeſcebant contra eum, tumor autem ad ſuperbiam pertinet.

B

Quare Gedeon non reſpondit directè Ephraitis.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quare Gedeon non reſpondit directè Ephraitis: nam ipſi quærebant quare non vocauerat eos ad bellum.

Reſpondendum, quod non reſpondit directè, quia fortè non habuit aliquam cauſam, quam honeſte exprimere poſſet: nam forſitan Gedeon non vocauit eos, quia cognoſcens ſuperbiam Ephraitarum ſciuit, quòd non ſubiicerentur ei, ideo noluit vocare eos, ſed vocauit alias tribus: iſta tamen cauſa non poterat conuenienter exprimi, quia magis concitarentur Ephraitæ. Vel forte non vocauit eos, quia credidit quod non venirent dedignantes ſe ſubiicere viro de tribu Manaſſe. Et hoc etiam non poterat conuenienter exprimi in excuſationem, quia ſemper concitarentur Ephraitæ. Sed obiicietur contra hoc, quia poſtea vocati à Gedeone venerunt. Etiam ipſe putauit quod ad vocationem ſuam venirent, quia alias non vocaſſet eos.

Reſpondendum, quod non erat ſimile nunc, & à principio, quia prius Ephraitæ erant incerti de victoria, ideo nollent ire, nunc autem cum hoſtes erant profugi, & in perſecutione, poſſent aliquid laudis, vel lucri conſequi: ideo iuerunt, ſic enim fecerunt cum Iephte: nam vocauit eos, vt adiuuarent eum contra Ammonitas, & noluerunt: deinde cum Iepthe obtinuiſſet magnificam victoriam inuidentes inſurrexerunt in eum, dicentes: incendemus te, & domum tuam igne, qui non vocaſti nos, infra 14. ca. Aliter dici poteſt, quòd fortè Deus cauit hoc ad tollendas ſeditiones: nam illę tribus, quæ vocatæ fuerunt à Gedeone iuſſæ ſunt à Deo recedere de bello in tabernacula ſua. Si autem veniſſet tribus Ephraim, & iuſſa fuiſſet recedere, habuiſſet ad magnam iniuriam putans, quod Gedeon feciſſet iſta de corde ſuo in contumeliam Ephraitarum, & non iuſſiſſet Deus, & tumultuarentur durè contra Gedeonem, quia maius erat repelli vocatos, quam nõ vocari: ſic enim Iſraelitæ de tribu Leui, & Ruben inſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron propter ſummum ſacerdotium datum Aaron, aſſerentes quod non feciſſet iſta Moyſes iuſſu Dei, ſed de corde ſuo, vt honoraret cognatos ſuos, & tamen Deus mandauerat: in quo facta eſt magna ſeditio, Nu. 16. c. Item dato quod conſtaret Ephraitis, quòd Deus mandabat hoc, videntes viros de Manaſſe præpoſitos eis, dolerẽt nimis, & tumultuarent præ ſuperbia: non fuerunt ergo vocati. Nihil autem horum reſpondit Gedeon, ſed ſolum laudauit Iſraelitas, & remouens victoriam à Manaſſitis dedit eã Ephraitis. Ratio horum eſt, quia Gedeon erat vir prudens, & voluit reſpondere ſecundum ſubiectam materiam: nam intendebat placare tumorem eorum, & tamen ſi reſpondiſſet directè, nequaquam potuiſſet placare Ephraitas, reſpondendo autem ſic placabat: quia cum cognoſceret eos ſuperbos ſciebat, quòd hoc lenimento egebant: ideo ſic reſpondit. *Cũque veniſſet.* Hic ponitur ſecundum, ſc. malignorum deriſio, quia non ſolum non conceſſerunt petionem iuſtam, & neceſſariam Gedeoni, ſed etiam irriſerunt eum ex malignitate, & dicitur. *Cumq; veniſſet Gedeon ad Iordanem.* Madianitę præceſſerant iam tranſito Iordane, & Gedeon videbatur reliquiſſe eos tanquam iam non perſecuturus illos. Et hoc quia viri ſui erant fatigati, & non poterant itinerare: & hoc potiſſime prę fame, quod patet ex ſequentibus. Etiam quia viri, qui ibant nunc cũ Gedeone erant ſolum trecenti, & dato quod ſequeretur Madianitas, non auderet tangere illos, qui multi erant, ſc. quindecim millia, ideo oportebat, quòd expectaret Iſraelitas, quos vocauerat, vt omnes cõiuncti irruerent ſuper eos. Etiam voluit præbere quandam ſecuritatem Madianitis, vt facilius conſequeretur eos, & ſic factum eſt: nam Madianitæ putantes, qp Gedeon omnino deſtitiſſet perſequi illos, quieuerunt apud vrbem Nobe, velut nihil formidantes, & tunc irruit ſuper eos Gedeon cum aliis Iſraelitis, vt patet in litera. *Trauſiuit eum.* Ad perſequendum Madianitas, quia iam illi tranſierant Iordanem. *Cum trecentis viris, qui ſecum erant.* Iſti trecenti viri erant, qui ſteterant cum eo tenentes tubas, & lampades, & hi ſoli veniebant nunc cum illo: nam alij quos ad vocandum miſerat nondum venerant. *Et præ laſſitudine fugientes ſequi non poterat.* Fuerant enim laſſi ex magno labore totius noctis præcedẽtis, quam inſomnem duxerant. Etiam quia perſecuti fuerant hoſtes per magna ſpacia terrarũ breuiſſime. Increbuerat etiam eis fames, ideo vt vtrunq; incommodũ tolleretur egebant cibis, vt confortato ſtomacho poſſent perſequi hoſtes. In Hebræo habetur. *Et præ laſſitudine perſequens fugientes.* Sed quia iſta litera non videtur facere ſenſũ determinatum, litera noſtra poſuit clarius dicens, præ laſſitudine fugientes perſequi non poterant. *Dixitq; ad viros Soccoth.* Iſta eſt quædam ciuitas, & non eſt locus, in quo caſtrametati ſunt Iſraëlitæ excũtes de Ægypto, vt patet Num. 33. quia locus ille eſt intra Ægyptum, quia eſt ante mare rubrum, & eſt prima manſio Iſraelitarum, vt patet Exo. 12. & Nu. 13. c. ſed eſt quædam ciuitas in terra duorum regum Amorrhæorum, quæ fuit duarum tribuũ, & dimidiæ, & ceſſit in ſortem tribus Gad, vt patet Ioſu. 13. Et vocatus eſt locus iſte Soccoth, quia quando venit Iacob de terra Meſopotamiæ in terram Chanaan fixit ibi tabernacula, vt patet Gene. 33. c. & eſt locus iſte apud Iordanem: nam tranſito Iordane cum Gedeon, & viri ſui fameſcerent, illico petiit panes à viris Soccoth. *Date obſecro panes populo, qui mecum eſt.* Petiit confidenter Gedeon panes, arbitrans quòd viri Soccoth nõ negarent illos, cum perſequerentur cauſam reipublicę. In hebręo habetur: Date panes populo, qui eſt ad pedes meos, id eſt populo qui ſequitur in itinere veſtigia mea, & idem eſt. *Quia valde defecerunt.* Scilicet præ laſſitudine, & fame. *Vt perſequi poſſimus Zebee, & Salmana reges Madian.* Iſti duo erant præcipui reges Madian, quos perſequebatur Gedeon.

C

D

E

F

Soccoth quid ſit.

Quomodo Madianitæ cùm eſſent vnus populus habebant duos reges.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR quomodo Madianitæ cum eſſent vnus populus, habebant duos reges: nam aliæ gentes vnicum habebant, ſicut Ammonitæ vnum, & Moabitæ vnum. Reſpondendum, quòd terra Madianitarũ quamquam non eſſet maior aliis gentibus: tamen habebat plures reges: habebat enim quinq; reges paruos, vt patet Num. 31. ſc. Sur. Reſem, Heui, Vr, & Rebe, qui occiſi ſunt quando Iſraelitæ iuerunt ad pugnandũ contra Madianitas, & quia iſti reges erant parui, vocabantur interdum duces: ſic patet Ioſu. 13. vbi iſtimet vocantur duces: ſic enim erat de regibus Philiſthinorum, qui erant quinq: reges paruuli, & vocantur quinq; reguli Ioſ. 13. & vocantur quinq; duces, vel ſatrapæ 1. Re. 6. c. iſti reges Madian, quia parui erant ſemper erant aliqualiter ſubiecti regibus terrarum vicinarum: vnde viuente rege Sehon, qui dominabatur in Eſebon, iſti quinq; reges ſeruiebant ei, & vocabantur duces eius, vt patet Ioſ. 13. deinde mortuo eo ſubiecti

A

uerunt regi Moabitarum : vnde assistebant ei in omnibus consiliis:& ipse mittebat eos in nuncios quo volebat,vt colligitur Num. 22. intantum quod quando fæminæ Moabitarum exponendæ fuerunt Israelitis, vt per eas auerterentur à Deo, filia nobilissimi regis Madian fuit vna de expositis, vt patet Nu.25.Sic autem nunc dicendum, quòd erant quinq; reges: in terra Madian,& duo illorum erant Zebee,& Salmanana,de quibus dicitur hic:& erant præcipui reges : alii duo erant Oreb, & Zeb quos apprehenderunt Ephraitæ. Quod patet, quia vocantur principes Madian supra in litera, nec obstat,quòd vocentur duces,vel principes solum,quia sic etiam quinq; reges Madianitæ, qui erant tempore Moysi, vocabantur reges Nu.31.& duces Iosu.13. Cùm autem obiicitur quòd erat vna gens,& habebat multos reges. Dicendũ quod hoc sic accidebat in aliis regibus aliarum gentium : nam Philisthini vna gens erat,& tamen septẽ reges habebat,Ios.13.etiam in terra Chanaan solũ erant septem populi, s. Chananæi Heuæi,Hethæi,Iebusæi,Gergesæi, Pherezæi, Amorrhæi : & tamen isti habebant plures quam 40.reges.Nam in bellis factis per Iosue occisi sunt 31.reges,qui numerantur Ios.12. *Responderunq; ei viri principes Soccoth.* Isti respõderũt nomine totius populi,quia ex dispensatione & arbitrio istorum pendebat totus populus : & ob hoc Gedeon quando voluit punire viros Soccoth, inquisiuit solum pro nominibus principũ & & seniorum,& hos solum puniuit infra in litera. *Forsitan palmæ manuum Zebee, & Salmana in manu tua sunt.* Id est nunquid comprehendisti eos, & tenes manus eorum in manibus tuis, & ob hoc quasi bene meritus petis,vt demus tibi panes: quasi dicat,nihil adhuc fecisti:quando tenueris eos,poteris petere panes. Erat autem ista irrisio magna : & volebant innuere viri Soccoth,quòd Gedeon frustra conabatur, sc.quòd non posset capere Zebee,& Salmana,quia illi iam cum velocitate præcesserant fugientes.Etiam quia multi erant,Gedeon autem & viri sui erant pauci. Et ad hoc respondit Gedeon dicens,quod quando Deus traderet eos in manus eius,puniret seniores Soccoth. *Et idcirco postulas,vt demus exercitui tuo panes.* Potest dupliciter intelligi : vno modo quod dicerent Soccothitæ:nunqnid tenes iam comprehensos viros Madian,&ob hoc tanquam aliquid boni egeris petis panes pro exercitu ? Alio modo quòd Soccothitæ intelligerent,quòd si verisimile esset,quòd Gedeon posset capere reges Madian,ita q; prope esset,vt caperet eos,istud erat,vt daretur ei cibus, quia aliquod bonum prosequebatur,nunc tamen nõ erat verisimile quod posset capere reges illos, quia nimis effugerant, ideo frustra petebat panes sibi dari, & est sensus ; nunquid palmæ manuum Zebee,& Salmana in manibus tuis sunt,id est nunquid prope est, vt teneas manus virorum illorum in manu tua? nam quod prope est,inesse videtur : & ad istum secundum sensum magis refertur responsio Gedeonis.

B

C

An viri Soccoth, & Phanuel peccauerint sic respondendo Gedeoni.

Qvæstio IX.

Qværetvr,an viri Soccoth,&Phanuel pecccauerint sic respondendo Gedeoni. Dicendum quod peccauerunt. Primò quia denegauerunt id,ad quod tenebantur: nã Gedeon &viri sui prosequebantur causam publicam,quæ ad viros Soccoth,& Phanuel,& totius Israel còmunis erat, ideo tenebantur omnes Israelitæ prouidere eis, & ad quemcunq; locum venissent, debebant recipere quòd peterent, & si viri de loco illo grauarentur dando bellatoribus multa de necessariis,postea sibi satis fieri debebat ab aliis populis. Semel tamen illi tenebantur pugnatoribus offerre necessaria petita : nam non tenebantur bellatores viuere suis expẽsis, quia nemo cogitur suis stipendiis militare 1.Corin.9.Item peccauerunt, quia missis à Deo non succurrerunt : nam qui recipit missum à Deo dicitur recipere Deum : & qui illum expellit, Deum expellit, vt patet Mat. 10. sc. Qui vos recipit me recipit,& qui vos spernit me spernit, sed expellere Deum peccatum est,ergo cum Deus misisset istos præcedenti cap. & hoc constaret viris Soccoth,cùm scirent fugisse Madianitas,peccabant grauiter non dando istis petita. Item isti peccauerũt contra naturam vel humanitatem,quia iuxta Arist.4.Eth.in fine inhumanum est auxilitorem expelli : sed Gedeon & viri sui erant auxiliatores imò saluatores totius Israel: ideo inhumanè agebant isti, quia non dederunt eis saltem cibos. Item quia licet Dominus tenetur suo negociorum gestori satisfacere de vtiliter gestis,& administratis etiam si ipse non iusserit: ergo cùm Gedeon,& viri sui valde proficuè administrassent negocia totius Israel occidendo hostes eorum, & expellendo eos de terra tenebantur eis omnibus Israelitæ,& singuli. Item peccauerunt,quia viri isti erant lassi præfame, & non poterant persequi hostes, & oportebat eos cito famè perire, nisi quis eis cibos daret : ergo saltem propter extremam necessitatem,quę eis imminebat,tenebantur viri Soccoth dare illis cibos.Item peccauerunt illudendo,quia quicunq; verbũ contumelioſum animo iniuriandi profert, mortaliter peccat:sed isti protulerunt verba pungitiua, & amara cõtra Gedeonem, ergo peccauerunt. Item non solum illi illudebant Gedeoni,sed etiam Deum contemnebant: quia dicẽtes,forte manus,vel palmæ Zebee,& Salmana in manu tua sunt,innuebant,quod ridiculum erat persequi illos,quia nunquam posset capere eos,sed in hoc contemnebant Deum,& desperabant valde rationabiliter : nam cùm Deus tradidisset totam multitudinem Madian, sci.135. millia in manus Gedeonis,ipsonihil agente,quid mirum erat,quòd nunc paucis fugientibus cum Zebee, & Salmana traderet Deus illos in manus Gedeonis? Valde ergo peccauerunt isti viri.*Quibus ille respondit.* Ista responsio fuit comminatio mali inferendi. *Cùm ergo tradiderit Dominus Zebee, & Salmana in manus meas.* Id est, vos irridetis dicentes, quod frustra persequar Zebee, & Salmana,ego autem confidens, quòd Deus tradet eos in manus meas, prænuncio vobis, quòd quando hoc fuerit, ego puniam vos,vt patet in litera. Gedeon expertus Dei misericordiam,& bonitatem,s.quod tradidisset in manus eius tantam multitudinem à principio ipso non pugnante, confidebat nunc certissimè, quòd traderet reges duos in manus eius. *Et cum reuersus fuero victor in pace.* Scilicet post factam pugnam, & captos vel occisos reges ego redibo in pace, sc. non vulneratus,quia Deus liberauit me, & exercitum meum. *Conteram carnes vestras spinis tribulisque deserti.* Scilicet extendam vos super spinas,id est vepres vel paluros,& tribulos deserti, sc.tribulos valde pungentes plusquam tribuli camporum : & non solum contriuit carnes, sed etiam combussit viros istos, vt asseritur,& infra videbitur.

D

E

An iustè poterat Gedeon istam pœnam infligere viris Soccoth,scilicet conterere carnes eorum tribulis deserti.

Qvæstio X.

Qværetvr an iustè poterat Gedeon istam pœnam infligere viris Soccoth.

Respondendum, quòd ad hoc,quòd pœnam aliquis alteri iustè infligat, necesse est tamen considerari primum si peccauerit. Secundum si peccatum tantam exigat pœnam,quãta infligitur. Tertium vt iurisdictionem ad illam infligendam habebat. Quartum possumus addere, scilicet quòd bona intentione moueatur, qui pœnam infligit : sed istud magis extrinsecum est,quia non est ad hoc,quòd pœna iustè inferatur, sed ad hoc, quòd inferens non peccet quantum ad Deum.De primo patet, quia pœna directè debetur pro culpa,& licet aliqui casus sint speciales, in quibus punitur quis sine culpa,& perdit priuilegium suum,quos notat glo.in decre.dist.22.c. renouantes : tamen contrarium est regulariter, & potissimum in pœna capitali, nunquam quis capite punitur,nisi pro culpa sua,nec ad hoc est aliquis casus specialis in contrarium. De secundo patet, quia cum pœna detur pro peccato,debet ei commensurari,sicut medicina morbo:nam pœnæ sunt medicinæ peccatorum,vt patet 2. Ethi. medicina tamen si non est contemperata morbo,vt quia excedens : nõ solùm corrumpet morbum,sed etiam naturam. Etiam sicut alicui sine culpa pęnam infligere peccatum est, ita vltra debitum peccati infligere est malum : ideo dicitur Deu. 25. iuxta mensuram delicti erit,& plagarum modus,& Apo.18.dicitur: quantum glorificauit se in deliciis suis,tantum date illi de tormento. De tertio patet, quia si quis non habeat iurisdictionem,& punire velit aliquem delinquentem, peccat

F

grauissi-

A grauiſſime, vſurpando ſibi iuriſdictionem, & committit crimen concuſſionis agens tanquam iudex, cum non ſit iudex, & per iſtud turbatur nimis reſpublica: vnde non ſolum in alienis peccatis, ſed etiam ſi quis mihi iniuriam, aut damnum intulerit, non poſſum aliquam partem pœnæ illi infligere, niſi forte repellendo vim in continenti, & cum moderamine tutelæ inculpatæ. De quarto patet, quia ad hoc quod aliquis coram Deo liber ſit, non oportet quod ſolum aliquid bonum agat, ſed etiam quod ex bona intentione: nam in moralibus actus accipiunt ſpeciem, & perfectionem ex fine. De hoc Deut. 16. dicitur: iuſte quod iuſtum eſt perſequeris, id eſt, non ſolum tractabis negocia, quæ iuſta ſunt, ſed etiam, quæ iuſto animo: omnia hæc erant in preſenti. De primo patet, quia viri Soccoth, & Phanuel peccauerunt non dando panes, & irridendo Gedeonem, vt ſupra probatum eſt. Secundum patet, quia peccatum iſtud erat ex multis cauſis, quæ ſupra declaratæ ſunt, & potiſſime, quia notorie impediebant vtilitatem totius populi nolentes ſuccurrere in neceſſitate viris, qui perſequebantur hoſtes totius populi, & tanta bona egerant, & præſertim, quia contempſerant, & illuſerant principem populi Dei contumeliam, vel maledictionem inferendo, lex tamen vetuit dicens. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices: Exod. 22. ideo cum à lege non eſſet taxata pœna pro talibus delictis, poterat iudex arbitrari, quid æquum eſſet, & manifeſtum eſt, quod crimina tam ſcandaloſa, & deteſtabilia morte plectenda erant.

B Tertium patet, quod potuit Gedeon iuſte imponere hanc pœnam, quia ipſe habebat iuriſdictionem: nam Deus ſuſcitauerat eum in iudicem, ſupra 6. cap. & patet 1. Reg. 12. iudices autem huiuſmodi habebat poteſtatem delinquentes omnes puniendi, cum eſſent principes populi. Quartum patet, quia Gedeon poterat agere hoc bono zelo: non enim habemus probationem, quod bono zelo non egerit Gedeon, ſed animo vindicandi, ſed in iſtis, quę occulta ſunt potius eſt iudicandum bonum quam malum, imo nunquam eſt iudicandum, nec ſuſpicandum, niſi appareat: ſic patet extra de Regul. iur. cap. eſtote, & nullus præſumitur deliquiſſe, niſi probetur. In Gedeone autem ſuberat cauſa, vt ipſe poſſet hoc agere non animo vindictæ, ſed quia ipſe erat iudex totius populi, & ſua intereat punire omnes delinquentes, ideo vt non relinqueretur tantum crimen impunitum, quod eſſet ſcandalum puniret eos: potiſſime, quia cedebat iſtud crimen manifeſte in Dei iniuriam, & quamquam iniuriam ſuam poſſet remittere Gedeon, tamen non debebat remittere iniuriam Dei. Item quia, quamquam principaliter fuiſſet offenſus Gedeon hic quam viri, qui cum eo erant, tamen etiam iſta erat offenſa ſociorum ſuorum, & illam non poterat ipſe remittere, ſed ad petitionem eorum tenebatur procedere ad pęnam contra viros Soccoth, & Phanuel: patet ergo, quod iuſte potuit Gedeon pœnam iſtam infligere. *Et inde conſcendens venit in Phanuel.* Id eſt, quia viri Soccoth male reſponderunt, venit Gedeon ad viros Phanuel: iſte locus eſt magis ad Orientem quam Soccoth contra terram Madianitarum, vnde erat iter Gedeonis de Soccoth in Phanuel ad conſequendum Madianitas: eſt enim Phanuel quidam locus ad orientem Iordanis, qui ſic vocatus eſt à Iacob quando veniebat de Meſopotamia, quia ibi luctauit cum Angelo, & vocatur Phanuel, id eſt, facies Dei: quod Hebræus vocat piniel: nam dixit ibi Iacob, vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea Geneſ. 32. ca. *Locutuſq; eſt ad viros loci illius ſimilia.* Scilicet, quod darent panes exercitui, quia defecerat fame, & laſſitudine, & non poterant perſequi Madianitas ſicut locutus fuerat ad viros Soccoth. *Cui & illud reſponderunt ſicut reſponderant viri Soccoth.* Scilicet, negauerunt dare cibos, & irriſerunt Gedeonem, dicentes: forſitan palmæ Zebee, & Salmana in manu tua ſunt, erant enim viri iſti peſſimi Belial neſcientes Deum, & omne bonum, & æquum. *Dixitq; eis cum reuerſus fuero victor in pace.* Iſti peccauerunt ſicut viri Soccoth, ideo merebantur ſimilem pœnam, & comminatus eſt eis Gedeon talia dicens: cum reuerſus fuero victor in pace, quia hoc certiſſime ſperabat Gedeon.

(·.·)

C

D

Quare dixit, deſtruam turrem hanc.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR quare dixit, deſtruam turrem hanc. Aliquis dicet, quod hoc comminabatur eis in pœnam ipſorum: erat enim quædam turris pulchra, & fortis in loco Phanuel, quam deſtrui pœna erat viris loci, ideo in pœnam dixit, deſtruam turrem hanc. Sed hoc non ſtat, quia iſta non erat pęna directa, ſcilicet, quod ſi viri peccarent, deſtruerentur muri ſolum. Item non ſtat, quia non ſolum Gedeon ſubuertit turrem Phanuel, ſed etiam occidit habitatores eius, vt patet infra. Dicędum ergo videtur, quod hic ſubticeatur aliquid, ſcilicet, quod cum male reſpondiſſent Phanuelitæ, Gedeon diceret eis, ego vos occidam, vel inſligam talem aut talem pœnam, & tunc Phanuelitæ irridendo replicarent non timemus te, nec quemuis habentes turrem hanc, & tunc dixit Gedeon, ego ſubuertam etiam turrem hanc. Iſta ſententia confirmatur ex his, quæ habentur infra, cum non ſolum Gedeon euertit turrem, ſed etiam occidit viros: & veriſimile eſt, quod ſicut fecit ita prædixiſſet.

Zebee autem, & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo. Quindecim enim millia viri remanſerāt ex omnibus turbis Orientalium populorum caſis centum viginti millibus bellatorum, educentium gladium. Aſcendensq; Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe, & Iecbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil aduerſi ſuſpicabantur. Fugeruntque Zebee, & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. Reuertensq; de bello ante Solis ortum apprehendit puerum de viris Soccoth, interrogauitq; eum nomina principum, & ſeniorum Soccoth, & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros. Venitq; ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee, & Salmana, ſuper quibus exprobraſtis mihi, dicentes: Forſitan manus Zebee, & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas vt demus viris qui laſſi ſunt, & defecerunt, panes. Tulit ergo ſeniores ciuitatis, & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contriuit cum eis atque comminuit viros Soccoth. Turrim quoq; Phanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis. Dixitq; ad Zebee, & Salmana: quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt: Similes tui, & vnus ex eis, quaſi filius regis. Quibus ille reſpondit: fratres mei fuerunt filij matris meæ. Viuit Dominus, quia ſi ſeruaſſetis eos, non vos occiderem. Dixitq; Iether primogenito ſuo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

E

Argonautarum nauigatio.

F

Zebee autem. Hic ponitur ſecundum huius cap. ſcilicet, aduerſariorum comprehenſio: nam Gedeon perſequens reges Madian irruit ſuper eos. *Zebee autem, & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo.* Iſti erant duo reges Madian, qui relicti fuerant: nam duo alij, ſcilicet, Oreb, & Zeb occiſi fuerant apud Iordanem ab Ephraitis, vt præcedenti cap. & ibi declaratum eſt. De quinto rege Madian non patet quid factum ſit, ſed forte periit in bello cum Madianitæ in ſe conuerſi mutua ſe cæde truncabant: iſti autem duo requieſcebant cum omni exercitu ſuo, ſcilicet, cum illis, qui relicti fuerant de ſuperiori interfectione, putantes, quod iam non perſequerentur eos Iſraelitæ: cum tranſito Iordane neminem vidiſſent poſt ſe venientem. In Hebræo dicitur. *Zebee, & Salmana in carcor cum exercitu ſuo.* Et eſt carcor nomen proprium loci, & eſt inter Nobe, & Iecbaa, ſcilicet, aliquis campus, in quo erat iſte exercitus: litera autem noſtra poſuit, quieſcebat, non curans exprimere nomen loci. *Quindecim millia virorum enim remanſerant ex omnibus turmis Orientalium populorum.* Id eſt, nunc in exercitu Salmana, & Zebee ſolum erant 15. millia virorum, quia de omnibus populis Orientalibus,

Carcor quid ſit.

A

ſcilicet, Madianitis, Amalechitis, & reliquis, ſolum manſerant 15. millia: erant autem à principio in caſtris Madianitarum 135. millia virorum, quod patet, quia dicitur, quod perierant 120. millia, & nunc manebant 15. millia: ergo erant ſimul 135. millia. *Cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.* Iſti fuerãt occiſi alternis gladiis putantes ſe occidere hoſtes: vnde dicitur ſupra præcedenti cap. quod alterna ſe cæde truncabant. De iſtis quaſi omnes perierant hoc modo: rari autem ad Iordanem occiſi fuerant ab Ephraitis, quando occiſi ſunt duo viri principes, ſcilicet, Oreb, & Zeb, vt præcedenti cap. *Aſcendens autem Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur.* Scilicet, de vrbe Phanuel aſcendit per viam hanc vſq; quo inuenit Salmana, & Zebee cum viris ſuis: & differunt quidam habitantes in tabernaculis, quia in ſorte tribus Gad in terra Galaad erant quædam gentes habitantes per agros diffuſe in tabernaculis portatilibus, & non habebant aliqua loca munita, nec domos, & iſta fuit olim vita paſtorum, & multi de Africanis vtuntur hoc modo manendi in tentoriis ſine certo loco: & per viam iſtorum tranſiuit Gedeon de Phanuel verſus vrbem Nobe, quouſque reperit Madianitas. *Ad Orientalem plagam Nobe, & Iecbaa.* Scilicet, Madianitæ quieſcebant in aliquo campo, qui erat ad Orientalem partem reſpectu iſtorum locorum. Et eſt Nobe ciuitas, in qua fuit Sanctuarium poſtquam ablatum eſt de Silo mortuo Eli ſummo ſacerdote, & manſit ibi tempore

B

Saulis, ipſe autem occidit ſacerdotes, & deleuit vrbem, primo Regum vigeſimo ſecundo, & inde tranſlatum eſt Sanctuarium in Gabaon. *Percuſſitq; caſtra hoſtium, qui ſecuri erant.* Scilicet, quieſcebant in campo tanquam ſecuri: nam licet mala paſſi fuiſſent, tamen iam putabant ſe ſecuros, eo quod tranſito Iordane neminem de Iudæis viderunt ſe perſequentem, & ſic putauerunt futurum, ſcilicet, quod iam non perſequerentur eos. *Et nihil aduerſi ſuſpicabantur.* Scilicet, non ſuſpicabantur hoſtes ſuper ſe incurſuros, vel quod alias poſſent eis aliqua mala inſurgere. *Fugeruntque Zebee, & Salmana.* Iſti duo reges ſoli de Madianitis ſuperfuerant occiſis iam tribus regibus, cum iſtis erat exercitus quindicim millium virorum: & videntes Hebræos ſuper ſe irruere, fugerunt reges cum exercitibus ſuis. *Quos Gedeon perſequens comprehendit turbato omni exercitu eorum.* Id eſt, Gedeon perſecutus fuit eos, & perueniens ad eos impetum egit in illos, tunc conturbatus eſt totus exercitus Madian, & pauerunt ſicut prius quando audierunt clangorem buccinarum, & viderunt lampades, & non ſe potentibus præ turbatione defendere, cœpit Gedeon viuentes duos reges Madian: de aliis autem credendum eſt, quod multos occiderit, quia aliter non occurreret ei capere duos reges, hoc ſatis litera innuit dicens, turbato omni exercitu eorum, ſcilicet, cladibus inuoluto, & fugato, comprehenſis autem duobus regibus non curauit Gedeon perſequi reliquos fugientes: tum quia parui momenti illi æſtimabantur comprehenſis regibus, tum quia iam non poſſet Gedeon conſequi illos: & laboraret nimis perſequendo eos, quia illi iam fugerent totis viribus nullam expectantes ſecuritatem. *Reuertenſque de bello.* Hic ponitur quartum, ſcilicet, deriſorum punitio, ſcilicet, quia viri Soccoth, & Phanuel qui deriſerant Gedeon perſequentem Madianitas, ab ipſo puniti ſunt. *Reuertenſque de bello,* Scilicet, de perſecutione Salmana, & Zebee. *Ante Solis ortum apprehendit puerum de viris Soccoth.* Iſta determinatio ante ſolis ortum, poteſt referri ad duo, ſcilicet, ad (Reuertens) vel ad verbũ (apprehendit) Primo modo eſt ſenſus; quando ceſſauit Gedeon perſequi Madianitas & reuerſus eſt, erat ante Solis ortum, ſcilicet, in aurora; & ſic apparet quod irruerat ſuper Madianitas per noctem dormientes in campo: & ſic poterat faciliter turbare exercitum eorum, vt ſupra dicitur. Vel refertur ad apprehendit, ſcilicet, quod quando reuertebatur de bello, venit ad Soccoth ante Solis ortum: & apprehendit quendam puerum de viris Soccoth. Iſte forte erat aliquis paſtor, qui dormiebat in agris, ideo non introeundo in vrbem potuit tenere illum Gedeon. Sciendum tamen quod iſte nõ erat paruus puer, ſed aliquis vir diſcretus: quilibet tamen iuuenis vel ſeruiens vocatur puer modo veteris teſtamenti: ſic vocatus eſt Abſalon puer 2. Regum 18. ſcilicet, eſt ne pax puero Abſalon? & tamen ipſe tunc erat quaſi triginta annorum, vt declarabitur ibidem. Etiam omnes viri Dauid vocantur pueri, 1. Regum 21. & 25. cap. & tamen erant viri, & aliqui erant ſenes, vel quaſi. Quod iſte eſſet iuuenis diſcretus patet, quia ſciuit diſcernere nomina principum & nominauit 77. vt patet in litera. *Interrogauitque eum nomina principum, & ſeniorum Soccoth.* Pro his interrogauit, quia nolebat occidere vel punire omnes viros vrbis, ſed ſolum eos, qui irriſerunt eum dicentes: forſitan palmæ manuum, & cætera. Iſti autem fuerant principes, & ſeniores Soccoth, ideo horum ſolum nomina ſcripſit ad occidendum. *Et deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros.* Scilicet, quia tot erant principes, & ſeniores Soccoth, quorum iuſſu, & conſilio regebatur vrbs Soccoth.

D

Quare inquiſiuit hæc nomina à puero in agro, & non in vrbem introiuit.

Qvæstio XII.

Qværetvr quare inquiſiuit iſta nomina à puero in agro, & non introiuit in vrbem, quia ibi magis potuiſſet informari quia erant rei huius criminis, & occidiſſet illos. Reſpondendum, quod ad plenam informationem non fuit neceſſe, quod introiret Gedeon vrbem, quia ipſe ſciebat qui erant delinquentes, ſcilicet, quod peccauerant principes & ſeniores vrbis: ſed non ſciebat nomina eorum, ideo non oportuit, quod introiret in vrbem, quia nomina principum ſcire poterat. Si autem dubitaſſet de perſonis, quæ fuiſſent

E

tunc, debuiſſet introire in vrbem ad faciendum inquiſitionem. Item non ſolum non erat neceſſe introire in vrbem, imo erat valde nociuum, quia ſi quæreret Gedeon in vrbe, qui erant principes, & ſeniores per quos regebatur vrbs, teſtes corrumperentur, & paucos proderent, ſed imponerent totam culpam vni, vel duobus, vt illi ſoli morerentur, nunc autem cum puer extra Soccoth neſciret ad quid Gedeon iſta quæreret, diceret ei veritatem. Et ſic factum eſt: vnde cautela magna fuit extra vrbem à puero petere. *Venit quæ ad Soccoth, & dixit eis.* Scilicet, ſenioribus & principibus Soccoth. *En Zebee, & Salmana.* Id eſt, ecce videtis eos: propter hoc duxit Gedeon viuentes Salmana, & Zebee, vt conuinceret malitiam virorum Soccoth, qui putauerant quod non poſſent capi: & ſi occidiſſet illos Gedeõ cum aliis in loco, in quo cœpit eos, negarent viri Soccoth captos fuiſſe Salmana, & Zebee, & ſic maneret non conuicta malitia illorum, nũc autem conuincerentur & erubeſcerent. *Super quibus exprobraſtis mihi.* Scilicet, irridendo me, quod non poſſem capere eos, & quod fruſtra conarer, & peterem panes. *Dicentes, forſitan manus Zebee, & Salmana in manibus tuis ſunt.* Id eſt, ita petis panes, quaſi aliquid boni feciſſes, propter quod mereris panes tenendo Zebee, & Salmana in manibus. Vel ita petis panes pro exercitu ad perſequendum Zebee, & Salmana tanquam propinquum eſſet, quod caperes eos, & teneres manibus: nam non eſt prope: imo irridebatur Gedeon tanquam ſtulte ageret. *Et idcirco poſtulas, vt demus panes viris, qui laſſi ſunt, & defecerunt.* Quaſi dicat ſtulte petis, quia nec tu, nec viri iſti, qui panes volunt, nihil proficietis perſequendo Zebee, & Salmana. *Tulit ergo ſeniores ciuitatis.* Scilicet, principes & ſeniores: nam omnes intelliguntur nomine ſeniorum, & peccauerant omnes hi, vt patet ſupra in litera. *Et ſpinas ac tribulos deſerti.* Spinæ forte ſunt ruborum, vel aliarum arborum, aut lignorum habentium aculeos, ſicut eſt in Rhamnis: tribuli ſunt deſerti, ſcilicet, quidam tribuli duri nimis, & habentes longos, & groſſos aculeos, ſicut ſunt palniri. *Et contriuit cum eis.* Id eſt, contriuit iſtos tribulos, & ſpinas in carnibus virorum Soccoth, & iſte erat durus cruciatus. *Atque comminuit viros Soccoth.* Id eſt, totaliter deleuit illos.

C

Punitio Socchoti carũ.

F

An Gedeon occiderit hos viros Soccoth ipſis contritis ſpinis.

Qvæstio XIII.

Qværetvr an Gedeon occidit iſtos viros Soccoth poſtquam contriuit eos ſpinis, vel ſolum afflixit eos infixis ſpinis. Reſpondendum, ſecundum quoſdam quod puniti ſolum fuerunt tribulis & non morte, quia tunc pro eodem delicto punirentur bis, ſed eſt contra id, quod habetur Naum 1. non iudicabit Dominus bis in idipſum, id eſt, non

A puniet bis pro eadem re. Sed dicendum,quod non ſolũ contriuit tribulis,ſed etiam occidit, vt patet ex litera, cũ dicatur quod contriuit eos tribulis, & ſpinis,& comminuit. Conterere enim refertur ad tormẽtum inflictum per ſpinas, & tribulos: comminuere vero ad mortem, ſicut ſi dicatur delere, alioquin fruſtra poneretur comminuit. Item æqualiter peccauerunt viri Phanuel,& Soccoth, vt patet ſupra in litera,cũ dicitur quod petiuit panes Gedeon à viris Phanuel,& reſpõderunt ſicut viri Soccoth:ergo pœnæ debuerunt eſſe æquales,ſed viri Phanuel occiſi ſunt, & turris eorum ſubuerſa eſt, vt patet infra in litera, ergo etiam ſeniores & principes Soccoth occiſi ſunt. Ad rationem in contrarium dicendũ quod non ſtat, quia illud intelligitur quando pro eodem peccato pœna ſufficiens inflicta eſt, quia tunc nihil repetetur, alioquin poterit quis puniri etiam mille pœnarum modis,vt omnes ſimul æquiualeant culpæ peccati. Sic declarat Ieronym. Naum,& habetur 4.ſent.diſt.15.ſic etiam fit communiter in omnibus pœnitentiis impoſitis: nam cum imponantur pœnitentiæ paruę,punitur hic homo pro peccato,& adhuc manet ei pœna toleranda in purgatorio: ſic fuit hic, quia pœna prior in tribulis & ſpinis non fuit ſufficiens pro peccatis virorum Soccoth, ideo addita fuit eis pœna mortis.

An Gedeon ſe habuerit hic crudeliter torquendo viros Soccoth ſpinis & cætera.

B

Qvæstio XIV.

Qværetvr vlterius,an Gedeon ſe habuerit hic crudeliter torquendo viros Soccoth ſpinis,& tribulis, deinde occidendo eos: nam videtur quod ſuffeciſſet eos occidere. Reſpondendum, quod non fuit crudelitas, ſed datum eſt tantum de pœna quantum expediebat:nam quędam crimina ſunt, in quibus ſolum oportet ipſos reos occidi, ne aliquid vltra ſimile agant: ſicut in homicidio, & furto, & adulterio, vel ſimilibus. Alia autem ſunt crimina, in quibus non ſolum opus eſt puniri ipſos delinquentes, ſed etiam dari exemplum cęteris,ne talia agant:& in iſtis oportet pręter mortem ipſorum delinquentium fieri aliquid durum, vt cæteri terreantur: & ſic eſt in peccatis, vbi contemnitur maieſtas principis, & vbi contemnitur auctoritas Eccleſiæ, & ſimilibus: ſic enim fuit de Dauid: qui miſit nuncios ad conſolandum Anon regem Ammonitarum ſuper morte patris, & ille raſit dimidiam partem barbæ,& ſcidit veſtes eorum vſque ad nates, 2. Regum 10. & Dauid poſtea ſubiiciens eos diuerſis tormentis ſubegit illos, ſcilicet, ſerrauit illos per medium,& duxit ſuper eos carpenta ferrata, & diuiſit cultris, & traxit in typolaterum, vt patet 2.Regum 12. & 1. Paralip.20. & tamen illud non fuit imputatum Dauid ad crudelitatem, quamquam eſſent tormenta magna nimis, quia illud egit, vt omnes aliæ terræ timerent contemnere,& dehoneſtare nuncios Dauid. Sic etiam Eccleſia imponit interdum quaſdam pœnas,quæ non ſunt directe pro peccato, ſed ad terrorem,ſicut in raptoribus notoriis, vel incendiariis, ſi admoniti efficaciter noluerint reſtituere Eccleſiis, quæ abſtulerunt, vel deſtruxerunt,nec cautionem de reſtituendo dare volunt:ſi poſtea in articulo mortis non habeant vnde ſoluant, nec poſſint dare ſufficientem cautionem, etiam ſi doleant nimis de peecato, & ſint præſto ad reſtituendum, ſi ſuperuixerint, licet eis non denegetur Pœnitentia,& Euchariſtia:tamen non debent clerici intereſſe ſepulturæ eius,nec debent dicere aliqua diuina officia pro eo, nec recipere eleemoſynas illius, vt patet extra de raptoribus, & incendiariis cap. ſuper eod. ita nunc in Gedeone factum eſt: nam viri Soccoth irriſerant eum, cum eſſet princeps populi, & à Deo miſſus: ideo vt nemo de cætero præſumeret irridere principes, non ſolum occidit illos, ſed etiam prius afflixit eos tribulis, & ſpinis. *Turrem quoque Phanuel deſtruxit.* Scilicet, venit etiam Gedeon ad viros Phanuel,qui peccauerant ſicut viri Soccoth,& occidit eos. Sciendum autem, quod non occidit omnes, quia non omnes de vrbe eſſent rei criminis, & potiſſime fœminæ, & paruuli, ad quos de regimine vrbis nihil attinebat, ſed occidit ſolum principes, & ſeniores, ſicut in vrbe Soccoth, ſupra in litera.

C

Quomodo Gedeon ſubuertit turrem Phanuel,& ad quid.

Qvæstio XV.

Qværetvr, quomodo Gedeon ſubuertit turrem Phanuel,& ad quid. Reſpondendum, quod poterat facere propter duo: primo, quia promiſerat: nam dixit viris Phanuel:cum reuerſus fuero victor in pace deſtruam turrem hanc: cauſa autem quare dixit ſupra poſita eſt. Alio modo poteſt dici, quod cum veniret Gedeon in vrbem Phanuel, volentes Phanuelitæ reſiſtere, confugerunt in arcem, & occidendum eos, oportuit quod Gedeon deſtrueret turrem, vel expugnaret eam. Sic enim Abimelech filius huius Gedeonis pugnans contra Sichimitas confugientes ad arcem, cum non poſſet eos capere,appoſuit ignem ramorum virentium,& fumo extinxit omnes manentes in arce, vt patet ſeq. cap. Vel forte,Gedeon expugnauit viros Phanuel manentes in turre, & poſtea ipſam turrem deleuit. *Occiſis habitatoribus ciuitatis.* Scilicet,occidendo eos intra turrem. Vel occidendo extra, & poſtea deſtruendo turrem. *Dixitq; ad Zebee.* Hic ponitur quintum huius ca. ſcilicet, hoſtium occiſio: nam poſtquam Gedeon oſtendit Salmana, & Zebee ipſis viris Soccoth, & Phanuel, occidit eos conuicta illorum pertinacia. *Dixitq; ad Zebee,& Salmana.* Locutus fuit iſta,quæ ſequuntur, vt oſtenderet Gedeon ipſis Zebee, & Salmana, quod habebat cauſam occidendi illos. *Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in monte Thabor.* Iſte mons eſt in ſorte Zabulon,vt colligitur Ioſue 19.cap.& eſt circa ſortem dimidiæ tribus Manaſſe,de qua erat Gedeon, & in illo monte fuerunt fratres aliqui Gedeonis, quos occidit Salmana, & Zebee, cum vaſtarent terram Iſrael,& forte non fuit iſtud in hac vaſtatione, ſed alio anno: quia ſeptem annis continuis venerunt Madianitæ in terram Iſrael,quolibet anno ante tempus meſſis,ſupra ſexto cap. *Qui reſponderunt:ſimiles tui.* Neſciebant Salmana,& Zebee ad quid quærebat Gedeon,ideo reſponderunt verum. Vel forte non poterant negare, quia erat notorium, ideo ſponte confeſſi ſunt. *Et vnus ex his quaſi filius regis.* Scilicet, erat valde pulcher. Et dicitur quaſi filius regis, quia filij regis ſolent eſſe pulchriores aliis hominibus, eo quod caro eorum tenerior eſt, quod ad pulchritudinem requiritur: eo quod ſunt voluptuoſe nutriti, conſeruati ab æſtu, frigore, & nuditate, & quia veſcuntur cibis teneris. *Quibus ille ait: fratres mei fuerunt.* Nam forte habitabant ibi fratres Gedeonis. Vel caſu accidit, quod eſſent ibi: & iſti reges Madian occiderunt eos. *Filij matris meæ.* Erant fratres ſolum ex parte matris, ideo potuit accidere, quod Gedeon, & fratres ſui eſſent de diuerſis tribubus, cum ſolum conuenirent in matre,& tribus,vel familiæ nominarentur ex patre. *Viuit Dominus.* Modus iurandi eſt, ſcilicet, iuro per vitam Dei. *Si ſeruaſſetis eos, non vos occiderem.* Id eſt,ſi non occidiſſetis eos, ego nõ occiderem vos, ſed quia occidiſtis fratres meos, iuſtum eſt, quod ego vos occidam.

D

E

Hoſtiũ occiſio.

De ſitu montis Thabor.

F

Nunquid licuiſſet Gedeoni ſeruare hos viros, ni eius fratres occidiſſent.

Qvæstio XVI.

Qværetvr, an licuiſſet Gedeoni ſeruare viros iſtos, ſi non occidiſſent fratres eius. Et videtur quod non, quia Deus mandauerat de Madianitis, quod Iſraelitæ occiderent illos,& nemini parcerent, imo etiam nec mulieribus, vt patet Numer.31. quia fœminæ reſeruatæ fuerunt, & iuſſit Moyſes omnes illas occidi præter virgines, paruulos etiam occiderunt. Reſpondetur,quod Gedeon non erat obligatus occidere iſtos duos reges, niſi forte intelligeret, q̃ permittẽdo eos viuere ſequeretur malum Iſraelitis, quia tunc cũ Gedeon teneretur procurare indemnitatem populi Iudaici, tenebãtur occidere illos reges,alioquin non. Quod patet,quia Deus non obligauerat eum ad hoc:nam Deut.20.pontuntur gentes,quas occidere obligabantur Iudæi: nam quando pugnarent contra aliquas de ſeptem gentibus Chananæorum, tenebantur occidere tam viros, quam fœminas, & ſub nulla conditione poterant relinquere eos viuentes: de aliis autem non erat obligatio aliqua ad occidendum illos, ſed poterant

A terant interdum Iſraelitæ occidere illos per pugnam, vt ſi reſiſterent: interdum non licebat eis, vt ſi ſe traderent ſuſcipiẽtes pacem. Madianitæ aũt non erant de ſeptem populis Chananæorum, ideo quamquam nunc capti eſſent aliqui de illis in bello, non obligabantur Iſraelitæ occidere illos. Cum autẽ arguitur, quod non ſolum viri, ſed etiam paruuli, & fœminæ occidi iuſſum eſt de Madianitis. Reſpondendum, quod illud præceptum fuit temporale, & pro cauſa, quædam enim præcepta pro tempore, quædam pro certis cauſis, quædam pro certis perſonis data ſunt: ſic innuitur in decretis diſt. 29. per totum. Præcepta autem, quæ alicui perſonæ ſpecialiter data ſunt, ab illo ſolum ſeruari debuerunt. Et quæ pro vno tẽpore data ſunt, in illo ſolum obligauerunt. Et quæ pro vna cauſa, & ad illam cauſam, ſolũ obligauerunt in illo negocio: ſic fuit de præcepto dato Iſraelitis de occidendo Madianitas: nam illud fuit datum pro malo, quod Madianitæ fecerunt contra Iſraelitas fallendo eos adiuuando Moabitas, vt patet Num. 25. & pro iſto peccato debuerunt omnes perire, & ſic factum eſt, quia Ioſue pugnauit contra Madian, & occidit omnes reges Madian, & quotque viros, & paruulos inuenit, mulieres autem duxit captiuas: ſed etiam de his omnes occiſæ ſunt præter virgines, & iſtud fuit ad habendam malam vindictam pro malo ſuſcepto: & tunc habita fuit abundanter in illo bello. Vnde illud præceptum Moyſi ſolum fuit pro illa vice, poſtea vero manebat eadem lex Iſraelitis ad Madianitas, quæ ad alias gentes, quæ non erant de Chananæis, & ſic poterant dimittere captos in bello, ſi vellent. Et Gedeon feciſſet hoc duobus regibus Madian, ſi non occidiſſent fratres eius: ſed quia illos occiderunt, noluit eis gratiam facere. *Dixitq; Iether primogenito ſuo: ſurge, & interfice illos.* Quia iam non erant iſti viri in bello, nolebat eos per ſe occidere, ſed voluit per miniſtrum: iuſſit autem filio ſuo primogenito hoc facere, quia volebat ei auferre timorem regum gentilium, cum ipſe duos manu ſua occideret: ſic enim Ioſue præcepit Iſraelitis, quod ponerent pedes ſuos ſuper colla quinque regum, quos comprehendit in ſpelunca vrbis Maceda, Ioſue 10. cap. *Qui non eduxit gladium.* Id eſt, quamquam iuberet pater, non eduxit gladium ad occidendum illos, non ex contemptu præcepti paterni, ſed ex timore, & ſequitur. *Timebat enim, quia puer adhuc erat.* Vidit enim Iether iſtos reges in habitu honorabili, & reuerendos viros, timuitque moueri contra eos, & potiſſima cauſa erat, quia erat puer, & in pueris non eſt animoſitas, qua confortantur ad aggrediendum magna: repugnat enim eis propter defectum ætatis habere fortes motus iræ.

Dixeruntq; Zebee, & Salmana. Tu ſurge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmana, & tulit ornamẽta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari ſolent. Dixeruntq; omnes viri Iſrael ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus. Dixitq; ad eos: Vnam petitionem poſtulo à vobis. date mihi inaures ex præda veſtra. Inaures enim aureas Iſmahelitæ habere conſueuerant. Qui reſponderunt: Libentiſſime dabimus. Expandentesq; ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: & fuit pondus poſtulatarum inaurium, mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum.

C *Sibylla Delphica clamauit.*

Dixeruntque Zebee, & Salmana. Nolebant manu pueri trucidari.

Quare reges Madian optarunt manu Gedeonis occidi.

Qvæstio XVII.

Qværetvr, quare optauerunt manu Gedeonis occidi. Reſpondendum, quod propter duo, primum erat propter honorem: occidi enim à puero, & à fœmina quaſi par eſt: fœmina quidem vir occaſio natus eſt, puer autem vir imperfectus, & fœmina non peruenit ad viri perfectionem repugnante nutura: puer autem eandem non attingit obſtante ætatẽ. Sed nihil differt an impediente natura, vel ætate aliquis vir non ſit, ſicut nihil differt an aliquis ſecundum ætatem iuuenis ſit, vel ſecundum paſſionem iuuenilis, vt ait Ariſtot. 1. Ethicor. ſed à fœmina verecundum erat, quod aliquis occideretur, ita ergo à puero erat magnum dedecus occidi, potiſſime ipſis regibus. Sic patet de Abimelech filio Gedeonis: nam cum quædam mulier deſuper turrim fragmentum molæ iniecciſſet capiti eius, atque moriturus eſſet, ne diceretur, quod fuerat occiſus à fœmina, dixit armigero ſuo, quod eum occideret, vt ſequenti capitulo. Secundum fuit propter dolorem, quia ſi puer occiſurus eſſet illos, oporteret, quod ſæpe percuteret eos, quia paucas vires habebat, & paterentur nimis in hoc: ideo vt leuiori cruciatu vitam finirent, voluerunt occidi à viro, qui poſſet eos vnico ictu occidere, & hoc videtur colligi ex litera, cum dicitur ex verbis Zebee, & Salmana: ſurge tu, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur eſt tibi hominis, & condeſcendit eorum precibus Gedeon. *Dixerunt Zebee, & Salmana: ſurge tu, & irrue in nos.* Scilicet videntes, quod puer timeret percutere eos, & ex hoc ſi cogeretur agere trepide, & multo eos labore, & diuturno afficeret dolore, orauerunt, quod irrueret in eos Gedeon. *Quia iuxta ætatem, & robur eſt hominis.* Id eſt, puer non audet, nec poteſt, quia paucarum virium eſt: tu habes robur magnum ſecundum ætatem tuam: tu ergo nos interfice. *Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmana.* Non eſt ſenſus quod Gedeon, & primogenitus ſuus ſoli eſſent: ita quod oporteret Gedeonem, vel filium ſuum occidere iſtos reges, quoniam alij aſſiſtebant eis: tamen ad honorandum illos reges, & forte precibus ipſorum Gedeon per ſeipſum voluit occidere illos, quia puer non occidit: nam idem fere honor erat, quod ipſe, vel primogenitus ſuus hoc facerent. *Et tulit ornamenta.* Hic ponitur ſextum huius capituli, ſcilicet, prædæ diuiſio, ſcilicet, quid de præda acceperit Gedeon, & quid alij Iſraelitæ. *Et tulit ornamenta, & bullas, quibus colla regalium camelorum decorari ſolent.* Scilicet, occiſis, & fugatis hoſtibus accepit Gedeon prædam, & inter alia, quæ erant in præda accepit ornamenta camelorum regalium: nam in terra illa ſunt multi cameli, vt patet ſupra ſexto, & ſicut onera apparamentorum regalium, apud nos ſuper mulas, & mulos ferri conſueuerant: ita & apud eos ferebantur in camelis. Etiam reges equitabant in camelis: nam conſuetudo virorum terræ illius eſt equitare in camelis, ſicut nos ſuper equos: ſic patet de Amalechitis, qui etiam venerunt in hoc exercitu, vt patet præcedenti capitulo, & ſupra ſexto, & tamen ipſi equitabant in camelis, vt patet primo Regum trigeſimo, cum dicitur, quod pueri Amalechitarum quadringenti aſcenſis camelis fugerunt, & ita nunc reges, & alij viri nobiles Madian equitabant ſuper camelos, & illi erant ornati valde ornamentis aureis, vel argenteis: ob hoc ſpecialiter nominantur hic iſta ornamenta camelorum, quia erant valde magni precij. Et vocantur bullæ quædam laminæ pendentes de collis camelorum, quæ concuſſæ ſonitum reddunt: & ſic nunc gerulæ ferre ſolent: & ab hoc ſigilla plumbea rotunda pendentia de reſcriptis vocantur bullæ, licet aliqui nimis imperiti ipſas literas, vel reſcripta bullas vocent. *Dixeruntque omnes viri Iſrael ad Gedeonem.* Poſtquam reuerſi ſunt de bello. *Dominare tu noſtri, & filius tuus, & filius filij tui.* Id eſt, dominare tu nobis, & omnes poſteri tui, quia per filium, & nepotem intelliguntur omnes poſteri. *Quia liberaſti nos de manu Madian.* Scilicet, propter hoc bonum quod nobis egiſti, volumus tibi gratias referre faciendo, quod ſis dominus noſter.

Quare dicebant nunc Iſraelitæ Gedeoni: dominare tu nobis, cum iam dominaretur eis.

Qvæstio XVIII.

Qværetvr, quare dicebant nunc Iſraelitæ Gedeoni, dominare tu nobis, quia iam dominabatur, cum eſſet princeps totius populi: & quomodo ipſe reſpondit, quod non dominaretur, cum ipſe ſuſceperit, quod eſſet iudex,

& ſpe-

D

E

F

Nouaria conditur.

Præda diuiſio.

Reges antiqui in camelis equitabãt.

Bullæ quid.

A

& ſpecialis dominus in Iſrael: nam dicitur, quod Iſrael quieuit quadraginta annis terra ſub eo. Reſpondendum, quod Gedeon nunquam ſuſcepit, quod dominaretur Iſraelitis, & quamquam ipſi libenter obtuliſſent, noluit ſuſcipere Gedeon dicens: non dominabor in vobis, nec dominabitur filius meus. Pro quo conſiderandum, quod quamquam eſſet Gedeon iudex Iſrael nondum habebat iſta, quæ offerebant ei Iſraelitæ, quia ipſi volebant eum conſtituere regem, vel dominum, ita vt iure ſuo dominaretur Iſraelitis, & tranſmitteret ius dominandi ad poſteros, & non habebat Gedeon iſta, quæ offerebant ei Iſraelitæ, ſed erat principatus ſuus minor in duobus. Primum erat, quia non dominabatur, ſed ſolum principabatur, quia domini ſunt illi, qui agunt quidquid volunt præter id, quod contra legem, vel rationem eſt, & ad omnia tenentur ei ſubditi obedire, & ſic ſunt reges. Alij autem principes ſunt, quorum poteſtas non extenditur ad plura, quam ad ea, quæ lege ſcripta ſunt, ſicut in iudicibus locorum. Et eſt magna differentia inter iſtos, & reges, quia reges poſſunt quidquid lex non prohibet: iſti autem ſolum poſſunt quod lex iubet. Iudices autem Iſraelitarum habebant principatum ſuum directum ſuper actus bellicos, in aliis autem parum poterant, vt de poteſtate eorum declaratum eſt in prologo libri huius: ideo non dicebantur dominari, ſed principari, vel iudicare, & ob hoc cum dixerunt Iſraelitæ, dominare tu nobis, &c. ipſe dixit: non dominabor veſtri, nec dominabitur in vobis filius meus: & tamen conſenſit, quod eſſet iudex, & fuit ſemper vſq; ad mortem ſuam: ergo multum differebat eſſe iudicem Iſrael, vel dominari, vt illi volebant. Secundum erat, quia iudices Iſrael non erant per ſucceſſionem, nec habebant ius tranſmittendi ad poſteros, ſed ſumebantur per electionem, vel inſpirationem, aut præceptum Dei, vt declaratum eſt in prologo huius libri: vnde nullus iudicum fuit, qui haberet filium ſucceſſorem ſibi in iudicatoria poteſtate ſupra populum, niſi iſte Gedeon, cuius filius Abimelech per intruſionem quandam, & conſpirationem iudicauit tribus annis: nunc autem volebant Iſraelitæ, quod Gedeon, & poſteri ſui ex iure ſucceſſionis haberent principatum ſuper Iſraelitas, & eſſent veri reges, ſicut erat in aliis gentibus. Et hoc fuit, quia Iſraelitæ videntes, quod Gedeon eis benefeciſſet, voluerunt eum maiori principatu honorare: nam cum ſolum haberet principatum iudicatiuum auctoritate Dei, ipſi ſponte ſua voluerunt in eum transferre principatum dominatiuum. *Quibus ille ait.* Non recipiendo eorum oblationem. *Non dominabor ego veſtri.* Scilicet, exercendo iura domini, vel regis, ſed ſolum ero iudex, vt ſum. *Nec dominabitur in vos filius meus.* Scilicet, quod per ſucceſſionem habeat. Et dato, quod contingat eum ſuccedere mihi in iſto principatu, tamen ſaltem non dominabitur, ſed erit iudex. *Sed dominabitur Dominus.* Id eſt, ſolus Deus verus erit Dominus veſter.

Domini, qui ſint.

In quo imperabãt iudices Iſrael.

B

C

Quare Gedeon non ſuſcepit principatum quem ſibi populus offerebat.

Qvæstio XIX.

Qværetvr, quare Gedeon non ſuſcepit principatum quem populus ſibi offerebat, cum ille eſſet magnus, & ſponte offerretur. Reſpondendum, quòd iſtud fuit ex humilitate Gedeonis, quia noluit eleuari ad tam excellẽs genus principatus, ſed ſufficiebat ei eſſe miniſtrum bellorum, vel iudicem in populo. Item putauit, q̃ peccatum eſſet, quia cauſabatur in hoc quædam nouitas: nam nullus de præcedentibus in populo Iudaico habuit tale genus principatus. Quòd patet: nam Moyſes non erat dominus: ſed ſolum, vt legem ferens Iſraelitis ex parte Dei, & ipſe nihil præcipiebat Iſraelitis, quaſi ex corde ſuo, ſed quaſi à Deo: vnde non vocabatur dominus, ſed doctor Iſraelitarum. Et apparet, quod ſi fuiſſet dominus Iſraelitarum, vel quaſi rex, pertinuiſſet ad eum collatio dignitatum inſtituendo, & deſtituendo, & nullus de populo poſſet ei reſiſtere, vel accuſare eum ſuper hoc ſaltem de iure, & ſi de facto accuſaretur non tenebatur reſpondere, ſed poterat comprimere inſurgentes nihil reſpondendo: contra ipſum tamen inſurrexit Core cum ducentis quinquaginta viris. Et etiam tres principes de tribu Ruben, ſcilicet, Dathan, Abiron, & Hon, propter ſummum ſacerdotium: dicentes, quod dediſſet illud iniuſte Aaron, ſcilicet, volens omnia tradere cognatis ſuis, & ipſe ſe purgauit dicens: in hoc ſcietis, quoniam dominus miſit me, vt facerem vniuerſa, quæ cernitis, & non ex proprio ea cord protulerim, ſi conſueta hominum morte perierint, non miſit me Dominus, vt patet Numer. 16. cap. Item ibi dixit Core ad Moyſen & Aaron: ſufficiat vobis, quod omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt dominus: cur eleuamini ſuper populum domini? eo capitulo. Si autem fuiſſet Moyſes dominus, vel rex, non potuiſſet ei quiſquam hoc dicere, quia eleuare ſe poterat ille, qui dominus erat: imo non eſt maior eleuatio, quam eſſe dominum. Item Ioſue non fuit dominus, nec rex ſuper populum, ſed dux ſolum, quia dirigebat Iſraelitas ad bellum: non tamen habebat ipſe auctoritatem iudicandi, ſed iudices alias conſtituti erant. Nec obſtat, quia Numer. 27. Deus iuſſit, quod ad mandatum Ioſue tam Eleazar, quam totus Iſrael moueretur, quia iſtud intelligitur de his, quæ pertinebant ad bellum, & quia totum tempus Ioſue, vel præcipuum fuit in bellis domando Chananæos, fuit poteſtas magna Ioſue: nunquam tamen dominus, nec rex vocatus eſt. Alij quoque iudices non erant domini, ſed poteſtas eorum eſt valde minor, vt declaratum eſt ſupra in prologo: ideo non eſt auſus Gedeon primus inter Iſraelitas dominium, vel principatum regnatiuum ſibi vſurpare, quia credebat ſe peccare. Alia ratio fuit, quia Deus commiſerat Gedeoni ſolum principatum iudicis cum eum vocaſſet, vt liberatorem Iſraelitarum: & hoc non pertingebat ad principatum dominatiuum, ideo accipere quod Deus non tradiderat peccatum fore putauit. Alia cauſa fuit, quia putauit, quod forte in hoc putabat ſe præiudicare Deo tollendo dominium eius quod habebat ſpecialiter ſuper Iſraelitas, cum dixit, ſed dominabitur dominus in vobis: quaſi dicat, ſi ego dominarer non dominaretur dominus, ideo ego nolo dominari, vt Deus dominetur.

Ioſue dux populi Iſrael non dominus.

D

E

An peccaret Gedeon ſi accepiſſet dominium à populo ei tributum.

Qvæstio XX.

Qværetvr vlterius, an peccaret Gedeon ſi accepiſſet principatum regalem, vel dominatiuum, quem populus ei tribuebat. Reſpondendum, quod aliquem peccare contingit, vel quia agit contra legem ſcriptam, vel quia contra conſcientiam, quæ lex eſt, vbi lex deficit, dicente Apoſtolo, quod gentes oſtendunt opus legis deſcriptum in conſcientia ſua: ad Rom. 2. & alibi. Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: ſed non videtur Gedeonem peccaſſe aliquo iſtorum modorum: non primo, quia non erat vetitum fieri regem inter Iſraelitas, ſed potius videbatur permiſſum cum Deus dediſſet legem qualiter ſe deberent reges, qui conſtituerentur habere in Iſrael, quãdo conſtituerentur, & poſtea: ſi tamen nunquam conſtituendi forent, fruſtra fuiſſet legem poni. Item patet, quia Deus prædixerat, quod de lumbis Iacob egrederentur reges, Geneſ. 25. iſti futuri erant neceſſario in gente Iudęorum, quia alias non eſſent de lumbis Iacob: ergo licebat eis conſtituere regem. Item ipſe Iacob prænunciauerat ante mortem ſuam dicens: non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius: ſceptrum autẽ ad reges pertinet, ergo de tribu Iuda futuri erant reges: Geneſ. 49. cap. ergo non repugnabat legi, quod aliquis efficeretur rex, ſed magis conueniebat. Item non videbatur repugnare conſcientiæ, quia ſi Gedeon violenter voluiſſet dominari populo abutendo principatu conceſſo à populo, & accipiendo ſibi maiorem poteſtatem, erat peccatum, quia erat ſpecies tyrannidis: omnis autem ſpecies huius eſt peccatum, & principatus deordinatus, & corruptiſſimus, vt patet 8. Ethicor. Gedeon tamen non accipiebat inuito populo, ſed libenter offerente, ideo non præiudicabit eis. Item Gedeon merebatur principatum iſtum propter virtutes ſuas, ſed quod dignus recipiat honorem, vel dignitatem, quæ ſibi non petenti offertur licitum eſt. Item quicunque bona ſibi inquirit nulli præiudicando, non peccat, ſed Gedeon accipiendo principatum iſtum faciebat ſibi bonum ſumendo

F

Moyſes doctor Iſraelitarum.

maiorem

A *Doct resp. ad quæsitum.*

maiorem honorem, & non faciebat cum præiudicio alicuius: ergo non peccabat. Respondendum, quod Gedeon peccaret, si accepisset principatum regalem offerente populo, non facta aliqua alia inquisitione: quia licet lex concessisset, quod Israelitæ aliquando haberent reges, non tamen diffinierat tempus, in quo reges esse debebant, & quia nũc Deus regebat populum quasi immediate per se in omnibus arduis causis, denunciando quando deberent ire ad bellum, & quid agere deberent, & sic de cæteris, & quia constituere super se regem erat arduissima causa, peccaret Gedeon, si Deo incõsulto accepisset principatum regnatiuum, etiam populo libenter offerente. Item Deus instituebat principes in populo, nam ipse constituerat Moysen mittendo eum: Exod. 3. & 4. ipse etiam post eum constituit Iosue Num. 27. cap. constituit etiam post Iosue omnes iudices, vt communiter vocando eos, vel suscitãdo eos immittendo spiritum suum eis, sicut dicitur de singulis iudicibus vsq; huc, quod ergo Israelitæ vellent nunc ponere regem, erat priuare Deum possessione ponendi rectores, & principes in populo, sed etiam secundum iura humana hoc esset iniustum fieri contra hominem aliquem, quanto magis fieri contra Deum? Quod ergo Gedeon susciperet principatum regalem, vel dominatiuum ab Israelitis Deo inconsulto, erat recipere principatum ab eo, qui non potest dare in præiudicatione eius, ad quem de iure collatio spectabat, ideo præiudicabat ei, & peccabat mortaliter. Item non accepit Gedeon propter conscientiam, quia Israelitæ dabant istum principatum Gedeoni, quia liberauerat eos de manu Madian, vt patet in litera: si autem Gedeon suscepisset hoc modo, videretur sibi ascribere victoriam cõtra Madianitas, & tamen Deus illam totaliter exercuerat, ideo ex hac causa Deo attribuendus erat principatus, & non ipsi: vnde ipse conuenienter respondit: non dominabor ego in vobis, nec dominabitur filius meus, sed dominabitur Dominus Deus, scilicet, quia ego nõ liberaui vos de manu Madian, nec filius meus, sed Deus liberauit, ideo ipse dominetur. Vt ergo non superbiret, non accepit principatum: nunquam enim ausus est Gedeon sibi quicquã ascribere de hac victoria. Vnde plus ascripsit filiis Ephraim, quam sibi, dicens: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? & tamen tam id quod ipse fecit, quam quod fecerunt Ephraitæ Gedeon ascripsit Deo, dicens: in manus vestras tradidit Dominus principes Madian, Zeb, & Oreb supra in litera. Item fuit visum quasi iniustum Gedeoni, quod acciperet principatum, in quo succedere deberet ei filius suus, quia forte, si ipse dignus foret, filius suus, & posteri essent indigni, & turbarent populum: & istud eueniret occasione eius, qui talem principatum assumpserat, ideo visum est, quod erat peccatum: si ergo egisset contra hanc conscientiam recte formatam peccasset. Cum autem obiicitur, quod non erat contra legem. Dicendum, quod non erat contra ipsam legem datam: erat tamen contra modum dispensationis illius, scilicet, quia sumendo non debebant constitui reges, licet ipse dederit potestatem ad constituendum eos: ideo ipse conqueritur de quibusdam regibus, quod constituti fuerint sine Dei mandato, scilicet, ipsi regnauerunt, & non per me: principes extiterunt, & non cognoui: Oseæ 8. Cum autem dicitur, quod non videbatur esse contra conscientiam, declaratum est, quod erant, & causæ positæ sunt ad hoc.

B

C *Resp. ad rationes in contrariũ.*

Rationes in diuersum.

An populus peccaret tribuendo Gedeoni principatum regnatiuum.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, an populus peccaret tribuendo Gedeoni principatum regnatiuum, & offerendo. Aliquis dicet, quod non, quia quod ego me subiiciam alicui, nulli iniuriam ago, licet agerem, si me præferrem ei: sed offerendo principatum regnatiuum Gedeoni subiiciebant se ei Israelitæ plusquam subiecti erant: ergo non peccabant. Item cum subiicere se alicui sit actus humiliatis, quantumcunque nos subiiciamus non peccabimus, quia Beatus Petrus dixit: subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præexcellenti, &cæt. 1. Petri cap. 2. ergo nunc cum subiicerent se Israelitę Gedeoni ad principatum regnatiuum, magis mererentur. Respondendum, quod Israelitæ volendo constituere Gedeonem regem super se, & denunciando ei, quod vellent hoc facere, non peccabant, cum tamen haberent intentionem consulendi Dominum super hoc, & quod alias non facerent. Alioquin volendo ad omnem casum Deo inconsulto tribuere regnum ei, peccatum erat. Quod patet, quia Deus erat rector huius populi, & in omnibus negociis arduis ipse definiebat quid agendum foret, imo etiam interdum in minimis: sed constituere regem erat arduum negocium valde, tum quia erat maximus principatus, tum quia inusitatus erat in populo Israel, quod ergo ipsi inconsulto Deo agere vellent constituendo regem graue peccatum erat. Item Deus ab antiquo semper fuerat in possessione, & iure instituendi principes in populo Israel, sicut declaratum est præcedenti quæstione, quod ergo nunc Israelitæ in consulto illo constituerent principem, erat eum priuare iure suo, ergò erat iniustum. Item constituto principato regali derogabatur aliqualiter iuri Dei, & præeminentię super populum Israel, ideo non debebat fieri eo non consentiente, quia quod aliquem tangit, ab illo debet approbari. Patet hoc, quia si aliquis rex, vel dominus haberet magnum principatum in populo, quanto maior iste esset, tanto minor principatus Dei, & hoc sentit Gedeon, cum dixit: Non dominabor ego in vobis, nec dominabitur filius meus, sed dominabitur Dominus Deus: quasi non staret simul, quod Gedeon esset dominus Israelitarum, & etiam Deus. Item patet primo Regum octauo, quia per hoc, quod Israelitæ petiuerunt regem, dixit Deus, quod abiecerant eum, ne regnaret super eos, quasi non staret, quod vterque regnaret super Israel. Item patet, quia Israelitæ, qui tempore Samuelis petiuerunt regem, peccauerunt nimis: nam dicitur 1. Regum 6. quod cum petiuerunt regem displicuit valde sermo iste Samueli: si tamen non fuisset peccatum, non tantum displicuisset ei. Item ipsi Israelitæ dixerunt 1. Regum 12. cap. addidimus enim peccatis nostris malum, vt peteremus regem: ergo isti quoque offerentes regnum Gedeoni, vel cuiuis, Deo non consulto, peccarent grauiter: si tamen Israelitæ, nondum consulto Deo, quærerent à Gedeone, an vellet effici dominus, vel rex, vt si ipse consentiret, postea consulerent dominum non erat peccatum. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quod antecedens est falsum, quia interdum, quod quis se subiiciat alicui est facere iniuriam alteri, quia sicut cum quis transfert rem alterius ad se præiudicat illi, ita cum quis subiectus alicui subiicit se, alteri, præiudicat. Primo cum iurisdictiones sint aliquo modo differentes, quia tunc prior iudex, vel dominus, minus iurisdictionis, vel nihil haberet transeunte subdito ad alium. Ita etiam, qui seruus vnius est, si se vellet facere seruum alterius, valde præiudicaret domino: quia ergo, si Israelitę fecissent Gedeonem regem, vel dominum, detraxissent aliquid de dominio Dei super se, vt declaratum est, præiudicabant alicui subiiciendo se Gedeoni, & consequenter non poterant. Ad secundam rationem, cum dicitur, quod subiicere se alicui est actus humilitatis. Respondendum, quod non est vniuersaliter verum, quia istud tenet quando quis se subiicit alteri secundum regulam rationis, alioquin subiectio est vitium, sicut si quis se subiiciat passionibus, & affectibus ad seruiendum eis, sicut Apostolus admonet: ad Rom. 6. quod non seruiamus iam peccatis, sicut aliquando seruieramus. Etiam seruire, vel subiici cuicunque homini non est secundum rationem: nam quod Christianus subiiciat se infideli, vel clericus se subiiciat se iudici seculari, peccatum est, quia istud est contra rationem, & contra iura, ita etiam quod quis vellet se subiicere alicui non prælato, vel iudici suo in præiudicium iudicis sui, vel prælati peccatum est. Cum autem confirmatur auctoritate Beati Petri, scilicet, subditi estote omni humanæ creaturæ, &c. dicendum quod non intelligitur, nisi de constitutis in prælatione, vel potestate iudicandi. Quod patet, quia cum posuisset exemplum, solum dixit de potestatibus, scilicet, siue regi tanquam præexcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis: de priuatis personis nullum exemplum posuit. Et his vniuersaliter etiam non est obediendum, scilicet, quia ego non teneor obedire cuilibet regi, nec quibuslibet ducibus, sed soli regi in cuius regno maneo, & sic de ducibus. Et hoc patet, quia potestati obediendum est in quantum est ordi-

D *Resp. ad quæsitum.*

E

Ad rationem 1. in diuersum.

F *Ad 2. ration. Non tenetur homo cuilibet principi se subijci*

nata,

A nata, quia iſtud eſt fundamentum Apoſtoli: ad Rom. 13. Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quę autē à Deo ſunt, ordinata ſunt: ſed non eſt ordinatum à Deo, quod poteſtatibus extra territoria ſua pareatur, quia iſtud eſſe deſtruere omnem ordinem humanæ politiæ, & inducere inextricabilia bella: ideo nō eſt virtutis opus vniuerſaliter ſubiicere ſe cuique, ſed ſecūdum regulas rationis, ſed quod Iſraelitæ ſubiicerent ſe Gedeoni erat contra regulam rationis, cū præiudicarent Deo in hoc: peccabant ergo, ſi facerent eum regem.

Quomodo Iſraelitis Deus dominabatur, & an tolleretur Dei dominium per illud Gedeonis.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dominabatur Deus Iſraelitis, & an per dominiū Gedeonis tolleretur dominium Dei, & quomodo. Reſpondendum, quod dominium Gedeonis, principatus regnatiuus, ſi fuiſſet ſuper Iſraelitas, valde præiudicaſſet principatui Dei, & hoc intellexit Gedeon cum dixit: non dominabor ego, nec filius meus, ſed dominabitur in vos dominus Deus: ſi tamen non præiudicaſſet vnus principatus alteri, non dixiſſet, ſed, quæ eſt coniunctio aduerſatiua. Item, quia cum Iſraelitæ elegerunt accipere regem, & petiuerunt, dixit Deus Samueli: Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos 1. Reg. 8. ſi tamen iſti
B duo principatus omnino ſe compaterentur, non abieciſſent Iſraelitæ Deum, quamquam elegiſſent Saulem in regem, & etiam nunc eligendo Gedeonem. Modus autem incomprehenſibilitatis eſt, quia impoſſibile eſt aliqua duo eſſe ſumma in eadem qualitate, ſed eſſe dominum, vel regem dicit maximum principatum, ergo reſpectu alicuius non poſſunt duo habere iſtum principatum: ſic, ſi homo accepiſſet ſuper Iſraelitas principatum regnatiuum, cum iſte eſſet maximus, non poſſet Deus tenere hunc principatum, vel ſi vellet Deus tenere principatuum iſtum, non maneret penes illum, qui efficeretur rex, & ſic proprie non eſſet rex. Pro quo ſciendū, quod rex, vel dominus abſolute importat magnam poteſtatem, quam habens poteſt exercere ſuper ſubditos quidquid voluerit, dum tamen non ſit contra legem, & voluntati ſuæ tenentur omnes parere, & ob hoc eſt nomen magni honoris, quia propter iſtam præexcellentiam tenentur homines valde ſubiici illi, parere, & humiliari: hoc tetigit Beatus Petrus, dicens prima Pe. cap. 2. Siue regi tanquam præexcellenti: & ſic conditio regis eſt eſſe excellentem: valde: de ducibus autem non dixit ſic, ſed ſolum, quod erant à Deo miſſi.

Principatus Dei ſuper Iſraelitas.

Rurſus autem conſiderandus eſt modus principatus Dei,
C quem habebat antequam inſtituerentur reges in Iſrael: nam ipſe erat tanquam dominus, & caput ſpecialiter politiæ Iudaicæ, & eum vocabant ſolum dominum, & ad eum recurrebant in omnibus neceſſariis, & ipſe dicebat quid agendum foret, & ponebat rectores, quos volebat, & illi non vocabantur domini, nec habebantur vt domini, ſed vt miniſtri Dei, & totus principatus attribuebatur Deo. Si autem inſtitueretur aliquis in regem ſuper Iſraelitas, cum iſte haberet valde magnum principatū ſuper eos, iure ſuo ageret quidquid vellet, dum non eſſet contra legem, nec debebat expectare præceptum Dei ad ſingula, filij quoque eius iure ſuo ſuccederent in regno, & non peteretur conſenſus Dei in hoc, & ipſe quoque rex vocaretur dominus, & honoraretur nimis à populo: ſed iſta ſolebant prius ſoli Deo dari: ergo multa detraherentur de illis, quę ſpecialiter pertinebant ad honorem Dei, quia hoc modo nō maneret iam Deus, vt princeps ſpecialis, ſed vt dominus generalis, quia quātum ad dominium nihil magis haberet ſuper Iſraelitas, quam ſuper alias gentes, cum ita haberent Iſraelitæ regem, ſicut cęteræ gentes: nunc autem non conſtituto rege, erat Deus dominus generalis Hebræorum, ſicut aliarum gentium, & inſuper erat ſpecialis inquantum nullum alium rectorem habebāt, niſi ipſum, & quos ipſe ponebat, & ſic erat principatus ille Monarchicus quodam modo, cuius Deus erat Monarcha, & habebat ſibi paruos iudices, & principes ſubordinatos: cum autem electus eſt rex, ablatus eſt principatus ſpecialis, ideo ipſe dixit, quod abiecerunt eum, ne regnaret ſuper Iſrael, id eſt ne

Deus erat Monarcha in populo Iſrael.

eſſet ſpecialiter rex 1. Reg. 8. Gedeon ergo noluit regnum, nec principatum dominatiuum, ne ſubtraheretur Deo iſte honor debitus. *Dixitq; ad eos.* Scilicet non conſentiendo petitioni, & obligationi gratuitæ illorum. *Vnam petitionem poſtulo à vobis.* Id eſt nolo ſuſcipere hoc magnum beneficium, quod vos mihi impendere vultis: ſed ſolum peto aliquid paruum, ſcilicet de inauribus. *Date mihi inaures ex præda veſtra.* Iſtæ inaures erant aureæ, & erant multæ. Petiuit autem eas Gedeō, vt inde faceret Ephod, vt patet infra. Iſtud vocabulum quod hic ponitur in Hebræo pro inauribus ſignificat interdum aliquid, quod eſt in naribus, & interdum aliquid, quod eſt ſuper aures: ſed ſecundum veritatem ſignificat ſolas inaures: abuſio tamen idiomatis hoc facit. Sic patet Gen. 35. vbi dicit litera noſtra: dederunt illi Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum. In Hebræo habetur, & olfatoriola, ſiue ornamenta narium, quæ erant in auribus eorum: & ſic poſuit ornamenta narium eſſe in auribus per magnam Barbariem locutionis. Sic etiam Gene. 24. dicit litera noſtra: ſuſpendi itaque inaures ad ornandum faciem eius: & in Hebræo dicitur: appendi ornamenta narium ſuper nares ſuas: ſed manifeſtum eſt, quod non ponuntur ornamenta aliqua in naribus, ſic dictio hic poſita ſignificat ornamenta narium, ſed debet intelligi de inauribus, ſicut poſuit litera noſtra: petiuit enim Gedeon inaures de præda, quia diuiſa præda prouenicbat ei portio principis, quæ erat magna: & ſic ſuſcepit partem inaurium: ipſe tamen voluit habere omnes inaures ad fabricandum Ephod, de quo infra dicitur. *Inaures enim aureas Iſmahelitæ habere conſueuerant.* Hic ponitur veriſimilitudo præcedētis dicit: quia dubitaretur quomodo in præda captæ fuiſſet inaures, quia ſoli viri erant in præda, & non iuerunt Iſraelitæ in terram Madian, vel in aliā terram hoſtilem nunc, vt inde acciperent prædam, quia per ſolam terram ſuam perſecuti ſunt hoſtes fugientes. Quod patet, quia apud vrbem Nobe vltimo irruerunt in eos ſupra in litera: & tamen iſta ciuitas erat in terra Iſrael, vt patet Numer. 32. cap. & fuit in ſorte Manaſſe. Dicitur ergo, quod potuerunt habere iſtas inaures, quia Iſmahelitæ conſueuerunt portare inaures in auribus, ſicut fœminæ, & inde cum multi Iſmahelitæ eſſent hic cum Madianitis, & Amalecitis, cæteriſque orientalibus populis, acceperunt inaures de Iſmahelitis mortuis. *Qui dixerunt: libentiſſime dabimus.* Nihil enim erat quod Gedeon petiuiſſet ab Iſraelitis, quod tunc non cōceſſiſſent etiam ſi totam prędam poſtulaſſet, cum liberaſſet eos: nam cum ſe ei, vt domino ſubiicere voluiſſent, facilius conceſſiſſent quodcunque aliud. *Expandenteſque ſuper terram pallium proiecerunt in eo inaures de præda.* Intelligendum eſt, quod hoc fuit ante diuiſam prædam: nam licet ipſe habiturus eſſet magnam partem, tamen non omnes inaures, ideo petiit ab omnibus in communi, vt donarent ei partes ſuas: ſi autem fuiſſet poſt diuiſam prædam, quia inaures perueniſſent ad quoſdam, & non ad alios grauarentur quidam, & fuiſſet difficile, quod concederentur: nunc autem non facta diuiſione non magis lædebatur vnus, quam alius, ideo gratis conceſſerunt, & proiecerunt ſuper pallium, vt ibi videretur numerus earum. *Et fuit pondus poſtulatarum inaurium.* Non ſolum intelligitur de pondere inaurium, quas alij donabāt ei, ſed etiam de inauribus, quas ipſe habiturus erat, ſed adhuc non erant diuiſæ. *Mille ſeptingenti auri ſicli.* Siclus nomen eſt monetæ, & ponderis: nam cum eſſet moneta argentea, erat conſtituta in certo pondere: nam viginti obolos continet, vt patet Leuit. 27. & Num. 3. & 18. & erant duo ſicli valor vnius arietis, vt patet Leuit. 5. quod dari debebat in redemptione delicti aries, qui valeret duos ſiclos. In Hebræo non habentur ſicli, ſed dicitur, quod fuit pondus mille ſeptingenti de auro, & non nominatur nomen ponderis, vel numeri: poſuit autem Ieronymus ſiclos, quia apud Hebræos in ponderibus, vel computabatur per ſtateres, quæ ſunt pars quædam ſicli, de quo 1. Reg. 9. ſcilicet: Ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti: vel ponderabatur per ſiclos, ſicut fit computatio Gene. 24. & in aliis locis, vel per talenta, vt in fabricatione templi, & tabernaculi. De hoc Exod. 25. & 3. Reg. 6. & 7. Sed non erat veriſimile, quod intelligeretur hic de talentis, quia iſtud erat valde magnum pondus, nec erat veriſimile etiam ſi omnes inaures omnium gentium cōgregarentur, quod tot talenta auri contineret, quia talentum,

D

Inaures quid ſint.

E

Iſmahelitæ inaures vti fœminæ portantes.

F

Siclus quid ſit

Talēti pondus centū libræ.

vt qui-

A

vt quidam volunt continebat centum libras, ideo posuit Ieronymus de pondere siclorum, de quo verisimile est, quod fuerint inaures. *Absque ornamentis, & monilibus.* Ornamentum generale nomen est cuiusque apparatus corporis: monilibus autem pectus, vel faciem exornant. *Et veste purpurea.* Istæ sunt vestes preciosæ de coloribus purpureis, de quibus dictum est Exod. 25. *Quibus reges Madian soliti erant.* Id est reges Madian vtebantur ornamentis, & monilibus, & vestibus purpureis. Non est intelligendum, quod omnia ista Israelitæ dederunt Gedeoni, quia tunc relictũ nihil esset de præda illis. Etiam, quia Gedeon solum petiuit inaures: sed ponuntur ista ad significandum, quod non solum fuerunt inaures in prẹda, sed etiam monilia, & vestes purpureæ, & alia multa, & cum dicitur absque ornamentis: non refertur hoc ad participium postulatarum, id est quod etiam omnia ista fuerunt postulata præter inaures aureas, nec etiam ad illud scilicet proiecerunt in eo inaures aureas, quia tũc esset sensus, quod præter inaures aureas etiam proiecerunt monilia, & omnia hæc. Sed debet referri ad illud pondus scilicet quod mille, & septingenti sicli non fuerunt pondus totius prædæ, sed solarum inaurium præter monilia, & omnia alia. Dicitur de regibus Madian ꝙ tenebantur istis, quia ipsi in quibusdam ornabant se sicut fœminę: nam monilia ornamenta fœminarũ sunt. Sic etiã Ismahelitæ vtebantur ornamentis fẹminarũ habẽtes inaures in auribus, vt patet sup. in litera. *Et præter torques aureas camelorum.* Id est etiam sine omnibus istis erant supra dicta de præda scilicet non fuerunt positæ sub pondere torques aureæ, sicut inaures virorum, quia forte erãt de puro auro tam ornamenta virorum, quam camelorum. Isti cameli torqueũ aurearum erant cameli regum, scilicet quibus reges istarum gentium insidebant.

B

Fecitq́ ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam. Humiliatus est autem Madian coram filijs Israel, nec potuerunt vltra ceruices eleuare sed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. Abijt itaq́ Ierobaal filius Ioas, & habitauit in domo sua: habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore eius: eo quod plures haberet vxores. Cõcubina autem illius, quã habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. Mortuusq́ est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui in Ephra de familia Ezri. Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel, & fornicati sunt in Baalim. Percusseruntq́ cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum: nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon iuxta omnia bona, quæ fecerat Israeli.

Orpheus Theologus, & Poeta claret.

C

Fecitq́ ex eo. Hic ponitur quædam post bellum orta transgressio, scilicet ex Ephod, quod fecit Gedeon de auro inaurium: & dicitur. *Fecitq́ ex eo.* Id est ex auro postulatarum inaurium. *Ephod.* Nomen est ornamenti Pontificis. *Et posuit illud in vrbe sua Ephra.* Scilicet de vrbe, de qua erat oriundus, & in qua morabatur, vt ibi maneret. Est autẽ Ephod nomen preciosæ vestis Pontificis. Et proprie accipiendo Ephod dicitur esse dimidia vestis, scilicet, quæ habet in medio foramen per quod caput poni potest, & pendet ex parte anteriori, & posteriori solum vsque ad Zonam, & in loco pectoris sacerdotis erat quoddam foramen, vel vacuitas ad magnitudinem palmi, in quo poni debebat rationale, & erat istud Ephod sub brachiis quibusdam condilis complosum, vt cohæreret sacerdoti: habebatque duos onychinos super duos humeros sacerdotis, & istud ornamentum erat de auro, & purpura, & hyacintho coccoque bis tincto, & byssо retorta, de cuius fabricatione patet Exod. 28. cap.

Quadã post bellum ex orta transgressio. Ephod quid sit

Quid fuerit istud Ephod à Gedeone factum.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR, quid fuerit istud Ephod quod fecit Gedeon. Aliqui volunt, quod fuit idolum quoddam pulchrum nimis, & illud fecit posuitque in vrbe Ephra, & sic est quędam parua glossa in historia scholastica, quod fuerit idoli genus. Et apparet hoc, quia dicitur, quod fornicatus est Israel in eo: fornicatio autem importat idololatriã, vt patet ex modo loquendi scripturæ. Sed Ephod non pertinet ad fornicationem, siue idololatriã, sed idolum; ideo videtur, quod fuit idolum. Item dicitur, quod Gedeon petiuit inaures aureas, & ex hoc auro fecit Ephod, sed Ephod cum sit vestis, nõ fit ex auro, sed magis ex filis; idolum autem quod statua est, põt fieri ex auro puro, ideo videtur, quod fuit idolũ. In contrarium videtur, quod non fuerit idolum. Primo, quia dicitur hic, quod fuit istud Ephod in ruinam: est ruina occasio peccandi, & est quando aliquid non fit directe ad malum, tamen sequitur malum ex re: sic dicitur supr. 2. quod dij gentilium erant Iudæis in ruinam, scilicet non quod ipsi fecissent sibi illos ad colendum sed quia cum viderent eos inter se interdum inclinabantur ad eos colendos, & visio erat occasio huius mali. Si ergo Gedeon fecisset idolum ex auro, cum idolum directe non sit nisi ad colendum, non esset illud in ruinã, sed directe esset malum: vocatur tamen ruina id est occasio mali, ideo apparet, quod nõ erat aliquid quod fuerit factum ad malũ, per accidens tamen prẹstabat causam mali. Item istud nomen Ephod significat vestem sacerdotalem: Exod. 28. & nullo modo æquiuocatur ad significandum idolum: si ergo intẽdisset scriptura, quod istud erat idolum, nominasset illud, & non nominasset Ephod, quod est valde distans. Item Gedeon tenuit istud Ephod semper in ciuitate sua quandiu vixit, & tamẽ dicitur, quod mortuus est in senectute bona, quod est quædã magna laus, quæ pertinet solum ad viros sanctos: & si fecisset idolũ esset pessimus, & vocaretur inueteratus dierum malorum: ergo non fecit idolũ. Item dicitur infra, quod post mortẽ Gedeonis auersi sunt Israelitæ, & fornicati sunt cum Baalim, percusseruntque cum Baal fẹdus, vt esset Deus eorũ: & sic patet, quod ante hoc colebant Deũ, vel saltẽ non colebant idola, quia alioquin non diceretur, quod auersi sunt post mortem Gedeonis, sed ante mortẽ eius essent auersi. Etiam si ipsi constituissent idolũ, & adoratum fuisset eo viuente, non esset aliqua innouatio post mortem suam, quod Israelitę colerent Baalim, & facerent cũ eo fœdus, & tamen ponitur tanquam aliqua magna innouatio, & mutatio à statu priori, ergo non fuerat idolum tẽpore Gedeonis. Item quomodo erat verisimile, quod Gedeõ, qui fuerat maximus persecutor idololatriæ suffodiens aã Baal, & destruens nemus eius, & tauros, qui erant consecrati ei, & statuerat altare iussu domini supra 6. nunc tantum declinaret, quod faceret idolum? Item dato, quod Gedeon aliquando esset immemor diuini beneficij scilicet post magnum tẽpus à præstito beneficio, & tunc declinaret, non erat valde admirandum, quia ista multorum qualitas, & iniquitas est: quod tamẽ illico, vt beneficium perstitum fuerat sibi à Deo, faceret idolum, non est verisimile: Gedeon tamen cum veniret de bello petiuit inaures aureas ad fabricãdum Ephod, vt hic dicitur: ergo non erat istud Ephod idolum. Dicendũ igitur, quod Ephod non fuit idolũ, sed vestis sacerdotis magni, quæ pariter secum habebat rationale, & erat vestis nobilissima, vt patet Exod. 28. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quod illa glossa parua historiæ scholasticæ, non est magnæ auctoritatis, præsertim cũ ipsa historia scholastica teneat contrarium, vt sequẽti quæstione dicetur. Ad secundam rationem dicendum, quod aurum petiuit Gedeõ pro Ephod, & non pro idolo, quia voluit facere Ephod, & rationale, in quibus multum de auro est: potissime in rationali ad inclusiones duodecim gemmarum, quæ omnes auro includuntur: Exod. 28. c. & de laminis auri fit extenuatio in fila, & illa cõtexuntur filis sericeis, purpureis, coccineis, hyacinthinis, atq; byssinis, vt patet præallegato capitulo. Et maxime, quod forte voluit Gedeon facere istud Ephod preciosissimum, & ob hoc posuit multum de auro, vt totum aureum videretur.

Nõnullorũ rationes in diuersum quod Ephod foret idolum

Quod Ephod idolum nõ esset

Dõst. reſpon. ad quæſitum. Ad primam rationẽ in diuersum Ad secũdam rationẽ

A

Ad quid Gedeon istud Ephod fabricauit.

QVÆSTIO. XXIV.

QVÆRETVR, ad quid fabricauit Gedeon istud Ephod. Respondet historia scholastica, quòd non solum fabricauit Ephod, sed etiam omnes vestes Pontificales & ipse factus sacerdos immolauit victimas indutus vestibus his, fecitque aliud tabernaculum in Ephra præter illud, quod erat in Sylo, & ob hoc Deus indignatus occidit omnes filios eius. Sed hoc non multum stat, quia tunc peccauisset grauissime Gedeon vsurpando sibi officium sacerdotis, Deo non iubente, & non euaderet impunitus. Nam nemo legitur hoc egisse, quin grauiter punitus fuerit: sic patet de ducentis quinquaginta viris sociis Core, qui voluerunt vsurpare officium Aaron, & omnes combusti sunt coram altari: Numer. 16. sic etiam fuit de rege Ozia, qui conatus offerre incensum, sicut sacerdos percussus est lepra in fronte, & mansit leprosus vsque ad mortem 4. Reg. 15. cap. sed Gedeon vixit semper prospere, ideo non est aliquid tale præsumẽdum de Gedeone, potissime cum scriptura laudet eũ dicens, quod mortuus est in senectute bona. Item si Gedeon hoc egisset, peccatum esset Gedeonis solius, & non Israelitarum, vel esset principaliter ipsius, & tamen Israelitæ referuntur peccasse in hoc Ephod, & non Gedeon, cum dicitur, quod omnis Israel fornicatus est in eo, & factum est domui Gedeonis in ruinam: ergo non offerebat Gedeon sacrificia indutus Pontificalibus vestibus. Aliter potest dici, quod istud Ephod fuit fabricatum à Gedeone in memoriam victoriæ, & in laudem Dei, & ob hoc fuit factum de auro prædæ, & istud tenet Rabbi Dauid Kimhi, & Rabbi Salomon, & tunc stat conuenienter, scilicet, quod non peccaret Gedeon fabricando illud, quia ad bonum finem fabricauerat, sed peccauit Israel, & domus Gedeonis, quia (vt isti volunt) postea Israelitæ videntes pulchritudinem eius, inclinati sunt ad colendum illud. Sed adhuc ista positio, licet sit aliqualiter conueniens, non stat totaliter, quia si ad memoriam belli feciisset, magis debuisset facere aliquod insignium belli, vt scutum, vel gladium, vel vexillum, aut alia insignia: Ephod autem nihil pertinebat ad repræsentandum victoriam, cum esset ornamentum sacerdotale. Item si fuisset ad memoriã victoriæ, & laudem Dei, positum fuisset in loco sancto, scilicet in sanctuario: sic enim fecit Dauid occiso Philisthæo: nam posuit gladium illius in sanctuario domini, & seruabatur apud Ephod, vt patet 1. Reg. 21. cap. posuit tamen istud Ephod Gedeon in Ephra, vbi non erat locus sanctuarij: ergo non posuit ad memoriam victoriæ. Aliter dici posset, quod fecit Gedeon Ephod, & alia ornamenta Pontificis ad offerendum sacrificiũ domino in Ephra semper, non quod ipse offerret, sed quod esset ibi aliquis sacerdos, qui indueretur vestibus, & offerret. Et motiuum huius esse potuit, quia Deus iusserat Gedeoni in Ephra fabricare altare, & immolare ibi domino, ideo putaret forte, quod semper licitum esset, sicut quando iussum est supra 6. & ob hoc voluit habere ibi ornamenta sacerdotum, & sacerdotes ad semper ministrandum. Sed hoc etiam non videtur penitus stare: primo, quia tunc non solum fieret mentio de Ephod, sed etiam de aliis vestibus, vel saltem diceretur in generali, quod facit ornamenta sacerdotalia, vel pontificalia, & non dicitur. Secundò, quia hoc dato, non videtur quomodo Israelitæ fornicarentur cum Ephod, scilicet idololatrando, quia cum solum esset, vt vestis, nõ videbantur habere causam motiuam ad colendum illud. Etiam Gedeon peccasset in hoc grauiter, & tamen non videtur ei ascribi hic aliqua culpa. Aliter ergo dicendum videtur, & melius, scilicet, quod Gedeon fecit solum Ephod cum rationali: erat enim rationale quidam pannus paruus quadratus ad mensuram palmi, habens duodecim gemmas in quatuor ordinibus distinctas, & locabatur intra quoddam foramen Ephod in pectore sacerdotis, & ligabatur cum Ephod firmiter: ita vt nunquam abinuicem separari possent, vt patet Exod. 28. ideo Ephod, & rationale computabantur tantanquam vnum ornamentum, & ambo simul vocabantur Ephod; fecit autem Gedeon istud Ephod ad consulendum dominum, nam Israelitæ quandocunque volebant consulere dominum consulebant per Ephod, scilicet sacerdote induto, & immediate respondebatur ex parte Dei ad quæstionem: sic dicitur Exod. 28. quando portabat sacerdotes in pectore rationale, & Ephod, quod gestabat iudicium filiorum Israel in pectore suo, scilicet id per quod iudicabatur de dubiis, & quæsitis eorum: sic enim Dauid consulebat dominũ per Abiathar sacerdotem habentem secum Ephod 1. Reg. 23. & 30. cap. Gedeon autem cum factus esset iudex populi putabat se sæpe initurum bella cum hostibus, & quòd ad hoc oporteret sæpe consuli dominum, ideo voluit habere Ephod, id est rationale cum Ephod per quod consuleretur Deus, non quidem, vt ipse indutus Ephod cõsuleret dominum: sed vt haberet secum aliquem sacerdotem, qui indueretur illo, quando consuleretur Deus, sicut Dauid habebat secum Abiathar: & ob hoc istud Ephod manebat semper in Ephra, vt præsto esset ad consulendum dominum, & quia erat valde pulchrum, & videbant Israelitę, quod per illud respondebatur ad omnia dubia, attribuebant ei virtutem diuinam, & colebant illud, & sic non sequitur nunc aliquod inconueniens, nec manet aliquod dubium; nam ad bonum finem factum fuit istud Ephod: tamen postea peccauerunt Israelitæ abutentes eo.

D

An peccauerit Gedeon faciendo istud Ephod.

QVÆSTIO XXV.

E

QVÆRETVR vlterius, an peccauit Gedeon faciendo istud Ephod. Aliquis dicet, quòd sic, quia erat ad scãdalum, nam totus Israel fornicatus est in eo, & ipsi domui Gedeonis factum est in ruinam. Respondendum, quod secundum, quod varie ponebatur finis huius Ephod, ita potest assignare varie, quod peccauerit, vel non peccauerit. Nam qui ponunt, quod fuit idolum, necesse est, quod ponãt grauiter peccasse Gedeonem. Qui autem dicunt, quod fecit omnia vestimenta sacerdotalia, & sanctuarium in Ephra sacrificabatq; ibi, etiam ponere coguntur, quòd grauiter peccauerit. Qui verò dicunt fecisse Ephod ad memoriam victoriæ, & laudis Dei: dicere debent, quòd non peccauit, quia hoc licitum erat. Qui dicunt fecisse omnes vestes ad hoc, quod essent ibi sacerdotes ministrantes, dicere debent, quòd peccauerit, nisi dicant fuisse ex dispensatione, sicut licuit Dauid tenere arcam in domo sua, & cõstituere sacrificantes coram illa, & facientes alia ministeria, de quibus 1. Paralip. 15. & 16. Dicendum autem, quòd vltimo modo non peccauit Gedeon, quia licebat ei velle consulere Dominum in agendis cùm esset princeps populi: imò erat valde conueniens, quòd nihil vellet agere in arduis causis sine consulto Dei: sic enim Deus cùm instituit Iosue in principem populi, dedit ei Eleazarum sacerdotem, vt si quid opus esset consuleret pro eo Dominum Numer. 27. cap. tenendo etiam Ephod in Ephra nõ peccabat, quia licet esset peccatum fieri sacrificia, vel alia ministeria extra sanctuarium, tamen tenere Ephod, & consulere dominum non erat ministerium sanctuarij: ideo vbicunque teneri poterat Ephod, & consuli Deus in illo. Si autem dicatur simpliciter an peccauerit Gedeon, vel non. Dicendum, quòd non, quia scriptura laudat eum dicens, quòd mortuus est in senectute bona: quod de solis viris sanctis dicitur, sicut de Abraham: Gen. 15. scilicet tu ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona: peccatorum autem vocatur mala senectus, & mali dies: sic patet Dan. 14. scilicet inueterata dierum malorum, nunc inuenerunt te peccata tua. Item si peccauisset agendo hoc imputaretur culpa ei, & culpæ sequentium etiam quodam modo ascriberentur illi, sed non imponitur aliqua culpa in hoc ipsi Gedeoni, sed solum dicitur, quòd omnis Israel fornicatus est in Ephod, ergo ipse non peccauit. Ad rationem in contrarium dicendum, quod non erat verisimile illud causaturum esse scandalum, ideo non peccauit faciendo, sed postea cum inciperet esse scandalosum debebat destrui, sicut factum est de serpente æneo, quem fecit Moyses, & postea, quia adorabatur à populo, destruxit illum Ezechias 4. Reg. 18. cap. *Et posuit illud in ciuitate sua Ephra.* Scilicet vt illud præsto haberet quandocunque vellet consulere Dominum, & non cogeretur mittere in locum sanctuarij pro Ephod. *Fornicatusque est omnis Israel in eo.* Id est

F

Hist. scholastica resp. ad quæst. Improbatio.

Alia resp. ad quæst.

Improbatio prima opinionis Rabbi Salomon, et aliorũ.

Alia resp. ad quæst.

Improbatio.

Doct. resp. solidior ad quæsitum.

Ad qd Ephod Hebræis deseruiebat.

Dubiũ. Respon.

Ad rationem in diuersum

A Id est totus Israel peccauit in illo Ephod adorando illud in Deum, & istud fuit propter magnam pulchritudinẽ, & quia putabant inesse sibi aliquid deitatis cum per illud responderetur ad quæsita. *Et factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Id est istud Ephod quamquam non fuit factum ad malum finem, tamen fuit occasio mali tam Gedeoni, quàm omnibus de domo sua, quia forte aliqui de domo Gedeonis coluerunt illud. De ipso autem Gedeone non est verisimile, quod ipse coleret illud, sed dicitur magis, quod fuit in ruinam illi, & domui suæ, id est occasio pœnæ alicuius, scilicet, quia Israelitæ coluerunt illud, & sciens hoc Gedeon non destruxit illud, vel prouidit de remedio, & ob hoc postea filij sui perierunt, vt asserunt multi. *Humiliatus est autem Madian coram filijs Israel.* Scilicet non superbiuit amplius, sicut prius fecerat veniendo quolibet anno ad destruendum totam terram Israel. *Nec potuerunt vltra eleuare ceruices.* Scilicet ad inuadendũ, sicut prius. Non est enim sensus, quod Israelitæ subiectis nunc Madianitis facerent eos tributarios, & ipsi non possent eleuare ceruices ad resistendum, quia Israelitæ non iuerunt in terram Madian, aut Amalech, aut Ismahelitarum, aut alicuius de gentibus, quæ nunc venerantt contra Israel, sed solum persecuti sunt illas excludendo in regno Israel, sed dicitur quod. *Non potuerunt eleuare ceruices.* Scilicet ad impugnandum Israelitas, sicut prius: nam quolibet anno veniebant ante messem ad vastandum omnia, vt patet supra 6. cap. & postea nunquam venerunt. Hoc autem fuit dupliciter, scilicet, vel, quia non relicti sunt, nisi pauci de Madianitis potentes pugnare, cum occisi fuerint, quasi centum triginta quinque millia: nam prius occisi fuerunt centum viginti millia cum Madianitæ pugnarent contra seipsos: deinde manentibus quindecim millibus irruit Gedeon super illos, & occidit multos, accepitque viuentes reges eorum, vt paret supra in litera. Vel forte quamquam multi essent Madianitæ, qui pugnare possent contra Israel, tamen non audebant, quia cum vidissent tantum exercitum, scilicet 135. millium nullo contra pugnante periisse, putabant, quod etiam similes millia, & centena millia irent rursus contra Israelitas perirent, sicut prius, & istud secundum est verum. *Sed quieuit terra per quadraginta annos quibus præfuit Gedeon.* Id est toto tẽpore, quo præfuit Gedeon quod fuit tempus quadraginta annorum quieuit terra, quia nec Madianitæ, nec alij hostes Israelitarum ausi sunt aggredi illos: nam audita tam magnifica victoria diuinitus facta, omnes gentes in circuitu tremuerunt, & non ausę fuerunt inferre bellum Israelitis: sic etiam audito miraculo, quod Deus fecit Israelitis in mari rubro, omnes gentes finitimæ audientes turbatæ sunt, vt patet Exo. 15. scilicet ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim: tunc turbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, & obriguerũt omnes habitatores Chanaan.

Ephod fuit materia occasio.

Litera huius expos.

B

C

Quomodo computandi sint isti quadraginta anni, quibus quieuit terra.

QVÆSTIO. XXVI.

QVÆRETVR, qumodo computandi sunt isti quadraginta anni. Aliquis dicet, quod computantur ab initio principatus Gedeonis, scilicet quando fecit bellum contra Madian vsque ad mortem suam, & istud fuit tempus annorum quadraginta, quod patet, quia dicitur, quod requieuit terra quadraginta annis quibus præfuit Gedeon, ergo illis omnibus præfuit. In contrarium videtur, quòd non computetur ab initio belli solum, quia tunc manerẽt septem anni persecutionis Madian contra Israel extra hos annos, quod est inconueniens. Dicendum igitur, quod computantur isti quadraginta anni: ex morte Barac postquam mansit terra aliquanto tempore non conuersa ad idola: deinde conuersi fuerunt ad idola, & Deus tradidit illos in potestate Madianitarum septem annis, & sic forte transirent decem anni medij inter Gedeonem, & Barac sine iudice. Sed huiusmodi anni semper computari consueuerunt sub iudice sequente, ideo oportet, quod computentur isti anni sub Gedeone, & sic forte totum tempus principatus Gedeonis fuit triginta annorum solum: ad computandum tamen annos medios dicitur, quod fuit quadraginta annorum: alioquin necesse esset, quod præter tempora, quibus iudices dicuntur præfuisse computaremus tempora med.a per se. Sed non stat, quia tũc superabundaret ad illum numerum, qui habetur 3. Reg. 6. scilicet, quod ab exitu de Ægypto vsque ad ædificationem templi fluxerunt anni quatuorcentum octoginta, sed hoc modo essent plures, quam sexcentum, vt declaratum est supra 3. & in prologo libri huius. *Abijt itaque Ierobaal filius Ioaas.* Id est Gedeon, qui vocatur Ierobaal, quia restitit idolo Baal supra 6. & est filius Ioas. *Et habitauit in domo sua.* Scilicet venit de bello contra Madianitas, & habitauit in domo sua in Ephra, sicut prius. *Habuitq; septuaginta filios.* Scilicet de multis vxoribus. *Qui egressi sunt de femore eius.* Id est omnes fuerunt vere filij eius. Hoc dicitur, quia cum tot filij nominẽtur, putaret aliquis, quod nõ essent isti filij geniti, sed plures eorum essent adoptiui: ad quod tollendum dicitur, quod egressi sunt de femore eius, scilicet per deriuationem seminalẽ. *Eo quod plures vxores habuit.* Scilicet ductas matrimonialiter, & poterat simul multos filios suscipere, vt forte, quod aliquo anno nascerentur ei octo, vel decem filij, aut plures. Considerandum quod iste habuit multas vxores, & non increpantur à lege, quia non erat contra legem habere multas, sicut dicetur infra, & 1. Reg. 25. nunc autem ex contra legem Christi plures accipere. Sciendum etiam, quod isti septuaginta filij erant omnes legitimi, quia in veteri testamẽto nũquam est consuetudo, quod in numero filiorum computentur nati ex concubinis: vnde dato, quòd aliquis haberet totidem filios ex cõcubinis, aut plures, quot ex vxoribus, cum dictum fuerit, quod habuit tot, aut tot filios, intelligendum est de vxoribus legitimis. Sic patet in Saule; nam 1. Reg. 14. ponuntur nomina filiorum Saulis, & 1. Paral. 8. & 9. & ponũtur quatuor, & tamen constat, quod habuit duos filios ex cõcubina, qui non computãtur ibi, scilicet Armoni, & Miphiboseth ex concubina nomine Respha, vt patet 2. Reg. 21. cap. Sic etiam ponuntur nomina filiorum Dauid 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 3. & solum ponuntur ibi filij legitimi, quasi non haberet alios filios, & tamen 1. Paralip. 3. ad magis exprimendũ dicitur: hi omnes sunt filij Dauid absque filiis concubinarum, & illorum nunquam ponuntur nomina: ita hic cum ponantur septuaginta filij Gedeonis intelligẽdum est, quod omnes erant ex vxoribus: Abimelech autem, qui erat ex cõcubina non est de istis septuaginta. *Concubina autem illius quã habebat in Sichem.* Habuit etiam concubinam, licet multas haberet vxores, & hoc forte licuit sibi ex dispensatione, vt dicetur 2. Reg. 5. c. ista erat oriunda de Sichem, ideo Abimelech filius Gedeonis cum voluit principari mortuo patre, iuit in Sichem, & conciliauit animos virorum sibi, scilicet quia erant cognati eius ex parte matris, vt patet seq. c. *Genuit ei filium Abimelech.* Iste occidit postea omnes fratres suos seq. c. *Mortuusq; est Gedeon filius Ioas in senectute bona.* Et hoc apparet, quod fuit Gedeõ vir sanctus, quia dicit scriptura de illo, quod mortuus est in senectute bona, quod denemine dicit nisi de viris sanctis, vt de Abraham Gen. 15. *Et sepultus est in sepulchro patris sui Ioas in Ephra.* Ista erat cõsuetudo antiqua maxime apud Iudęos: nã in sepulchro Abrahæ sepultus est Isaac filius eius, & Iacob nepos suus Gen. 49. & in sepulchro Saulis sepulti sunt filij sui 2. Reg. 21. sic etiam Berzellai petiuit à Dauid, dicens: obsecro, vt vadam in ciuitatem meam, & sepeliar in sepulchro patris mei, & matris meæ, 2. Reg. 19. Achitophel quoque sepultus est in sepulchro patris sui 2. Reg. 17. cap. *In Ephra de familia Ezri.* Id est ciuitas, in qua erat sepulchrum Gedeonis erat Ephra, quæ erat de familia Ezir: ista erat vna de familiis Manasse, quæ vocatur interdum familia Ezeritarum, vt patet Num. 26. *Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel.* Id est postquam mortuus est Gedeõ Israelitæ auersi sunt à cultu Dei: ex hoc apparet, quod viuẽte Gedeone non colebant Israelitæ idola, quia alias non dicerentur auersi post mortem, sed viuente eo auerterentur. Ista fuit conditio tempore omnium iudicum: nam supra secundo, dicitur, q̃ diebus cuiusq; iudicis Israelitæ sequebãtur dominum, sed mortuo illo conuertebantur, & faciebant peiora, q̃ prius fecerãt patres eorũ. *Et fornicati sunt cum Baalim.* Id est coluerunt illum. Est enim Baalim interdum nomen vnius Idoli singulariter, & interdum nomen plurale, & accipitur fornicari pro idololatrare ad similitudinẽ mulieris, quæ

D

E

F

Confutat.

Dott resp. ad quæsitum.

Notandum de septuaginta filijs Gedeonis.

Gedeõ vir sanctus fuit.

Apud Hebreos filij in sepulchro patrum sepeliebantur

Baalim quid sit

tene-

A tenetur alligata viro,&si ad alium accesserit fornicatur : ita cum teneamur colere solum Deũ, si colamus idola dicimur fornicari cum illis. Ex hoc patet, quòd Israelitæ coluerunt Ephod,quod fecerat Gedeõ,quia dicitur, quod totus Israel fornicatus fuerat in illo, sicut dicitur hic,quod fornicati sũt cum Baalim. *Percusseruntque cum Baal fœdus,vt esset eis in Deum.* Istud ponitur ad grauitatem peccati Israelitarum,scilicet, ꝙ non solum coluerunt Baal,sed etiam dederunt ei promissionem certam de semper colendo eum , & ista promissio fuit per pactum: est enim Baal,& Baalim idem.

Quomodo Israelitæ potuerint cum Baal fœdus inire.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, quomodo potuerunt Israelitæ facere fœdus cum Baal, quia ad hoc requirebatur, quòd esset præsens Baal, vt mutuo ipse & Israelitæ componerent aliquid,ipse tamen non poterat apparere. Aliquis dicet, quòd vocatur hic pactum large, nam licet proprie vocetur pactũ aliquod conuentum inter duos, cum ex qualibet parte aliquid promittitur,aut promissio acceptatur , tamen interdũ vocatur large pactum quæcunque promissio, & sic poterat dici, quod Israelitæ solum promitterent Baal, quod colerẽt eum ipso non promittente aliquid ex parte sua,nec etiã præsente ad acceptandum promissionem, & vocaretur pactum. Respondendum, quòd non consueuit istud vocari pactum, sed quãdo duæ partes mutuas sibi promissiones faciũt, quas aliquo firmamento muniunt: sic cum hic dicatur pactum inter Israelitas, & Baal, necesse erat, quod Baal esset præsens cum Israelitis ad acceptandum promissionem , vel aliquis loco eius; primum autem poterat esse,scilicet,quod Baal interesset, quia Baal dæmon est, & poterat corpus sumens de aere interesse Israelitis,& loqui. Sicut angeli boni sæpe fecerunt,vt patet Gen.17.&18.&19.& supra 6. & infra 13. & tamen hoc non est credendum , quia Deus non permitteret talia : nam daret Iudæis occasionem, vt perirent omnino: nam ipsi erant facillimi ad idololatriam , & si permitteretur aliquid tale crederent certissime Deum esse,qui sic loqueretur,& firmissime adhærerent ei , essetque ista tentatio supra possibilitatem resistendi Iudæorum: Deus tamen non permittit nos tentari vltra id, quod possumus, sed facit cum tẽtatione prouentum 1.Corin.10.Dicendũ ergo, quod aliquis intererat loco Baal scilicet aliquis de sacerdotibus eius , qui loco illius acceptabat stipulationem,vel promissionẽ Iudæorum,& ipse quoque ex parte Baal promitteret,quod acciperet eos in suos cultores , & quod benefaceret eis : sic enim, quando Israelitæ pepigerunt fœdus cũ Deo in datione legis, fuit Moyses loco Dei referens promissionem Dei Israelitis.s. quod acciperet eos in populum peculiarẽ sibi de cunctis populis terræ,& in gentem sanctam, & tunc ipsi promiserunt, quod colerent Deum accipiendo legem illius: Exo.19.& factum est pactum.Sic etiam iterũ Iosue fecit pactũ cum Israelitis,vt custodirent legem Dei: & ipse stetit loco Dei petens, an vellent seruare legem Dei,& promitterent illud, & sic factum est: Iosue 24. hic ergo sacerdotes Baal credendum est astitisse ad confirmationem,& factionem fœderis huius. Cũ autem arguitur,quòd Baal non poterat apparere,falsum est, quia poterat (vt diximus)sed nõ apparuit,nec tamen requirebatur hoc ad copulandum fœdus,quia præsentia procuratorum suorum , scilicet sacerdotum sufficiebat ad contrahendum fœdus.

An in isto fœdere obseruatæ fuerint aliquæ cæremoniæ, & quæ fuerint.

QVÆSTIO XXVIII.

Modus confirmandi fœdera apud antiquos.

QVÆRETVR vlterius, an in isto fœdere obseruatæ fuerint cæremoniæ aliquæ, & quæ fuerint. Respondendum,quòd fœdus fiebat inter homines ab antiquo ad confirmandum aliquid inter eos: & ad hoc occidebatur aliquod animal in partes , & aspergebantur ambo contrahentes de de sanguine effuso illius animalis, significantes , quòd quicunque violaret fœdus pateretur sanguinis effusionem , vel transibant inter partes animalis occisi ad significandũ,quod sic diuidendus esset qui fœdus infringeret: Sic ait Paulus Orosius libro de Ormesta Mundi. De hoc dicendum est,quòd Israelitæ nunc obseruauerint istam cæremoniam, quia alioquin non esset fœdus, sed solum iuramentũ,vel simplex promissio. Patet etiam hoc,nam Deus istas cæremonias obseruabat quando componebat fœdus cum aliquo: sic cũ Abraham volens fœdus facere ad certificãdum,quòd daret ei terram Chanaan iussit diuidi vaccam,&ouem,& caprã per medium,& obseruabat Abraham partes illas, & Deus transiuit in igne per medias diuisiones,vt patet Gene.15.& tunc dicitur,quod iniuit fœdus cum illo,vt patet ibi scilicet in die illo pepigit dominus fœdus cum Abraham , dicens: semini tuo dabo terram hanc,&c.sic etiam in datione legis cõfirmatum fuit fœdus inter Deum, & Israelitas.Et ad hoc fuerunt occisa multa animalia, & fuit sanguis aspersus super populum ad confirmandum fœdus,&super altare,& librũ legis loco Dei, cum Deus incorporeus esset , & ipse sanguine aspergi non posset.De hoc Exo.24.& melius ad Hebr.9. Sic etiam tempore Sedechiæ regis Israelitæ pepigerunt fœdus de dimittendo cum domino seruos suos, qui erant de stirpe Hebræorũ, & de non reducendo eos in seruitutem. Et ad hoc diuiserũt vnum vitulum per partes, & transierunt omnes de populo inter diuisiones vitili, vt patet Ierem. 34. non minus ergo fieret hic,scilicet,quòd occiderentur animalia, & transirent Israelitæ inter diuisiones, vel aspergerent se sanguine, & sacerdotes aspergerent sanguine loco Baal, & sic firmum esset fœdus.

Ad quid fiebat hoc fœdus de tenendo Baal in Deum cum sine fœdere possent tenere.

QVÆSTIO. XXIX.

QVÆRETVR vlterius , ad quid fiebat istud fœdus de tenendo Baal in Deum. Respondendum,quod Israelitæ desiderabant colere Baal, qui erat Deus Chananæorum, & vt vere efficerentur cultores,& serui eius hoc fœdere confirmarunt. Nam si solum accepissent in Deum eum spontaneę possent quandocunque vellent abiicere illum: vt ergo appareret, quòd verò animo adhærebant Baal tanquam nũquam recederent ab eo, faciebant fœdus. Nam in fœdere interueniebat promissio de semper tenendo eum in Deum, & illa confirmabatur per cœremonias fœderis, & potissime hoc fiebat,quia maxima cautio expetenda est ab illis,qui minus certi esse putantur,& quia Israelitæ consueuerant colere Deum verum, & nunc redibant ad cultum Baal, vt sciretur,quòd non ficte accederent, faciebant fœdus quod ostẽdebat omnimodam securitatem de semper manendo in hac professione cultus. Alia ratio esse potest persuasio sacerdotum Baal, qua forte ipsi dicerent Israelitis, quod non proficiebat eis colere Baal, nisi fœdus facerent super hoc , quia alias non acceptarent eos in seruitores, nec benefaceret eis: putabant autem Israelitæ, quòd Baal posset eis facere bene, imò quòd quando recedebant à cultu eius male erat eis , vt patet Ierem.quadragesimoquarto cap.vt ergo consequerentur ab eo bona, quæ putabant se posse consequi fecerunt fœdus. *Nec recordati sunt domini Dei sui.* Scilicet non recordati sunt beneficiorum,quæ Deus eis contulit, alioquin non recessissent ab eo fœdus componentes cum Baal. *Qui eruit eos de manibus omnium inimicorum suorum.* Id est etiam si non attendissent ad eum, qui erat verus Deus,saltem attendere debuissent ad beneficium, scilicet, quia eripuerat eos de manibus inimicorum suorum, & Baal, vel alia idola nunquam eruerunt eos ab aliquo hoste. *Per circuitum:* Id est non solum de manu Madianitarum,sed etiam ab hostibus omnibus,qui in circuitu terræ eorum habitabant : nam Israelitæ ad omnem partem habitabant,scilicet Madianitæ Ismahelitę,Ammonitæ, Moabitæ: ad orientem Idumæi, Amalechitæ, Philisthiim à meridie: Syri à Septentrione. Et ab omnibus istis Deus liberauerat Israelitas, quia sæpe pugnauerant istæ gentes contra eos, sicut patet nunc: nam venerunt Madianitæ, Amalecitæ,Ismahelitę,vt patet supra sexto & precedenti capitulo, & hic: Venerunt quoque forte Moabitæ, & Madianitæ: nam dicitur, quod venerant omnes populi orientales,

A

Quod dam peccatum Israelitarum.

& isti sunt orientales, & propinqui respectu Israelitarũ venerunt quoque Moabitæ, Amalechitæ, & Ammonitæ, iterũ supra tertio: Venerunt quoque Syri tempore Hothonielis, & Philisthiim tempore Samgar eodem capitulo. Et de omnibus liberati sunt Israelitæ per Deum. *Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon.* Istud fuit aliud peccatum Israelitarum, scilicet, quia non fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal, qui dicitur Gedeon: nam ipse fuit minister Dei pro eis, & liberauit illos à morte de manu Madianitarum, & ipsi voluerant tunc facere eum dominum, vel regem, & tamen postea non miserti sunt domui eius: nam permiserunt occidi omnes filios eius, & non occiderunt interfectorem. *Iuxta omnia bona, quæ fecerat Israeli.* Id est debuerant ei recompensare bonum pro bono, sicut ipse fecerat toti Israel liberãdo de omnibus gentibus orientalibus, & non liberauerunt eius domum de manu occisoris, & nequissimi viri, scilicet Abimelech, vt patet seq. cap.

Chronica temporalium euentuum sub Gedeone.

Qvæstio XXX.

Anno quingentesimo sexagesimo ante Romam conditam, vt ait Paulus Orosius primo libro de Ormesta Mundi, annis mille trecentis duobus, qui erat annus vicesimus septimus Imperij Gedeonis secundum modum cõputandi Orosij, atrocissimum inter Cretenses, & Athenienses certamẽ fuit, vbi populus vtrinq; infeliciter profligatis cruẽtiorem victoriam Cretenses exercuerũt, qui nobilium filios Athenienſium Minotauro vtrum fero homini, an humanæ bestię, apertius dicam, nescio, deuorandos crudeliter adiiciebant, atque informe prodigium effossis Græcię luminibus saginabant. De hoc Ouidius Metam. 8. Iisdem diebus Laphitę, & Thessali famosis nimium certauere conflictibus Thessalus Palefactus in libro incredibilium prodit ipsos Laphitheos creditos dictosque fuisse Centauros, eo quòd discurrentes in bello equites veluti vnum corpus equorum, & hominum viderẽtur: vnde cęperit bellum Thessalorum, & Laphitarum, & quomodo in nuptiis ortum sit, & cuius causa, & quid ibi actũ extitit late describit Ouidius 13. Metam. Hoc tempore historia Thesei fuit, qui de nobilibus Athenienſibus missus est, cum esset filius regis Athenarum, vt traderetur Minotauro deuorandus, vel cum illo pugnaret, cum quo vtraque sororum scilicet Ariadna, & Phedra eius amore flãmãte diuersis affatib⁹ collocutæ sunt: sed prior Ariadna, quę ei modum occidendi Minotaurũ, vt fertur, tradidit, fide data de eam ducendo in vxorem eam potitus est. Sed expleto negocio cum glurioſa industria Ariadnæ de minotauro obtinuisset palmam in Athenienſem rediturus vrbem, illam secum de Creta ducturus erat, sed rupto fędere, & decepta puella, atque in littore Cretensi relicta, sororem eius Phedram, quam postea dilexerat, duxit, cunq; relicta ab ingrato indignoque amatore per latebras noctis fugiẽte sola in vacuo littore plangeret Dionysius rex Thebarum, qui aliter liber pater, vel Bacchus appellatur adfuit, qui eam suo coniugiõ honorauit: feruntque eam ad astra translatam, & quia de floribus casu in capite tunc serta tenebat, velocitate motus ad æthera vna de rosis coronę delapsa est, ideo poetæ asserũt cum Ariadna locaretur in astris coronæ eius vnã defuisse rosam. Et istam causam esse dicunt in corona, quæ est ad meridianã partem Zodiaci apud signum Scorpionis incompleta sit scil. deficiente vno astro ad complementum circuli: & ista vocatur corona Ariadnæ, vt ait Virgilius in Georgicis, scilicet:

Gnosia, quæ ardentis descendit stella coronæ.

Et vocatur Gnosia id est Cretensis. s. quia de insula Cretæ erat Ariadna, cuius est ista corona. De hac historia Ouidius Metam. 8. Scribit autem Ariad epistolã Theseo, in qua durã proponit quærimoniam, vt patet in libro Heroidum Ouidij in Epistola, quæ incipit.

Mitius inueni, quam te genus omne ferarum.

Alij volunt hoc alio tempore accidisse, sed secũdum modum computationis Orosij necesse est, quod tẽpore Gedeonis, vel paulo ante, aut post acciderit. Hoc tempore, vt ait Magister in historia scholastica Mercurius inuenit syringas. Est enim Syringa musicum instrumentum de fistulis, siue de calamis compactum: traxit autem hoc nomen à syringa vxore Carhim filij Agenoris, quæ propter zelũ armoniæ a viro suo recesserat. Inuenit etiam lyram hoc modo: reperit enim cõcham testudinis mortuæ, & putrefactæ cuius arẽtes, & tinuli nerui extensi in ore conchæ ad auram tenuem sibilum reddebant: Incertum autẽ est quis fuerit iste Mercurius an Hermes, vel Trimegistus, vel Mercurius minor. Tres enim leguntur fuisse. Secundum Iosephum Tyrus condita est ante templum Ierosolymorum annis ducentis quadraginta, & pro hoc necesse est, quòd condita fuerit imperante Gedeone. Quòd patet computando tempora media inter Gedeonem, & constructionem templi Salomonis, quæ computatio posita fuit à nobis supra tertio cap. Dedalus hoc tempore aues fecit metallinas, quas volare fecit artificioſe incluſo spiritu. Dicitur etiam fecisse simulachra se mouentia. De hoc Arist. 1. Pol. cap. 2. Primus omnium pedes statuarum à se inuicem separauit, cum alij coniunctos eos facerent, quia cum filio suo Icaro fugiens propter inopinatam fugam, & inuestigabilem pennis euolasse dictus est: Icarus tamen naufragio periit: vnde mare Icaricum ab eo in Græcia nominatum est. Et tunc conficta est fabula de Icaro. De hoc Ouid. 8. Metam. Hoc tempore secundum histor. schol. Orpheus claruit, cuius discipulus fuit Museus. Linus magister Herculis claruit. Minos creditur Cretẽsibus legem dedisse, quod Plato negat. Iste Minos Arhenienſibus bella grauia intulit propter mortem Androgei filij sui, qui propter inuidiam dum apud Athenas studeret, occisus est. De hoc 7. Metam. Tunc accidit mutatio, quæ vocatur cuiusdam filiæ regis, quę Scylla vocabaur in Amne Cirrim, quæ crinem aureum patris abstulerat, vt potiretur amore suo cum Minoe Cretensium rege. Eo tempore Pasiphe vxor Minois absente eo in bellis, industria Dedali à quodam tauro cognita carnaliter est intra artificium ligneum, velut vacca clausa, & inde Minotaurus genitus est: Timens autem Dedalus aduentum Minois de insula Cretensium clam cum filio suo aufugit: tunc accidit factum de Theseo, & Ariadna, & Phedra duabus filiabus Minois regis, & Pasiphe, de quo diximus. De his 7. & 8. Metam. Tunc etiam hydram fuisse ferunt, quæ ab Hercule postea occisa est, sed Plato dicit eam fuisse quemdam fallacem sophistam.

B

Bellum inter Cretenses, & Athenienses tẽpore Gedeonis.

Laphita creditisunt cẽtauri.

Thesei historia quo tempore accidit

C

Cur corona, quæ est ad meridianã Zodiaci partem apud Scorpionis sig nu.. incompleta sit.

Syringa quid sit.

D

Quomodo lyra à Mercurio reperta est.

Tyrus condita ante templum Ierusalẽ annis 340.

Quãdo Icari fabula confi-cta est

E

Vnde Minotaurus sit genitus.

Caput IX.

F

Dedalus Athenien-sis artifex mirabilis.

Icarus dedali filius à quo mare icareum.

Perdix dedali nepos seram primus inuenit.

Abiit autem Abimelech, filius Ierobaal in Sichem ad fratres matris suæ, & locutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris matrisque suæ, dicens: Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, vt dominẽtur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? Simulq; considerate, quod os vestrum, & caro vestra sum. Locutiq; sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem vniuersos sermones istos, & inclinauerunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Fater noster est. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de phano Baalberith. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt eum, & venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros, super lapidem vnum: remansitque Ioatham filius Ierobaal minimus, & absconditus est. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & vniuersæ familiæ vrbis Mello: abieruntque, & constituerunt Regem Abimelech iuxta quercum, quæ stabat in Sichem.

Abijt autem. Posita in præcedentibus sublimatione domus Gedeonis. Hic ponitur origo totalis desolationis, scilicet, quia vnus de filiis eius deleuit totam domum paternam. Et diuiditur in tria, primò ponitur Abimelech promotio, secundò maledictio ei digna ibidem. *Quod cum nunciatum esset.* Tertio vltio domini ibidem. *Misit dominus.*

A

An hic aliqua sit ordinis mutatio, & an fuerint hæc immediate facta post præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic habeant ordinem consequentem ad præcedentia, vel sit aliqua mutatio ordinis: Et an fuerint facta immediate post præcedentia. Ad primum dicendum, quòd ordo continuus est inter hæc, & præcedentia, quia præcedenti capitulo actum est de morte Gedeonis: hic autem agitur quid filij eius post mortem suam egerint, aut passi fuerint, vt adipiscerentur principatum eius. Ad secundum dicendum, quòd inter istud, & ea, quæ habentur precedenti capitulo paucum tempus intercidit: nam Abimelech desiderauit habere principatum patris, & quia post mortem eius illico constituendus erat aliquis successor, verisimile est, quòd immediate post mortem eius requisierit à viris Sichem, quòd facerent eum principem. *Abijt itaque Abimelech filius Ierobaal in Sichem.* Scilicet Abimelech erat filius Ierobaal, id est Gedeonis, qui sic appellatus est, vt declaratum fuit supra sexto, & iuit in Sichem, scilicet, quia ipse manebat in Ephra eum patre suo. Nam habitabat Gedeon in Ephra, & ibi mortuus ac sepultus est, vt patet præcedenti capit. Abimelech autem forte interfuit sepulturæ eius, & inde iuit in Sichem prouisurum sibi de principatu.

Resp. ad 2. quæsitum.

Abimelech promotio.

B

Cur Abimelech iuerit ad viros Sichem, vt ipsum Israelitarum regem crearent.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR cum Abimelech desiderare habere principatum super totum Israel, sicut tenuerat pater suus, cur iuit ad viros Sichem, vt eum efficerent regem: nam non videbatur modus iste ad hoc, quòd efficeretur princeps super totum Israel, sed potius debuit conuocare totum Israel in concilium, vt eum sumerent in principem. Aliquis forte dicit, quòd Abimelech non volebat principatum super totum Israel, sed solum super Sichem, ideo iuit contra solos Sichimitas. Sed non stat, quia sciebat Abimelech, quòd aliquis cõstituendus erat in principem super totum Israel, sicut hactenus quilibet de iudicibus fuerat princeps super totum Israel. Si ergo ipse solum dominaretur Sichimitis, ille, qui præficeretur toti Israel, excluderet eum de principatu Sichimitarum tanquam occupantem partem principatus sui. Item non est verisimile, quòd Sichimitæ vellent accipere Abimelech in principem hac intentione, quòd super eos dominaretur, quia tunc vellent diuidi à toto Israel, & hoc erat sibi occasio durissimi belli, sicut diuisione facta regnorum tempore Roboam, & Ieroboam, graues pugnæ secutæ sunt, cum Abias propter hoc pugnauit contra Ieroboam, vt patet 2. Paral. 13. Dicendum igitur, quòd Sichimitæ acceperunt Abimelech in principem hac intẽtione, quòd totius Israel pariter dominus futurus erat. Ipse quoque Abimelech intendebat toti populo dominari, volebat tamen prius dominari Sichimitis, & tunc posset accipere reliquum Israel: putabat enim quòd cum reliqui Israelitæ viderent, quòd Sichimitæ fecissent eum regem, quòd etiam totus populus non recusaret eum accipere, cum esset vnus de filiis Gedeonis. Vel forte intendebat, quòd habita illa vrbe posset pugnare contra reliquos Israelitas, qui aduersarẽtur ei in principatu. Hoc patet, quia postquam cepit vrbem Sichem pugnabat contra vrbem Thebes, & ibi mortuus est, vt patet infra in litera: ita ergo intendebat facere contra quoslibet de Israelitis, qui recusarent eum accipere in principem: & sic fuit conueniens, quòd iret in vrbem Sichem, vt dominaretur ibidem.

C

Doct. resp. solidior ad quæsitum.

Quare Abimelech non congregauit totum Israel ad hoc, quod crearet ipsum principem.

QVÆSTIO. III.

QVÆRETVR, quare Abimelech non congregauit totum Israel ad hoc, quòd eligerent eum in principem, sicut fuerat pater suus, & esset simul princeps totius Israel, nec oporteret ipsum discurrere pugnando contra varias vrbes. Respondendum, quòd Abimelech hoc libenter egisset, si putasset sic se posse intentionis suæ habere successum, sed non profeciisset ei hoc. Primò, quia hoc non pertinebat, nisi ad hominem habentem magnum fauorem, qui posset congregare totum populum: Abimelech tamen nunc nullum habebat fauorem, quia ipse erat minimus dignitate inter fratres suos cum cæteri essent legitimi, ipse autem illigitimus de concubina, vt patet præcedenti capitulo. Etiam, quia nondum sibi cõciliauerat aliquos amicos, qui fouerent partem eius. Alia ratio est, quia si cõgregaretur totus Israel credebat certissime, quòd principatus traderetur alicui de fratribus suis, & non sibi propter duo: primò, quia alij erant legitimi, ipse verò illegitimus. Illegitimi tamen non succedunt parentibus in dignitatibus, quia non retinent nobilitatem eorum, & hoc innuit Ioathas minimus de filijs Gedeonis mortem euadens, qui ait constituistis regem Abimelech filium ancillæ eius: quasi dicat, eo quòd erat filius ancillæ, vel concubinæ non poterat succedere in dignitate, potissime apud Hebræos hoc obtinebat. Nam filij concubinarum non computabantur, vt filij, vt declaratum est præcedenti capitulo. Secundò, quia Abimelech dato, quòd esset de filijs legitimis Gedeonis, non pertinebat ad eum principatus, quia ad primogenitos pertinet principatus, & hoc maxime secũdum obseruationem Hebræorum: sic patet Gen. 49. cum dixit Iacob ad Ruben: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, maior in donis, potior imperio effusus es, sicut aqua: non crescas, id est ad te, quia eras primogenitus pertinebat maiorem esse imperio. Abimelech autem nõ erat primogenitus Gedeonis, sed Iether, vt patet præcedenti capitulo, scilicet: dixit Iether primogenito suo, surge & interfice eos: ergo ad illum pertinebat principatus, & non ad Abimelech: non ergo fuit vtile sibi, quòd congregaretur populus in consilium. Alia ratio est, quia forte non erat cõsuetudo, quòd congregaretur populus ad eligendum principes tempore iudicum. Causa est, quia istud fuit postquam cœperunt principes esse continue in populo secundum successionem, scilicet, quòd mortuo vno acciperetur alius, sicut fuit tempore regum: nam tunc mortuo vno rege conueniebat populus ad eligendum alium: sic fuit mortuo Salomone: nam totus populus conuenit ad eligendum, vel potius constituendum regem, vt patet 3. Reg. 12. cap. Nunc autem iudices non erant continui per successionem, scilicet, quòd mortuo vno subrogaretur alius, sed manebat populus tam dia, sine iudice quousque egebant eo, & Deus constituebat eum, vel populus, vt colligitur supra tertio. Nam mortuo Hothoniele, non fuit constitutus illico Aod, sed transierunt decem & octo anni intermedij, quibus oppressi sunt Israelitæ à rege Eglon: mortuo etiam Aod, & Sangar non illico constitutus est Barac, sed mansit populus viginti annis seruiens regi Iabin supra quarto, & sic de reliquis: ideo cum nunc mortuo Gedeone non egeret adhuc populus iudice non congregaretur ad constituendum illum: & ob hoc putauit Abimelech superuacuum esse intercedere pro hoc apud totum populum. Alia ratio fuit, quia dum congregaretur populus fratres sui efficerentur potentiores, & ipse non posset contendere cum illis de paritate congregatis omnibus fauoribus in partem fratrum suorum. Primum ergo fuit sibi visum conueniens procurare fauores in partem suam, & ob hoc iuit in Sichem, vt semel efficeretur rex illius vrbis, & non curauit aggregare populum in consilium.

D

E

Illegitimi non succedũt parẽtibus in dignitatibus.

Ad primogenitos attinet principatus.

F

A

Abimelech, cur potius voluit in Sichem fauorem ſibi conciliare quam in alijs vrbibus.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius, cum Abimelech vellet prius conciliare ſibi fauores alicuius loci ex cauſis ſupra poſitis, cur potius voluit hoc in vrbe Sichem, quam in aliis vrbibus. Reſpondendum, quòd hoc fuit propter duo. Primum, quia Abimelech volebat ſibi conciliare fauorem: & non putauit, quòd in toto Iſrael aliquid tantum ſibi fauerent, ſicut viri Sichem propter cognationem, ſcilicet, quia mater ſua erat origine Sichimita præcedenti capituli: & ſic dicitur hic, quòd abiit Abimelech in Sichem ad fratres matris ſuæ, & dicitur, quod locutus eſt ad omnem cognationem domus matris ſuæ. Etiam perſuadendo illis dixit ſimul conſiderate, quòd os veſtrum, & caro veſtra ſim. Etiam iſta fuit cauſa potiſſima, quare Sichimitæ eum in regem vnxerunt, vt patet ex verbis Ionathe infra in litera, ſcilicet: Et conſtituiſtis Abimelech filium ancillæ eius in regem ſuper habitatores Sichem, eo quòd frater veſter ſit. Secunda cauſa eſt, quia forte volebat accipere titulum dominandi Abimelech, & iſte tradi debebat in Sichem, quia forte conſuetudo

B

erat apud Iudæos, quòd ad conſtituendum aliquem in principem congregarentur in Sichem, & hoc, quia forte domus Ioſeph erat præcipua inter Iſraelitas, & Sichem erat in ſorte filiorum Ioſeph, vel propter honorem Ioſeph cuius oſſa tumulata erant in Sichem, vt patet Ioſue 24. cap. hoc patet aliqualiter: nam mortuo Salomone ad conſtituendum filium eius in regem totus populus congregatus eſt in Sichē, vt patet 3. Reg. cap. 12. Ideo voluit ire ad hanc vrbem: prima tamen ratio eſt efficacior.

An Abimelech fuerit creatus princeps ſuper totum Iſrael, vel ſuper Sichem.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlterius, an Abimelech fuerit acceptus in principem ſuper totum Iſrael, vel ſolum ſuper Sichimitas. Aliquis dicet, quod ſolum ſuper Sichimitas, quia ipſi vnxerunt eum: & nō apparet, quod acquiſierit alia loca terræ Iſrael, vel quod illa ſponte eum in principem acceperunt. Reſpondendum, quod Abimelech regnauit ſuper omnes Iſraelitas, quod patet ex duobus. Primò, quia dicitur infra in litera: regnauit Abimelech itaque ſuper Iſrael tribus annis. Si tamen ſolum dominatus fuiſſet Sichimitis, non diceretur, quod regnauit ſuper Iſrael, cum ab vnica ciuitate non denominetur totum regnum. Secundò patet, quia precedenti capitulo, & infra in litera increpantur Iſraelitæ,

C

quod non fecerunt miſericordiam cum domo Gedeonis: ſi tamen ipſi non ſuſcepiſſent Abimelech in principem, ſed reſtitiſſent ei per occiſionem fratrum ſuorum, non increparentur, quòd non feciſſent miſericordiam cum domo Gedionis, increpantur tamen: ideo videtur, quòd ipſi ſuſceperunt Abimelech, & quòd non curauerint vlciſci iniuriam occiſionis fratrum ſuorum. Modus autem, quo factus eſt iudex, vel rex in toto Iſrael eſt, quia ipſe factus eſt primò rex ſuper Sichimitas, deinde reliqui Iſraelitæ conſenſerunt, vel ſaltem non reſtiterunt ei: vnde non conſtituerūt aliquē alium principem eo viuente, & tamen immediatè poſt mortem eius conſtitutus fuit alius in principem, vt patet ſequenti capitulo: ſi tamen ipſe non eſſet princeps totius Iſrael acceptiſſent reliqui Iſraelitæ alium principem. Aliqua autem loca Iſraelitarum reſtiterunt ei, & contra illa ipſe pugnabat, & ſubijcebat ea ſibi, & ſic fuit de vrbe Thebes, in qua mortuus eſt pugnando infra in litera. Sed obijcietur, quia ſi totus Iſrael ſuſcepiſſet eum in regem, & conſenſiſſet in malo facto contra domum Gedeonis, Ioetham filius Gedeonis non ſolum maledixiſſet Sichimitis, ſed etiam toti Iſrael: ſolis tamē Sichimitis maledixit, vt patet infra in litera: ergo illi ſoli fecerunt regem Abimelech, & ſuper illos ſolum eſt dominatus. Item ſi totus Iſrael conſenſiſſet huic malo Abimelech, Deus impoſuiſſet pœnam ſuper totum Iſrael: poſuit tamen

Abimelech quomodo ſit creatus iudex in toto Iſrael.

ſuper ſolos Sichimitas infra in fine capituli, cum dicitur: red didit Dominus malum quòd fecerat Abimelech contra patrem ſuum, Sichimitis quoque quod operati erāt retributū eſt. Ad primam iſtarum duarum rationum dicendū, quòd Ioatham poſuit iſtam maledictionem ſuper Sichimitas, quia verba Ioatham fuerunt à principio, ſcilicet, quando occiſi fuerunt omnes fratres ſui, & tunc ſoli Sichimitæ faciebant Abimelech, & tunc nullus de Iſrael adhuc ſequebatur Abimelech niſi Sichimitæ: ideo eis ſolis maledixit, quia & ipſi fuerunt principes mortis filiorum Gedionis: poſtea tamen occiſis iſtis totus Iſrael ſuſcepit Abimelech in regem. Ad ſecundam rationem dicendum, quod quamquam totus Iſrael peccauerit non faciendo miſericordiam cum domo Gedeonis, præcedenti capitulo, tamen ponitur infra pœna ſolum Sichimitarum propter duo. Primo, quia ipſi fuerunt cauſa principatus Abimelech: nam cum nullum adhuc fauorem haberet, eum regem conſtituerunt, & dederunt ei occaſionem ad omnia mala, quæ fecit. Secundò, quia ipſi fuerunt participes in morte filiorum Gedeonis: nam dederunt ſeptuaginta pondera argenti de templo Dei ſui ipſi Abimelech, vt poſſet ſibi conducere viros, cum quibus occideret omnes fratres ſuos, vt patet infra in litera: & iſtud fuit graue peccatum. Ad rationemem in principio cōcluſionis dicendum, quod licet ſolum ponatur, quod viri Sichem fecerint Abimelech regem, tamē poſtea totus Iſrael

E

cum ſuſcepit, quia hic expreſſe non ponuntur, niſi exordia regni Abimelech, & iſta fuerunt in Sichem: poſtea tamen regem factum reliquus populus ſuſcepit quibuſdam gratis fauentibus aliis bello cedentibus.

Ad primam rationē reſponſ.

Ad ſecūdam rationē reſpon.

Quomodo Abimelech iuit ad Sichimitas, vt conſtituerent eum principem, ex eo, quod erat filius Gedeonis.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quomodo nunc Abimelech fuit ad Sichimitas, vt conſtituerent eum principem, eo quod erat filius Gedeonis: nam iudices, qui ante hunc fuerunt, non veniebant per ſucceſſionem progeniei, imo nō erant de eiſdem tribubus, quia primus Iudex Hothoniel fuit de tribu Iuda ſupra tertio. Secundus, ſcilicet Aod fuit de tribu Beniamin eodem capitul. Quartus autem Barac fuit de Nephthalim, vt declaratum eſt ſupra quarto. Gedeon fuit de Manaſſe ſupra ſexto: ſic etiam omnes iudices, qui poſt hūc fuerunt non venerunt per ſucceſſionem progenici. Reſpondendum, quod Abimelech, nec aliquis de fratribus ſuis non habebat ius ad petendum principatum, quia pater ſuus regnauerat, vel fuerat iudex: petiuit tamen Abimelech propter duo. Primò, quia putabat ſe habere quendam fauorem in viris Sichem, ideo quamquam non tenerentur de iure eum conſtituere credidit, quod fauore moti agerent. Secundum, & præcipuum erat propter promiſſionem factam Gedeoni ab Iſraelitis: nam cum venit de bello Madianitarum dixerunt ei omnes viri Iſraelitæ: dominare tu noſtri, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian: Gedeon autem humilians ſe ait: non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus Deus. Putauit ergo Abimelech, quod vellent Iſraelitæ facere, ſicut dixerant conſtituendo in principem poſteros Gedeonis, ita quod de illa ſtirpe eſſent ſemper principes, ideo petiuit putans, quod ei, vel alicui de fratribus ſuis tradendus eſſet principatus.

F

Quomodò Abimelech mortuo Gedeone patre ſuo, contulit ſe ad Sichimitas ad petendum principatum.

QVÆSTIO VII.

VLTERIVS quæritur, quomodo Abimelech mox, vt Gedeon morruus eſt, iuit ad petendum principatum à viris Sichem: nam inter Iſraelitas cōſuetum fuerat ex tempore Ioſue, quod mortuo vno principe non ſubrogaretur illico ei alius, ſed tamdiu maneret populus ſine principe, quamdiu non premeretur grauiter ab hoſtibus, vt ſupra declaratum eſt. Nunc tamen mortuo Gedeone illico non erat

aliqua

A aliqua oppreſſio hoſtilis,ita vt Iſraelitæ egerent principe. Ideo non erat tempus petendi principatum. Reſpondendum, quod fecit propter duo. Primum fuit, quia principatum credidit Abimelech aliter ſe habiturum iam , quam ante hunc ſe habuerat,quia ante hunc principatus erat introductus de voluntate populi: nam nulli erat ius principandi: ſed cuicũque voluiſſet populus tradere principatum tradebat, ideo mortuo illo, ſi nulli voluiſſet tradere nulli tradebat, & quia melius erat populo liberum eſſe, quam ſubiici, dum tamen ex defectu principis non euenirent aliqua mala in populo, tamdiu manebant ſine principe quamdiu non egebãt, cum autem egebant, vel Deus ſuſcitabat eis principem,vel ipſi illum eligebant: nunc autem putabat Abimelech, quod principatus manſurus erat apud aliquam progeniem tanquam ex iure ſuo, eo quod Iſraelitæ dixerant Gedeoni, dominare tu nobis, filius tuus,& filius filij tui: in quo volebant tradere ei ius principandi ſuper Iſrael pro ſe, & poſteris ſuis: in habentibus autem ius principãdi ex ſeipſis eſt iſta regula, quod mortuo viro ſubrogatur ei, qui de iure ſuccedere debet , & non manet aliquod tempus ſine principe, quia alioquin fieret præiudiciũ ipſis,qui habent ius principandi: ita ergo putauit Abimelech,quod mortuo patre ſuo ipſe, vel aliquis de fratribus ſuis illico in principem conſtituendus erat,& ſic in poſterum, ita vt nullum tempus iam principe careret. Se-

B cunda ratio fuit, quia dato, quod crederet non eſſe ſtatim conſtituendum aliquem in principem:erat tamen dubius de intentione populi, ideo ne eo ignorante populus conſtitueret aliquem de fratribus eius, voluit ipſe præuenire petendo a viris Sichem,quod conſtitueret eum in principem. *Ad fratres matris ſuæ.* Hic accipiuntur fratres proprie , & infra accipiatur large, ſcilicet, quod mater Abimelech habeat viros aliquos potentes in Sichem, qui erant fratres ſui. Quod patet, quia illi potuerunt congregare totum populum Sichẽ, & perſuadere,quod acciperent Abimelech in regem , erant autem iſti viri potẽtes, & mater Abimelech erat de viris claris,nec in hoc erat defectus Natalium Abimelech,ſed ſolum, quia erat illegitimus: potuit autem accipere Gedeon hanc potentem, & claram mulierem in concubinam, quia ipſe erat princeps totius Iſrael. *Et locutus eſt ad eos.* Scilicet ad fratres matris, quia iſti erant viri maioris auctoritatis. Etiam, quia iſti magis attinebant ei, cum eſſent auunculi eius,quam tota alia cognatio matris, & magis iſti deſiderarent honorẽ Abimelech. *Et ad omnem cognationem domus matris ſuæ.* Id eſt etiam locutus eſt ad omnes cognatos matris ſuæ, vt omnes ei fauerent, quia ad omnes res iſta attinebat. *Dicens: loquimini ad omnes viros Sichem.* Id eſt congregate eos in concilium , & exponite eis de me,quod me conſtituãt principem. *Quid enim vobis melius eſt,vt dominentur vobis ſeptuaginta viri.* Poſuit duas rationes ſuaſorias: Abimelech. Prima erat ex vtilitate Sichi-

C mitarum,ſcilicet, quia ſi eligerent eum in principem, haberent vnum principem: & ſi non acciperent eum , deberent accipere ſeptuaginta viros, ſed habere ſeptuaginta viros in dominos laborioſum eſt, & intolerabile, quia quilibet iubebit. Etiam, quia omnes extorquebunt aliquid à populo , & vt omnibus prouideatur neceſſe erit fieri magnas extorſiones,& depauperationes.Secunda ratio erat,quia Abimelech erat cognatus Sichimitarum ex parte matris , alij autem filij Gedeonis vllam habebant cognationem cum Sichimitis. *Vt dominentur vobis ſeptuaginta viri.* Scilicet, quia totidem erãt filij legitimi Gedeonis. Ex hoc patet, quod Abimelech non computatur inter ſeptuaginta viros cum ponat ſe hic tanquam diſtinctum ab illis. *Omnes filij Ierobaal.* Iſtud etiam ponitur ad magis grauandum,quia ſi iſti eſſent filij diuerſorum patrum non ſe tantum diligerent,nec inuicem ſibi nimis fauerent; ideo vnus non permitteret alium facere magnas extorſiones: nunc autem , quia iſti omnes erant filij eiuſdem patris ſatis conuenirent inter ſe,&permitterent ſibiinuicem extorſiones,& grauamina,quæ quilibet infligeret populo,& ſic grauaretur valde populus. *An vt dominetur vobis vnus vir.* Scilicet, vt dominer ego ſolus: quaſi dicat, melius eſt, quod ſolus dominer,quia non tantum grauabimini tolerando imperium meum,ſicut tolerando imperium ſeptuaginta virorum.

Quomodo faciebat Abimelech iſtam diſiunctiuam, ſcilicet, quòd dominentur vobis ſeptuaginta viri, aut quod vnus vir dominetur.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo faciebat Abimelech iſtam diſiunctiuam,ſcilicet,quod dominentur vobis ſeptuaginta viri,aut quod dominetur vir vnus: nam poterant eam excludere Sichimitæ dicentes, nec volumus nobis dominari ſeptuaginta viros,nec vnum, ſed manebimus liberi, ſicut manebant alijs temporibus mortuis iudicibus, qui præſidebant. Reſpondendum,quod Abimelech putauit,quod non excluderetur iſta diſiunctiua, eo quod Iſraelitæ dixerãt Gedeoni: dominare tu nobis, & filius tuus, & filius filij tui: ideo neceſſe erat, quod aut ipſe, aut vnus de fratribus ſuis dominaretur, & iam non maneret Iſraelitis ius ad nullum ſumendum in principem, ſicut prius, vel ad differendum aſſumptionem,quamdiu ipſi vellent. Et etiam Sichimitæ non negauerunt hanc diſiunctiuam , ſed acceperunt alteram partem.

An tenebantur Iſraelitæ conſtituere aliquem de filijs Gedeonis in iudicem, & an cogerentur illico acceptare eum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius , an Iſraelitæ cogerentur acceptare aliquem de filiis Gedeonis in iudicem,vel an poſſent de aliis tribubus, vel familiis accipere iudices, ſicut prius,& an cogerentur immediate acceptare eum, vel poterant differre conſtitutionem ad alia tempora quandocunque ipſi vellent. Ad ſecundum reſpondendum,quod iſtud dependet ex primo, ſcilicet, quod ſi filij Gedeonis hãbebant aliquod ius ad hoc, quod dominarentur, tenebantur Iſraelitæ mortuo patre illico aliquem de eis conſtituere principem,qui de iure deberet ſuccedere patri. Et patet hoc, quia cum iſtis iure ſuo competeret principatus, ſicut auferre eis ſimpliciter, ſiue pro omni tempore erat peccatum, ita auferre eis ad aliquod tempus,erat peccatum, ſicut patet in rebus poſſeſſis, quia quandocũque quis priuet eis dominos ſuos, vel teneat eas inuitis dominis, peccatum eſt: ita in ablatione regni ad tempus: ſi autem nullum ius habebant regnandi, vel qualitercunque principandi filij Gedeonis non tenebantur Iſraelitæ immediate, vel poſt aliquanta tempora conſtituere aliquem de eis in principem. Ad primum aliquis dicet, quòd tenebantur Iſraelitæ conſtituere aliquem de filiis Gedeonis principem. Quod patet,quia ipſi ſe obligauerunt promiſſione ſua dicentes:dominare tu nobis,& filius tuus,& filius filij tui. Secundo,quia Deus increpat Iſraelitas, quia non ſeruauerunt miſericordiam cum domo Gedeonis pro omnibus bonis, quæ fecerat Iſraeli præcedẽti cap. hoc autem videtur, quia non dederunt principatum alicui de filiis legitimis eius,ergo tenebantur dare. Reſpondendum,quod non tenebantur Iſraelitæ conſtituere aliquem de filiis Gedeonis in principem: nunquã enim fuit determinata linea principantium in Iſrael vſque ad Dauid, cui Deus promiſit, quod poſteri ſui regnarent poſt eum vſque in æternum 2. Reg.7.cap. nunc autem licuit cuicunque vellet populus dare principatum:&ſicut ante Gedeonem ſeruatum fuerat,ita etiam ſemper poſtea fuit ſeruatum in ſequentibus iudicibus: nec fuit acquiſitum aliquod ius poſteris Gedeonis principandi ſuper Iſrael alioquin dato quod nunc peccarent Iſraelitæ , poſtea aliqui de eis emendarent peccata præcedentium, & conſtituerent principes de domo Gedeonis. Si autem dicas, quod non poterant,eo quod nullus manebat de domo Gedeonis, quia occiſi fuerunt omnes ſeptuaginta filij eius. Dicendum, quod non ſtat hoc, quia manerent aliqui nepotes quamquam non eſſent filij, eo quod cum iſti ſeptuaginta filij Gedeonis eſſent viri magni cum Ioatham , qui erat minimus eorum venerit ad redarguendum viros Sichem infra in litera:non eſt veriſimile , quod de aliquo iſtorum non mãſerint filij , & de aliis poterant Iſraelitæ poſtea ſumere principes,

Reſp. ad 2 quæſitum.

Rationes pro prima dubitatione.

Reſpon. ad 1 quæſtum.

Improbat.

A

Ad primam rationē

& tamen nunquam ceperunt principes de cognatione hac, & non increpantur de hoc sequentes Israelitæ: ergo non erant obligati accipere principes de hac stirpe. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd non obligati fuerunt Israelitæ ex illo verbo, quia ad hoc, quòd aliquis obligetur ad aliquid agendum, non solum requiritur verbum obligatorium ex parte ipsius, sed etiam, quòd ille, cui fit promissio acceptet eam, sed non solùm Gedeon non acceptauit, sed etiam non habuit promissionem acceptam, sed etiam expresse repugnauit dicens: non dominabor ego vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus Deus: ergo non mansit obligatio ex promissione hac.

Ad secūdam rationē

Ad secundum dicendum dupliciter. Vno modo, quòd non intelligitur illa litera de constituendo aliquem de filiis Gedeonis principem, sed de eruendo eos à morte, vel de vindicando mortem eorum. Nam Israelitæ tenebantur eruere filios Gedeonis de manu Abimelech, sed non eruerunt quin potius aliqui de Israelitis fuerunt adiutores Abimelech ad hæc patrandum. Vel saltem si nō cognouit totus Israel quid moliretur facere Abimelech priusquam faceret, ita vt liberare posset filios Gedeonis de manu eius, tamen debuerat saltem hoc facto vindicare mortem illorum occidendo Abimelech, sed non curauerunt: quin potius consenserunt in eum velut in principem, vt supra declaratum est.

B

Aliter ad secūdam rationē

Aliter potest dici, quod non seruauerunt misericordiam ad domum Gedeonis, scilicet, quia quamquam non tenerentur velut ex debito, tamen ex quadam æquitate debuerunt filios Gedeonis honorare, & aliquem eorum constituere principem cum tanta bona eis Gedeon feciſſet, & ipsi ei principatum pro se, & posteris suis obtulerant, sed ipse ex vrbanitate non accepit: quanto ergo vrbanior ipse fuit, tanto Israelitæ prōptiores ad benefaciendum ei, & posteris suis esse debuerunt, sed non fecerunt.

Quomodo dixit Abimelech, quòd septuaginta viri filij Gedeonis regnaturi erant.

Qvæstio X.

Qværetvr, quomodo dixit Abimelech, q̄ septuaginta viri filij Gedeonis dominaturi erant. Nam principatus semper vni committitur: maxime secundum modū principatus Hebræorum, quia inter eos nunquam fuerunt Aristocratiæ, nec Oligarchiæ, Timocratiæ, aut Democratię, sed semper Monarchicus principatus. Respondendum, q̄ si filiis Gedeonis tradendus fuisset principatus non datus fuisset omnibus, sed vni, scilicet primogenito, quia in omnibus dignitatibus, quæ per successionem deriuantur primogeniti succedunt: & hoc tam in dignitatibus secularibus, vt patet in Ruben de quo supra dictum est, quam in spiritualibus, s. in summo sacerdotio. Nam per primogenitos deriuabatur, vt patet Leuit. 21. scilicet q̄ summus sacerdos debet semper maior esse inter fratres suos: dicebat tamen Abimelech Sichimitis hoc mentiendo ad terrendū eos, vt sic facilius consentirent intentioni suæ. Vel forte intelligebat Abimelech, q̄ isti septuaginta viri diuiderēt principatum, ita quod vnus dominaretur vni parti terræ, & alius alteri cū essent fratress, & tunc tanto magis grauarentur subditi quanto minor pars esset data cuilibet de principibus, cum quilibet eorum vellet ita magnus, & glorioſus videri, velut si quisque eorum in solidum Dominus esset Israel, & hoc esset in grauamen Sichimitarum, quia quamquam vnico domino subdendi erāt tamen ille præmeret nimis eos extorquendo ex causa dicta.

C

Quomodo potuerunt Sichimitæ credere Abimelech, quod omnes septuaginta viri dominari deberent.

Qvæstio XI.

Qværetvr quomodo potuerint Sichimitæ credere Abimelech, quod omnes 70. dominari deberent. Respondendum, q̄ quamquam non crederent, quod omnes in solidum dominari possent, aut aliquando dominarentur, tamen credebant forte, quod dominarentur diuisa inter s. terra scil. q̄ quamquam de iure ad solum primogenitum veniret totum ius dominandi, quia tamen reliqui erant fratres sui diuideret cum eis terram, licet inequaliter: & tunc grauaretur terra, vt supra dictum est. Vel forte crederent, quod omnes dominarētur scil. per successionem, & vicibus permutatis scilicet quod vnus dominaretur vno mēse, & alius alio: & sic fieret circulus per illos secundum determinationē temporis. Et hoc modo grauarentur Israelitæ in duobus. Primò in varietate dominorum. Nam cum sint tot sensus, quot capita, eo quod ad diuersitatē corporum sequitur varietas animorum, quilibet imperaret modo suo, & sic essent Israelitæ semper in altercatione, sed hoc est molestum. Secundò grauarentur per extorsiones: Nam cum nullus esset princeps ad semper, eo tēpore quo principaretur raperet multa, de quibus viueret dum non dominabatur. Iste modus fuit inter Etheoclem, & Polynicem filios regis Oedippi, & Iocastæ, qui dominabantur in ciuitate Thebarum, & quia ambo eodem partu effusi sunt non videbatur, cui deberetur ius regnandi, ideo cum contenderent conuentum est, quod alternis annis regnarent, & primo anno regnauit Polynices, qui finito anno cum nollet cedere principatui infanda bella inter fratres secuta sunt. De quibus Statius in Thebaide, & Seneca Tragedia tertia, quæ vocatur Thebais. Aliter & melius poterat hoc intelligi, scilicet, quod principatus in solidum vni daretur ad semper, tamen quia cæteri erant fratres sui permitterent eis, quod iuberent in populo, & sic nihil different ipsi à veris dominis, licet non vocarentur domini, & præcepta multorum dominorum grauarent nimis subditos. Etiam, quia ille, qui teneret principatum totius Israel, vt conseruaret, & gubernaret fratres suos in magno statu faceret extorsiones à populo: nam septuaginta viri in statu principatum non poterant gubernari, nisi valde pressis subditis.

D

In duobus grauarentur Israelitæ

Quomodo dixit Abimelech, an vellent potius Israelitæ, quod dominaretur eis vnus vir, vel septuaginta viri, &c.

Qvæstio XII.

Qværetvr vlterius, quomodo dixit Abimelech, an vellent potius, quod dominaretur eis vnus vir, vel septuaginta viri, quia eadem ratio videbatur esse de eo & de quolibet alio: nam sicut dominante alio de filiis Gedeonis dominarentur omnes, quia fratres erant: ita dominante ipso dominarentur reliqui, quia fratres sui erant. Aliquis respondebit, quòd Abimelech minori consanguinitate eis coniungebatur, eo quod erat solum frater ex patre: illi tamē, qui ex vtroque parente fratres sunt, magis sibi attinent, magisque se diligunt. Sed dicendum, quod hoc nō stat, quia sicut Abimelech non erat frater istorum septuaginta ex matre, sed ex patre tantum, ita ipsi inter se non erant fratres vterini, sed ex diuersis matribus: sic patet præced. cap. scilicet habuit Gedeon septuaginta filios, quia habuit plures vxores: ideo quātum ad hoc non erat differentia. Sed dicendum, quòd omnes isti septuaginta erant fratres ex vxoribus, erantque legitimi; Abimelech autem solus erat ex concubina, ideo illi septuaginta sē inuicem tanquam fratres diligebant, ipsum aūt Abimelech non tenebant tanquam fratrem, nec ipse eos: nā consuetudo legitimorum erat odisse illegitimos, & fugere eos: sic enim fuit de Iephte Galaaditæ, quem fratres sui eiecerunt de domo patris sui, & de terra, eo quòd esset illegitimus infra vndecimo capitulo: ideo cum dominaretur aliquis de septuaginta diuideret bona principatus sui aliis fratribus, & sic viderentur tanquam septuaginta domini, vt declaratum est: ipse autem Abimelech nō censebat sibi aliquid commune cū illis septuaginta, eo quod ipse erat illegitimus, ideo si dominaretur nō traderet eis partem principatus, sed potius occideret eos, vel deprimeret, ne possent ei auferre principatum. *Simulque considerate, quia os vestrum, & caro vestra sum.* Id est etiam considerare aliud, quia ego sum care vestra, & os vestrum, id est sum de progenie vestra, ideo si ego principor vos quoque censebimini principes. Dicebat hoc, quia mater sua erat de Sichem, & habebat ibi cognationem magnam supra in litera, & præced. cap.

E

F

Dott. solidior resp. ad quæsitum.

Cur moueri deberent Sichimitæ ad constituendum Abimelech in principem.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, cur moueri deberent Sichimitæ ad cõstituendum Abimelech in principem, eo quod erat cognatus eorum. Respondendum, quod vtilitas Sichimitarum mouere debebat eos: nã ex hoc, quod esset rex cognatus eorum, ipsi consequerentur maiores immunitates, & honores, & etiam fruerentur bonis: nam efficerentur ditiores. Sic patet 1. Reg. 9. cum Samuel vellet signare, quod Saul futurus erat rex in Israel, ait: & cuius erunt optima quæque in Israel nonne tibi, & omni domui patris tui? id est omnes communicabunt tecum in bonis regni. Item essent Sichimitæ honorabiliores, quia censerentur generosiores propter coniũctionem sanguinis ad regem. Item haberet magnam curam de eis potius, quam de aliis Israelitis ex affectione cognationis, & quæcunque bona abundantius illis conferret: Sichimitarum ergo intererat, quod Abimelech constituerent regem, ideo si necesse esset aliquem de filiis Gedeonis regnare magis benefaciebat Abimelech Sichimitis, si vellet suscipere regnum, quã illi facerent ei offerendo, vel dando ipsi regnũ. *Locutiq; sunt fratres matris eius.* Viderũt, quod erat vtile valde eis hoc, ideo diligenter hoc putauerunt: erant autem isti fratres matris honorabiliores reliquis de cognatione, ideo ipsi proposuerunt, & tractauerunt istud factum. *Ad omnes viros Sichem.* Scilicet congregando eos ad concilium. *Omnes sermones istos.* Scilicet illas duas rationes suasorias quas posuit Abimelech, alia quoque dicerent, quæ ex tempore, & loco cõgruere viderentur: scriptura tamen sola magis necessaria studiosè narrat. *Et inclinauerunt cor eorum post Abimelech.* Id est inclinauerunt omnes Sichimitas, vt desiderarent accipere in principem Abimelech. *Dicentes frater noster est.* Id est Sichimitæ inclinati sunt ex hac parte, quod Abimelech esset frater eorum. Nam ex hoc sciebant se participaturos bonis regni eius, & quamquam alia ratio esset satis efficax, scilicet, quod melius erat dominari vnum virum, quam septuaginta tamẽ huic magis assenserunt, quia illa erat communis toti populo, & ista de cognatione erat specialis in eis: magis autem diliguntur bona propria, quam communia.

Quare Sichimitæ acceperunt Abimelech in regem, cum non obligarentur ad hoc.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quare Sichimitę acceperunt Abimelech in regem ex eo, quod erat frater eorum, quia siue esset frater, siue non minime cogebantur eum in principem accipere, nec etiam quemquam alium de filiis Gedeonis. Dicendum, quod Sichimitæ non obligabantur accipere eum, nec quemquam alium in principem de filiis Gedeonis, vt declaratum est in quadam quæstione supra: putauerũt tamen forte Sichimitæ, quod propter verba, quæ dixerũt Israelitæ Gedeoni, scilicet denominare tu nobis, & filius tuus, &c. quod nunc vellent aliquos de filiis eius accipere, ideo voluerunt inter cæteros ipsi hunc accipere, quia vtilior eis erat, eo quod erat frater eorum. Alia causa est, quia dato, quod Israelitę nõ essent assumpturi aliquem de filiis Gedeonis, & hoc scirent Sichimitæ: tamen ipsi vellent accipere Abimelech in principem potius, quam aliquem de aliena stirpe de aliis tribubus Israel. Primum tamen verius est, quia putauerũt, quod principatus non daretur alicui extra domũ Gedeonis. *Dederuntq; illi septuaginta pondera argenti.* Non solum Sichimitæ voluerũt accipere Abimelech in principem, sed etiam dederũt ei magnum fauorem ad principandum toti Israel: nam pecunias ei magnas tradiderunt, & cum non haberent de propriis, tradiderunt de pecuniis Dei sui, quæ erant sacræ.

Ad quid Sichimitæ dederunt Abimelech pecunias has.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR ad quid Sichimitæ dederunt Abimelech pecunias has. Respondendum, quod forte hoc fuit ad hoc, quod inciperet habere statum: nam faciebant cũ principem suum, & tamen erat vir pauper, & quia erat opprobriũ eos habere principem pauperem dederunt ei pecunias istas. Aliter dicendum est, & melius, quod istas pecunias dederunt ei ad hoc, quod conduceret viros bellatores, & effectus potẽs occidere posset fratres suos, & tunc efficeretur rex. Et hoc patet, quia non dederunt ei istas pecunias postquam constituerunt eum regem, sed prius, & deinde occisis fratribus cõstituerunt eum regem.

An peccauerint Sichimitæ in his, quæ cum Abimelech fecerunt.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, an peccauerunt Sichimitæ in his, quæ fecerunt cum Abimelech. Respondendum, quod peccauerunt, quia Deus dedit pœnam eis pro hoc, sed Deus nõ infligit pœnam iniuste, ergo peccauerunt. Patet hoc in fine capituli, scilicet & reddidit Deus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum: Sichimitis quoque quod operati erant retributum est. Item Ioatham imprecatus est mala super Sichimitas, s. quòd Abimelech occideret eos, vt patet infra in litera: & ista maledictio venit per sententiam Dei super eos, scilicet in fine capituli, scilicet Sichimitis quoque quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Ioatham filij Ierobaal: ergo peccauerunt, quia si innocẽtes essent maledictio conuerteretur potius in benedictionem. Respondendum, quod peccauerunt Sichimitæ in his, quæ egerunt erga Abimelech, & domum Gedeonis, quia ipsi dederunt ei consilium de occidendo fratres suos: Quod patet, quia non acceperunt eum in regem quousque occidit fratres suos. Si tamen præter eorum conscientiam hoc egisset, magis abiecissent eum postquam occidit fratres, quã ante, sed non obiecerunt: imo susceperunt postquam occidit illos: ergo necessaria præsumptione cõuincuntur participes criminis saltem consilio, & non prohibendo. Item quod maius est, quia ipsi dederunt ei auxilium ad faciendum hoc, scilicet septuaginta marchas, vel pondera argẽti, de quibus cõduceret viros bellatores ad occidendum fratres suos, & si ipsi non dedissent ei pecunias istas Abimelech erat pauper, & nequaquam potuisset occidere fratres suos. Valde ergo peccauerunt, & sic eis redditum est, quia sicut ipsi dederunt fauorem ad occidendum filios Gedeonis, ita Abimelech, cui ipsi fauorem dederant, occidit eos, & deleuit Sichem, ita vt sal in ea spargeret, vt patet infra in litera.

An peccassent, ex eo quod solum acceperunt Abimelech in regem.

QVÆSTIO. XVII.

QVÆRETVR vlterius, dato quod non feciissent Sichimitæ aliquod malum contra filios Gedeonis, an peccauissent, ex eo, quod solum acceperunt Abimelech in regem. Respondendum, quod sic, quia licet non dedissent consilium de morte illorum virorum, nec ad hoc dedissent pecunias, saltem tamen, quia cognita morte illorum recipiebant in regem istum infandissimum peccabant: nam Deus increpat Israelitas, eo quod nõ fecerunt misericordiam cũ domo Gedeonis præcedenti capitulo, & hoc fuit, quia non vindicauerunt mortem septuaginta virorum iniuste occisorum: tenebantur ergo Sichimitæ, sicut cæteri vindicare istam mortem, quia ipsi quoque susceperant beneficia Gedeonis, sed poterant occidere Abimelech, & noluerunt: ergo peccauerunt. Item patet, quia peius est benefacere malefactori, quam non nocere ei, sed Israelitæ peccauerunt, quia non nocuerunt, vel punierunt Abimelech: Sichimitæ autem nõ solum non punierunt, sed etiam expleto facinore eum regẽ consti-

A

constituerunt, quasi in præmium huius sceleris: ergo valde grauiter peccauerunt constituendo eum regem.

An Sichimitæ peccassent creando Abimelech regem non occisis eius fratribus.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlterius, dato quod Abimelech non occidisset fratres suos, an Sichimitæ peccauissent constituendo eum regem. Respondendum, quod peccauissent, quia ipsi constituebant in principem manifeste indignum, scilicet illegitimum, & tales erant inhabiles ad dignitates, nisi interdum ex necessitate cum non inueniretur alius conueniens ad regendum, sicut fuit de Iephte Galaaditæ, qui fuit illegitimus: quia tamen Israelitæ non inueniebant inter se virum fortem, & animosum, & doctum in armis, sicut Iephte: non solum receperunt eum in principem, sed etiam orauerunt, vt acceptaret, vt patet infra 11. c. Alias tamen sicut ordinantes simpliciter aliquos, vel indignos, priuantur potestate conferendi ordines, quos contulerunt, vt patet in decretis distin. 36. cap. qui in Eccles. Ita conferentes principatum alicui indigno priuari debent iure eligendi alium in principem. Sic etiam patronus præsentans scienter aliquem

B

indignum priuatur iure præsentandi pro illa vice, & eligentes in Ecclesiasticis dignitatibus scientes indignos, priuãtur iure eligendi, sed ista pœna non datur siue peccato: ergo peccauerunt mortaliter viri Sichem eligendo illegitimum, cum nulla esset necessitas dispensandi. Item qui circa electionem prælatorum, & in illis, in quibus versatur status publicus, vtitur acceptione personarum, peccat mortaliter, cum Deus hoc vetet Deuteronom. primo: sed Sichimitæ vsi sunt acceptione personarum cõstituentes Abimelech in regem, quia erat cognatus eorum solum, vt patet in litera, scilicet dixerunt: frater noster est, & inclinati sunt post eum: ergo peccauerũt. Itẽ si alicui de domo Gedeonis dandus erat principatus, oportebat dari primo genito, qui de iure succedebat, vel saltem alicui aliorũ si habilior reperiretur, quia isti magis pertinebant ad Gedeonem, sed in præiuditium istorum cõstituerunt Abimelech in regem: ergo peccauerunt, & tunc stabat increpatio Dei, scilicet quia non seruauerunt misericordiam ad domum Gedeonis, quia ad hoc debebant cum illis, qui erãt magis proprie filij eius seruare misericordiam. *De fano Baal Berith.* Id est istud argumentum acceperunt Sichimitæ de fano, vel templo Dei sui ad dandum Abimelech.

Quare hoc idolum vocetur Baal, Berith.

QVÆSTIO XIX.

C

QVÆRETVR quare vocatur sic istud idolum. Respondendum, quod Baal Berith est nomen compositum, & interpretatur fœdus, vel pactum, quia Berith significat fœdus. Et vocatur sic, quia in illo fano initum fuit fœdus: & potest hoc dupliciter intelligi: vno modo, quod Sichimitæ inierunt fœdus in fano illo cum Abimelech de sumendo eũ in regem, & ipse aliquid promiserit obseruare Sichimitis, & istud pactum fuit quando data est pecunia Abimelech. Aliter potest intelligi, quod fuit factum fœdus in illo templo cum Baal, scilicet quod totus Israel iniuit fœdus cum Baal in illo templo: & hoc colligitur cap. præcedenti. Nam dicitur, quod Israelitæ percusserunt fœdus cum Baal, vt esset eis in Deum, & celebrauerunt solennitatem fœderis in templo illo, & ex hoc specialiter vocaretur illud fanum fœderis. Aliter dicendum, & melius quòd ipsi habitatores Sichem specialiter inierant fœdus cum Baal: & hoc fecerunt in isto fano, & inde nomen accepit, vt patet infra in litera, scilicet ingressi sunt fanum Dei sui Berith, vbi fœdus cum eo pepigerant: & ex eo locus nomen accepit, quia erat valde munitus. *Qui conduxit sibi viros in opes, & vagos.* Id est ex illa pecunia cõduxit viros, vt adiuuarent eum ad occidendum fratres suos. Et dicitur: inopes & vagos, quia isto paruo pretio datos conducere potuit: diuites autem, & aliquibus rebus studiose operam dantes conducere non potuit, vel quia illi nolebant his commotionibus, & nouitatibus vacare, relicta cura rerum suarum, vel quia non poterat eos nisi magno pretio dato comparare. Inopes autem, & vagi non solum paruo pretio dato venirent, sed etiam nullo dato tamen præstaretur eis victus, & haberent ducem ad prædam: sic enim ad Dauid fugientem à facie Saulis conuenerunt viri inopes, & oppressi ære alieno, & amaro animo, factusque est princeps eorum 1. Reg. 22. & tamen nullum pretium eis dedit. *Secutique sunt eum.* Scilicet tanquam principem quocunque ire vellet, & ei in omnibus obediebant.

D

An Abimelech peccauerit conducendo sibi viros vagos & inopes.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR an peccauerit Abimelech conducendo sibi viros vagos, & inopes. Aliquis dicet, quod non, quia Dauid congregauit viros inopes, & oppressos ære alieno, & amaro animo: primo Regum 22. & tamen non culpatur de hoc. Respondendum, quod peccauit Abimelech cõducendo viros, quia quodcunque mala intentione fit, malum est, ipse tamen conduxit viros istos ad occidendum fratres suos: ergo peccabat. Quod patet, quia immediate dicitur, quod venit in domum patris sui, & occidit septuaginta viros. De Dauid autem non est simile, quia non congregauit viros istos ad occidendum aliquem: imo cum haberet eos, & ipsi vellent occidere Saulem hostem Dauid prohibuit valde Dauid, & hoc bis; primo Regum 24. & 26. capit. sed congregauit sibi istos viros ad alias causas licitas, vt dicetur primo Regum 22. capit. Item dato quod postea isti viri congregati à Dauid aliquod malum agerent, non peccaret, sicut Abimelech, quia Dauid non conduxit illos: imo non vocauit eos, sed ipsi scientes vbi esset Dauid conuenerunt ad eum, vt patet allegato capitu. Ex quo patet, quod non intẽdebat facere malum, cum nollet congregare viros illos, sed postea ad se venientes tanquam vtiles sibi susceptit. Item peccauit Abimelech, quia accepit istos viros ad agendum prædas, & agebat illas, vt patet infra. Sed obiicietur, quod etiam Dauid agebat prædas, & inde viuebat. Respondendum, quod Dauid agebat prædas, & bella contra illas gentes, contra quas licitum erat Israelitis hoc agere, scilicet contra Amalechitas, & Gessuri, & Gezre primo Regum 27. & contra Israelitas nunquam egit prædam, nec cuiquam nocuit, licet Israelitæ nocerent ei, quoniam iniuste eum à se expulerant; primo Regum 26. Abimelech autem agebat prædam inter Israelitas exercens tyrannidẽ, cum Israelitæ non nocuissent ei, peccauit ideo. *Et venit in domum patris sui in Ephra.* Scilicet venit secrete illuc, ignorantibus fratribus, nihilque mali suspicantibus: erat autem domus patris sui in Ephra, quia ibi habitabat Gedeon, vt patet præced. cap. *Et occidit fratres suos filios Hierobaal septuaginta viros.* Scilicet cepit omnes fratres suos in domo paterna, & occidit.

E

F

Quomodo potuit Abimelech occidere omnes fratres suos simul.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR quomodo potuit Abimelech occidere omnes fratres suos simul. Respondendum quod fratres sui non potuerunt suspicari aliquod malum de Abimelech, quia frater suus erat. Item quia nunquam interciderat eis aliquod dissensionis, propter quod deberẽt cauere. Item quia non putabant quod propter principatum, vellet aliquid mouere Abimelech contra illos, quia non poterat pertinere ad eum, tum quia ipse erat illegitimus, tum quia erat minor multis aliis fratribus suis. Item quia non erat nunc tempus sumendi principem sicut consuetum fuerat, cum accipiebantur alij Iudices Israel: nam nunquam sumebatur, nisi cum esset populus in angustia propter hostes. Itẽ nesciebant fratres, Abimelech quo iret: aut quid facere intendisset. Item quia ad hoc quod Abimelech aliquid moneret pro principatu, necesse erat quod aliquem fauorem, & magnum quidem haberet. Sed hunc non putabant eum

habere

habere fratres ſui. *Super lapidem vnum.* Omnes iſti manebant ad huc in domo paterna, quia modicum tempus tranſierat ex morte patris, occidit omnes Abimelech non tanquam hoſtis trucidans eos, ſed tanquam iudex, cum ſuper vnum lapidem fecerit omnes decapitari, ſcilicet quia eos ſigillatim capi. faciebat à viris ſuis, quia multos ſecum portabat, & iugulabat eos : & ex hoc maius facinus erat, ſcilicet quia vicem Iudicis vſurpauerat, cam tamen hoſtis eſſet, & vocantur hoc 70. viri, id eſt 69. nam minimus eorum, ſcilicet, Ioatham euaſit, vt patet infr. *Remanſitq; Ioathan filius Hierobaal minimus.* Scil. de 70. fratribus legitimis iſte ſolis euaſit. *Et abſconditus eſt.* Scilicet abſcondit ſe in domo, dum fiebat iſta interfectio, & poſtea fugit: non tamen erat iſte minimus, id eſt, valde paruus ætate: quia immediatè cùm Sichimitæ vngerent Abimelech in regem occiſis fratribus aſcendens ſuper montem Garizim propoſuit parabolam coram Sichimitis de arboribus vngentibus regem, & tamen illam parabolam neſciret proponere, niſi vir ſenſatus, ideo eſſet pluſquam 20. annorum. *Congregatique ſunt omnes viri Sichem.* Poſtquam Abimelech occidit fratres ſuos hic Sichimitę cõgregati fuerunt ad vngendum eum in regem, & congregati fuerunt omnes, quia concordes erant in hoc eo quòd putabant ſe aliquid magni boni aſſequi cum haberent regem de ſtirpe ſua. *Et vniuerſæ familiæ vrbis Mello.* Id eſt, omnes cognationes
B vrbis Mello, etiam venerunt ad hanc vnctionem.

Quæ ſit vrbs Mello.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quid ſit vrbs Mello. Aliqui putant, quòd Mello ſit eadam ciuitas, quæ Sichem, & volunt quòd ſit hic petitio ſententiæ per alia verba, ſicut fit interdum in alijs locis, vt patet ſecundo Regum 20. non eſt nobis pars in domo Dauid, nec hæreditas in filio Iſai. Simile eſt tertio Regum 12. & iſtæ locutiones frequentantur multoties in prophetis. Sed dicendum, quòd hoc non ſtat, quia iſte modus loquendi non cõuenit propoſito: nã iſtud fit in carminibus: ſicut patet in omnibus Pſalmis ferè. Etiam fit in prophetis, & maximè in Iſa. & pertinet iſte modus ad increpantes, vel quoſcunque paſſionatos. Ad hiſtoriam tamen vbi ſimplex veritas enarratur non pertinet. Item patet quia ſicut hic ponitur vrbs Sichem, & vrbs Mello tanquam duæ, ita ponuntur infra in verbis Ioathan, ſcilicet, ſi autem peruerſæ ignis egrediatur ex eo, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello. Aliquis autem dicit quòd Mello ſit nomen appellatiuum, quia ſecundum Regum quinto, dicitur de Dauid, quòd ædificauit à Mello intrinſecus: ergo non eſt nomen vrbis. Dicendum, quòd Mello ſecundum Hebræos interdum eſt nomen cõmune, & ſignificat profunditatem, vel præcipitium. Et ſenſus eſt illic, quòd Dauid ædificauit murum caſtrum Sion à Mello, id eſt, à quodam loco præcipitij inchoans: & aliqui falluntur putantes à Mello eſſe vnam dictionem, ſed falſum eſt. Nam ponitur ibi à vt poſitio: quòd patet in Hebræo, vbi ſolum ponitur Milo vbi nos dicimus à Mello. Et patet hoc magis primo Paralip. 11. cùm dicitur. Ædificauit vrbem in circuitu à Mello vſque ad gyrum. Ioab verò reliqua vrbis extruxit, & ſic adijcit ibi terminum cùm ponatur etiam vſque. Hic tamen non poteſt ſtare Mello pro nomine communi, ſed eſt neceſſario nomẽ vrbis. Quod patet, quia dicitur : Vniuerſæ cognationes, vel familiæ vrbis Mello, & infra dicitur oppidum Mello. Ideo dicendũ, quòd iſta Mello, erat aliqua parua ciuitas apud Sichem, quæ etiam fuit conſentiens Sichimitis vngendo Abimelech in regem, & viri vrbis illius venerint ad coronationem Abimelech. *Abieruntque, & conſtituerunt regem Abimelech.* Scilicet, faciendo cum eo pactum de modo regnandi, & præſtando iuramenta de fidelitate ſeruanda interueneruntque aliæ cæremoniæ, quæ interuenire ſolent in regum coronatione, & conſtitutione.

C *Error quorundam opinantium à Metallo eſſe vnam dictionẽ*

Quare nunc Sichimitæ trearunt regem Abimelech occiſis. fratribus omnibus, & non prius.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR quare nunc conſtituerunt regem Abimelech occiſis fratribus omnibus, & prius non. Reſpondetur, quòd quanquam prius Sichimitæ iniuiſſent fœdus cum Abimelech, & dediſſent ei pecuniã de templo Dei ſui, tamen noluerunt eum conſtituere regem propter multa. Primò propter ſecuritatem ſuam. Nam ſi ſuperuiuerent fratres Abimelech ipſo conſtituto in regem, illico conuenirent omnes contra eum cõgregantes totum Iſrael tanquam contra vſurpatorem principatus eorum, & Sichimitas tanquam fautores, & ſuaſores mali occiderent, vel affligerent valde: nunc autem mortuis omnibus fratribus Abimelech, nullus manebat, qui petere poſſet principatum. Etiam Iſraelitæ nullum videntes ſupereſſe de ſtirpe Gedeonis, cui adhærerent, non curarent mouere bella contra Abimelech, & Sichimitas: ideo tunc ſecurè eum regem vnxerunt. Secundò quia dum viuerent fratres Abimelech putabant Sichimitæ, quòd poſſet cõuenire cum eis de modo principatus: & tunc illi ſuſcepta poteſtate contra Sichimitas tanquam contra auferentes eis principatum ipſis debitũ durè ſe haberent, ideo
E noluerunt Sichimitæ ſe firmiter oſtendere pro parte Abimelech quouſq; conſtaret eis, quòd nõ poſſet iam fieri concordia inter Abimelech, & fratres ſuos : & iſtud erat mortuis fratribus, ideo vſquequo mortui ſunt non conſtituerunt eum regem. Simile fuit Iſraelitis cum Abſolone contra Dauid: ſed non dũ firmati erant cum ipſo timentes, quòd concordarentur cum patre ſuo, & Iſraelitæ paterentur pro hoc: ideo Achitofel, qui erat prudentiſſimus conſiliarius dixit Abſaloni, quòd ingrederetur ad cõcubinas patris eius: & cum totus populus vidiſſet quòd deturpaſſet patrem credens, quòd impoſſibilis iam foret concordia confirmaretur cum eo, & ſic factum eſt, ſecundo Regũ decimo ſexto cap. Cauſa tertia fuit, quia volebant Sichimitæ videre, an rex cõſtituendus ſuper eos eſſet vir bellicoſus dignus regno, quia alioquin ſtultũ erat talem efficere regem: & ad hoc dederunt ei talenta ſeptuaginta argenti, vt inde comparatis ſibi bellatoribus præcederet cõtra fratres ſuos: ex quo videri poterat an eſſet vir bellicoſus. Cùm autẽ ipſe cautè ſe habuit contra fratres ſuos, occiditque omnes præter minimum, viderunt Sichimitæ eum in ſimiliter poſſe pugnare cõtra hoſtes: ideo ſponte eum conſtituerunt regem. *Iuxta quercum, quæ ſtabat in Sichem.* Ponitur locus, in quo fuit vnctus, quia cõſueuerant gentiles conſtituere reges apud aliqua loca inſignia, vt apud arbores, vel fontes, vel lapides magnos. De fontibus patet de vnctione Adoniæ filij Dauid in regem : nam vnctus eſt apud lapidem Zoleth, qui coniunctus eſt fonti Rogel tertio Regum primo capitul. Salomon quoq; vnctus eſt apud fontem : quia Dauid iuſſit, quòd ducerent eum in Gion, & ibi vngerent eum, eo. cap. Eſt autem Gion fons Syloe, vt omnes volunt. De arboribus autem patet, vt Abimelech vnctus fuit hic apud quercum Sichem. Ratio huius eſt, quia illi, qui faciunt iſtas vnctiones regum volunt regnum illorum permanere, & imprecantur, quòd permaneat: ideo faciunt cæremonias, per quas ſignificẽt ſe hoc velle. Sic enim cum fons emittat ſemper aquas vnctio apud fontem ſignificat continuitatẽ, & perennitatem regni apud arborem autem ſignificatur, quòd ſicut arbor viret, ita regnum illud ſemper in proſperitate vigeat.

F *Conſuetudo gentiliũ in regũ creatione.*

Quomodo fuerit vnctus Abimelech apud quercum quæ erat in Sichem.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR quomodo fuit vnctus Abimelech apud quercum, quæ erat in Sichem: quia dicitur, quòd Ioathan filius Gedeonis veniens ſtetit ſuper montem Garizim quando Sichimitæ cõſtituebant regem, & locutus eſt eis parabolam de lignis vngentibus regem infra in litera, & tamen ſi eſſet iſta quercus in vrbe Sichem, non viderent Sichimitæ, nec audirent Ioathan loquentẽ in monte, ergo erat quercus

A quercus extra vrbem. Reſponderi poteſt dupliciter : vno modo, quòd quercus erat in agro Sichem, & ad eam conuerunt Sichimitæ vnćturi regem, & tunc ſtetit Ioathan ſuper montem Garizim, & locutus eſt ad viros Sichem, & tunc dicetur, quòd erat iſta quercus in Sichem, id eſt, apud vrbem, quia illa, quæ ſunt apud vrbem dicuntur eſſe in ea : ſic patet Ioſue quinto, vbi dicitur in litera noſtra, quòd erat Ioſue in agro vrbis Iericho dicitur in Hebræ oquòd erat in Iericho. Aliter poteſt dici, quòd erat quercus intra vrbem in aliquo loco manifeſto, ſcilicet in platea vrbis, & quia ciuitas erat ad radices montis Garizim poterat Ioathan in ſupercilio montis exiſtens videri, & audiri planè intra vrbem. Magis tamen dicendum, ꝙ iſta quercus erat vrbem extra Sichem modicum diſtans ad vrbe : & ibi fuit facta vnćtio Abimelech : quia erat quercus illa annoſa, & honorabilis fortè apud Sichimitas, & ducta in cultum quandam religionis : ſicut apud Gentiles quædam arbores colebantur nulluſque audebat eas tangere, eo quòd dicebantur nimphæ conuerſæ in illas arbores, & latere ſub illis. Sic ponit Ouidius Metamorphoſeos ſecundo de ſororibus Phaetontis conuerſis in vlmos in flumine Eridano, electrum ſudans per fixuras arborum lachrymas Phaetontiadum eſſe aſſerit. Erat autem iſta quercus multorum annorum, quia ex tempore Iacob ibi erat : nam quando Iacob egreſſus de Sichem ibat in Luzā dicitur, quòd accepit Deos aureos, & argenteos, quos reperit in familia ſua, & infodit eos ſubter therebintum, quæ erat poſt vrbem Sichem Geneſ. 35. cap. & illa therebinthus erat tunc famoſa, quia aliàs non vocaretur ſic abſolutè. Eſt autē therebintus id, quòd quercus. Etiam manebat illa therebintus tempore, quo Moyſes ſcribebat Geneſ. Vnde dixit ſub therebintum, quæ eſt poſt vrbem Sichem, & non dixit, quæ erat manent autem iſtæ arbores magno tempore : ſic enim therebintus, vel lex illa, quæ erat in valle Mambre, ſub qua moratus eſt aliquando Abraham manſit vſque ad tempora Theodoſij Imperatoris, vt ſcribit Ieronymus : & tamen fuerunt hic plura quàm duo millia annorum, & adhuc aliquid eius manere dicitur : ſub quadam regione ab incolis terræ obſeruari, vt patet in libro de ſitu terræ ſanctæ : ſic ergo à fortiori poterat iſta quercus Sichem ſeruari vſque ad tempus, quo Abimelech conſtitutus eſt in regem, quod non fuit tempus quingentorum annorum, vel quaſi. Et credendum eſt, quòd apud eam conſecratus fuerit rex, & ſic erat populus extra vrben, & Ioathan loqueretur eis de aliqua altitudine montis Garizim.

Electrū lachrymæ phaetontiadum.

Iaſon claret, & Troiam primo cap.

C *Quod cum nunciatum eſſet Ioatham, iuit, & ſtetit in vertice montis Garizim: eleuataque voce, clamauit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus. Iuerunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem: Dixeruntque oliuæ : Impera nobis. Quæ reſpondit : Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis. Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire vt inter cætera ligna promouear: Locutaq́ ſunt ligna ad vitem : Veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis. Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? Dixeruntque omnia ligna ad rhannum : Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis : Si verè me regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhanno, & deuoret cedros libani. Nunc igitur ſi rectè, & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech, & bene egiſtis cum Ieroboal, & cum domo eius, & reddidiſtis vicem beneficijs eius, qui pugnauit pro vobis, & animam ſuam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian, qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros ſuper vnum lapidem, & conſtituiſtis regem Abimelech filium ancillæ eius ſuper habitatores Sichem, eo quòd frater veſter ſit : ſi ergo rectè & abſque vitio egiſtis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis. Sin autem peruerſe : egrediatur ignis ex eo, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello, egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech. Quæ cum dixiſſet fugit, & abijt in Bera : habitauitque ibi ob metum Abimelech fratris ſui. Regnauit itaque Abimelech ſuper Iſrael tribus annis.* D

Labyrinthus Crata per Dædalum condi-tur.

Quod cùm nunciatum eſſet. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, digna maledictio Abimelech, & virorum Sichem pro inſtitutione Abimelech in regem. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur parabolæ aſſignatio. Secundò eius expoſitio, vel interpretatio ibi. *Nunc igitur.* Circa primum dicitur. *Quod cùm nunciatum eſſet Ioatham.* Iſte erat minimus de fratribus 70. qui occiſi ſunt, & euaſit, & cùm poſt aliquot dies à morte filiorum Gedeonis vellent Sichimitæ vngere Abimelech in regem nunciauerunt quidam hoc Ioatham filio Gedeonis, qui iam non latebat. *Abijt & ſtetit in vertice montis Garizim.* Eſt enim mons Garizim apud vrbem Sichē, ſcilicet, quòd vrbs eſt ad radicem montis : eſt enim Sichem ciuitas quæ nunc Neapolis, id eſt, noua ciuitas appellatur, vt patet in libro de ſitu terræ ſanctę. Mons Garizim eſt ille, ſuper quem poſitæ fuerunt benedictiones pro ſeruantibus legem, & in monte Hebal ſibi coniuncto poſitæ fuerunt maledictiones pro vialatoribus : Deuteronomij vigeſimo ſeptimo, & Ioſue octauo. *Et eleuata voce clamauit, & dixit.* Diſtabat aliquantulum Ioatham à Sichimitis : ideo vt perueniret vox eius ad illos. Item Sichimitæ erant multi, qui conuenerant ad vngendum regem, vt omnes ergo audirent clamauit. *Andite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus.* Modus obſecrationis eſt, ſcilicet, rogo quòd Deus vos exaudiat in omnibus, quæ petieritis, ſi me audire volueritis.

Digna maledictio Abimelech, & virorum Sichem pro creatione Abimelech in regē.

E *Situs montis Garizim.*

Ad quid volebat ad Sichimitas Ioatham clamare.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR ad quid volebat Ioatham clamare ad Sichimitas. Reſpondendum quòd voluit Ioatham conuertere cor Sichimitarum ad ſe, oſtendendo eis quomodo egiſſent peſſimè conſtituendo Abimelech in regem, & dando ei fauorem, vt occideret 70. fratres ſuos filios Gedeonis, & ipſi fortè tunc erubeſcerent, & relicto Abimelech redirent ad eum. Vel ſaltem volebat monere Sichimitas ad abominationem Abimelech commemorādo eis nequitiam illius, & indignitatem ad principatum, vt ſic ſaltem deſererent eum, & puniret Abimelech, qui iniuſtiſſimè occiderat fratres ſuos. Vel fortè dato quòd nullum iſtorum ſequeretur, volebat ſaltem oſtendere ipſis Sichimitis malitiam ſuam, & imprecari ſuper eos maledictionem. Nam hoc quodammodo vindictam ſumebat. F

An peccauit Ionatham exponendo ſe huic periculo.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR vlterius an peccauit Ionatham exponendo ſe huic periculo, ſcilicet, loquendo iſta coram Sichimitis. Aliquis dicet, quod ſic quia quòd quis exponat ſe periculo graui, & ſine cauſa, peccatum eſt ſed ſic ſe exponebat Ionatham : nam locutus eſt verba contumelioſa contra Sichimitas, vt patet in litera : Etiam erat ibi Abimelech frater eius, qui cæteros fratres occiderat, & conaretur etiam hunc occidere : Reſpondendum quòd non peccauit Ionatham, quia poſuit ſe in loco tuto : nam erat in loco quodam eminentiſſimo montis Garizim, ex quo videbat omnes Sichimitas, qui conuenerant in agrum apud quercum ad conſtituendum regem, & erat ſatis diſtans ab eis. Quod patet, quia ad hoc quod audiretur ab eis clamabat eleuata voce, vt patet hic. Etiam erat in loco eminenti, de quo videret,

A an ex aliqua parte ei insidiæ pararẽtur, & aliquis iret ad tenẽdum eum, & siquis vellet eum persequi, poterat fugere : ita vt nemo eum cursu consequi posset. Sic enim bis fecit Dauid erga Saulem. Nam primo cùm præcidit oram clamydis eius stans à longe clamauit, dicens: si erat illa pars vestimenti eius, & cum esset propè non ausus est clamare. De quo primo Regum vigesimo quarto cap. Iterum etiam quando intrans castra Saulis cepit lanceam, & sciphum, quæ erant ad caput eius, egressus castra, & stans à longe in quodam colle clamauit ad Saulem increpando eum 1. Regum vigesimo sexto cap. & tamen Dauid non peccauit in illis, quia non se exponebat periculo, sed magis erat in loco tuto : sic etiã Ioatham nunc. Cùm autem dicitur, quòd erat ei periculum magnũ tàm propter Sichimitas, quàm propter Abimelech. Dicendum quòd si fuisset prope, vel in loco, in quo posset capi, periculum graue esset, & peccaret exponendo se illi, sed cum esset longè super montem nulli periculo se exponebat. *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem.* Hic incipit parabola de lignis vngentibus regem.

Cur Ioatham vsus est hac parabola.

Qvæstio XXVII.

B *Responsio quæsit.* Qværetvr cur Ioatham vsus est parabola hac. Respondendum quòd Ioatham volebat cõcludere quandam maledictionem contra Sichimitas, eo quòd vnxerant in regẽ Abimelech, & si proponeret sic verba nuda viderentur esse nullius auctoritatis, ideo voluit incipere à quadam parabola, secundum quam concluderetur intentus suus conformiter ad parabolam, & tunc esset maioris auctoritatis dictum suum : nam videtur habere ortum ex ipsa re. Sic enim est modus rhetoricus : nam & in quibusdam sermonibus nostris ab apologo, vel fabula inchoare iubet Tullius in primo libro rhethoricæ nouæ. Interdum antem proponuntur parabolæ vt dulcedine parabolarum attenti auditorum animi melius quid intendat loquens aduertãt. Et hoc modo vtebatur Christus sæpe parabolis, quia populus attentus parabolis veritatem gratius capiebat : hunc etiam finem habere voluit Ioatham, scil. quia desiderans. Sichimitas attentos effici verbis eius, proposuit gratam parabolam, vel fabulam, vt conuersioni eius libenter animum applicarent.

In quibusdã sermonibus à fabulis inchoãdum est

Quomodo hæc parabola de lignis regem vngentibus coaptatur intentioni Ioathæ.

Qvæstio XXVIII.

C Qværetvr vlterius, quomodo ista parabola de lignis vngentibus regem coaptatur intentioni suæ. Pro quo sciendum, quod Ioatham voluit concludere, quòd Sichimitæ vnxerant super se Abimelech iniustè, & in huius præuaricationis pœnam Deus faceret, quòd Abimelech affligeret illos. Aliqui autem applicant sic dicentes, quòd hic ponuntur cedri, ficus, oliua, & vitis. Per cedros intelliguntur principales fautores Abimelech, per ficum qui habet fructum dulcem, & per oliuam, quæ habet nitorem, & dulcedinem olei, & per vitem, quæ crescit valde in fructibus, intelliguntur filij alij Gedeonis, qui erant dulces mansuetudine, sicut ficus, & pingues diuitijs sicut oleum, & abundantes in prole, sicut vitis. Per rhannum vilissimam arborem accipitur Abimelech, qui erat vilissimus genere cum esset de concubina, & hunc petierunt Sichimitæ in regem. Sed ista expositio non pertinet ad alios filios Gedeonis, sed ad solum Abimelech : alios namque non petierunt in reges, sed, potius pecuniam, & fauorem ad occidendum eos præstiterunt. Sed solùm dicunt, quòd concordat quantum ad hoc, scilicet, quòd Sichimitæ tractabant inter se, an deberent accipere in dominos filios Gedeonis, & dixerunt : si fortè requisierimus eos, quòd sint domini nostri, ipsi secundũ magnificentiam suam dedignabuntur nostram vtilitatem, ideo voluerunt accipeee Abimelech in regem, qui vilis erat : & ob hoc non superbiret super eos, sed curam illorum ageret. Sed ista non stat, quia falsum est, quòd Sichimitæ, vel aliqui de Israel tractauerunt inter se de petendo in dominos filios Gedeonis, sed potius ipse Abimelech mortuo Gedeone iuit illico ad solicitandum viros Sichem, vt susciperent eum in dominum. Item non est verisimile, quòd Sichimitæ inter se putarent, quòd filij Gedeonis dedignarentur eos accipere in subditos, quia nullus est dominus quantuscunque ille sit, qui dedignetur suscipere aliquos in subditos quantumcunque sint paruæ dignitatis, quia maioris honoris est habere seruos paruæ excellentiæ, quàm nõ habere illos. Potissimè, quia viri Sichem non erant indigni, imò videbantur sibi nobiliores, quàm filij Gedeonis, quia Sichimitæ erant de filijs Ephraim : & filij Gedeonis de Manasse: Ephraitæ tamen erant superbi nimis. Vnde semel intumuerunt contra Gedeon, ita vt vellent ei inferre vim, præcedenti capitul. quousque Gedeon laudauit eos plusquam se, & iterum contra Iephte Galaaditem superbierunt infra 12. Aliter dicunt Hebræi, & Nicolaus, scilicet, quòd ponuntur hic tres arbores, quæ noluerunt accipere regnum inter arbores ad significandum tres personas, quæ inter Israelitas ante hoc recusauerant principatum, scilicet Hothoniel, Debbora, & Gedeon de Gedeone patet, quòd recusauerit principatum, quia noluit effici dominus, supra præcedenti capit. De Hothoniele, & Debbora dicunt idem esse, scilicet, quòd recusauerunt quanquam non legatur de illis, & significatur per oliuam Hothoniel, quia ille erat de tribu Iuda, supra tertio, est tamen oliua significans Iudam, vt patet Ieremiæ vndecimo, scilicet. Oliuam fructiferam vocauit dominus nomen tuum. Debbora significatur per dulcedinem ficuum, quia Debbora in Hebræo interpretatur apis, quæ mellis dulcedinem causat : per vitem significatur Gedeon, quia fuit de stirpe Ioseph, qui vocatur filius accrescens Genes. quadragesimo nono. Sicut vitis valde crescit in fructibus. Et quanquam istæ tres personæ essent meliores quam Abimelech noluerunt suscipere regnum, & Abimelech, qui erat viliissimus sicut rhannus suscepit illud. Sed adhuc non stat ista positio, quia satis apparent confictа hæc : quæ inducuntur. Nam dicunt, quòd Hothoniel, & Debbora nolunt principatum regalem, sed non constat an alicui oblatus fuerit, imò verisimile, quod vlli fuisset oblatus ante Gedeonem, quia si alicui fuisset oblatus, & noluisset illum recipere, iam Israelitæ videntes, quòd malè facerent talem principatum offerentes, nemini illum darent. Item istæ applicationes de arboribus ad istas tres personas sunt multum alienæ, vt cuilibet patet. Item erant contra conditionẽ parabolarum, vel fabularum, quia nunquam fabula secundum se totam applicatur ad id, de quo agitur: sed satis est ꝙ applicetur secundũ quid, & isti volunt excludere expositionem priorem, eo quod non applicatur quantum ad omnes partes suas. Dicendum ergo videtur, quòd Ioatham tempore erat ista fabula vulgata de lignis ad vngendum regem super se, & erat prouerbialis, ipse autem voluit eam nunc applicare ad propositum suum, & applicabatur in quadam particula finali, scil. ꝙ ligna acceperunt super se rhamnum in regem, & egressus ignis de rhamno cõbussit cedros. Ita nunc Sichimitę nõ curantes de alijs filijs Gedeonis, qui erant viri meliores quã Abimelech, eligerũt Abimelech & si rectè egerunt eueniat eis, ꝙ rhamnus dixit ad arbores, scil. sub vmbra mea requiescite : & si non rectè fecerunt accideret eis malum, quod dixit Rhamnus, scilicet, egrediatur illis de Rhamno, & comburat cedros libani. Ita imprecatus est Ioatham, quòd egressum malum ab Abimelech vastaret habitatores Sichem. Et ista malectio postea euenit Sichimitis : quia Abimelech concitatus fuit contra eos, & occidit illos, deleuitque ciuitatem, ita vt in ea sal spargeret infra in litera. *Dixeruntque oliuæ impera nobis.* Istud est lignum excellens, & magnæ vtilitatis : nam oleum inde natum tam ad condimenta, quam ad curanda vulnera est, sic Samaritanus infudit vinum, & oleum vulneribus sauciati : Luc. 10. Et inducebatur communiter istud prouerbium antequam proponeret illud hic Ioathan ad significandum, quod boni recusant principatum, & mali vsurpant illum. *Quæ respondit Nunquid possum deserere pinguedinem meam?* Quasi dicat, nolo suscipere principatum istum, vt suscipiendo eum non perdam pinguedinem meam.

D

Hebræorum ac Nicolai respon. ad quæsitum.

E

Doct. solidior respon ad quæsitum.

F

Quare oliua respondit, quod nolebat vngi in regem, ne perderet dulcedinem suam: & de conditione, & occupationibus regum, & prælatorum, & misera vita eorum.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR quare sic respondit oliua, quia non videtur, quòd quanquam promoueretur inter ligna, perderet pinguedinem suam. Considerandum pro solutione, quòd omnes arbores bonæ similem excusationē posuerunt: nam ficus dixit: Nunquid possum deserere dulcedinē meam fructusque suauissimos, vt inter ligna promouear? & vitis dixit: Nunquid possum deserere vinum meum &c. quasi ex hoc quod regnaret, priuaretur his bonis. Dicendum est, q̄ cum ista fabula secundum rem non competat lignis, non debet attendi veritas, & falsitas sua secundum id, quod apparet in lignis: sed secundum id, quod apparet in illis, ad quæ ista fabula applicatur. Debet autem applicari viris bonis, quibus regnum offertur, & non suscipiunt illud, scil. quòd ipsi sumendo regnum perdunt bona, quæ in seipsis reperiunt: q̄ profecto ex parte verum est. Nam cum homo manet vt persona priuata, potest conari ad proficiendum in bonis suis, & potest exornare mores suos cōsiderando quantum quotidie proficiat, & quantum deficiat: cùm verò ad statum regiminis extollitur tanta alienarū curarum mole premitur, quòd ad seipsum vix redire potest, cùm tota solicitudo, quæ iam pridem erga se impendebatur, nunc ab exteros adhibenda sit. Deflent autem præcipuè viri verè contemplatiui, qui Deum toto pectore sitientes, vix hic ad eius amplexibus diuagari quærunt defixis in eum peruigili cura oculis mentis eorum, de quibus Isa. 61. dicebat: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas, ad regiminis autem sublimati thronū à contemplatione in actionem ex suscepto statu descendere compelluntur? pro quo Gregorius, qui prius diebus, noctibusq; contemptus expertus sortis suæ esset, considerans mentis perditam tranquillitatē, & tumultuantium negociorū importunas agitationes, & velut naufragus concussionē mētis suæ inter feros fluctus deplorabat, vt patet in princ. dialogorum. Reges quoq; huiusmodi patiuntur: nam si prius viri boni fuerunt sibi ipsis vacantes, si susceperit ad regiam celsitudinē rem nō perfunctoriè, sed qualiter oportet agant, varijs perurgentium quotidie causarum frequentationibus agitantur, quas tamen declinare fas non est. Accidit, & insuper timor, qui regentem attonitū tenet: nam & ipsos, in quorum manibus situs est, exhorrescit. Vnde aperte tyrannus ille Siculus expertus sortis suæ periculorum, quæ regni metus pendentis supra verticem gladij terrore simulauit, vt ait Boetius de consolatione libro tertio, prosa quarta. Verè ergo oliua pinguedinem suam, & ficus dulcedinem, & vitis vbertatem viniq; iucunditatem dimitterent, si inter ligna promoueri vellent. *Qua dij vtuntur, & homines.* Homines vtuntur pinguedine olei in condimentis, & in vulneribus fomentandis. Dij autem vtuntur, scilicet quia tam Deo Iudæorum quàm dijs aliarum gentium oleum ad lucernas præstabatur. Nam in sanctuario domini ad lucendum nihil suscipiebatur nisi oleum, quia cera, & sepum non cremabantur ibi, vt declaratum est Exod. vigesimo septimo ca. Etiam vtuntur dij in sacrificijs, quia in omni holocausto, & hostia pacifica apponuntur libamenta, & ista sunt de simila, oleo, & vino Num. decimo quinto. *Vt inter ligna promouear.* Id est non est iustum, quòd ego deseram pinguedinem meam propter promotionem, scilicet, quia necesse erat dimitti illam, si regnaret: & hoc, quia reges si benè regunt nō debent intendere vtilitatibus suis, sed subditorum. Alioquin Tyranni, & non reges sunt. Sic patet octauo Ethicorum. *Dixeruntq; ligna ad arborem ficum.* Dictum fuit in ista fabula de istis quatuor arboribus principaliter de tribus bonis, & vna mala, quia compositor fabulæ voluit inducere tales arbores quærere se perdere, si regnarent. De rhamno autem positum est vt de mala arbore, quia non inueniebatur aliqua tam inutilis. *Veni, & super nos regnū accipe.* Quia ista erat digna regno offerebatur ei. *Quæ respondit.* Scilicet, non acceptando regnum. *Nunquid possum deserere dulcedinem meam.* Scilicet, quia ficus valde dulces sunt potissimè in terra Chanaan, in qua abundant, & sunt in magna quantitate ad modum mellos, tanta est copia eorum, quòd ad cibos communes fiunt massæ caricarum apud omnes, quæ alias vocantur massa palatarum. Vnde primo Regum vigesimo quinto dicitur quòd Abigail obtulit inter alia munera ducentas massas caricarum, id est caseos factos de ficubus, & Syba seruus Miphiboset obtulit ipsi Dauid centum massas palatarum, quod idem est, secundo Regum decimo sexto capitul. *Fructusque suauissimos.* Quia ad cibum valde suaues sunt propter dulcedinem: in Hebræo dicitur. *Renouationem meam bonam.* Id est nunquid dimittam renouationem meam. Istud dicitur propter duplicitatem fructuum: nam bis in anno ficus producunt fructus, & maturis primis fructibus incipiunt nasci secundi fructus. *Et ire, vt inter cætera ligna promouear.* Quasi dicat iniustum est, quod hoc deseram, vt regnando alijs lignis, & non mihi proficiam. *Locutaque sunt ligna ad vitem.* Etiam ista est arbor excellens: imò nulla est tam humanæ naturæ conformis, & salubris: ita vt non immeritò cæteras arbores datas ad bene esse humanum arbitremur: istam autem ad necessitatem vitæ. *Veni & impera nobis.* Quia regni digna erat plusquam cæteræ. *Quæ respondit.* Scilicet negando. *Nunquid possum deserere.* Id est, nunquid expedit quòd deseram. Sic enim accipimus ex modo vulgato non posse fieri, quod non expedienter fit. *Vinum meum quod lætificat Deum, & homines.* Accipitur lætificatio largè quantum ad Deos, quia dij non possunt lætificari vino cum non gustent illud, sed lætificantur inquantū iubent illud apponi sacrificijs nam in sacrificijs Dei apponuntur libamina, & vnum de illis est vinum: Numeri 15. capitul. Vel posset accipi de dijs, secundum modum loquendi Gentilium. Nam ista fabula non habuit ordium à Iudæis, sed à gentilibus: alioquin non diceretur de Dijs pluraliter, sed de Deo. Dij autem secundum modum gentilium, & poetarum suorum cibis vtebantur, & potibus libidinique operam dabant. Quod & nunc efficere aiunt, vt ait Martianus Mineus Fœlix Capella libro primo de nuptijs Mercurij, & Ephisiologiæ prosa prima: Homines autem lętificantur vino dupliciter. Vno modo directè inquantum vinum apponit quandam lætitiam multiplicando spiritus, & confortando cor: & sic accipitur Psalm. 103. scilicet vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Secundò modo lætificat indirectè, scilicet, tollendo curas, & inducendo obliuionē dolorū, & ob hoc erat cōsuetudo inter Hebræos, q̄ quando aliquis erat tristis nimis pro morte parentū, vel amicorū, q̄ daretur ei vinū, vt obliuiscere tur tristiciæ & consolaretur. Sic patet Ieremiæ decimo sexto scil. Et non frangent inter eos panem lugenti ad consolandū super mortuo, & non dabunt eis potum calicis ad consolandum sub patre suo, & matre: idem fiebat in omnibus tristitijs, vt patet Prouerb. trigesimo primo, scilicet. Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo, vt bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui nō recordentur amplius: simile patet tertio Esdræ cap. tertio, scilicet vinum mentem liberi, & serui, pauperis, & diuitis, & omnem mentem conuertit in securitatem, & non meminit omnem tristitiam & debitum, & omnia præcordia facit honesta. *Et inter cætera ligna promoueri.* Quasi dicat non expedit quòd istud perdam, vt inter ligna cætera promouear. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum.* Vt illa regnaret: est enim rhamnus arbor spinosa & inutilis, & sicca, quæ facili motu calorem concipit & ignem. *Veni & impera nobis.* Scilicet quia cætera non suscipiunt principatum. *Qui ait: si verè me regem constituistis vobis.* Non dixit hoc aliqua de arboribus prænominatis, sed dixit rhamnus, eo quòd cum nullam haberet excellentiam putauit, quòd non vero corde alia ligna sumerent eum in regem sed illusorie. *Sub vmbra mea requiescite.* Id est venite ad manendum sub vmbra mea, quia in veneration nem regiam debetis in omnibus mihi famulari. *Si autem non vultis.* Id est si non vultis verè me constituere regem, sed illuditis. *Egrediatur ignis de rhamno.* Hoc dicitur quia rhamnus facili motu ignem concipit, vt ait Augustus. *Et deuoret cedros libani.* Id est non solū arbores paruæ crementur, sed etiā magnæ, scil. cedri: sunt enim cedri arbores procerę nimis, & valde solidæ. Gignuntur autē potius in monte libano, qui est in terra Chanaan quam in alijs montibus, ideo dicitur de cedris Libani specialiter. Vel aliter potest intelligi. *Si verè me regem constituistis vobis.* Id est, si ego vere rex sum. *Sub vmbra mea requiescite.*

Regum & rectorum vita curarū plena.

Vnde Adrianus 3. ad pontificatū Ro. assumptus scribens cuidā amico dicebat dignus est miseria qui pro santa pugnat miseria in meu de, & malleo dilatabit modum & cat. vide originale Greg. & Adrian. quia pulchra

Terra Chanaan ficubus valde dulcibus abundat

Dij quo modo lætificant.

Homines vino dupliciter lætificantur. 1. modo 2. modo

Nota consuetudinē Iudæorum.

Rhamnus quid sit

Cedrus quid sit

A

requieſcite. Id eſt iubeo, quòd faciatis mihi hoc obſequium, ſcilicet, quòd requieſcatis ſub vmbra mea. *Si autem non vultis.* Id eſt ſi non vultis mihi obedire, cùm ſim rex veſter. *Egrediatur ignis de rhamno.* Scilicet egrediatur in pœnam inobedientiæ ignis, per quem deſignatur quæcunque pœna. Et ponitur ſpecialiter de igne, quia ignis gignitur faciliter de rhamno. *Et deuoret cedros Libani.* Id eſt puniat potentiſſimos. Et quantum ad iſtam partem vltimam applicatur ad Sichimitas, ſcilicet quod illi puniendi eſſent ſic ab Abimelech, quem conſtituerant in regem : quanquam ante hoc fuerat Abimelech abiectus, & impotens, ſicut de rhamno, qui erat arbor abiectiſſima egrediebatur ignis ad cremandos cedros Libani. *Nunc igitur.* Hic ponitur Methaphoræ ſiue fabulæ applicatio ad Sichimitas. *Nunc igitur ſi rectè abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech.* Id eſt, ſicut eſt de lignis ad rhamnum, ita ſic de vobis ad regem veſtrum Abimelech. Nam ſi non peccaſtis ſumendo illum gaudete in eo. *Et bene egiſtis cum Ierobaal, & domo eius.* Id eſt cuſtodiuiſtis id quod ſeruare debebatis ipſi Gedeoni, qui vocatur Ierobaal. *Et domui eius.* Id eſt filius eius. *Et reddidiſtis vicem beneficijs eius.* Id eſt retribuiſtis beneficium pro beneficio: iſta omnia dicit Ioatham, quia manifeſtum eſt quòd Sichimitæ non egerunt ſic, ſed præuaricati ſunt miſericordiã, quam ſeruare debuiſſent Gedeoni. Si autem quæratur, an Sichimitæ peccauerunt conſtituendo Abimelech in regem ſupra declaratum eſt.

Ignis de rhamno facilter gignitur

Fabulæ applicatio ad Sichimitas.

B

Quomodo Sichimitæ poterant rectè agere cum Ierobaal ſiue Gedeone.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR quomodo Sichimitæ poterant rectè agere cum Ierobaal, ſiue Gedeone. Nam iam erat mortuus & non ſe poterant ad eum habere bene, vel male; quia ſi accipiatur hic pro ipſomet Gedeone conſtat, quòd nec bene, vel male ad eum ſe poterant habere. Si autem dicatur, quòd accipiatur bene, vel male ſe habere ad Gedeonem, id eſt habere ſe ſic ad filios eius non ſtat, quia iſtud expreſſum eſt in litera, ſcilicet, & bene egiſtis cum Ierobaal, & domo eius: ergo non apparet quomodo ſe deberent habere bene, vel male cum Ierobaal. Aliquis dicet, quod non poterant Sichimitæ ſecundum veritatem habere ſe bene vel male cum Gedeone, tamen accipitur iſtud ſe habere quantum erat in ipſis Sichimitis, ſcilicet, quòd quamquam non poſſent verè nocere, vel proficere Gedeoni : tamen quantũ in ipſis erat, nocebant, vel proficiebant Gedeoni. Sic enim dicit Ieronym. ſuper Malachiam, & habetur in decretis diſtinct. quadrageſimo nono cap. ſacerdotes, quòd ſacerdotes quantum in ſe eſt panem domino pollutum offerunt, licèt non ſit verè pollutus ille panis. Aliter poteſt dici quòd accipitur bene ſe habere ad Gedeonem, id eſt ad filios eius, quia bonum quod fiebat filijs Gedeonis cenſebatur fieri ipſi Gedeoni. Et cum dicitur quod ponitur expreſſe cum Ierobaal, & domo eius: vnde, & ponitur ibi magis expoſitiuè quàm copulatiuè. Aliter poteſt dici, & melius, quòd Sichimitæ ſe poterant bene, vel male habere cum Gedeone, quia licèt defuncti non participent bonis, & malis pronepotum, & amicorum manentium hic realiter, ſicut aliqui hic manent participant aliqualiter, ſcilicet, ſaltem ſecundum opinionem noſtram, iſtud tamen bonum, vel malum non eſt tantum, vt non beati efficiantur beati, aut beati efficiantur calamitoſi, vt patet primo Ethicorum cap. pro nepotum autem fortunas. Iſtud autem bonum, vel malum, licet ſit leue, euenit tamen ipſis defunctis, & eſt iſtud præter malum, quod euenit pro nepotibus, vel amicis viuentibus, & ſic ex dehonoratione, & iniuria grauiſſima, quam intulerunt Sichimitæ filijs Gedeonis proueniebat quoddam malum Gedeoni, ſcilicet, ſedatio gloriæ eius in opinione noſtra, & erat iſtud præter malum inflictum filijs : ideo Sichimitæ non ſe habuerunt abſq; peccato cum Ierobaal. *Qui pugnauit pro vobis.* Scil. pro toto Iſrael excludendo hoſtes totius Iſrael de terra, & faciendo quòd nunquam redirent. *Et animam ſuam dedit periculis.* Id eſt poſuit vitam ſuam in periculis. Accipitur anima pro vita in modo cõmuni loquendi. Rarò autem accipitur anima pro ſpiritu in veteri teſtamento : ſed vel pro perſona, vel pro vita. Pericula iſta, quibus ſe expoſuit Gedeon, fuerunt contra Madianitas tam in pugna quam in perſecutione eorum ſupra 7. & præced. capit. *Vt erueret vos de manu Madian.* Scilicet iſtud fuit bellum quod fecit Gedeon. Nam non legitur nec creditur poſtea pugnaſſe contra aliquas gentes, ſed illud bellum fuit magnum, & ſolùm ipſum eſt magna gloria dignum : ſicut multa bella ſimul & dicitur de Madian : quia iſtæ erant gentes ſpeciales, & maiores, quæ venerunt : ſed præter eas venerunt aliæ, ſcil. Amalechitæ, Iſmahelitæ, vt patet ſupra ſexto, & præcedenti capit. & ſupra ſeptimo. *Qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei.* Scilicet contra omnes filios eius. Nam in filijs ſeruatur domus patris. *Et interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros.* Non occiderunt ſeptuaginta, ſed ſexaginta nouem, quia ipſe Ioathã erat ſeptuageſimus, & euaſit. Scriptura tamen non curat interdum de paruis numeris. Sic etiam nos in communi modo loquendi facimus. *Super lapidem vnũ.* Iſtud ponitur ad magis grauandum, quia ſi occidiſſent omnes modo bellico videretur furor hoſtilis eſſe, ſed omnes ſucceſſiue, & quiete occiderunt iugulantes eos ſuper vnum lapidem.

C

Anima quomodo in ſacris literis accipiatur.

D

Doctr. reſpon. ad quæſit.

Quomodo dicitur hoc quòd Sichimitæ occiderent filios. Gedeonis.

QVÆSTIO XXXI.

E

QVÆRETVR quomodo dicitur hoc quòd Sichimitæ occiderunt filios Gedeonis : quia ſupra in litera dicitur, quòd Abimelech occidit eos. Aliquis dicet, quòd Ioatham loquebatur iſta ex ira magna contra Sichimitas : tamen mentiebatur, quia Abimelech fecerat hoc ſolum, ſed ipſe transferebat hoc in Sichimitas. Sed dicendum quòd nõ ſtat. Primò quia nõ eſt veriſimile, quòd Ioatham publice auſus fuiſſet mentiri : hoc tamen dixit coram toto populo Sichimorum : ergo non mentitus eſt. Secundò patet fortius : quia in fine cap. dicitur, quòd venit ſuper Sichimitas maledictio Dei, quàm impoſuerat Ioatham : ſi tamen mentitus fuiſſet loquendo contra Sichimitas non induxiſſet dominus maledictionem, quam ipſe imprecaretur, quia iniuſtè imprecaretur illam, ergo verè locutus eſt. Dicendum ergo, quòd Sichimitæ occiderunt filios Gedeonis: & hoc quia dederunt fauorem Abimelech ad occidendum illos. Nam cùm eſſet Abimelech vnus vir ſolus, & pauper : ſic Sichimitæ non fauiſſent ei, non auſus fuiſſet occidere fratres ſuos. Item conſilium dederunt ei, ad occidendum illos. Item dederunt ei pecuniam ad conducendum ſibi adiutores, quia alias non habebat vnde prouideret alicui ſibi ſocio, vel adiutori. Item noluerunt eum accipere in regem vſquequo occideret fratres ſuos, & occiſis illis illico regem conſtituerunt eum. Item quod maius eſt, ipſi Sichimitæ realiter occiderunt illos, quia ipſi iuerunt cum Abimelech in domum Gedeonis, & tenuerunt filios illius occideruntq; illos, vt patet infra, ſcil. quòd Sichimitæ cœperunt deteſtari Abimelech cõferendo in eum ſcelus occiſionis fratrum ſeptuaginta, & in cæteros principes Sichimorum, qui eum adiuuerant : Magis ergo, vel ſaltem æqualiter, videbantur culpabiles Sichimitæ, & Abimelech. *Conſtituiſtuq; regem Abimelech.* Quaſi dicat, etiam in hoc iniuſtè egiſtis contra Gedeonem, quia cum teneremini honorare filios ſuos, & debueratis primogenitum eorum conſtituere in principem, ſicut quondam ei ſponte offerebatis, quòd dominaretur ipſe, & filius ſuus, & filius filij ſui, vt patet præcedenti capi. conſtituiſtis in regem filium concubinæ eius, qui non tantum pertinebat ad eum ſicut cæteri filij : & in hoc dehonoraſtis domum eius. *Filium ancillæ eius.* Vocatur ancilla, id eſt concubina, eo quòd non erat in tanto honore, ſicut vxores : nec in tanta libertate erga virum : non tamen erat vere ancilla, quia tunc fuiſſet Abimelech ſeruus cum eſſet filius ancillæ : & tunc non eſt veriſimile, quòd conſtituerunt eum principẽ Sichimitæ. *Super habitatores Sichem.* Scilicet non fuit tunc conſtitutus ſuper totum Iſrael, ſed ſuper Sichem : poſtea tamen pauliſper cœpit dominari ſuper Iſrael, ſicut ſupra declaratum fuit : & non ſolum ſuper Sichẽ, ſed etiã ſuper vrbẽ Mello, tamen nõ fit mentio de vrbe Mello, eo quòd erat parua. De qua ſupra dictũ eſt, quòd viri illius conuenerint cum viris Sichem ad vngendũ Abimelech.

F

A *In qua duplici-iter Sichem habitatores. peccauerunt.*

Ergo quòd frater veſter ſit. Id eſt, non attendiſtis aliud in eo, niſi quòd erat frater veſter, & non curaſtis, quòd eſſet filius Gedeonis, nec quòd eſſet vir bonus, & dignus principatu. Et in hoc peccauerunt dupliciter habitatores Sichem. Primò, quia non reddiderunt debitam vicem beneficijs Gedeonis honorandos filios ſuos ſicut iuſtum erat. Secundò, quia fuerunt acceptatores perſonarum, ſcilicet quia acceperunt in principem aliquem indignum ſolum, quia erat de progenie ipſorum cum poſſent habere alios viros dignos ad principatum. *Si ergo rectè.* Hic repetitur propoſitio ſumpta, quia erat ſententia ſuſpenſiua, vt videatur quomodo iſta omnia faciunt eadem ſententia repetitur. *Et abſque vitio egiſtis cum Ierobaal, & domo eius.* Id eſt ſi faciendo omnia præcedentia rectè feciſtis, & non peccaſtis contra Ierobaal, nec contra domum eius. *Hodie lætemini in Abimelech.* Tanquã in rege iuſtè electo, ſcilicet ſi in eligendo eum nullam iniquitatem commiſiſtis, ſemper proſperemini cùm Abimelech rege veſtro. *Et ille lætetur in vobis.* Id eſt gaudeat in vobis tanquam in populo ſuo ſi ille nihil peccauit, vt perueniret ad hunc principatum, quanquam enim ſciret Abimelech, & per ſe notum eſſet quòd Sichimitæ peccauiſſent faciendo prædicta: tamen Ioatham dicit iſta per modum contumeliæ: quia ſic allegando vitia contra aliquẽ, valde dehoneſtatur. *Si autẽ peruerſe.* Id eſt, ſi peruersè egiſtis in omnibus prædictis, vel in aliquibus eorum. *Egrediatur ignis ex eo, & cõburat habitatores Sichem.* Id eſt, ipſe concitetur contra vos vt deleat vos, vt ſit pœna iuſtiſſima: vt ſicut vos iniuſtum ei fauorem tribuiſtis, ita ipſe ſit vobis pœna pro fauore iniuſtè conceſſo. Et eſt ſimilitudo de rhamno, ſcilicet, quia ſicut arbores dederunt ei iniuſtum principatum, quia ipſe indignus erat: & exiens ignis ex illo combuſſit cedros libani: ita quia vos iniuſtum regem feciſtis vobis, dignum eſt, vt ipſe comburat habitatores Sichem etiam quoſcunque excellentiſſimos in vobis, qui ſunt inter vos, ſicut cedri libani inter cæteras arbores. *Et oppidum Mello.* Iſta erat alia ciuitas parua apud Sichem, quæ conceſſerat Sichimitis fauendo Abimelech: & conuenerunt viri illius cum Sichimitis ad vngendum in regem ipſum Abimelech: ideo erat dignum, vt etiam oppidum Mello pereat. *Egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.* Scilicet vt ſicut Abimelech, quia iniuſtè electus eſt in regem à Sichimitis dignum eſt, quòd eos cremet igne: ita quia ipſe voluit eſſe, & fuit iniuſte rex eorum, dignum eſt, vt Sichimitæ, & habitatores Mello deſtruant ipſum. Et eſt ſenſus, quòd concitetur diſcordia inter vtroſque, per quam vtrique pereant: quia ſicut iniuſtus conſenſus inter eos fuerat: ita iuſtus diſſenſus eos vtrunque morte afficiat. Et ſic factum eſt: nam inteſtinum bellum natum eſt, per quod tàm Sichimitæ quàm Abimelech perierunt. *Quæ cum dixiſſet fugit in Bera.* Erat Ioatham dum iſta dicebat ſuper montem C Garizim, & non timebat Sichimitas, nec Abimelech, quos coram videbat: ſed dictis iſtis fugit de monte, & iuit in vrbem Bera. *Habitauitque ibi metu Abimelech fratris ſui.* Scilicet, non auſus eſt manere in terra Sichimorum, nec in Ephra, quæ erat in ſorte Manaſſe, in qua habitauerat Gedeon, quia timebat occidi à fratre ſuo Abimelech: ſed habitauit in Bera, quæ multum diſtabat ad vrbe Sichem: eratque in ſorte filiorum Ephraim, nec timebat ibi tunc Abimelech, quia nondum dominabatur toti terræ illi. *Regnauitq; Abimelech ſuper Iſrael tribus annis.* Pauco tempore durauit principatus eius, quia Deus voluit conterere eum, eo quòd iniuſte regnabat, & bello perijt.

Quare non dicitur Abimelech iudicauit Iſrael & cæt.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR quare non dicitur de iſto: Iudicauit Iſrael: ſicut dicitur de omnibus alijs præcedentibus, & omnibus ſequentibus vſque ad finem libri. Reſpondendũ, quòd cæteri erant ſolum Iudices, & non aſſumebant ſibi maiorem principatum nec populus eis tribuebat. Abimelech autem vnctus eſt in regem, & impoſuit ſibi diadema regni. Et iſte principatus excedit principatum Iudicum, qui paruus erat: quia illi nec vocabantur reges, nec domini, vt declaratum eſt præcedenti cap. Ideo de iſto dictum eſt, quòd regnauit. Et dicitur quòd regnauit ſuper Iſrael non quòd totus Iſrael conſtituiſſet eum in regem, quia ſoli viri Sichem, & vrbis Mello vnxernnt eum regem, vt patet ſupra. Sed poſtea totus Iſrael conſenſit, vel ſaltem non repugnauit ei, & ſic cœpit regna per totum Iſrael, quia omnia loca inuadebat, & quædam obediebant ei, contra alia autem pugnabat. Vel (vt alij volunt) vocatur rex ſuper Iſrael non, quòd ſuper totum Iſrael regnaret, ſed quia dum ipſe dominabatur in Sichẽ & vrbe Mello, nullus alius erat iudex aut rex, aut dominus aut princeps in Iſrael. D

An Abimelech peccauit accipiendo regnum.

QVÆSTIO XXXIII.

VLTERIVS quæretur an Abimelech peccauit accipiendo regnum. Reſpondendum quòd manifeſtum eſt, quòd peccauit: quia vt peruenire in regnum perpetrauit infanda ſcelera, ſcilicet occidit fratres ſuos, & ſolicitauit Sichimitas ad hoc. Sed omiſſis his de quibus nõ eſt dubium, manet quæſtio, an dato quòd Abimelech nulla ſcelera egiſſet, ſed quòd ſuſciperetur in regem ſponte à viris Sichem an peccaret acceptando. Reſpondendum, quòd peccabat Abimelech ambiendo principatum dato, quòd nulla alia illicita committeret aſſequendo eum. Item peccabat quia cùm eſſet indignus manifeſtè ſuſcipiebat principatum. Qui tamen ſic accipiunt principatum, priuandi ſunt eis: & nõ priuarentur, niſi grauiter peccarent, ergo peccat grauiter, qui indignum ſe ſciens ad principatũ anhelat, & illum acceptat. Item peccauit, quia præiudicauit iuri alieno. Nam ſi principatus regalis alicui dandus erat hoc maximè cõpetebat ipſi primogenito Gedeonis: vel in defectum eius alteri ex fratribus ſuis legitimis: Abimelech autem illegitimus vſurpauit locum fratrum. Peccabat autem amplius, quia dato quòd dignus foret quocunque principatu, non debebat ſuſcipere principatum regalem, vel dominatiuum: quia præcedenti capit. declaratum eſt in quadam quæſtione, quòd tam Iſraelitæ, quàm ille qui ſuſciperet principatũ regalem peccaret ſi Deo inconſulto hoc agerent: ſed Sichimitæ inconſulto Deo contulerunt principatum regalem Abimelech ergo peccauerunt vtrique, ſcilicet Abimelech ſuſcipiendo, & Sichimitæ dando. E

Cum Abimelech regnauit ſuper totum Iſrael, cur Ioathan non maledixerit toti Iſrael, ſed ſolum viris Sichem.

QVÆSTIO XXXIV.

VLTERIVS quæretur cum Abimelech regnauerit ſuper totum Iſrael: & hoc Iſraelitæ fecerunt contra Gedeonem, & domum eius: cur Ioatham non maledixit toti Iſrael, ſed ſolis viris Sichem & vrbis Mello. Reſpondendum, quod hoc fuit propter tria. Primò, quia Ioatham conquerebatur principaliter de occiſione facta in domo Gedeonis. Hanc autem non fecerunt Iſraelitæ, ſed ſoli Sichimitæ cum vrbis Mello: nam Iſraelitæ nec fecerunt, nec fauorem tribuerunt ad hoc cum ignorantibus eis factum ſit. Sichimitæ autem iſtud fecerunt, vt ipſe Ioatham, eis imperauit ſupra in litera: ergo eis ſolis maledicere curauit. Secundò, quia Sichimitæ conſtituerunt regem Abimelech, & dederunt occaſionẽ, vt cæteræ vrbes eum reciperent. Nam ſi ipſi non conſtituiſſent eum ex affectione quadam nunquam Iſraelitarum quiſquã dediſſet ei aliquem principatum. Iſraelitæ autem conſtitutum regem ſuſceperunt, & non conſtituerunt: ideo non maledixit eis. Cauſa tertia eſt, quia Ioathan maledixit illis, quos ſciebat culpabiles in hoc. Verum eſt autem quòd Iſraelitæ fuerunt rei poſtea, quia non reſtiterunt Abimelech pro tanto ſcelere perſequendo eum ad pœnam, cùm dignus eſſet acerrima, & Iſraelitæ tenebantur vlciſci hanc iniuriam: tum quia aliquid deordinatum erat, quod non debebat relinqui impunitum, tum quia propter Gedeonem, cui valde tenebantur, erant obligati vlciſci iniurias domus eius, & non ſolùm non fecerunt, ſed etiam ipſum ſceleſtum iniuriatorem domus Gedeonis ſuper ſe regem ſuſceperunt, quod ſatis graue peccatũ erat, ſed neutrũ F

Mello quid ſit.

A

ipſorum tunc conſtabat quando Ioathan poſuit maledictionem ſuper Sichimitas, ideo non poſuit ſuper totum Iſrael. Patet antecedens, nam in Ioathan locutus fuit iſta verba die, qua vngebatur Abimelech in regem, & conuenerat totus populus Sichimitarum apud quercum extra vrbem: ſed tunc Iſraelitæ nondũ receperant Abimelech in regem, ſed poſtea ſuſceperunt. Item non erant tunc Iſraelitæ rei tanquam non vleiſcentes iniuriam factam domui Gedeonis: quia tunc recenter illata fuerat: & adhuc reſtabat tempus opportunum ad vltionem, nec poterant vocari ita cito negligentes in puniendo Abimelech: ideo ante peccatum non debuit imponere maledictionem ſuper eos.

Cur Abimelech, cum fuerit rex & non iudex, non ponitur in catalogo regum.

QVÆSTIO XXXV.

VLTERIVS quæretur cur Abimelech cùm fuerit rex & non iudex, non ponitur in catalogo regum, ſed dicitur primus rex fuiſſe in Iſrael Saul. Reſpondendum, primam rationem eſſe, quia ſtatus iudicum & regum ſunt diſtincti: quia ſtatus regum totaliter pertinet ad reges, & ſtatus iudicum totaliter ad iudices, illi qui fuerunt mixti ſecundum tempus non computantur, niſi inter illos de quibus fuerunt, durauerunt autem iudices ab Hothoniele vſque ad Samuelem, qui fuit vltimus, & cępit ſtatus regum in Saule: ideo omnes qui fuerunt poſt Saulẽ vocantur reges, eo quòd ſtatus ille fuit continuatus, & impermixtus, dato quòd aliquis princeps fuiſſet intermedius, qui non fuiſſet rex, ille poneretur in catalogo regum, & diceretur pertinere ad ſtatum regum. Illi autem qui fuerunt in principatu tempore iudicum, pertinebant ad iudices: vnde licet aliquis eorum eſſet rex, non debet poni in catalogo regũ, eo quod nõ pertinebat ad tẽpus regũ. Et ſic Abimelech fuit tempore iudicũ, quia ante ipſum fuerũt iudices, & poſt ipſum: ideo licet ipſe fuerit rex, nõ ponitur in catalogo regum ſed iudicũ. Secunda ratio eſt, quia ſcriptura vult computare tempora per principantes: ſic tempora iudicum computantur per annos iudicum: & tempora Hebræorum ſub regibus computantur per annos regum: ſi autem non poneretur Abimelech inter iudices, ſed inter reges, ſequerentur duo incõuenientia. Primum eſt, quòd tres anni, qui fuerunt ſub principatu ſuo deficerent de tempore iudicũ. Secundũ inconueniens eſt, quia computaretur tempus eius cum tempore regum: vltra quàm habebat. Cauſa tertia eſt, quia illi ponuntur ſecundũ ſacram ſcripturam in catalogo regum, quos Deus voluit, quòd reges eſſent: & quibus ipſe dedit principium, vt reges eſſent: ſed Abimelech non eſt factus rex iuſſu Dei, ſed quadã fraude, & iniquitate Deo non iubente, ideo nõ notatus fuit ipſe in catalogo regum: Saul autẽ fuit primus in catalogo regum, quia de illo Deus iuſſit, quòd vngeretur in regem, 1. Reg. 9. Sed obijcietur, quòd quidam fuerunt poſtea mali reges, & vncti in reges contra voluntatem Dei, de quibus ipſe dixit Oſeæ. 8. Regnauerunt, & non per me: principes fuerunt, & nõ cognoui, & tamẽ ponuntur in catalogo regum. Reſpondendum, quòd quanquã ipſi fuerunt mali, & Deo quaſi nolente vncti, tamen quia fuerunt ſucceſſores illorum, quibus Deus voluit cõferre hunc principatũ, & quos regnare iuſſit, ponũtur in Catalogo regũ. Quarta cauſa eſt, quia illi ponunt in Catalogo regum, quia volente populo conſtituti ſunt: & tunc poſtquã populus cępit habere reges poſt vnctionẽ Saulis, ſemper voluit habere reges: & ob hoc ſequentes in Catalogo ponuntur: Abimelech autem nolentibus Iſraelitis, ſed per quandam priuatam affectionem virorum Sichem ſuper eos rex factus eſt: ideo non debuit poni in Catalogo.

B

Duo ſe quuntur inconuenientia poſito Abimelech inter reges, & non inter iudices.

C

Vercellenſis ciuitas condita.

Miſitq; Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem. Qui cœperunt eum deteſtari, & ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Ierobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & inter cæteros Sichimorũ principes, qui eum adiuuerant. Poſuerunt que inſidias aduerſum eum in ſummitate montium: & illius præſtolabantur aduentum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus. Nunciatumque eſt Abimelech. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus ſuis, & tranſiuit in Sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem, egreſſi ſunt in agros vaſtantes vineas, uuaſque calcantes: & factis cantantium choris ingreſſi ſunt fanum Dei ſui, & inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech, clamante Gaal filio Obed: Quis eſt iſte Abimelech, & quæ eſt Sichem vt ſeruiamus ei? Nunquid non eſt ipſe filius Ierobaal, & conſtituit principem Zebul ſeruum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem? Cur ergo ſeruiemus ei? Vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech. Dictumq; eſt Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni. Zebul enim princeps ciuitatis auditis ſermonibus Gaal filij Obed, iratus eſt valde, & miſit clam ad Abimelech nuncios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimã cum fratribus ſuis, & oppugnat aduerſum te ciuitatem. Surge itaque nocte cum populo, qui tecum eſt, & latita in agro, & primo mane Oriente ſole irrue ſuper ciuitatem. Illo autem egrediente aduerſum te cum populo ſuo, fac ei quod potueris.

D

Tamiris muſicus claret.

Phylemon Delphicus muſicus.

E

Virorũ Sichem ad Abimelech rebellio

Miſitq; dominus. Hic ponitur tertium principale ſcil. vtrorumq; punitio. Et diuiditur in tria, quia primo ponitur virorum Sichem ad Abimelech rebellio: ſecundò rebellantiũ impugnatio ibi. *Dictumq; eſt.* Tertiò vtrorumq; deſtructio ibi. *Porro Abimelech.* Circa primum dicitur. *Miſitq; dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem,* Id eſt, miſit Deus grauiſſimum odium inter iſtos, ita vt pugnarent ad inuicem & perirent. *Qui cœperunt deteſtari eum.* Id eſt, Sichimitæ cœperunt habere valde exoſum Abimelech. *Et ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Ierobaal.* Id eſt, cœperunt ei opponere occiſionem fratrum ſuorum: conſiderauerunt enim Sichimitæ, quòd malum fuiſſet, quòd occiſi fuiſſent ſeptuaginta filij Gedeonis, qui tanta bona cõtulerat Iſraeli, & quia ipſi fuerant aliqualiter rei huius ſceleris dando conſilium, & pecuniam, accuſabant valde ipſum Abimelech, qui principaliter hoc egerat.

Quomodo immiſit ſpiritum malum Sichimitis.

QVÆSTIO XXXVI.

F

QVÆRETVR circa hoc, quomodo immiſit Sichimitis ſpiritum malum. Reſpondendum, quòd iſte ſpiritus malus eſt odium magnũ cauſatum contra Abimelech, & hoc erat in pœnam ipſius Abimelech, & Sichimitarum, quia per hoc haberetur occaſio, & origo ad hoc quod perirent. Liberum eſt autem Deo cauſare inter aliquos paſſionem odij, vel quamcunq; aliã, eo quod cor hominis depẽdet in manu Dei & vertit illud quocunq; vult. Sic patet Prouerb. 21. ſcil. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu domini, & quocunq; voluerit vertet illud: ideo ſi Deus vult, incitat corda noſtra ad timorem, vt patet Leu. 26. ſcil. Et qui remanſerint de vobis dabo pauorem in cordibus eorũ in regionibus hoſtium: terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nullo perſequente: & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes. Cauſat etiam Deus lætitiam, & clementiã in aliquo, qui habet cor durum quando vult ſic fuit in Aſſuero intrante ad eum Eſther. Nam erat ſuperbus, & ſubito vt vidit Eſther conuerſus eſt ad clementiã ad eam, vt patet Eſther. 15. Incitat etiã Deus in aliquibus deſideriũ pugnandi cõtra alios. Sic fuit in Chaldæis, quos Deus dicebatur vocare de longe, & ipſi veniebãt velociter, vt patet Iſa. 5. & 7. & iſtud nihil aliud eſt, niſi imponere deſideriũ veniendi ad pugnandũ. Sic etiã patet Iud. 3. cum dicitur, quòd fecerunt malum Iſraelitæ coram domino, qui confortauit contra eos Eglon regem Moab. Item Deus mouet aliquem ad deſiderium ceſſandi ab aliqua re, quando vult, ſic patet in Sennacherib, qui minatus fuerat diruere Ieruſalẽ, & properabat contra eam ad delendum, ſed Deus cõuertit cor eius,

Deus mouet ad diuerſas paſſiones corda hominum

A vt vellet recedere in terram ſuam, vt patet 4. Reg. 19. ca. ſcil. Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti quibus pueri regis Aſſyriorum blaſphemauerunt me: ecce ego immittam ei ſpiritum, id eſt deſiderium recedendi, & audiet nuncium, & reuertetur in terram ſuam: & deijciam eum gladio in terra ſua. Item Deus interdum dat animoſitatem aliquibus mutando cor eorum de timore in fortitudinẽ ad pugnandum: & ſic mutabat corda Hebræorum, qui non audebant pugnare contra Gentiles: & tamen Deus confortabat eos in corde, & pugnabant, ſic patet Deut. 8. ſcil. Ne dixeris in corde tuo: fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt: ſed recorderis domini Dei tui, ꝙ ipſe tibi vires prębuit, & impleret pactũ ſuum. Item Deus immittit aliquibus ſpiritũ cõcordiæ ad deſiderandũ facere eandem rem: ſic fuit inter Moabitas, Ammonitas, & Amalechitas. Nam iſti non erant prius concordes ad aliquid, & Deus dedit eis ſpiritum cõcordandi, vt omnes vno animo perſequerentur Iſraelitas, vt patet Iudi. 3. ſcil. Qui confortauit contra eos Eglon regẽ Moab, & copulauit ei filios Ammõ, & Amalech. Sic aliquando inter eos, qui ſibi mutuo concordant in aliquo, Deus immittit diſcordiam: ita fuit hic. Nam Sichimitæ valde conuenerant à principio, cum Abimelech dantes ei totalem, fauorem ad occidendũ fratres ſuos, & efficiendo eum regẽ ſuper ſe: & tamen Deus poſtea in pœnã peccati vtriuſq; partis poſuit diſcordiam, vt ſic perirent: & iſtud eſt, quod dicitur hic, ſcil. quòd Deus miſit ſpiritũ peſſimũ .i. odiũ grauiſſimũ Nam quælibet affectio vocatur ſpiritus, inquantũ eſt quędã interior motus, ſecundũ quem impellimur ad hoc, vel illud agendũ, & iſtam diſcordiam, vel odium ſæpe Deus cauſat inter homines, vt mali ſibi diſconueniant. & hoc modo tollit omnia damna, quæ ſequi poſſent ex concordia malorum.

Deus dat animoſitatem hominibus.

B

An Deus ſit auctor peccati, quia cauſauit odium inter Sichimitas, & Abimelech.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR quomodo Deus cauſauit iſtum ſpiritum odij inter Sichimitas, & Abimelech, quia cùm odium peccatũ ſit, Deus eſſet auctor peccati. Reſpondendũ, quòd Deus non cooperatur homini ad malum, ſed operatur ad pœnam illius, quando oportet: & ſic fuit immittendo iſtum ſpiritũ odij. Pro quo ſciendũ, quòd Deus non miſit aliquod malum inter Sichimitas, & Abimelech: ſed ſolũ dedit quendam ſcrupulum in conſcientia Sichimitarum, per quem inciperent deteſtari malum, quòd fecerat Abimelech: & ex parte Abimelech nullum ſcrupulum poſuit. Ante hoc enim licet feciſſent malum Sichimitæ, & Abimelech: tamen non iudicabant Sichimitæ fuiſſe malum: poſtea verò excitauit Deus conſcientiã Sichimitarum ad hoc, ꝙ deteſtarẽtur valde iſtud ſcelus occiſionis filiorũ Gedeonis: & ipſum Abimelech cuctorẽ eius. Iſta excitatio cõſcientiæ fit aliquando nobis ad magnũ beneficiũ, vt cùm quis dormit in peccato, & ſic periturus foret, quia non iudicat malum quod egit: & Deus concitat ei fortes ſtimulos cõſcientię, ad deteſtandũ illud vitium, & tunc recedit ab illo vitio, à quo alias receſſurus non eſſet. Et iſtud eſt maximũ beneficium, quod Deus peccatori in hoc ſeculo confert, ſcil. mouere in eo ſpiritũ cõpunctionis. Aliquando autẽ eſt iſte ſcrupulus conſcientiæ pœna quędam: ſic enim eſt in damnatis. Nam de maximis pœnis eorũ eſt, quòd praua eos remordeat conſcientia, & iſte eſt vermis conſcientiæ, de quo Iſa. vlti. ſcil. Ignis eorũ non extinguetur, & vermis eorum non morietur: ſed erunt vſq; ad ſacietatem omni carni. Et iſta eſt pœnitentia quàm infructuosè mali apud inferos facere dicuntur: vt patet Sap. 5. vbi mali nimis ſe accuſant, & dolent. Eſt autem iſta conſcientia, interdũ in viuentibus ad pœnam, vt quando Deus vult alicui pœnam infligere: affigit ei memoriã continuam, & non poteſt iſtam conſcientiã à ſe tollere. De hac dicit Arum, Ethi. 9. quomodo mali interdũ memores malorũ præteritorũ ſecũ pacẽ habere nõ poſſunt, & ſeipſos interimunt. Et regulariter omnes mali turbantur hic in quietudiene conſcientiæ ſuæ prauę, vt ait Auguſt. in lib. Confeſſionum, ſcil. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi omnis inordinatus animus. Nunc autem viris Sichem data eſt iſta deteſtatio criminis in pœnam quandam, & ex hac inſurrexit bellum inter eos & Abimelech. Cùm autẽ arguitur, quòd Deus non eſt auctor malorum. Reſpondendum, quod Deus non fuit hic cauſa alicuius culpæ. Nam non fecit, quòd Sichimitæ directè haberent exoſum Abimelech, ſed cauſauit in eis deteſtationem criminis occiſorum filiorum Gedeonis, & iſtud nõ erat malum. Sed potius ex hoc poterant procedere Sichimitæ ad bonum dolendo de peccato commiſſio, licet Deus non infunderet eis iſtam ſcrupuloſitatem niſi inquantum erat pęnalis. Poſtea verò Sichimitæ cauſauerunt odium cum iudicarent malum eſſe, quòd fecerat Abimelech: & ſuſcitauerunt rixas, quæ fuerunt origo deſtructionis vtrorumque. *Et effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum.* Id eſt, quanquam Sichimitæ eſſent omnes rei huius criminis occiſionis filiorum Gedeonis: tamen cœperunt ipſum totum crimen transferre in Abimelech fratrẽ ſuum, ipſi enim à principio dederant ei conſilium, & pecuniam ad exequendum illud promittentes, quod acciperent illum in regem hoc facto: quod poſtea fecerunt. Nam illico, vt redijt Abimelech occiſis fratribus, vnxerunt eum in regem, ſupra in litera: & tamẽ quia non omnes Sichimitæ fuerunt cum Abimelech ad occiſionem fratrum ſuorum, imponebant ei totam culpam. Et iſta deteſtatio intantum proceſſit, quod quaſi in vindictam effuſi ſanguinis voluerunt Sichimitę occidere Abimelech, vt patet infra in litera. *Et in cæteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant.* Quando Abimelech ſuſcepit à Sichimitis ſeptuaginta pondera argenti de templo Dei ſui ad occidendum fratres ſuos, conduxit ex eo viros vagos, & inopes, qui eum ſequebantur, & cum his fuerunt aliqui principes Sichimitarum ſequentes eum, & fortè erant de cognatione matris ſuæ, & contra hos cœperunt etiam odium habere cæteri Sichimitæ. *Poſueruntq; inſidias aduerſus eum in montium ſummitate.* Iſtud eſt intelligendum poſt cauſatum odium, quòd Sichimitæ intantum incanduerunt, quòd volebant occidere Abimelech: & ipſo manente in alijs locis extra Sichem, ad aliquid agendum: poſuerunt Sichimitæ inſidias contra eum in montibus, per quos rediturus erat, vt ibi eum occiderent. *Et dum illius præſtolabantur aduentum.* Scilicet, expectabant, quòd rediret in vrbem Sichem, de alijs locis, quibus iam dominabatur. *Exercebant latrocinia agentes prædas de prætereuntibus.* ſcilicet, exercitus Sichimorum expectantiũ aduentum, Abimelech exercebat prędas. Et hoc fortè propter duo. Primò ad ſuſtentationem vitæ: quia in expectatione illa multa expendebant. Secundò ad offendendum Abimelech: ideo credendum eſt, quòd magis exercerent prædas de illis, qui fouebant partes Abimelech, quam de alijs. *Nunciatumq; eſt Abimelech.* Scilicet quomodo Sichimitæ inſurrexiſſent contra eum, & poſuerant ei inſidias in montibus. *Venit autem Gaal filius Obed.* Iſte fuit adiutor Sichimorum contra Abimelech. *Et tranſiuit in Sichimam cum fratribus ſuis.* Id eſt, tranſiuit cum multis viris de cognatis ſuis in vrbem Sichem, quæ vocatur Sichima, vel Sicima ſecundum modum latinæ formę. Sic patet in Pſal. partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar.

D

Duplicis de cauſa exercitus Sichimorum prædas exercebat.

E

F

Gaal quis fuerit.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR quis fuit iſte Gaal. Reſpondendum, quòd ipſe fuit adiutor Sichimitarũ contra Abimelech, vt patet infra, nam ipſe pugnauit contra eum. Dicendum etiam, quòd iſte Gaal non erat de vrbe Sichem, quia dicitur hic, quòd tranſiuit in Sichimam cum fratribus ſuis, ſcilicet, venit illuc nouiter ad habitandum, vel manendum ducens illuc fratres ſuos, id eſt, cognationem ſuam, vt potenter iret: & fortè erat iſte de tribu Ephraim, de qua erant Sichimitæ: habitabat tamen in alio loco, & Sichimitæ cæpta diſcordia cõtra Abimelech vocauerunt hunc in adiutorẽ, quia erat vir potens. Ipſe autem ſpõte iuit, quia putauit ſe habiturũ principatum ſuper viros Sichem cùm conarentur expellere Abimelech, quem nunc tenebant in regem. Et patet hoc, quia dicitur infra, ꝙ ad aduentũ Gaal lętati ſunt nimis Sichimitę, & erecti ſunt contra Abimelech, ſcilicet, cõfidentes de iſtius potentia: & iſte poſtea clamauit, quis daret in manu eius

C

Quod eſt maximum beneficium quod Deus hoc in ſeculo peccatori cõfert.

Maxima dãnatorũ pœna.

populum illum. *Ad cuius aduentum.* ſcilicet, quia non morabatur in vrbe, ſed erat de alia vrbe, & vocauerant eum in adiutorem. *Erecti habitatores Sichem.* ſcil. erecti contra Abimelech, ſcil. quia quanquam ante hoc erecti fuiſſent: tamen non tam manifeſtè ſicut nunc. Vel aliter & melius, ſcil. erecti in confidentiã pugnandi: quia ante hoc non habentes adiutorem non tantũ de ſe confidebant: tunc autem aduenientе Gaal confiſi ſunt, quod poſſent præualere cõtra Abimelech: ideo erecti ſunt in confidentiam & ſuperbiam. Et hoc patet in Hebræo cum dicitur. *Confiſi ſunt in ipſo habitator Sichem.* Et deberet dici habitatores: tamẽ mutatur numerus ex improprietate idiomatis, ſcil. confiſi ſunt in potentia eius Sichimitæ, quòd præualerent. *Egreſſi ſunt in agros vaſtantes vineas vuasq; calcantes.* Erat tempus vindemiæ in terra illa, quando fiebant hæc. Et intelligendũ eſt, quòd erant aliqua loca apud Sichẽ, quæ tenebãt cum Abimelech: & in cnotumeliã illius egreſſi ſunt Sichimitę ad vaſtandum vineas, & calcabant racemos in vineis, ne quicquã inde colligeretur. Vel aliter, & melius dicendum quod iſti agri, & vineæ erant vrbis Sichem: tamen erant aliqui Sichimitæ, qui fouebant partes Abimelech, ſcilicet, illi principes, qui adiuuerant eum in occiſione fratrũ ſuorum, tenebant nunc cum Abimelech: & erant extra vrbẽ cum illo. Nam illos cęperant etiã deteſtari cæteri Sichimitæ, & transferre in eos crimẽ occiſionis ſeptuaginta fillorũ Gedeonis, vt patet ſupra, & iſtorum vineas nunc vaſtauerunt, & calcauerunt vuas: & fortè etiam vineas Abimelech deſtruxerunt. *Et factis cantantium choris.* ſcil. vaſtatis vineis aduerſariorum tanquã iam habita prima victoria, cœperunt Sichimitæ gaudere, & dare gratias dijs ſuis: feceruntq; choros ad cantandum. *Ingreſſi ſunt fanum Dei ſui.* ſcilicet, cum canticis.

Ad quid ingreſſi ſunt in templum Dei ſui cum canticis. Sichimitæ.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR ad quid ingreſſi ſunt in templum Dei ſui cum canticis Sichimitæ. Reſponderi poteſt, quod fortè ad ſumendum cibos: nam habita iſta prima victoria voluerunt gaudere in cibis, & potibus: & ad hoc fortè ſtrauerunt ſibi locum, & menſas in templo Dei ſui, quia ibi erat ſpacioſus, & capax locus, & hoc colligitur ex litera, quia dicitur quòd ingreſſi ſunt fanum Dei ſui, & inter epulas, & pocula maledicebant, Abimelech. Ex quo patet, quòd ibi comedebant, cùm nihil aliud interponatur. Aliter poteſt dici, quòd Sichimitæ ingreſſi ſunt in templum ad laudandum Deum ſuum, & fortè iſta erant cantica laudis Dei. Nam putabant antiqui gentiles, quòd dij ſui adiuuarent eos in bellis. Sichimitæ autem conuerſi ad idola, ſcilicet, ad Deum Baalberith eandem opinionem tenebant, ſcilicet, quòd ille adiuuaret eos in bello: ideo laudabant eum. Sic faciebant Philiſthini, qui occiſo Saule in bello, fecerunt duci caput eius per terram Iſrael, & poſuerunt arma illius in templo Aſtaroth: & nunciari fecerunt in omnibus templis idolorũ. 1. Regum trigeſimoprimo. & 1. Paralipomen. 10. cap. putabant etiam, quòd quando venit arca fœderis in caſtra, quòd adiuuarentur contra Philiſthinos Iudæi. Vnde gemuerunt Philiſthini nimis dicentes. Væ nobis, quis nos liberabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? 1. Reg. 4. Sic etiã capto Samſone, iterum faciebant Philiſthini magnum conuiuiũ, vt patet infra 16. ſcil. Conuenerunt principes Philiſthinorũ in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Deo ſuo Dagon, etiã epularentur, dicentes: tradidit Deus noſter inimicũ noſtrum Samſon in manus noſtras. Quod populus videns laudabat Deum ſuũ, eademq; dicebat. Idem autem videtur hic fuiſſe omnino in Sichimitis, ſcil. quòd ipſi ingreſſi fuiſſent in templũ Dei ſui, vt ibi lætarentur in conuiuio, & ſimul laudarent Deum, pro principio victoriæ: nam Iſraelitæ cũ conuertebant ad idola tenebant omnino eandem conſuetudinem, quam Chananæi habitatores terræ illius. *Et inter epulas & pocula maledicebant Abimelech.* iam deteſtabantur eum, vt hoſtem: ideo gaudebant maledicendo ei. *Clamante Gaal filio Obed.* Iſte concitabat populum Sichem ad maiores maledictiones contra Abimelech, vt ſemper grauius deteſtarentur eum. In quo putabat Gaal cauſam ſuam agere, quia vt magis deteſtarentur Abimelech, magis proni fierent ad ſuſcipiendum eum in dominum. *Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, vt ſeruiamus ei.* Dicebat hoc ad improperium, ſcilicet, nunquid eſt Abimelech, tam excellens, vel Sichem tam vilis, vt debeamus ſeruire ei. Quaſi dicat, Abimelech eſt viliſſimus. Sichem autem eſt ciuitas inclyta, ideo inglorium & indecens eſt, quòd Abimelech ſit rex Sichem. *Nunquid non eſt filius Ieroboal.* quaſi dicat, non eſt maioris excellentiæ, quàm quòd ſit filius Ierobaal, id eſt Gedeonis, ſed ex hoc non eſt tàm nobilis, vt debeat imperare viris Sichem.

Quare dixerit Gaal, nunquid non eſt filius Ierobaal.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR quare dixit Gaal, nunquid non eſt filius Ierobaal. Reſpondendum, quòd voluit Gaal deprimere Abimelech ex generis conditione, & quia erat filius Gedeonis, & mulieris cuiuſdam Sichimitæ depreſſit eum ex parte patris, dicens: Nunquid non eſt filius Gedeonis? Debebat autem deprimi ex parte matris, ſcilicet, quia erat illegitimus, tamẽ quia mater erat Sichimita, & deprimẽdo eam deprimerentur indirectè Sichimitæ, noluit vituperare eum ex parte matris, ſed ſolum patris. Aliter poteſt dici quòd fecit hoc Gaal, vt complaceret Sichimitis. Nam Sichimitæ erant Ephraitæ. Gedeon verò erat de tribu Manaſſæ, ſupra ſexto, & præced. cap. Erant autem contentiones, & animoſitates inter has duas tribus ſuper præpoſitura in alterutrum, eo quòd Manaſſitæ erant filij primogeniti Ioſeph ſecundum carnem. Iacob autem prætulerat Ephraim ipſi Manaſſæ. Gen. 48. Ideo ſemper erat alterna contentio, & gaudebant viciſſim maledicere ſibi, & aduerſari. Præterea ante hoc Deus fecerat Gedeonẽ de tribu Manaſſæ iudicem Iſrael, & victorem in bello contra Madian: contra quem Ephraitæ valde indignati ſunt, quòd non vocaſſet eos ad bellum: & voluerunt inferre vim ipſi Gedeoni; præcedenti capit. quouſque laudando placauit illos Gedeon: & tamen manſit quædam inuidia, eo quòd ipſi non habuerant victoriam illam, & habuit eam Gedeon: & ex hoc eum exoſum habebant, quod ſciens Gaal voluit deprimere Gedeonem, vt complaceret Sichimitis. *Et conſtituit principem ſeruum ſuum Zebul ſuper viros Emor.* Iſtud poſuit Gaal exaggerandum cauſam concitationis contra Abimelech. Nam non ſolum ipſum Abimelech, qui erat de vili genere, dominabatur Sichimitis, ſed etiam conſtituerat quendam ſeruum ſuum nomine Zebul in principem Sichimitarum: ex quo Sichimitæ magis conquerebantur: quia iam ſuberant alteri viliori quàm Abimelech. Iſte Zebul, quem conſtituit principem Abimelech, præſens erat: ſed nõ auſus eſt, quicquã dicere contra verba Gaal, eo quòd totus populus Sichem erat faues Gaal. Et etiam ipſe Zebul, oſtendit ſe fauere ei contra Abimelech, vt patet infra. *Super viros Emor patris Sichem.* quaſi dicat, indignum eſt, quòd viri tantæ probitatis habeant, tam viles dominos. Nominauerunt autem ſe viros Emor, id eſt, habitantes in vrbe Emor. Nam ipſe fuit rex huius vrbis: Geneſ. 34. in hoc voluerunt oſtendere excellentiã ſuam, & nõ oſtenderunt eam ex genere, ſcil. dicentes ſe filios Ephraim: ſed ex vrbe, in qua morabantur, putabant ſe contrahere quandã nobilitatem appellantes ſe viros Emor, quòd eſſent de ſtirpe Emor. Erat enim Emor rex de genere Heuæorum, & fortè ipſe cõdidit vrbem Sichem: & ob hoc vocabantur viri Emor habitantes in ea. Vocatur iſte Emor pater Sichem dupliciter. Primò, quia Sichem eſt nomen vrbis, vel viri: nam Sichem fuit ille iuuenis, qui exardeſcens in filiam Iacob Dinã rapuit eam, & viribus oppreſſit: Gen. 34. & iſte erat filius regis Emor. Alio modo vocatur Emor pater Sichem, id eſt, conditor vrbis, vel poſſeſſor: & ſic accipitur Gen. 33. & hoc modo accipitur hic; & notatur nobilitas vrbis ex auctore. *Cur igitur ſeruiemus ei.* quaſi dicat, indignũ eſt, ꝙ viri tantæ excellentiæ, ſeruiant viro tam ignobili: & nõ eſt aliquis, qui nos ei ſeruire cõpellat. Gaal autẽ facit ſe hic, tanquã vnũ de Sichimitis, licet ipſe nõ eſſet de illis, eo quòd fuerat vocatus in adiutorẽ, & captabat in hoc fauorem populi. *Vtinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea.* hoc dicebat, quia licèt vocatus fuerat in adiutorẽ,

Emor quid ſit

Emor dupliciter pater Sichem appellatur.

nondum

A nondum erat in dominum assumptus. Et ob hoc petebat effici dominus, postquam iam putabat, quòd persuasi essent ad hoc Sichimitæ, præ odio Abimelech. *Vt auferrem de medio Abimelech*, id est, ego occiderem Abimelech tollendo eum de medio, id est, de hominibus, scil. quòd nō maneat super terram. Hoc factum fuit postea, scil. quòd Sichimitæ constituerunt Gaal principem suum, & pugnauit contra Abimelech: sed fugatus est ab eo, & expulsus de vrbe Sichem infra in litera. *Dictum est.* Hic ponitur secundum huius partis, scilicet, rebellantium impugnatio. Nam Abimelech pugnauit, postea fortiter contra Sichimitas, quousque deleuit eos. *Dictum est Abimelech, contra exercitus multitudinem, & veni.* Istud misit Zebul ad dicendum Abimelech, vt patet infra in litera: quia ipse manserat, vt princeps loco Abimelech in vrbe. Et dixit quòd congregaret multitudinem exercitus, scilicet, de alijs locis, quia habebat alia loca sub dominio suo Abimelech prę-ter Sichem: & de illis poterat congregare exercitum, & hoc erat necessarium ad expellendū Gaal de vrbe, qui factus fuerat adiutor Sichimitarum. *Zebul enim princeps ciuitatis auditis sermonibus Gaal filij Obed.* Iste Zebul erat seruus Abimelech: & relictus erat princeps vrbi loco Abimelech. Hoc est quod dixit Gaal, scili. & constituit Zebul seruum suum principem super viros Emor: iste audiuit sermones Gaal scil. quomodo maledicebat Abimelech, vt patet supra. *Iratus est valde.* scil.
B propter cōtumeliam domini sui Abimelech, & suam etiam, quia vidit quod iste incitabat populū ad toraliter se subtrahendū Abimelech: & in hoc erat grauis iactura Zebul, quia in hoc perderet principatum suum, quem exercebat in vrbe cum fungeretur vice Abimelech. *Et misit clam seruos ad Abimelech.* hoc fecit propter duo. Primò, quia si mitteret eos manifestè, videns hoc populus Sichem, teneret nuncios, & occideret ipsum Zebul, tanquam nunc fauentē Abimelech contra ipsos. Secundò ad hoc, quòd Sichimitæ non essent parati ad aduentum Abimelech cum nō cognoscerent eum venturum, & posset facilius Abimelech subijcere eos sibi. In Hebræo habetur. *Fraudulenter.* vbi litera nostra dicit clam, id est, absconditè: & istud procedit ex æquiuocatione. Etiam quia verum est, quòd fraudulenter misit nuncios, scilicet, ad fraudandum Sichimitas inducendo super eos repentè Abimelech. Vel dicitur fraudulenter, quia non misit veritatem referri per nuncios ipsi Abimelech, vt patet infra, scilicet, quia iussit dici, quòd oppugnabat ciuitatem Sichem Gaal: & tamen erat falsum. *Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis.* Id est, venit in Sichem cum omnibus cognatis suis, qui multi erant, & sic habebat magnam potentiam ad pugnandum. *Et oppugnat aduersus ciuitatem,* id est, pugnat vt capiat ciuitatem Sichem pro se.

C *Quare mentitus est hic Zebul ipsi Abimelech iubendo ei falsum enarrare.*

Qvæstio XLI.

Qværetvr quare mentitus est hæc Zebul ipsi Abimelech iubendo ei enarrari falsum, quia nō oppugnabat ciuitatem Gaal, sed potius adiuuabat viros vrbis. Aliquis dicet, quòd non misit falsum ad dicendum, quia Gaal oppugnabat vrbem, scil. verbis persuadendo, vt viri Sichem declinarent ab Abimelech, & susciperent eum in dominum. Sed hoc non stat, quia ista est metaphora: & nō vteretur tali metaphora Zebul ad Abimelech, quia Abimelech intelligeret verba ista planè, secundum quòd signabant: & falleretur cum non esset aliquod motiuum ad aliter intelligendum. Item non stat, quia hic posset esse locus metaphoræ: si fortè Gaal suaderet Sichimitis, quòd recederent ab Abimelech, & acciperent eum in dominum cum ad hoc inclinati nō essent: quia tunc videretur pugnare verbis contra vrbem: viri Sichem, tamen desiderabant hoc, quòd faciebat Gaal, quia ipsi miserunt ad vocandum eum in adiutorem, & aduenienteo lætati sunt recti, vt patet in litera: ergo non pugnabat contra vrbem. Aliquis fortè dicet, quòd Zebul voluit decipere Abimelech, ideo misit ei referri falsitatem. Sed non stat, quia Zebul erat princeps constitutus ab Abimelech, & iratus fuit valde contra Gaal, vt patet supra, ergo non volebat fallere eum. Dicendum, quòd misit hoc ad dicendum Abimelech, quia ipse non nouerat omnino repugnantiam Sichimitarum contra se: & si misisset Zebul ad dicendū Abimelech quòd Gaal erat in vrbe de consensu virorum vrbis, & quòd omnes pugnabant, vel pugnare intendebant contra Abimelech: expauisset videns difficultatē prævalendi contra Gaal, & ciuitatem & pigritaretur venire: & interim Gaal, & Sichimitæ fortificarentur magis: ideo misit ad dicendum, quòd Gaal oppugnabat vrbem, quasi Sichimitæ non consentirent ei custodientes fidem Abimelech; & tunc non timeret Abimelech venire putās, quòd faciliter posset expugnare Gaal: quia ipse pugnaret contra eum ab extra, & viri vrbis pugnarent ab intra. Alia causa esse poterat, quia si diceretur Abimelech, quòd tam Gaal, quàm vrbs Sichem repugnabant ei, putaret magnum robur exercitus, sibi necessarium fore ad prævalendum contra eos: & ad colligendum exercitum moraretur magno tempore, quod verteretur in damnum suum, ideo occultauit hoc, vt Abimelech cito veniret dicēs, quòd Gaal oppugnabat vrbem, & non erat intus. Alia ratio esse potest, quia Zebul manserat in vrbe, tanquam princeps loco Abimelech: & si dixisset, quòd Gaal introierat in vrbē, & ipse cum Sichimitis pugnabat contra Abimelech, irasceretur nimis Abimelech, quòd Zebul permisisset illuc ingredi Gaal, & putaret eum fuisse participem criminis: vt ergo non indignaretur contra eum dixit, quòd Gaal oppugnabat ciuitatem. Alia causa esse potest, quia Zebul intendebat hoc E facere quod dicebat, scil. quòd maneret Gaal extra vrbem, tanquam oppugnans eam: nam si veniret Abimelech contra vrbem, sciebat Zebul, quòd Gaal tanquam princeps Sichimorum egrederetur ad pugnandum contra eum: & tunc Zebul posset Gaal semel exeuntē de vrbe nō recipere postea, & sic maneret ei bellum cōtra Abimelech in campo, tanquā si propriè oppugnaret vrbem: sic factum est, vt patet in litera, inf. *Surge itaque cum populo, qui tecum est nocte, & latita in agro,* id est, veni immediatè per noctem, vt nullus de Sichimitis, vel de viris Gaal sentiat & dicitur. *Cum populo qui tecum est.* scil. non cures morari aliquanto tempore ad congregandum maiorem exercitum, sed solum accipe viros qui tecum sunt, & immediatè veni: quia etiam non habens maiorem exercitum poteris prævalere contra Gaal.

D

Quomodo Zebul misit nunc ad dicendum, quòd veniret Abimelech solum cum populo suo.

Qvæstio XLII.

Qværetvr quomodo Zebul misit nunc ad dicendū, quòd veniret Abimelech solum cum populo, qui erat cum eo; quia supra misit ad dicendum, congrega exercitus multitudinem & veni. Respondendū, quòd in vrbe Sichem: erant aliqui, qui fouebant partem Abimelech, præter Zebul & illi nō habito consilio Zebul miserunt ad dicendum Abimelech congrega exercitus multitudinem & veni. Hoc autē dixerunt: quia putabant sic expedire: viso q̄ tam ciuitas, quā Gaal repugnaret Abimelech: sed Abimelech nō curauit de verbis horū cum Zebul, qui erat princeps loco eius, nihil ad nunciandum misisset. Postea Zebul prudentius considerans propter causas assignatas præced. quæstione, misit ad nunciandum quod veniret immediatè, quòd non curaret congregare exercitū maiorem, sed cum populo suo veniret, & hoc vt non incuteret ei formidinem: etiam vt immediatè veniret. Huius dictum secutus est Abimelech, & venit illico per noctem, & latuit sicut iusserat ei Zebul quod lateret. Dixit autem, quòd veniret per noctem quasi insperatus, vt Sichimitæ non audirent venisse Abimelech, & essent imparati ad bellum: & deberet latitare Abimelech in agro, vt Gaal non videns eius militiam egrederetur ad pugnandum contra eum. *Et primo mane oriente sole irrue super ciuitatem.* Hoc dixit ne maneret Abimelech latens in agro, vsq; ad aliquantam partem diei, quia cognosceretur hoc à viris Sichem, & pararent se ad bellum: vel fortè deuitaretur opportunitas pugnæ Gaal contra Abimelech: nam primo mane oriente sole, Gaal solicitus erat stare in porta vrbis, & tunc apparente Abimelech, Zebul irritaret verbis ipsum Gaal ad pugnandū contra Abimelech, sicut postea factum est.

F

Illo autem egrediente aduersum te cum populo suo. Id est, egredietur Gaal de loco suo, in quo manet ad oppugnandum

A vrbem & cum populo ſuo, id eſt, ſolum cum viris ſuis, quia nullos alios adiutores habet pugnabit contra te. *Fac ei quod potueris.* Id eſt, tunc in bello, fac quod potueris contra ipſum. In Hebræo habetur. *Fac quod poterit manus tua.* Idem eſt.

Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte, & tetendit inſidias iuxta Sichiman in quatuor locis. Egreſſusq́ eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ ciuitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco. Cumque vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Vmbras montium vides, quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis. Rurſumque Gaal ait: Ecce populus de vmbilico terræ deſcendit, & vnus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum. Cui dixit Zebul. Vbi eſt nunc os tuum, quo loquebaris? quis eſt Abimelech vt ſeruiamus ei? Nonne hic populus eſt, quem deſpiciebas? Egredere & pugna contra eum. Abijt ergo Gaal Spectante Sichimorum populo, & pugnauit contra Abimelech.

B *Qui perſecutus eſt eum fugientem, & in vrbem compulit: ceciderunt q́ ex parte eius plurimi, vſque ad portam ciuitatis: & Abimelech ſedit in Ruma: Zebul autem, Gaal, & ſocios eius expulit de vrbe, nec in ea paſſus eſt commorari. Sequenti ergo die egreſſus eſt populus in campum. Quod cùm nunciatum eſſet Abimelech, tulit exercitum ſuum, & diuiſit in tres turmas, tendens inſidias in agris. Videns q́ quòd egrederetur populus de ciuitate, ſurrexit & irruit in eos cum cuneo ſuo, oppugnans, & obſidens ciuitatem: duæ autem turmæ palantes per campum aduerſarios perſequebantur.*

Surrexit itaque. Abimelech cum omni populo ſuo nocte. Quia ſecutus fuit per omnia conſilium Zebul, qui erat vir prudens: & ſurrexit de vrbe illa, in qua manebat nocte cum toto exercitu ſuo non congregans nouum exercitum, ne moraretur congregando illum: etiam ne Sichimitæ hoc cognoſcentes inuocarent plures adiutores. *Tetendit inſidias iuxta Sichem in quatuor locis.* hoc fecit propter duo. Primò, vt cum Sichimitæ viderent vnum cuneum Abimelech putarent paruum eſſe exercitum eius, & confidenter pugnaret contra eum Gaal, & caderet in manus eius. Secundò, quia cum lateret populus in quatuor locis ingrediente vno cuneo, & committente pugnam: fortè Gaal declinans ab illo cuneo irrueret in alias partes exercitus Abimelech, & periret faciliter. In Hebræo habetur. *Diuiſit exercitum per quatuor Duces,* ſed idem eſt, quia iſtæ quatuor partes exercitus, quæ latuerunt in quatuor partibus, habebant quatuor duces: nam non lateret aliqua pars exercitus non habens ducem. Litera tamen noſtra ſecuta fuit ſententiam manifeſtiorem, quia cum dicatur ſupra. *Latitans in agro.* & immediatè dicatur de quatuor ducibus exercitus: ſubintelligitur, quòd iſti quatuor duces habuerunt quatuor partes exercitus latentes in quatuor locis. *Egreſſusq́ eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ.* Iſte erat in vrbe cum Sichimitis, quia venerat, vt adiutor eorum: & nunc exiuit ad portam non deſiderio, vel intentione pugnandi, quia non putabat veniſſe Abimelech, contra quem pugnaret: ſed egreſſus eſt ad portam ex conſuetudine primo mane, & accidit quod videret Abimelech, qui cum exercitu ſuo irruebat ſuper vrbem. *Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco.* Scilicet, ſurrexerunt ad irruendum in vrbem. Et dicitur.

Omnis exercitus cum eo. Id eſt, totus exercitus, qui erat in parte in qua ipſe latebat. Vel totus exercitus, qui erat in locis quatuor latibulorum, quia fortè viſo, quòd nullus de Sichimitis eſſet in agro, ſed eundum eſſet contra vrbem, ſurrexerunt omnes, & tamen magis videtur, quòd ſurrexiſſent omnes quatuor partes exercitus: ſed non ſimul, ita vt ſingulæ partes venirent per loca ſua. Quod patet, quia Gaal dixit infra. Ecce populus de vmbilico terræ deſcendit, & vnus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum. *Cumque vidiſſent populum Gaal.* erat Gaal in introitu portæ Sichem: & vidit à longe venientem populum Abimelech deſcendentem de montibus. *Dixit ad Zebul.* Iſte Zebul erat princeps Sichem loco Abimelech: & nunc pauca erat ei poteſtas in vrbe præſente Gaal, quia totus populus conſpirauerat cum Gaal contra Abimelec. Manſerat autē iſte Zebul in vrbe, & nunc erat cum Gaal ad portam vrbis: vnde locutus fuit ad eum Gaal hæc. *Ecce de montibus multitudo deſcendit.* Apud Sichem ſunt duo montes, ſcilicet, Garizim, & Ebal, in quibus poſitæ ſunt benedictiones, & maledictiones pro obſeruatoribus, & vialatoribus legis. Deuteronomij vndecimo, & vigeſimoſeptimo. & Ioſue octauo, de monte Garizim ſupra in litera dictum eſt, quòd in illo erat Ioathan filius, Gedeonis, quando maledixit Sichimitis, in iſtis montibus latuit Abimelech cum populo ſuo, quia iſti ſunt iuxta vrbem: & in aurora deſcendit vt irrueret in vrbe, & tunc vidit Gaal populum deſcendentem. *Et vnus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum.* Erant enim quatuor cunei, quos fecerat Abimelech latere in quatuor locis: & quanquam in aurora deſcenderent omnes contra vrbem tamen non ibant ſimul in vno cumulo, ſed diuiſi: & vnus deſcendebat per vnam viam, & alius per aliam: vnde de vno illorum dixit Gaal, quòd deſcendebat per viam, quæ reſpicit quercum, id eſt, per quam itur ad quandam quercum famoſiſſimam, quæ erat apud Sichem, iſta eſt quercus illa, apud quam vnctus eſt in regem Abimelech, vt patet ſupra in litera, & iſta eſt illa, apud quam infodit deos aureos, & argenteos Iacob, de qua Geneſ. trigeſimo quinto, de hac quercu ſupra declaratum eſt. In Hebræo habetur. *Vnum caput venit per viam, quæ reſpicit augurium.* Et idem eſt: nam cuneus, & caput idem ſunt: quia cum exercitus diuiſus eſt in quatuor partes, vel cuneos, quælibet pars poterat vocari caput. Quercus vocatur augurium, eo quod Sichimitæ tenebant illam quercum in veneration̄em magnam, & in illa conſiderabant auguria. Erat enim arbor annoſa, vt ſupra dictum fuit: & ſicut gentiles dicebant quaſdam arbores eſſe ſacras, ſcilicet, conſecratas dijs: ſicut laurus Phæbo conſecrata erat, vt patet primo Metamor. & alias dicebant adhuc ſacratiſſimas: quia quædam nymphæ, vel Deæ latebant ſub illis, vel conuerſæ fuerant in illas, ſicut fuit de Phaetontialibus conuerſis in alnos, vt dictum fuit. Ita Sichimitæ ſequentes viam gentilium ſimilia credebant, & obſeruabant: ideo tenebant illam quercum ſub ſacra veneratione, & obſeruabant auguria in illa, & ob hoc cōſtituerunt Abimelech regem apud illam, vt patet ſupra in litera. *Cui ille reſpondit, vmbras montium vides quaſi hominum capita.* Zebul reſpondit hoc ipſi Gaal irridendo eum: erat tamen aliqualis veriſimilitudo ad hoc: quia iſtæ turbæ diſtabant ab vrbe, ſcilicet, erant in montibus: ita vt dubitari poſſet aliqualiter, an eſſent vmbræ montium: vel homines, vel aliquid aliud, etiam erat aurora, quando extenduntur radij Solis orientis: & tunc vmbræ montium fiunt magnæ, & poterant diuerſæ vmbræ arborū montium, vel petrarum videre homines.

Atque hoc errore deciperis. Id eſt, non eſt verum, quòd videas deſcendentem multitudinem, ſed decipitur viſus tuus. In Hebræo non habetur. Errore deciperis, ſed addidit tranſlator ad magis explanandum. *Rurſusque Gaal ait: ecce populus de vmbilico terræ deſcendit.* Cognouit Gaal certiſſimè, quòd non erant vmbræ, ſed videri: ideo confirmauit ſententiam dicens: ecce populus de vmbilico terræ deſcendit, id eſt, de montibus, vocatur enim mons quilibet, vmbilicus terræ: quia ſicut vmbilicus eſt pars eminens in ventre, tanquam aliquid per ſe exiſtens, ita montes ſunt eminentes ſuper terræ ſuperficiem. *Et dixit Zebul.* Iſta ſunt iam verba increpatoria, & pungitiua ad irritandum Gaal ad bellum contra Abimelech. *Vbi nunc eſt os tuum, quo loquebaris: quis eſt Abimelech, vt ſeruiamus ei.* Quaſi dicat, non habes nunc tantam confidentiam, ſicut habebas iactantiam oris, cùm loquebaris contra Abimelech contemnens eum, & dicens: quis eſt Abimelech, vt ſeruiamus ei? quaſi dicat, non eſt tantæ excellentiæ, vt debeamus ei ſeruire: erubeſce ergo nunc iſta dixiſſe, ſi non audes contra eum præſentem pugnare.

D E F

Abimelech quare tetenderit inſidias iuxta Sichem in quatuor locis.

C

Litera in Hebræo.

Mons quilibet quæ terra vocetur vmbilicus.

A *Nonne iste est, populus, quem despiciebas?* Id est, nunquid nescis, quòd iste sit populus Abimelech, quem tu despiciebas cum auctore, & principe suo? Pugna ergo nunc, si es vir. *Egredere & pugna contra eum.* Id est, cum despexeris eum, & dixeris quod tolles eum de medio, non debes formidare, egredi de vrbe ad pugnandum contra eum. *Abijt ergo Gaal spectante populo Sichimorum, & pugnauit contra Abimelech.* Scilicet, egressus est de vrbe contra Abimelech, & pugnabat: sed populus Sichem non pugnabat: solùm respiciens, quomodo pugnaret Gaal contra Abimelech. Fortè hoc factum est, quia Sichimitæ timuerunt, quòd si egrederentur cum Gaal in campum, quòd ipse colluderet cum Abimelech, & efficeretur de parte illius: traderetque Sichimitas in manus eius: ideo tutius fuit quod per se cum viris suis pugnaret Gaal contra ipsum Abimelech. Aliter potest dici, quòd Gaal volebat habere principatum Sichimitarũ excluso Abimelech. Et ad hoc vt magis animaret eos promisit, quòd id se solus contra Abimelech pugnaret, & illo victo reciperent eum in dominum: quam conditionẽ libenter susceptit populus Sichem: ideo stabat spectans qualiter pugnaret Gaal contra Abimelech: & ob hoc cum victus, & expulsus de vrbe fuisset Gaal: sequenti die pugnauit populus Sichem contra Abimelech.

Qui persecutus est eum fugientem. Exercitus Abimelech erat fortior, & animosior. Etiam incitabatur magis voluntariè ad bellum, quàm exercitus Gaal, quia Abimelech pugnabat, vt defenderet quæ sua erant, scil. vrbem Sichem, cuius erat rex. Gaal autẽ pugnabat, vt acquireret quod nunquam possederat: ideo nõ potuit Gaal consistere ante faciem Abimelech, sed fugit. *Et in vrbem compulit.* Id est cõpulit Abimelech Gaal fugere in vrbem Sichẽ: quia nõ habebat alium locum, in quo lateret, & se tueretur. *Ceciderunt q; ex parte eius plurimi, vsq; ad portam ciuitatis.* Id est, mortui sunt multi de seruis Gaal pugnãtibus acerrimè cum viris Abimelech: sed plures in fuga, quàm in bello mortui sunt: ideo dicitur vsq; ad portam ciuitatis, id est, ceciderunt fugiendo vsq; ad portam ciuitatis.

Ruma quid sit

Et Abimelech sedit in ruma. Id est, locus modicum distans à Sichem, qui pertinebat ad dominiũ Abimelech, & ibi sedit scil. mansit & recreatus est illa die, facto bello vsq; ad diem sequentẽ cum egressus est ad pugnam contra populum. *Zebul autem Gaal, & socios eius de vrbe expulit.* Iste Zebul erat princeps loco Abimelech: & videns quod supereſſet Abimelech, ipsum Gaal cum aliquibus de fouentibus partẽ Abimelech expulit Gaal de vrbe. Nam iam Gaal paruæ potestatis effectus erat, eo quod plurimi de populo eius deciderant in bello, vt dictum fuit supra, ad hoc autẽ mansit Zebul in vrbe, vt posset redeuntem Gaal nõ recipere clausis portis: vel eum repente de vrbe excludere. *Nec in ea passus est commorari.* Ante

C hoc non ausus fuerat Zebul quicquam tentare contra Gaal: quia tota ciuitas tenebat Gaal, & ipse non videbat auxilium aliquod in propinquo, nunc autem viso, quòd victus esset Gaal, manifestè surrexit contra ipsum: & expulit eum de vrbe.

Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Postquam Gaal victus fugit, totus Sichimitarum populus collectus: egressus est sequenti die in campum, vt pugnaret contra Abimelech. Sciendum autem, quòd Gaal nõ iuit nunc cum Sichimitis, quia iam expulerat eum de vrbe Zebul, vnde dicendum, quòd redierit in terrã suam videns, quòd negocia eius non prosperarentur apud Sichimitas.

Cum vidissent Sichimitæ quòd non possent resistere Abimelech, cur non petebant ab eo veniam.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR cùm vidissent Sichimitæ, quòd non possent resistere Abimelech: cur non petebant ab eo veniam, & pacem cùm essent populus eius, & non destrueret vrbem: quia damnũ eius erat. Respondeti potest, quòd putauerunt Sichimitæ superuacuum esse, quòd peterent veniã, quia nõ peruenirent ad eam, eo quod nimis iniuriati fuerant Abimelech insurgendo cõtra eum, & vastando vineam fautorum eius, & maledicendo ei inter epulas & pocula. Etiam quia contra eum induxerant hostem, scil. Gaal, qui acrius maledixerat quã ipsi: & ipse pugnauit cõtra Abimelech. Putauerunt ergo, q; Abimelech nõ parceret habitatoribus Sichem, & quanquã promitteret securitatem, vt traderetur ei ciuitas, postea effectus dominus illorũ duris cruciatibus illos afficeret: iudicauerunt ergo melius esse, vt contra eum pugnarent, etiã si in bello perire cõtingeret. Alia causa est, quia Deus volebat, quòd veniret super Sichimitas maledictio Ioathan filij Gedeonis, scil. vt perirent ipsi, & postea Abimelech: & ob hoc indurauit cor eorũ, vt pugnarent, & caderent in manus Abimelech. Simile habetur Iosue 11. de populis Chananæorum occisis per Iosue cùm dicitur Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorũ, & pugnarent contra Israel, & caderent, ne mererentur vllam clementiam. Aliter dici potest, quòd Sichimitæ peruenerunt ad tantam infatuationem, quòd putauerunt se posse prævalere contra Abimelech: ideo quanquam putarent se habituros veniam si peterent, noluerunt: ad hoc autem Deus excęcauit eos, quia quanquã ipsi aliàs iudicaturi essent, quòd non poterant prævalere cõtra Abimelech: Deus tamẽ perturbauit iudiciũ eorum, vt pugnarent: nam sic infatuat consiliũ aliquorum, quando vult eos perire: sicut patet de Absolone & complicibus suis: nam Achitofel dederat consiliũ vtile contra Dauid: ita vt posset capi, & occidi: Deus tamen infatuauit Israelitas, vt putarent consilium Achitofel nullũ esse, & crederent consilium Chusi esse melius: & sic caderent in manus Dauid, vt patet 2. Reg. 17. c. Alia ratio esse potest, quia licet Sichimitæ cognoscerent se viribus impares ipsi Abimelech, & putarent etiã, quòd si veniã peterent concederet eam Abimelech: tamen tam graui odio eum persequebantur, q; præeligerent mori, quam ei subijci. Istud autem grauissimũ odium Deus procurauerat in pœnam eorum, vt patet in litera, scilicet. Misit Deus spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem.

Quod cum nunciatum esset Abimelech. scilicet, quòd populus egressus fuisset in campũ, quasi paratus ad pugnandum. *Tulit exercitũ suum.* scil. totũ, quem habebat in Ruma, in qua tunc quiescebat. *Et diuisit in tres turmas.* scil. fecit tres partes cum tribus ducibus, & posuit illos in tribus locis: ipse autẽ mansit, vt dux vnius turmæ. Et hoc fecit, vt cum vna turma, vel duæ pugnarent contra Sichimitas, alia turma pugnaret contra vrbem. Nam populus Sichẽ, inde fuerat egressus in agro ad pugnandum, & Abimelech insurgens cum vna turma de loco insidiarum poterat pugnare cum Sichimitis, trahendo eos aliquantulũ ab vrbe: & interim aliæ turmæ possent pugnare contra vrbem, & nõ permitterent Sichimitas egressos de vrbe redire ad illã, quia licet fugerent à facie alterius turmæ ad vrbem, duæ turmæ stantes apud vrbem, & pugnantes non permitterent intrare fugientes, & sic necesse erat semel egressos perire non habentes vllum locum refugij. Item

F erat alia vtilitas in hoc quia dum vna turma, vel duæ pugnarent contra Sichimitas egressos in campum, reliqui de viris Abimelech pugnarent contra vrbem, vt introirent in eam: & cum ibi pauci manerent, possent irrumpere vrbem, & sic factum est: nam egresso populo Sichem duæ turmæ Abimelech pugnabant per agros contra illum, & Abimelech cum vno cuneo contra vrbem perrexit, quam pugnando ipsa die cepit.

Tendens insidias in agris. Istæ insidiæ erant circa vrbem, vt egressis Sichimitis, & incipientibus pugnare contra viros Abimelech, aliquis de cuneis Abimelech posset prius ire ad vrbem, quàm redire possent Sichimitæ, etiam si fugere vellent.

Videnſque, quòd populus egrederetur de ciuitate. Id est, iam egressus fuisset: nam si Abimelech irruisset in Sichimitas, quando egrediebantur de porta vrbis retrocessissent Sichimitæ in vrbem, & non potuisset ita faciliter pugnare contra eos Abimelech, quia omnes essent in vrbe, & ibi fortiter se defenderent: sed permisit omnes procul ab vrbe recedere, & tunc ipse inuasit vrbem quasi indefensam paucis manentibus in ea. *Surrexit & irruit in eos.* Non intelligitur hoc de exeuntibus extra vrbem, scilicet, quòd Abimelech irrueret & pugnaret contra illos, & dicitur quòd duæ turmæ pugnabant, & percutiebant eos. Et dicitur quòd ipse oppugnabat ciuitatem. Sed dicitur.

Respon. 2. ad quæst.

A *Irruit in eos.* Id est, in illos qui manebant in vrbe, & tunc stat litera clara. *Cum cuneo suo oppugnans, & obsidens ciuitatem.* Scilicet, totus exercitus diuisus erat in tres cuneos, vel turmas, & vnum cuneum accepit pro se Abimelech, & cum illo iuit ad vrbem, quasi solam manentem, & cœpit oppugnare, & obsidere, vt irrumperet eam foris existētibus habitatoribus eius. In Hebræo habetur: *Abimelech, & duces qui cum eo erant ambulauerunt & steterunt ad portam vrbis.* Idem significat quod litera nostra, scilicet Abimelech, & duces qui cum eo erant steterunt ad portam vrbis, id est venerunt ad portam vrbis, ad obsidendum ciuitatem. Et vbi litera Hebraica ponit duces, litera nostra ponit cuneum, quia suprà dicitur, quòd diuisus erat exercitus in tres turmas. Etiã dicit litera sequens, quòd duæ turmæ percutiebant Sichimitas per agros. Ergo oportebat, quòd cùm Abimelech, qui iuerat ad vrbem, iret vna turma, & in hac turma ibant duces aliqui, sicut dicit litera Hebraica. Vt tamen clarior esset litera, voluit translator noster ponere cum cuneo suo, & non cum ducibus suis, & optimè fecit; quia non solùm fuit intentio sua transferendi, sed etiam elucidandi, & vbi dicit litera Hebraica: *Steterunt ad portam. Dicit litera nostra oppugnans & obsidens.* Et idem est, scil. quia obsessio, & oppugnatio cepit ad portam vrbis, quia ad illum locum cœpit pugnare Abimelech, vt perfringeret portã vrbis, vel cremaret eam.

B *Duæ autem turmæ palantes per campum.* Id est, alij duo cunei manentes in campo, quia Abimelech vnicum cuneum tulerat secum ad expugnandam vrbem. Dicuntur palantes, id est diuagantes, vel discurrentes, scil. quia non ibant tramite recto ad aliquam partem, sed nunc huc, nunc illùc pugnando contra Sichimitas, qui erant in campo: & quia Sichimitæ egressi de vrbe videbant iam sibi præclusum vrbis introitum non fugerunt ad vrbem, quanquam se inferiores viderent: sed nunc fugientes, nunc redeuntes diuagabantur, sicut impetus illos ferebat. *Aduersarios persequebantur.* Isti erant, qui egressi fuerant de vrbe ad pugnandum: & hi non potuerunt postea redire ad vrbem, nec legitur quid de eis factũ sit. Credendum autem est, quòd duæ turmæ Abimelech occiderunt omnes illos Sichimitas per agros. Vel fortè, quia ipsi videtes non superesse sibi locum redeundi in vrbem, nec etiam poterant resistere duabus turmis Abimelech, fugerunt ad varia loca, & in fuga occidebant multos eorum per agros istæ duæ turmæ. In Hebræo habetur: *Duæ autem turmæ per campum spoliauerunt, & percusserunt aduersarios.* Vbi nos dicimus, duæ turmæ palantes per campum aduersarios persequebantur. Sed idem est, quia istæ turmæ persequebantur aduersarios, & persequendo percutiebant multos: & tollebant spolia eorum.

C *Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat vrbem, quam cepit interfectis habitatoribus eius, ipsa quoque destructa, ita vt sal in ea dispergeret. Quod cùm audissent, qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum Dei sui Berith, vbi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: & arreptа securi præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios. Quod me vidistis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circundantes præsidium, succenderunt. Atque ita factum est, vt fumo, & igne, mille homines necarentur, viri pariter, & mulieres habitatorum turris Sichem.*

Porrò Abimelech. Hic ponitur tertium, scilicet vtrorumque destructio. Et primò ponitur calamitas Sichimitarum, secundò mors Abimelech, ibi. *Abimelech autem inde.* Circa primum dicitur: *Porrò Abimelech omni illo die oppugnabat vrbem.* Scilicet, bellum cœpit in aurora: nam latuit in agro Abimelech per noctem, & egressis Sichimitis de vrbe ipse irruit super eam, & pugnauit vsque ad vesperam, & tunc cepit eam. *Quam cepit.* Scilicet, quia fregit portas, vel combussit aut irrupit, per aliquam partem muri. *Interfectis habitatoribus eius.* Non est sensus, quòd prius interficeret omnes habitatores vrbis, & deinde ingrederetur in eam, quia non poterat occidere omnes nondum ingressus in vrbem, sed irrupit vrbem, & tunc percussit omnes, qui erant in ea, tam magnos quàm paruulos. D

Quomodo dicitur hoc quòd Abimelech occidit nunc omnes habitatores vrbis Sichem.

QVÆSTIO XLIIII.

Calamitas Sichimitarum.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quòd Abimelech occidit nunc omnes habitatores vrbis Sichem, quia postea dicitur, quomodo occidit in turre Sichem quasi mille animas.

Responderi potest dupliciter: vno modo, quòd turris Sichem, non erat aliquid intra vrbem Sichem, sed erat aliquis locus paruus extra vrbem, qui vocabatur turris Sichem. Et tunc dicendum, quòd pugnauit nunc Abimelech contra Sichem, & occidit omnes qui erant in vrbe nullum relinquens: postea autem occidit eos, qui in turre Sichimorum erant. Ista sententia adiuuatur, quia dicitur infrà, quòd Abimelech audiens habitatores turris Sichimorum pariter conglobatos, & sic cùm perueniret ad eum, hoc per nuncium videtur quòd extra vrbem Sichimorum erant. Aliter potest intelligi, quòd turris Sichimorũ erat castrum vrbis Sichem, in quo habitabant multi, & quando Abimelech cepit vrbẽ, & occidit habitatores eius, illi, qui erant in castro, non occisi fuerant, quia nondum pugnauerat contra eos Abimelech: postea autem pugnauit, & occisi sunt ibi quasi mille animæ, infrà in litera. E

Ipsaq; destructa, ita vt sal in ea dispergeret. Id est, destruxit eam totaliter, intantùm, quòd sparsit sal per eam. Iam enim ista vrbs Sichem, iterum fuerat totaliter destructa: ita vt non maneret in ea aliquis vir, scilicet, quando filij Iacob occiderunt omnes habitatores propter defloration em sororis suę Dinæ, vt patet Genes. 34. cap. nunc autem magis deleta est. quod signat litera, dicens: ita vt sal in ea spargeret, id est, intantùm destruxit vrbem, quòd sparsit in ea sal, quod pertinet ad vltimatam destructionem.

Quare Abimelech sparsit sal in vrbe Sichem, postquam deleuit eam: & vnde habuit hoc exordium.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR, quare Abimelech sparsit sal in vrbe Sichem?

Respondendum, quòd in signum maximæ pœnæ. Consueuit autem istud fieri in pœnam criminis læsæ maiestatis, scilicet, quando ciuitas aliqua rebellat iniustè regi committens proditionẽ. Vrbs aũt Sichem insurrexerat cõtra Abimelech iniustè, & intulerunt ei iniurias graues maledicendo ei, & mouendo bellum contra eum, & inducendo hostes eius in vrbem, vt pugnarent contra illum, scilicet Gaal, & socios eius: ideo non solùm Abimelech dedit pœnam Sichimitis, pro præsenti occidendo omnes Sichimitas, sed etiam sparsit sal per ciuitatem: quod fit ad hoc quòd terra fiat sterilis, & nunquam habitetur. Nam sal quanquam de aqua fiat est naturæ igneæ: ideo cùm in terra spargitur, terra fit sterilis: & si multum de sale fundatur, terra omninò sterilis fiet: ideo vt vrbs Sichem esset in æternum sterilis, & inepta ad habitationem, propter rebellionem ibi commissam contra Abimelech, sparsit sal in ea. F

Ad qd spargebatur sal in vrbe Sichem

Quare terra post diluuiũ sterilis facta est.

Hæc autem de sterilitate causa per sal apparet, quia terra ante diluuium erat valdè fertilis, & ex temperie eius homines veniebant in ætatem, quasi mille annorum: mox autem post diluuium incepit esse vita humana, infrà trecentos annos, vt colligitur Genes. 11. & in breui redacta est in centum viginti annos, vel parùm plus: hoc non fuit principaliter, nisi propter dispositionem terræ, variam in virtute alimentorum: fuit enim terra corrupta salsugine intrante oceano, & effuso super totam terram, & aqua maris præ salsugine reddit terram, quàm sterilem. Sic etiam quæcunque terra sit salsuginosa sterilis fit. Sic dicitur Psalmo 106. scilicet: Posuit flu-

A

mina in desertum, & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea. Et sic esse terram fructiferam, & salsuginosam, sunt oppositа, & consequenter sterilem esse, & salsuginosam, idem est.

Sciendum autem, quòd spargi sal in ciuitatibus, quæ committerent crimen læsæ maiestatis, erat ab antiquo vsitatum, ex quo cœperunt esse reges super terram, & magni domini, fueruntque contra eos proditiones factæ. Nec enim Abimelech fuit auctor spargendi salis, sed sicut ab alijs regibus reperit vsitatum: ita & ipse egit. Fit quoque nunc sic, nam aliquæ vrbes sunt, nunc apud nos habitatæ, quæ olim nec à multis temporibus sale sparsæ fuerunt: sic enim fuit de vrbe Sichem: nam licèt nunc deleta fuerit, & sale sparsa postea habitata fuerit.

An Abimelech pugnando contra Sichimitas, & spargendo sal in vrbe peccauerit.

QVÆSTIO XLVI.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Abimelech pugnando contra Sichimitas, & delendo eos tam durè, atq; spargendo sal in vrbe.

Aliquis dicet quòd sic, quia Sichimitæ iustè pugnabant contra Abimelech: ergo Abimelech iniustè pugnabat cõtra

B

Sichimitas. Patet hoc, quia Sichimitæ volebant auferre regnum Abimelech, qui erat indignus cùm occidisset fratres suos, & dare vltionem de hac cæde iniusta, pertinebat ad Israëlitas: ideo iustè agebant Sichimitæ mouendo bellum contra Abimelech, vt tollerent ei regnum. Item Sichimitæ mouebantur spiritu, quem Deus imimsit eis: sed qui aguntur spiritu Dei, sunt filij Dei, ad Roma. 8. & isti non sunt sub lege, ergo benè agebant per spiritum sibi à Deo immissum persequendo Abimelech.

Respondendum, quòd Abimelech non peccauit faciendo ista bella, & infligendo quascunque pœnas Sichimitis. Nã ipse agebat iusta bella contra Sichimitas, ideo poterat punire eos secundùm quantitatem iniuriarum susceptarum.

Sichimitæ in quibus cõmiserint crimen læsæ maiestatis contra Abimelech.

Pro quo sciendum, quòd Abimelech à principio suscepit regnum iniustè, quia occidit ad hoc fratres suos: tamen nunc non poterant Sichimithæ eum expellere, sed quantum ad Sichimitas, erat Rex legitimus, cùm spontè eum susceperint nulla inflicta eis violentia, quin potius ipsi adiuuerunt eum ad hoc quòd esset Rex, vt patet in litera: ideo non poterant licitè Sichimitæ facere contra Abimelech, quod non liceret fieri contra aliquem regem legitimè regnantem: Sichimitæ tamen commiserunt crimen læsæ maiestatis, in multis contra Abimelech. Nam primò maledixerunt ei grauiter inter epulas, & pocula, suprà in litera. Secundò induxerunt hostes in ciuitatem, vt pugnarent contra Abimelech, scilicet

C

Gaal. Tertiò fecerunt vastationem in vineis illorum, qui fauebant Abimelech: & redierunt cantantes in choris, quasi obtenta victoria. Quartò ipsi exierunt ad pugnandum contra ipsos non prouocantem illos ad bellum, ideo cùm hoste offenso ab altero hoste, liceret ei exercere, hoc contra hostem: à fortiori liceret Regi contra subditos insurgentes in eum ad atrociissimas iniurias. Abimelech autem non fecerat aliquid mali Sichimitis, propter quod mouerentur rationabiliter contra eum, sed ex insperato posuerunt ei insidias in montibus, vt cùm venirent, occiderent eum: sed pro crimine læsæ maiestatis, licet alijs regibus occidere viros, & ciuitates disperdere, spargendo sal in eis: liceret ergo hoc Abimelech, qui verus rex erat Sichimitarum, & ab eis grauiter offensus.

Ad 1. rõnem in diuersum.

Ad primam rationem in contrarium cùm dicitur, quòd iustè pugnabant Sichimitæ contra Abimelech ad tollendum ei regnum, eo quòd erat indignus Rex. Dicendum quòd Abimelech iniustè regnabat, quantum ad duo. Primò, quia regnum non competebat ei, sed fratribus suis, cùm alij essent legitimi, & ipse illegitimus.. Etiam ipse non erat primogenitus, cui iure competeret successio in principatu paterno. Secundò regnabat iniustè, quia acquisiuit regnum per magna scelera, scilicet, occidendo fratres suos. Istud autem erat respectu domus Gedeonis, cui præiudicauerat Abimelech, sed respectu Sichimitarum non regnabat Abimelech iniu-

Abimelech iustè Sichimitis imperabat.

D

stè: imò non poterat esse iustior principatus, quia ipsi Sichimitæ elegerunt eum in Regem: & non affuit ad hoc violentia, sed cùm adhuc Abimelech esset vir nullius potentiæ, Sichimitæ eum acceperunt. Item non obstabat, quòd esset illegitimus, quia ipsi cognouerant hoc à principio, imò ob hoc, quòd mater eius erat eorum cognata, acceperunt eum, dicẽtes, caro nostra est, vt patet suprà in litera. Item non obstabat, quòd occidissent fratres suos, quia antequã elegissent eum in regem, occiderat illos. & hoc cognito eum elegerunt: ideo non poterant ei hoc postea obijcere. Item quod maius est, ipsi fuerunt participes criminis, quia ipsi cõsuluerunt ei, quòd occideret fratres suos: & dederunt ei fauorem ad hoc, scilicet, quòd dederunt ei septuaginta pondo argenti ad conducendum bellatores, cùm aliàs ipse nullam haberet pecuniam, nec posset pugnare contra fratres. Etiam multi de Sichimitis iuerunt cum eo, & adiuuerunt in occisione fraterna, vt patet suprà. Item, quod maius est, ipsi valdè approbauerunt hoc factum. Nam nunquam voluerunt eum constituere Regem, quousque iam occidissent fratres, vt patet suprà in litera: & declaratum est in quadam quæstione. Item Sichimitæ moniti fuerunt, & increpati per Ioatham filium Gedeonis. Nam die, quo vngebant Abimelech in regem, cùm nullum adhuc ius quæsitum esset Abimelech, & liceret Sichimitis retrocedere, Ioatham increpuit eos valdè clamans de monte Garizi: & tunc potuissent Sichimitæ non vngere Abimelech, &

E

vngere Ioatham, quæsito tamen sibi iure postquam vnctus erat, non poterant propter præcedentia quicquam agere contra ipsum. Item cùm dicitur, quòd Sichimitæ volebant punire Abimelech pro malis, quæ fecerat contra fratres, nõ stat, quia ipsi erant participes delicti: sed particeps non potest punire comparticipem. Item Abimelech erat Rex legitimè constitutus super Sichimitas: ideo quodcunque peccatum egisset quantumcunque graue, non poterant eum punire Sichimitæ. sic enim dixit Dauid, quòd non licebat mittere manum in Christum, id est in Regem, dato quòd esset malus, 1. Regum 24. & 26. cap. sed quòd Deus occideret eum per se, vel moreretur aliàs. Item quia subditi non habent directè potestatem iudicandi super regem, & pro peccatis præteritis quorum non manet continuatio, scilicet, quia iam rex de illo doluit, vel recessit, non possunt subditi directè, vel indirectè aliquid agere contra ipsum. Si autem Rex peccet, & permaneat in peccato, si sit tale peccatum, in quo nimis læditur regnum: vel timetur quòd permittente populo Regem manere in peccato illo, quòd Deus irascatur, & fundet furorem suum super populum: postquam populus legitimè admonuerit Regem, potest ei subtrahere obedientiam: non tamẽ rectè procedere ad infligendam pœnam corporalem, vel aliàs pugnando contra ipsum, nisi fortè Rex ad defendendã obedientiam pugnet contra regnicolas suos. Tunc enim poterunt ipsi contra eum pugnare, vt defendentes & non vt aggredientes: sed nunc Sichimitę processerunt ad pugnandum

F

contra Regem suum, nullo præmisso, nec manente Rege in continuatione alicuius delicti, in quo læderetur regnum; vel Deus irasceretur: ergo non licebat eis mouere hoc bellũ contra eum. Licuisset autem alijs Israëlitis, antequam consentirent in eum vt in regem, pugnare contra illum ad vindicandam iniuriam factam domui Gedeonis: & in istis non erat aliquod impeditiuum, quia non fuerant participes in crimine Abimelech, nec eum in regem acceperant.

Ad 2. rõnem.

Ad secundam rationem cùm dicebatur, quòd isti incitati spiritu Dei egerunt, ergo non peccabant. Respondendum, quòd si agitati fuissent spiritu Dei ad hoc, nõ peccassent, sed incitati sunt malo spiritu: nam dicitur suprà in litera, quòd misit Deus inter Abimelech & habitatores Sichem spiritum pessimum, scil. odium grauissimum: ideo agentes per illum non excusarentur, sed potius sequitur quòd peccarent, cùm dicatur quòd erat malus spiritus: sic enim qui à dæmone incitantur, spiritu Dei mouentur, & tamen peccant. Sic fuit de Prophetis Achab, quos fecit esse mendaces spiritus, id est dæmon. 3. Reg. 22. Item non obstantibus omnibus prędictis, adhuc non stat, quòd Sichimitæ excusarentur, quia ipsi nõ mouebantur contra Abimelech, vt punirent delicta illius: sed ex odio quodam detestantes eum, & contemnentes, dicentesq; quis est Abimelech, vt seruiamus ei? Nonne ipse est filius Ierobaal? Fecerunt ergo valdè iniustè Sichimitæ: & Abimelech

potuit

potuit eis iustissimè pœnas istas, vel maiores infligere, tanquã peccantibus subditis in crimine læsæ maiestatis.

An Abimelech licitè potuit delere ciuitatem Sichem, & inferre Sichimitis quascunq; pœnas.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR vlteriùs, dato quòd Abimelech licitè inferret quascunque pœnas Sichimitis, an potuerit delere licitè ciuitatem?

Aliquis dicet, quod non, quia sicut fiebat in hostibus, quòd Israëlitæ pugnantes cõtra eos debebant offerre pacem, & si illam susciperent, efficerentur tributarij. Si autem nollent suscipere pugnando capta vrbe omnes occidi debebant, præter mulieres & paruulos. Deut. 20. Sed hic Abimelech occidit omnes habitatores vrbis. Item Sichem erat ciuitas sacerdotalis, & destruendo illam prę iudicabatur sacerdotibus minuendo illorum hæreditatem, ideo peccabat. Hoc patet Ios 21. vbi ponuntur omnes ciuitates sacerdotales, & Leuiticæ. Item ista erat vna de ciuitatibus refugij, vt patet Ios. 20. & p̃iudicabatur omnibus fugientibus, imò omnibus Israëlitis, qui aliquando fugitiui esse poterant, tollendo eis vnam vrbẽ confugij.

B *Rõsio ad quæsitum.* Respondendum, quòd non peccauit Abimelech faciendo hoc, ita quòd saltem ipsum opus secundùm se non erat malum, licèt ipse posset hoc agere ex ira: nam pro crimine lę sæ maiestatis in multis: ideo potuit eis licitè tanquam rex, & iudex infligere istam pœnam.

Ad 1. rõnem. Ad primam rationem dicendum, quòd illa lex, quę habetur Deut. 20. non intelligitur de Israëlitis, sed de extraneis nõ habitantibus in terra Chanaan, vt patet ex verbis ibi positis. Patet etiam, quia ibi dicitur, quòd si susciperent pacem, efficerentur tributarij: illi tamen, qui erant Israëlitæ iam erant tributarij regum suorum, vel si vna ciuitas pugnaret contra aliam, etiam si foueret iustum bellum, non poterat illam efficere tributariam, quia non erant tanquam hostes, sed tanquã ciuitates existentes sub eodem domino, vel eisdem iudicibus saltem. Item ista lex nõ seruabatur inter Israëlitas, quia interdum pugnandum erat contra aliquas ciuitates, quibus non erat offerenda pax, etiam si illæ vellent esse tributariæ, vel se in seruitute dare: sed debebant dirui illæ vrbes occisis omnibus habitatoribus, & etiam pecoribus: & postea ciuitas tota cum omnibus supellectilibus eius cremanda erat, Deut. 13. istæ enim erant ciuitates colentium idola: sicut ergo pro isto peccato maximo, quod in Deum erat, debebat exerceri ista seueritas: ita pro crimine læsæ maiestatis regalis quod nimis est, vt patet extrà de hæret. c. vergentis, poterat infligi seueritas aliquantum minor, potissimè cùm istud consuetum esset in legibus gentium, quòd pro crimine læsæ maiestatis, hæc pœna infligeretur.

C *Ad 2. rõnem.* Ad secundam rationem, cùm dicitur quòd præiudicabatur sacerdotibus destruendo ciuitatem illorum, respondendum, quòd omnes habitatores Sichem, t[illegible]acerdotes, quã non sacerdotes insurrexerunt contra Abimelech: ideo ęqualiter potuit punire sacerdotes vt laicos. Nam in veteri testamento non erant distinctæ iurisdictiones, scilicet sacerdotalis, vel ecclesiastica, & regalis: sed ambæ conueniebant in rege: ideo sicut licebat Abimelech diruere vrbem, quamquam præiudicaretur postea habitaturis in vrbe de laicis: ita etiam in præiudicium quorumcunque sacerdotum futurorum licebat ei diruere vrbem. Item non est inconueniens, quòd quibusdam, qui non peccauerunt pœnæ infligantur indirectè ad correctionem plenam quorundam magnorum criminum: sic enim Deus iubebat ciuitatem, in qua fuissent idololatræ cremari, & dirui, & poni in tumulum æternum. Deuter. 13. & tamen manifestum est, quòd in hoc præiudicabatur reliquo Israëli, qui non peccauerat, quia iam habebant pauciores vrbes: sed Deus non curabat de hoc præiudicio, dum tamen daretur pœna terribilis pro hoc crimine. Item etiam apud nos filij hæreticorum priuantur successione paterna, licèt ipsi nihil peccauerint, vt patet extr. de hęreticis, c. vergentis. Hoc autem fit, vt cùm istud crimen sit grauissimum, detur pro illo pœna horribilis: crimen autem læsæ maiestatis, est huiusmodi apud nos secundùm leges humanas: quia filij illorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis, priuantur omni successione paterna reseruata eis solùm vita ex pietate quadam, vt patet præallegato capitulo, ita ergo non erat iniustũ, quòd ageret Abimelech aliquid quod vrgeret in præiudicium quorundam, qui non peccauerant. Item patet hoc magis, quia cùm in aliqua vrbe erant cultores idolorum, debebat poni illa vrbs in tumulum æternum: & non poterat quisquam in ea habitare, Deut. 13. cap. & tñ licèt nunc fuisset vrbs Sichem deleta, non interdicebatur restauratio eius: nam postea habitata fuit sicut primò, ideo non nimis erat seuerus Abimelech in puniendo.

Ad 3. rõnem. Ad tertiam rationem, cùm obijciebatur de vrbe Sichem, quòd esset ciuitas refugij, & præiudicabatur toti Israël delendo eam, posset responderi, sicut suprà responsum est, scilicet, quòd in quibusdam peccatis pœnæ infliguntur, quæ sunt in præiudicium quorundam, qui non peccauerunt, & istud est propter horrorẽ criminis. *Aliter ad tertiã rationẽ.* Aliter potest dici, & melius, quòd non præiudicabatur in hoc vrbi refugij: nam vrbes refugij habebant priuilegia, quæ continentur Num. 35. & Iosue 20. sed dato, quòd vrbs diruta esset, non perdebatur priuilegium eius: nam intra ambitum murorum, ita gauderent profugi, sicut aliàs manente vrbe illæsa. Sic patet de Ecclesia, quoniam si corrueret Ecclesia, non minus gauderent immunitate confugientes ad eam, quasi cùm non corruit. Item si daretur, quòd vrbs Sichem non esset habitanda in æternum, mutaretur priuilegium illius ad vrbem propinquam, & nihil magis grauarentur profugi manere apud illam quàm in Sichem. Item quòd istud ex alijs causis fieri posset, manifestum est: nam si contingeret in illa vrbe, quæ esset sacerdotum, coli publicè idolum, lex iubebat facere eam tumulum æternum. Idem fieret, etiam si esset ciuitas transfugarum: nullum enim priuilegium poterat excusare ab hac lege Dei: ita ergo propter peccatum læsæ maiestatis destrui poterat quæcunque vrbs, siue esset sacerdotalis, siue transfugarum: priuilegia autem illarum vrbium transferenda essent ad alias vrbes. Patet hoc, vt si contigisset omnes vrbes fugitiuorum idola colere, erant omnes delendæ: si autem non transferrentur priuilegia illarum ad alias, maneret terra sine vrbibus refugij, quod erat contra legem Dei, ideo ad seruandam vtramque legem, erat necesse priuilegia vrbis dirutæ mutari ad aliam vrbem. *Quod cùm audissent, qui habitabant in turre Sichimorum,* turris Sichimorum, & turris Sichem idem est, quia Sichem aliquando vocatur Sichima, vel Sicima, vt patet hic. Isti viri turris Sichem audientes malum, quod factum fuerat habitantibus in vrbe Sichem, voluerunt sibi cauere muniendo contra Abimelech. *Ingressi sunt fanum Dei sui Berith.* quamquam enim turris esset fortis, siue castrum illud, tamen fanum erat fortius, ideo confidebant ibi posse melius conseruari. *Vbi fœdus cum eo pepigerant,* id est in fano isto pepigerant Sichimitæ fœdus cũ Deo suo.

F Sciendum, quòd nomen Dei nõ vocatur Berith, licèt hic videatur sic vocari. Sed nomen est Baal, & vocatur Baalberith, quia ibi fuit fœdus initum cum Baal: nam Berith fœdus est. Vocatur autem ipse Deus Berith, non quòd sit nomen eius: sed vocatur nomine appellatiuo, vt sciatur quòd fœdus fuit initum cum illo Deo: cùm Berith sit fœdus, istud fœdus fecerunt Sichimitæ cum Baal: nam post mortem Gedeonis conuersi sunt Israëlitæ ad idola, & pepigerunt fœdus cũ Baal, vt esset eis in Deum, vt patet præced. c. & credendũ est, quòd singuli Israëlitarum per vrbes suas hoc facerent. Sichimitæ autem in vrbe sua cõuenientes in templum Baal pepigerunt ibi fędus cũ eo. *Et ex eo locus nomẽ accepit.* Scilicet fanum vocatum est Baalberith, id est fœdus Baal ex causa dicta, & aliquãdo ipsum idolum vocabatur Baalberith, vt patet suprà in litera, scil. dederunt illi septuaginta pondo argenti de fano Dei sui Baalberith: licèt ibi posset dici, quòd solùm vocetur templum Baalberith, & sit nomen idoli. *Qui erat locus valdè munitus.* Templum istud erat fortius natura loci, & magnis munitionibus, quàm castrum, vel aliqua pars vrbis: ideo ad fanum confugerunt. *Abimelech autem audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos.* Scilicet, quòd congregabantur in fano Dei sui ad defendendum ibi se. *Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo.* Mons Selmon est apud vrbem, & de illo duxerunt ligna virentia Abimelech, & viri sui, vt cremarent templum, vel fumo replerent. *Situs montis Selmon*

D E

Nõ peccantes affligũtur quãdoque. *Filij hæretico rũ priuantur successione paterna.*

Quid erat ista turris Sichimitarum.

QVÆSTIO XLVIII.

QVÆRETVR de ista turre Sichimorum quid erat: nam suprà dictum est, quòd poterat esse aliquis locus circa Sichem, qui sic vocaretur. Vel erat arx vrbis Sichem: & vocatur turris Sichem, quia erat locus munitior, quàm reliqua vrbs. Quid ergo istorum verius est?

Respondendum, quòd videtur probabilius, quòd esset castrum intra vrbem Sichem. & castra vocantur turres: & aliquando turris singulariter: sic patet de arce Sion, nam castrũ Ierusalem vocabatur turris Sion, vt patet 2. Regum 5. scilicet, quòd cepit Dauid arcem Sion, in qua morabantur Iebusæi, sed manifestum est, quòd non morabantur omnes Iebusæi intra vnam arcem. Item patet, quia dicitur hic, quòd viri huius vrbis conuenerunt intra fanum Dei sui Baalberith; sed manifestum est, quòd Baalberith erat templum Sichimitarum: nam suprà dicitur, quòd dederunt Sichimitæ septuaginta pondo argenti Abimelech de templo Dei sui Baalberith: ergo non erat in alia vrbe istud templum, sed erat in castro ciuitatis. Erat tamen castrum ciuitatis magnum, ita vt possent ibi multi morari: istos non potuit capere Abimelech, quando diruit vrbem, quia arx vrbis distincta erat à reliqua vrbe, necdum pugnam inierat contra viros istos: imò fortè credidit, quòd ipsi sponte se traderent Abimelech, ideo cùm audiuit, quòd omnes congregati erant in templo ad se defendendum, instituit bellum contra illos. *Et arrepta securi præcidit ramum arboris.* Abimelech volebat vti noua pugna cõtra manentes in fano: nam ipsi confidebant ex natura loci se capi non posse: Abimelech quoque sciens se nihil proficere pugnando, instituit alium modum capiendi locum, scilicet, apposuit magnam lignorum virentium struem in circuitu, & suppositio igne fumus multus & grossus exhalans de lignis repleuit fanum, & occidit omnes qui intus erant. Et vt milites Abimelech promptius istud exequerentur, ipsemet prior exemplum dedit illis scindens ramum, & portans. In Hebræo habetur: *Arripuit fecures, quæ in manu eius, præciditq; ramum lignorum.* Sed istud est per magnam improprietatem idiomatis. Nam simul nullus habet multas fecures ad scindendum. Etiam quia dicitur, quòd scidit ramum arborum: nam idem ramus non poterat esse multarum arborum, sed vel debebat dicere ramos arborum, vel ramum arboris: ideo litera nostra correxit istam barbariem sermonis. Constat autem, quòd debebat dici ramum arboris, quia vnicus ramus erat, quod patet ex sequentibus. Nam dicitur quòd impositum humero ferebat: si tamen fuissent multi, aliter diceretur. *Impositumq; ferens humero dixit ad socios,* id est incidit arboris ramum: & ferebat in humero ad succendendum fanum, & dixit socijs suis sic facere. *Quod me vidistis facere, citò facite.* Non solùm imperauit hoc Abimelech, sed fecit, & tunc iussit, quia magis mouent in moralibus opera, quàm verba, & cùm omnes vidissent Regem hæc facere, erubescerent non facere, etiam si essent magni viri, & promptè illud facerent. Istud didicerat Abimelech exemplo patris sui Gedeonis: nam in pugna cõtra Madian, sic ipse dixit socijs suis, vt suprà septimo, scilicet, quod me videritis facere, facite: ingrediar per castrorum medium, & quod fecero sectamini. *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur eum*, scilicet, videntes omnes quod fecerat rex eorum, faciebant & ipsi. Et dicitur, certatim, id est, per turmas. Nã vna turma scindebat hic ligna, & alia ibi: & sic omnes faciebant simulque ferebant ea sequẽtes regem. *Qui circundantes præsidium succenderunt.* Vocatur præsidium locus ille fortis, & non est accipiendum præsidium pro toto castro Sichem, quia illud erat magnum, & habitabant ibi multi, vt suprà dicitur. Et quanquam succenderentur ligna in circuitu, non congregaretur tantus fumus, quòd necaret abscõditos in templo, cùm castrum contineret magnum ambitum. Sed intelligendum est, quòd omnes habitatores turris latuissent intra fanum deserto ambitu murorum, potuerunt Abimelech, & viri sui introire in castrum, factis scalis, & positis lignis interius, appoſuerunt ignem fano, & tamen non potuit fumus tunc nocere existentibus interius. Vocatur autem fanum illud præsidium, eo quòd locus erat munitissimus, vt dictum est suprà. *Atque ita factum est, vt fumo & igne mille hominum animæ necarentur.* Scilicet, suppositio igne exustæ fuerunt portæ fani: & introibat ignis, & fumus: & ad quosdam perueniens ignis exurebat eos, ad alios autem non poterat peruenire ignis: & fumus implens totum fanum suffocabat illos.

Viri paruuli, atque mulieres. Id est, de istis mille, quidam erãt paruuli, quidam viri, & quædam erant fœminæ: erant enim tam pauci, quia isti non erant de habitantibus in vrbe, sed in castro: nam omnes habitatores vrbis iam occisi fuerant: ipsaque vrbs deleta fuerat, ita vt sal spargeretur in ea.

C *In moralibus magis mouẽt opera, quàm verba.*

An Abimelech peccauit occidendo, & paruulos, & magnos, & viros, & fœminas.

QVÆSTIO XLIX.

QVÆRETVR an Abimelech peccauit, quia occidit tam paruulos, quàm magnos, tam viros, quàm fœminas?

Aliquis dicet, quòd sic, quia inter hostes non licet hoc, quanto minus licebit inter eos, qui sunt de eadem tribu. Patet, quia Deuteronom. 20. iussum est, quòd repugnãte vrbe, & capta occiderentur soli viri, & seruarentur fœminæ, & paruuli.

Respondendum, quòd istud non stat, quia ista lex non habebat locum in Israëlitis, sed in gentilibus, qui erant extrà terram Chanaan, vt suprà in quadam quæstione declaratum est, & patet ex verbis legis Deuter. 20. Sed adhuc obijcietur, quòd non possit occidere paruulos, & fœminas: quia dato quòd Sichimitę deliquissent in crimine lęsę maiestatis, quod est grauissimum: tamen adhuc in isto crimine legis humanæ non occiduntur pro filijs, sed reseruant eis vitam ex pietate, tollendo successionem ex hæreditate, vt patet extrà, de hæret. cap. vergentis, cum suis concordantijs. Aliquis respondebit ad hoc, quòd nunc lex humana concedit vitam ex pietate: olim tamen etiam filij occidebantur istorum. Sic patet in criminibus, quæ committuntur contra Deum, quia Deus iubebat, quòd occiderentur omnes Chananæi, tam magni, quã paruuli: constat tamen paruulos nondum peccasse. Item in vrbe idololatrarum iubebat, quòd omnes occiderentur, tam magni, quàm paruuli, Deut. 13. ita ergo liceret Abimelech occidere paruulos pro peccato patrum, cùm crimen læsæ maiestatis esset grauissimum.

Respondendum, quòd hoc non stat, quia non est simile de iudicio Dei, & de iudicio humano: quia Deus vult sibi seruare quædam specialia iura iudicandi, & puniendi: ideo ipse dicit, quòd puniet peccata patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem. Iubet enim in aliquibus casibus, quòd nos auctoritate sua occidamus filios pro peccato patrum: sicut fuit generaliter in morte Chananæorum, de quibus nullum omninò paruulum, aut magnum relinqui permittebat viuentem, Deut. 20. & istud erat, quia præuiderat totam gentem istam, & posteros eorum incorrigibiles fore, vt patet Sapient. 12. cap. Iubebat etiam in casu idololatriæ omnes occidi, tam magnos, quàm paruulos: ipsamq; dirui vt bẽ in terrorem cæterorum. Sic etiam factum est de Achan, qui furatus est tegulam auream in Iericho: nam ipse solus peccauit, & tamen ipse, & filij, filiæque occisi sunt, vt patet Iosue 7. c. quod ex causa prædicta fuit. In iudicio tamen hominum Deus iussit, quòd nunquã occiderentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, Deut. 24.

Nec obstat, si quis dicat debere hoc intelligi in minoribus criminibus capitalibus: nam etiam in maximis hoc tenet, quia in crimine læsæ maiestatis, de quo hic agitur, patet: nam non potest esse grauior casus criminis læsæ maiestatis, quàm regem nulli nocentem per insidias, occidi à seruis suis, & tamen pro hoc non debebant occidi pro patribus filij, sed solùm, qui peccauerant, vt patet de rege Amasia, cuius patres, scilicet, Ioas regem occiderant serui sui. Sed Amasias rex factus occidit interfectores patris sui, sed non occidit filios eorum, vt patet 4. Regum 14. & 2. Paralipom. 25. & subditur ibi, quòd fecit hoc, quia scriptum erat in lege Moysi, quòd non occidentur filij pro patribus, nec patres pro filijs, sed vnusquisque morietur pro peccato suo, & sic lex dat ibi istam causam: & dicitur extendi legem illam ad istum casum: ergo cùm

D

E

F

De' habet specialia iura puniendi, & iudicandi.

minus

A

minus lęsissent maiestatem regis Sichimitę quàm illi, qui occiderunt regem Ioas: à fortiori non possent occidi filij istorum pro peccatis patrum.

Sed aliquis dicet, quòd licet nunc in legibus humanis cautum sit, non occidi filios pro patribus in crimine læsæ maiestatis: tamen fortè antiquitùs erat lex, vel consuetudo occidi posteros, & sic non peccaret Abimelech.

Respondendum, quòd non stat, quia nulla lex, aut consuetudo poterat habere vigorem contra legem Dei, quantumcunque esset magni temporis, vt colligitur in Decretis distin. 8. & 9. per totum. Sed adhuc dicendum, quòd Abimelech non peccauit, occidendo paruulos, & magnos, qui erant in præsidio, quia ipse non intendebat occidere paruulos, sed solùm viros: quia tamen latuerunt intra fanum, & non poterat aliter pugnare contra eos, nisi igne, & fumo: ipso inuito moriebantur paruuli, cum magnis. Si tamen ipse bello capiẽs illos iussisset trucidari paruulos cum magnis, peccasset: nunc autem parentes occidebant filios suos ponentes eos in loco tali, & non occidebat eos Abimelech. *Habitatorum turris Sichem.* Id est, omnes istæ mille animæ erant de habitatoribus turris, vel castri Sichem: quia nullos alios secum receperant in castro de vrbe, vel de alijs locis.

B

Abimelech autem inde proficiscens, venit ad oppidum Thebes, quod circundans obsidebat exercitu. Erat turris excelsa in media ciuitate, ad quam confugerant simul viri, ac mulieres, & omnes principes ciuitatis clausa firmissimè ianua, & super turris tectum stantes per propugnacula. Accedens q; Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter: & appropinquans ostio ignem supponere nitebatur. Et ecce vna mulier fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius, qui vocauit citò armigerum suum & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim. Qui iussa perficiens, interfecit eum. Illo quoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israël reuersi sunt in sedes suas: Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis, Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Ioatham filij Ierobaal.

2 Re. 11 1. Reg. 31 1. Para lipom.

Abimelech autem. Hic ponitur secundum vltimę partis, scilicet Abimelech destructio. Nam postquam per manum eius Sichimitæ, qui peccauerunt, eiq́ue ad occidendos fratres suos auxilium, consilium, & fauorem dederant, occisi sunt: voluit Deus, quòd ipse per manum illorum caderet, & dicitur: *Abimelech autem inde proficiscens.* Scilicet deleta vrbe Sichem, & castro atque fano, nec aliquo iam manente in vrbe, quod ad vsus humanos pertineret, recessit inde Abimelech. *Venit ad oppidum Thebes.* Voluit enim oppugnare istud oppidum sicut Sichem.

Mors Abimelech.

C

Quod oppidum Thebes erat hoc ad quod venit Abimelech deleta vrbe Sichem.

QVÆSTIO L.

QVÆRETVR quod oppidum erat istud?

Respondendum, quòd vocatur Thebes, & tamen more latinorum vocatur Thebæ Thebarum, sicut aliæ vrbes vocantur Thebæ. Pro quo sciendũ, quòd tres leguntur Thebæ: quædam sunt Thebæ Græcorum in prouincia Beotiæ, quas Cadmus condidit: de quo per Ouid. 3. Metam. Aliæ sunt Thebæ in Ægypto, quæ est ciuitas magna, quę nunc vocatur Thebaida, & apud quosdam modo vulgari vocatur Tauaria. Tertia est ciuitas Thebes in Iuda, de qua hic dicitur, quæ nõ multum distat à Sichem; à prima ciuitate vocantur Thebani, à secunda Thebei, à tertia Thesbitæ. Prima enim opulentissima fuit ciuitas Græcorum, de qua multa referuntur. Secunda est, quæ in Ægypto multa nomina habuit: nam prius vocata est Gessen, & est ista ciuitas, in cuius terra habitauit Iacob cum filijs suis, quando venit in Ægyptum. De ista ciuitate fuit beatus Mauritius, qui præfuit legioni Thebæ, qui pro Christi nomine apud Rhodanum extinctus est, nolens idolis sacrificare: ideo legio Thebea, & non Thebana appellatur. Ista etiam ciuitas fuit illa, quam ampliauerunt Israëlitæ construentes magna ædificia illius sub Pharaone, & vocata est Rameses. De hac vrbe dicit historia Scholastica, quòd Gessem apud quosdam vocatur vrbs Heroum, id est, quòd Rameses, quæ tunc Gessen, postea Thebais dicta est (à qua Thebei, cuius legioni præfuit beatus Mauritius) postea cùm reges Ægypti fuerunt ex illa, vrbs Heroum dicta est, quia Heroes Ægypti eius habebant custodiam. In finibus regionis illius, postea ædificauerunt Hebræi cogentibus Ægyptijs vrbem tabernaculorum, quæ dicta est Rameſſe: post pagus Arsenoites dicta, quæ sonat sine sexu: sic dicta, quoniam vterque sexus sine discretione cœpit regnare in Ægypto. Tertia autem, scilicet, Thebes erat ciuitas, de qua oriundus extitit Elias Propheta: ideo vocatur Elias Thesbites, vt patet 4. Regum 1. & in multis locis. *Quod circundans obsidebat exercitu.* Abimelech erat vir magni cordis, & dispositus ad bellum. Et quia nunc præualuerat contra Sichimitas, vsq; ad destructionem vrbis totalem confisus est se contra omnes posse.

Tres sunt Thebæ. Thebani. Thebei Thesbitæ.

D

Histor. Schol. de Gessem.

Quare Abimelech obsidebat oppidum Thebes.

QVÆSTIO LI.

QVÆRETVR, quare Abimelech obsidebat oppidum istud?

Respondendum, quòd fortè viri loci huius simili vitio laborabant, vt Sichimitæ, scilicet, quòd subditi fuerunt eius, & nunc volebant retrocedere: ideo contra eos moliebatur vindictam. Vel fortè cum factus esset rex in Sichem, conabatur, vt esset rex in toto Israël, & cùm aliqua loca resistebãt ei, pugnabat cõtra illa. Sic fuit de viris Thebes, qui noluerunt subijci Abimelech.

E

Sciendum aũt, quòd Deus mouebat viros Thebes, vt rebellarent Abimelech, & ipsum mouebat, vt contra illos atrociter dimicaret, vt sic caderet in manus illorum, & non manerent peccata sua impunita. Nesciebat autem Abimelech, à quo moueretur in tantum desiderium pugnandi, sed trahebant illum scelera sua. Sic dicitur de Chananæis occisis à Iosue, & Israëlitis: Iosue vndecimo, quòd Domini sententiæ fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent: nec mererentur vllam sententiam: ita sententia Dei fuerat super Abimelech ad pœnam: ideo obscurauit cor illius, & mouit desiderium eius ad pugnandum, & sic periret.

Erat autem turris excelsa in media ciuitate. Ista erat arx ciuitatis. *Ad quam confugerant viri simul ac mulieres.* Hoc intelligendum est, quia fortè pugnauit prius Abimelech cõtra vrbem, & inuitis ciuibus irrupit illam: & tunc confugerunt ciues ad arcem. Vel aliter, scilicet, quòd murus ciuitatis non erat benè defensabilis: vtpotè quia erat ciuitas malè munita, vel valdè plana, & malè defensabilis, ideo prius quàm inciperet pugnare contra vrbem, ascenderunt omnes, qui erant in vrbe in arcem, & firmauerunt portam: tunc Abimelech introuit in vrbem, nullo obsistente: & accessit ad arcem, vt oppugnaret eam. *Et omnes principes ciuitatis.* Omnes enim ex deliberato consilio illuc conuenerant: quia nõ putabant se posse defendere in vrbe. *Clausa firmissimè ianua.* Scilicet, ne posset irrumpere Abimelech. Ex hoc patet, quod suprà dicebatur, scilicet, quòd non confugerint de vrbe ad turrem, postquam capta esset vrbs: quia tunc euntes, ex impetu non possent firmissimè claudere portam, quia fortè veniret Abimelech prius ad turrem, quàm viri de vrbe: vel saltem priusquam omnes ingrederentur, & non possent claudere portam. Ideo dicendum, quòd prius quàm inciperet pugnare Abimelech contra vrbem, ex deliberato consilio confugerant omnes de vrbe in arcem non confidentes se posse tueri, si manerent in vrbe.

F

Et super turris tectum stantes per propugnacula. Id est, viri existentes in turri disposuerunt se in tecto turris per propugnacula, id est, per loca disposita ad pugnandum, scil. ad mitten-

dum ſagittas, vel lapides. Vocatur tectum turris ſolarium ſuperius, in quo erant pugnatores, tanquam in loco ſecuriori, & poſuerũt ſe ibi ad defendendũ, prohibendumq; ſibi Abimelech acceſſum turris. Nam ſciebant, quòd vellet ſuccendere portas, vt irrumperet in turrim, vel vt cremarentur exiſtentes intra. *Accedensq; Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter*, ſcilicet, quia Abimelech conabatur apponere ignem portæ turris. Viri autem deſuper exiſtentes iaculis, & ſagittis eum abigebant procul: contra quos ipſe pugnabat fortiter ſagittarum, & fundarum impetu, vt eos de ſolario turris tolleret, & ſic liceret ei impunè accedere ad portam turris ad ſupponẽdum ignem. *Appropinquans oſtio ignem ſupponere nitebatur.* Iam expulerat pugnatores de ſuperiori parte turris, ſcilicet, quòd eis non obſtantibus accedere poterat ad portã turris, & tunc volebat ſupponere ignem, volebatq; ſequi eundem modum pugnandi, quem tenuerat in Sichem, ſcilicet vt fumo, & igne occiderentur omnes, qui erant intra turrim.

Quomodo Abimelech accedebat primus ad ſupponendum ignem, cùm hoc eſſet periculoſum.

QVÆSTIO LII.

QVÆRETVR quomodo Abimelech accedebat primus ad ſupponendum ignem, cùm eſſet hoc periculoſum?

Reſpondendum, quòd hoc faciebat ad incitandum ſuos: nam vt omnes promptius agerent, ipſe præcedebat in agendo, ſic fecit in Sichem: nam ipſe primus abſcidit ramum de monte Selmon, & impoſuit humero ſuo, dicens; quod me vidiſtis facere, citò facite. Alia cauſa erat, quia Abimelech erat ſuperbus nimis, & cupidus: & volebat in omnibus magnificis geſtis habere gloriam: non ſolùm vt Rex glorians de his quæ ageret ſuus exercitus, ſed ex propria actione laudem cupiebat, ideo ipſe primus periculis ſe exponebat, vt ſic totius ſequentis facti gloriam ipſe obtineret. Tertia cauſa, & potiſſima erat incitatio Dei, quia Deus volebat eum tradere in manus virorum Thebes propter peccata, & ſi alius prior acceſſiſſet ad ſupponendum ignem ille occideretur; & Abimelech caueret accedere ad turrim: incitauit eum Deus, vt ipſe vellet prior accedere, & ſic occideretur. Nam ſæpè Deus perturbat iudicium hominis, vt agat aliquid quod ſtultum eſt: & hoc in pœnam peccatorum ſuorum, ſicut fuit in Abſolone, & Iſraëlitis, quos Deus infatuauit, vt non ſequerẽtur cõſilium Achitofel, & caderent in manus Dauid. 2. Regum 17. *Ecce mulier vna fragmen molæ deſuper iaciens.* Vidit mulier quòd ille appropinquabat oſtio, & appoſiturus erat ignem: ideo quendam lapidem magnum, qui erat pars molæ miſit de turre, per aliquod foramen propugnaculorum, quia huiuſmodi eſſent in caſtris, & locis fortibus in directo portarum, ne quis accedere audeat. *Illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Venit lapis directè, & cecidit ſuper caput: vnde confractũ eſt cerebrum eius, ita vt illicò moreretur. Sciendum, quòd hoc non ſine myſterio Dei factum, quia Deus voluit valdè punire Abimelech pro grauibus ſceleribus. Et quia ipſe erat ſuperbus valdè, non ſolùm puniuit eum priuando vita, ſed etiam faciendo quòd caderet manibus mulieris, quod ipſe valdè deteſtabatur. Vnde dixit armigero ſuo: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus ſum. Fuit etiam aliud, quia Abimelech vidit iſtam mulierem: nam ſi non vidiſſet, & putaſſet eſſe virum, non doluiſſet ſic, credens quòd vir occidiſſet eum. Vidit tamen, & deteſtatus eſt nimis, intantùm quòd elegiſſet plus bis mori manu viri, quàm ſemel cadere fœminea manu. *Qui vocauit citò armigerum ſuum.* Scilicet, iuuenem ferentem arma eius, qui non auſus fuerat accedere ad turrim. *Et ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne dicatur quòd à fœmina interfectus ſim.* Ex magna ſuperbia dolebat nimis, quòd occideretur à fœmina, ideo potius voluit, quòd viri ſui occiderent eum ſuperaddentes plagas plagæ eius, quàm quod mors ſua fœminæ adſcriberetur.

Ad quid Abimelech volebat occidi ab armigero ſuo, &c.

QVÆSTIO LIII.

QVÆRETVR ad quid volebat, quòd occideret eum armiger ſuus, ne diceretur fuiſſe occiſum à fœmina, quia non occultabatur per hoc mors eius, à quo eſſet: nam ſi viri Thebes eſſent infrà in vrbe, & pugnarẽt contra Abimelech: & mulier de turri iaciens molam percuteret eum, ipſeque iuberet armigero ſuo, quòd occideret eum, poterat occultari mors eius, quia putaretur, quòd aliquis de viris Thebes percuſſiſſet eum: nunc autem cùm eſſent omnes ſuper turrim, & ſola mulier illa tunc iaceret fragmen molæ, manifeſtum eſt, quòd mulier occidebat eũ, nec aliquid faciebat ad hoc quòd armiger ſuus eum percuteret, quia non erat veriſimile, quòd armiger ſuus eum percuteret, niſi ipſe iuberet, ideo nõ excuſabatur per hoc, quin cognoſceretur eum fuiſſe occiſum à fœmina? Reſpondendum, quòd hoc fecit, quia Deus perturbauit illius iudicium, vt magis pateretur, & efficeretur calamitoſior: nam ita excæcauit Deus cor illius, quòd putauit omnino per hoc occultare mortem ſuam, & tamen nullo modo occultabatur, & fiebat hoc, vt magis pateretur: quia ſuper plagam illiſionis lapidis, qui ſufficiebat ei ad mortem, adhuc gladio percuſſus eſt, ab armigero ſuo ſuſcipiens alias percuſſiones, quæ ad mortem ſufficerent, in quo dupliciter erat infœlix. Primò, quia ſuſcipiebat quaſi duplicem mortem. Secundò, quia à viris ſuis occidebatur, ſed miſerrimũ eſt ab eo occidi, à quo quis iuuandus eſt: Deus tamẽ ad plenam punitionem alicuius mutat cor illius, ſecundùm quod vult.

An peccauerit mortaliter Abimelech iubendo armigero ſuo, quod occideret eum, & an perierit æternaliter.

QVÆSTIO LIIII.

QVÆRETVR an peccauerit Abimelech iubendo armigero ſuo, quòd occideret eum, & an peccauerit mortaliter. Aliquis dicet, quod non, quia non egit hoc Abimelech deſiderio ſe occidendi, ſed vt effugeret quandam ignominiam, ne diceretur quòd à fœmina erat occiſus. Item ſciebat Abimelech, quòd non poſſet euadere mortem, ergo nõ peccabat iubendo armigero ſuo, quòd occideret eum: nam ſi Abimelech non eſſet aliàs moriturus, & iuberet ſe occidi: non eſſet dubium ipſum peccare grauiter: nunc tamen neceſſariò moriturus erat, cùm illiſa fuiſſet capiti eius magna pars molæ: & ita ipſe propoſuit, cùm dixit: ne dicatur, quòd à fœmina interfectus ſum. Si tamen putaret ſe non moriturum inde, non ſtaret quòd conuenienter iuberet armigero, quòd occideret eum, ne diceretur, quòd à fœmina occiſus fuerat.

Reſpondendum, quòd Abimelech peccauit grauiter iubendo armigero, quòd eum occideret; quia ſicut nulli homini licet ſeipſum occidere, ita nec licet iubere alteri, quòd eum occidat: nam plus quiſquam tenetur ſe diligere, quàm alium, ſed nullus poteſt alium occidere ſine cauſa, & iuriſdictione regulariter: item non poteſt alteri iubere, quòd illum occidat: ergo à fortiori non poterit aliquis ſeipſum occidere, aut iubere alteri, quòd eum occidat: quocunque enim modo quis præſtet cauſalitatem ad mortem ſuam, peccat mortaliter. Et quòd ampliùs eſt præter offenſam, quam aliquis agit præuaricando præceptum ſuum, adhuc agit iniuriam animæ ſuæ. Nam ipſa habet pro domicilio corpus, in quo Deus eam locauit, & ad quod inclinatur tanquam ad id, in quo quieſcit: & quòd eſt pars ſpeciei ſuæ, in quo habet operationes ſuas perfectas. Quòd ergo homo occidendo ſe animam inuitam eijciat de ſuo habitaculo, offendit eam, & mortaliter peccat. Præterea iniuſtus eſt ſe occidens, quia lædit vrbem: nam Ariſtot. Ethic. lib. 5. quærit, an iniuſtum faciat ſe occidens: & reſpondit quòd ſic, quia agit contra rectam legem, quæ nulli permittit ſe occidere. Dicit tamen, quòd quamquam non agat iniuriam ſibiipſi volens, tamen iniuriam facit vrbi, cuius eſt pars, inquantum diminuit partes eius. Item probat hoc, quia leges humanę infligunt quandam dehonorationem ſe occidentibus poſt mortem, ſcilicet, quia vel non

ſepelit

A *Quid ſit actum turris.*

B *Deus quãdoque iudicium hominis perturbat.*

C *Notandum de occiſione Abimelech*

D

E *Abimelech in morte duplici ter infœlix.*

F *1. ratio.* *2. ratio* *Quiſeipſũ occidit, grauiter peccat.*

A

sepelit eos, vel facit per terã trahi ignominiosè: grauare tamẽ vrbem peccatum est, cùm bona communia sint meliora, & diuiniora bonis particularibus, vt patet primo Ethicor. ergo occidens seipsum, vel cooperans iubendo, vel persuadendo, vel quomodocunq; aliàs, peccat grauissimè. Item patet quod peccauit, quia licèt Abimelech percussus foret grauiter: poterat tamen fortassis euadere: inferendo ergo sibi mortem certam, peccabat.

Ad 1. rationẽ in diuersum

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quod nõ stat, quia nõ est causa legitima, ad hoc quòd occidat se, quòd fugiat ignominiam. Nam si non licet mihi occidere alium, vt non incidam in verecundiam aliquam, ita nec licebit mihi meipsum occidere, imò minus. Nam Saul habet multas causas excusandi se, quòd se occideret propter ignominiam, scilicet ne Philisthini illudentes ei occiderent ipsum, vt declaratum est 1. Reg. 31. & tamen his non obstantibus, non excusatur quòd iusserit armigero, quòd occiderit eum: & quòd ipse se occiderit, ergo minus excusabitur Abimelech, cùm sint eædem causæ in Abimelech, quæ erant in Saule: nam si ille non se occidisset, venissent Philisthijm, & capientes eum viuum, occidissent illum per multa ludibria, quòd vergeret in opprobrium Israel, quia hostes Dei tribuerent magnam gloriam dijs suis de hoc. In Abimelech autem nihil horum subsistebat, sed solùm iussit se occidi ne diceretur, quod à fœmina occisus fuerat, ergo non excusabitur Abimelech. Item peccauit adhuc grauiùs Abimelech, inquantum non solùm ipse peccabat, sed etiam armigerum suum ad peccandum inducebat iubendo ei, quòd occideret ipsum.

B

Ad 2. rationẽ

Ad secundum quando dicitur, quod Abimelech moriturus erat certissimè, ideo non peccabat se occidendo.

Respõderi potest vno modo, quod nesciebat Abimelech certissimè an moriturus esset, licèt potiùs mortẽ de se quàm vitam speraret: inferendo ergo sibi mortem certam pro incerta peccabat. Aliter potest dici, quod peccabat Abimelech, quia dato quòd sciret se necessariò moriturum, non licebat ei manus sibi inijcere ad mortem, sicut licèt aliquis se sciat capitaliter condemnatum, non potest licitè se occidere: nec aliquis dubitat, quin iste valdè peccet. Etiam dato, quòd sciam, quod aliqua virgo ab aliquo defloranda est, non licet mihi deflorare eam, cùm non possum euitare, ne ab alio defloretur: quia in omnibus his differt, sicut in pati malum, & agere malum. Nam pati malum peccatum nullum est, agere autem est peccatum. Si ergo sciret Abimelech se certissimè moriturum, & moreretur, patiebatur malum solum, & in hoc peccabat: si autem hoc sciens se occideret, non solùm patiebatur, sed etiam malum agebat, ideo peccabat.

An æternaliter perierit Abimelech.

QVÆSTIO LV.

C

VLTERIVS quæretur, an æternaliter perierit Abimelech.

Aliquis respondebit, nõ esse in hoc dubium, quia si concedimus ipsum peccasse mortaliter iubendo se occidi, mortuus est in peccato, & consequenter æternaliter perit.

Respondendũ, quod non sequitur, quod si quis occidẽdo se, vel iubendo occidi peccet mortaliter, quòd ideo pereat æternaliter: sequeretur tamẽ si diceretur sic, iste mortuus est in peccato mortali, ergo perijt. Sed tunc negandum est antecedens, quia licèt aliquis iubeat se occidi, & confestim occidatur, vel ipse seipsum occidat. Verum est, quod hæc faciendo peccat, tamen peccatum suum, non tamdiu durat, quamdiu durat pœna illa, qua iste moritur: ideo postquàm aliquis se ad mortem percusserit, vel iusserit percuti, poterit dolere in illo modico spatio, quod restat ante mortem, & consequi veniam. Nam ad contritionem non exiguntur longa tempora, sed contritio quasi in instanti sufficit ad obtinendam veniam. De hoc latè declaratũ est per rationem, & extra 1. Reg. 31. Ita ergo poterat esse de Abimelech, quòd quanquàm iuberet se occidi, quod postquam percuteretur ab armigero, doleret de hoc: & contritio eum liberaret: cùm autem arguitur, quod in peccato mortali mortuus est, falsum est: quia licèt quis moriatur in pœna inflicta per actum, qui est mortale peccatum, non moritur in peccato mortali: eo quod potest dolere de mala volitione, in qua cosistit peccatum, licèt iam non posset plagam reuocare. Dicẽdum tamen, quòd licèt dubium sit, de sic morientibus quid consequantur, tamen magis credendum est, eos perire, quàm saluari: secùs autem est de illis, qui existentes in actu peccati mortalis alterius occiduntur ab aliquo alio inuiti, quia hi faciliùs dolere possunt, & saluari. Scriptura quoque hoc videtur innuere de Abimelech, quia semper loquitur de Abimelech, tanquàm de malo. Nam sicut à principio cùm occidit fratres suos, scriptura eum vt malum increpat, ita & in morte. Dicit enim quod Deus reddidit malum in caput Abimelech secundùm maledictionem, quam imprecatus fuerat Ioathan: ergo credendum est satis verisimiliter, quòd æternaliter damnatus sit.

Contritio ferè in instanti sufficit ad obtinendã veniã

Qui iussa perficiens interfecit eum. Armiger obediuit ei illicò, & interfecit illum: & non fuit iste sicut armiger Saulis, qui noluit occidere Saulem licèt iussisset, ideo ipse Saul seipsum occidit, & armiger videns eum cecidisse gladio suo, irruit etiam ipse super ensem suum, 1. Reg. 31. In Hebræo habetur. *Gladiauit eum.* Vbi nos dicimus, interfecit eum; sed idem est, quia ista mors fuit in gladio.

An peccauerit iste armiger occidendo Abimelech.

QVÆSTIO LVI.

D

E

QVÆRETVR, an peccauerit iste armiger occidendo Abimelech.

Respondendum quòd sic, quia occidit virũ nullacausa rationabili subsistente. Item erat Dominus suus, & ex hoc grauabatur magis delictum, cùm grauissimũ sit mittere manum in Dominum. Item erat rex, & iste cùm esset subditus eius adhuc peccabat grauius. Item patet hoc, ex eo quod fecit Dauid, 2. Reg. ca. 1. nam adolescens veniens ad Dauid ferens armillam, & coronam Saulis confessus est se occidisse Saulẽ: & Dauid iussit cuidam iuueni, quòd occideret eum, quia dixerat, quod occiderat Saulem: & tamen ille iuuenis allegauerat, quod Saul hoc ei iusserat, & quod etiam si ipse non occidisset eum, non poterat euadere, & tamen hoc non obstante iussit Dauid occidi illum: si tamen non meretur mortẽ occidendo Saulem, etiam si ille iuberet non occidisset eum Dauid: ergo videtur quod mandatum Saulis non excusauit iuuenem: sic igitur hic mandatum Abimelech non excusaret istum armigerum, quin peccaret mortaliter. Item si iste armiger occidisset Abimelech sine mandato, non est dubium, quin peccasset grauiter. ita ergo occidendo eum ex ex mandato peccabat. Quod patet, quia mandatum non potest excusare aliquem à malo quod facit: nam nulli homini tenemur obedire, nec etiam Papæ in his, quæ notoriè mala sunt: sed occidere aliquem est malum non subsistente causa, ergo ad mandatum regis non tenebatur hoc facere armiger.

F

Illoq; mortuo omnes, qui cum eo erant de Israel. Multi erant nunc cum Abimelech. Nam à principio conduxit Abimelech viros vagos, & inopes antequàm esset rex de septuaginta pondo argenti, quæ dederant ei Sichimitæ: postea autem factus rex super Sichem, & alia loca: habuit secum magnum exercitum: nam in quatuor cuneos illum diuisit, quando pugnauit contra Gaal suprà in litera, & iste exercitus erat collectus de diuersis locis terræ Israel.

Reuersi sunt in sedes suas, id est, quilibet reuersus est in locum suum, eo quod iam non habebãt iudicem, qui dirigeret eos, & dimiserunt obsidionem turris ciuitatis Thebes.

Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum interfectis septuaginta fratribus suis, scil. tradendo in manus hostium, dedit ei malũ quod fecerat. Ex hoc patet, quod Deus fecit, quòd viri Thebes prævalerent contra Abimelech, & ipse moreretur ibi. Quasi dicat Deus fecerat Abimelech fortem contra Sichimitas, vt traderentur in manus eius, eo quod peccauerant: ita fecit quod viri Thebes fortiter pugnarent, vt moreretur ibi Abimelech. Nam cùm Deus vult occidere aliquem pro peccato suo, constituit hostes eius fortes, & tũc faciliter moritur. Sic dicit Abacuc c. 1. de Nabucho donosor: Domine in iudicium posuisti eum, & fortem; vt

corri-

A

corriperes fundasti eum, id est, ded sti ei fortitudinẽ, vt posset punire Iudæos, & alias gentes. Et dicitur de malo quod fecit cõtra patrem suum, quia licèt Abimelech directè malum egit contra fratres suos, quos occidit, tamẽ maius malũ egit contra patrem suum, scil. quia magis debebat respicere Abimelech ipsos filios Gedeonis, inquantum erãt filij patris sui, & inquantum erant aliquid illius: quam inquantum erant tot viri innocentes. Nam committebat magnam irreuerentiam erga patrem, & ingratitudinem occidendo filios illius, eo quod sic faciebat eum manere sine nomine. Etiam videbatur occidere ipsum Gedeonem: nam filius est quædã pars patris decisa de patre, 8. Ethic. Ideo occidendo particulas patris, ipsum patrem occidere videbatur. Item filijs morientibus pater dicitur mori, & illis manẽtibus, licèt pater sit mortuus, non vocatur mortuus, vt patet Eccle. 30. scil. mortuus est, & quasi non est mortuus pater eius: reliquit enim filium similẽ sibi, ergo qui occidit filios vestros occidere patrẽ videt. Item pater nihil habet quod magis quàm filios diligat: sed cùm quis aufert alteri, quod maximè amat, infert ei grauissimam iniuriam, ergo Abimelech grauissimum malum infligit patri suo, & hoc Deus reddidit in caput eius tradendo eum in manus virorum vrbis Thebes, vt manu fœminea moreretur.

Filius est pars quædã patris.

Sichimitis autem, quod operati erant, retributum est, scilicet Sichimitæ operati erant malum multipliciter, scilicet, volendo recipere in regem Abimelech, cùm esset illegitimus: & hoc in præiudicium omnium filiorum Gedeonis, quibus competebat directiùs principatus. Item quia non recordati sunt beneficiorum, quæ fecerat eis Gedeon, vt redderent vicem filijs eius pro eo, sed habuerunt se ad illos, tanquàm ad extraneos, vel potiùs sicut ad hostes. Item Sichimitæ dederũt consilium, & fauorem Abimelech, ad occidendum septuaginta filios Gedeonis. Item dederunt pecunias Abimelech septuaginta pondo argenti, scilicet, de fano Dei sui: cùm aliàs non haberet facultates Abimelech ad nocendum fratribus suis, vel insurgendum contra eos. Item ipsi fuerunt executores mortis septuaginta iuuenum: sic dicitur suprà in litera, quòd principes quidam Sichimitarum adiuuerunt Abimelech ad occidendum fratres suos: & pro his malis Deus iustè retribuit, scilicet, vt cùm ipsi per iniustitiã fauissent Abimelech, ipse Abimelech per iustitiæ rigorem deleret eos: ita vt ciuitatem eorum dirutam sale aspergeret: vnde seueram in eis expleuit vltionem.

B

Et venit super eos maledictio Ioathan filij Ierobaal. Maledictio imposita ab isto est, quæ habetur suprà, scil. quòd si Sichimitę non rectè egerant sumendo Abimelech in regem, egrederet ignis de Abimelech, & cremaret Sichimitas: & egrederetur ignis de Sichimitis, & cremaret Abimelech: & sic factum est, quia Sichimitæ perierunt gladio Abimelech.

C

Quomodo sit verum, quòd venerit maledictio Ioathan.

QVÆSTIO LVII.

QVÆRETVR quomodo est verum, quod venit maledictio Ioathan. Nam ipse orauit, vt egrederetur ignis de Abimelech ad deuorandum Sichimitas, & ignis de Sichimitis deuorans Abimelech. Primum completum est, quia Abimelech occidit Sichimitas, & combussit partem vrbis, scilicet templum, & aliam partem, primò diruens, postea sale aspersit. Sed non fuit completum secundum, scilicet, quòd egrederetur ignis de Sichimitis & cremaret Abimelech, quia non perijt manibus Sichimitarum, sed in vrbe Thebes.

Responderi potest, quod vtraq; pars maledictionis completa est: nam licèt hoc diceret Ioathan, intentio sua erat solùm, quòd perirent Sichimitæ, pro hoc scelere, & periret Abimelech. Quòd autem Abimelech manibus Sichimitarum periret, vel aliorum non referebat ad intentionem Ioathan, potuisset tamen vtrunque compleri, scilicet quòd Abimelech occideret Sichimitas, & simul periret in ipso bello. Vt tamen Sichimitæ penitùs delerentur, voluit Deus, quòd non moreretur Abimelech in illo bello; & sic nullas dimitteret reliquias Sichimitarum. Postea autem ipse miseri mè mortuus est.

Aliter potest dici, quod non fuit completa tota maledictio Ioathan, sed solùm pars illius, scilicet, illa quæ attinebat ad Sichimitas, & pro hac parte allegatur hic: nam dicitur quod Sichimitis retributum est malum quod fecerant, & venit super eos maledictio Ioathan: & non dicitur, quod venit super Abimelech. Etiam non dicitur, quod completa fuit maledictio Ioathan absolutè, quia tunc intelligeretur, tam super Abimelech, quàm super Sichimitas.

D

An Ioathan filius Gedeonis peccarit maledicendo Sichimitis, & Abimelech, & cui licet maledicere, & pro qua causa, & quando est peccatum.

QVÆSTIO LVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, an Ioathan filius Gedeonis peccauit maledicendo Sichimitis, & Abimelech.

Rationes q nõ peccarit Ioathã 1. ratio.

Aliquis dicet, quod non peccauit, quia maledictio eius venit, si tamen esset iniusta non venisset: ergo non peccauit imprecãdo eam. Item scriptura sacra videtur approbare maledictionem istam, quia inducit eam, tanquàm pœnam à Deo impositam, & executioni traditam: ergo non peccauit eam imprecando. Item Deus dicit per Malachiam viris iniustis, maledicam benedictionibus vestris, & benedicam maledictionibus vestris, scilicet, vt omnia per contrarium vertantur, sed hic sicut maledixit Ioathan, ita maledixit Deus: ergo Ioathan non peccauit maledicendo. In contrarium videtur quòd peccauerit, quia Apostolus ad Rom. 12. ait: Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere: sed Sichimitæ, & Abimelech nocuerant valdè Ioathan occidendo fratres eius, & nunc maledicebat eis, ergo videtur quod peccabat. Item iubetur nobis, quòd diligamus hostes, scilicet: Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, Matt. 5. cap. sed qui alterum diligit, & benefacit ei, non maledicit illi: ergo qui maledicit peccat. Item Petrus in canonica prima, cap. 2. ait: Christus mortuus est relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius: qui cùm malediceretur non maledicebat, & cùm pateretur non comminabatur, ergo nos tenemur ad hoc exemplum, scilicet, quòd non maled camus alicui. Respondẽdum, quod maledictio secundùm se mala actio est, ideo non est licita simpliciter, vnde etiam nec minimis rebus etiam pro magna causa maledicendum est: nam nil peius diabolo: tamen Archangelus Michael non ausus est maledicere ei, licèt faceret contra voluntatem Dei, volendo publicare corpus Moysi, vt patet Iudæ 1. scilicet, cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudiciũ inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet Dominus in te Satan, & ibi valdè increpat beatus Iudas maledicos dicens, eos esse sicut animalia bruta.

2. ratio.

3. ratio

E

Doct. resp. ad ãjtum

Considerandum est maledicere ei, licèt faceret contra voluntatem Dei, volendo publicare corpus Moysi, vt patet Iudæ 1. scilicet cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet Dominus in te Satan, & ibi valdè increpat beatus Iudas maledicos dicens eos esse sicut animalia bruta.

F

Maledictio quãdo est peccatum.

Considerandum tamen est de maledictione, quod aliquando ponitur, vt pœna à iudice: aliquando autem ponitur in modum vindictæ, scilicet cùm quis non potens aliter iniuriam vlcisci, mala verba profert. De secundo modo dicendum, quòd quicunque sit, qui proferat maledictionem, peccat mortaliter: & istud vetatur in auctoritatibus allegatis. Nec licèt hoc iudicibus, nec personis priuatis. Cùm autem ponitur in modum pœnæ interdum licita est, vt infrà dicetur. De hoc habetur in Decretis 24. quæst. 3. cap. si igitur Michael, cùm dicitur: Distinguendum inter maledictum, quod prohibetur: & est illud, quod procedit ex odio vltionis, & odio persequentis non amore iustitiæ. Maledictum, quo sancti vtuntur, est quod procedit amore iustitię. De hoc etiam Gregorius in Moralibus, & habetur 24. quæst. tertio cap. cùm sancti, scilicet: Cùm sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non in hanc ex voto vltionis: sed ex iustitiæ examine prorumpunt, intus subtile iudicium respiciunt,

Quõ sancti maledicant.

A

mala foris vrgentia qua maledictione ferre debebāt, cognoscunt: ideo maledicendo non peccant, quo ab interno iudice non discordant. In hoc autem considerandum, quod maledictio est verborum malorum expressio sub intentione, quòd eueniat id, quod imprecamur, vel per verba significatur. Et ista maledictio interdum profertur à Deo, sic enim pro peccato Adæ maledixit ei, dicēs: Maledicta terra in opere tuo, Genes. 3. Etiam cùm benediceret Deus Abrahæ ait: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, Genes. duodecimo, scilicet. Inferam mala super imprecantes tibi mala. Sic etiam Christus maledixit ficulneæ, & arefacta est continuò à radicibus, cùm non inuenisset in ea ficus, cùm dixisset: nunquàm nascantur ex te fructus in æternum, Matth. 21. cap. Hæc autem omnia faciebat Deus tanquā iudex potēs inferre pœnā, cui dignū iudicaret. Hoc modo Apostolus, qui nobis maledicere vetuit sæpè maledixit. Nam ipse erat Doctor gentium, & exercens iurisdictionem vbicunque: ideo pro peccatis maledicebat aliquibus. Et hoc aliquando in generali, & aliquando in speciali.

Maledictio quid.

De speciali maledictione patet, quia quendam iuuenem Corinthium præincestu tradidit Satanæ, vt saluus esset spiritus eius in die Domini, 1. Corinth. 5. & ista vocatur maledictio, vt ait Pelagius Papa, & habetur 34. quæst. 3. cap. Apostolicæ auctoritatis. Sic etiam beatus Petrus maledixit Simoni mago, dicens. Pecunia tua tecum sit in perditionem, Actor. octauo, eo quod voluit gratiam Spiritus sancti pecunia emere. Sic etiam maledixit Petrus Ananiæ, & Saphiræ, quia negauerunt pretium agri mentiendo Spiritui sancto, & mortui sunt ambo, Acto. quinto. In generali etiam maledicebat Apostolus, quando ponebat decretum, in quo contineretur maledictio contra aliquos peccātes: sic dixit ad Galatas cap. primo. Si quis vobis euāgelizauerit præter id, quod euangelizatum est, anathema sit. Et iterum ibidem fert sententiam super Angelos, dicens: sed licèt nobis aut Angelus, aut homo euangelizet præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Secundum hunc modum etiam alij homines per modum sententiæ maledicunt quibusdam maledictione generali, sic patet de duodecim tribubus Israel, quarum sex positæ fuerunt super montem Ebal ad maledicendum transgressorribus legis, & lex super montem Garizim ad benedicendum manentibus in lege. Et exprimuntur ibi maledictiones, vt benedictiones, vt patet Deuteronomij vigesimo septimo cap. Sic etiam iudices Ecclesiastici possunt infligere sententiam maledictionis in pœnam: siue in generali, siue in speciali super peccantes: In generali quidem quandocunque instituunt canonem, in quo feratur sentētia excommunicationis, & sunt sic multi, in quibus dicitur anathema sit: sic patet ferè in omnibus, quæ habentur in Dec. dist. 30. & hoc siue sit canon latæ sententiæ, siue ferendæ. In speciali autem maledictionem proferunt quando in aliquem specialiter pro delicto suo, & contumacia excommunicationis sententiam ferunt: & potissimè in excommunicatione grauissima, in qua proferuntur maledictiones per modum imprecationis. Et leguntur quidam Psalmi continētes maledictionem. Sicut autem ista dicta sunt in maledictione hominum, qui interdum iustè maledicuntur; ita etiam est de rebus inanimatis, vel irrationabilibus, quibus ex nonnullis causis iustè maledicitur. Sic enim Deus maledixit terræ propter peccatum Adæ, dicens: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Sic etiam maledixit rebus irrationabilibus Hebræorum, scilicet. Maledictum sit horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus iumētorum tuorum, maledictus fructus terræ tuæ, &c. Deuteronomij 28. cap. Christus quoque ficulneæ maledixit, nunquàm ex te fructus nascantur in æternum, Matth. 21. cap. Sic etiam Dauid maledixit montibus Gelboe, dicens: montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniant super vos: quia ibi abiectus est clypeus fortium, & perierunt arma bellica, vt patet 2. Regum cap. 1.

B

Notandum de maledictione imposita tanq̄

Considerandum autem de hac maledictione, quæ imponitur tanquàm pœna, & non desiderio vindictæ, quod nō licet cuicunq; imponere illam alteri, etiam si peccet, quia pœnalis est maledictio, sed imponere pœnam peccati non pertinet ad quemlibet, sed ad solum iudicem: ideo maledictio iustè à solo iudice infligetur: cæteris verò non est ius proferēdi maledictionem, siue super bonos, siue super malos: nisi Deus moueat interdum quosdam ad maledicendum alijs, sicut mouebat Prophetas: sed tunc isti efficiebantur iudices ad proferendas maledictiones. Nunc de Ioatham maledicētem Sichimitis, & Abimelech dici potest, quod ipse non dixit ista per modum imprecationis, sed per modum prænunciandi, scilicet quod ista mala euētura forent Sichimitis, & Abimelech, & non obstat quòd nō videatur litera applicari ad prænunciationem, sed imprecationem, quia etiam Prophetæ interdum proferunt aliqua mala propheticè, & videntur dicere illa imprecando: sic est de Ieremia, qui dixit cap. decimoseptimo. Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Sic etiam Ierem. vigesimo dicitur. Et tu Domine probator iusti, qui vides renes, & cor, videam vltionem tuam ex eis. Et tamen Ieremias non desiderabat vltionem. Sic patet Ieremiæ decimoseptimo, cùm dicitur: Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis, id est, non desideraui diem mortis alicuius.

C

Hoc modo manifestum est, quòd non peccaret Ioatham. Aliter potest intelligi, quòd Ioatham malediceret ex desiderio, vt eueniret, eo quòd Deus moueret eum ad maledicendum, & tunc cùm concordaret voluntas sua voluntati Dei, non peccabat, sic colligitur per Gregorium in moralibus, & habetur in decret. 24. quæstion. tertio cap. cùm sancti, sic enim Moyses videt imprecatus fuisse mala contra Core, & Dathan, & Abiron, & collegas eorum, Num. 16. dicens, cùm esset iratus, ne respicias sacrificia eorum, tu scis, quoniam nec asellum quidem acceperim ab eis, nec afflixerim quempiā illorum. Si autem dicatur, quod Ioatham rabie iracundiæ motus in quendam modum vindictæ proferebat hæc contra Abimelech, & Sichimitas peccabat. Si ergo voluerimus tenere, quòd peccasset, respondebimus ad rationes primas.

D

pœna, & non desiderio vindictæ.

Ad primam cùm dicitur, quod maledictio ab eo imposita venit. Dicendum quod non sequitur, quia ad hoc quod maledictio alicuius super alium veniat, nō requiritur, quod ille, qui profert, iustè proferat, sed quod ille cōtra quē profertur illam mereatur: & tamen satis stat, quòd aliquis mereatur maledici propter ea, quæ mihi egit: tamen ego peccem maledicēdo illi: velut si quis occidit patrem meum, meretur mortē propter hoc, & tamen si ego, cui inflicta est iniuria, mortem sibi inferam, pecco. Deus autem cùm infligit pœnas aliquibus non respicit an imprecantes maledictionem potuerunt eam iustè imprecari, sed an hi, cōtra quos fit imprecatio mereantur, & sic fieret de Ioatham, quòd licèt peccaret maledicendo ex sola iracundia, quia tamen Sichimitę & Abimelech digni erant maledictione induxit eam super illos.

Ad 1. ationē q non eccauerat oathā

Ad secundam rationem, cùm dicitur, quod scriptura videtur approbare eam. Dicendum quod approbat eam tanquàm iustè venientem super eos, cōtra quos petita est, & ob hoc refert illius executionem, sed non refert tanquàm iustam, nec approbat ex parte dantis.

Ad 2. rationē

F

Ad tertiam rationem, cùm dicitur: benedicā maledictionibus vestris. Dicendum quod hoc non intelligitur de benedictionibus, vel maledictionibus, secundùm quod iustè, vel iniustè infliguntur, sed secundùm quod in se iustè, vel iniustè sunt, & proferūtur pro causa rationabili, vel irrationabili. Et secundùm Gregorium, & Hieronymū intelligitur de sacerdotibus, qui benedicebant quibusdam malis adulatione. Hic autem erat causa iusta maledicendi, licèt non esset iustus animus, scilicet quia ex ira mouebatur, ideo non benediceret Deus maledictioni eius, sed potiùs traderet eam executioni. Si autem tenere volumus, quod non peccauit respondebimus ad illas rationes. Ad primum cùm dicit Apostolus: Benedicite, & nolite maledicere. Dicendum, quod intelligitur de maledictione, quæ exprimit zelo vindictæ, & ista semper est peccatum. Sed quæ fit zelo iustitiæ, vel mouetur homo à Deo ad proferendum illam, non est peccatum. Et sic fecit Ioatham, vt suprà declaratum est. Apostolus quoq;, qui maledictionem vetuit sæpè maledixit, vt suprà inductum fuit: eo quod maledictio non est omnibus modis vetita.

Ad 3. rationē

Ad 1. rationē q peccaucrit Ioathā

Ad secundam, & tertiam rationem eodem modo respondendum est, quod intelligūtur de maledictione, quæ fit

Ad 2. & 3. rationē.

zelo

A

zelo vindictæ: quia illa nunquàm est alicui infligenda. Nunc autem si quæratur quid potiùs tenendum sit, scilicet quòd peccauerit, vel quod non. Dicendum, quòd potiùs tenẽdum est eum non peccasse, quia promptiores esse debemus ad absoluendum, quàm ad condemnandum. Etiam quia res potiùs debet interpretari vt valeat, quàm vt pereat. Etiam quia dubia in bonam partem interpretanda sunt, & quia sicut nemo præsumitur malus, nisi probetur: ita nemo præsumetur peccasse, nisi probetur. Sed de Ioatham non probatur aliquid necessariò.

Caput X.

Medea maga claret maleficijs.

POST Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim, & iudicauit Israelem viginti & tribus annis, mortuus q; est, ac sepultus in Samir. Huic successit Iair Gdlaadites, qui iudicauit Israelem per viginti & duos annos, habens triginta filios sedẽtes super triginta pullos asinarum, & principes triginta ciuitatũ, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Auothiair, id est, oppida Iair, vsque in præsentem diem in terra Galaad. Mortuus q; est Iair, ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon. Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis Baalim, & Astaroth, & dijs Syriæ, ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammõ, & Philisthijm, dimiserunt q; Dominũ, & non coluerunt eum. Contra quos Dominus iratus tradidit eos in manus Philisthijm, & filiorum Ammon Afflictiq; sunt, & vehementer oppressi per annos decem, & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, quæ est in Galaad: in tantum vt filij Ammon, Iordane transmisso, vastarent Iudam, & Beniamin, & Ephraim. Afflictus q; est Israel nimis. Et clamantes ad Dominum, dixerunt.

Suprà 2. & 3. & 4. & 6. et infr. 13.

B

Post Abimelech. Descripta in præcedentibus quarta tribulatione Israelitarum, de qua per Gedeonem liberati fuut. Hic describitur 5. de qua liberati sunt per Iephte. Et diuiditur in duas, quia primò ponitur pondus tribulationum hic, & sequenti cap. Secundò impetus seditionum infrà 12. cap. Prima in duas. Primò ponitur tempus pacis. Secundò tempus tribulationis ibi. *Filij autem Israel.* Tempus autem pacis fuit sub duobus iudicibus subsequentibus, & consequentibus, scilicet Thola, & Iair, & primò ponitur de Thola, secũdò de Iair ibi. *Huic successit.*

C

An in his sit ordinis mutatio, & an immediatè facta post præcedentia.

Qvæstio I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia ordine continuato, vel sit mutatio, & an fuerint facta immediatè, vel aliquanto tempore post.

Ad primum dicendum, quod ordo est hic continuatus, quia suprà dictum est de Abimelech: hic autem de Thola: prior tamen fuit Abimelech quàm Thola, quia Abimelech succesſit Gedeoni. Item patet ex litera, quia dicitur in principio, post Abimelech surrexit dux in Israel. Ad secundum non patet manifestè, an immediatè, vel aliquanto interiecto tempore. Aliquis dicet quod immediatè, quia mortuo vno principe alius succedit, ita inter Israelitas mortuo vno iudice alius illicò surgeret.

Sed hoc non cõcludit, quia commune erat inter Israelitas quod moriente vno iudice non institueretur alius illicò, sed manebat terra sine iudice quandiù non egebat illo, scilicet quousq; Israelitæ colentes idola subijcerẽtur hostibus: & tũc accipiebant iudicem, & sic aliquando inter iudicem & iudicem fluebant anni 18. sicut inter Hothonielem & Aod, vt patet 3. cap. Et aliquando 20. sicut inter Aod & Barach, suprà quarto, & aliquãdo septem sicut inter Barach & Gedeonem, suprà 6. cap. Ita ergo nunc inter Abimelech & Thola poterant intercidere aliquot anni. Respondẽdum, quod hic paucum tempus, vel quasi nullum intercidit inter Abimelech & Thola. Quod patet, quia quando inter vnum iudicem, & alium erant aliqui anni medij, illi scribebãtur sicut inter Hothonielem, & Aod, & inter Aod, & Barach, & inter Barach, & Gedeonem, vt patet allegatis cap. Hic tamen non ponitur aliquod medium tempus inter Abimelech, & Thola: ideo nõ videtur, quòd interciderint aliquot anni, præsertim quia dicitur: post Abimelech surrexit Thola, in quo innuitur, quòd quasi mediatè surrexerit.

D

Dest. resp. ad quæst.

Quomodo iste Thola creatus fuerit iudex.

Qvæstio II.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo iste Thola factus est iudex.

Pro quo sciendum, quod aliqui efficiebantur iudices Deo iubente illis, sicut Gedeon factus est: nam Angelus Domini venit ad eum, & dixit quòd pugnaret contra Madian suprà sexto, & septimo. Alij efficiebantur iudices, quia Deus susciteabat eos dando illis animositatem ad pugnãdum contra hostes, & confidentiam de victoria: & cùm pugnarent sumebantur à populo in iudices: sic fuit de Hothoniele, & Aod, de quibus dicitur, quod susciteauit eos Dominus in Saluatores, & posteà ipsi fecerunt bella magna, & præfuerunt populo, suprà tertio. Alij fuerunt facti iudices electione populi. Sic fuit de Iephte, vt in sequenti cap. Nam Israelitæ iuerunt rogaturi ipsum, vt esset princeps eorum, vt pugnaret contra Ammon. Alij efficiebantur principes per quandam instructionem, vel fauorem, & scelera: & sic fuit de Abimelech, quem precibus acceperunt Sichimitæ, & posteà meruit principatum occisis fratribus suis, præcedenti cap. His quatuor modis assumpti leguntur iudices, & de Thola non apparet, quòd fuerit primus modus, quia non legitur vocatus à Deo per Angelum, nec etiam fuit secundus, quia non dicitur quod susciteauit eum Deus: nec etiã fuit aliquod bellum factum per ipsum propter quod in ducem acciperetur. Nam tempus eius & iudicis sequentis fuit tempus pacis. Nec etiam fuit quartus modus, quia non fecit intrusionem aliquam: nec fuit per ambitionem, quia tunc accepisset principatum regalem, sicut tenuerat Abimelech.

E

Dicendum ergo videtur, quod fuit modus tertius, scilicet quod electus fuit à populo. Et dato quòd non exprimatur, sic intelligendum est. Scriptura autem non curat exprimere ea, quæ magna non sunt, & quia eligi à populo concorditer non erat aliquid boni famosi aut grauis mali, scriptura subticuit.

F

Quare Thola non creatus fuerit illicò iudex defuncto Abimelech.

Qvæstio III.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Thola non fuit electus in iudicem immediatè post mortem Abimelech: nam consuetudo inter Israelitas erat, quod mortuo vno iudice non eligerent illicò alium, sed tamdiù manerent sine iudice, quamdiù terra non egeret illo, sicut post Hothonielem mansit terra 18. annis sine iudice, vsque ad Aod, suprà tertio, & post Aod vsque ad Barach mansit terra sine iudice 20. annis, suprà quarto cap. & sic etiam fuit inter Iair, & Iephte post hoc. Nam interciderunt anni decem & octo, vt patet infrà in litera.

Aliquis dicet, quod fortè interciderunt aliqua bella, sed non leguntur, quia multa subticentur in scriptura.

Respondendum, quod non est verisimile, quia cùm scriptura ponat iudicem, & tempus quo præfuit, non est probabile, quòd subticeret bella, propter quæ factus est iudex, si aliqua fuissent: non ergo fuerunt aliqua.

Sed dicendum est, quod populus sano cõsilio ductus voluit mortuo Abimelech instituere iudicem ad vitandũ scandalum, sicut factũ fuerat mortuo Gedeone. Nam post mortem illius non curabat populus quemquam iudicem instituere volens seruare antiquũ morem, scil. q̃ non eligeretur iudex quousq; esset necessarius, & interim surrexit Abimelech, & fauore Sichimitarum factus est rex: & posteà concitauit scãdala magna pugnans contra loca multa, & agens violentias. Nunc autem putauerũt, quod fortè mortuo Abimelech aliqui vellent similiter insurgere ad vsurpandum sibi regnum, & grauissima scandala susciterent in populo, ideo voluerunt illicò instituere Thola, quo præsidente, vt iudex nullus auderet mouere scandala, quia ille imperans toti populo præ magnitudine potentiæ illa sedaret.

Quare Thola non successit in regali principatu, in quo fuerat Abimelech.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR ulteriùs, quare Thola non successit in principatu regali, in quo fuerat prædecessor suus Abimelech: nam Domini terrarum rarò solent diminuere de iugo introducto per prædecessores suos, dato q̃ iniustum sit, sicut respondit Roboã filius Salomonis petẽtibus Israëlitis, quòd alleuiaret aliq̃d de iugo, quod imposuerat pater eius, s. grossior est digitus meus tergo patris mei, & pater meus cæcidit vos flagellis, ego cedam vos scorpionibus, 3. Reg. 12.

Respondendum, quod non successit Thola in principatu regis, sed factus est dux, id est, iudex, sicut fuerant oẽs à principio præter Abimelech. Et hoc propter duo. Primò, q̃a Thola erat vir bonus, & vidit, q̃ principatus regalis nõ fuerat iustus principatus in populo, sed tyrãnicus, & Abimelech illum fraude, & iniquitate obtinuerat, ideo ipse nolebat succedere in vitio. Etiam sequutus est exemplũ boni viri Gedeonis, qui oblatum sibi principatum regalẽ, vel dominatiuum repulit, dicens: non dominabor vestri: nec filius meus dominabitur in vos, sed dominabitur Dominus Deus, suprà 8. cap. Vidit etiam quod erat contra voluntatem Dei, cui auferebatur quædam pars honoris, & principatus in populo, si ipse sibi vsurparet principatum regalem, vt declaratũ est suprà de Gedeone, octauo. Secunda ratio fuit, q̃a Thola susceptt principatum electione populi, vt suprà dictum est: populus autẽ noluit eum constituere regem, sed iudicem, ideo solùm fuit iudex. Hoc autem fecit populus, quia putabat se peccare, si quenquam regem instituerent. Etiam quia videbant principatum illum non conuenire sibi: nam occasione huius principatus Abimelech multa mala egit in populo.

Post Abimelech surrexit dux in Israel. Scilicet mortuo Abimelech, qui tribus tantùm annis præfuit præcedenti cap. surrexit dux in Israel, scilicet electus consensu populi, & fuit dux, id est, iudex rediens ad statum prioris principatus. *Thola filius Phua.* Ponitur nomen patris eius ad differentiam, quia alij sic nominabantur: sic etiam dicitur Iosue filius Nun ad differentiam aliorum. *Patrui Abimelech.* Id est, iste Phua erat patruus Abimelech, scilicet frater patris eius Gedeonis.

Quomodo stat hic litera, quoniam eidem videtur litera sequens repugnare.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo stat ista litera: nã videtur repugnare litera sequẽs, scil. vir de Issachar, id est, quod erat Thola vir de Issachar: Gedeon autem erat de tribu Manasse, suprà sexto: ergo non poterant ambo esse fratres, quia tribus Israëlitarum, & familiæ debebant esse impermixtæ, vt patet Nume. 36. & Leuit. 25. Respondet Nicolaus, q̃ hoc esse potuit propter matrẽ Gedeonis, s. quia ipsa accepit vnũ virũ de tribu Manasse, scil. Ioas, de quo cõcepit Gedeonẽ, & alium suscepit de tribu Issachar: de quo peperit Phua patrẽ Thola, & sic Gedeon, & Phua essent frattes ex parte matris, & essent de duabus tribubus, q̃a tribus, & familia nominanẽ à patre, & nõ à matre: & sic Phua esset patruus Abimelech, i. frater patris eius, & essent Abimelech & Thola patrueles, s. filij duorũ fratrum: & tamen nõ essent de eadẽ tribu. Sed obijciet̃ non stare, q̃a vetitũ erat mulieres vnius tribus, vel familiæ suscipere in viros hoïes de alia tribu, vel familia, Num. 36. c. & sic nõ posset mater Gedeonis habere viros de duabus tribubus. Respõdet Nicolaus, q̃ illa lex intelligit̃ de mulieribus, quæ succedebãt patrib⁹ in hereditate in defectu filiorum, sicut fuit de filiabus Salphaad, de quibus ibi dicit̃ Num. 27. c. ne miscerentur possessiones tribuũ, & familiarum: sed cũ mulier non succedebat patri, poterat accipere virum alterius tribus, sic fuit de matre Gedeonis. Sed ista responsio fortè claudicat per intellectũ illius legis, de quo Num. 36. declaratũ est. Sed dicendum, q̃ ista varietas venit, q̃a in litera nostra non habet̃, sicut in Hebræo, q̃a in Hebræo dicit̃ (Dodo) vbi nos dicimus patrui eius, & est nomen æquiuocũ, quia interdũ est nomen propriũ, & interdum cõmune: cùm enim accipit̃ pro communi significat patruũ eius, & sic accipit litera nostra. Hebræi tñ accipiunt q̃ (Dodo) sit nomen propriũ, quòd Thola fuerit filius Phua, & Phua filius Dodo. Sic etiã accipit interdũ Iosephus, vt patet 2. Reg. 23. c. vbi dicit̃ post hunc Eleazar filius patrui eius. In Hebræo habet̃ filius (Dodo) & Ioseph. 7. antiq. dicit, filius (Dodi) in quo vult esse nomen propriũ viri, & sic tenendo q̃ (Dodo) sit propriũ (vt volunt Hebræi) erit ablata cõtentio. Sed magis videt̃ dicendũ secundùm literã nostram, scil. quòd accipiatur (Dodo) pro patruo: nã si diceretur: Surrexit Thola filius Dodo: crederetur satis rationabiliter, q̃ erat nomen patris, dicitur tamen Thola filius Phua, deinde ponitur Dodo, & nõ dicitur filius, nec aliqua alia determinatio: ponitur vt videatur Dodo esse propriũ. Ideo accipiendum est pro patruo. Sed tunc obijcitur, q̃a in Hebræo non habetur Abimelech, & litera nostra ponit. Respondendum q̃ si Dodo accipiatur pro patruo, necessariò intelligetur Abimelech, quanquàm nõ ponatur, quia Dodo non significat solum patruũ, sed etiã cùm dependẽtia, scil. patruũ eius, & particula eius, debet referri ad adiumentũ: & iste est Abimelech. Nam dicitur: post Abimelech surrexit Thola filius Phua patrui eius, i. patrui Abimelech, s. quòd Phua erat patruus Abimelech. Et tũc dicendum, q̃ quamquã regulariter nõ contrahebant mulieres vnius tribus cũ viris alterius, tamẽ aliquando factũ legitur, sicut Num. 36. declaratum est. *Vir de Issachar.* Scilicet Thola erat de Issachar, quia pater eius Phua erat de Issachar. De matre autem non erat cura, de qua tribu vel familia esset. *Qui habitauit in Sanir montis Ephraim.* Ponitur locus habitationis eius, & sepulturæ: nam vtrunq; fuit in Sanir.

Quomodo dicitur Tholam habitasse in monte Ephraim.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quomodo dicitur quod habitauit Thola in monte Ephraim, quia erat de tribu Issachar, & inter Israëlitas erant possessiones distinctæ secundùm tribus, & familias, ita quod homo de vna tribu, etiã si esset ditissimus, nõ poterat habere possessionem in sorte alterius tribus, quia nõ poterat ei vendi, etiam si daret infinitam pecuniam, q̃a Deus vetuerat permixtionem possessionũ, ne permiscerẽtur tribus Num. 36. ideo Thola nõ poterat habere possessionẽ in monte Ephraim, quia erat extra tribum suam. Aliquis dicet, quod habitauit in monte Ephraim, non quasi habens ibi principale domiciliũ, & possessiones suas, sed in sorte Issachar: habitauit tamen peregrinus in Sanir, quia licebat Israëlitis peregrinari vbi bonum sibi esse cognouerunt: dum tamẽ in alienis tribubus nõ obtinerent possessiones. Sed dicẽdum, quod hoc nõ stat, q̃a scriptura semper nominat id quod principalius est, ideo nominaret locũ, in quo possessiones suas habebat Thola, & erat domiciliũ suum ex natiuitate ibi, & nõ locum, in quo peregrinus maneret. Item non stat, q̃a dicitur, quod Thola sepultus est in Sanir, sed Israëlitæ sepeliebantur semper in sepulchris patrũ suorum, quia hoc desiderabãt valdè, vt patet 2. Reg. 17. & 19. & sic f-cerant Patriarchæ, quia omnes tres Patriarchæ cum vxoribus suis in eodem sepulchro conditi iacent, Gen. quadragesimo nono cap. ergo oportet dici, quod habitatio sua, & origo erat in mõte Ephraim. Dicendum igitur, quod Sanir ciuitas montis Ephraim erat locus originis Thola, & ibi habitauit ipse, & cognatio eius, & erat iste locus in sorte Issachar. Nec obstat, quòd dica-

Doct. resp. ad q̃situm

Doct. resp ad q̃situm

A dicatur, quod in monte Ephraim erat locus aliquis Iſſachar ſortis, quia mons, in quo erat ſors Ephraim extendebatur aliquantulum extra ſortem Beniamin, & ibi poterant eſſe vrbes aliarum tribuum; & patet hoc de tribu Iſſachar. Nam tribus Ephraim, & Manaſſe coniungũtur ſorti Iſſachar, quia in parte Orientali, vt patet Ioſue 17. & ibi extenditur mons Ephraim, vltra ſortem Ephraim, & eſt in ſorte Iſſachar. Simile patet 2. Regum 18. cùm dicitur, quod bellum fuit in ſaltu Ephraim, & illud erat trans Iordanem: tamen ſors Ephraim non extenditur trans Iordanem, ſed intelligitur de quadam parte illius montis, quæ eſt vltra Iordanem ad Orientem.

Et iudicauit Iſrael viginti tribus annis. Scilicet à iudicatura ſuſcepta vſque ad mortem ſuam fluxerunt iſti viginti tres anni: nam quilibet iudex præerat vſq; ad mortem: nec cuiquam auferebatur iſta dignitas ſemel collata.

Mortuusq; eſt atq; ſepultus in Samir. Ibi erat locus originis, & ſepulti fuerant ibi progenitores ſui, ideo ibi ſepultus eſt. De hoc iudice nulla geſta magnifica narrantur, quia tempus ſuum fuit in pace, nec habuit materiam exercendæ virtutis bellicæ: ſed ſolùm iuſtè iudicauit, toto tempore ſuo continens populum Hebræorum in magna tranquillitate, quod non paruæ virtutis eſt. *Huic ſucceſſit Iair Galaadites.* Hic ponitur de alio iudice, qui ſimilis fuit præcedenti, eo quod tempus vtriuſque fuit ſine bellis, & non leguntur geſta bellorum alicuius eorum.

B *De qua tribu erat iſte Iair iudex.*

QVÆSTIO VII.

QVÆRETNR, de qua tribu erat iſte iudex. Reſpondendum, quod ſcriptura non exprimit, eo quod putat manifeſtũ eſſe, cùm dicat eum eſſe Galaaditem: ſic etiã dicitur ſequenti cap. de Iephte quod erat Galaadites, & non nominatur de qua tribu erat: & tunc ſi terra Galaad cecidiſſet in partem ſpecialem alicuius tribus, dicendo quod aliquis erat Galaadites, ſciretur tribus eius: non tamen fuit tota terra Galaad ſub vna ſorte, ſed ſub duabus. Nam diuiſa fuit in tribum Gad, & Manaſſe. Medietas quippe data eſt tribui Gad, & medietas Manaſſe, Deute. 3. Nec obſtat Num. 32. vbi dicitur quod data eſt terra Galaad dimidiæ tribui Manaſſe: nam iſtud intelligitur de media parte terræ Galaad. Ideo dubium manet de iſto Iair an fuerit de tribu Gad, vel de Manaſſe. Poteſt dici quòd fuerit de Manaſſe, q̃a magis alludit ei quod dicitur, quia vocantur ab eo ciuitates 30. Auothiair, id eſt, villæ Iair, de quo poſteà dicetur.

Reſp. ad quæ ſitum. Dubiũ. Reſponſio.

An tempore iſtorum iudicum, ſcilicet Tholæ, & Iair Iſraelita idola coluerint.

QVÆSTIO VIII.

C QVÆRETVR vlteriùs, an tempore iſtorum duorum iudicum, ſcilicet Thola, & Iair Iſraelitæ coluerint aliquando idola, ſcilicet quòd mortuo vno colerent idola, & ſurgente alio recederent ab eis.

Aliquis dicet, quòd mortuo Abimelech coluerint idola, & ſurgente Thola ceſſauerint idola tota vita ſua, quo mortuo antequàm ſurgeret Iair etiam fuerunt idola, & ſurgente Iair ceſſauerunt, quia iſta erat conditio generalis Hebræorũ, ſic patet ſuprà ſecundo, ſcil. Cumq; Dominus ſuſcitaret iudices flectebatur miſericordia, poſtquàm autem mortuus eſſet iudex reuertebantur, & multo maiora faciebant quàm fecerant patres eorum ſequentes deos alienos.

Reſpondẽdum, quod illa regula erat quaſi communis, q̃a mortuo vno iudice conuertebantur ad idola: plus quàm conuerſi fuerant antequàm ille inſtitueretur iudex: tamen aliquando non tenebat, ſcilicet quòd trãſirent duo, vel tres iudices, ſub quibus non colerẽt idola: tenet autem generaliter ila regula in illis iudicibus, qui non ſuccedebant ſibi immediatè. Nam in his ſine fallentia aliqua Iſraelitæ colebant idola mortuo vno iudice antequàm inſtitueretur ſequens: & ob hoc inſtituebatur ſequens, ſcilicet, quia populus premebatur ſeruitute à gentibus propter idola quæ colebant, ſic patet in Hothoniele, & Aod, & Barach, & Gedeone, Iephte, & Samſone. Nam omnes hi ſurrexerunt ad liberandum populum iacentem ſub hoſtibus propter idola. De Hothoniele, & Aod ſuprà tertio. De Barach ſuprà quarto. De Gedeone ſuprà 6. De Iephte patet hic iuncto ſequenti c. De Samſone infrà 12. iuncto 13. & ſequentibus. De iſtis autem non apparet an coluerint idola tempore eorum: poſſet tamen dici, quod tempore iſtorum non ceſſauerunt idola. Nam ſuprà 8. dicitur quod mortuo Gedeone Iſraelitæ fecerunt fœdus cum Baalim, vt eſſet eis in Deum, & tamen immediatè mortuo Gedeone ſucceſſit Abimelech, & ſic tempore eius fuerunt idola. De tempore autem horum non apparet, quòd aliquid mutauerint, ideo poterat teneri, quod fuerũt. Rationabilius tamen dicendum, quòd non fuerint ſaltem tempore vltimi horum, quia poſt mortem Iair dicitur infrà in litera, quòd filij Iſrael peccatis veteribus noua iungentes ſeruierunt Baalim in conſpectu Domini: ſi tamen fuiſſent etiam tempore iſtorum duorum iudicum idola, nihil videretur mutatum propter quod diceretur, quod iunxerunt peccata noua veteribus, cùm ſemper illa continuarent. Item quia tempus iſtorum duorum iudicum fuit tempus pacis, & tamen Dominus conſueuerat Iſraelitis colentibus idola dare ducem ſuper hoſtes, & ſic mortuis his iudicibus cùm dicatur, quòd Iſraelitæ coluerint idola, ſubiungitur quod Philiſthijm, & aliæ gentes oppreſſerunt eos 18. annis.

D E *An Iair creatus fuerit iudex illicò mortuo Thola: & ſi fuit quare factum ſit.*

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR an Iair fuerit factus iudex immediatè poſt mortem Thola: & ſi fuit, quare factum eſt.

Ad primum reſpondendũ, quod fuit factus illicò iudex: quod patet, quia dicitur, quod ſucceſſit ei in quo ſignificatur quædam continuatio temporis. Item quia non diſtribuitur aliquod tempus medium: ſi tamen tranſiſſent aliqui anni inter Thola, & Iair ſcriptura expreſſiſſet illos, ſicut faciebat in omnibus alijs iudicibus d ſcontinuato tẽpore præſidẽtibus, vt patet de Hothoniele, Aod, & Barach, & Gedeone: & ſuprà dictum fuit de eis in quæſtione de Thola.

Ad ſecundum dicendum, quod fuit inſtitutus immediatè poſt Thola ex eadem cauſa, qua Thola ſucceſſit Abimelech, ſcil. quia putabant Iſraelitæ, quod adhuc mortuo Thola aliqui vellent facere ſcandala ſuper principatu obtinendo, ſicut in diebus Abimelech: ideo conſultius erat, quòd conſtitueretur illicò iudex, vt nullus timore eius auderet contendere ſuper principatu. Si autẽ dicatur, quomodo inſtitutus eſt in iudicẽ, cùm eſſent quatuor modi inſtituendi, vt declaratum eſt, cùm dicebatur de Thola.

Reſpondendum, quod inſtitutus fuit tertio modo, ſcilicet per electionem populi, & eſt reddenda eadem cauſa, quæ de Thola reddita eſt. *Qui iudicauit Iſrael per viginti duos annos.* Tot annis vixit poſtquàm ſumpſit principatũ, & nihil valdè magnificum egiſſe legitur, niſi quod populum in pace gubernauit. *Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum.* Iſtud ponitur tanquàm glorioſum de iſto viro, ſcilicet quòd tot filios habuerit omnes ſimul viros, qui ſederent ſuper triginta pullos aſinarum. Et credendum eſt, quòd ille Iair habuerit multas vxores ſimul, & concubinas, de quibus ſuſciperet iſtos filios, ita quòd multi eorum eſſent coætanei: alioquin aliqui eſſent iam veteres: alij ita paruuli, quòd non poſſent equitare ſuper pullos aſinarum: ſic enim fuit de Gedeone, qui habuit ſeptuaginta filios. Et dicitur de eo ſuprà octauo, quod habuit multas vxores, & ſic potuit habere tot filios. Rabbi Salomon dicit, & etiam Nicolaus, quod iſti pulli erant parui equi, vel teneri, ideo vocantur pulli: nam in Hebræo non ponitur iſte genitiuus aſinarum, ſed ſolùm dicitur ſuper triginta pullos: & pullus ſignificat teneritudinem ætatis. Litera autem noſtra addidit aſinarum, quia viſum eſt ei magis conuenire.

F *Et principes triginta ciuitatum.* Id eſt, iſti triginta filij Iair erãt principes triginta ciuitatum, quia pater inſtituerat eos. Sic in Hebræo habetur. *Principes triginta vehiculorum, vel rurum.* Signat enim nomen poſitum in Hebræo hic locum paruum

non muratum:quem nos Græcè rus appellamus,& vocantur villæ,vel viculi,Ioſue 15.& 16. vſque ad 22. cap. & huic conſonat litera ſequens,ſcilicet quod appellatę ſunt ciuitates iſtę Auothiair, id eſt, oppida lair, & tamen Auoth ſignificat viculos,& non vrbes.

Quomodo iſti filij Iair triginta ciuitatum principes fuerint.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR quomodo erant iſti iuuenes triginta ciuitatum principes.

Reſpondendum, quod non erant principes, id eſt, reges,quia Iair non ſuſceperat principatum regnatiuum, ſed ſolùm fuit iudex: ideo filij eius non poſſent eſſe reges, quia non permitteret populus. Item non erant principes, id eſt, domini, quia principatus dominatiuus nunquàm fuit inter Hebræos vſque ad tempora Regum, quando Deus denunciauit Iſraëlitis, quæ eſſent iura Regum ſuper populum, vt patet 1.Reg.8.cap. ex quo apparet, quod ante tempus illud non erant illa impoſita:alioquin non imponerentur tanquã noua. Etiam Gedeon recuſauerat dominari ſuper Iſraëlitas ſuprà octauo dicens: non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ergo non daret populus principatum hunc filijs Iair.

Sed dicendum,quod erant principes,id eſt,iudices triginta ciuitatum,ſcilicet,quia non poterant imponere tributa illis ciuitatibus,nec facere alia, quæ faciunt Domini iubendo quidquid volunt præter id,quod eſt contra legem:ſed ſolùm erant iudices exercendo officium iudicaturæ quantum ad pauca, ad quæ ſe extendebant,de quibus diximus in prologo huius libri. Fecit autem Iair hoc,quia cùm ipſe præeſſet toti Iſrael in iudicando, conſtituit iſtos triginta filios ſuos, vt adiuuarent eum gerendo curam de triginta ciuitatibus,& in illis iudicabant,& præerant. Sic enim fecit Samuel,quia cùm eſſet ſenex, & non poſſet ſine magno labore diſcurrere per totum Iſrael ad iudicandũ conſtituit duos filios ſuos in principes,& iudices in Berſabee, vt patet 1.Regum 8. & illi iudicabant populum: & ſemper iudicauiſſent, niſi quia ſecuti ſunt auaritiam recedentes à via Samuelis, vt patet ibidem: & tunc conqueſti ſunt Iſraëlitæ, & petiuerunt regem.

Nunquid hi filij Iair ſucceſſerint ei in principatu iudicaturæ, vel ſaltem aliquis illorum.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, an iſti filij Iair ſucceſſerunt ei in principatu iudicaturæ,vel ſaltem aliquis illorum.

Aliquis dicet, quod ſic, quia ſicut inſtituit Samuel duos filios ſuos ſucceſſores ſuos in iudicando, & populus tenebat illos in iudices,iam non iudicante Samuele, & tenuiſſet eos ſemper, niſi declinaſſent poſt auaritiam: ita filij Iair poterant ſuccedere in principatu ei.

Reſpondendum,quod non ſucceſſerunt ei,quod ſatis clarè patet,quia dicitur, quod Iair iudicauit Iſrael viginti duo annis, & poſt mortem eius tranſierunt 18.anni ſine iudice, quibus terra fuit ſubiecta Philiſthinis:ſi tamen iſti vel aliquis eorum ſucceſſiſſet patri poſt mortem eius, aliquis ſupereſſet qui principaretur,& tamen nullus fuit: nam non fuit inter Iair,& Iephte aliquis iudex, ſed ſolùm tempus 18. annorum ſine iudice. Aliquis autem dicet,quod iſti filij Iair,vel ſaltem aliquis eorum ſucceſſurus erat ei, & tamen omnes mortui ſunt antequàm moreretur Iair. Sed non eſt veriſimile mori triginta filios iuuenes ante patrem ſenem. Sed dicendum,q̃ licèt omnes ei morienti ſupereſſent, nullus eorum ſucceſſit in iudicatura, quia ipſi erant viuente patre tanquàm vicarij eius in his triginta ciuitatibus, quibus præerant. Defuncto autem iudice ordinario ſpirat iuriſdictio vicariorum eius. Cùm autem arguitur de filijs Samuelis. Dicendum, quod illi non ſuccedebant patri, nec ponebantur vt ſucceſſores: ideo dato quòd non declinaſſent poſt auaritiam non manſiſſent in principatu defuncto patre: ſed Samuel cùm eſſet iam inueteratus,& non poſſet commodè exercere iudicandi officium,de conſenſu populi ſubſtituit duos filios ſuos iudices,quamdiù ipſe viueret. Poſtquàm verò moreretur,expiraret officium illorum,& eſſet in poteſtate populi,quem vellent habere in iudicem,an illos vel aliquem alium,ſed adhuc officio vicariatus priuati ſunt viuente patre, quia declinauerunt ad auaritiam,& coactus eſt à Samuel conſtituere regem petente populo.

Cauſa autem præcipua, vt iſti non ſuccederent patri erat, quia Iſraëlitæ toto hoc tẽpore inſtituebant quos volebant in principes, & nõ dabant alicui ius principandi ex ſucceſſione. Vnde non fuit aliquis inter iudices, cui ſuccederet filius in principatu,licèt haberet filios,qui eſſent viri optimi ad principatum,præter Abimelech,qui non tanquàm ex iure ſuccedendi,ſed per quaſdam fraudes,& fauores ſuſcepit principatum, præcedenti cap. ideo licèt fortè iſti filij Iair eſſent viri conuenientes ad principatum, neminem de eis in iudicem mortuo patre ſumpſerunt.

Quæ ex nomine eius appellatæ ſunt Auothiair. Et exponitur in litera,id eſt,oppida Iair,quia Auoth ſignat villas,ſcilicet parua loca non murata,quæ appellantur villæ, vel villulæ,aut viculi,& dicitur tã Auothair,quàm Auothiair. *Id eſt,oppida Iair.* Iſtud non eſt in Hebræo,ſed poſuit illud noſter tranſlator ad exponẽdum ſignificatum nominis Hebraici, ſicut fit in alijs multis locis. *Vſq; in præſentem diem.* Refertur ad tẽpus,in quo fuit liber iſte ſcriptus, ſcilicet tempore Samuelis, qui illum ſcripſit.Nam etiã tunc durabat iſtud nomen. *In terra Galaad.* Id eſt,ſunt iſta oppida in terra Galaad: eſt enim terra Galaad diuiſa in duas partes. Vna medietas eius pertinet ad tribum Gad, & iſta eſt Meridiana. Alia medietas pertinet ad Manaſſe, & iſta eſt Septentrionalis apud terram Ammonitarum.

Quomodo dicitur hic,quod vocatæ ſunt iſtæ vrbes Auothiair ab Iair nunc iudicante Iſrael.

QVÆSTIO XII.

QVÆREETVR, quomodo dicitur hic, quod vocatæ ſunt iſtæ vrbes Auothiair ab iſto Iair, qui iudicauit nũc Iſrael,quia Numer.32.cap. dicitur, quod Iair filius Manaſſe cepit viculos Galaad, & vocauit illos Auothiair ex nomine ſuo.

Aliqui reſpondent, quòd ſit idem iſte & ille, quia iſte vocatur Iair,& ille vocatur Iair. Itẽ, quia iſte de ſtirpe Manaſſe, & ille etiam.Vnde vocatur filius Manaſſe,id eſt,de ſtirpe Manaſſe.Item iſta oppida ſunt in terra Galaad,&illa etiam.Nam dicitur,quod ille cepit viculos Galaad,etiam iſtæ villæ vocantur Auothiair,& illæ etiam.

Reſpondendum,quod nõ ſtat, quia ille fuit ante iſtũ magno tempore, ſcil. trecentis annis: nam Iephte dixit, q̃ iam fluxerãt trecenti anni, ex quo Iſraëlitæ occupauerant terram regis Sehon,ſequen.cap. Et tunc Iair de quo ibi dicitur cepit viculos Galaad,qui quondam erant de terra Ammon,& illo tempore Iair erat iam vir magnus, prudens, & bellator: ideo non potuit tanto tempore viuere, vt nunc fieret iudex, quia nullus homo iſto tempore vltra centum annos aut parũ plus excedebat. Item non ſtat, quia non vocantur hic iſtæ villæ Auothiair ex eadem cauſa,ex qua illę nominatę ſunt ſic,quia cepit eas Iair,& omnibus impoſuit nomen Auothiair. Hic autem nomen impoſitum fuit, quia iſti 30.filij Iair principabantur in alijs 30.ciuitatibus.

Reſpondendum, quod non fuit idem iſte Iair,& ille: nec etiam fuerunt eadem loca, quia Iair, qui cepit viculos terræ Galaad,vocauit omnes viculos illos Auothiair, Nume.32.& non eſt certus numerus iſtorum viculorum: hic autem patet q̃ iſtæ villę vocatæ Auothiair erant ſolùm 30. & vocatæ ſunt ſic,quia ſpecialiter pertinebant ad Iair, quòd licè ipſe præeſſet toti Iſrael, tamen filij eius præerant illis ciuitatibus ſub eo conſtituti.

Mortuus q́, eſt Iair,& ſepultus in loco,cuius nomen eſt Camon. Iſte loc⁹ eſt in terra Galaad in ſorte Manaſſe,& quia Iair erat Galaadites,ſepultus eſt ibi, quia fortè ille erat locus ſuæ originis,& iuxta conſuetudienm Hebræorum quilibet ſepelieba_tur in ſepulchro maiorum ſuorum. In Hebræo habetur Maon. Vbi nos dicimus Camon.Et fortè eſt locus ille bino_

A

mius ſicut viri ſunt ſæpè binomij & trinomij. Sic etiam alia loca, vt Hebron, & Ieruſalem, quorũ quodlibet habet multa nomina. *Filij autem Iſrael.* Hic ponitur ſecundum principale huius cap. ſcil. tempus tribulationis, in quo Iſraëlitæ afflicti ſunt à gentibus Deo tradente eos illis, quia colebãt idola. Et diuiditur in tres partes. Primò ponitur culpa. Secundò ſubditur pœna ibi. *Contra quas.* Tertiò adiungitur pœnitẽtia ibi. *Peccauimus.* Circa primum dicitur. *Filij autem Iſrael peccatis veteribus noua iungentes.* Id eſt, non contenti fuerunt antiquitùs peccaſſe, ſed etiam nunc peccata noua addiderunt. *Fecerunt q; malum in conſpectu Domini.* Scilicet eo vidente adorabant Deos alienos, & dimittebant ipſum.

Tẽpus tribulationis Iſraelitarum poſt Iair.

Quomodo hoc factum ſit: & quæ vocentur hic peccata vetera, & peccata noua.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quomodo fuit hoc factum, & quæ vocantur hic peccata vetera, & quæ peccata noua.

Reſpondendum ad primum, quod Iſraelitæ fecerũt iſtud poſt mortem Iair: nam viuente eo non coluerunt idola nec etiam tempore Thola: & quia inter Thola & Iair non intercidit aliquod tempus, nec habuerunt Iſraëlitę tempus declinandi ad idola, & fuerunt tempore horum duorum iudicum boni. Peccata autem eorum fuerunt poſt mortem Iair: Nam tunc nullus fuit in iudicem inſtitutus, qui coerceret

B

Iſraelitas à malo, ideo fecerũt ſicut ſoliti erant, ſcilicet, quod mortuo iudice maiora peccata facerent quàm prius. Sic patet ſuprà ſecundo. Nam dicitur quod viuente iudice Iſraelitæ benè ſe habebãt, ſed illo mortuo, faciebant peiora quàm fecerant patres ſui, & ſic fuit hic, quia antiquitùs colebant Iſraelitæ Baalim: nunc autem cœperunt colere ſimul Deos multarum gentium, ſcilicet Baalim, Aſtaroth Deos Sidoniorum, & Syriæ, & Moab, & Ammon, & Philiſthinorum.

Ad ſecundum dicendum, quod peccata vetera vocantur illa quæ fecerant poſtquàm deſierunt peccare, ſcilicet ante Gedeonem peccauerant nimis, & eo prẽſidente boni fuerũt, & poſteà tempore Thola, & Iair etiam. Vel vocantur peccata vetera, quæ fecerunt Iſraelitæ mortuo Gedeone dum principaretur Abimelech. Nam ſuprà octauo dicitur, quod poſt mortem Gedeonis Iſraelitæ fecerunt pactum cum Baalim, vt eſſet eis in Deum. Abimelech autem non curauit extirpare idololatriam, quia animus eius ſolùm erat ad dominandum, & non ad iuſtitiam exequendum. Vnde in illo pauco tempore trium annorum, quibus regnauit occupatus bellis nihil boni agere potuit, nec curauit ad auferendam idololatriam. Thola antem, & Iair, qui poſteà ſurrexerunt, & fuerunt, in tempore pacis extirpauerunt idololatriam, ideo peccata vetera erant illa, quæ fiebant tempore Abimelech.

Animꝰ Abimelech ſolùm ad dominandũ erat.

C

Ad tertium dicendum, quod peccata noua vocabantur illa, quæ agere cœperunt Iſraelitæ mortuo Iair, & tunc venit illis tribulatio. Aliter poſſet intelligi de peccatis veteribus, & nouis, ſcilicet quod peccata vetera erãt illa, quæ Iſraelitę ante hoc frequentauerant. Peccata autem noua erant illa, quæ nunc ſuper illa addiderunt, & tunc non erit ſenſus, quòd deſierint peccare aliquanto tempore Thola, & Iair, ſed quòd exercuerint peccata vetera, id eſt, ab antiquo vſitata, ſcilicet, quòd colerent Baalim. Iſtud namque in conſuetudinem duxerant, & vſque tunc continuauerunt, ſed nunc exercuerunt peccata noua, id eſt, non vſitata, ſcilicet, quòd coluerũt Deos multarum gentium, quos priùs non coluerant, & ponũtur ſeptem Dij, vt patet in litera, & iſtud ſatis ſtat. Primus tamen ſenſus melior eſt, quia veriſimilius eſt quòd tempore Thola, & Iair non coluerint idola, quàm quòd coluerint.

Idololatria cum 7. dijs.

Et ſeruierunt idolis Baalim, & Aſtaroth. Hic pountur ſeptem idololatriæ, ſcilicet idololatria cum 7. Dijs, vel cum Dijs ſeptem gentium, & ponitur hoc ad ſignificandum magnam peruerſitatem Iudæorum, & deſiderium colendi idola, quia non ſufficiebat eis colere vnum idolum, vel Deos vnius gentis, ſed Deos omnium gentinm, quas nouerant, colebant: ponũtur Baalim, & Aſtaroth, quia iſti erant Dij communiores, vt declaratũ eſt ſuprà tertio, & iſtos duos Deos colebant tempore Samuelis, benedixit eis Samuel, ſi in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte de medio veſtri Baalim, & Aſtaroth, 1. Regum 7. cap. *Et Dijs Syriæ.* Communicabant Iſraelitæ cum Syrijs, ideo cognoſcebant Deos eorum, & ritum colendi, & ob hoc colebant: ſunt autem Syri ad partem Aquilonarem terræ Chanaan apud Euphratem, & fortè iſti Dij, ſcil. Baalim, & Aſtaroth erant de Dijs Syriæ, licèt haberẽt inſuper alios, & quia coluerunt iſtos, tradidit eos Dominus in manus Syriorum, ſic enim patet ſuprà tertio. Nam poſt mortem Ioſue prima captiuitas, & ſubiugatio Iſraelitarum fuit ſub manu Chuſanraſathain regis Meſopotamiæ, ſiue Syriæ, quod idem eſt. Et ibi ante hoc dicitur, quod traditi ſunt in manus eius, quia colebant Baalim, & Aſtaroth.

D

Deſitu Syrorũ

Et Sidonis. Habebant Sidonij alios Deos, quos colebant Iſraelitæ, & erat Deus Sidoniorum principalis Aſtharthes: ſic patet 3. Reg. 11. cap. cùm dicitur de Salomone, quod colebat Aſtharten Deam Sidoniorum. Conuerſabãtur autem Iſraelitæ cum Sidonijs, quia illi in terra Iſrael erant: nam Sidon in ſorte Aſer, vt patet Ioſue 19. cap. habitant autem Sidonij apud mare in parte occidentali terræ Chanaan, & ſciebãt Iſraelitæ Deos eorum. *Et Moab.* Deus Moabitarum erat Chamos, vt patet 3. Regum 11. ſcilicet quod colebat Salomon Chamos idolum Moabitarum. Idem patet 4. Reg. 23. cap. ideo Moabitæ vocantur populus Chamos, vt patet Num. 21. & Iſai. 15. & 16. ſunt autem Moabitæ coniuncti terræ Chanaan ex parte Orientali: nam terra Moab peruenit vſq; Iordanem, vt patet Deuter. 3. & Iordanis eſt pars Orientalis terræ Chanaan, Numer. 34. cap. ideo ſciebant Iſraelitæ de Deo Moab. Alij autem volunt Phegor eſſe Deum Moabitarum, quia vocantur excelſa Phegor, Nume. 23. & 25. vocatur etiam fanum Phegor, Deuteron. 3. Sed dicendum Phegor eſſe nomen montis, in quo erat fanum Dei Moabitarum, qui vocabatur Beelphegor, eo quod erat in monte Phegor.

Sidoniorum Deus Aſtarthes.

Deus Moabitarum erat Chamos.

E

Phegor quid ſit

Et filiorum Ammon. Deus Ammonitarum erat Moloch, vt patet tertio Reg. vndecimo, vbi dicitur de Salomone, quod colebat Moloch Deum Ammonitarum, ſed quarto Regum 23. cap. vocatur Melchon. Sic etiam primo Paralipom. 20. cap. ſed idem eſt. Nam ſæpè idem vir, vel res, aut locus eſt binomius, vel trinomius. Iſti Ammonitæ erant ad Aquilonarem partem Iſraelitarum, & partim ad orientalem, & communicabant cum eis duæ tribus, & dimidia, quæ morabantur ad Orientalem partem Iordanis, & nouerant ritus eorum. *Et Philiſthijm.* Dij Philiſthinorum erant Aſtaroth, Dagon, & Beelzebub: nam in ciuitate Acharon erat Beelzebub: vt patet quarto Regum primo, & ad illum mittebantur de omnibus partibus conſultationes: nam Ochozias rex Iſrael miſit ad conſulendum eum, an curaretur de infirmitate ſua, vt in allegato cap. In vrbe Gaza, & Azoto erat Deus Dagon. De Azoto patet primo Regum quinto, cùm Philiſthini arcam Dei ad ſe ductam poſuiſſent in Azoto in templo Dagon corruit Dagon coram arca. De Gaza patet infrà decimoſexto, nam Philiſthini concurrerunt in vrbe Gaza ad offerendum hoſtias magnificas Deo ſuo Dagon. Aſtaroth erat in alijs vrbibus: nam dicitur primo Regum trigeſimo primo, quod in templo Aſtaroth poſita fuerunt arma Saulis, & iſta omnia erant in terra Philiſthinorum. Iſtos communes cognouerant Iſraelitæ: quia communicabant cum Philiſthinis, eo quod Philiſthini morabantur intra terram Iſraelitarum in partem Meridianam, & quodam tempore erat magna communicatio Iſraelitis cum eis: nam non erat faber ferrarius in Iſrael, & deſcendebant in terram Philiſthinorum ad acuendum vomerem, & ſarculum, vſq; ad ſtimulum aſini, vt patet primo Reg. 13. cap. & ex hoc potuernnt cognoſcere Deos eorum.

F

Dimiſeruntq; Dominum. Scilicet non obſeruando mandata eius. *Et non colebant eum.* Scilicet non faciendo ei ſacrificia, nec offerendo alias cæremonias cultus. *Contra quos iratus Dominus.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcil. pœna peccati, ſcilicet, quia Deus inflixit pœnã Iſraelitis pro peccato ſuo: nam iratus eſt, ſcilicet diſpoſitus fuit ad infligendam punitionem. *Tradidit eos in manus Philiſthijm.* Scilicet concitauit Philiſthinos, contra illos in bellum, & fecit Iſraelitas inferiores, intelligendo ſicut declaratum eſt ſuprà tertio, & præcedenti cap. quod Deus mouet corda hominum ad amorem, vel odium, vel alias paſſiones, & hic mouet Philiſthinos, vt noce-

A rent Iſraelitis: & non contulit vires Iſraelitis ad reſiſtendum: ſed potiùs incuſſit eis timorem ne poſſent reſiſtere.

Et filiorum Ammon. Iſtę duę gentes pugnauerunt tunc cõtra Iſraelitas, & oppreſſerunt eos ſeruitute: ſicut ſuprà tertio, Moabitę cõfortati ſunt cõtra Iſrael, & copulati ſunt eis Amalechitæ, & Ammonitæ. Philiſthini autem magis oppreſſerũt nunc Iſraelitas, quàm Ammonitæ, ex hoc tẽpore cœpit bellũ durum contra Iſraelitas à Philiſthinis infligi: vnde ſemper ab hoc tempore fuit bellum mutuum. Vel erant Iſraelitæ in ſeruitute Philiſthinorum: nam nunc ſeruierunt eis 18. annis, poſt hoc etiam ſeruierunt quadraginta annis ante tempore Samſonis, vt patet infrà duodecimo, tempore quoque Samſonis erant Iſraelitæ ſeruiẽtes Philiſthinis infra decimoquarto, poſteà etiam continuò ſeruierunt eis, ſcilicet ſub tempore Heli ſummi ſacerdotis, qui fuit iudex poſt Samſonem: deinde tempore Samuelis etiam ſeruiebãt, & poſteà tempore Saulis primi regis Iſrael, qui fuit poſt iudicaturam Samuelis, ſeruiebant Iſraelitæ Philiſthinis. Nam tempore Saulis erat ſtatio Philiſthinorum in Iſrael, primo Regum decimo, & decimotertio, & non erat faber ferrarius in Iſrael, quia hoc iuſſerant Philiſthini, eodem cap. & deſcendebant Iſraelitæ in terram Philiſthinorum ad acuendos vomeres, ſecures, & tridentes. & ad acuendum ſtimulum, eodem cap. & poſteà durauerunt continua bella inter Saulem & Philiſthinos toto tempore regni Saulis, & in eis mortuus eſt Saul, primo Regum trigeſimo primo. Deinde Dauid ſuccedens contra Philiſthinos habuit bella, & abſtulit frenũ tributi de manu eorum, 2. Regum 8. & egit poſteà multa bella contra illos, eod. lib. cap. 21. & ſic non fuit aliqua gens, quæ tanto tempore Iſraelitas affligeret.

B *Afflictiq; ſunt vehementer.* Scilicet, quia Phiſthini vaſtabant terram eorum, & ipſi non poterant reſiſtere: fortè enim faciebant ſicut Madianitæ tempore Gedeonis: nam quolibet anno, quãdo omnes ſegetes erant quaſi maturæ prius quàm Iſraelitæ metere eas poſſent veniebant Madianitæ cum omnibus populis Orientalibus, & ad modum locuſtarum replebant terram, vaſtabantque ſegetes in herba, itaque vt nihil relinqueretur Iudæis ad cibos, vt patet ſuprà 6. cap.

Et oppreſſi per annos decem, & octo. Durauit iſta tribulatio octodecim annis inchoando à morte Iair Iudicis vſque ad conſtitutionem Iephte in Iudicem. Nam licèt illicò poſt mortem Iair non oppreſſi fuerint Iſraelitæ, quia tamen illicò cœperunt peccare, & pro peccatis Deus miſit gentes contra eos computatur omnes 18. anni, vt non maneat aliquid de tempore, non computantum, quòd non comprehendatur ſub aliquo, quia tunc inducendo ex particularibus ſummis illam ſummam totalem, quæ colligitur tertio Regum ſexto, eſſet illa maior, quàm ſummæ particulares. Sed falſum eſt.

Qui habitabat trans Iordanem in terra Amorrhæi. Quamquàm totus Iſrael puniebatur, tamen puniebantur nunc magis habitantes trans Iordanem, ſcilicet ad Oriẽtalem partem eius, & hoc ſignificatur, quia dicitur, in terra Amorrhæi, id eſt, in terra duorum regum Amorrhæorum: nam Sehon, & Og, qui erant duo reges Amorrhæi, vt patet Deuteronomij ſecundo, & tertio, tenebant totam terram, quæ eſt ad Orientem Iordanis, quam poſteà ceperunt Iſraelitæ viuente Moyſe, & illa terra data eſt duabus tribubus, & dimidiæ, ſcilicet tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ Manaſſe, Nume. trigeſimo ſecũdo, & Deuteronomij tertio cap. hanc terram vocat ſcriptura terram Amorrhæi, id eſt, duorum regum Amorrhæorum: & hanc vaſtauerunt nunc atrociùs hoſtes. Nam Philiſthini, & Ammonitæ erant nunc hoſtes, & copulabantur, vt ſimul pugnarent contra Iſrael: & quia Ammonitæ morantur ex parte orientali Iordanis, & Aquilonari, veniebant etiam cum eis Philiſthini, & inuadebant terras coniunctas ex parte Iſrael. Iſtæ autem ſunt terræ duarum tribuum, & dimidiæ.

Quæ eſt in terra Galaad. Id eſt, vaſtabant terram Amorrhæi, quæ eſt in prouincia Galaad. Vocatur terra Galaad quædam regio, quæ adiacet monti Galaad. Ex vtraque parte montis eſt regio vberrima, & paſcualis plurimas habens vrbes, vt patet Numeri 32.

* * *

D

Quare potiùs vaſtabant terram Galaad quàm alias terras Iſraelitarum.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quarè potiùs vaſtabant terram Galaad, quàm alias terras Iſraelitarum, licèt alias aliqualiter vaſtarent,

Reſpondẽdum, quod hoc fuit propter duo. Primum fuit, quia terra Galaad erat valde propinqua hoſtibus. Nam hoſtes erant hic Ammonitæ, & Philiſtini: ex parte autem Ammonitarum nulli erant ita coniuncti ſicut Galaaditæ, quia in confinibus iacent vtræque regiones potiſſimè, quia terra Galaad fuerat olim pars terræ Ammonitarum. Iſta cauſa ſignificatur, cùm dicitur, quod Ammonitæ vexabant eos, qui erant in terra Galaad intantum, quod Iordane trãſmiſſo vaſtabant interdum filios Iuda, & Ephraim: quaſi dicat, ſemper vaſtabant Galaaditas, eo quod coniuncti eis erant, & quando multum progrediebantur, tranſibant Iordanem, & vaſtabant Iudam, & Ephraim, qui ſunt ad occidentalem plagam Iordanis. Secunda cauſa erat, quia Ammonitæ volebant reducere ad ſe terram Galaad: fuerat enim olim terra Galaad pars terræ Ammonitarum, & temporibus præteritis non repetiuerat eã rex Ammon, quia putabat ſe impotẽtem ad obtinendum: nunc autem viſa opportunitate, ſcilicet, quia Iſ- E
raelitæ affligebantur ſub manibus eius, & Philiſthinorũ, cœpit petere reſtitui ſibi terram Galaad, vt patet ſequenti capitulo, & ad hoc, quòd faciliùs illam obtineret, vexabat nimis Galaaditas bellis, vt ipſi vexatione conſtricti, & non habẽtes auxiliatorem ſpõtè ſe traderent Ammonitis, ne tamdiù mala hæc paterẽtur. Hoc autem ſignificatur, quod rex Ammonitarum contra Galaaditas cœpit agere bellum, & fixit tentoria in terra Galaad infrà in litera, & tũc coacti ſunt Galaaditæ ſumere de ſe iudicem: ſumpſeruntque Iephte Galaaditem, qui pugnauit contra Ammonitas, ſeq. cap.

Intantum vt filij Ammon Iordane tranſmiſſo vaſtarẽt Iudam, Beniamin, & Ephraim. Id eſt, intantum excedebat audacia Ammonitarum, quod interdum non ſolùm inferebant bellum Galaaditis, ſed etiam illis ſubiectis, & afflictis tranſibant in terram vltra Iordanẽ, vbi erant 9. tribus, & dimidia, & vaſtabãt Iudã, & Ephraim, & Bẽiamin, quæ erãt tres tribus cõiunctæ.

Afflictusq; eſt Iſrael nimis. Silicet, quia multæ violentiæ, & depauperationes inferebãtur eis ab hoſtibus. *Et clamantes ad Dominum dixerunt.* Id eſt, nõ habentes iam aliquem adiutorem, niſi Deum cœli, inuocabant eum, vt liberaret eos.

Quare non dicitur de aduerſitate illata à Philiſthinis Iſraelitis, ſed ſolùm de malo illato ab Ammonitis.

QVÆSTIO XV.

F

QVÆRETVR, cùm hic eſſent duæ gentes aduerſantes Iſraelitis, ſcilicet Ammonitæ, & Philiſthini: quare non dicitur hic de aduerſitate, quam inferebant Philiſthini, ſed ſolùm de malo, quod inferebant Ammonitæ.

Aliquis fortè dicet, quod Philiſthini parùm, vel nihil mali inferebant, ideo nõ computantur. Sed dicendum, quod nõ ſtat, quia Philiſthini fuerunt ſemper potentiores Ammonitis, & nulla gens eſt, quæ tantùm afflixit Iſraelitas, ſicut Philiſthini, ideo cùm nũc eſſent, vt hoſtes Iudæorum, & Deus dediſſet poteſtatem illis ſuper Iudæos, non eſt veriſimile, quòd parùm eos affligerent: potiſſimè, quia ſuprà in litera dicitur, quod Deus tradidit Iſraelitas in manus Philiſthinorum, & filiorum Ammon. Item ſi ſoli Ammonitæ perſequerẽtur terram Iſrael, totum malum eueniſſet ſuper Galaaditas, & interdum ſuper Iudam, Beniamin, & Ephraim. Nam ad has tribus ſolùm ſe extendebant, vt patet ſuprà in litera.

Sed non eſt veriſimile, quòd ſolùm iſtæ tribus paterentur in toto Iſrael, cùm totus Iſrael peccaret: ideo dicendum eſt, quòd Philiſthini ex alia parte inuadebãt terram Iſrael, & vexabant alias tribus. Iſtud autem neceſſe eſt poni, quia litera ſuprà dicit, quod tradidit Dominus Iſraelitas in manus Ammon, & Philiſthinorum, ergo aliquid faciebant Philiſthini contra Iſrael: nihil tamen facient, niſi iſto modo dicamus.

A

Respondendum est, quod Philisthini etiam grauiter affligebant Israelitas, sicut Ammonitæ, tamen fit mentio de Ammonitis solùm, eo quòd ista, quæ dicuntur hic, sunt introductoria, & quasi præambulum ad continuandum successionẽ iudicum. Nam post Iair fuit Iephte, & ille fuit factus iudex, vt pugnaret contra Ammonitas, vt in sequẽti capitulo, ideo vt inducatur electio illius, & gesta, introducit hic scriptura præambula solùm de pugna Ammonitarum contra Israel. Bellum autem Philisthinorum nunc non fuit causa institutionis Iephte: ideo de illorum impugnatione contra Israel non fit mentio.

Quomodo Israelitæ non clamarunt ante istos decem octo annos, cùm semper affligerentur.

Qvæstio XVI.

Qværetvr vlteriùs, quomodo Israelitæ non clamauerunt ante istos decem octo annos, cùm semper affligerentur.

Responderi potest vno modo, ꝙ Israelitæ pepigerant fœdus cũ dijs suis, expectabantq; liberationem ab eis, & quia toto hoc tẽpore non acceperunt liberationem, cõuersi sunt ad clamandum ad Dñm: Israelitæ enim erant rudes, & putabãt, quòd dij gentium haberent aliquã virtutem adiuuandi cultores suos in bellis, & conferendi eis bona temporalia: imò putabant, quòd dij gentium magis hoc possent, aut facere vellẽt potius, quàm Deus eorum: vnde quando Ieremias dixit Israelitis manentibus in Ægypto, ne colerẽt reginam cœli: responderunt, quòd non obedirẽt eius verbo ex parte Dei: sed colerent reginam cœli, & offerrent ei libamina, & subiunxerunt, quod quando libabamus ei, saturati sumus panibus, & benè nobis erat, & malum non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus: & gladio, & fame consumpti sumus. Ob hoc autem faciebant fœdus Israelitæ cum dijs gentium, quòd susciperent illos in Deos ad semper illos colendum, & quòd illi susciperent Israelitas in populum ad benefaciendum eis specialiter, sic patet suprà octauo. Nam dicitur, quod post mortem Gedeonis Israelitæ fecerunt fœdus cum Baalim, vt esset eis in Deũ: & sic Israelitæ credebant verè hoc, scilicet quod dij gentium, quos colebant, possent eis benefacere, & liberare eos de aduersitatibus, ideo aduenientes aduersitate expectauerunt auxilium ab illis, & in hoc manserunt decem octo annis, quibus oppressi sunt à Madianitis, & Philisthinis, cumq; iam desperarent, quòd dij gentium illos liberarent, conuersi sunt ad Deum Israel, vt liberaret eos, & ille in fine decem & octo annorum liberauit eos per Iephte Galaaditẽ. Aliter potest dici, quòd Israelitæ toto hoc tempore non clamauerunt ad Deum, eo quod Deus non indurauit corda eorum, vt clamarent. Nam peccauerunt grauiter Israelitæ, & ob hoc volebat Deus, quòd paterentur aliquanto tempore, scilicet decem octo annis, & quia si in principio clamassent, exaudisset illos, & liberasset, & nõ paterentur pœnam, quam ipse volebat, ideo indurauit cor eorum, vt nõ aduerterent ad clamãdum ad Dominum: Simile habetur Isa. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Simile patet Matht. 13. nec est hoc iniustum, quia pœna à Deo iustè inflicta est, vt induretur cor alicuius in petendo veniam, quod in peccando induratum noluit erubescere. Aliter potest intelligi, scilicet, quòd Israelitæ clamauerunt ad Dominũ ante annum decimumoctauum, scilicet fortè à principio tribulationis huius: tamẽ Deus non exaudiebat eos, quia licèt Deus oratus illicò culpas remittat, pœnas tamen non illicò remittit, aut transfert. Et ratio potissima, quare Israelitæ licèt clamarent non exaudiebantur erat, quia non dignè clamabant, scilicet, quia nunquàm cessabant colere idola: nam nũquàm abiecerũt ea vsq; ad annum decimumoctauum, quãdo Deus respondit eis, quòd irent ad Deos, quos colebant, & illi liberarent eos de angustia, & tunc dixerũt Israelitæ: Peccauimus, redde tu nobis quidquid placet, tautùm nunc libera nos, & hæc dicentes omnia de finibus suis alienorum Deorum idola proiecerunt, & tunc secuta est illicò liberatio eorum.

B

C

D

Quomodo isti decem octo anni computantur, vel sub quo iudice.

Qvæstio XVII.

Qværetvr vlteriùs de istis decem octo annis, quomodo computantur, vel sub quo iudice: nam consuetudo est est in isto libro, quòd cum alijs numeris partialibus valdè excedat ad numerũ totalem, qui ponitur 3. Reg. 6. ideo est regula. quòd anni, quibus dicitur mãsisse populus in afflictione computentur sub illius iudicis summa, qui liberauit Israel ab illa afflictione, sicut dicitur suprà 3. quod Israelitæ oppressi sunt octo annis ab rege Syriæ Cusanrasathain, & dicitur ibi, quod Hothoniel liberauit Israel de hac angustia, & præfuit quadraginta annis. Dico quod illi octo anni sunt pars illorum quadraginta, & quãquàm in illis octo nondum esset iudex Hothoniel computantur sub ducatu suo, sicut etiã ibidem dicitur, quod Israelitæ decem octo annis oppressi sunt à rege Moab, & Aod liberauit Israelitas de manu eius, qui præfuit 80. annis, dico quod illi decem octo anni sunt pars octuaginta annorũ. Sic autem oportet, quod isti decem octo anni, quibus oppressi sunt Israelitæ à Madianitis, & Philisthinis debent computari sub alio iudice, & secundùm regulam communem deberent computari sub iudice, qui liberauit Israel ab ipsa angustia, & ille fuit Iephte, tamen non possunt includi sub tempore suo, quia ille sex annis solùm præfuit, infrà 12. cap. debet ergo recurri ad præcedentes, vt sub temporibus eorum includantur.

E

Respondendum, quod isti decem octo anni non sortiuntur regulam communem, scilicet quòd cõputentur sub tempore alicuius iudicis. Quod patet, quia deberent computari sub iudice sequenti, qui liberauit populum ab illa angustia. Sed non stat, quia Iephte præfuit solùm sex annis. Etiam nõ possunt computari sub præcedentibus, quia Iair præfuit viginti duob⁹ annis, qui fuit ante istam tribulationẽ, & quando ipse mortuus est, nõdum cœperat aliquis de istis decem octo annis, ideo non potest comprehẽdi sub eo aliquis de istis annis, alioquin deberent poni quadraginta anni in iudicatu suo, scilicet viginti duo, quibus ipse præfuit, & decem octo, quibus Israelitæ subditi fuerunt Madianitis, & Philisthinis. Ideo dicendũ, quod isti decem octo anni hic specialiter computantur per se, tanquàm essent tempora alicuius iudicis. Quod patet, quia colligẽdo summam totalem, quæ habetur 3. Reg. 6. ex summis particulatibus ab exitu de Ægypto vsque ad ædificationis templi initium prouenit summa præcisa, si computẽtur isti decem octo anni simul per se cum alijs: si autem ponantur sub annis alicuius iudicis, deficiet aliquid de summa illa, vt patet ex computatione, quam fecimus suprà 3. cap, Necesse est igitur, quòd isti decem octo anni computentur per se.

F

Quare post Iair non fuit illicò alius iudex creatus.

Qvæstio XVIII.

Qværetvr vlteriùs, quare post Iair non fuit illicò alius iudex institutus, sicut fuit post Abimelech ipse Thola, & post Thola electus est illicò Iair.

Respondendum, quod in illis facta est electio secundùm successionem immediatam propter timorem scandali, ne aliqui non existente aliquo iudice intromitterent se de principatu, sicut fecerat Abimelech post mortem Gedeonis, sed nunq; fuerant visa aliqua scandala tempore Thola. Etiã tempore Iair successoris eius nullus aliquid tale mouit, ideo putauerunt, quòd iam nullum moueretur super hoc scandalũ: & sic voluerunt permanere, vel redire ad antiquam cõsuetudinem, scil. quòd non sumeretur aliquis in iudicem, quamquàm moreretur prædecessor, quousq; esset necessarius ad repellendos hostes, & quia nunc mortuo Iair erant tempora pacis, & non erat necessarius iudex ad hoc, non curauerunt quemquam instituere: fuisset tamen vtilis ad conseruandum populum in cultu Dei. Nam dum iudices viuerent populus colebat Deum, quibus morientibus declinabat populus ad peiora, quàm à principio, vt patet suprà 2. cap.

A

Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim. Quibus locutus est Dominus: Nunquid non Aegyptij, & Ammorrhæi filij q; Ammon, & Philisthijm, Sidonij quoq;, & Amalech, & Chanaan oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum? Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam vt vltrà vos liberem. Ite, & inuocate deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ. Dixeruntq; filij Israel ad Dominum: Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantùm nunc libera nos. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & seruierunt Domino Deo: Qui doluit super miserijs eorum: Itaque filij Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filij Israel, in Maspha castrametati sunt. Dixeruntq; Principes Galaad singuli ad proximos suos: qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit Dux populi Galaad.

Modus à quo Media nomen accepit, laret.

Ionius Archadia rex à quo mare Ionium. De pœnit di stin. 1. & dent. que. Agon olim Piatrix ab Hercule instituitur. Israelitarum pœnitentia. Duo sunt in pœnitentia.

B

Peccauimus. Hic ponitur tertium, scilicet Israëlitarum pœnitentia, scilicet, quia doluerunt de peccato suo. In pœnitẽtia autem primum est ipsa contritio de peccato. Secundum est confessio in ore. Vtrumque colligitur hic in isto verbo: nam in hoc, quod Israelitæ dicebant peccauimus, significat, quod dolebant se peccasse. Et patet, quia si fuisset ista propositio deluforia, scil. quòd ore dicerent, & non verè dolerent, Deus nõ exaudisset illos exaudiuit tamen, quia liberauit illos, ideo fuit vera contritio. Secundum etiam fuit, scilicet confessio peccati: nam proposuerunt illud in voce, dicentes: peccauimus, quia dereliquimus Dominum: & dicitur, quod dixerũt hoc clamantes.

In quo consistebat peccatum Israelitarũ.

Quia dereliquimus Dominum Deum nostrum. In quocunq; peccato Deum dereliquimus recedentes à lege eius, ideo dicitur quod in quolibet peccato est cõuersio: & auersio, scil. auersio à Deo, quod est ipsum derelinquere, & conuersio ad creaturam, qua inordinatè abutimur fruentes ea. *Et seruiuimus Baalim.* Hic declaratur in quo consistebat peccatum, scilicet, quia seruierunt Idolis, & nõ expresserunt hic alia peccata, licèt Israëlitæ in multis alijs peccarent, quia cùm istud sit peccatum grauissimum in comparatione huius alia peccata non censentur esse quasi peccata: nam Deus magis punit istud peccatum, quàm reliqua, & ipsi Israëlitæ iam videbant, quod Deus non tantùm curabat de alijs sicut de hoc. Et ponuntur hic duo, scilicet dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim, quia aliquando Israëlitæ colebant Deum suum, & cum hoc colebant Idola, sicut faciebant Samaritani, vt patet 4. Regum 17. de quibus dicitur: fuerunt gentes istæ timentes

C

Deum, sed nihilominùs Idolis suis seruiẽtes. Israëlitæ autem nunc non fecerunt sic, sed cessauerunt offerre Deo cultum debitum: & totaliter coluerunt Idola. Sic patet suprà in litera, scilicet seruierunt Astaroth, & Baalim, & dimiserunt Dominum, & non colebant illum. Hic autem solùm dixerunt Israëlitæ, & seruiuimus Baalim, quia per hoc intellexerunt omnia Idola, quibus seruierunt.

Israelitarum increpatio quædã.

Quibus locutus est Dominus. Hic ponitur quædam increpatio Israëlitarum, quia licèt Israëlitæ orarent, & dolerent corde, & Deus vellet eis misereri, tamen voluit eos subsannare, & increpare eos, quia peccauerant, vt ex hoc sentirent quandam pœnam, quæ esset ad remissionem peccatorum. Etiam, quia ista subsannatio moueret Israëlitas ad magis dolendum de peccatis. Etiam, quia quamquàm Israëlitæ verè dolerent, tamen nondum abiecerant Idola de terra sua. Cùm autem Dominus subsannauit eos, dicẽs, quòd recurrerent ad Deos, quibus seruierãt, expulerunt eos de regione sua, & tunc Deus plenè exaudiuit eos, vt patet infrà.

Nunquid non Ægyptij. Quasi dicat, omnes istæ gentes oppresserunt vos propter Idola, & cùm clamaretis, ego vos exaudiebam: nunc autem adhuc non erubuistis redire ad colendum Deos, pro quibus ista mala sustinebatis, ideo clamate ad illos, quia nolo vos liberare: ponuntur autem hic multæ gentes ad significandum multa pericula, de quibus liberati sunt Israëlitæ, quasi dicat: si semel tantùm peccauissetis, & nunc reuertentes clamaretis, dignum esset, quòd exaudirem vos: quia tamen totiens peccastis, & adhuc redire non erubescitis, nunquàm eritis boni, sed redibitis semper ad consuetudinem vestram, sicut dicitur Ierem. 13. si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum: quasi dicat, iam non potestis benè operari ex habitu fortissimè radicato in malis propter assuetudinem longam.

D

Nunquid non Ægyptij. Ista fuit prima gens, quæ Israëlitas afflixit, cùm manserunt ibi in captiuitate multis annis, & fuit illa tribulatio propter idololatriam, scilicet, quia Israelitæ coluerunt idola in Ægypto, sic patet Ezech. 23. cùm dicitur: Insuper fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non derelinquit: nam & ibi dormierunt cum ea in adolescentia eius: & illi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam. Ob hoc autem ponitur hic de pœna Ægypti inter alias tribulationes, quæ euenerunt propter idololatriam: nam omnes istæ gentes, quę hic ponuntur insurrexerunt contra Israëlitas, quia colebant idola, scilicet, quia dabat Dominus Israëlitis in manus istarum gentium.

Et Ammorrhæi. Etiam istæ gentes oppresserunt eos.

Quando Ammorrhæi oppresserunt Israelitas pro idololatria

QVÆSTIO XIX.

E

QVÆRETVR, quando Ammorrhęi oppresserunt Israëlitas pro idololatria.

Aiquis dicet, quod Ammorrhæi non oppresserunt Israëlitas aliqua vice speciali, scilicet, quòd Ammorrhęi tunc opprimerent illos, & singulæ aliæ gentes, quæ habentur hic oppresserunt eos alijs temporibus, quod patet, quia Ammorrhæi vocantur quædam gentes terræ Chanaan: sed hic etiam ponitur, quod Philisthini erant de terra Chanaan, & de gentibus Ammorrhæorum.

Sed dicendum est, quod hic oportet poni tãquàm distincti Philisthijm, & Ammorrhæos, & Chanaan, cùm ponãtur, vt faciant numerum, & est dicendum, quòd fuerint inflictæ diuersæ tribulationes ab istis. Pro quo sciendum, quod Ammorrhæi dupliciter accipiuntur, aliquando vt est quidã populus specialis terræ Chanaan, & sic quando numerantur illi septem populi, est vnus de illis Ammorrhæus. Secũdo modo Ammorrhæus prout significat omnes septem populos Chananæorum. Sic accipitur 2. Reg. 21. c. cùm dicitur, quod Gabaonitæ erant de reliquijs Ammorrhæorũ, & tamen Gabaonitæ non erant de stirpe Ammorrhæorum accipiendo, vt est quidã populus specialis, qa Gabaonitæ erant de populo Heuæorum, vt patet Iosue 11. scilicet, præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon omnes pugnãdo cepit. Et sic oportet, quòd accipiantur Ammorrhæi, prout denominant omnes septem populos Chananæorum: hic autem accipiuntur sic, & distinguuntur contra Philisthijm, & Chanaan. Et dicendum, quod Amorrhæi oppresserunt Israëlitas pro idololatria, & istud fuit tempore Iabin regis Asor, qui oppressit Israëlitas viginti annis, & fuerunt liberati per Barac. Sdd istud non stat, quia Iabin non vocatur rex Ammorrhæorum, sed potiùs rex Chanaan, vt patet suprà quarto.

Amorrhæi quandoq; & Chananæis accipiuntur.

F

Dicendum ergo est, quòd ista fuerit aliqua tribulatio, qua gens Amorrhæorum specialiter insurrexit cõtra Israëlitas, & non habentur omnia scripta, quia sacra scriptura multa subticet. Quòd tamen hoc sit verisimile patet, quia Deus dixit, quòd Israëlitæ expellerent omnes gentes Chananæorum de terra: alioquin essent èis tanquàm claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersarentur eis in terra possessionis suæ, Num. 33. ca. Idem dixit Iosue Israëlitis, Iosue 23. & posteà Angelus Domini dixit Israëlitis viuente Iosue, quod reliquerat Dominus quasdam gentes Chananęorum, vt Israëlitę haberent hostes, & dij eorum essent illis in ruinam, suprà 2. Et etiam 3. dicitur: hæ sunt gentes, quas dereliquit Dominus, vt in illis experiretur Israel, ergo apparet, quod quandocunque Israëlitæ peccabant insurgebant istæ gentes contra eos, erant tamen aliquando istæ tribulationes paruæ; ideo scriptura nõ curauit illas designare, sicut alias magnas, quæ scriptæ sunt. Vel fortè, quia tribulationes, quæ infligebantur ab istis gentibus, erãt communes, scilicet quandocunque Israëlitę peccabant,

Doct. resp. ad qstum

A cabant, ipsa insurgebant: aliæ autem gentes extra terrā Chanaan, non ita communiter insurgebant, scilicet Madianitæ, Moabitæ, Syri, Amalechitæ, Idumæi, Ismahelitæ: ideo tribulationes ab illis inflictæ describuntur.

Dicendum quod ista tribulatio per Amorrhæos facta habetur suprà 1. cùm dicitur, quod Amorrhæus arctauit filios Dan, nec dedit eis locum, vt ad planiora descenderent: nam licèt ibi scriptura sacra non plura exprimat, tamen Iosephus 5. Antiquitatum dicit fuisse magnam tribulationem tunc inflictam ab Amorrhæis, qui coarctauerunt Israelitas in terra sua, & multos illorum expulerunt de vrbibus suis, intantum quod viri de tribu Dan, non habentes tunc locum habitandi propter Amorrhæos coacti sunt ire ad terram Sidonis, & pugnantes cœperunt vrbem Lais infrà 18. & illud fuit ante hoc, vt vult Iosephus, & declaratum est suprà 1. cap. tunc etiàm filij Iuda perdiderunt Gazam, & Ascalonem, & Acharonem, & posteà illas recuperauerunt. De hoc tangitur suprà 1. cap. *Filijq; Ammon.* Etiam isti pugnauerunt, & oppresserunt Israelitas.

Quando fuit hæc tribulatio per Ammonitas.

Qvæstio XX.

B Qværetvr, quando fuit ista tribulatio per Ammonitas.

Aliquis dicet, quod nunc: nam nunc opprimebant Israëlitas, & trāsibant interdum Iordanem, & pugnabant vastantes Iudam, Beniamin, & Ephraim, vt patet suprà in litera, & infrà.

Respondendum, quod non stat, quia Deus ponebat istas tribulationes tanquàm præteritas. Quod patet ex verbis suis. Nam dicitur: clamastis ad me, & erui vos de manu eorum, & dereliquistis me, & coluistis Deos alienos, idcirco nō addam vos vltrà, vt liberem. Et tamen de ista persecutione Madianitarum non erant liberati, quia Israëlitæ post hæc, dixerūt: Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantùm nunc libera nos: ergo non potest intelligi de hac persecutione. Sed dicendum, quod intelligitur de oppressione, quæ facta est tempore Eglon regis Moab, qui oppressit Israëlitas decem & octo annis, suprà tertio. Sed dicet aliquis non stare, quia ibi fuerit persecutio per Moabitas, & Eglon, de quo ibi dicitur, rex Moab erat.

Respondendum, quod ibi fuerunt tres gentes in persecutione illa, scil. Moabitæ, Ammonitæ, Amalechitæ, vt patet suprà tertio, fuerunt tamen principales Moabitæ: nam dicitur

C ibi, quod confortauit Dominus contra Israel Eglon regem Moab, & copulauit ei filios Ammō, & Amalech: ideo rationabiliter, & secundùm communem regulam debuerat nominari ista persecutio Moabitarum. Voluit tamen scriptura nominare eam Ammonitarum: ita enim potuisset nominare eam persecutionem Amalechitarū si voluisset, quia Amalechitæ etiam fuerunt in ea, sed nominauit illam persecutionem Ammonitarum, quia voluit: nam fas etiam ei quomodocunq; voluerit loqui: sic enim est nos interdum variamus locutiones nostras. *Et Philisthijm.* Etiam Philisthini persecuti sunt Israëlitas.

Quando fuit ista persecutio.

Qvæstio XXI.

Qværetvr, quando fuit ista persecutio. Aliquis respondebit, quod nunc, quia suprà dictū est, quod Deus tradidit Israëlitas in manus Philisthijm, & filiorū Ammon, vt patet suprà in litera. Sed dicēndum, quod hoc non stat ex eadem ratione, qua declarata fuit suprà, scilicet, quia istæ aduersitates præteritæ erant, & iam liberauerat Deus Israëlitas de illis, sed ista persecutio, de qua agitur, scilicet Ammonitarum, & Philisthinorum erat præsens, necdum liberati fuerant Israëlitæ de illa, ideo oportet intelligi de alia. Etiam non potest intelligi de persecutione Philisthinorum, de qua habetur infrà duodecimo, quia illa posteà fuit. Ideo dicitur, quod intelligitur de quadam persecutione, quæ fuit post mortem Aod secundi iudicis Israel: nam Philisthini opprimebant terram, & Samgar insurgens contra illos interfecit sexcētos vomere, vt patet suprà tertio. Credendum est aūt quòd non solùm illi fuerint occisi, sed etiā multi alij: ponuntur tamen solùm illi, quos occidit Samgar vomere, eo quòd illa fuit magna virilitas. *Sidonij quoq;* Etiam isti persecuti sunt Israelitas. Habitant autem Sidonij in terra Chanaan, scil. ad occidentalem plagam: nam Sidon ciuitas maritima est.

D

Quando pugnarunt Sidonij contra Israel.

Qvæstio XXII.

Qværetvr, quando pugnauerunt Sidonij contra Israel.

Respondendum, quod nō reperitur scriptum, quod ante hoc, quòd Sidonij pugnauerint contra Israel, sed dici potest dupliciter. Vno modo, quòd bellum Syrorum fit bellum Sidoniorum: nam prima gens, quæ legitur persecuta Israëlitas post mortem Iosue fuit Syrorum gens: nam dicitur, quod dedit Deus Israëlitas in manus Chusanrasathaim regis Syriæ, vel Mesopotamiæ. Est autē Mesopotamia, siue Syria in latere Aquilonari terræ Chanaan. Sidon autem est in latere Aquilonari, vbi est coniunctio lateris Aquilonaris, & Occidentalis: magis tamen pertinet ad latus Occidentale, & sic Syria peruenit vsque ad Sidonem, vnde Sidonij irent cum Chusanrasathaim rege Syriæ ad pugnandum contra Israëlitas, quia fortè Sidonij tunc erant subiecti eius, & nominatur bellum Sidoniorum, licèt non essent illi principales, sicut bellum factum tempore Aod pertinebat principaliùs ad Moabitas, scriptura tamen vocauit persecutionem Ammonitarum, vt suprà dictum fuit. Aliter potest dici, quòd Sidonij, qui erant de gentibus terræ Chanaan, pugnauerunt aliquando contra Israëlitas, & oppressérunt eos, scriptura tamen non enarrat illud bellum, quia non omnia enumerat: hoc autem verisimilius est, quia Deus dereliquit gentes quasdam Chananæorum in terra, vt quando peccarent Israëlitæ, illæ insurgentes punirent illos. De his autem erant Sidonij, vt patet suprà tertio, cùm dicitur: Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, & sequitur: Omnem Chananæum Sidonium, atque Heuæum. Et sic cùm aliquando peccarent, verisimile est, quòd Sidonij insurgentes oppressérint Israëlitas. *Et Amalec.* Etiam Amalechitæ pugnauerunt contra Israel.

De fin Mesopotamiæ & Sidonis.

E

Quando fuit hoc bellum Amalechitarum.

Qvæstio XXIII.

Qværetvr, quando fuit istud bellum. Aliquis potest dicere, quod fuit tempore Saulis, de quo 1. Reg. 15. Sed hoc non stat propter duo. Primò, quia ista persecutio iam præterita erat, sed tempore Saulis erat futurum. Secundò, quia ibi non pugnauit Amalec contra Israel, sed Israel contra Amalec, & deleti fuerunt Amalechitæ, allegato capitulo. Sed dicendum, quod istud bellum potest assignari multipliciter. Primò in exitu de Ægypto in Raphidim: nam ibi Amalechitæ percussérunt extremam partem castrorum, & pugnauit contra illos Iosue, & cæsus fugatusque est Amalech, vt patet Exod. 17. cap. tunc enim Israëlitæ clamauerunt ad Dominum: nam Moyses stans in monte orabat, & cùm eleuaret manus suas vincebatur Amalec, cumque deprimeret eas, vincebatur Israel, & quia posteà suppositò lapide manibus Moysi non lassabantur manus, permansit sic orans vsque ad vesperum, fugatusque est Amalec, Exod. 17. cap. fuit autem istud primum bellum, quod factum est à Gentilibus contra Israel, ideo dicitur Numeri vigesimo quarto. Principium gentium Amalec, cuius extrema perdētur, id est, Amalech fuit prima de gentibus, quæ pugnauerunt contra Israel. Item pugnauerunt secundò Amalechitæ contra Israel anno secundo ab exitu de Ægypto, cùm essent Israelitæ in Cadesbarne, & vellent Israëlitæ ascendere in terram Chanaan per montes, in quibus morabantur Chananæi, & Amalechitæ: descenderunt Chananæi, & Amalechitæ de montibus: persecutique sunt, & occiderunt plurimos de Israëlitis vsque Horma, Numer. 14. Deus tamen liberauit Israëlitas ab hac

F

Bellum Amalechitarum assignatur multipliciter.

Primū bellum illatū à Gentilibus Israelitis.

perse-

A

perſecutione,ſcilicet,ne Amalachitæ delerent eos. Sed obijcietur,quòd non intelligatur de illa perſecutione Amalechitarum,quia hic agitur de illis perſecutionibus,quas paſſi ſunt Iſraëlitæ in terra Chanaan poſt mortem Ioſue, ſed illarum quælibet fuit ante introitum in terram Chanaan.

Reſpondendum,quòd iſta ratio non militat,quia non ſolùm dicitur de perſecutionibus, quas paſſi ſunt in terra Chanaan Iſraëlitæ: ſed etiam de illis, quas tolerauerunt prius, quàm introirent in illam:ſic patet de prima perſecutione Ægyptiorum,de qua hic dicitur: ſed manifeſtum eſt, quòd illa fuit prius, quàm Iſraëlitæ venirent in terram Chanaan. Aliter poteſt dici, quòd iſta perſecutio Amalech fuit illa, quam tolerauerunt Iſraëlitæ tempore Gedeonis. Nec obſtat ſi quis dicat,quòd illa fuit perſecutio,quę à Madianitis fuit inflicta, quia non ſolùm fuerunt Madianitæ, ſed etiam Amalechitæ, & Iſmaelitæ,& multæ aliæ gentes:nam ſuprà 6.dicitur, quòd veniebant omnes populi Orientalium, & vaſtabant omnia, quæ erant in terra Iſraël: & quamquam ſecundùm regulam communem debuiſſet nominari iſta perſecutio Madianitarum,quia illi erant principales,tamen nominata eſt ab Amalechitis,qui non erant tam principales:ſic enim factum eſt ſuprà in bello Ammonitarum, quod debuiſſet vocari bellum Moabitarum.Sic etiam in bello Sidoniorum,quod debuiſſet vocari bellum Syrorum,vel Chuſanraſathaim regis Syriæ,vt ſuprà declaratum eſt.

B

Et ſciendum, quòd licèt Amalechitæ fuerint in illo bello Gedeonis minus principales,quàm Madianitæ: tamen fuerunt magis principales,quàm aliæ gentes:nam in illo tempore fuerunt omnes populi Orientales,vt patet ſuprà 6.cap. tamen ſpecialiter nominantur Madian,& Amalech,ſuprà 6. & 7. & omnes alij populi includuntur ſub clauſula generali: nam dicitur,& omnes populi Orientales,ideo conuenienter nominatur bellum iſtud Amalechitarum. Quæ autem iſtarum poſitionum tenenda ſit, in alia quæſtione infrà declarabitur. *Et Chanaan oppreſſerunt vos.* Etiam Chananæi vos oppreſſerunt.

Quando Chananæi oppreſſerunt Iſraëlitas.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR, quando fuit iſtud? Reſponderi poteſt, quòd cùm Deus reliquerit multas gentes Chananæorum in terra,vt quando Iſraëlitæ peccarent inſurgerent gentes illæ contra ipſos,cùm ſæpè peccarent, ſæpè contra eos inſurgebant, & opprimebant eos quouſque conuertebantur ad Dominum: nam tunc exaudiens Dominus liberabat eos, & iſtæ perſecutiones non deſcribuntur, quia communes erant,& accidebant ſæpiùs.

C

Notandum de Amalechitis.

Sed dicendum, quòd hoc non ſtat rationabiliter: nã cùm habentur remedia ordinaria, nunquam recurrendum eſt ad extraordinaria:dicere tamen eſſe hanc perſecutionem generalem non ſcriptam eſt generale remedium, & ſi poteſt dari, quòd ſit ſpecialis perſecutio, & ſcripta non debet recurri ad generale.Poteſt autem dici,quòd iſtud fuit bellum,quod fecerunt Chananęi contra Iſraëlitas in deſerto antequam introirent in terram Chanaan, quando venerunt apud montẽ Hor mortuo Aaron in anno quadrageſimo ab exitu de Ægypto.Nam dicitur, quòd Chananæus rex Arad audiens veniſſe Iſraëlitas per exploratorum viam pugnauit contra illos, & victor exiſtens cepit prædam, Num. 21. cap. poſtea autem Iſraëlitæ liberati ſunt, quia voto ſe obligauerunt Domino, dicentes: ſi tradideris populum iſtum in manus meas, delebo vrbes eius. Dominus autem exaudiuit Iſraël, tradiditque Chananæum in manus eius, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius,vt patet in allegato capitulo.Iterum etiam Chananæi pugnauerunt contra Iſraëlitas, ſcilicet anno ſecundo ab exitu de Ægypto in Cadeſbarne, quando Amalechites, & Chananæus deſcenderunt de montibus, percuſſeruntque Iſraëlitas vſque Horma,Num.14.cap.& de manibus horum liberauit Deus Iſraël. Aliter poteſt dici, quòd accipiatur tribulatio inflicta per populum Chananæorum, ſcilicet per Iabin, qui erat rex Chanaan. Sic patet ſuprà 4.vbi Iabin Rex Aſor, qui vocatur ſemper rex Chanaan, oppreſſit Iſraëlitas viginti annos,& poſtea liberati ſunt per Barac,qui occidit Siſaræ exercitum. Quæ autem iſtarum poſitionum ſit conuenientior,infrà dicetur. D

An pugna Amalec ſit illa,quæ facta eſt in deſerto,vel illa,quæ eſt facta tempore Gedeonis per Madianitas.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR circa id,quod ſuprà dicebatur,ſcilicet,an pugna Amalech,de qua ſuprà dicitur,ſit illa, quæ facta eſt in deſerto,vel illa, quæ facta eſt in tempore Gedeonis per Madianitas,ſicut ſuprà in quæſtione tactum eſt?

Reſpondendum, quòd fuit pugna facta, & oppreſſio per Madianitas,& non tangitur hic de oppreſſione, vel bello deſerti.Quod patet primò,quia omnes iſtæ oppreſſiones, quæ inducuntur, fuerunt factæ pro cultu idolorum, vt patet ex proceſſu literæ: nam Deus intendit talem rationem contra Iſraëlitas, ſcilicet, vos ſæpè coluiſtis idola, & cecidiſtis in manus Gentium,& ego liberaui vos,& noluiſtis recedere de via veſtra mala,ideo iam non liberabo vos: ſed quando Amalechitæ pugnauerunt contra Iſraëlitas in Raphidim,non colebant idola, nec coluerant illa poſt exitum de Ægypto, ſed propter murmurationes factum fuit hoc: ideo non poteſt intelligi de illo bello. Item non poteſt intelligi de ſecundo bello Amalechitarum in Cadeſbarne ex eadem ratione, quia in deſerto non coluerunt Iſraëlitæ idola, niſi ſemel quando coluerunt vitulum,Exod. 32. ſed pro illo iam puniti fuerant, & Domino reconciliati. Secundò patet, quia hic dicitur, oppreſſerunt vos, quod refertur ad omnes gentes iſtas: opprimere autem eſt, cùm quis violenter obtinet terram aliquam,& cogit incolas ad obediendum ſibi, ſed Amalechitæ non oppreſſerunt Iſraëlitas, quia non prævaluerunt in bello ad hoc,quòd tenerent Iſraëlitas ſubiectos ſibi aliquãto tempore,ſed eadem die,qua bellum inchoatum eſt finitum fuit, & prævaluit Iſraël contra Amalech. Etiam in ſecundo bello in Cadeſbarne non oppreſſerunt Amalechitæ Iſraëlitas ſubijciendo eos ſibi, ſed ſolùm deſcenderunt de montibus perſequendo illos, & occiderunt de illis aliquos vſque Horma, ibi autem fugientibus Iſraëlitis ceſſauerunt Amalechitę percutere eos. Tertiò patet,quia dicitur,clamauiſtis ad me, & erui vos de manu eorum:in quo patet,quòd Iſraëlitæ poſtquã tenebantur in poteſtate Amalechitarum clamauerunt, & tunc exaudiuit eos Deus, & tamen in nullo illorum bellorum Amalechitarum contra Iſraël tenuerunt Amalechitæ Iſraëlitas in manu ſua ad hoc, quòd Deus erueret eos de manu illorum. Quartò patet, quia Deus intendit enarrare omnes liberationes mirabiles, quas fecerat hucuſq; in Iſraëlitas de manu Gentium,quæ conſcriptæ ſunt in hoc libro, quia iſtæ ſunt excellentiores,quàm aliquæ aliæ paruæ,quę ſubticẽtur:& tamen intelligendo, vt nunc exponitur, ponerentur hic omnes liberationes deſcriptæ in hoc libro: accipiendo autem aliter,non deſcriberentur; ideo debet hic accipi pugna Amalechitarum pro pugna tempore Gedeonis. Patet antecedens: nam prima oppreſſio facta poſt mortem Ioſue in Iſraëlitis fuit per Chuſanraſathaim regem Syriæ, & iſta fuit, quæ vocatur per Sidonios, vt ſuprà declaratum eſt: ſecunda fuit per Eglon regem Moab, & iſta fuit ſignata per filios Ammon, vt declaratum fuit: tertia fuit per Philiſthinos, & iſta poſita eſt in litera, ſcilicet Philiſthijm. Iſtæ tres perſecutiones ponuntur ſuprà tertio. Quarta fuit per Iabin regem Chananæan,& iſta ſignificatur, cùm dicitur hic, & Chanaan: de hac ſuprà quarto. Quinta perſecutio fuit tempore Gedeonis per tales, & ſignificatur hic per Amelech: & ſic omnes perſecutiones notabiles huius libri, quæ præceſſerunt, deſcribuntur hic hoc modo. Aliter autem exponendo, non ponerentur omnes, ſed ſubticebitur perſecutio tempore Gedeonis, ſed non eſt veriſimile, quia illa fuit de maximis. Etiam, quia liberatio fuit miraculoſior, quàm in omnibus alijs,ſuprà 7.cap. ponendo autem iſtum ſenſum,non ſequitur aliquod inconueniens de ſuprà poſitis. Primum patet,quia Iſraëlitæ traditi ſunt in hac perſecutione propter idololatriam,vt patet ſuprà ſexto, ſcilicet: Filij Iſraël fecerunt malum in conſpectu Domini,qui tradidit eos in manu Madian. Secundum,& tertium patet; ſcilicet,quia nunc Iſraëlitæ fuerũt in poteſtate Madianitarum, & Amalechitarum, & poſtea E F

Perſecutiones Iſraelitarum poſt Ioſue.

liberati sunt de manu eorũ: nam septem annis oppressi sunt ab eis, suprà 6. ideo tenendum est, quòd istud bellum fuerit tempore Gedeonis.

Quæ sit conuenientior positio, scilicet an intelligatur bellum Chanaan de bello facto in deserto, vel in bello regis Iabin.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR vlteriùs, quæ sit conuenientior positio circa id quod suprà dicebatur, scilicet, an intelligatur bellum Chanaan quod hic ponitur de bello facto in deserto, vel de bello & oppressione regis Iabin, vt suprà tactum fuit in quæstione.

Respondendum, quòd debet intelligi de oppressione facta per regem Iabin, vt patet ex quatuor rationibus assignatis in præcedenti quæstione. Prima patet, quia quando Chananæi pugnauerunt in deserto contra Israëlitas, non coluerant Israëlitæ idola, siue accipiatur bellum quod factum est in Cadesbarne, Num. 14. siue bellum factum quando Chananæi ceperunt prædam de Israël, Num. 21. Nam in deserto non coluerunt Israëlitæ idola, vt dictum est. Secunda ratio est, quia in illis duobus bellis non fuerunt Israëlitæ subiecti in potestate Chananæorum, ita vt dicantur oppressi. De prima vice, quæ fuit in Cadesbarne, patet, quia Amalechitę & Chananæi B descenderunt de montibus, & percusserunt Israëlitas vsque Horma, Num. 14. ibi autem cessauerunt: vnde nec ibi leguntur cepisse prædam, nec dominati fuisse aliquorum Israëlitarum, sed fugerunt omnes Israëlitæ præter aliquos, qui corruerunt gladio. De secundo bello patet, quia ibi Chananæi victores existentes ceperunt prædam de Israëlitis, Num. 21. sed illa victoria non fuit per hoc, quòd Israëlitæ subderentur potestati Chananæorum, sed quia fugerunt, & in fuga capta est præda. Quod patet, quia Israël obligauit se voto Domino, & repetito bello præualuit contra Chananæos, subuertitque vrbes eorum. Tertia ratio eadem quasi est, ideo non replicetur. Quarta ratio patet, quia si accipiatur hic pugna Chanaan pro aliqua duarum prædictarum, subticebitur hic vna de oppressionibus maximis, à quibus Deus liberauit Israëlitas, & quæ descriptę sunt in hoc libro. Sed non est hoc verosimile, cùm describãtur cæteræ omnes, quòd subticeatur ista: potissimè, quia ista fuit de maximis, vt patet suprà 4. nam dicitur, quòd rex Iabin vehementer oppresserat Israëlitas, quia nongentos currus falcatos habebat. Exponendo autem isto modo, non sequitur aliquod inconueniens. De primo patet, quia ista persecutio secuta fuit propter idololatriam, vt patet suprà 4. Secundum etiam patet, & tertium, quia nunc manserunt Israëlitæ in potestate regis Iabin viginti annis, & clamantes postea ad Dominum liberati sunt de manu eius. *Oppresserunt vos.* Scilicet, quælibet gentium supradictarum oppressit Israëlitas tenendo eos in seruitute multis annis, & in- C fligendo multa incommoda. *Et clamauistis ad me.* Scilicet postquam Israëlitæ videbant se non posse aliter liberari, recurrebant ad Deum suum clamantes. *Et erui vos de manu eorum.* Quia in omnibus his licèt Israëlitæ iterarent peccata, tamen cùm conuertebantur ad Deum toto corde, exaudiebat eos. *Et tamen reliquistis me.* Id est, licèt facerem vobis ista beneficia, non aduertistis ad illa, sed reliquistis me, scilicet, non custodientes mandata mea. *Et coluistis deos alienos.* Scilicet, offerendo eis sacrificia, & exhibẽdo reuerentiã, & non faciendo mihi aliquem cultum: in quo apparet magna ingratitudo, potissimè, quia erat ingratitudo iterata: nam si semel tantùm, vel rarò fuisset, non erat grauissimum quid. *Idcircò non addam, vt vltrà vos liberem.* Id est, quia totiens peccastis iam nunquam liberabo vos de manu hostium: & est sensus, si vos essetis corrigibiles, bonum quidem esset, quòd liberarem vos, vt seruiretis mihi: tamen estis incorrigibiles, quia etiam si nunc liberem vos illicò redibitis ad colendum idola, & hoc inutile est: istud autem proueniebat ex magna assuetudine colendi idola, ideo cùm aliquando quasi ex quadam necessitate, & violentia colerent Deum, illicò ad colendum idola redibant.

* * *

Quomodo stat in veritate dictum Dei, scilicet, quòd non liberaret eos amplius. D

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, quomodo stat in veritate dictum Dei, scilicet, quòd non liberaret eos ampliùs: nam mox liberauit eos, vt patet sequenti cap.

Responderi potest dupliciter. Vno modo, quòd intelligatur: non addam, vt vltrà vos liberem, scilicet, si manseritis in statu, in quo nunc statis: nam Israëlitæ licèt ad Deum clamarent, dicentes: peccauimus, nondum plenè pœnitebant, quia non abijciebant à se idola. Nam postquam Deus fecit istam increpationem, dixerunt: peccauimus, redde tu nobis, quod placet: & hæc dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & tunc fuerunt sufficienter dispositi ad hoc quòd Deus liberaret eos, ideo illo facto liberauit illos. Aliter potest dici, quòd Deus dixit istud per modum comminationis, scilicet, quòd Deus intendebat Israëlitas liberare, & tamen comminando eis dixit, quòd non liberaret eos vltrà, nec fuit frustrà ista comminatio: nam tunc Israëlitę doluerunt magis, quàm prius. Etiam expulerunt idola à se, q̃ aliter facturi non erant: sic etiam fit in Prophetis: nã aliqua dicuntur per comminationem, & aliqua per firmam Dei sententiam, vt sæpè declaratum est, & fit comminatio propter mutationem status, scilicet quãdo Deus scit aliquos in malo statu existentes ad bonum mutandos, loquitur per comminationem, & mutantur: sic fuit in Niniuitis, vt patet Ionæ 4. c. scilicet: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: & postea non factum est, quia pœnitentiam egerunt. *Ite & inuocate deos, quos elegistis.* Scilicet deos gentium, quos elegerant Israëlitæ ad colendum. E

Quomodo Deus dixit, quòd inuocarent deos quos elegerant.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR, quomodo Deus dixit, quòd inuocarent deos, quos elegerant, cùm istud esset peccatum?

Respondendum, quòd Deus non dixit Israëlitis istud iubendo eis ire ad deos, sed dixit increpando, & subsannando: nam ipse sciebat, quòd non erant dij, nec habentes potestatem vllam. Etiam sciebat, quòd Israëlitæ iam hoc nouerant: nam ipsi prius expectabant an dij illi possent liberare eos in angustia, & cùm non possent, recurrebant ad Deum Israël, & tunc ad inferendum eis verecundiam, & confusionem, dixit: ite ad deos, quos elegeratis, & ipsi vos liberent. Quasi dicat: apparet, quòd stulti fuistis, qui tales deos elegistis, qui vos liberare non possunt. Similiter habetur Deut. 32. Et dicent, vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? De quo- F rum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. *Et ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Quasi dicat, cũ seruieritis eis tempore lætitiæ, liberẽt vos tempore angustiæ, quia non sunt boni dij, qui non proficiunt ad tempus. *Dixeruntq; filij Israël ad Dominum.* Quamquam viderent, quòd Deus subsannaret eos, quia tamen in eo solo spes illorum erat, non desinebant opem humiliter petere. *Peccauimus.* Rectum ordinem tenuerunt nunc Israëlitæ: nam cùm conarentur placare Dominum nihil est, quo magis eum placare possent, quàm confitendo peccatum suum, ideo cùm Deus vellet liberare eos, ponebat in mentibus eorũ, vt semper continuarent in confessione peccati: & sic placaretur Deus. *Redde tu nobis quidquid placet.* In hoc apparet humiliatio cordis Israëlitarum, quia non precabantur simpliciter, quòd Deus remitteret eis pœnas debitas pro peccatis, sed cùm essent valdè Rei solùm orabant permutationem pœnæ, scilicet, quòd non punirentur per hostes, sed Deus daret eis pœnam quamcunque vellet, scilicet pestem, vel famem, vel aliquid aliud. Sic enim Dauid cùm peccauisset numerato populo: & daretur ei optio in fame, peste, & hostibus ait: Melius esse incidere in manus Dei, quàm in manus hominum, id est, melius esse, quòd puniretur populus peste, vel fame, quod est incidere in manus Dei, quàm per hostes, quod est incidere in manus ho-

minum,

minum,2.Regum 24.& 1.Paralip.21. c. *Tantùm nunc libera nos.* In hoc etiam patet magis humiliatio cordis contribulati: nã non dixerunt:Libera nos,sed: Tantùm nunc libera nos: q.d. si iterum peccauerimus,nunquam nos liberes.

An peccauerint Israëlitæ dicendo, quòd nunc solùm Deus eos liberaret.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR, an Israëlitæ peccauerint dicendo, quòd nunc solùm liberaret eos Deus?

Respondendum,quòd si quis velit semel cadens in peccatum liberari,& in alijs vicibus non vult liberari, peccat mortaliter,& est peccatum grauissimum,scilicet, desperatio. Sed istud intelligitur quantum ad culpam peccati, de qua liberatur homo per gratiam Dei mouentem, & postea gratificantem.Si autem intelligatur de pœna,quam homo incurrit pro peccato, & petit semel liberari ab illa, & in alijs vicibus non vult liberari: Dicendum, quòd aut hoc vult, quòd desperat in alijs vicibus se posse liberari, aut Deum nolle liberare, quamquam possit, vel quia ipse non desiderat liberari: sed sponte vult tolerare pro peccato pœnam debitam. Si primo modo, est desperatio, & est crimen hæresis, vel infidelitatis, scilicet, quia credit Domini manum abbreuiatam, vt solùm
B liberare possit semel.Vel credit bonitatem limitatã, ita quòd nolit misereri, quamquam possit eruere: & sic est grauissimum peccatum. Si secundo modo, non est peccatum, sed potius est in quibusdam perfectio,si est talis pœna,per quam homo disponatur ad merendum, vt in pœnis grauibus, & continuis,quæ non tollunt omnem actum intellectus. Si autem sint tales pœnalitates, quæ ex conditione sua, vel personæ non disponunt hominem ad merendum: potius debet aliquam petere à Deo liberationem,vt alio modo vtiliori possit satisfacere pro peccatis. De Israëlitis autem dicendum, quòd ipsi nunc nõ petebant liberationem à culpa, sed à pœnalitate,& non petebant se liberari tantùm nunc, & quòd in alijs vicibus nunquam liberarentur, sed dicebant hoc, quia nunc erant in corde contrito, & proponebant nunquam peccare, ideo quòd amplius non egerent liberatione à pœna pro simili opere. *Quæ dicentes.* Id est postquam hoc dixerunt.Istud nõ habetur in Hebræo,sed ponitur in litera, quia est quoddam continuatiuum sententiæ.

Omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, id est, proiecerunt omnes statuas,vel imagines deorum: nam idola pro nullo accipitur hic,nisi pro ipsa figura,vel statua. Et potest accipi iste genitiuus,alienorum deorum dupliciter. Vno modo intransitiuè, scilicet omnia idola alienorum deorum, id est omnia idola,quę sunt dij alieni,& tunc est sensus,quòd
C statuæ erant ipsi dij Gentilium,& ipsos deos solùm colebant Iudæi,nec intelligebant per illas statuas,aut figuras aliquid aliud. Secundo modo potest intelligi transitiuè, scilicet, quòd erant idola alienorum deorum,id est,quòd statuæ,vel imagines, quæ vocantur idola, solùm ponebantur, vt signa deorum alienorum,& tamen non sunt ipsa dij; sed dij sunt quædam substantiæ corporeæ,vel incorporeæ, quæ non cernuntur: & pro illis idola, id est, imagines repræsentatiuas Gentiles faciebant,quæ essent eis præsentia: & ista expulerunt Iudæi de finibus suis: non quidem exponendo illa ad terram Gentilium,sed confringendo,& faciendo, quòd in tota terra Israël non maneret aliquod idolum in honore,sicut prius. *Et seruierunt Domino.* Id est,inceperunt iam colere solùm Deũ verum imponendo ei sacrificia, & cæremonias reliquas. *Qui doluit super miserijs eorum.* Id est doluit Deus, quòd Iudæi tam miserabiles facti essent, scilicet, quia nimis vastati, & afflicti erant.

Idola alienorũ deorum dupliciter accipitur

Sciendum,vt ait Rabbi Dauid Kimhi,in litera Chaldaica in qua conatus est inquantum potuit auferre à Deo locutiones, quæ significant corporeitatem, vel passiones humanas, non videns quomodo reduceret istã locutionem ad sensum non causantem corporeitatem,omisit istam propositionem, quod ipse raro facit in omnibus suis scriptis: poterat tamen dicere,qui disposuit eruere eos de miserijs suis:nam nihil aliud est misereri,vel dolere miserijs alicuius, nisi habere animũ promptum ad eruendum,si daretur facultas,& quia ante hoc Deus nolebat eripere Israëlitas, cùm non deseruissent idola, & nunc desertis illis voluit, dicitur, quòd doluit super miserijs eorum. D

Itaq; filij Ammon. Hic ponitur præambulum ad ea,quæ habentur sequenti capitulo de assumptione Iephte in iudicem: nam Ammonitę congregati sunt in bellum contra Israëlitas, vt vastarent,& tollerent terram Galaad de manu ipsorum,& tunc Israëlitæ non habentes principem elegerunt Iephte, vt patet sequenti capitulo:ideo hic poterat incipi capit. conuenienter. *Conclamantes.* Id est conuocantes se ad bellum: putabant enim Ammonitæ, quòd Israëlitis nullum subsidium esset, ideo quòd possent tollere nunc terram de manibus eorum,& ob hoc conuocati sunt omnes Ammonitę,vt facilius possent Israëlitas excludere de terra, & vt desperantes Israëlitæ se posse defendere, citò se traderent manibus Ammonitarum. *In Galaad fixére tentoria.* In terra ista fixerunt tentoria Ammonitæ propter duo:Primum, quia terra Galaad est magis coniuncta terræ Ammonitarum, quàm aliæ partes terræ Israël:nam exeuntibus de Ammonitarum terra in terram Israël,illicò occurrit terra Galaad,& fixerunt castra in propinquioribus partibus terræ hostilis. Secunda est, quia Ammonitæ faciebant istud bellum ad recuperandum terram Galaad, quæ olim fuerat pars terræ Ammonitarum: & petebant eam nunc ab Israëlitis,sequenti capitulo:& ob hoc castrametabantur in illa,vt ibi vincentes terram illam inciperent possidere. *Contra quos congregati filij Israël.* Non intelligitur hoc de
E omnibus Israëlitis, sed de Galaaditis, & præcipuè de omnibus duabus tribubus,& dimidia, habitantibus ad Orientem Iordanis,quia contra istos specialiter vrgebat bellum. Quod patet, quia Ephraitæ suscitauerunt bellum contra Iephte,eo quòd non vocauerat eos ad bellum contra Ammonitas, infrà 12.cap. *In Maspha castrametati sunt.* Est Maspha in terra Galaad. Quod patet,quia sequenti capitulo dicitur, quòd Iephte habebat domum suam in Maspha in terra Galaad. Est autem Maspha locus, in quo Samuel iudicabat populum, & in quo erat ipse cum Israëlitis, quando Philisthini venerunt ad pugnandum contra Israël,& Dominus intonuit de cœlo fragore magno,& fugati sunt Philisthini à facie Israëlitarum, 1. Regum 7. cap. *Dixeruntq; principes Galaad singuli ad proximos suos.* Id est principes Galaaditarum loquebantur inter se ista, quæ sequuntur ad accipiendum principem: nam nondum habebant aliquem ducem totius multitudinis, vt esset dux belli. Ex hoc patet,quòd non conuenerat nunc totus Israël ad bellum contra Ammonitas, sed solùm Galaaditæ, scilicet, duæ tribus & dimidia,quæ habitabant in terra Galaad, & circa illam: nam alioquin non loquerentur soli principes Galaad de constituendo duce, sed loquerentur omnes principes Israël.Etiam,quia immediatè dicitur, erit dux populi Galaad:si tamen hic esset totus populus Israël,& concordaretur de duce belli, non solùm diceretur, quòd esset dux populi Galaad,sed etiam populi Israël totius.Item patet,quia Iephte respondet infrà 12. Ephraitis, quomodo ipse cum populo suo,scilicet Galaaditarum pugnauerunt contra Ammonitas nolentibus venire Ephraitis. *Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare.* Scilicet,qui cęperit pugnare, & obtinuerit contra illos. Vel dederit alijs audaciam pugnandi. *Erit dux populi Galaad.* Id est faciemus eum ducem totius terrę Galaad. Erant hic enim multi principes terrę Galaad:sed nullus eorũ erat super omnes ad hoc,quòd esset dux; ideo volebat ducẽ.

Israelitæ duplici de causa fixerũt tẽtoria in Galaad.

Maspha quæ sit.

F

Quare principes Galaad non tenuerunt hoc quod dixerunt, scilicet, quòd qui primus de eis pugnaret, &c.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quare principes Galaad non tenuerunt hoc, quod dixerunt, scilicet, quòd qui primus de eis pugnaret contra Ammonitas esset dux terræ Galaad, sed acceperunt in ducem Iephte.

Respondendum, quòd hoc fuit propter tria: Primum, quia non erat istud rectum consilium:nam Israëlitæ cogebãtur pugnare contra Ammonitas: bellum autem non potest fieri sine duce,quia vbi non est rector,corruet populus:si autem facerent quod disposuerant, cùm nullum adhuc instituissent ducem belli oportebat, quòd quilibet pugnaret, &

A quando vellet,& quòd nullus pugnaret,& hoc erat inconueniens. Secundum erat, quòd cùm proponeretur iſtud præmium fortè multi deſiderio præmij præoccuparent pugnare, quia quilibet deſideraret iſtud præmium: & ob hoc inordinatè pugnarent & omnia perirẽt. Tertium eſt, quia nullus iſtorum principum Galaaditarum erat vir fortiſſimus corde, nec in bellis inſtructus ad hoc, quòd efficeretur dux: ideo concordauerũt poſtea, quòd nullus eorum pugnaret, vt dux: ſed quòd mitterent ad vocandum Iephte Galaaditem qui erat vir fortiſſimus & expertus in bellis, eumque ducem conſtituerent. Quod factum eſt: nam maiores natu Galaad iuerunt ad vocandum Iephte offerendo ei principatum, vt in ſequenti capitulo.

Caput XI.

Fuit itaq; illo in tempore Iephte Galaadites vir fortiſſimus, atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad. Habuit autem Galaad vxorem, de qua ſuſcepit filios: & poſtquam creuerant eiecerunt Iephte dicentes: Hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris: quia de altera matre natus es. Quos ille fugiens atque deuitans, habitauit in terra Tob: Congregatiq; ſunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quaſi principem ſequebantur. In illis diebus pugnabant filij Ammon cõtrà Iſraël. Quibus acriter inſtãtibus perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxilium ſui Iephte de terra Tob: Dixeruntq; ad eum: Veni & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. Quibus ille reſpondit: Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi? Dixeruntq; principes Galaad ad Iephte Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus: vt proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſisq; dux omnium, qui habitant in Galaad. Iephte quoque dixit eis: Si verè veniſtis ad me, vt pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritq; eos Dominus in manus meas, ego ero veſter princeps? Qui reſponderunt ei: Dominus, qui hæc audit ipſe mediator ac teſtis eſt, quòd noſtra promiſſa faciemus. Abijt itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitq; eum omnis populus principem ſui. Locutusq; eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſpha.

B Diſt. 56 c. naſci. Theſeo Athenienſiũ rex claret. Geneſ. 26.

Sybilla Helleſpõtica claret.

Fuit eo tempore. In præcedentibus poſitum eſt vrgentis afflictionis pondus, hic ſubdiuiditur liberationis modus. Et diuiditur in tres partes. Primò ponitur conditio principis liberantis: ſecundò humiliatio ducis pro pace ſupplicantis, ibi. *Et miſit nuncios.* Tertiò expugnatio aduerſarij. Prima in duas: primò ponitur Iephte de terra ſua eiectio: ſecũdò eius reductio, & in principem conſtitutio, ibi. *In diebus illis.*

C

An hic ſit aliqua ordinis mutatio, & an illicò poſt præcedentia hoc factum ſit.

Qvæstio I.

Qværetvr circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint ordine continuato poſt præcedentia: & an ſit ordo mutatus, & an fuerint facta immediatè poſt præcedentia, vel aliquanto tempore poſt.

Reſpondendum ad primum, quòd hic eſt ordo continuatus, quia ſuprà ponebatur aduerſitas Iudæorum, hic ponitur liberatio eorum. Etiam ponebatur tempus ſine iudice, quo Iſraëlitæ propter defectum iudicis erant in anguſtia, hic ponitur tempus, quo iudicem habuerunt Iſraëlitæ, ſcilicet Iephte, qui eos de prædicta aduerſitate eripuit.

Ad ſecundum dicendum, quòd iſta fuerunt facta immediatè poſt præcedentia: nã præcedenti capitulo dicitur quomodo Ammonitæ caſtra fixerant in Galaad, Iſraëlitæ quoq; fixerant caſtra in Maſphat ad reſiſtendum Ammonitis pugnantibus: non habebant autem tunc Iſraëlitæ ducem, ideo principes tempore Galaad inter ſe conueniebant, quòd qui primus eorum pugnaret contra filios Ammon, efficeretur dux Galaad, ſed poſtea iudicantes non eſſe hoc competens conſilium, noluerunt habere ducem antequam inchoarent pugnam, & tunc caſtris fixis in Maſphat deliberato conſilio inter Iſraëlitas miſerunt maiores natu de ſeipſis orantes Iephte, qui morabatur in terra Tob, vt veniret ad principandum, & vt eſſet dux eorum, & factum eſt in hoc capitulo: & ſic non videtur aliqua temporis interpoſitio inter hęc & præcedentia, ſed continuata hiſtoria eſt.

D

Fuit in illo tempore Iephte Galaadites. Hic ponitur conditio ducis liberãtis, qui fuit Iephte Galaadites, & iſti Iſraëlitæ, qui nunc periclitabantur, erant Galaaditæ: ideo cõuenit ei, quòd eſſet dux eorum pluſquam alteri extraneo. Conditio Iephte ducis.

Quare vocatur Iephte Galaadites.

Qvæstio II.

Qværetvr, quare vocatur Iephte Galaadites.

Reſpondet Nicolaus, quòd Galaad accipitur pro viro, & pro terra, & pro ciuitate, & quocunque modo competit ei, quòd eſſet Galaadites. Nam erat de terra Galaad oriundus: erat etiam filius cuiuſdam viri nomine Galaad: erat etiã de vrbe nomine Galaad. De primo patet, quia quædam terra vocatur Galaad, ſcilicet tota terra, quę coniuncta eſt monti Galaad, & eſt iſta terra ad Orientalem partem Iordanis, & diuiſa eſt in duas tribus, ſcilicet medietas prouenit tribui Gad, & medietas dimidiæ tribu Manaſſe, vt patet Deut. 3. ſic accipitur præcedenti capitulo, ſcilicet dixerunt principes Galaad, qui primus contra filios Ammon cęperit dimicare, erit dux populi Galaad. Secundum patet, quòd pater huius Iephte vocabatur Galaad, quia dicitur immediatè: habuit autem Galaad vxorem, de qua ſuſcepit filios, qui poſtquam creuerunt, eiecerunt Iephte. Tertium quod aſſerit Nicolaus, ſcilicet quòd Galaad ſit nomen ciuitatis non approbo: ipſe tamẽ probat illud, quia ſequenti capitulo dicitur, quòd Iephte Galaadites ſepultus eſt in ciuitate ſua Galaad, ſed ex hoc non probatur, quia Nicolaus accipit ibi Galaad intranſitiuè, ſcil. quòd ſit ablatiuus, & tunc eſſet nomen ciuitatis, ſed debet accipi tranſitiuè, vt ſit genitiuus, ſcil. ſepultus eſt in ciuitate ſua Galaad, id eſt in ciuitate ſua, quæ erat in terra Galaad: & iſta ciuitas ſua videtur eſſe Maſpha, quia infrà in litera dicitur, quòd habitabat in Maſpha, & Maſpha eſt in terra Galaad, ſed mos Hebræorum erat ſepeliri in locis, in quibus habitabant, quæ erant loca ſuæ originis, ideo ſepeliretur in Maſpha, quæ vocatur ciuitas Galaad, quia erat in terra Galaad. Item patet hoc magis, qa vbi nos dicimus, ſepultus eſt in ciuitate ſua Galaad. In Hebræo habetur: ſepultus eſt in ciuitatibus ſuis Galaad: & exponũt Hebręi, id eſt in vna de ciuitatibus Galaad: & ducunt ſimile 1. Regum 18. vbi dicitur in litera Hebraica: in duabus gener meus eris: & exponunt ipſi, id eſt vna duarum, ideo non videtur conuenire, quòd Galaad ſit ibi nomen vrbis, ſed terræ: ideo manent duo, ex quibus poterat Iephte vocari Galaadites, ſcilicet ex terra Galaad, vel ex patre ſuo nomine Galaad. Sed tunc dicetur ex quo illorum vocatur hic Galaadites. Reſpondendum, quòd vocatur Galaadites à patre, quia patet ex ordine literæ: nam dicitur, fuit Iephte Galaadites vir fortiſſimus, & ſequitur: habuit autem Galaad vxorem: ex quo apparet, quòd ſit litera ſuſpenſiua: & ſit iſtud redditiuum rationis dicti ſuperioris, ſcilicet, quòd ſit Galaadites.

E

F

An Iephte fuerit iudex totius Iſraël, vel ſolùm terræ Galaad.

Qvæstio III.

Qværetvr, an Iephte fuerit iudex totius Iſraël, vel ſolùm terræ Galaad. Aliquis dicet, quod fuerit ſolùm terræ Galaad. Primum patet ex inſtitutione, quia origo fuit, quia non habebant Galaaditæ ducem ad bellum, & acceperunt Iephte: ſed ipſi dicebant præcedenti capitulo, qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad: ſed Iephte fuit inſtitutus in

A defectum istorum principum, scilicet, quia non executi sunt nunc consilium quod pręposuerant, sed concordauerunt accipere Iephte, ergo solùm fuit assumptus in ducem Galaad, sicut sumendus erat ille, qui de Galaaditis primus pugnasset, si illud consilium mansisset. Item patet ex potestate instituẽtium, quia ad hoc, quòd Iephte efficeretur iudex, vel dux totius Israël, necesse erat eum ordinari, vel præfici à toto Israël, vel à procuratoribus totius Israël: sed solùm institutus est princeps à principibus terrę Galaad: nam infrà dicitur, quòd maiores natu terræ Galaad venerunt ad Iephte, quasi nomine omnium Galaaditarum, & susceperũt eum in principem: ergo non poterat ex hoc effici princeps totius Israël. Item patet ex pacto, quòd Iephte iniuit pactum cum maioribus natu Galaad, qui venerant ad vocandum eum, quòd facerent eum principem sui, si pugnaret contra filios Ammon, ergo non efficiebatur princeps totius Israël. Item patet hoc, quia infrà in litera dicitur: Abijt itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui, ergo solùm populus Galaad eum præfecit, & non erat super Israël. Item Iephte fuit factus dux ad pugnandum solùm pro Galaaditis, ergo solùm fuit factus princeps eorum. Nam Ammonitæ solùm censebantur nunc hostes Galaaditarum, & ipsi solùm exierant ad pugnandum contra illos.

In contrarium videtur, quòd fuerit iudex totius Israël, quia iste liber est de iudicibus, qui erant duces totius populi: & non agitur hic de principibus specialibus aliquarum tribuum, & hoc verum est. Nam putandum est, quòd omnes, qui fuerunt iudices, fuerunt duces vniuersales populi, sicut Moyses & Iosue præfuerunt toti populo, nec differunt iudices à Moyse, & Iosue, nisi in magnitudine iurisdictionis, sed non in extensione. De hoc declaratum est in Prologo huius libri. Item patet, quia si Iephte non fuisset dux totius Israël, non computaretur per eum ætas populi Israël, sed computatur per eum tempus, vt patet sequenti cap. sicut per omnes alios iudices, ergo fuit iudex totius populi. Item patet efficacius, quia sequenti capitulo dicitur: Iudicauitque Iephte Galaadites Israël sex annis, si tamen non fuisset Iudex totius Israël, non dixisset iudicauit Israël, sed iudicauit populum Galaad. Item patet, quia Samuel 1. Regum 12. increpat Israëlitas ex parte Dei, & enarrat iudices, quos Deus misit ad liberandum totum Israël, & ponitur ibi Iephte, cùm dicitur ibi; & misit Dominus Ierobaal, & Badam, & Barac, & Iephte: sed manifestum est, quòd non loquebatur ibi Deus per Samuelem contra Galaaditas specialiter, sed contra totum Israël, quem cõuocauerat Samuel, quod patet ibidem: ergo erat datus à Deo Iephte in iudicem totius Israël. Item aliqualiter colligitur ad Hebr. 11. vbi Apostolus loquitur de constantia iudicum exponentium se ad mortem per fidem pro populo Dei, & ponit ibi Iephte inter cæteros, & sic videtur, quòd ipse fuerit de iudicibus populi Israël.

C *Ad rõnem primã in diuersum.* Ad rationem primam in contrarium dicendum, quòd à principio institutus est in iudicem à principibus terræ Galaad in defectum ipsorum, quia nullus reperiebatur conueniens dux: & ipsi non præficiebant eum nisi terræ Galaad: tamen postea cùm Iephte prosperè egisset contra Ammonitas totus Israël suscepit eum in ducem.

Ad 2. rõnem. Ad secundam dicendum, quòd illi, qui instituerunt Iephte in principem, solùm habebant potestatem ad instituendum super terram Galaad, & super eam solam eum instituerunt: postea tamen consensu populi toti Israëli præpositus fuit.

Ad 3. rõnem. Ad tertiam rationem dicendum, quòd Iephte solùm intendit effici princeps super terram Galaad, eo quòd causa, pro qua princeps efficiebatur, pertinebat solùm ad Galaaditas, & ob hoc cum solis Galaaditis pactum iniuit, vt esset princeps eorum, & ex hoc pacto solùm fuit princeps ipsorum: postea autem fuit alia noua assumptio, qua factus est princeps totius Israël.

Ad 4. rõnem. Ad quartam dicendum, quòd cùm ipse iuit cum principibus Galaad solùm factus est dux Galaaditarum, & ante bellum inchoatum, & cùm fieret solùm erat princeps Galaaditarum, sed post victoriam totus Israël accepit eum in ducem.

Ad 5. rõnem. Ad quintam dicendum, quòd nunc solùm fuit Iephte prpositus ad agendum bellum Galaaditarum contra Ammonitas, & solùm fuit tunc princeps Galaaditarum: facto tamẽ bello videns totus Israël istum habere à Domino spiritum ad victoriam bellorum: credens illum vtilem ad pugnandum contra hostes totius populi, fecerunt eum ducem populi. *Vir fortissimus.* Ista est causa quare volebant eum in ducem Galaaditæ, quia erat fortissimus: & ex hoc erat aptior ad ducatum belli, quàm quisquam de eis. Et vocatur fortissimus dupliciter, scilicet robore corporis, quod pertinet ad tolerandos labores bellicos, & ad patrandum opera fortia. Secundò vocatur fortissimus secundùm quod fortitudo est virtus moralis, & pertinet ad quandam animositatem, vel confidentiam, secundùm quam aliquis non formidat subire terribilia aggrediendo, vel expectando, & vtramque habebat Iephte: ideo erat ad bella aptissimus. *Atque pugnator.* Scilicet non solùm habebat fortitudinem, sed etiam erat pugnator, id est exercitatus in pugna, & istud maximè valet: nam si quis sit vir fortis, & non est sic exercitatus ad actus bellicos, per defectum prudentiæ bellicę faciliter corruet. Istud non habetur in Hebræo, sed solùm vir fortissimus: litera autem nostra posuit illud tanquam de subintellectione textus. *Filius meretricis mulieris.* Aliqui accipiunt meretricem, id est eam, quæ omnium libidini patet. Sic accipit Ieronymus, & habetur in Decretis 34. distin. c. vidua. Sed non conuenienter accipitur, quia tales non consueuerunt filios habere. Hebræi accipiunt, quòd erat meretrix, id est hospitatrix, quia nomẽ hic positum æquiuocatur ad meretricem, & ad hospitatricem; de quo declaratum est Iosue secundo capitulo: & sic volunt honorare Iephte dicentes eum filium esse hospitatricis mulieris, quę tamen erat vxor legitima.

Iephte vocatur dupliciter fortissimus.

Meretrix dupliciter sumitur.

An Iephte mulieris meretricis, vel vxoris legitimæ fuerit filius.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR circa hoc, an filius fuit Iephte mulieris meretricis, vel vxoris legitimæ?

Respondendum, quòd non erat filius mulieris meretricis, id est quæ publicè omnium pateret libidini, sed erat concubina Galaad, & suscepit ex ea Iephte. Nec tamen potest dici, quòd erat filius vxoris legitimæ Galaad, quia litera dicit, quòd erat filius meretricis, nec valet, quòd Hebræi vellent dicere eam hospitatricem. Item in litera dicitur infrà, hæres patris nostri esse non poteris, quia de adultera matre natus es, ergo non de legitima. Respondebunt Hebræi non militare ista. De primo patet, quia non potest accipi meretrix secundùm æquiuocationem Hebraicam pro hospitatrice, & poterat esse mater Iephte hospitatrix, & legitima vxor. De secundo patet, quia in Hebræo non habetur adultera matre, sed de altera, ideo non probat. Dicendum, quòd non stant istæ responsiones, quia nomen positum in Hebræo hic, scilicet (Zona) vbi nos dicimus meretricem, non est propriè æquiuocum apud eos ad meretricem, & hospitatricem: sed dicunt, quòd per similitudinem quandam sit translatio, scilicet, quia ipsæ hospitatrices publicæ solent esse impudicæ, & multorum venientium libidine interdum maculantur, & sic semper directè, vel indirectè redit ad meretricẽ. Item secũda excusatio non stat, quia si deberet intelligi secundùm quod volunt intelligere Hebræi, quòd esset de alia matre scilicet, & non esset illa adultera, non esset ratio conueniens, quam assignauerunt fratres Iephte, dicentes: Hæres patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es. Nam licèt, non esset Iephte ex eadem matre cum cæteris fratribus suis, dum tamen mater sua esset vxor legitima, succedebat ipse patri suo, sicut cæteri fratres: ipse tamen Iephte fugit de domo patris ex hac causa, quasi esset rationabilis, ergo mater sua non solùm non erat mater aliorum fratrum eius, sed etiam non erat vxor. Dicendum ergo, quòd mater Iephte erat concubina Galaad, & ob hoc Iephte erat illegitimus, & fratres sui expulerunt eum de domo patris ne succederet patri. Vocatur tamen hic mater eius meretrix largè, id est fornicaria, quia quælibet concubina alicuius fornicaria est, sed non meretrix, id est, omnium libidini patens.

Hebraorũ opinio reprobatur.

B *Resp. ad quæsitum, quod Iephte fuerit iudex totius Israel*

D

E

F

A

Quare Scriptura nominat matrem Iephte esse meretricem denominando potius genus eius ab imperfecto.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Scriptura nominat matrem Iephte esse meretricem, denominando potius genus eius ab imperfecto?

Respondendum, quòd hic ponuntur pater, & mater Iephte: de patre dicitur, quod erat Galaad, scilicet, habuit Galaad vxorem, de qua suscepit filios: mater autem primò ponitur, eo quòd de illa principalis est intentio. Sed tunc manet dubium cur de illa intendatur, cùm potius pertineat ad dedecus, quàm ad honorem Iephte. Aliqui dicunt, quòd hoc fuit ad significandum, quòd quamquam esset Iephte de ignobili coniugio natus, scilicet de fornicatione, & ex hoc non erat aptus ad aliquam dignitatem, vel honorem: necessitas tamen temporis eum fecit principem, scilicet, quia vrgens erat bellum, & nullus alius idoneus reperiebatur. Sed dicendum est, quòd causa est, quia vult præponere Scriptura præambulum historiæ. Nam infrà dicitur, quòd principes Galaad iuerunt in terram Tob ad vocandum Iephte, vt esset princeps illorum: & quia ipse erat de terra Galaad, tollitur dubium, scilicet quomodo erat opus, quòd mitteretur pro

B

eo extra terram Galaad: & dicitur, quòd hoc est, quia fugegerat: expulerant quippè eum fratres sui de terra, vt patet infrà, & ad declarandum causam huius præponitur, quòd erat filius mulieris meretricis, scilicet concubinæ Galaad: ideo fratres eius expulerunt eum de domo patris, ne contenderet succedere patri cum eis, & quia omnia ista habent originem ex eo, quòd mater Iephte erat fornicaria, quia aliàs non potuisset expelli de domo patris, præponitur, quòd erat filius mulieris fornicariæ. *Qui habitabat in Galaad.* Scilicet Iephte habitabat in terra Galaad. Nicolaus intelligit Galaad, quòd esset nomen vrbis Iephte, vt suprà dictum est: sed debet accipi pro terra Galaad, & ibi habitabat Iephte in ciuitate Maspha, vt patet infrà, cùm dicitur: reuertĕti autem Iephte in Maspha domum suam. Sed obijcietur, quòd non habitaret Iephte in terra Galaad nunc quando vocatus est à principibus Galaaditarum, quia infrà dicitur, quòd fratres sui eiecerunt eum de domo patris, & ille fugiens habitauit in terra Tob. Respõdendum, quòd terra Tob est quędam pars terrę Galaad: nam ciuitas Maspha est in terra Tob, sed Iephte fugit solùm de domo patris sui Galaad, & de vrbe sua, habitauit tamen in alia vrbe terræ Galaad: & est aliqua prouincia vel regio specialis in terra Galaad, quæ vocatur terra Tob, & ad illam fugit Iephte. Vnde verum est, quòd habitabat in Galaad, & in terra Tob. *Habuit autem Galaad vxorem, de qua suscepit filios.* Iste est pa

C

ter Iephte, & est sensus, quòd Galaad habuit vxorem, de qua suscepit filios legitimos, & habuit concubinam de qua suscepit Iephte.

Nicol. opinio de Galaad.

Quis erat iste Galaad.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR de isto Galaad quis erat? Aliquis dicet, quòd fuit ille Galaad, qui erat de stirpe Manasse, & ponitur in familijs eius, Num. 26. & 32. conuenit autem hoc valde, quia Iephte fuit vir fortissimus, & pugnator, & verisimile est patrem suum fuisse fortissimum, & pugnatorem: & sic dicitur de illo Galaad, vt patet Iosue decimoseptimo capitulo, quòd fuit vir pugnator: habuitque possessionem Galaad, & Basan.

Respondendum, quòd hoc non stat, quia ille Galaad non potuit viuere vsque ad tempus istud. Imò ille non egressus est de Ægypto ad veniendum in terrã Chanaan, sed ibi mortuus est. Quod patet, quia Galaad est filius Machir, Iosue decimoseptimo, & iste natus est viuente Ioseph filio Iacob: nam in genibus eius natus est, vt patet Geneseos quinquagesimo, scilicet: Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Ioseph autem mortuus est postquam descendit Iacob cum filijs suis in Ægyptum annis septuaginta vnum. Quod patet, quia Ioseph vixit annis centum decem, Genes. quinquagesimo, & cùm descendit Iacob in Ægyptum, erat annorum triginta nouem, ergo vsque ad mortem suam manebant septuaginta vnus annus. Patet, quia anno quo stetit Ioseph coram Pharaone ad interpretandum somnia, erat annorum triginta, vt patet Genes. quadragesimoprimo, & sequenti anno cœpit fertilitas magna, vt patet ibidem, & illa durauit septem annis, & deinde cęperunt septem anni famis, & in fine secundi anni famis descendit Iacob in Ægyptum, Gen. 45. cùm dixit Ioseph fratribus suis: Biennium est, quòd cœpit fames esse in terra, & adhuc quinq; anni restant, quibus nec poterit arari, nec meti, & sic erunt nouem anni postquam stetit Ioseph coram Pharaone, qui faciunt triginta nouem annos eius, quibus subtractis à septem decem annis, quibus vixit, manent septuaginta vnus: totidem autem expletis post descensum Iacob in Ægyptum mortuus est Ioseph: ergo ante septuaginta annos post descensum Iacob in Ægyptum natus est Galaad, cùm natus fuerit in genibus Ioseph: manent autem à morte Ioseph vsque ad exitum de Ægypto anni centum quadragintaquatuor. Quod patet, quia mansio Israëlitarum in Ægypto fuit annorum ducentorum quindecim, sicut declaratum est Genes. 15. & Exod. 12. à quibus detrahendo septuaginta vnum, manent anni centũ quaquadraginta quatuor: sed illo tempore rari homines accedebant ad illam ætatem. Moyses qui fuit quasi coætaneus Galaad, non vixit nisi centum viginti annis: Deuteronomij trigesimo primo, & Aaron annis centum viginti tribus, vt colligitur Numer. trigesimotertio capitulo: ergo non accederet Galaad ad centum quadraginta quatuor, & tamen à natiuitate eius vsque ad exitum de Ægypto fuerunt tot anni, ergo non egressus est Galaad de Ægypto, sed ibi mortuus est.

D

Dicendum ergo, quòd non fuit iste Galaad. Et si fortè velles contendere, quòd ille erat, quia magno tempore vixit, non stat: nam necesse erat tunc, quòd vixisset annis ferè quingentis. Quod patet, quia nunc erant ab introitu Iacob in Ægyptum vsque ad egressum Israëlitarum anni centum quadraginta quatuor, quibus addantur quadraginta anni, quibus manserunt Israëlitæ in deserto, erunt anni centum octuaginta quatuor: deinde addantur anni trecenti, qui fluxerunt ab introitu in terram Chanaan vsque ad annum, quo Iephte factus est dux belli (nam ipse dixit ad regem Ammon, quare per trecentos annos tacuerat super repetitione terræ Galaad) & computantur illi anni à tempore, quo cœpit Israël terram de manu Schon, & Og regum Amorrhæorum, qui fuerunt debellati ab Israëlitis anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, vt declaratum est Numer. vigesimoprimo, & satis patet ex processu numerorum anni capitulo vigesimo vsq; ad finem libri: & sic cùm Iephte esset nunc iuuenis, & fortis pugnator, non esset pater suus mortuus à magno tempore, præsertim, quia quando ipse eiectus est de domo patris sui, erat iam vir, & fratres sui eiecerunt eum ne succederet: ergo iste Galaad erat nunc viuens, vel paulo antè

F

hoc mortuus fuerat: si tamen esset Galaad de quo dictum est, compleret tunc annos quingentos, demptis decem, & sex, vt ex computatione patet suprà posita. Dicendum ergo, quòd fuit alius vir nomine Galaad, quia multi hoc nomine appellabantur.

E

De qua tribu erat iste Iephte.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, de qua tribu erat iste Iephte?

Respondendum, quòd non patet de qua, cùm Scriptura illud non referat: dicitur autem, quòd erat Galaadites, ex quo aliqui volunt, quòd erat de tribu Manasse, quia in tribu Manasse erat quædam familia, quæ vocabatur Galaaditarum, vt patet Numer. 26. & Iosue 17. cap. Sed dicendum, quòd Iephte non vocatur Galaadites, id est de familia Galaaditarum, sed quia pater suus vocabatur Galaad, vt patet hic. Vel quia erat de terra Galaaditarum, si voluerimus intelligere sic. Ad hoc ergo dicendum, quòd per hoc, quòd Iephte erat de terra Galaad, patet aliqualiter de tribu eius, sed non plenè: nam terra Galaad diuisa fuit inter duas tribus, scilicet tribum Gad, & dimidiam tribum Manasse, Deuteron. 3. ca. ideo oportet, quòd sit Iephte de aliqua istarum duarum:

sed

A ſed non apparet de qua, ideo aliqui volunt eum eſſe de tribu Gad: alij vero de Manaſſe: ſed plures volunt de Manaſſe: ſic enim dicitur præcedenti capitulo, quod Iair erat Galaadites. Et hiſtoria Scholaſtica dicit eum fuiſſe de tribu Manaſſe, eo quod volunt præcipuam partem Gad fuiſſe in Manaſſe, & nunc quidem verum eſt, quod illi quibus magis periculum imminebat erant de tribu Manaſſe viri, eo quod ipſi viri erant magis coniuncti terræ Ammon, quam tribus Gad, vt colligitur Ioſue decimo tertio capitulo. *Qui poſtquam creuerunt, eiecerunt Iephte.* Erat Iephte maior ætate iſtis: & non poterant eiicere eum quouſque fuerunt facti viri, & tunc eiecerunt, ſcilicet, eiecerunt de domo patris, & de vrbe. Quod patet, quia dicitur, quod fugit in terram Tob. *Dicentes: hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris.* Id eſt, non poteris de iure ſuccedere patri noſtro. Vel non poteris, id eſt, non permittemus te eſſe hæredem, & vtrumque verum eſt. *Quia de adultera matre natus es.* Scilicet, ex hoc non competit tibi ſucceſſio, ſicut nobis: & ſic iſta lex de non ſuccedendo illegitimos patri ſemper obſeruata eſt ab antiquo. In Hebræo dicitur. *Quia de altera matre natus es.* Debet tamen intelligi de altera, id eſt, de adultera, quia ſi ſolum hoc haberet Iephte, quod non eſſet filius eiuſdem matris cuius erant reliqui fratres ſui, dum tamen illa eſſet vxor legitima, non priuabatur ſucceſſione, ſed ipſi priuant eum propter matrem, ergo oportet, quod illa eſſet adultera: litera tamen Hebraica poſuit de altera, quod

B etiam eſt ad propoſitum fratrum Iephte: nam Galaad pater eorum habuit ſolum vnam vxorem legitimam, ſi ergo Iephte erat natus de altera muliere, neceſſe erat, quod illa eſſet adultera: hoc colligitur ex litera, quia dicitur in principio, quod fuit Iephte Galaadites filius mulieris meretricis, & ſequitur: habuit autem Galaad vxorem, de qua ſuſcepit filios, ex quo innuit, quod vna meretrix, de qua Galaad ſuſcepit Iephte: & alia erat vxor, id eſt, legitime ducta, de qua ſuſcepit filios, ſcilicet, legitimos, ideo bona eſt litera Hebraica: ſed planior eſt noſtra. Nec tamen aliquis putet, quod Ieronymus tranſtulerit de altera matre, ſicut habet litera Hebraica, & poſtea vitio librariorum ſcriptum ſit adultera pro altera, quia facilis erat mutatio, præſertim correſpondente eis ſignificatione. Sed dicendum, quod Ieronymus tranſtulit de adultera: quia planior erat ſententia, licet Hebræus haberet de altera, & hoc ſæpe facit.

An fratres Iephte iuſte expulerunt eum de domo patris, ne ſuccederet.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, an fratres Iephte iuſte expulerint eum de domo patris, vt non ſuccederet patri.

Reſpondendum, quod iuſtum erat, quod Iephte non

C ſuccederet patri, eo quod erat illegitimus. Et tamen an ob hoc de domo poterat expelli eſt dubium. Aliquis dicet, quod iuſte potuerunt eum fratres ſui excludere: ſic enim fecit Sara de Iſmahele: nam ipſe erat filius Agar, & dixit Sara ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac: & tunc Abraham eiecit Iſmahelem, quamquam dure ſuſcepiſſet pro filio ſuo: angelus tamen Dei dixit illi, quod faceret id quod dicebat Sara, Geneſ. vigeſimo primo. Item Geneſ. vigeſimo quinto dicitur, quod Abraham ſeparauit filios concubinarum à filio ſuo Iſaac verſus partem Orientalem. Reſpondendum, quod aut Iephte gerebat ſe in domo patris ſui, vt hæredem cum cæteris fratribus ſuis, aut non: ſi primo modo, poterat iuſte expelli, quia ipſe vſurpabat aliquid indebitum: ideo priuandus erat illo: ſi ſecundo modo, aut expellebant eum, quod timebatur, quod ſuſcitaretur ſcandalum inter eum & fratres legitimos ex patre eius, aut expellebant eum ſolum, quia erat illegitimus, & nolebant, quod eſſet inter eos. Si primo modo timebatur veriſimiliter ſcandalum ex parte Iephte futurum propter ſucceſſionem paternam, poterat expelli de domo non per fratres ſuos, ſed per iudices, vel per patrem, qui filiorum ſuorum iudex erat: filij tamen non poterant fratrem ſuum Iephte expellere. Primo, quia nullum ius habebant ſuper ipſum cum eſſent pares, & par in parem non habet realiter imperium. Secundo, quia ipſi erant pars de ſucceſſione contra Iephte, & nemini licet ius dicere in cauſa ſua, ideo ſi ipſi eiicerent eum etiam propter ſcandalum peccarent: ſi autem eiiceret eum pater ſuus, vel iudex non peccabat: ſic intelligitur quod allegatur de Sara, quę petiit ancillam, & filium eius eiici, quia timebat ſcandalum futurum: nam ipſa vidit Iſmahelem ludentem cum Iſaac, Geneſ. vigeſimo primo, & forte iſte ludus erat noxius, ſcilicet, percutiendo eum: nam aliquando vocatur ludus ipſum bellum: ſic patet 2. Regum 2. ſcilicet: Surgant pueri, & ludant coram nobis, & ſurrexerunt viginti quatuor viri, & occiderunt ſe mutuo. Et ita forte nunc Sara vidit, quod Iſmahel percutiebat acriter Iſaac, & forte inſidiabatur ei ad occidendum ipſum, vt ſuccederet totaliter Abrahæ: & ad tollendum iſtud ſcandalum petiit eum de domo eiici, & eiecit eum Abraham, quia erat pater, & iudex in domo ſua: Sic etiam intelligitur de Abraham, Geneſ. 25. quod ſeparauit filios concubinarum ab Iſaac, ſcilicet, propter ſcandalum, quia Abraham dederat omnia bona ſua Iſaac, & filiis concubinarum ſolum dederat munera, & illi inuiderent ei. Et forte poſt mortem patris inſurgerent contra eum, & auferrent bona eius, vel occiderent ipſum: ideo vt tolleretur ſcandalum, diuiſit eos valde Abraham, & ipſe egit hoc tanquam iudex: ſic enim potuiſſet Galaad expellere Iephte, cum fratres eius non poterant. Si ſecundo modo, ſcilicet, quod non erat aliquod ſcandalum, nec timebatur, ſed eiecerunt eum, quia erat illegitimus. Dicendum, quod ſiue fratres expellerent eum, ſiue iudices, peccabant, quia iniuſte priuabant eum quodam bono, ſcilicet, cohabitatione paterna, & alimentatione: nam pater alimentaret eum dum maneret in domo, & poſtea non. Priuauerunt eum etiam quibuſdam muneribus, quæ poſſet ei dare pater. Et hoc modo ſignificauit Iephte ſe expulſum, ſcilicet, ex odio, & inuidia: vnde conqueſtus eſt ſenioribus Galaad venientibus ad eum dicens: nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, & ſic ſignificat iniuriam ſibi factam. Primo, quia dicit, quia oderunt eum, & ex odio eiecerunt illum. Secundo, quia ipſe conqueritur illis publice: ſi tamen putaret ſe iniuſte conqueri, non fuiſſet conqueſtus.

An Iephte, vt illegitimus erat ſimpliciter priuandus ſucceſſione.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, an Iephte ex hoc, quod erat illegitimus, erat ſimpliciter priuandus ſucceſſione, vel poterat ſuccedere in aliqua parte. Dicendum, quod nunc non oportet diſtingui de ſucceſſione illegitimorum ſecundum iura humana, ſcilicet, aut ſuccedat matri, aut patri, & ſi patri, aut ſtantibus liberis legitimis, aut non ſtantibus, & in quota portione poteſt inſtitui hæres, vel ſuſcipere legatum, quia forte non erat tunc eadem lex ciuilis, quæ nunc, & ſic F nihil faceret ad propoſitum dicere de ſucceſſione, vt modo fit. Sed dicendum ſecundum ſucceſſiones illius temporis, quod filij illegitimi non poterant ſuccedere, vniuerſaliter patribus ex inſtitutione in teſtamento, nec ab inteſtato: ſed poterant inſtitui hæredes in aliqua parte. Vel ſaltem poterat eis dari aliquod per modum legati magis, quam per modum hæredis: ſic patet Geneſ. 25. de Abraham, qui dedit omnia, quæ poſſedit filio ſuo Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera: largiri autem munera dicit proprie legatum, quia legata dantur ex liberalitate teſtatoris, ſucceſſio autem, vel inſtitutio hæredis interdum neceſſaria eſt, ſcilicet, cum quis legitimos hæredes habet, quos exhæredare nequit: & ſic fratres Iephte priuauerunt eum hoc bono, quia poterat ei pater ſuus donare aliquid viuens, vel in teſtamento relinquere per modum legati: illo autem excluſo, nihil horum fieret, & forte ex hac cauſa fratres ſui expulerunt eum, & ipſe receſſit ab eis: non ſolum non manens in ciuitate patris ſui, ſed etiam longe recedens de prouincia illa. *Habitauit in terra Tob.* Iſta terra Tob erat in terra Galaad: erat quippe quædam parua regio terræ Galaad, & in illa erant aliquæ vrbes, quarum vna erat Maſphat, in qua habitabat Iephte, vt patet infra, non quod nunc habitaret in Maſphat, ſed poſtea habitauit, quia nunc Galaaditæ erant in Maſphat precedenti capitulo, & tamen miſerunt pro Iephte in terram

D

E

Iephte iniuriâ ſibi à fratribus illata ſignificat.

Legata quid ſint.

De ſitu Tob.

A Tob, vt patet infra in litera. Et apparet hoc, quia ſupra dicitur, quod habitabat Iephte in terra Galaad,& hic, quod habitabat in terra Tob, & vtrumque refertur ad idem tempus, ſcilicet,quando Galaaditæ iuerunt ad vocandum eum: ergo oportet, quod terra Tob eſſet in terra Galaad, vel è conuerſo, & ſic erit terra Tob in Galaad, quia alioquin non poſſet fugere in terra Tob cum ſtans in terra Galaad eſſet in terra Tob. *Congregatique ſunt ad eum viri inopes.* Iſte Iephte erat vir fortis, & bellator. Quando receſſit de domo patris ſui, & nunc nihil habens, de quo viueret exercebat latrocinia, vt inde paſceretur: & quia videbatur eſſe vir aptus ad principandum multi de pauperibus non habentes aliunde victum congregati ſunt ad eum,vt illo ductore de præda,vel alias viuerent.

An Iephte peccauit colligendo ad ſe viros inopes.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, an Iephte peccauit colligendo ad ſe viros inopes. Aliquis dicet, quod ſic, quia Abimelech congregauit ſibi viros inopes, & vagos, & peccauit, quia accepit illos ad malum finem, ſcilicet, ad occidendum fratres ſuos ſupra nono capitulo. Item viri inopes, qui nullis artibus honeſtis vitam aſſequi poſſunt, non conueniunt ad aliquem, niſi cum illo poteſt eos de artibus inhoneſtis paſcere, ſed conuenerunt ad Iephte: ergo peccabat, quia dabat illis occaſionem, vel incitabat ad ſtudia inhoneſta. In contrarium videtur, quod non peccabat, quia Dauid recepit ad ſe viros inopes oppreſſos ære alieno,& amaro animo,1.Regum 22.cap.& tamen ille non peccauit, vt declaratum fuit ibi: ergo etiam non peccaret Iephte.

B

Reſpondendum,quod congregare viros inopes ad ſe non eſt peccatum ſecundum ſe, ſed erit peccatum, vel bonum opus ex fine, ad quem congregat eos:nam ſi eos congregat ad paſcendum, vel vt defendat eos de manu potentiorum, vel vt vtatur eis ad miniſtrandum eis ad aliquod bonum, ſcilicet, ad pugnandum contra hoſtes, bonum eſt, vel ſi congregantur ad defenſionem alicuius innocentis, qui aliter defendi non poteſt. De Iephte dicendum, quod congregauit ad ſe viros inopes, & vagos, & illi ſponte venerunt ad eum, quia vtriſque vtile erat: & hoc fuit ad defendendam vitam: nam Iephte expulſus de domo paterna cum illegitimus eſſet, nihil poſſidebat, quo vitam defendere poſſet, nec vidit aliquas artes honeſtas ſibi poſſe proficere, ſed recurrit ad id, ad quod eum natura ſua,& habilitas maxima inclinabat:erat enim vir fortis, & pugnator, ideo putauit nullo modo melius vitam tranſigere poſſe, quam pugnando, & de præda viuendo, & quia ſolus hoc agere non poterat congregauit ad ſe viros inopes,qui eum velut principem ſequebantur: ſi autem prædari,& pugnare ad tuendam vitam licitum erat,eſſet quoque licitum congregare viros inopes ad hæc agenda. Si autem bellum, & præda illicita erant eſſent, quoque illicite congregati iſti viri inopes. De hoc autem ſequenti,quod videbitur. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quod non erat ſimile de Iephte, & Abimelech: nam ad Abimelech non conuenerunt viri inopes, & vagi; ſed ipſe conduxit eos pretio, ſcilicet, de ſeptuaginta pondo argenti, quæ dederant ei Sichimitæ ſupra nono: Iephte autem non conduxit viros inopes, ſed ipſi conuenerũt ad eum gratis ſcientes ſibi vtile fore: non eſt autem tam culpabile aliquos, qui malum exercere poſſunt, conducere, & excitare ſicut illos venientes recipere. Secundo eſt diſſimile, quia Abimelech congregauit iſtos viros ad occidendum fratres ſuos, & occidit illos,quod erat ſcelus: Iephte autem non congregauit viros iſtos inopes ad occidendum iniuſte aliquem, ſed ad latrocinandum, vt tueretur vitam, & acquireret neceſſaria: & iſta poterant in aliquo caſu licite fieri ſicut infra dicetur: ideo non peccauit Iephte.Cum autem dicitur in parte contraria, quia non peccauit: eo quod Dauid ſicut congregauit viros inopes,& non peccauit:agit ad propoſitum,& non eſt ad illud reſpondendum. Si tamen velimus dicere,quod peccaſſet:poterat dici,quod Dauid non congregauit eodem modo viros inopes, ſicut Iephte, quia cauſa principalis in Dauid fuit, quod poſſet vitam defendere: nam perſequebatur eum Saul, & poterat capi faciliter in quocunque loco eſſet, niſi haberet adiutores, ideo congregauit viros inopes, vt patrocinium ei ferrent.

C

Iephte quare ad ſe viros inopes congregarit.

Ad rationem in contrariũ.

D

An Iephte peccabat agendo prædas, & bella.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius, an Iephte peccabat agendo prædas, & bella:nam ſupra dictum eſt, quod prædas agebat: quod ſatis patet: quia in litera dicitur, quod congregati ſunt ad eum viri inopes, & latrocinantes. Aliquis dicet, quod non peccauit, quia ſpiritus Domini veniebat ſuper Iephte,ergo non peccabat. Patet infra in litera, cum dicitur, quod ſpiritus Domini factus eſt ſuper ipſum. Item patet ad Hebræos vndecimo, vbi in Catalogo Sanctorum ponit Apoſtolus Iephte: ergo non peccauit faciẽdo prædas. Reſponderi poſſet, quod Iephte peccauerit faciendo prædas, nec eſt hoc aliquod inconueniens, vt infra declarabitur: nam nunc non erat Iephte vir alicuius perfectionis,vt de eo deberemus negare peccatum mortale. Si tamen volumus dicere, quod non peccauit etiam poterimus hoc dicere: nam forte faciebat Iephte latrocinia, & bella ſicut Dauid, ille enim cum eſſet in terra Philiſthinorum agebat prædas contra Geſſuri, & Gezre, & Amalechitas, atque occidebat quotquot poterat, primo Regum vigeſimo ſeptimo, & tamen ibi declaratum eſt, quod non peccabat, eo quod agebat contra gentes, contra quas licitum erat pugnare, ſic forte erant aliquæ gentes hoſtes Iſraelitarum, contra quos Iſraelitis erat ſemper iuſtũ bellum, & quicunque vellet de illis non petito conſilio plebis, nec conſenſu poterat pugnare, ſicut nunc fit inter illas gentes, quæ ad inuicem non habent pacem: & Iephte, quia erat vir fortis congregatis viris inopibus pugnabat contra iſtam gentem, & prædas agebat, de quibus viuebat ipſe, & conſortes ſui. Cum autem dicitur,quod erant latrocinantes cum Iephte non obſtat, quia forte illi, qui prius erant latrocinantes in terra Iſrael conuenerunt ad eum, vt non eſſent iam latrocinantes in Iſrael, licet contra hoſtes Iſraelitarum. Si autem vellemus dicere, quod Iephte peccauit latrocinando: vtpote ſi latrocinia agebat in terra Iſrael, non eſt inconueniens: nam non eſt Iephte aliquis vir ſemper conuerſationis ſanctæ, de quo nefas ſit aliquid ſiniſtri confiteri. Ad rationem primam,cum dicitur,quod in Iephte veniebat ſpiritus Domini, ergo non peccabat. Non tenet conſequentia, quia iſte ſpiritus multiplex eſt, & cum illo ſtare poteſt peccatum, niſi ſit ſpiritus gratiæ gratificantis, vel cum quo neceſſario eſt,& gratia gratificans,ſic patet de Balaam,ſuper quem fiebat ſpiritus Domini: & tamen peccabat grauiter Numer. 24.ca.etiam ſuper Saulem factus eſt ſpiritus Domini,1. Reg. 10.& 11.& 19.& tamẽ peccauit grauiter poſt hoc,& ante hoc. Item ſpiritus Domini, qui irruiſſe dicitur ſuper Iephte fuit ſpiritus animoſitatis ad bellum, vt auderet pugnare contra filios Ammon, contra quos alias non auſurus eſſet pugnare, & iſte ſpiritus non inducit ſecum gratiam gratificantem, ideo habentes illum poſſunt peccare. Ad ſecundum dicẽdum, quod Apoſtolus ponit Iephte in catalogo Sanctorum, ſcilicet, illorum, qui habuerunt magnam fidem, & per hanc expoſuerunt ſe periculis,& ſic Iephte nõ dubitauit ſe exponere cõtra Ammonitas, quamquam illi plures, & fortiores eſſent confidens de Dei adiutorio:non tamen ex hoc tollitur,quin Iephte peccauerit antequã per fidem ſe exponeret,ſicut non repugnat, quod aliquis moriatur pro Chriſto, & ante hoc peccauerit: imo etiam,quod moriatur pro Chriſto,& pereat æternaliter, vt ait Auguſt. in Enchirid. de illo, qui in aliqua hæreſi,vel ſchiſmate exiſtens moritur ne Chriſtum neget:nã non eſt ei ſalus, & habetur hoc per Magiſtrum 4. Sententiarum diſt.3.in fine. Etiam Gedeon poterat peccare poſtquam ſe expoſuit ad mortem per fidem contra Ammonitas: nam non fuit per hoc factus impeccabilis: poteſt ergo teneri in hoc, quod peccauerit Iephte, vel quod non peccauerit. Sed rationabilius eſt, quod dicamus eũ non peccaſſe,quia in dubiis fauorabilius eligendum eſt.*Et Latrocinantes.* Id eſt,conuenerunt ad Iephte aliqui,qui prius erãt latrocinantes, ſed poſtea cum eo manentes non latrocinabantur de Iſrael, ſicut prius, ſed de hoſtibus, vt ſupra dictum eſt. In Hebræo non habetur

E

Cuiuſdã rationes in diuerſũ.

Reſp. ad quæſitum.

Ad rationem primã in diuerſũ.

F

Ad ſecundã rationem.

Quis mori poſſit pro Chriſto,& damnari.

habetur latrocinantes, ſed appoſuit illud Ieronymus, quia ad ſententiam videtur pertinere, eo quod iſti viri inopes, & vagi non habent vnde viuant, niſi de latrociniis. *Et eum quaſi principem ſequebantur.* Obedientes ei in omnibus, quia erat vir fortiſſimus: & prudens, & exercitatus in bello, ideo ſuberant directioni eius in omnibus. *Exierunt cum ipſo.* Sed eſt mutatio temporis, & oportet dici exibant cum ipſo, quia per hoc imperatur conſuetudo, & non vnicus actus, & dicitur exibant cum ipſo, id eſt, ibant cum eo quocunque vellet, & hoc eſt, quod eum quaſi principem ſequerentur. *In diebus illis.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet, Iephte honorabilis reductio, & in principem conſtitutio, & iſtius fuit occaſio bellum contra Ammonitas, ideo ponitur illud bellum, & dicitur. *In diebus illis.* Scilicet, quando Iephte cum viris ſuis agebat prædas. *Pugnabant filij Ammon contra Iſrael.* Scilicet, quia caſtrametati fuerant in terra Galaad, & ibi pugnabant, & faciebant prædas: Iſraelitæ tamen nondum præceſſerant contra Ammonitas in bellum, eo quod nondum habebant ducem belli. *Quibus acriter inſtantibus.* Id eſt, acriter pugnantibus Ammonitæ, ſcilicet, pugnabant dure, & tanto durius quanto minor reſiſtentia erat ex parte Iſraelitarum non habentium ducem, & ſi Ammonitæ leuiter pugnauiſſent non curauiſſent Galaaditæ inquirere Iephte de terra Tob, ſed magnitudo belli coegit eos. *Perrexerunt maiores natu de Galaad.* Id eſt, ſeniores Galaaditarum iuerunt pro Iephte, & miſſi ſunt iſti, quia erant maioris auctoritatis, vt magis poſſet moueri ad veniendum Iephte videndo, quod tantum eum honorabant, quod mitterent honorabiliores viros de tota terra Galaad pro eo. Item, quia iſti debebant conuenire cum Iephte, quod veniret ad pugnam pro Galaaditis, & quod eſſet princeps eorum, Iephte tamen non crederet nunciis, niſi eſſent viri magnæ auctoritatis inter reliquos de populo Galaad, & totus populus ratum haberet quod facerent iſti principes. Item, vt Iephte veniens ad eos veniret honorabiliter comitatus tanquam iam princeps eorum factus. *Vt tollerent in auxilium ſuum Iephte de terra Tob.* Sciebant eum habitare nunc in terra Tob latrocinando, & illuc miſerunt ad ducendum eum, vt eſſet eis in auxilium, ſcilicet, in ducem. Nam neſciebant alium, qui ita vtiliter poſſet eis ducatum præbere. *Dixeruntq; ad eum.* Scilicet, ſeniores Galaaditarum. *Veni eſto princeps noſter.* Id eſt, dux belli pro nunc, & etiam princeps pro omni tempore, vt domineris terræ noſtræ. *Et pugna contra filios Ammon.* Id eſt, ſis dux noſter in pugnam contra Ammonitas. In Hebræo habetur. *Pugnabimus contra Ammonitas.* Idem eſt, ſed litera noſtra voluit ſignificantius loqui attribuendo totam iſtam pugnam Iephte, ſcilicet, quod ipſe debet eam ordinare, & principalem curam gerere de illa, quam ipſe totam ageret. Et patet, quia Iſraelitæ hoc imponebant ei in onus, vt darent in præmium, quod eſſet princeps illorum, ſi autem diceretur pugnabimus non videbatur hoc magis incumbere Iephte, quam Galaaditis: ſed eſſet negocium commune. *Quibus ille reſpondit: nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei.* Quaſi dicat: quomodo iuſtum eſt, quod ego vobis auxilium præbeam, cum me oderitis, & eieceritis de terra mea, & domo patris mei: & dicebat hoc ad ſignificandum, quod non crederet eis: nam ipſi, qui oderant eum, eiecerunt ipſum de domo patris ſui: ita nunc quamquam adiuuaret eos poſtea eum non reciperent in principem. Etiam non credebat, quia veniebant ad eum in tempore neceſſitatis: ideo recedente neceſſitate putabat, quod non ſeruarent ei fidem: increpuit ergo eos hoc modo, vt illi videntes ſe rationabiliter increpitos facerent magnas promiſſiones, & firmas.

Iephte honorabilis reductio, & in principē conſtitutio.

Quomodo Iephte dixit: vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quomodo Iephte dixit: Vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, quia ſoli fratres ſui eiecerant eum: & iſti erant ſeniores Galaaditarum. Nicolaus reſpondet vno modo, ſcilicet, quod forte erant hic aliqui de fratribus ſuis inter illos ſeniores. Sed non eſt veriſimile, quia ſciebant Galaaditæ, quod Iephte oderat fratres ſuos, eo quod eum de terra eiecerant, ideo ſi mitterent aliquem de illis exaſperaretur magis, & non veniret, quia cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur: animus iratus ad deteriora prouocatur, vt ait Greg. in Moralib. & habetur in Decr. 49. diſt. c. ſolicite. Aliter poteſt dici, quod fratres Iephte eiecerunt eum de domo patris auctoritate iudicis tãquam ſcandaloſum, vt non ſuccederet in hæreditate paterna cum illis, & iſti iudices veniebant nunc cum iſtis ſenioribus, vel erant aliqui iſtorum ſeniorum iudices, ideo conquerebatur de eis, quod eum iniuſte eieciſſent de domo patris ſui. Aliter poteſt intelligi, quod iſti eiecerunt eum, & oderunt, ſcilicet, dederunt fauorem fratribus ſuis ad hoc, quod eum eiicerent, dato quod non eſſent iudices: & iſtud fuit ex odio. Aliter etiam poteſt intelligi, ſcilicet, quod ſoli fratres Iephte eum eieciſſent de domo patris ſui, quia tamen iſti erant de illa transfert crimen in iſtos: ſic enim cum alicui in aliqua communitate, vel loco iniuria eſt illata, quoſcunque de illa communitate, aut loco viderit, conqueritur tanquam ad omnes illos pertineat delictum de iniuria ſibi illata. *Et nunc veniſtis neceſſitate compulſi.* Scilicet, quia filij Ammon premunt vos: quaſi dicat: dum eratis tranquilli non veniſtis ad petendum me in principem veſtrum, vt pugnarem pro vobis, ſed nunc neceſſitate compulſi veniſtis, ideo non deberem vobis præſtare auxilium: nam præſumitur contra illos, qui aliqui dicunt neceſſitate compulſi, quod non bono zelo agant. Sic Eccleſia præſumit contra illos, qui baptizantur, quando ſunt in ægritudine, & dum eſſent ſani nolebant, quod non agant deuotione religionis, ideo ſtatuit, quod qui baptizatus fuerit, dum in ægritudine eſt, poſt ad ſacros ordines non poſſit promoueri, vt patet in Decr. 57. diſt. cap. ſi quis in ægritudine. Sic etiam mitius agitur in iudicialibus cum ſponte confeſſo, quam cum conuicto, & tamen ſi confiteatur metu, & neceſſitate probationum inſtantium non agitur mitius.

Doct. multiplices reſp. ad quæſitum.

Quare ſeniores Galaad non ſe excuſarunt de hoc crimine eiectionis Iephte.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quare ſeniores Galaad non ſe excuſauerunt de hoc crimine eiectionis Iephte: quia poterant ſe excuſare rationabiliter, ſi ipſi non fuerunt participes quamquam eſſent de eadem terra. Etiam dato, quod eſſent iudices, poterant ſe excuſare, ſi iure hoc exiſtente fecerunt.

Reſpondendum, quod iſti ſeniores noluerunt ſe excuſare quamquam poſſent, eo quod excuſando ſe loquerentur cõtra Iephte, & in hoc mouerent eum ad iram: ideo erat melius, quod darent locum iræ eius relinquendo verbum in ore ipſius, & ſic mitigaretur ſpiritus furoris: plus enim iram taciturnitas, quam reſponſio mollis, vel excuſatoria frangit, & quia iſti nolebant prouocare ad iram ipſum Iephte, ſed ducere eum ſecum, non reſponderunt, vt ſic euacuaretur furor. *Dixeruntque principes Galaad ob hanc ergo cauſam venimus ad te.* Reſponderunt iſti ſeniores, qui erant principes Galaad verum eſſe quod dicebat Iephte, ſcilicet, ob hanc cauſam venimus ad te, & tamen non ob hoc minus confidendum nobis eſt, quia cum te egeamus, certiſſime conſtituemus te principem. *Vt proficiſcaris nobiſcum.* Scilicet, illico eas, quia inſtant Ammonitæ. *Et pugnes contra filios Ammon.* Scilicet, quod tu ſis dux in pugnando, & ſic totum bellum tibi videbitur imputari. In Hebræo habetur ſupra. *Cum ſitis in tribulatione.* Vbi litera noſtra dicit neceſſitate compulſi veniſtis, & idem eſt. *Siq; dux omnium, qui habitant in Galaad.* Id eſt, & poſtquam pugnaueris maneas ſemper princeps omnium Galaaditarum, etiam ſi nunquam poſtea ſint bella. Per hoc autem conſtituebant eum principem ſuper dimidiam tribum Manaſſe, & ſuper tribum Gad: nam iſtæ gentes morabantur in terra Galaad. Credendum eſt etiam, quod tribus Ruben veniret in hanc conditionem, quia licet non habitarent Rubenitæ in terra Galaad: tamen habitabant ſimul cum tribu Gad, & dimidia tribu Manaſſe in terra duorum regum Amorrhæorũ: Numer. 32. & Ioſue 13. tota autem terra iſtarum duarum tribuum, & dimidiæ fuit olim Ammonitarum, & Moabitarum: ſed Sehon, & alij reges Amorrhæi ceperunt eam violenter de manibus Moabitarum, & Ammonitarum, vt colligitur

Taciturnitas plus quam mollis reſponſio iræ frãgit.

A gitur Numer.21. & Ioſue 13. ſi igitur nunc Ammonitæ repetentes terram Galaad tanquam ſibi debitam, quia olim fuit de terra eorum, obtinerent contra Manaſſe,& Gad:ita Moabitæ peterent terram, in qua manebant Rubenitæ, quia illa erat de iure eorum. Ideo veriſimile eſt, quod nunc omnes duæ tribus, & dimidia ſimul pugnarent contra Ammonitas, & omnes ſe ſubiecerint ducatui Iephte ad ſemper. Dicitur tamen de habitantibus in terra Galaad, quia propter iſtos erat nunc bellum. *Iephte quoque dixit eis.* Putauit Iephte, quod Galaaditæ vellent eum fallere, ideo noluit petitioni eorum aſſentire ſine firma promiſſione, ſcilicet, quod iurarent ei, quod haberent eum ſemper in principem. *Si vere veniſtis ad me, vt pugnem pro vobis contra filios Ammon.* Id eſt, quod dubitabat an vere venirent ad hoc:nam non dubitauit de iſto, quia bene nouerat, quod neceſſitate compulſi veniebant ad eum, vt pugnaret contra Ammonitas, ſed dubitabat an vere vellent eum facere principem,& quia ipſi hoc dicebant, dixit: ſi vere veniſtis, id eſt, cum vera intentione ad me faciendum principem. *Tradideritque eos Dominus in manus meas ego ero princeps veſter.* Id eſt, ſi cum vera intentione faciendi me principem ad pugnandum venitis, promittatis mihi, quod facietis me principem, ſi prævaluero contra Ammonitas.

Quare Iephte non dixit ad omnem caſum, quod facerent cum principem Iſraelitæ pugnatis Ammonitis, &c.

B

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quare non dixit ad omnem caſum, quod facerent eum principem poſtquam pugnaret contra filios Ammon, ſiue traderentur in manus eius, ſiue non, quia cum ipſe faceret quantum in ſe erat merebatur principatum, ſiue obtineret, ſiue non.

Reſpondendum, quod Iephte dixit ſolum ſi tradiderit Dominus filios Ammon in manus meas, vt oſtenderet, quod volebat iuſtiſſime habere principatum: nam ſi antequam traderentur Ammonitæ in manus eius efficeretur princeps eorum: poterat conuenire cum Ammonitis, vt non pugnaret, quod daret eis aliquam partem terræ Galaad, quam ipſi petebant, & tunc manerent deluſi Galaaditæ, ſcilicet, quia haberent in principem illum, qui nihil eis proficeret, ſed magis noceret: ſi autem non efficeretur princeps, ſed ſolum dux belli quouſque traderentur Ammonitę in manus eius, merebatur poſtea ſine dubio habere principatum exercitus. Vel dixit hoc, quia Ammonitę poterant dupliciter tradi in manus Iephte, ſcilicet, per hoc, quod ipſe in bello victos occideret. Vel quia eos de terra Galaad effugaret: nunc autem intendebat Iephte pugnare indeſinenter contra Ammonitas, ſcilicet, vel quod ipſe, & Iſraelitæ bellando deficerent, & morerentur, vel expellerent Ammonitas de terra. Si

C autem Iephte moreretur pugnando: non egebat principatu, ſi autem ſuperuiueret expelleret de terra Ammonitas victos, & tunc eſſent traditi in manus eius: ergo non egebat Iephte principatu, niſi Deus traderet in manus eius Ammonitas.

An Iephte potuit licite principatum terræ Galaad deſiderare: & an deſiderare liceat beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas, vel temporales.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, an Iephte potuit deſiderare licite principatum terræ Galaad: nam noluit ire ad adiuuandum eos, niſi iurarent ei de conſtituendo illum principem.

Reſpondendum, quod contingit deſiderare honorem ſecularem, aut Eccleſiaſticum. In honore Eccleſiaſtico, qui concernit curam animarum non eſt licitum alicui deſiderare abſolute, quia nemo debet ſe iudicare dignum ad perfecte exequendum id, quod dignitas illa requirit: & potiſſimum hoc eſt in magnis dignitatibus, ſcilicet, in Epiſcopatu, & maioribus, ideo nullus ſpontaneus debet aſſumi, ſed vocatus, & iuſſus. Et in ſignum huius Eccleſia iubet ei, qui conſecratur in Epiſcopum, quod bis dicat nolo, cum petitur ab eo, ſi vult Epiſcopari: & in tertia dicit, volo; quaſi obediendo, & non cupiendo: ſi tamen liceret alicui deſiderare Epiſcopatum abſolute, non iuberetur ei, quod diceret, nolo: quia tunc Eccleſia induceret eum ad mentiendum. In illis autem Eccleſiaſticis officiis, vel dignitatibus, quæ non habent curam animarum, ſed habent iuriſdictionem, adhuc difficultas eſt, quia licet magis alicui liceat deſiderare iſtas, quam illas, quæ requirunt curam animarum, tamen non licet cuilibet deſiderare eas, ſed ei ſoli, qui virtute, & prudentia iuſte præeſſe poteſt exercendo vtiliter iuriſdictionem ſuam. Si autem ſunt Eccleſiaſticæ dignitates, vel officia, aut beneficia, quæ non exigunt animarum curam, nec iuriſdictionem annexam habent, ſed ſolum exigunt ſeruitium Eccleſiaſticum, quilibet poteſt deſiderare illa, dum tamen moribus ſe ornare contendat agendo, quod in ſe eſt. In ſcholaribus autem dignitatibus quædam ſunt, quæ non concernunt iuriſdictionem, ſed ſolum habent quaſdam vtilitates conſequi dignitatem, vel officium. Alię dignitates exigunt iuriſdictionem. De primis dicendum, quod cuiq; licet deſiderare illos, eo quod ſolum eſt ibi vtilitas temporalis, quæ cuique conuenire poteſt. Si autem concernunt iuriſdictionem, non licet cuique deſiderare: nam ſi leges humanæ ambitum dignitatum reprobant, quanto magis lex diuina reprobare debet? Si quis tamen eſt, qui virtutibus, & prudentia ſufficiens eſt præeſſe iuriſdictioni, poteſt illam deſiderare: licet iudicare de ſe hoc non ſit nimis tutũ, nec tamen eſt valde reprobandum. Nunc autem dicendum de Iephte, quod ipſe deſiderauit dignitatem ſecularem, quæ exigebat iuriſdictionem, ſcilicet, quia E volebat eſſe princeps terræ Galaad: principalis tamen iuriſdictio iſtorum Iudicum Iſraelitarum, non erat in diffinitione cauſarum, ſed in bellis, vt declaratum eſt in prologo huius libri. Ad hæc autem erat aptiſſimus Iephte: nam ob hoc eligebatur à viris Galaad in Ducem, ideo poterat deſiderare iuſtum principatum. Conſiderandum tamẽ circa hoc, quod cum aliqua dignitas eſt, vel officium, in quo eſt honor, & reditus, poteſt aliquis deſiderare illam, vel in quantum habet honorem, vel in quantum habet reditus. Primo modo non eſt deſiderium tam licitum, quia honor ſecundum ſe nõ debet ab aliquo deſiderari, licet honor iam obtentus debet, vel poteſt ſaltem magno ſtudio conſeruari. Cauſa huius eſt, quia deſiderare honorem ſecundum ſe eſt velle frui ſeipſo, & iſtud nulli licet. Si autem deſideretur in quantum habet reditus poteſt eſſe licitum deſiderium magis reſpectu cuiuſcunque dignitatis, vel officij: in quantum aliquis, qui alias non habet vnde viuat illo modo habebit, cuilibet tamen licet deſiderare, & procurare, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, niſi in procurando ſit modus illicitus. *Dixeruntque ei: Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator ac teſtis eſt, quod noſtra promiſſa faciemus.* Id eſt, Deus audit, quod nos promittimus tibi nomine omnium Galaaditarum, quod faciemus te principem ſuper terram Galaad, & ipſe eſt teſtis: & nos inuocamus eum in teſtem, quod faciemus, quæ promittimus. Nam tunc Deus in teſtem vocatur, cum dicitur: Deus, qui hæc audit: loquendi vulgariter modus eſt. Nam Deus nihil audit, cum non ſit animal: ad animalia autem perfecta aliqualiter pertinet audire cum habeant organa potentiæ auditiuæ: Deus autem, nec habet organa, nec potentiam auditiuam, ideo non poteſt audire. Quia tamen Deus intelligit quæcunque nos loquimur nihil audiendo, ac ſi omnia audiret dicitur à vulgaribus audire: ſic etiam Deus nihil videt, cum nec oculos habeat, ſed quia, quæ nos videntes intelligimus, ipſe quoque perfectius intelligit, dicitur illa videre: vocatur Deus mediator, & teſtis inter Iephte, & ſeniores Galaad propter duo. Primo, quia ipſi inuocauerunt eum in teſtem, & mediatorem. Secundo, quia dato, quod ipſi non inuocarent eum: Deus omnibus, quæ fiunt, & dicuntur præſens eſt. In Hebræo habetur. *Dominus ſit audiens inter nos.* Vbi litera noſtra dicit: Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt: & poſuit iſtud litera noſtra ad exponendum: quia litera Hebraica interdum prę breuitate non explicat quod intendit. *Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad.* Iam certificatus, quod non fallerent eum, perrexit cum illis ad adiuuandum eos. *Fecitque eum omnis populus principem ſui.* Scilicet, venit Iephte ad locum illum, in quo Galaaditæ caſtrametati fuerant: nam Ammonitæ caſtrametati fuerant in terra Galaad contra ipſos Galaaditas, & Galaaditæ caſtrametati ſunt in Maſphat, præcedenti capitulo, & de ipſo loco miſſi ſunt ſeniores ad Iephte in terram Tob:

D

De cupiditate ſcholaritum digni tatum

E

Honor deſiderandus nõ eſt.

F

Deus vocatur duplici cauſa mediator, & teſtis inter Iephte, & ſeniores Galaad.

Nulli Epiſcopatum abſolute optare licet.

& redu-

A & reduxerunt eum in Maſphat, vbi erat totus populus congregatus,& ibi conſtituerunt eum in principem.

Quare Galaaditæ conſtituerunt nunc in principem Iephte terræ Galaad antequam pugnaret contra Ammonitas.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, quare Galaaditæ conſtituerunt nunc Iephte principem terræ Galaad antequam pugnaret,& traderentur Ammonitæ in manus eius, quia ſic ipſe dixerat, ſcilicet, ſi tradiderit Dominus Ammonitas in manus meas, ero princeps veſter.

Reſpondendum, quod Galaaditæ conſtituerunt eum nunc principem ante bellum propter tria. Primum eſt, vt oſtenderent affectionem ſuam ad Iephte:& quod non haberent deſiderium fallendi ipſum, quia antequam aduenirent conditio, quam ipſe poſuerat, ſuſcipiebant eum in principem, & ſic Iephte magis ſe exponeret ad quæcunque pericula pro illis. Secundum erat, quia Galaaditæ non dubitabant de fide Iephte,idco non putabant differre,quod traderent ei principatum antequam pugnaret, vel poſt: nam non recte agente illo poterant ei auferre principatum. Tertium erat ad imponendum ei maiorem curam pugnandi:nam cum facerent eum principem,putaret iam pugnare pro re ſua,& afficeretur valde ad pugnandum. Si autem nondum factus eſſet princeps, quia poterat dubitare adhuc an ſeruarent promiſſa non tanto affectu pugnaret. *Locutusque eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſphat.* Scilicet, propoſuit ibi omnia verba ſua de compoſitione, quam faciebat cum Galaaditis ad hoc, quod pugnaret pro eis fideliter vſq; ad mortem contra quoſcunque hoſtes, & Galaaditæ promiſerunt, quod ſicut nunc recipiebant in principem Iephte: ita cum ſemper tenerent finitis bellis.

B

Quomodo dicitur, quod Iephte poſuit omnia verba ſua coram Domino.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quod poſuit Iephte omnia verba ſua coram Domino. Aliqui reſpondent quod erat Sanctuarium Maſphat: & loquendo coram illo dicebantur loqui coram Domino. Sed dicendum,quod non ſtat, quia licet aliqui teneant, quod fuerit Sanctuarium in Maſphat aliquando, ſcilicet, tempore Samuelis, ſcilicet, quando immolabat ibi, 1. Regum 7. vt vult Nicolaus, tamen nunc non poterat eſſe in Maſphat Sanctuarium,quia erat in Silo:nam ex tempore Ioſue vſq; ad tempus Heli ſemper fuit in Silo: Iſraelitæ enim poſtquam introierunt in terra Chanaan, & obtinuerunt quandam partem terræ: antequam diuiderent eam per ſortes poſuerunt tabernaculum Domini in Silo,Ioſue 17. Et poſtea non fuit mutatum vſque ad tempus Heli,vt patet 1.Reg.1.& 4.Nam tunc ibi erat cum capta eſſet arca à Philiſthinis. Dici poteſt quod Iſraelitę conſtituerant ibi aliquod altare,in quo immolarent Domino,& ſtando coram illo altari dicebantur eſſe coram Domino. Sed adhuc magis videtur dicendum, quod propoſuit Iephte ſermones ſuos coram Domino,id eſt,Deo vocato in teſtem,ſic enim dixerunt ſupra Galaaditæ ad Iephte. Dominus, qui hæc audit: ipſe mediator, & teſtis eſt, quod noſtra promiſſa faciemus, vel coram Domino, vel publice: & iſti duo modi fuerunt: quia Iephte, & Galaaditæ vocauerunt in teſtem Dominum eorum, quæ tunc promittebant, & in vltorem ſi quis promiſſa infringeret. Etiam fecerunt illud publice, & quicquid publice fit,coram Domino fieri dicitur: ſimile habetur Ioſue vltimo, vbi dicitur quod locutus eſt Ioſue ad totum populum coram Domino: & tamen in Sichem, vbi tunc erat Ioſue cum populo, non erat Sanctuarium, ſed in Silo, vt ibi declaratum eſt: ſed dicebatur coram Domino, id eſt, præſente toto populo.

C

Sybilla Libyca claret.

Et miſit nuncios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi,& tibi eſt, quia veniſti contra me,vt vaſtares terram meam? Quibus ille reſpondit: quia tulit Iſrael trram meam, quando aſcendit de Aegypto à finibus Arnon vſque Ieboc atque Iordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. Per quos rurſum mandauit Iephte: & imperauit eis,vt dicerent regi Ammon: Hæc dicit Iephte: Non tulit Iſrael terram Moab, nec terram filiorum Ammon: ſed quando de Aegypto conſcenderunt, ambulauit per ſolitudinem vſque mare Rubrum, & venit in Cades. Miſitq; nuncios ad regem Edom, dicens. Dimitte me, vt tranſeam terram tuam. Qui noluit acquieſcere precibus eius. Miſit quoque ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum præbere contempſit. Manſit itaque in Cades, & circuit ex latere terram Edom, & terram Moab: venitq; ad Orientalem plagam terræ Moab, & caſtrametatus eſt trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium eſt terræ Moab. Miſit itaque Iſrael nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Eſebon: & dixerunt ei: Dimitte vt tranſeam per terram tuam vſque ad fluuium. Qui & ipſe Iſrael verba deſpiciens non dimiſit eum tranſire per terminos ſuos: ſed infinita multitudine congregata egreſſus eſt contra eum in Iaſa, & fortiter reſiſtebat. Tradiditque eum Dominus in manu Iſrael cum omni exercitu ſuo, qui percuſſit eum,& poſſedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, & vniuerſos fines eius de Arnon vſque Iaboc, & de ſolitudine vſque ad Iordanem. Dominus ergo Deus Iſrael ſubuertit Amorrhæum pugnante contra illum populo ſuo Iſrael, & tu nunc vis poſſidere terram eius? Nonne ea, quæ poſſedit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem: niſi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod iurgatus ſit contra Iſrael, & pugnauerit contra eum, quando habitauit in Eſebon, & in viculis eius, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetione tentaſtu? Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis,inducens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Iſrael, & inter filios Ammon. Noluitq; acquieſcere rex filiorum Ammon verbis Iephte quæ per nuncios mandauerat. Factum eſt ergo ſuper Iephte ſpiritus Domini, & circuiens Galaad & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon, votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filis Ammon eum holocauſtum offeram Domino.

D

Sybilla Perſica fulget.

Sybilla Europea prephetat.

E

Et miſit nuncios. Hic ponitur ſecundum principale huius cap. ſcilicet, Iephte ſupplicantis humiliatio: quia humiliter miſit ad petendum à rege Ammon, quod non indiceret ei bella. Et diuiditur in tres partes. Primo ponitur petitio Iephte rationabilis: Secundo regis Ammonitarum reſponſio irrationabilis ibi. *Quibus ille reſpondit.* Tertio irrationabilis reſponſionis iuſta euacuatio ibi. *Per quos rurſum mandauit.* Circa primum dicitur. *Et miſit nuncios.* Scilicet, Iephte princeps conſtitutus conſilio habito cum Galaaditis miſit nuncios ad regem Ammon, vt deſiſteret à bello.

Iephte ſupplicantis humiliatio.

Quare Iephte miſit nuncios ad regem Ammon vt deſiſteret à bello.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, quare Iephte miſit nuncios ad regem Ammon, vt deſiſteret à bello: quia potius debuiſſet pugnare

Sybilla Cumana vaticinatur.

F

A gnare contra illum : cum videret, quod procedebat per terram ſuam vaſtando illam.

Reſpondendum, quod voluit Iephte admonere regem Ammon iuſtis exortationibus ſi forte ſine bello cederet, & hoc quia forte rex Ammon ex quadam ignorantia mouebatur ad petendum terram Galaad tanquam ſibi debitam, & Iephte nunc protulit rationes euidentiſſimas, per quas rex Ammon deberet cognoſcere ſe non habere ius, & cedere: & forte illas ignorabat. Item proficiebat miſſio nunciorum ad iuſtificandum bellum, quia cum nunc rex Ammon iniuſtum bellum indicens Iſraelitis, & oſtenſo quod bellum iniuſtum eſſet, non deſiſtere poterat Iephte iuſte occupare id quod erat nunc de terra Ammon, cum iniuſte vellet vexare Iſraelitas, & poterat facere cœdem, & prædam iuſtam in terra Ammon. Et ſic fecit: nam cum non aſſenſiſſet rex Ammon verbis Iephte ipſe pugnans contra illum percuſſit Ammonitas effugans illos, & poſtea ciuitates viginti percuſſit de terra Ammonitarum, & tulit ſpolia illarum, vt patet infra in litera. *Et miſit nuncios ad regem filiorum Ammon.* Scilicet, qui erat nunc in terra Galaad iam vaſtans terram Galaaditarum. *Qui ex perſona ſua dicerent.* Id eſt, nomine ſuo. Iſtud dicitur, quia non mittebantur nuncij ex perſona totius populi: nam ſi fuiſſent Galaaditæ ſicut prius non habentes principem, miſiſſent nuncios ex perſona totius populi, quia tamen principem habebant, ille debebat mittere nuncios nomine ſuo. In B Hebræo non habetur. Qui ex perſona ſua dicerent, ſed ſolum miſit nũcios ad regem Ammon. Ieronymus tamen poſuit hoc, quod colligitur ex litera ſeq. cum dicitur: Quid mihi, & tibi, quia veniſti contra me, vt vaſtares terram meam? Ec ſic ſunt iſta verba ex perſona ſolius Iephte: litera autem noſtra ſæpe addit aliqua verba, quę nõ habentur in Hebręo, quantum ad literam: & tamen neceſſario ſubintelliguntur, & quia optimum genus interpretandi nõ eſt transferre ſemper verbum ex verbo, ſed magis ſenſum ex ſenſu: interdum aliqua verba addit, vel mutat ſequendo ſemper ſententiam: vt patet cuicunque ſine inuidia intuenti. *Quid mihi, & tibi.* Id eſt, quid habes mecum: vel quid ego feci tibi. *Quia veniſti contra me.* Scilicet, contra me & populum meum. Solum tamen ſe exprimit, quia omnia ſua ſunt: & contra eum ſolum agere cenſetur. *Et vaſtares terram meam.* Id eſt, terram Galaad, quæ mea eſt, non enim erat terra ſua ſicut aliæ terræ ſunt regum, vel dominorum, quia Iephte non fuit conſtitutus rex vel dominus, ſed ſolum princeps, vel iudex: nam inter iudices cõputatur Iephte. Poteſtas autẽ iudicum valde minor erat, quã dominorum, vel regum, vt declaratum fuit in prologo huius libri, & ſupra 8. cap. ſed vocauit terram ſuam quantum ad protectionem: nam ad eum pertinebat protectio, cum feciſſent eum principẽ oẽs Galaaditæ. *Quibus ille reſpondit.* Hic ponitur ſecundũ huius partis, ſcil. irrationabilis reſponſio regis Ammon. *Quia tulit Iſrael terram meã, quando aſcendit de Ægypto.* C Quaſi dicat, iuſte pugno cõtra te petens reſtitutionem: nam Iſrael tulit terram meam quando aſcendit de Ægypto, ideo licite repetere poſſum, & bellum indicere ſi non reddatur.

Irrationabilis reſpõſio regis Ammon.

Genus optimũ interpretandi.

Quomodo acceperunt Iſraelitæ terram Ammonitarum cum non pugnaſſent contra illos.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, quomodo acceperunt Iſraelitæ terram Ammonitarum, cum non pugnauiſſent contra illos, imo Dominus iuſſit, quod non pugnarent, quia non daret eis de terra illorum ſaltem veſtigium pedis: Deuteronom. ſecundo. Reſpondendum, quod Iſraelitæ acceperunt terram Ammonitarum non pugnando contra Ammonitas, ſed pugnando contra Sehon, & Og reges Amorrhæos, qui detinebant illam Numer. 21. Sed obiicietur, quod non ceperunt Iſraelitæ partem terræ Ammonitarum, ſed ſolum Moabitarum. Nam Numer. 21. quando dicitur de terris, quas cepit Iſrael de manu Sehon regis Eſebon: ſubiungitur: Vrbs Eſebon, quæ fuit regis Sehon, qui pugnauit contra regẽ Moab, & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat vſque Arnon, & de terra Ammonitarum nihil dicitur. Reſpondendum, quod quamquam ibi non exprimatur de terra Ammonitarum, tamen exprimitur alibi, ſcilicet, Ioſue 13. cum dicitur, quod Moyſes dedit tribui Gad dimidiam partem terræ Ammon, ſcilicet, medietatem illius terræ, quæ fuerat olim Ammonitarum, & nunc erat Iſraelitarum, & in eo tempore fuerat regum Amorrhęorum. Vel aliter poſſet dici quod Sehon rex ſolum accepit ciuitates, quæ erãt de terra Moab: Og autem cepit ciuitates, quæ erant Ammonitarum, & ſic ambo reges Amorrhęi tenebant ciuitates Moabitarum, & Ammonitarum. Aliter poſſet reſponderi ſecundum intentionem Nicolai, quia ipſe vult, quod Balac, qui erat rex Moabitarum eo tempore, quo Iſraelitæ introierunt in terram Amorrhęorum, erat etiam rex Ammonitarum, & cum dicitur Numer. vigeſimo primo capitulo, quod tulit Sehon omnes ciuitates, quæ ditionis illius fuerant vſque Arnon: non ſolum intelligitur de ciuitatibus terræ Moab, ſed etiam Ammon, quia vtriſque ipſe præerat. *A finibus Arnon vſque Ieboc, atque Iordanem.* Hic ponuntur duo termini terræ iſtius, quæ capta eſt ab Iſraelitis, ſcilicet, terminus Orientalis, & Occidentalis. Nam Arnon eſt terminus Orientalis, quia eſt ad partem Orientalem. Arnon eſt deſertum quoddam, quod vocatur via campeſtris, per quam ambulauerunt Iſraelitæ de Helath, & Aſiongaber, quæ ſunt ciuitates terræ Edom, vt patet Deuter. 2. Patet etiam infra: nam cum ſteterunt Iſraelitæ in terra, quę eſt apud Arnon, miſerunt ad Amorrhęos, vt concederent eis viam Numer. 21. & Deuteron. 2. & ſic non erat ante Arnon aliquis locus terræ Amorrhæorum, quem cepiſſent de terra ipſorum, & pertinuiſſet olim ad Moabitas, vel Ammonitas. E Ieboc eſt quidam paruus fluuius apud Iordanem, qui diſtat quaſi per duo milliaria: & illum tranſiuit Iacob antequam tranſiret Iordanem, quando veniebat de Meſopotania; Geneſis trigeſimo ſecundo capit. & iſte fluuius eſt apud terram Ammonitarum: nunc enim cum erat iſta contentio inter regem Ammon, & Iephte per locum illum: diſtinguebatur terra Iſrael, & Ammon, & dixit, ad Iordanem: quia Iordanis eſt principium terræ Chanaan à parte Orientali, & eſt finis Occidentis terrę Moab, & Ammon, vnde à principio totum quod erat vltra Iordanem inter Ammon, & Moab erat Moabitarum, & Ammonitarum: poſtea Sehon rex, & Og Amorrhæi acceperunt magnam partem terræ Moab, & Ammon, ita vt fierent ibi duo regna magna ſecundum magnitudinem regnorum temporis illius, in quibus acceperunt poſſeſſionem duæ tribus, & dimidia. Vnde non poſuit hic Ammon aliquem terminum Meridianum, & Septentrionalem, ſed ſolum occidentalem, & orientalem, quia procedendo à Meridie in Septẽtrionem totum, quod erat inter terram Moab, & Ammõ erat ablatum de terra eorum, quia olim inter terram Ammon, & Moab nulla erat interpoſitio. *Nunc igitur cum pace redde mihi eam.* Id eſt, antequam plus pugnem contra terram tuam: nam iam non poterat dari cum pace, eo quod rex Ammon introierat in terram Galaad, ibique caſtrametatus erat præcedenti cap. & pugnabat acriter contra terram illam, vt dicitur, ſupra, ſcilicet, quibus acriter inſtãtibus perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxilium ſuum Iephte, ſed dicebat. *Redde in pace.* Scilicet, ne cogar pugnare contra te, & tunc deuicto populo tuo ego tollam terram. *Per quos rurſum.* Hic ponitur tertium huius partis, ſcilicet, euacuatio iuſta reſpõſionis irrationabilis regis Ammon: & allegat hic Iephte multas rationes oſtendens, quod ipſe nihil accepit de terra Ammonitarum. *Per quos rurſum mandauit Iephte.* Id eſt, per eoſdem nuncios miſit legationem iterum ad regem Ammon: quia illi melius poſſent expedire negocium, quod iam cœperant, & dicitur mandauit, id eſt, miſit: Sic accipitur Geneſis quadrageſimo quinto, ſcilicet. Hæc mandat Ioſeph filius tuus: Et tamen filius non mandaret aliquid patri, ſed dicitur mandat, id eſt, mittit ad dicendum: Sic etiam Numeri vigeſimo capitulo, ſcilicet, hæc mandat tibi frater tuus Iſrael, & tamen ibi Iſraelitæ non mandabant Idumæis, ſed humiliter ſupplicabant. Accipitur ergo pro mittere. *Et imperauit eis vt dicerent regi Ammon. Hæc dicit Iephte.* Scilicet, vt loquerentur omnia ſequentia ex nomine Iephte ſicut præcedentia. *Non tulit Iſrael terram Moab, nec terram filiorum Ammon.* Scilicet, tu petis à nobis reſtitutionem terræ tanquam abſtulerimus tibi, Iſrael autem non accepit aliquid de terra Moabitarum, aut Ammonitarum: & ſi forte nunc poſſideat id, quod fuit aliquando Ammonitarum, vel Moabitarum, non competit contra eum actio ſpoliationis,

D

Reſp. ſecundum Nicol. Lyran.

F

Euacuatio iſtarationis irrationabilis regis Ammon.

Ieboc quid ſit.

liationis,& petitio reſtitutionis,quia ſolum competit contra ſpoliantem, vel iubentem vel rem ratam habentem: nos autem nec ſpoliauimus,nec ſpoliari iuſſimus,nec ſpoliationem ratam habuimus, cùm ad nos nihil tunc pertineret, qui in Ægypto eramus, ideo non competit tibi contra Iſraelitas actio. Dicitur autem de terra Moab,& Ammon,quia Iſraelitę habebant ciuitates aliquas, quæ fuerant Ammonitarum, & alias Moabitarum, & tamen neutras illarum acceperant de manu Ammonitarum, vel Moabitarum.

An iſte rex Ammon peteret nunc vrbes quæ fuerant olim terræ Ammon ſolum,vel tam Ammon quam Moab.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR an iſte rex Ammon peteret nunc vrbes, quæ fuerant olim terræ Ammon ſolum, vel tàm vrbes Ammonitarum, quàm Moabitarum.

Reſpondendum quòd iſte petebat tam terram Moabitarum,quã Ammonitarum. Quod patet quia poſuit terminos vtriuſque terræ captæ: nam quæcunque petitio debet continere aliquid certum quòd petit: ideo ad hoc quòd peteret rex Ammon terram ab Iſraelitis, oportebat quòd limitaret eam, & ad hoc limitauit terram dicens: Ab Arnon vſque Ieboc vel Iordanem, iſta autem terræ limitatio non ſolum continet terram Ammonitarum captam ab Iſraelitis,ſed etiam terram Moabitarum, vt patet Deuteronom.2. vbi victo rege Sehon dicitur, quòd poſſiderunt Iſraelitæ terram ab Arnon vſque ad ea,quæ adiacent torrenti Ieboc, & vſque ad terram Ammonitarũ, & tamen rex Sehon tenebat loca,quæ fuerunt de terra Moabitarum Numer. 21. cap. ergo non ſolum petiuit iſte terram Ammonitarum, ſed etiam Moabitarum. Item patet quia ſolum ponuntur hic termini ab Oriente, & ab Occidente,& non à Meridie,& Septentrione. Ex quo apparet quod cum totum quod erat nunc inter terram Ammonitarum, & Moabitarum fuiſſet olim Moabitarum, & Ammonitarum totum illud petitum, quia alioquin limitaretur pars terræ ab aquilone, & Meridie, ſed cum totum, quòd eſt inter Meridiem, & aquilonem petat non curauit aliquid limitare,ab Oriente autem, & Occidente, quia non erat limitatum ipſe limitauit. Item patet hoc ex reſponſione Iephte, quia ipſe non reſponderet ad impertinens: reſpondit tamen ad terram Amon, & Moab, dicens non tulit Iſrael terram Moab,nec filiorũ Ammon:ergo vtranq; petebat iſte.

Quomodo iſte cum eſſet rex Ammonitarum poterat petere terram Moabitarum.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR quomodo iſte cum eſſet rex Ammonitarum poterat petere terram, quæ fuerat Moabitarum. Reſponderi poteſt dupliciter. Vno modo,quòd iſte petebat iniuſtè tàm terram, quæ olim fuerat Ammonitarum, quàm Moabitarum, quia tamen videbat ſe potentem, & putabat Iſraelitas non poſſe reſiſtere ei, petebat quod volebat: credens ex neceſſitate Iſraelitas aſſenſuros ei, alioquin bello ſubigendos. Aliter poteſt dici,& melius, quod iſte res Ammonitarum erat etiam ſimul rex Moabitarum, quòd patet quia infra dixit Iephte huic regi: Niſi fortè melior eſt Balac filio Sephor: ille tamen erat rex Moab, & iſte comparatur illi in iure: ergo neceſſe eſt quòd etiam iſte eſſet rex Moab. Et eſt ſenſus Balac filius Sephor erat rex Moab,& non auſus eſt petere terram Moab, quam tenebant Iſraelitæ tanquam non haberet ius repetendi, ergo nec tu, qui ſuccedis,poteris eam repetere, niſi fortè ſis melior illo, id eſt potior in iure: erat ergo etiam iſte rex Moab, alioquin non procederent verba Iephte. Item patet quia dixit Iephte quòd ea, quæ Chamos Deus iſtius regis obtinuit pertinebant ad eum, ſed Chamos non erat Deus Ammonitarum, ſed Moabitarum, vt patet 3. Regum.11. vbi ponitur Chamos Deus Moab, & Moloch,ſiue Melchon Deus Ammonitarum,vt patet 3.Regu.23.vocatur quoq; populus Moabitarum populusChamos,id eſt cultor eius Num. 21. ſcilicet Væ tibi Moab periſti populo Chamos; ergo iſte rex cuius Deus erat Chamos neceſſariò erat rex Moabitarum, & ſic erat rex vtriuſque regni tàm Moabitarum, quàm Ammonitarum: ideo fungens iure vtriuſque gentis petebat totam terram, quæ olim fuit Moabitarum, & totam terram, quæ fuit Ammonitarum: & ſecundum hoc non maneret aliqua terra, in qua habitarent duæ tribus, & dimidia: quia tota ſua poſſeſſio fuerat terra duorum regum Amorrhæorum, & illa fuerat terra Moabitarum, & Ammonitarum, ſed oportebat quòd duæ tribus, & dimidia reciperent poſſeſſionem ad Occidentalem partem Iordanis, cum aliis nouem tribubus, & dimidia. *Sed quando de Aegypto.* Declarat Iephte quòd competat regi Ammon repetitio contra Iſraelitas ex parte Ammonitarum, vel Moabitarum. Et hoc tribus rationibus: prima ex iuſta terræ poſſeſſione. Secunda ex Dei auctoritate ibi. *Tradiditque eum Dominus.* Tertia ex diuturna præſcriptione ibi. *Niſi forte.* Circa primam oſtenditur, quòd Iſraelitæ iuſtè poſſiderunt à principio terram illam, & nunc quoq; iuſtè tenebant, eo quòd non pugnauerunt contra Moabitas, vel Ammonitas ad obtinendum aliquid eius, ſed extorſerunt illam de manu regis Sehon & regis Og,contra quos iuſtum bellum habuerunt.

An licuerit aliquo modo Iſraelitis accipere aliquid de terra Moabitarum,vel Ammonitarum.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR, vlterius ad intellectum iſtius reſponſionis Iephte de duplici dubio. Primum eſt ſi licuit aliquo modo Iſraelitis accipere aliquid de terra Moabitarum, vel Ammonitarum: nam licèt non acceperunt quod actualiter poſſiderent Moabitæ, vel Ammonitæ: tamen ſuſ e ueruut id quod acceperat ab eis paulo ante hoc rex Sehon, & Og. Videtur tamen quòd nullo modo liceret Iſraelitis accipere de terra illorum, quia Deus dixit: nec enim tibi dabo de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium Deut. ſecundo cap. ſed iſta terra erat Moabitarum, & Ammonitarum, ergo non licebat Iſraelitis accipere illam, licèt ab aliis tunc teneretur. Reſpondendum, quòd Deus non vetuit Iſraelitis accipere terram,quæ olim fuerat Ammonitarum, & Moabitarum,& nunc tenebatur ab aliis gentibus, ſed ſolum illa,quæ actualiter poſſidebatur ab eis,quod patet,quia Deus vetuit pugnare Iſraelitis contra Moab,& Ammon:nam fortè Iſraelitæ deſiderio capiendi multum de poſſeſſione, inferrent bellum Moabitis,&Ammonitis,vt terram eorum caperent:Deus autem vetuit dicens, ne pugnarent Iſraelitæ contra filios Ammon,nec cõtra filios Moab, ſed tranſirent apud terras eorum:nam non daret Deus de terra illorum Iſraelitis quantum poterat vnius pedis calcare veſtigium: Deuteronomij ſecundo,bellum autem contra Moabitas, & Ammonitas ſolum etiam ad obtinendum terram, quam illi actualiter poſſiderent: ergo ſolum vetebat Deus Iſraelitis accipere aliquid de terra Moab,& Ammon quantum ad id,quod poſſidebant, iſtud tamen quod acceperunt poſſidebatur ab Amorrhæis, ideo potuerunt accipere.

Si Iſraelitæ contra præceptum Dei, pugnarent contra Moabitas, Ammonitas,& obtinerent aliquid de terra eorum an tenerentur ad reſtitutionem.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRTVR vlterius ſi Iſraelitæ fortè contra præceptum Dei pugnarent contra Moabitas,& Ammonitas, obtinerent aliquid de terra eorum, an tenerentur ad reſtitutionem. Aliquis reſpondebit,quod ſic,quia faciebant contra Dei mandatum. Sed huic poſſet reſponderi, quòd nõ tenet: quia multa fieri prohibentur, quæ ſi fiant obtinent firmitatem: ſicut prohibentur conferri ordines extra tempora ordinata à iure: & tamen ſi conferantur tenet collatio,& ſic de multis. Reſponnendum eſt, q̃ non eſt admittendus caſus, quia dato quòd Iſraelitæ conarentur ex cupiditate cõtra Dei prohibitionem pugnare contra Moabitas, & Ammonitas,

A vt obtinerent terram eorum, non poſſent obtinere de terra illorum, nec vnius pedis veſtigium, quia Deus dixerat, quòd non mouerentur ad pugnandum contra illos, quia non daret de terra illorum Iſraelitis, nec vnum veſtigium pedis: ideo impoſſibile erat Iſraelitas quantumcunque fortiter pugnarent obtinere quicquam de terra illa, ſed potius caderent in manus Moabitarum, vel Ammonitarum, & fugarentur ab eis: imò etiam Ammonitis, vel Moabitis non pugnantibus contra Iſraelitas Deus pugnaret contra eos tanquam contra manifeſtè rebelles, & percuteret eos peſte, vel alio genere plagæ, ideo non eſt admittendus caſus, ſcilicet quòd Iſraelitæ pro tunc potuiſſent aliquid obtinere de terra Moab, & Ammon: non quidem ex hoc quòd Deus vetuit, ſed quia dixit. Non dabo, ideo impoſſibile erat, quòd aliquid reciperent de illa. Sed adhuc dato per impoſſibile, quòd Iſraelitæ poſſent aliquid obtinere de terra Moab, vel Ammon, & obtinerent: dicendum quòd tenebantur ad reſtitutionem, quia ille, qui non poteſt effici Dominus rei poſſeſſæ, vel detentæ tenetur ad reſtitutionem ſemper: cũ alias ſemper maneat iniuſtus poſſeſſor: ſed Iſraelitæ obtinentes aliquid de terra Moab, vel Ammon nunquam poſſent effici Domini: nam tituli rerum verius dependent à Deo quam ex alio iure, eo quòd Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si ergo Deus dicat alicui quod non accipiat rem, quia non intendit eam dare ſibi: nunquam iſti poteſt eſſe titulus rei. Sic autem erat de

B poſſeſſione Ammonitarum, & Moabitarum, quia Deus dixit quòd Iſraelitæ non pugnarent contra eos ad obtinendũ terram, quia non daret eis de terra illorum ſaltem veſtigium pedis, quia dederat eam in poſſeſſionem filorum Loth, id eſt Moabitarum, & Ammonitarum qui erant filij Loth Geneſ. 19. c. ergo apparet, quòd Deus volebat manere firmum titulum terrarum illarum apud Ammonitas, & Moabitas: & nunquam tranſire ad Iſraelitas, ergo dato quòd per mille annos poſſiderent eas Iſraelitæ: ſemper eſſent iniuſti detentores, & Moabitę eſſent Domini. Item quandocunq; aliquid obtentum eſt per iniuſtum bellum, tenemur ad reſtitutionem illius, nec poterimus vnquam effici Domini illius, ſed bellum factum contra expreſſam Dei prohibitionem eſt iniuſtiſſimum, & conſequenter nihil obtentum ibi poteſt effici capientium. Sic autem eſſet, ſi Iſraelitæ pugnarent contra Moab, & Ammon, quia eſſet contra Dei prohibitionem: Deute. 2. ergo terram obtentam non poterant vnquam ſuam efficere, ſed tenebantur ad reſtitutionem.

De reſtitutione terræ Ammonitarum, & Moabitarum.

Qvæstio XXIV.

C Qværetvr vlterius de ſecundo dubio ſcilicet quia tota defenſio Iephte contra regem Ammon fundatur in hoc, ſcilicet quia Iſraelitæ non acceperunt terram de manu Moabitarũ, vel Ammonitarum, ſed de manu Amorrhæorũ, ideo quamquam fuiſſet olim Moabitarum, & Ammonitarum non tenebantur eis ad reſtitutionem. Sed videtur quod iſta ratio non ſtet, quia ſicut non licet mihi rem alterius rapere, ita non licet eam à raptore accipere, licèt enim quis rapuerit rem alterius, ego non poſſum tollere raptori, vt poſſideam: ſed ita competet Domino vendicatio rei contra me, apud quem rem inuenit, quam probat fuiſſe ſuam ſicut competeret contra raptorem, non agendo actionem furti, ſed ſolum vendicando rem: & non poteſt aliquis ſe defendere iudicialiter, dicendo accipi à raptore. Nec etiam in foro conſcientiæ eſt tutus, ſed ſemper tenetur ad reſtitutionem, & inſuper peccauit accipiendo eam. Sed aliquis dicet, quòd hoc verum eſt quando accipit eam iniuſtè à raptore: nam ſicut raptor nullum ius habuit ad rapiendum, ita ſi ego ſciens illam raptam accipiam ab eo, vt mea ſit: non prætenta alia cauſa iniuſtè accipio: ſed ſi forte habeo ius accipiendi, dicetur quòd poſſum retinere: ſic enim probauit Iephte contra regem Ammon: quia non ſolum oſtendit ſe non rapuiſſe, ſed etiam oſtendit iuſtè ſe accepiſſe à raptore, ſcilicet quia iuſto bello pugnans Iſrael contra regem Sehon, qui poſſidebat iſtam terram, & fuerat raptor, accepit eam, vt patet infra. Sed adhuc dicendum quòd iſtud non ſufficit, quia dato quòd ego habeam iuſtam cauſam accipiendi aliquid à fure, vtpote quia eſt debitor meus, non poſſum ſuſcipere ab eo rem furtim acceptam, vel raptam, licèt rem aliam ab eo iuſtè accipere poſſim: quamquam ergo iuſtum bellum habuerit Iſrael contra reges Amorrhæos Sehon, & Og: non ſufficiebat ad hoc, quòd terram, quam poſſidebant, & rapuerant de Ammonitis, & Moabitis poſſent licitè obtinere, & poſſidere. Dicendum ergo quòd ad defenſionem Iephte non ſufficiebat id quòd allegabat hic in principio, ſcilicet quòd non rapuerat Iſrael, ſed cœperat de manu raptoris, & quòd iuſto bello acceperat de manu raptoris: nam hic erat duplex defectus. Primus eſt, quia licèt aliquis bona fide accipiat à debitore ſuo rem, & poſtea conſtet ſibi rem eſſe raptam: incipit iam eſſe poſſeſſor malæ fidei, & non ſolum in foro conſcientiæ tenetur, ſed in ciuili etiam teneretur ad reddendum rem Domino. Secundus defectus erat, quia Iſrael non ſuſcipiebat terram, quæ fuerat Ammonitarum, & Moabitarum bona fide de manu Amorrhæorum: cùm tunc conſtaret terram illam fuiſſe Moabitarum, & Ammonitarum, qui autem à debitore recipit in ſolutionem rem, quam conſtat furto habitam, vel raptam, non ſolùm non poteſt eam efficere ſuam, & tenetur ad reſtitutionem: ſed etiam peccat mortaliter, & eſt particeps criminis: imò eſſet contra eum directa actio ſicut contra furem, & cuſtodientem, vel receptantem res furto ablatas: ſed Iſrael ſic accepit terram illam de manu Amorrhæorum: ergo non ſolùm non poterat efficere eam ſuam: E ſed etiam peccabat ſuſcipiendo. Dicendum igitur quòd ad hoc, quòd Iephte defenſio procederet, oportebat eſſe vnum de duobus. Primum erat, quòd Sehon, & Og iuſto bello accepiſſent terram de manu Ammonitarum, & Moabitarum: nam tunc iuſtè poſſidente Amorrhæo ſolum requirebatur, quòd haberet Iſrael inſtantiam ſuſcipiendi ab eo, & iſtam probat Iephte, ſcilicet quòd iuſto bello accepit Iſrael terram iſtam de manu Amorrhæorum, vt patet in litera. Quod autem Amorrhæi haberent iuſtam cauſam pugnandi contra Ammonitas, & Moabitas, erat ſi fortè recepiſſent ab eis valde magnas iniurias, propter quas poſſent ſuſcipere terram in ſatisfactionem, vel ſi forte alio iure ante bellum competebat iſta terra Amorrhæis, quia tunc iuſto bello poterant eam capere de manu Moabitarum, & Ammonitarum. Secundum erat ex auctoritate Dei, ſcilic. ſi fortè Deus iuſſit, quòd Iſraelitæ caperent terram illam de manu Amorrhæorũ, quia cùm ad Deum pertineat veriſſime titulus rerum: ſi ipſe iuſſerit alicui, quòd accipiat res quas alius iuſto titulo, & pacificè poſſedit, erit verus Dominus, qui accipit, ſicut fuit Iſraelitis commodata vaſa, & veſtes petere ab Ægyptiis, & pro ſe accipere: nam Ægyptij iuſtè poſſidebant illa, nec competebat ſpecialiter ius aliquod Iſraelitis contra illos, à quibus iſta ſuſceperunt commodata, licet competeret contra reges Ægypti, qui iniuſtè opprimebant eos: Deo tamen inbente hoc F fuit iuſtiſſima ablatio. Sic fuit hic: nam dato quòd Amorrhæi cæpiſſent bello iuſtiſſimè terram iſtam de manu Ammonitarum, & Moabitarum, Deus præcepit Iſraelitis, vt aſcenderent, & inciperent poſſidere terram iſtorum duorum regum Amorrhæorum, quam promiſit ſe traditurum illis, vt patet Deut. 2. & Numeri vigeſimo primo: ergo iuſte ſuſceperunt terram, & poſſidebant eam.

Res furto ablata à nemine tineri poſſunt

An Iſraelitæ iuſto bello pugnando contra Amorrhæos terram eriperent de eorum manibus, poſſent eam iuſte poßidere.

Qvæstio XXV.

Qværetvr vlterius, dato quòd Deus non iuſſiſſet Iſraelitis, quòd acciperent terram duorum regum Amorrhæorum, ſed ipſi pugnando contra Amorrhæos iuſto bello terram eriperent de manibus eorum, an poſſent eam iuſtè poſſidere. Reſpondendum quòd iuſta bella ſunt ad petendum reſartionem iniuriarum, vel reſtitutionem ablatarum rerum, vel damorum, & cum bellum iuſtum incipit tandiu continuari poteſt vſquequo recuperentur damna, vel res ablatæ, & impenſæ, quæ fiunt in bellis: vtputa ſi fiat bellum ad reſtitutionem aliquarum rerum ablatarum, ſi determinatæ ſunt: vt ſi aliqua loca repetũtur: tandiu eſt bellũ iuſtũ quoſuq;

illa

A illa loca recipiantur, & accipiatur tantum in valore de terra illa quantum gens, quæ infligit iustum bellum expendit in faciendo bellum, quia istæ sunt expensæ rationabiles, & necessariæ ad quas tenetur victus victori, vel fouens iniquam litem ei, qui litem iustam fouet, & hoc in cõtumaciam ipsius qui noluit sine bello restituere res, quas iniustè tenebat. Si autem petantur damna inflicta in bello iusto, tandiu procedet bellum iustum, quousque sit recepta æstimatio damnorum, & insuper expensæ, quæ in bello fiunt ex causa supra assignata. Si autem fiat bellum ad resartionem iniuriarum: tandiu poterit esse bellum ad Occidendum, & rapiendum: quousque secundum arbitrium bonorum virorum, & sapientum sit satisfactum de iniuria. Quidquid autem vltra pugnatur rapiendo, vel occidendo, aut vastando terram, ad iniustum bellum pertinet: ideo qui cœperunt bellum iustum agere, nunc bellum iniustum agunt, & tenentur iam ad restitutionem omnium, quæ faciunt de damno supra iustam æstimationem damni vel iniuriæ. Nunc ergo si iniuriam, vel damnum quòd Israelitæ susceperunt ab Amorrhæis: si non esset tanta, vt Amorrhæi mererentur omnes perire, & terram perdere, Israelitæ nõ iustè egissent possidendo totam terram illorum. Pro quo sciendum quod Amorrhæi non fecerunt aliam iniuriam Israelitis: nisi quia non concesserunt transitum eis per terram suam vsque ad Iordanem: cùm nullum alium locum transeundi haberent ad terram suam. Ista autem non erat valde magna iniuria, imò vt aliquis iudicabit fortè nulla erat, quia non volebant permittere aliquos transire per terram ipsorum, quàm timebant lędi ex transitu. Sed maior iniuria fuit quia rex Amorrhæorum occurrerit Israelitis antequam inciperent transire per terram eius cum magno exercitu ad pugnandum. In hoc autem considerando literam Numeri vigesimo secundo, & Deuteronomij secundo, possumus eam interpretari pro vtraq; parte. Nam si volumus dicere, quòd rex Sehon non peccauit, quia non intendebat offendere Iudæos, sed solum arcere eos de finibus suis, satis stabit, & tunc dicemus, quòd Israelitę, licet alias non fouerent iustum bellum, tamen ex mandato Dei, qui iusserat eis transire per locum illum, cùm angelus Domini dirigeret eos in columna nubis per terram illam, etiam quia Deus iussit eos pugnare contra reges illos Amorrhæos, fuit factum bellum iustum. Et ista est secura positio, sed tamen volendo interpretari, quòd Israelitis licebat pugnare contra Amorrhæos, vt darent eis transitum per terram suam ad Iordanem dicemus quòd tandiu licebat eis pugnare, quandiu darent eis locum, & quia nunquam voluerunt dare, semper licuit eis pugnare, quousque totam gentem illorum duorum regum Amorrhæorum delerent, & tunc poterant transire libere, & iam non habebant causam pugnandi, quia iam non habebant causam accipiendi aliqua loca de terra Amorrhæorum, cùm iam non restaret aliqua pars iniuriæ, pro qua deberent accipere loca, quia tamen manebant loca deserta expulso, vel occiso iustè habitatore, poterant Israelitæ iustè accipere loca, ne aliæ gentes superuenientes occuparent illa, quia quod in nullius bonis est, primo occupanti conceditur: si tamen fuisset aliqua gens Amorrhęorũ, quæ restitisset Israelitis in transitu, & alia consensisset: non poterat pugnare contra consentientes, sed occisis repugnantibus tenebantur cessare à bello, & dimittere loca libera Amorrhæis, qui non resistebant.

B

C

Quod in nullius bonis est, primo occupãti conceditur

Ad quid probatur à Iephte tam longa ratione, quòd Israelitæ acceperant terram hanc in bello iusto.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR cùm Iephte non probaret se iustè possidere, dato quòd Israelitæ accepissent iusto bello terram de manu Amorrhæorum, ad quid probabat per tam longam rationem, quòd Israelitæ acceperant terram istam in bello iusto: nam ad probationem impertinentem nemo in iudicio debet admitti, & nunc quamquam non contenderet iudicialiter Iephte: tamen debuisset euitare probationem impertinentem. Respondendum quòd Iephte probauit hoc, quia licèt probatio ista non esset sufficiens, per se tamen erat admiriculum, vt cum aliis probationibus sufficienter concluderet. Nam fundamentum debebat esse eo quòd Amorrhæi iustè acceperant de manu Ammonitarum, ideo poterant Israelitæ accipere eam iustè de manu Amorrhæorum, & tunc proficiebat ad hoc, quòd Israelitæ in bello iusto accepissent terram de manu Amorrhæorum, quia dato quòd Ammonitæ, & Moabitæ iustè perdidissent, & recuperassent iustè Amorrhæi, tamen Israelitæ non habebant ius ad accipiendum de manibus Amorrhæorum, ideo cùm tenerent Israelitæ terram, quæ olim fuerat Ammonitarum, & nunc nullum ius haberent ad possidendũ illam, peterent Ammonitæ, & Moabitæ tanquam ab iniusto possessore. Et dato quòd non oriretur ex hoc Ammonitis iusta causa petendi, tamen maiorem colorem haberent ad petendum, quàm si Israelitę iusto titulo possiderent. Probando autem bellum iustum probatur iustus titulus. Vnde non haberent Ammonitæ colorem petendi ab Israelitis, & sic Iephte conatus est probare longa ratione. *Sed quando de Aegypto conscenderunt.* Dicuntur ascendere, quia terra Chanaan est altior, quàm terra Ægypti in situ, eo quòd est magis Aquilonaris. *Ambulauit per solitudinem vsque ad mare rubrum.* Hic incipit ponere mansionum discursum ex Ægypto, vt det principium narrationi suæ. Et dicitur quòd ambulauerunt vsque ad mare rubrum, quia ibi cęperunt Israelitæ esse extra terram Ægypti. Et dicitur quòd venerunt per solitudinem, quia exeundo de Rameses vrbe, in qua conuenerunt Israelitæ ad exeundum, ambulauerunt per quandam solitudinem faciendo quasdam mansiones vsquequo peruenirent in mare rubrum. De hoc patet Exodi decimo quarto, & magis Numeri vigesimo tertio, vbi ponitur Catalogus mansionum, & dicitur: Profecti de Soccoth venerunt in Ethan, quæ in extremis finibus solitudinis est, & deinde cæteræ mansiones, quæ ponuntur per terram Ægypti vsque ad mare rubrum sunt per solitudinem. Considerandum autem, quòd Israelitæ ter venerunt apud mare rubrum. Primò quando exeuntes de Ægypto transierunt illud: Exod. 14. & ibi mortui sunt Ægyptij. Secundò venerunt apud illud quando steterunt in mansione, quæ vocatur Helim, sic dicitur Numeri trigesimo tertio. Profecti de Helim castrametati sunt super mare rubrum, & profecti de mare rubro venerunt in desertum Sin. Tertiò steterunt apud mare rubrum anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, quando mortuus est Moyses, & prædicauit totum Deuteronomium coram Israel. Vnde dicitur in principio Deutereno. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem in solitudine campestri contra mare Rubrum: istis tribus vicibus steterunt apud mare rubrum. Sed aliis duabus vicibus stetit Israel apud mare rubrum, licèt magis distans. Prima vice cùm iussit Deus quòd recederent Israelitæ de Cadesbarne: Numeri decimo quarto scilicet: Quia Amalecites, & Chananæus habitant in vallibns, eras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri. Iterum fuerunt apud mare rubrum in terminis terræ Idumæorum, quando transierunt per viam campestrem de Helath, & Asiongaber Deutero. 2. scilicet profectique inde venerunt in solitudinem, quæ ducit in mare rubrum. Sciendum quòd hoc, quod dicitur hic de mari rubro intelligitur de prima vice, & ponuntur hic duæ mansiones solũ ante terram Amorrhæorum, de qua intenditur, scilicet mare rubrũ, & Cadesbarne, eo quod istę fuerunt principales, scilicet mare rubrum propter miraculum, & Cadesbarne propter moram, quia manserunt Israelitæ in Cadesbarne 38. annis non euntes ad aliam mansionem, vt declaratum est Num. 14. cap. *Et venimus in Cades.* Ista est Cadesbarne, vel Cades deserti Sin, quòd idem est, vt declaratum est Num. 13. Et non est intelligendum quod immediate post mare rubrum venerint in Cades, quia Cadesbarne est vicesima, vel vicesima prima in mãsionibus, vt patet Num. 33. c. Considerandum quòd Israelitę bis venerunt in Cadesbarne. Prima vice in anno 2. ab exitu de Ægypto quando miserunt inde exploratores 12. in terrã Chanaan, de quo Num. 13. & 14. & tunc transituri erant illico in terram Chanaan, nisi murmurassent, quia tamen murmurauerunt, imposuit Dominus in pœnam quòd manerent 40. annis in deserto, eodem capite, & tunc declinantes inde ad solitudinem, quæ erat apud mare rubrum, manserunt ibi annis ferè 38. & incipiente anno 40. ab exitu de Ægypto

D

Discursus mansionum ex Ægypto.

E

Israelita ter apud mare rubrũ venerunt.

F

primo

primo menſe mouerunt caſtra de ſolitudine illa,& venerunt iterum in Cadeſbarne, ſiue in deſertum Sin, vt patet Numeri vigeſimo, & ibi declaratum eſt.

De qua vice intelligitur quòd Iſraelitæ venerint in Cadesbarne.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, cum bis venerint Iſraelitæ in Cades, de qua intelligitur. Reſpondendum quod intelligitur de ſecunda, quòd patet ex ſequenti litera, ſcilicet quia dicitur, quod miſit Iſrael nuncios ad regem Edom:&tamen hoc fuit in ſecunda vice. Nam in prima vice non miſit Iſrael nũcios ad aliquem regem,ſed ſolùm miſit exploratores 12.in terram Chanaan, Num.14.In tertia autem vice,miſit Iſrael nuncios ad regem Edom,vt permitteret tranſitũ ei per terram ſuam, Numer.20.ſcilicet, miſit in terra nuncios Moyſes de Cadeſbarne ad regẽ Edom: & fit mentio de iſta vice ex cauſa ſupra aſſignata: & etiam quia hic incepit occaſio pugnandi contra Amorrhæos, & capiendi terram. *Miſitque nuncios ad regem Edom.* Refertur hoc ad Iſrael,qui miſit nuncios. Sed Num.20. cap. dicitur quòd Moyſes miſit nuncios. Reſpondendum idem eſſe, quia Moyſes erat princeps Iſraelitarum, ideo ipſe nomine totius populi mittebat. *Dicens,dimitte me vt tranſeam per terram tuam.* Iephte eſt hic breuiloquus, ſolum enarrans, quæ tangunt ſubſtantiam facti, & non curans referre verba petitionis Iſrael ad regem Edom. Conſiderandum quòd Iſraelitæ à multis petierunt tranſitum, ſcilicet ab Idumæis, & Moabitis, & Amorrhæis. Deuteron. 2. primi tamen fuerunt Idumæi,eodem cap.ideo ponuntur hic primi. Et cauſa fuit, quia nulla terra erat,per quam Iſraelitę velocius,& ita breuiter tranſire potuiſſent quàm per terram Edom. Patet quia Iſraelitæ erant in Cadeſbarne, quæ erat in extremitate terræ Edom, Num.20. & etiam Cadeſbarne eſt in extremitate terræ Iſrael in latere Meridiano, vt patet Ioſue 15. poſtea autem non concedente tranſitu rege Edom, coacti ſunt magno tẽpore circuire terram Seir, vt patet Deut. 2. *Qui noluit acquieſcere precibus eius.* Nam dixit rex Edom: non tranſibis per me, alioquin armatus occurram tibi : Numeri vigeſimo, & ſtatim egreſſus eſt obuiam Iſrael cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquieſcere deprecanti. *Miſit quoque ad regem Moab.* Non eſt intelligendum quòd immediate miſerit, ſed non conceſſo tranſitu à rege Edom receſſerunt Iſraelitæ de Cadeſbarne circundantes montes Seir longo tempore contra Helath, & Aſiongaber. Deuter. 2. & in iſto circuitu magno cæpit populum tædere itineris, & laboris : & murmurauerunt, & tunc miſit Deus ſerpentes ignitos, qui multos occidebant, Numer. 21. poſtea venerunt Iſraelitæ ad ciuitatem Ar,quæ eſt Moabitarum, & petiuerunt tranſitum à rege Moab. *Qui & ipſe tranſitum præbere contempſit.* Scilicet noluit rex Moab concedere tranſitum, ſicut nec conceſſit rex Edom.

Quomodo Idumæi noluerunt concedere tranſitum Iſraelitis.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quòd noluerunt Idumæi concedere tranſitum Iſraelitis, quia Deuter.2. dixerunt Iſraelitæ ad regem Amorrhæum. Aquam pecunia tribue, & ſic bibemus, tantum eſt vt concedas nobis tranſitum ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir.

Reſpondendum quòd Idumæi timuerunt, quòd ſi Iſraelitæ introirent in terram eorum,poſtea non poſſent inde expelli,ideo noluerunt concedere eis tranſitum per terram, in qua nocere poſſent. De timore iſto patet Deut. 2. tamen dixit Deus Iſraelitis : tranſibitis hodie per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos, & quamquam non conceſſiſſent tranſitum Idumæi per Cadeſbarne, conceſſerunt per aliam partem regni : nam Cadeſbarne erat in loco tali terræ Edom, in quo poſſent valde nocere Iſraelitæ, ideo per partem illam non conceſſit tranſitum, ſed conceſſit quòd tranſirent per extremitatem quandam regni ad partem Orientalem apud mare rubrum iuxta duas ciuitates,ſcilicet Helath,& Aſiongaber. Iſta colliguntur allegato cap.ſcilicet Profectique de Cadeſbarne,venimus ad ſolitudinem,quę ducit ad mare rubrum,& circuiuimus mõtem Seir longo tempore. Deinde Deus dixit, tranſibitis hodie per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir : & timebunt vos,videte deligenter ne moueamini contra eos : cibos emetis pecunia ab eis, & comedetis : aquam emptam haurietis, & bibetis : Et ſequitur : cumque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitant in Seir per viam campeſtrem de Helath, & Aſiongaber. Quod autem iſtæ ciuitates ſint terræ Edom patet 3.Reg.9.cap.ſcilicet; Claſſem fecit rex Salomon in Aſiongaber,quę eſt iuxta Hailan in littore maris rubri in terra Idumeæ. Et ſic dicitur hic quòd noluit rex Edom præbere tranſitum,ſcilic. per locum, per quem petiuit Iſrael,conceſſit tamen per alium locum.

Quomodo dicitur quòd Moabitæ non conceſſerunt tranſitum Iſraelitis.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur, quòd Moabitæ non conceſſerunt tranſitum Iſraelitis, quia Deuteron. 2. dicitur quòd Moabitæ qui morabantur in Ar conceſſerunt tranſitum Iſraelitis. Reſpondendum quòd aliquæ auctoritates videntur ſignificare, quòd Iſraelitis non conceſſerint tranſitum Moabitæ : nam Moabitæ volebant abigere Iſraelitas de terra ſua, vt non introirent in illam ad diſſipandum Num.22.cap. Item Deu.23.imponitur maledictio Moabitis,quia noluerunt occurrere cum pane,&aqua Iſraelitis quando tranſibant. Reſpondendum quòd Iſraelitis cõceſſerunt tranſitum Moabitæ, vt patet Deuteronomij ſecundo, ſcilicet quia Moabitæ, qui morantur in Ar permiſerunt eos tranſire apud ſe. Etiam dicitur ibidem: Tu tranſibis hodie terminos Moab vrbem nomine Ar,& accedens in vicina filiorum Ammon caue ne pugnes. Sed dicendũ, quòd Moabitæ non conceſſerunt tranſitum Iſraelitis per locum, per quem ipſi volebant : nam ſicut voluerant tranſire per terram Edom apud Cades per tranſuerſum terræ illius in parte Meridiana, & noluit rex Edom, ſed conceſſit tranſitum per terram Orientalem,ſcilicet per Aſiongaber, ideo voluerant tranſire Iſrael per tranſuerſum terræ Moab, & à parte Meridiana in Septentrionalem, vt facilius irent in terram Chanaan, & ſic non oporteret tranſire per alia regna vſq; ad Iordanem,ſed timentes Moabitæ non conceſſerunt,ſic patet ex verbis Balac regis Moab : Numer. 22. videns Balac filius Sephor, quòd pertimuiſſent Moabitæ Iſrael, & eius impetum ferre non poſſent, dixit ad maiores natu Madian : ita delebit hic populusomnes,qui in noſtris finibus cõmorantur,quem admodum ſolet bos ſyueſtris herbam vſque ad radices carpere. Conceſſit tamen rex Moab Iſraelitis, quòd tranſirent per extremitatem Orientalem regni eius apud ciuitatem nomine Ar, quæ erat in parte Orientali terræ Moab, & hoc ſignificatur hic in litera, cum dicitur:Venitq; ad partem Orientalem Moab,& caſtrametatus eſt trans Arnon. Ex hoc autem non potuit Iſrael tranſire cito in terram Chanaan, ſed oportuit eum tranſire per tria regna, ſcilicet per extremitatem terræ Edom : deinde per extremitatem terræ Moab,poſtea per terram regum Amorrhæorum : ſi tamen rex Edom, vel Moab voluiſſet liberum tranſitum præbere, tranſeundo per terram vnius non oportebat tranſire per terram aliorũ. Cùm autem obiicitur, quòd Moabitæ voluerunt abigere Iſraelitas,ne introirent ad nocendum in terra ſua,Nu.22.dicẽdum, quòd iam conceſſerant tranſitũ per terram ſuam apud ciuitatem nomine Ar : quia tamen iam occiderant reges Amorrhæos,& erant coniuncti terræ Moab,timuit rex Moab, ꝙ vellent Iſraelitæ introire in terram Moab ad vaſtandum eam,ideo vocauit Balaam ariolum ad maledicendum Iſraelitis : Num.25.Cùm autem dicitur,quòd maledicuntur Moabitæ Deuteronom.vigeſimo tertio. Reſpondendum, quòd fuit hoc, quia duxerunt Balaam ariolum ad maledicendum Iſraelitis. Etiam exprimitur ibi, quòd noluerunt eis occurrere cum pane,& aqua. Non dicitur quòd noluerint præbere eis tranſitum,in quo patet ꝙ tranſitũ præbuerunt, tamen

Aduersionem primã endiuerſum.

Aduersionem ſecundam.

exti-

A ex timore fortè non occurrerunt illis cũ pane, & aqua. *Mansit itaque Cades.* Hoc refert ad petitionem factam regi Edom, scilicet quòd postquam noluit concedere transitum ex Edom per Cadesbarne transiuit Israel circuendo totam terram Edom ex latere : nam si iuisset per Cadesbarne transibat à meridie versus aquilonem,& erat rectus transitus : nunc autem coacti sunt circuire ex latere, scilicet ascendendo versus Orientem in latere terræ Edom vsque ad mare rubrum, vbi erant duæ ciuitates Idumæorum, scilicet Helath, & Asiongaber in littore maris rubri, & inde transierunt in terram Moab, vt patet Deuteronom. secundo, & supra declaratum est. *Et terram Moab.* Circuitus terræ Moab fuit in capite Orientali terræ eiusdem, scilicet postquam transiuit terram Edom per Helath,& Asiongaber venit ad quoddam desertum quod erat in fronte Orientali terræ Moab, & postea accessit ad ciuitatem nomine Ar, quæ erat de terra Moabitarum, & ibi transierunt per terram Moabitarum. Istud patet Deuterono. secundo, scilicet Cumq; transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitant in Seir per viam campestrem de Helath, & Asiongaber venimus ad iter, quod ducit ad terram Moab, & ibi sequitur quomodo transierunt per terrã Moab in vrbe Ar. *Et castrametatus est trans Arnon.* Scilicet postquam transiuit vrbem nomine Ar, posuit Israel castra trans torrentem Arnon. Quod patet, quia existens Israel in Arnon misit nuncios ad regem Sehon, vt concederet transitum per terram suam,& tamen nuncij dixerunt, concedere nobis transitum sicut fecerunt Moabitæ, qui morantur in Ar, Deuteronomij secundo. *Nec voluit intrare terram Moab.* Istud videtur contra iam dicta : sed intelligitur, noluit intrare in terram Moab, scilicet inuito rege Moab, bene tamen intrauit quantum ad illam particulam, in qua concessit apud vrbem Ar,& tamen postea licet potuisset inuito rege Moab introire in terram eius noluit. Istud patet, quia Balac filius Sephor rex Moab vidit Moabitas pertimescentes Israel, & quòd nõ possent ferre impetum eius, & tunc recurrit ad ariolos vocans Baalam, vt malediceret Israelitis : Num. 22. cap. *Arnon quippe confinium est terræ Moab.* Ista verba interposuit scriptor libri, scilicet Samuel ad explanandum : nam ista non fuerunt in defensione Iephte contra regem Ammon. De Arnon est dubium quid sit, scilicet an sit oppidum, vel mons, aut fluuius. Non est autem dubium esse quendam fluuium siue torrentem, qui vocatur torrens Arnon, sed an dicatur torrens Arnon, siue quia fluit apud aliquam vrbem, vel locum nomine Arnon, plerisque est dubium. Sed dicendum quod Arnon est nomen castri, vel scopuli in terra Moab, vt patet Numeri vigesimo primo, castrametati sunt in Arnon, quę est in deserto & prominet in finibus Amorrhæi. Item quia eo cap. dicitur. Ignis egressus est de Esebon, & deuorauit Arnon Moabitarum, & habitatores excelsorem Arnon : si tamen fuisset fluuius, non potuisset cremari Arnon. Etiam non vocarentur C aliqui habitatores Arnon si esset fluuius, sed necesse esset q̃ poneretur esse locus aliquis, vel scopulus montis, & si est locus, erit in scopulis montis, cùm dicatur prominere in finibus Amorrhæi : vocauit Arnon confinium terræ Moab, quia est in terra Moab in extremitate eius, & diuidit Moabitas, & Amorrhæos, sic patet Numeri vigesimo primo capite. *Misit itaque Israel nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum.* Quia Moabitæ, & Idumæi noluerunt totalem transitum præbere per terram suam Israelitis : coacti sunt petere transitum à rege Amorrhæorum. Vocatur iste Sehon rex Amorrhæorum, non quòd ipse esset rex omnium Amorrhæorum, sed quia tota gens sua erat de stirpe Amorrhæorum, & tamen præter gentem eius erant multi alij Amorrhæi in terra, quæ est circa Iordanem ad Occidentem, vt patet Iosue quinto. *Qui habitabat in Esebon.* Est Esebon nomen ciuitatis magnæ in regno regis Sehon, in qua semper ipse habitabat : sic rex Og semper habitabat in Astaroth : Iosue duodecimo, & decimo tertio capite, quia istæ erant vrbes famosiores regnorum suorum. Fuit autem ista ciuitas de terra Moab, & cæpit terram illam Sehon, vt patet Num. 21. cap. *Et dixerunt ei : dimitte vt transeam per terram tuam vsque ad fluuium.* Scilicet concede transitum vsque ad Iordanem, & ponitur de isto fluuio sine nomine proprie expresso propter excellentiam, eo quòd Iordanis erat fluuius excellens in terra illa, in qua loquebantur. Etiam vocauerunt eum sic, quia sæpe faciebant mentionem de illo, & ex præcedentibus patebat quòd intelligerent de Iordane. Ista verba petitionis non habentur sic Num. 21. & Deu. 2. vbi etiam ponuntur : nam sic est consuetudo sacræ scripturæ : quòd quando aliquid in diuersis locis ponit, non ponat eodem modo semper, sed secundum diuersa verba tenendo semper eandẽ sententiam : & aliquando magis & aliquando minus de illa exprimendo : Israelitæ autem petierunt vsq; ad fluuium, id est, Iordanem, quia in Iordane erat fons Orientalis terræ Chanaan, quam ipsi possessuri erant, vt patet Numeri 33. capite. In Hebræo habetur. *Transibimus per terram tuam vsque ad locum meum.* Id est dimitte vt transeamus per terram tuam vsque ad locum meum, id est vsque ad terram Chanaan, quæ est mea, id est mihi debita, & est improprietas loquendi, quia deberet dici vsque ad locum nostrum : & dixit meum : quia barbarizat sermo Hebraicus, & idem est cum litera nostra, quia principium terræ Iudæorum erat fluuius, scilicet Iordanis, ideo posuit de Iordane. *Qui & ipse Israel verba despiciens.* Id est etiam ipse, id est rex Sehon despexit verba Israel, scilicet, sicut despexerunt alij duo reges, scilicet Idumæorum, & Moabitarum. *Non dimisit eum transire per terminos suos.* Id est dixit quòd non dimitteret. Nam postea ipso inuito & occiso transiuit Israel. *Sed infinita multitudine congregata.* Scilicet valde magna, est hyperbole, vel hyperbaton, scilicet transcensus veri ex modo loquendi. Sic etiam dicitur Numeri vigesimo, quòd rex Edom egressus est cum infinita multitudine obuiam Israeli, & tamen Numeri vigesimo primo, dicitur quòd congregato exercitu. Et Deuteronomij secundo dicitur : congregato omni populo suo, sed idem est, quia populus istius Sehon erat valde multus, qui vocatur infinitus. *Egressus est contra eum in Iessa.* Est Iessa quidem locus in deserto in terra Sehon regis. Sic habetur Numeri vigesimo primo capite, scilicet egressus est ei obuiam in desertum, & venit in Iessa. Idem patet Deuteronomij secundo capite. *Et fortiter resistebat.* Scilicet ne introiret Israel per terram suã, & erat iste locus Iessa apud Arnon, vbi castrametati fuerant Israelitæ in principio regni Sehon regis. *Tradiditque.* Hic ponitur secunda ratio, qua probat Iephte intentionem suam scilicet ex Dei auctoritate, scilicet quia Deus tradidit Amorrhæos in manus Israelitarum, bellum erat iustum,& ea, quæ obtinentur in bello efficiuntur capientium : ergo non tenebantur Israelitæ ad restitutionem. *Tradiditque eum Dominus in manu Israel.* Scilicet dedit Israelitis victoriam, vt eum occiderent,& caperent terram illius : quasi dicat, non potuissent Israelitæ contra regem Sehon, nisi ex Dei voluntate, qui subiecit hunc regem potentem Israelitis. *Cum omni exercitu suo.* Id est etiam totus exercitus eius traditus est in manus Israel, scilicet quia non potuerunt aliqui effugere de exercitu regis Sehon, sed omnes perierunt. *Qui percussit eum.* Scilicet cum exercitu suo nullum derelinquens vitæ. *Et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius.* Scilicet mortuo cum exercitu ipso pugnauit contra illos, qui latebant in ciuitatibus, & oppidis : & interfectis illis possedit omnem terram illorum. De morte autem Amorrhæorum loquitur Iosephus Antiquitatum lib. quarto dicens. Hebręi persequentes populos regis Sehon, non fatigabantur iaculis, & fundibulis percutientes : laboraueruntque potius propter sitim quam propter pugnam : erat enim tempus æstatis : vnde cùm multi ad fluuium concurrissent, Iudæi circunstantes eos occidebant. *Et vniuersos fines eius.* Id est terram vniuersam illius cæperunt, quæ erat inter omnes fines siue terminos, qui exprimuntur hic. *De Arnon vsque Ieboc.* Arnon est partim ad Orientẽ terræ huius,& partim ad Meridiem. Quod patet quia Arnon est confinium terræ Moab, & regis Amorrhæi supra in litera,& Num. 21. c. & tamen Moab est ad Meridiem terræ Sehon Amorrhæi, ergo etiam Arnon ad Meridiem est, sed est circa latus Orientale. Ieboc autem torrens partim ad Occidentem partim ad Septentrionem : nam Ieboc est apud Iordanem : Ge. 32. & tamen Iordanis est ad Occidentem. Hic autẽ ponitur Arnon pro parte Meridiana,& Ieboc pro Septentrionali. *Et de solitudine vsq; Iordanem.* Solitudo est terminus Orientalis terræ huius,& est apud sinum arabicum maris rubri : Iordanis ponitur pro termino Occidentali, & sic ponuntur hic oẽs quatuor termini terræ huius Sehon. De terræ huius terminis dicit Iosephus 4. antiq. s. terra regũ Amorrhęorũ est inter tria flumina posita : naturã insulę tenẽs, q̃ à meridie Ar-

D *Consuetudo sacræ literæ.*

E *Iessa quid sit.*

De situ Arnõ. *Situs solitudinis.*

Iosephus de morte Amorrhæorũ l. 4 c. 4

F

Dubiũ de Arnon.

Esebon quid sit.

A non circundat: Ieboc ſeptentrionis circuit latus, qui in Iordanem fluuium cadens illi etiam nomen tradit, occidentalem verò portum eius regionis Iordanis ripa, concludit. De Arnon dicit: Arnon fluuius de montibus Arabiæ deſcendens per totum deſertum fluens in ſtagnum aſphaltidem erumpit diuidens Moabitidem,& Ammonitam,quæ eſt terra fructifera. *Dominus ergo Deus ſubuertit Amorrhæum pugnantem contra illum pro populo ſuo Iſrael.* Id eſt Deus deſtruxit Amorrhæum regem pugnantem contra illum, ſcilicet Iſrael. Pro populo ſuo Iſrael, id eſt iſta fecit pro populo ſuo Iſrael. *Et tu nunc vis poſſidere terram eius.* Id eſt Deus acquiſiuit terram iſtam puguando pro populo ſuo: quomodo ergo iuſtum eſt, vt tu qui non laboraſti, poſſideas terram illius.

An bene arguat Iephte contra regem Ammon,ſcilic.quod cum Deus adiuuiſſet Iudæos in bello ad capiendum terram Amorrhæorum, quod iuſte poſſiderent illam.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR an iſta ratio Iephte ſit conueniens, ſcilicet Deus ſuus adiuuit Iſrael contra Amorrhæos ad obtinendum terram, ergo iuſte illam poſſident. Reſpondendum,quòd non eſt ſufficiens ratio: quia Deus interdum adiuuat quoſdam fouentes iniuſta bella, & eis quaſi nihil faciẽtibus Deus pugnat pro illis, & ſubdit eis aduerſarios, ſic patet de rege Aſſyriorum,quem Deus miſit ad pugnantum cõtra Iſraelitas,& ipſe à Deo mouebatur,& adiuuabatur: & facilitas victoriarum eius erat à Deo, vt confringerentur Iudæi,vt patet Iſa.10.ſcilicet. Væ aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe,in manu eotum indignatio meo, ad gentem fallacem mittam eum,vt auferat ſpolia,& diuidat prædam. Et ibi Deus increpat eum, quia fortitudinem, quam ſibi Deus dedit ad ſubiiciendum gentes multas, aſcripſit ſibimet. Idem patet de Nabuchodonoſor, de quo dicitur Abacuc primo: Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem, vt corriperes fundaſti eum. Sicut etiam patet Iſa.5.& 7.vbi ponitur de iſto Nabuchodonoſor,quòd Deus ei ſubiiciat faciliter Iſraelitas, & tamen manifeſtum eſt quod iſti faciebant bella iniuſta,ſcilicet ex iniqua intentione,nullla cauſa ſubſiſtente, & crudeliter ſe habebant: ſicut dicitur de Sennacherib Iſa.10. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, ſed ad conterẽdum erit cor eius, & ad deſtructionem gentium non paucarũm, & propter iſta iniuſta Deus bella inflixit iſtis mala,vt patet de Sennacherib allegato c.& de Nabuchodonoſor Abacuc primo: ergo licet Deus aliquem adiuuet,non ſequitur, quòd foueat iuſtũ bellum. Item patet in bello, quod fecerunt omnes tribus Iſrael contra tribum Beniamin,quod fuit ex bona intentione, ſcilicet ad puniendum ſcelus grauiſſimum, & ex Dei conſilio, & Beniamitæ erant peccatores grauiſſimi,& tamen Deus adiuuit Beniamitas contra totum Iſrael, & ceciderunt de Iſrael in primo bello viginti duo millia, & in ſecundo ceciderunt decem octo millia: & tamen Deus iubebat iſtis,quod deſcenderet ad bellum, vt patet infra 20. & ipſi propter eum ſolum pugnabant,vt iniuriam ei factam punirent,ergoquamquam aliqui adiuuentur à Deo in bello,non conſtat eos habere iuſtum bellum, immo generaliter omnes, qui victoriam in aliquo bello habent, à Deo illam habent: & tamen certum eſt multos interdum bella iniuſta gerentes ſuperare. Ideo quamquam Iſraelitæ adiuti à Deo contra Amorrhæos cæpiſſent terram: non ſequitur, quòd iuſto bello accepiſſent, ſed quæ non obtinentur iuſto bello,non poſſunt teneri iuſtè, ergo non poterant Iſraelitæ tenere terram, quam obtinuerunt de Amorrhæis: ex hoc quod Deus adiuuit illos ad capiendum eam. Sed dicendum, quòd Iſraelitæ habuerunt à Deo mandatum, quòd pugnarent contra Sehon regem, & quòd poſſiderent terram eius Num.21.& Deut.2.c.& quia mandatum Dei facit quamcunque operationem licitam, etiam ſi alias ipſa foret per ſe mala: ſicut patet de homicidio innocentis in Abraham, & Iſaac,ſic etiam in furto Ægytiorum,& ſimilibus. Ideo Hebræi Amorrhæorum terterram iuſtè poſſederunt.

B *Deus fauet iniuſtis bellis quãdoq; vult ſe vendicare de inimicis ſuis cũ inimicis ſuis: cur autem boc fiat latet in ſcrinio ſui ſecreti cõſilij.*

C

Quare hanc cauſam attulerit Iephte.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR de iſta cauſa, ſcilicet quòd Deus Iſrael ſubuertit Amorrhæos, & ob hoc debebatur terra ipſa iſraelitis,cùm non ſit ſufficiens,quare illam allegauit Iephtę.

Reſpondendum, quòd contra quemcunque poteſt argui dupliciter. Vno modo ex his, quæ per ſe vera ſunt, vel abſolutè. Alio modo ex datis,vel conceſſis ab ipſo: vnde licet poſitio alicuius ſit falſiſſima ex eis, quæ aſſerit illa, ita arguitur contra eam, ſicut ex veriſſimis ſimpliciter. Ita iſta ratio non erat ſufficiens abſolute, quia tamen rex Amon haberet eam pro conuenienti, licebat argui ex illa contra eum. Pro hoc ſciendum,quòd Gentiles putabant,quòd ſingulę gentes habebant ſibi Deos ſpeciales, & illi pugnabant pro illa gente, contra quamcunque aliam gentem, & ipſi Dij gentium diuerſarum pugnabant inter ſe pro gentibus colentibus eas. Sic enim introducit Virgilius in 10.Æneidos Deos Troianorum conueniſſe in conſilium, & Deos terræ Italicæ, & Græcorum, & quoſdam pugnaſſe pro Aenea, & Troianis, alios verò pro hoſtibus horum. Sic etiam ipſi Dij vnius gentis arbitrabantur alias gentes, à quibus non colebantur, vel quæ pugnabant, contra cultores ſuos,eſſe hoſtes. Nam Iuno vocauit Troianos inimicos ſuos, quia pugnabant contra Græcos cultores ſuos: vnde dixit in primo Æneidos ad Deum ventorum.

Gens inimica mihi Thyrrhenum nauigat æquor.

Et ibi orauit,quòd ſubmergeret Troianos in mare. Hæc ead m opinio fuit apud antiquos Gentiles tempore hoc: vnde Philiſthiim pugnantes contra Iſrael, ſcientes quòd veniſſet arca in caſtra,timuerunt valde,dicentes: Væ nobis, quis nos liberabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? iſti ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, 1. Regum 4. Sic etiam putauerunt Syri ſerui regis Benadab, dicentes ad eum. Dij montium ſunt Dij eorum,id eſt,Iudæorum,ideo præualuerunt contra nos, ſed melius eſt vt pugnemus contra eos in vallibus, & obtinebimus eos tertio Regum vigeſimo. Et ſic putabant Syri,quòd Dij Iſrael pugnabant pro Iſraelitis in montibus,& quia non erant Dij vallium, non haberent poteſtatem ad pugnandum ibi,& hoc dato putabant Gentiles, quòd cum Dij alicuius gentis pugnantes pro ea obtinerent aliquam terram,quòd gens illa iuſte poſſidebat illam terram, & quia Deus Iſraelitarum obtinuerat terram Amorrhæorũ pro Iſraelitis, quod non negaturi erant Ammonitæ, habebat Iephte ſufficientem probationem ex hoc contra Ammonitas. Quod autem Iephte non argueret hic ex veris ſimpliciter,vel ex his,quæ ipſe probaret vera, ſed ex illis,quæ putabat vera rex Ammon,patet quia dixit: Nonne ea,quæ poſſedit Chamos Deus tuus tibi iure debentur? quæ autẽ Deus noſter victor obtinuit in noſtram cedent poſſeſſionem. Sed manifeſtum eſt, quòd Iephte non putabat quod Chamos Deus Ammonittarum, & Moabitarum feciſſet Ammonitas aliquid poſſidere: quia ſciebant Iſraelitæ quòd nullus erat Deus præter ſuum Deum: & conſequenter non poterat aliquis alius dare populo cultori ſuo poſſeſſionem, aut facere bellum pro eo. Quod tamẽ rex Ammon putabat quòd Chamos Deus ſuus erat potens ad adiuuandum eum, & interdum adiuuabat,credebat quod feciſſet eum poſſidere aliqua. Et ſic potuit conuenienter ex ſua poſitione arguere Iephte, non tamen confitendo illam: ſic etiam Philiſthæi prævalentes contra Iſrael occiſo Saule, & filijs eius, fecerunt laudes magnas Diis tanquam ipſi dediſſent eis victoriam hanc: & poſuerunt arma Saulis in templo Aſtaroth, & caput eius in templo Dagon, primo Regum vndecimo capite, ſic etiam quando comprehenderunt Philiſthini Samſonem factis hoſtiis laudabant Deum ſuum Dagon dicentes quod tradidiſſet Samſonem in manus eorum
infra decimo ſexto cap.

D *Dupliciter poteſt argui contra quemcunque.*

Gentiles putabant ſingulas gentes habere Deos.

E

Ex quibus arguebat hic Iephte.

F

A

Quare Iephte non allegauit istam causam, quæ hic fertur.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlterius cùm vera causa, quæ faceret bellum Israelitarum iustum contra Amorrhęos, esset, quia Deus iusserat pugnare, & possidere terram illorum, quare nō allegauit istam Iephte. Respondendum, quòd ad probationem faciendam contra aliquem possumus vti præmissis simpliciter veris, vel his, quæ apparent respōdenti, & dato quòd apparentes respondenti, non sunt simpliciter veræ, sufficiunt, & si simpliciter veræ non apparent respondenti, non conuenienter arguitur contra eum, quousque illæ efficiantur ei respondenti apparentes: & quia licet esset causa simpliciter ad efficiendum bellum iustum, quòd Deus iussisset: quia tamen rex Ammon non iudicaret istam esse sufficientem causam, non allegauit eam. Nam tunc oportebat quòd rursus probaret Iephte istam præmissam faciendo eam apparentem. Et in hoc principaliter laborandum erat, sicut in probatione conclusionis principalis, & istud erat inconueniens. Alia autem allegata licèt non esset vera, quia tamen erat apparens ipsi, contra quam arguebatur sufficiebat: ideo ipsam allegauit. Quòd autem non esset apparens regi Ammon ista causa, apparet quia illa fundatur super hoc, quia Deus Hebræorum erat Deus totius orbis, & quidquid ipse iuberet esset licitum, & quòd vniuersaliter sibi obediendum foret, quia alioquin præceptum suum non extenderetur ad omnes gentes: nec propter illud posset tolli ius alicuius, & transire in alterum. Probare autem hic erat difficillimum ipsi Iephte: ideo non curauit allegare hanc probationem, quæ est valde difficilis, & non concludens ad regem Ammon. Et hoc quia ipse putabat, quòd Deus Hebræorū non esset Deus totius orbis, sed alicuius gentis, & non maioris perfectionis quàm alij Dij gentium.

B

An causa assignata, casu supposito à Iephte procederet.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR vlterius, dato quòd fuisset per impossibile, quod intelligebat rex Ammon, scilicet quòd Deus Israelitarum esset Deus specialis, sicut Chamos Deus Moabitarum, & Dij aliarum gentium, an causa assignata à Iephte procederet. Respondendum quòd non: quia dicit Iephte, quòd sicut ea, quæ possedit Chamos Deus Moab iure debentur huic regi, ita quæ Deus Israel vincendo obtinuit deberentur Israelitis. Sed hoc dato, nec Deus Israelitarum erat Deus Moab, & Amon: nec Chamos erat Deus Israel: ideo

C

præceptum Chamos solùm obligaret Moabitas, & præceptū Dei Israel solum obligabat Israelitas, & sic esset Deus Chamos erga omnes gentes præter Moab, & Ammon sicut persona priuata, & Deus Israel esset contra omnes gentes præterquam ad Israel persona priuata: sed præceptum alicuius priuati, aut affirmatio, vel negatio non constituit ius, vel tollit ius alterius, vel factum illius: ergo sicut si alia gens pugnaret contra aliam sine causa, & obtineret aliquid, esset bellum iniustum, & teneretur ad restitutionem rei obtentæ, ita cùm Deus Israel esset persona, vt priuata contra Amorrhæos, non potens illis ius dicere: dato quòd per violentiam suam obtineret aliquid de terra illorum, esset bellum iniustum, & tenerentur Israelitæ ad restitutionem. Nec enim in Diis hoc modo essent bella aliter iusta, vel iniusta, nisi vt sunt in hominibus, scilicet subsistente causa aliqua rationabili, vel nulla existente: rex tamen Ammon, & alij Gentiles arbitrabantur ea, quæ à Diis suis, vel quibuscunq; aliis facta erant iustè facta, ideo si Deus Israel obtinuit terram de manu Amorrhæorū, licite possidebant Israelitæ secundum hanc possessionem. Et sic dicendum, quòd ista procedunt non ex veris: sed ex his, quæ apparebant respondenti, scilicet regi Ammon. *Nonne ea, quæ possedit Chamos Deus tuus.* Id est ea, quæ tibi dedit in possessionem: vel ea, quæ te possidere fecit, scilicet adiuuando te in pugna contra aliquas gentes. Non enim potest aliter intelligi, quia sic dicitur infra, quæ autē Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem. Hoc etiammagis patet ex litera Hebraica, vt infra dicetur. Vocatur Chamos Deus regis huius, scilicet principalis. Est enim Chamos Deus Moabitarum: Numeri vigesimo primo, & 3. Reg. 11. & 4. Regum 23. Iste autem vocatur rex Ammonitarum. Sed, vt supra declaratum fuit, intelligendum est, quòd iste erat simul rex Moabitarum, & Ammonitarum, & quia regnum Moab erat præcipuum, vocabatur Deus suus Chamos, & tamen ex parte Ammonitarum erat Deus suus Melchon, siue Moloch 3. Reg. 11. & 4. Reg. 23. c. & 1. Paralip. 20. Alia causa est quare vocatus fuit Chamos Deus huius regis, quia licèt tam de terra Amon, quam de Moab aliquid captum esset ab Amorrhæis, & postea ab Israelitis de manu Amorrhæorum: maior pars tamen fuit illa, quæ pertinebat ad Moabitas, ideo Deus suus nominari debuit. *Tibi iure debentur.* Id est, quæ ipse fecit te possidere adiuuando te contra aliquam gentem debentur tibi iure, & non potest quisquam à te repetere, vt tu asseris: ideo etiam sic erit de Israelitis respectu Dei sui. Sed dicendū, quòd hic sunt duo falsa. Primum est, quòd Chamos Deus Moabitarum fecerit eos aliquid possidere: nam cùm ille nihil sit, non poterat adiuuare. Secundum est, quia dato quòd fuisset Deus particularis potens adiuuare cultores suos: non sequebatur, quod bella ab eo facta essent iusta: aut obtenta per huiusmodi bella possent licitè possideri ab Ammonitis, vt supra probatum est. Sed ista duo posuit Iephte, non tanquamvera aut ab ipso credita, sed vt apparentia respondenti, scilicet, regi Ammon. *Quæ autem Dominus noster victor obtinuit,* id est illa, quæ obtinuit pugnando contra aliquas gentes. *In nostram cedent possessionem.* Dupliciter legi potest. Vno modo interrogatiuè, scilicet, quæ possedit Chamos Deus tuus, debentur tibi iure, nunquid ergo, quæ Deus noster obtinuit non debebuntur nobis? quasi dicat debebuntur. Alio modo potest intelligi per consecutionem, scilicet, quæ Chamos Deus tuus possedit debentur tibi. Ergo quę Deus noster obtinuit in nostram cedent possessionem: & tunc bene arguit Iephte: quia si verum est quòd ea, quæ acquireret Chamos, pertinebant ad Ammonitas, & Moabitas, vt præsupponebat rex Ammon: eadem ratio erat, quod acquisita per Deum Israel, pertinerent ad Israelitas. Et est sensus quòd Ammonitę, & Moabitæ colebant Chamos, & alios Deos: & cùm obtinuerunt terram, quam nunc possidebant de manu quorundam gigantium, vt patet Deut. 2. putabant se habuisse adiuuante Chamos, & aliis diis suis: & ex hoc dicebāt se iustè possidere illam: quia Chamos fecerat possidere illam: ergo cùm Deus Israel adiuuisset Israelitas capere terram Amorrhæorum, iustè possiderent illam. In Hebræo habetur. *Certe quod fecit te possidere, vel hæreditariè habere Chamos Deus tuus, illud possidebis, vel hæreditariè tenebis: & totum quòd fecit Dominus possidere ante nos, vel hæreditariè habere: illud possidebimus, vel hæreditabimus.* Et eadem sententia est. Et potest conuerti ad modum interrogationis, sicut litera nostra: vel ad modum consecutionis. Et habetur hic clarius, quam in litera nostra, scilicet, quòd fecit te possidere Deus tuus: litera autem nostra dicit, quòd possedit Chamos, id est, dedit tibi ad possidendum. *Nisi forte melior es.* Hic ponitur tertia ratio, scilicet, ex diuturna præscriptione, scilic. quia longo tempore possedit Israel terram istam: & nunquam fuit facta repetitio nisi nunc. Et dicitur. *Nisi fortè melior es Balac filio Sephor rege Moab.* Istud non refertur ad immediata, scilicet. Nonne quæ possedit Chamos Deus tuus, nam ad hoc nihil attinebat, quòd iste esset melior quam Balac. Sed est sensus, scilicet, non potes repetere terram istam, sicut intendis, nisi fortè melior es quàm Balac. Accipitur melior, id est, potior in iure: quia melioritas morum, vel potentiæ aut alterius nobilitatis ad petendum terram, nihil de iure tribuit: sed est sensus: nisi plus de iure habeas, quàm Balac filius Sephor, non poteris petere restitutionem terræ: quia ille non ausus est petere diffidens de iure suo. Iste Balac erat rex Moab, qui misit ad vocandum Balaam ariolum:

Num. 22. cap.

(.·.)

D

Chamos Deus Moabitarū.

E

F

Quare nominauit hic Iephte Balac regem Moab.

QVÆSTIO XXXIV.

QVÆRETVR, quare nominauit hic Iephte Balac regem Moab, cùm iſte cui reſpondet eſſet rex Amon, vt patet hic, & præceden. cap. & non ageret ad propoſitum, de iure vnius & alterius.

Reſpondendum, quòd poteſt dici dupliciter. Vno modo, quod Balac eſſet rex Moab, & Ammon, vocabatur tamen rex Moab, quia erat principalior terra Moabitarum: ſic iſte, de quo hic agitur erat rex Moabitarum, & Ammonitarum, vt ſupra declaratum eſt: vt tamen ſolum vocatur rex Ammon: & ſic ſucceſſit iſte in iure Balac regis Moab: & quia ſucceſſor conſequitur idem ius præcisè, quod prædeceſſor tam immediatus, quàm mediatus: ſed Balac, qui fuit rex prior in terra Moab, & Ammon, & fuerat de terra ſua tota terra, quam acceperant Amorrhæi: non habuit ius ad petendum terram hanc. Etiam non haberet ius iſte rex Ammon, qui nil plus de iure habebat quàm Balac. Secundò dici poteſt, quòd Balac ſolùm erat rex Moabitarum: & tamen ponitur, quia terra, quam acceperunt Amorrhæi, & nunc tenebatur ab Iſraelitis, erat partim pertinens ad Moabitas, & partim ad Ammonitas. De Moabitis patet: Num. 21. cap. cùm dicitur, quòd Sehon rex tulit terram, quæ fuit regis Moab, ſcilicet Heſebon, & alias vrbes. De Ammonitis patet Ioſue 13. ſcilicet, quod Moyſes dedit tribui Gad medietatem terræ Ammon, ſcilicet medietatem terræ, quæ acquiſita fuerat ab Amorrhæis de terra Ammonitarum, ideo ſi aliquod ius repetendi terram competebat hic: neceſſe eſſet, quod competeret æqualiter regi Moab, & Ammon: dato quod eſſent duo, ſcilicet, quòd ſi vnus habebat ius petendi, & alius etiam, & ſi vnus non habebat, & alius non habebat etiam: & tunc ſtat argumentum, ſcilicet, Balac rex Moab non putauit ſe habere ius: & ob hoc non repetiit: ergo etiam tu non habebis ius repetendi, niſi fortè melior es illo, id eſt, potior in iure, & tamen hoc falſum eſt.

Quare nominatur hic Balac rex Moabitarum, potius quàm alius rex Moab.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR vlterius, quare nominatur hic Balac rex Moabitarum, potius quàm alius rex Moab cùm haberent omnes idem ius ſi aliquod erat.

Reſpondendum, quòd poteſt eſſe propter duo. Primò quia iſte fuit ille rex, de cuius manibus terra erepta eſt: nam rex Sehon accepit terram iſtam de manu regis Moab: Num. 21. & tamen tunc rex erat in Moab Balac filius Sephor: Numer. 22. ergo cùm eſſent contemporanei de manu illius eriperetur terra: licet enim non ſit neceſſarium argumentum, quia poterat tolli de manu prædeceſſoris ſui: tamen veriſimile eſt, quod litera faciat mentionem ibi de his duobus regibus: & ideo ſi aliquis poterat de Moabitis, vel Ammonitis petere terram, tanquam bello iniuſto ablatã, iſte poſſet pluſquam omnes: eo quòd erat ille, cui prima iniuria inflicta eſt: & ſi ipſe illico repetiuiſſet, non videretur aliquando habuiſſe animum perdendi dominium: ſi autem poſt multa tempora repeteretur, videretur res habita pro derelicta, ideo melius ipſe, quàm cæteri ſucceſſores poterat petere: ſed ipſe non putauit ſe poſſe petere, nec petiuit terram, ergo nulli ſucceſſori competebat repetitio. Secunda eſt, quòd iſte rex Balac fuit tempore, quo Iſraelitæ acceperunt terram de manu Amorrhæorum, vt patet Nu. 21. & 22. nam cùm occiderit Iſrael Sehon regem, erat Balac rex Moabitarum, & timuit: & ob hoc miſit ad vocandum Balaam, vt malediceret eis: Num. 22. cap. Et dato quòd rex, qui perdidiſſet terram Moabitarũ, & Ammonitarum fuiſſet magno tempore ante Balac, nunquam fuiſſet ius repetendi, contra Iſraelitas, ſed contra Chananęos: eo quod tẽpore huius regis Iſraelitæ cæperunt poſſidere terram iſtam: & ſic iſte poterat maximè petere ab Iſraelitis, & tamen ille non putauit ſe poſſe petere: ergo nec cæteri poterant. Secundò dici poteſt, quòd iſtud poſſe inducitur hic propter maioritatem iuris. Nam tempore Balac cæperunt Iſraelitæ poſſidere terram iſtam: & cum nondum aliquanto tempore poſſediſſent, nou habebant aliquod ius ex poſſeſſione diuturna, niſi fortè aliunde haberent ius: nunc autem erat longiſſima præſcriptio, quia fluxerant trecenti anni, vt allegauit Iephte: ergo ſi tempore Iephte nondum finita, vt incepta præſcriptione non habebant Moabitæ, & Ammonitæ ius repetendi: & ob hoc non repetiuit Balac: nunc à fortiori minus de iure haberent, cùm iam eſſet præſcriptio longiſſimi temporis finita.

An verum ſit, quia non repetijt Balac, qui perdidit terram iſtam, quòd non haberent cæteri reges repetendi ius.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR, an verum ſit, quòd ex hoc quod non petiit Balac, qui perdidit terram iſtam, quod non haberẽt cæteri ius petendi.

Reſpondendũ, ꝙ verum eſt, ꝙ Balac non poterat repetere: ideo etiam poſteri non poterant repetere, eo Iſraelitæ bello iuſto acquiſiuerunt terram, & conſequenter facta eſt ipſorũ: ideo nunquã poterat, ipſe, aut quiſquã alius petere ab Iſraelitis: & tamen ſi arguatur ex conditione præſcriptionis, ſicut infra arguet Iephte, non valet conſequentia. Primò, quia dato, quòd tacuiſſet Balac, poterat ſucceſſor ſuus, vel Moabitę, vel Ammonitæ: & nondum completo tempore præſcriptionis, interrumperetur per proclamationem iudicialem, vel per petitionem factam de vno rege ad alterum, cùm non haberent ſuperiorem, coram quo altera pars poſſet iudicialiter proclamare: vel per bellum inflictum ex hac cauſa, ſicut nũc infligebatur: & quia per quamcunque interruptionem factam, præſcriptio redit ad initium: ſufficiebat quòd quicunque ſucceſſor Balac faceret aliquam interruptionem, dato quòd Balac nihil petiuiſſet. Secundo non tenet, quia contra aliquem præſcribitur, ſi intra tempus præſcriptionis non interrumpit finitur præſcriptio: niſi fortè cauſa iuſta excuſauerit interrumpentem, ſcilicet, quia non potuit, vel timuit tali timore, qui poterat cadere in conſtantem virum. Sic enim fortè diceremus de Balac, quòd excuſaretur timore iuſto, quod non interrumperet: nam viderat, quòd Iſraelitæ occiderant duos reges fortiſſimos Amorrhæos: & timuit valde, dicens. Sicut ſolet bos ſylueſtris herbam vſque ad radices carpere, ſic populus iſte delebit omnes, qui in noſtris finibus commorantur: Numeri 22. Si ergo nunc debuiſſet Balac interrumpere bellando, timendum ſibi erat: quia cum duo reges potentiſſimi occiſi fuiſſent ab eis, à fortiori ipſe cum populo ſuo deleretur: ſi autem vellet interrumpere, petendo terram ſine bello: Iſraelitæ concitarentur ad iram, quia Moabitæ offenderant eos valde mittendo filias ſuas ad ſallendum eos: Numeri vigeſimo quinto. Ideo timore iuſto excuſabatur Balac ne interrumperet præſcriptionem: & quòd ipſa non curreret. Poſtea autem ſui poſteri habita opportunitate, ſcilicet, recedente illo timore poterant petere illam, non facta aliqua præſcriptione. In Hebræo habetur hic. *Niſi melior, melior es Balac.* Sed iſta duplicatio verbi nihil agit, ſed accidit ex conſuetudine ſermonis. *Aut docere poteſt, quòd iurgatus ſit contra Iſrael.* Eſt alia probatio, quæ ad præſcriptionem pertinet. Et dupliciter poteſt exponi, ſecundum quoſdam. Vno modo ſic. Aut potes, ſcilicet, quòd Iſrael ſit iurgatus contra Balac, vel contra alium regem Moab, ad obtinendum iſtam terram, quaſi dicat, tunc nos non fouebimus iuſtam cauſam: & iſtud reſpondet dictis Iephte in principio, ſcilicet, quòd Iſrael non pugnauit contra Moab, vel Ammon, nec cœpit aliquam terram eorum, ſed pugnauit contra regem Amorrhæorum, & cepit terram de manu eius. Sed iſte ſenſus non poteſt ſtare, quia oportet quòd referant ad Balac, quòd ipſe pugnauerit contra Iſrael. Et eſt ſenſus: aut docere potes, quòd iurgatus ſit contra Iſrael, id eſt, ſi potes docere, quòd Balac iurgatus fuerit contra Iſrael, ſcilicet, verbis repetens terram iſtam reclamando iniuriam ſibi factam: nam per hoc interrupiſſet præſcriptionem. *Et pugnauit contra*, id eſt, potes docere, quòd pugnauit contra Iſrael ipſe Balac ad extorquendum iſtam terram de manu eius. Ponit iſta duo, ſcilicet, iurgari & pugnare: quia per iſta duo,

vel p r

A vel per quodlibet eorũ poterat interrumpere rex Balac præscriptionem Israelitarum, scilicet, perturbando eos in possessione pacifica, quæ requiritur ad præscribendum. *Quando habitauit in Hesebon & viculis eius*, id est, postquam cæpit habitare in ista terra: quasi dicat, præscriptio procedit in possidente: ideo debet fieri interruptio præscriptionis cõtra possidentem. Et sic ad hoc, quòd Israel præscriberet, & interrumperetur præscriptio contra eum, oportet vt iam habitaret in terra: & posuit exemplum, de quibusdam locis terræ aquisitæ, vt intelligantur reliqua loca per illa, scilicet Hesebon. Hesebon est ciuitas metropolis, totius terræ captæ de parte Moabitarum: ideo rex Schon habitabat in Hesebon, tanquam in loco optimo. Viculi eius vocantur quædam rura adiacentia Hesebon, siue loca non murata. *Et in Aroer, & viculis eius.* Ista est alia ciuitas, quæ est versus Orientem terræ huius, & adhæret lateri Meridiano: ideo assignando terminos terræ illius ponitur primò Aroer, Deuteronomij secundo, & Iosue decimo tertio, & quando Dauid fecit computari totum Israel, in Aroer cœpit computatio: sic patet secundo Regum vigesimo quarto, & primo Paralipome. vigesimo primo capite, cecidit tamen, tam Aroer, quàm Hesebon in sorte Ruben, vt patet Iosue decimo tertio capit. *Et in cunctis ciuitatibus apud Iordanem.* Istę ciuitates sunt ad Occidentẽ terræ illius: ideo cùm posuerit Aroer, & Hesebon, quæ sunt magis Orientales: posuit postea Occidentales, quasi dicat,
B nunquid dum habitaret Israel in omnibus ciuitatibus, & viculis terræ huius, pugnauit Balac, ad interrumpendum præscriptionem.

An si Balac rex Moabitarum interrupisset præscriptionem Iudæorum, pugnando contra eos, postquam acceperunt terram de manu Amorrhæorum: ex hoc tolleretur, quòd nunc Iudæi possent præscribere.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR, dato quòd Balac pugnasset contra Israel in isto tempore: an ablatum fuisset ius Israelitis, ita quòd non possent nunc præscribere. Et dato, quòd non fecisset: an ex hoc sequebatur Israelitas habere ius firmum ex præscriptione. Respondendum ad primum, quòd si Israelitæ cæpissent terram pacificè possidere: & deinde Balac per verbale iurgium, vel per bellum inquietasset Israelitas in prę scriptione, interrumperetur præscriptio, si incepta erat: & tamen non tolleretur ex hoc, quin possent postea præscribere: nam istud solum tollebat ius præteriti temporis, sed non futuri. Interruptio quippe legitimè facta tollit ius, quantum ad prius ex præscriptione, sed non impetit, quin manente possessione possit de nouo inchoari præscriptio: & quia à principio huius terræ captæ, vsque nunc fluxerant anni ferè
C trecenti, licèt Balac interrupisset præscriptionem: poterant
Respon. ad quæ sium. post illam interruptionem legitimè compleri multę præscriptiones longissimi temporis. Ad secundum dicendum, quòd si non interrumperetur præscriptio per Balac non sequeretur ius plenum Iudæis ex prę scriptione, quia fortè postquam cœperunt Israelitæ possidere terram istam, vixit Balac minori tempore, quàm vt posset præscriptio legitima inter absentes & præsentes finiri, ideo sufficiebat q̃ per aliquod paruum tempus ante illam finitam aliquis reclamaret per iurgium, vel per bellum: & sic successore Balac reclamante ante finitam præscriptionem satis erat ad tollendum ius ex præterita præscriptione dato quod Balac non reclamasset. Sed
Quid opus erat ad tollendũ ius ex præscriptione Iudæis. dicendum, quod ad hoc quod tolleretur ius ex præscriptione Iudæis: non solum oportebat, quòd Balac, vel aliquis successor eius à principio reclamasset, sed quòd multotiens reclamatum foret: quia in trecentis annis vna, vel duæ, aut tres reclamationes non sufficiebant, sed requirebantur multæ ad hoc, quod non fieret aliqua præscriptio, quia in tanto tẽpore multæ præscriptiones fieri possunt. Et hoc intendit Iephte dicens: per trecentos annos, scilicet cum habitauerit Israel per trecentos annos in terra ista, cur Balac à principio nõ interrupit præscriptionẽ pugnando, & postea successores eius consequenter non interruperunt? Et satis apparet quod non refertur ad solum Balac: nam dicitur. Cur Balac non pugnauit cum habitauerit Israel per trecentos annos in his locis? Sed manifestum est, quòd Balac non poterat pugnare D in his trecentis annis, quia modico tempore viueret: ergo refertur ad successores suos, qui vixerunt in his trecentis annis, & ponitur ipse primus, quia debuerat inchoare interruptionem, & continuare debebant eam successores sui. *Per trecentos annos*, id est trecentis, vel ferè habitauit Israel in terra ista: in tanto tempore non est facta repetitio, nisi nunc. Videtur quòd ex præscriptione longissimi temporis, perdiderit ius suum rex Moab, & Ammon dato q̃ aliquod habuerit.

Quomodo Iephte dixit, quòd à tempore quo Israelitæ cæperunt possidere terram istam, vsque nunc fluxerunt anni trecenti cum non sint. tot.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR, quomodo Iephte dixit quòd à tempore, quo Israelitæ cœperunt possidere terram istam vsque nunc fluxerunt anni trecenti. Respondetur, quòd pauciores sunt: quod dupliciter patet. Primò accipiendo de summa annorum, quæ habetur 3. Reg. 6. partem illam, quæ habetur ab exitu de Ægypto, vsque ad introitum in terram Chanaan, siue ad adeptionem huius possessionis; & partem, quæ habetur ex nunc, vsque ad templi Salomonis fundationem. Est enim summa totalis ab exitu de Ægypto, vsque ad fundatio- E
nem templi quadringentorum octoginta annorum, vt tertio Regum sexto, à quibus demantur quadraginta anni, qui fluxerunt ab exitu de Ægypto, vsque ad adeptionem huius possessionis: nam ipsa fuit anno quadragesimo, post medietatem anni: nam Aaron mortuus est Annorum quadraginta, mense quinto Num. 33. & tamen possessio hæc acquisita fuit aliquanto tempore post mortem Aaron, quòd patet quia Aaron mortuus est in monte Hor: Numeri vigesimo, & post hoc Israelitæ circuerunt longo tempore montem Seir: Numeri vigesimo primo, & Deuteronomij secundo, & venerunt ad Arnon, vt declaratum fuit supra. Et sic essetiã mensis septimus vel octauus anni quãdo inciperent pugnare cõtra Seon regem, quem occidentes inceperunt possidere terram. Tollantur etiam omnia tempora, ex nunc vsque ad cõstructionem templi scilicet, sex anni Iephte, & septem anni Abesan, & decem anni Chialon, & octo anni Abdon sequẽti capitu. & viginti anni Samsonis, infra decimoseptimo & quadraginta anni Heli, primo Regum quarto quadraginta anni Samuel & Saul simul, Actuum decimotertio & quadraginta anni Dauid, secundo Regum quinto, & tertio Regum secundo, & tres anni, qui fluxerant de regno Salomonis, cùm cœpit ædificare templum, scilicet, in principio quarti anni sui regni, sunt simul anni centum & septuaginta quatuor, quibus addendo quadraginta, ab exitu de Ægypto, vsque ad F
adeptionem possessionis, sunt ducẽtorum & quatuordecim, quibus subtractis, de quadringentis octoginta, manent ducenti sexaginta sex: & deficiunt de summa trecentorum anni trigintaquatuor. Aliter etiam potest hoc computari incipiendo à tempore adeptæ possessionis vsque nunc, scilicet, quadraginta anni Hothoniel, sub quibus computantur tempora Iosue, & octuaginta anni Aod, supra tertio, & quadraginta anni Barac, supra quinto, & quadraginta anni Gedeonis, supra octauo, & tres anni Abimelech, supra nono, & viginti duo anni Thola, & viginti tres anni Iair: & decem & octo anni sine iudice, supra præceden. cap. qui simul sunt anni ducenti sexaginta sex. Cum autem dicitur: quare ergo ponuntur hic anni trecenti? Responderi potest dupliciter, vno modo, quòd ista non est assertio scripturæ, sed ipsius Iephte: & scriptura refert verba eius, & sic interdum scriptura refert aliqua falsa, non tanquam à se asserta, sed ab aliis dicta. Poterat autem Iephte mentiri in aliqua summa annorum fortè ex ignorantia. Vel quod verisimilius est dixit ad augendum ius suum, vt ostenderetur præscriptio valde longa. Vel aliter, & melius dici potest excusando Iephte ab intentione mentiendi, scilic. quòd sciebat quantitatem temporis præteriti: & tamen noluit ponere numerum præcisum, sed parum plus, vel minus. Et etiam iste modus loquendi interdum est in sacra scriptura, vt sæpe patet: potissimè quia non referebat quantum ad ius Israelitarum, quòd ponerentur trecenti vel
Alia cõputatio.

A ducenti ſexaginta ſex : quia in quacunque ſumma finita eſſet longiſſima præſcriptio.

Quomodo Iephte allegauit præſcriptionem trecentorum annorum, cum videretur eſſe cum mala fide : & an inter antiquos præſcriptio longiſſima cum mala fide teneret

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo Iephte allegauit præſcriptionem trecentorum annorum, quia aut volebat ſe defendere ex aliquo titulo, qui ſufficienter cauſaret Dominium, & tunc non oportebat allegari præſcriptionem, cũ ſine ipſa eſſet tutus, & ſecurus de iure, ſi autem non habebat titulum ſufficientem, iſta præſcriptio trecentorum annorum, imò potius poſſeſſio trecentorum annorum, non dabat dominium, aut ius retinendi : quia iſta poſſeſſio eſt cum mala fide : & poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, vt patet extra de præſcriptio. capitulo vigilanti, & de regulis iuris in ſexto, in regula poſſeſſor, ideo ſiue iſta poſſeſſio longiſſima per ſe allegaretur : ſiue vt adminiculum iuris alterius, nihil omnino conferret : & tunc eſt dubium, ad quid volebat allegare Iephte, id quod nihil proderat probatum.

B *Reſpon. ad quæſitum.* Reſpondendum, quòd Iſraelitæ habebant iuſtum titulum, quòd non ſolum daret cauſam præſcribendi, ſed etiam conſtituerat dominium verum, ſine adminiculo præſcriptionis, ſcilicet, quia obtinuerant terram iuſto bello ex mandato Dei : ex quo efficiebantur veri Domini. Sed vltra titulum voluit Iephte allegare præſcriptionem longiſſimam, quam erat ius diſiunctum : & illa etiam per ſe daret plenum ius retinendi terram. Et patet, quia alias eſſet omnino ſuperflua allegatio iſtius præſcriptionis. Quod etiam intendat ſe habere ius aliquid ex illa, patet ex verbis ſuis, quia dixit : Quare tanto tempore, nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? Non ergo ego pecco in te, ſed tu peccas in me, indicens bella iniuſta. q. d. quia tanto tempore nihil propoſuiſti ſuper repetitione terræ, ego præſcripſi : & ex hoc iuſtè poſſideo : ideo indicendo mihi bellum ad repetendum, facis bellum iniuſtum. Sed tunc dicendum, quomodo Iephte putabat ex hac præſcriptione habere ius, cùm non procedat præſcriptio cùm mala fide. Eſt autem mala fides, quando poſſeſſor habet conſcientiam rei alieni: ſed Iſraelitæ accipientes terram de manu Amorrhæorum habuerunt ſemper conſcientiam rei alienæ, ergo non potuerunt præſcribere etiam in mille annis. Si autem velis dicere, quòd non habebant conſcientiam rei alienæ : neceſſe erat, quòd crederent fuiſſe iuſto bello captam terram de manu Moabitarum, & Ammonitarum per Amorrhæos, quòd ipſi iuſto bello acceperint illam de manu Amorrhæorum, & hoc dato non erat bona fides, ſed titulus ſufficiens dans cauſam poſſidendi, & habendi plenum Dominium : ita vt non requireretur præſcriptio : imò nec eſſet poſſibilis, quia præſcriptio non currit niſi in re aliena, quæ noſtra eſſe putatur. Reſpondendum, quòd Iephte putauit præſcriptionem currere cum mala fide, dum tamen eſſet longi temporis : & ſic allegauit præſcriptionem trecentornm annorum: nec in hoc erat iniuſta opinio eius, quod ſic erat de iure ciuile, ſcilicet, quod in præſcriptione parui temporis, ſcilicet decem, vel viginti annorum requireretur bona fides: & tamen in præſcriptionibus longi temporis, ſcilicet annorum triginta, vel quadraginta ſufficeret poſſidere ſine bona fide, vt patet extra de præſcriptionibus. c. vigilanti. Sed dicetur, quod iſta lex ciuilis non erat tunc, quia illa fuit à legiſlatore Iepheſino, vt patet præallegato ca. & tamen iſte poſtea fuit. Item dato, quòd iam fuiſſet, nõ obligaret Ammonitas, Moabitas, & Hebræos, quia non erant ſubditi legibus talibus pertinentibus ad alias gentes, ſed quælibet gens proprias habebat leges, quia quod quilibet populus ſtatuebat, hoc lex illius populi erat. Item dicendum, quòd dato quod contingeret legem de præſcriptione cum mala fide haberi apud Hebræos ſolùm, vel Ammonitas, & Moabitas ſolùm : non poſſent Iſraelitæ mala fide præſcribere contra Moabitas, & Ammonitas: quia ad hoc oportebat, quòd vtrorumque ius commune eſſet. Nam ſi iſta lex ſolùm eſſet Hebræorum, non poſſent per eam præſcribere contra Moabitas, & Ammonitas, quia illi non obligabantur legibus Iudæorum, vt poſſet eis præiudicari per illas : ſi autem eſſet lex iſta Ammonitarum, & Moabitarum, & non Iudæorum : non poſſent Iſraelitæ per illam præſcribere, quia non poterant gaudere priuilegio legis pro ſe, quam non recipiebant contra ſe. Item dato quòd contingeret legem de præſcriptione cum mala fide eſſe legem Moabitarum, & Ammonitarum, & Iſraelitarum : dum tamen non eſſet vtriſque lata ab eodem legiſlatore, ſed contingeret eandem legẽ, quæ fertur à legiſlatore cuiuſdam terræ ferri ab alio : non poſſent præſcribere Iſraelitæ contra Ammonitas, & Moabitas. Nam licèt iſta lex obligaret quamlibet gentem illarum ſpecialiter, vel inter ſe : tamen non obligaret in comparatione ad aliam gentem, quia iſta lex licet vtrobique ſeruaretur, vtrique genti erat propria, & non communis: quia communitas legis eſt per communitatem legiſlatoris, cuius poteſtas ad vtrumque extenditur. Nam ſtante caſu, aut Iſraelitæ vellent præſcribere per iſtam legem contra Ammonitas, & Moabitas inquantum lex erat propria Ammonitarum, vel Moabitarum, vel inquantum erat propria Iſraelitarum, vel inquantum erat communis vtriuſque. Non primo modo, quia Iſraelitæ non poterant gaudere priuilegio legis contra Ammonitas, quam contra ſe non ſuſcipiebant. Non ſecundo modo, quia ius Iſraelitarum non obligabat Ammonitas, & Moabitas, cùm inquantum huiuſmodi erat ius priuatum, vel municipale. Non tertio modo, quia iſta lex non erat vere communis, ſed ſolùm æquiuocè : nam eſſet verè communis, ſi propter eundem legiſlatorem eſſet communis. Sed falſum eſt, quia cum lata eſt in vna regione, non obligabat in alia quouſque per alium legiſlatorem fuit lata in altera regione : & ita eſt communitas legis in nomine, & non in re per æquiuocationem: ſicut cùm multi vocantur Petrus, æquiuocatur iſtud nomen, & non eſt aliqua identitas rei ſignatę in vtriſque : vnde cùm ſecundum rem iſta lex eſſet duæ leges, ſcilicet, vna Moabitarum & Ammonitarum, & alia Iſraelitarum : per neutram illarum poſſet Iſrael præſcribere contra Ammonitas, & Moabitas, vt ſupra declaratum eſt. Ideo dicendum, quòd Iephte putauit ſe poſſe præſcribere per poſſeſſionem longi temporis cum mala fide, non ex aliqua lege poſitiua ſua, vel Moabitarum, ſed ex iure gentium : nam ſicut quædam communia ſunt de iure gentium, vt ſeruitutes, bella, emancipationes, manumiſſiones, & ſimilia, vt patet. ff. de iuſtitia & iure, lege ex hoc iure : lege manumiſſiones : ita & præſcriptio cum mala fide per longum tempus, erat inter omnes gentes, tunc approbata ideo putabat quilibet contra alium ſibi eſſe plenum ius, cùm longo tempore ſine interruptione, etiam cum mala fide præſcripſiſſet : & huic iuri tanquam communi non reſiſterent Ammonitæ, vel Moabitæ: vnde nec reſpondet rex Ammon, tanquam obiiciens aliquid de iure contra hæc : ſed ſolùm viribus voluit opprimere Iſrael, ſi tamen iſta omnia non eſſent firma, ſecundum ius illius temporis reſpondiſſet rex Ammon : ergo erant hæc de iure. *Quare tanto tempore, nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?* id eſt, cùm per trecentos annos ferè poſſederit Iſrael, inconcuſsè iam præſcripſit, quare enim nõ tentaſtis per tantum tempus repetere, ad hoc ꝙ non præſcripſiſſet Iſrael, nunc aũt, licèt repetatis, non competit vobis repetitio iure. In Hebræo dicitur. *Cur non liberaſtis hora ipſa?* id eſt, cur non liberaſtis terram iſtam de manu noſtra hora ipſa, id eſt, tempore Balac regis Moab, cùm illam perdidit, vel cum eo viuente, nos eam acceperimus de manu Amorrhæorum, litera autem noſtra aliqualiter mutata eſt ad ponendum ius ex præſcriptione Iſraelitarũ: nam ad hoc, quòd non præſcriberent Iſraelitæ, non requirebatur, ꝙ Moabitæ, vel Ammonitæ liberaſſent terram, ſ. eam eruendo totaliter de manu Iſraelitarum : ſed ſatis erat, quòd interrumperent præſcriptionem pugnando, vel petendo, quod eſt iurgari, vt ſupra patet in litera : ideo litera noſtra non dixit: Quare non eripuiſtis, ſed : Quare nihil ſuper repetitione tentaſtis. Etiam non requirebatur, quòd in ipſa hora, id eſt, tempere Balac facta fuiſſet repetitio : ſed ſatis erat, quòd fieret quandocunque, dum tamen ante completam preſcriptionem: ideo litera noſtra non dixit in ipſa hora, ſed : Quare tanto tempore, ſcilicet, quia iam tranſiuit tempus plenæ preſcriptionis, & nihil interrupiſtis.

Igitur non ego pecco in te, ſcilicet, quia iam preſcriptio legitimè finita, dedit mihi titulum, non pecco ego contra te, ſcilicet,

Quomodo Iephte opinabatur ex hac præſcriptione habere ius cũ nõ procedat præſcriptio cũ mala fide.

C

D

E

F

Quale de iure gentiũ cõmunia ſũt apud omnes nationes.

licet, detinendo loca, quæ olim fuerunt de terra tua, ſicut tu dicis me iniuſtè detinere illa. *Sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iuſta*, id eſt, quia iam ſciens dominium iſtius terræ meum eſſe ex cauſa aſſignata, malè agis, mouendo contra me bella, vt reddam tibi terram, & ſic bella iſta erunt iniuſta, quia non habent inſtantiam motiuam, quia Iephte in hac reſponſione ſua fundauit ſe principaliter ſuper præſcriptionem. Erunt aliqua dubia conuenientia de præſcriptione, quæ in fine huius expedientur.

Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Iſrael, & filios Ammon, quia putabat Iephte, quòd rex Ammon non conſentiret rationibns ſuis, ſed violenter vellet auferre terram, ſicut dictũ eſt, inuocauit Deum in iudicem contra Ammonitas, ſcilicet, Dominus indicet, ſcilicet, declaret per effectum, quis noſtrũ fouet iuſtam cauſam; & hoc dando victoriam fouenti iuſtum bellum. Vocatur arbiter huius diei, id eſt, quia in illa die Iephte eligebat eum in arbitrum, id eſt iudicem: vel quia inter Iſraelitas & Ammonitas, qui illa die contendebant nullus erat iudex ſuperior, elegit Iephte Deum: & illa die debebat eſſe iudex cùm illa die contenderetur. *Noluitque acquieſcere rex filiorum Ammon verbis Iephte*, ſcilicet, non dedit nunc aliquam reſponſionem, vel excuſationem ſicut prius fecerat, ſed ſolum dixit, quòd non curabat de his, ſed oportebat terram dari, vel bello, vel pace, & hoc quia nunc rex Ammonitarum neſciuit quid reſponderet ad verba Iephte, quæ erant iuſtiſſima. *Quæ per nuncios mandauerat*, ſcilicet, omnia iſta verba miſit ei per nuncios bis, vt patet ſupra in litera. *Factus ergo.* Hic ponitur tertium huius cap. ſcilicet hoſtis rebellantis expugnatio, & dicitur. *Factus eſt ſuper Iephte ſpiritus Domini.* ſcilicet, venit ſuper eum ſpiritus Dei ad confortandum illum contra hoſtes ſuos Ammonitas: nam cum expoſuiſſet Iephte iuſtam cauſam regi Ammon, vt non pugnaret contra eũ, non aſſenſit: ideo inuocanit Deum in iudicem, id eſt, vltorem iniuriæ: & nunc venit ſpiritus Dei ad confortandum eum, vt pugnaret.

Hoſtis rebellantis expugnatio.

Quis ſpiritus Dei fuerit iſte, qui venit ſuper Iephte.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR quis ſpiritus Dei fuerit iſte, qui venit ſuper Iephte. Reſpondetur, quòd ſpiritus vocatur quodlibet motiuum, vel impulſiuum motum: dum tamen ſit aliquod, quaſi incorporale: ſic enim vocatur ventus ſpiritus, quia fit à ſeipſo, & mouetur: Sic accipitur Pſalm. 9. Spiritus procellarum pars calicis eorum, & Pſal. 149. Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum, & ex hoc quodlibet, quòd eſt in anima noſtra: & poteſt nos mouere ad aliquid intelligendum, volendum, aut agendum, vocatur ſpiritus: ſic dicimus ſpiritum propheticum id, per quod prophetæ mouentur ad prænunciandum futura. Sic etiam dicimus, quo ſpiritu iſte egit hoc, id eſt, quo incentiuo. Iuſtum modum loquendi ſeruat valde ſcriptura. Sic patet Iſa. 11. ſcilicet, ſpiritus ſapientię, ſpiritus timoris, ſpiritus conſilij, &c. Vbi omnia ſeptem dona Spiritus ſancti vocantur ſpiritus, quia ſunt aliquid, quod nos mouet interius. Et ſecundũ hoc ſpiritus Dei multiplex eſt: nam allegato cap. ponitur ſextuplex ſpiritus: & Sapien. 7. ponitur, ſpiritus ſapientiæ variatus benè per viginti modos. Vnde aliquando dicitur venire ſuper aliquem ſpiritus Domini, id eſt, ſpiritus prophetiæ. Sic patet 1. Reg. 10. & 19. cùm dicitur: Inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis, mutaberisq; in virum alterum. Nam ibi ſolum intelligitur de ſpiritu prophetico, cum ſequatur: Prophetabis. Aliquando accipitur pro ſpiritu roboris, & animoſitatis, ſecundum quẽ aliquis audet pugnare contra aliquos, contra quos prius non audebat: & quia iſta animoſitas, vel confidentia eſt quod dam motiuum ad agendum, vocatur ſpiritus: & quia eſt à Deo immiſſa, vocatur ſpiritus Dei: ſic habetur 1. Re. 11. cùm dicitur de Saule: & inſiliit ſpiritus Domini in eum, cùm audiſſet verba virorum Iabes Galaad. Et patet quòd fuerit ſpiritus roboris & animoſitatis: quia immediate poſuit præceptum toti Iſrael de veniendo ad bellum ſub interminatione pœnæ: & progreſſus eſt contra regem Ammon, atq; præualuit. Ita nunc in Iephte fuit, qui ante hoc forte timebat Ammonitas confidentes de virtute ſua, & erat ei durum committere bellum contra illos: nunc autem confortatus eſt ad hoc, quòd confidenter pugnaret, quaſi certus de victoria: & iſto modo ſæpe accipitur, vt primo Regum decimo ſexto, ſc. quòd ſpiritus Domini receſſit à Saule: & quòd directus eſt ex die illo ſpiritus Domini in Dauid, & intelligitur de ſpiritu animoſitatis, vt ibidem dicetur. *Et circuiens Galaad, & Manaſſe*, ſcilicet, poſtquam rex Ammon omnino oſtendit, quòd volebat pugnare ad eruendum terram de manibus Iſraelitarum, putauit ſe ad bellum Iephte: & ad hoc circuiuit omnia iſta loca, quæ nominantur hic, ſcilicet, præmuniens illa, ſi fortè Ammonitæ per terram illam vagari vellent, & conſtituens cuſtodes, & bellatores in illis. Aliquis dicet ex hoc, q̃ terra Manaſſæ ſit extra terram Galaad, quia dicitur quòd circuiuit Manaſſæ, & Galaad. Et tamen falſum eſt, quia terra Galaad diuiſa eſt in duas medietates: & medietas eius data eſt tribui Gad, & medietas dimidiæ tribui Manaſſæ, vt patet Deu. 3. c. Ideo dicẽdum, quòd accipitur hic Galaad pro quadam parte terræ Galaad. *Maſpha quoque.* Iſta erat quædam ciuitas in quadam parte terræ Galaad, in qua erant Galaaditæ caſtrametati, quando miſerunt ad vocandum Iephte de terra Thob, & ibi fecerunt eum principem ſuum. *Et inde tranſiens ad filios Ammon.* ſcilicet, de Maſpha tranſiuit ad pugnandum contra Ammonitas. Nam Ammonitæ caſtrametati fuerant in quadam parte Galaad præcedenti cap. & cum hoc ageret Iephte, non mouebantur ipſi ad pugnandũ, nec recedebant inde in terram ſuam, cum nollent deſiſtere à bello. Iephte autem tranſiuit ad expellẽdum eos de loco ſuo. *Votum vouit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas*, id eſt, ſi dederis victoriam mihi de illis, ſcilicet, occidendo illos, vel effugando, & faciendo, quòd iam non repetant terram iſtam. Iſtud erat votum conditionale, & non obligabat, niſi ſtante condition: An vota conditionalia teneant, declaratum eſt Num. 30. cap. *Quicunque primus egreſſus fuerit de foribus domus meæ.* Siue ipſe videret eum exiſtentem, ſiue nondum occurreret ei in via, etiã ſi in aliquanta diſtantia à domo ſua. *Mihiq; occurrerit reuertenti cum pace.* Vocatur reuertens cum pace, ſcilicet, victis hoſtibus: nam ſi reuerteretur fugiens, non tenebatur ad reddendum votum. Sed dato, quòd perdidiſſet de viris ſuis multos in bello, & ipſe vulneratus foret: ſi obtineret victoriam tenebatur ad votum. *A filijs Ammon*, id eſt, à pugna contra filios Ammon. *Et holocauſtum offeram Domino*, id eſt, occidam & immolabo Domino in holocauſtum, quod eſt genus ſacrificij, in quo carnes totaliter cremabantur in altari, & non cedebat aliqua pars offerentibus, aut ſacerdotibus. De cæremoniis huius habetur Leu. 1. & declaratũ eſt ibi.

Impropatio opinioi de ſitu terræ Manaſſe.

Holocauſtũ q̃d ſit.

An peccauerit Iephte vouendo immolare primum occurrentem ſibi de domo ſua: & an in iſto voto ſolum intellexit de ſolo animali immolatio.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR an peccauerit Iephte vouendo, quòd immolaret primum exeuntem de domo ſua. Reſpondendum, quòd Iephte voluit nimis Deo famulari, & ad hoc fecit votum indeterminatum, ſcilic. quòd offerret, quicquid ei primo occurreret: nam ex hoc erat ſolicitus, qui poterat occurrere ei aliquid quod valde diligeret: & tenebatur illud occidere. Et vt magis ſe traderet Deo obligando ad maiora, non determinauit votum ſuum. Dicendum tamen, quòd peccauit ſic vouendo, quia fuit valde indiſcretus: nam vouit immolare eum, qui ſibi primò occurreret: & tamen poterat ſibi occurrere aliquis homo, vel qui non cadit ſub immolatione, & holocauſto: eo quòd illum immolare in holocauſtum eſt impium, cum homo non debeat occidi ſine cauſa. Secundò, quia dato, quòd homo eſſet reus mortis, non poterat immolari in holauſtum, quia iſtud pertinet ad animalia bruta determinata in lege, ſcilicet, ad boues, oues, & capras. Item erat indiſcretus, quia poterat occurrere aliud animal, quòd non eſſet immolatitium, ſicut canis, vel aſinus: quia nihil huiuſmodi Deo in holocauſtum immolabatur, lege vetante. Vnde quædam ſunt, quæ ad omnem euentum ſunt bona, & in iſtis tenet votum: alia ſunt, quæ ſemper ſunt mala, & in iſtis nunquam tenet votum: alia ſunt, quæ poſ-

Reſpon. ad quæſitum.

Spiritus Dei multiplex.

A

sunt euenire in bonum,& in malum : & inquantum possunt bene euenire, tenet votum : & inquantum male eueniunt, non tenet. Et patet exemplum in isto voto Iephte, in quo poterat votum malum euentum habere: vt si occurreret homo, vel asinus, quòd non erat animal immolandus: vnde beatus Hieronymus ait, quod vouendo fuit indiscretus, & reddendo fuit impius.

An Iephte in voto suo intellexerit de solo animali bruto, aut de solo homine, aut de vtroque.

QVÆSTIO XLII.

QVÆRETVR vlterius,an Iephte in voto suo intellexerit de solo animali bruto, vel de solo homine, vel de vtroque,cùm dixit: Quicunq; egressus primus fuerit de foribus domus meæ. Aliquis dicet, quòd solùm intelligebatur de animalibus brutis, vt de ouibus, bobus, & capris: quod patet quia dixit: offeram eum holocaustum Domino: & tamen sciebat Iephte, quòd holocaustum non poterat offerri, nisi de tribus generibus animalium, scilicet, ouibus, bobus, & capris, & hoc de pecoribus : de volucribus autem fieri de duobus generibus solum,scilicet,de turturibus, vel de pullis columbarum, vt patet Leuit. 1. ergo solum intelligebatur de brutis. Aliquis dicet è contrario, quòd etiam intelligebatur de hominibus,& de pecoribus, quod patet quia si solum intellexit de brutis immolaticiis, licèt occurrisset ei filia sua,nõ tenebatur illam immolare, & tamen ipse dixit : Decepisti me,& ipsa decepta es: aperui os meum ad Dominum,& aliud facere non potero, & istud tenet beatus Thomas de Aquino, dicens, quòd votorum quædam eueniunt interdum in bonam partem, & interdum in malam : & inquantum eueniunt in bonam, seruanda sunt : & vt in malam eueniunt, non obligant. Et ponit exemplum de voto Iephte,quod poterat euenire in bonum, si occurreret ei animal immolatitium, vel in malum,vt si occurreret ei homo, vel asinus, vel animal quod non erat immolandum : si tamen de solis brutis immolatitiis intellexisset, non posset conuerti istud ad votum bonum & malum. Aliquis arguet, quòd solùm intelligeretur de mimmolatione hominis solum : & hoc patet in duobus vel tribus. Primum,quia dicitur,quicunque primus egressus fuerit de foribus domus meæ : sed quicunque dicit personam : bruta autem non sunt personæ : ergo solum intelligendum est de illis,quæ sunt personæ, scilicet, de hominibus. Secundò patet quia dicitur : mihique occurrerit reuertenti. Occurrere autem non pertinet ad bruta, quia non dicimus, quòd occurrit mihi bos,vel capra, sed inueni bouem,vel capram in via. De homine autem dicitur, quòd occurrit alteri. Tertiò patet,quia Iephte voluit Domino offerre aliquid magnum ; Si autem intelligeret ipse in aliquo casu de animalibus,non dixisset confusè : Quicunq; occurrerit, quia tunc solum intelligebatur vnum pecus in isto voto: & istud votum erat paruum. Vnde si intellexisset de pecoribus, videtur quòd ipse voluisset determinatè multa, scilicet, viginti vel triginta,aut valde multa pro tanto bono,scilicet,victoria contra hostes : & tamen vouit determinatè multa, ergo videtur, quòd intelligebatur aliquod magnum sacrificiũ per hoc : & istud erat immolatio alicuius hominis, qui præponderaret multis pecoribus simul sumptis. Quartò patet, quia Iephte fecit magnam distantiam voti in hoc,quòd non determinauit quid offerret,sed dixit: Quicũq; primus egressus fuerit, si tamen intelligeretur de pecoribus, modicũ differebat,quòd offerretur istud pecus,vel illud: ergo non intelligebatur de illis,sed de hominbus, sc. quod quemcunq; sibi occurrentem immolaret, & in hoc multum differebat, quia aliqui erant de domo sua,quos multum diligebat,scilicet,filia sua vnigenita,& alios minus diligebat, sc.famulos, & noluit de his diffinire, vt magis se astringeret,vt cogeretur Deo reddere quodcunq; eueniret.Respondendum, ꝙ quemlibet istarum trium partium teneri posset.De prima patet, s.vt dicamus quòd Iephte solùm intellexit de animalibus immolatitiis.Et quando obiicitur quòd tunc non putasset se obligatum ad occidendum filiam, nec occidisset. Dicendum, quod votum Iephte fuit generale, scilicet, quicunque primus exierit de foribus domus meæ. Et quantum erat ex verbis intelligebatur votum, tam de hominibus, quàm de pecoribus, ideo licèt intentio sua fuisset solum de pecoribus, putauit se ex verbis obligari ad immolandum filiam suam. Ad aliud, quando dicit beatus Thomas, quod poterat istud votum euenire in bonam partem, vel in malam : dicendum quòd istud erat quantum ad significationem verbornm, quia cum essent verba vniuersaliter dicta, poterant capi pro animali immolatitio, & pro non immolatitio. Et quantum ad hoc intelligitur dictum Hieronymi, scilicet, quòd fuit stultus vouendo, scilicet,quia non distinxit verba sua, ita vt determinatè intelligerentur pro animali immolatitio:cumque circa ea, quæ inducunt obligationem nimis cauere debemus qualiter proferantur, vt sciamus adquid obligamur. Si autem tenere volumus secundam positionem, dicemus quòd votum Iephte intelligebatur de animali bruto,& de homine. Ad rationem in contrarium, pro prima parte dicendum, quòd licet animalia bruta in tribus speciebus propriè immolentur in holocaustum : Leuit.1. tamen largè vocatur immolari in hololaustum,quodcunque occiditur animo famulandi Deo, & totum applicatur ei, de quo infra declarabitur. Ad primam rationem pro tertia positione dicendum, quòd quicunque licèt personam signet, proprie tamen hic ponitur ad significandum personam, vel non personam : & tamen ponitur vt significet personam denominando à nobiliori, Ad secundum dicendum,quod occurrere potest esse commune ad rem rationalem, & irrationalem. Ad tertium dicendum, quòd cùm Iephte voueret indistinctè, qnod ei prius occurreret, siue homo, siue brutum, satis magnũ Deo vouebat, quod confusè vouendo vouebat, id quod preciosissimum sibi erat: nam si illud sibi occurrisset,tenebatur saltem ex intentione sua illud immolare. Ad quartum dicendum, quod non militat contra hanc positionem, sed solum contra primam, quod intelligeretur de solis brutis: quin potius confirmat istam,quia propter hoc non determinauit de pecoribus,vt intelligeretur de hominibus, vel de pecoribus: & differebat nimis an homo, vel pecus immolaretur. Si autem velimus tenere tertiam, dicemus ad rationem primæ positionis, sicut supra diximus, scilicet, quod immolare in holocaustum aliquando accipitur large, & potest pertinere ad homines, de quo infra dicetur. Ad primam rationem secundæ positionis non est respondendum, sed concedendus est,quia solùm est contra primam positionem.Ad secundam rationem de positione Sancti Thomæ dicendum esset, negando positionem illius, quia non cogit quando veritas Sacræ Scripturæ aliter petere potest,quam ipse asserat. Sed dicendum, quòd inter istas tres positiones, licet quælibet sustentabilis foret : tertia tamen minus sustentabilis est, quam reliqua : ideo de ea non est curandum. De primis est dubiũ, quidam tenent,quòd vouerit indistinctè de homine, vel de pecore: & quòd intentio sua fuerit se obligandi ad hæc duo, si quodlibet illorum eueniret diuisim. Sed dicendum, quòd prima positio est rationabilior, & magis pia, scilicet, quòd Iephte solùm intelligeret de pecoribus, & tamen fuit sermo suus vniuersalis,qui de vtrisque intelligi poterat:& tunc magis excusatur Iephte,scilicet,quia nullo modo intendebat de occisione humana, sed postea dubitauit de suis verbis,& putauit se obligare ad occidendam filiam. Item patet, quia dicitur: immolabo eum Domino in holocaustum : & tamen si intellexisset etiam de hominibus,non dixisset, immolabo in holocaustum, sed immolabo solum. Sed tunc obiicietur, quia si solum intellexisset de pecoribus,occurrentefilia,non teneretur occidere eam. Dicendum, quòd licès intenderit penes se solum de pecoribus, tamen verba generaliter protulit, & putauit, quòd ex eis obligaretur ad occidendum filiam.

Transiuitque Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos. Quos tradidit Dominus in manus eius:persecutusque ab Aroer, vsque dum venias in Memnith viginti ciuitates: & vsque ad Abel, quæ est vineis consita,plaga magna nimis. Humiliatique sunt filij Ammon à filijs Israel. Reuertenti autem Iephte in Maspha domum.

B *Thomæ ratio secunda.*

Opin Thom secunda secũdæ qu. 84. ar. 2. ad secundã.

Vota duplici ter euenunt.

Rationes cuiusdam pro tertia positione. 1. Rat. 2. Rat.

3. Rat.

C

Quarta ratio.

Adrationem contra hãc primã positionẽ responsio.

D

Adrationem Thom.

Pro secunda positione.

Respon. ad rationem in contrariũ.

Ad primã rationem pro tertia positione.

E

Ad secundã & tertiam rationem Ad 4. rationem.

Pro tertia positione.

Adrationem prima positionis.

Adrationem secundæ positionis.

F

Nicostrata literas latinas inuenit.

A *Arachna fœmina pretia prima inuenit. 56. dist. cap. nascens. 22 q. 4. cap. nunquid. 23 q. 5. si non licet in fine. Typhis carpentarius nauis gubernaculū primus inuenit.*

mum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris. Non enim habebat alios liberos. Quæ visa scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodeunque pollicitus es, concessa tibi vltione, atque victoria de hostibus tuis. Dixitq; ad patrem: Hoc solum mihi præsta, quod deprecor. Dimitte me, vt duobus mensibus circueam montes, & plangam virginitatem meam, cum sodalibus meis. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum. Et fecit ei sicut vouerat. Quæ ignorabat virum. Exinde mos increuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

B *Transiuitque Iephte ad filios Ammon.* Scilicet, iuit contra illos in bellum, vbi erant castrametati in Galaad terra. *Vt pugnarent contra eos.* Ammonitæ autem à principio volebant incipere bellum contra Israel: nunc autem Iephte iuit contra Ammonitas, ipsis non pugnantibus contra Israel. Causa huius est, quia à principio introierunt Ammonitæ in terram Galaad, quæ erat terra Israel: & in hoc mouebant bellum contra Israelitas: nunc autem manebant in terra eadem: ideo Iephte ibat ad pugnandum contra eos, non tanquam aggrediens, sed tanquam defendens terram suam. *Quos tradidit Dominus in manus eius.* Scilicet, quia vertit Deus illos in fugam incutiendo timorem, & sic Iephte poterat occidere de illis multos. *Percussitque ab Aroer.* Sciendum quod hic fuerunt duo bella, scilicet, vnum fuit contra Ammonitas, qui conuenerant in castra, & erant in terra Galaad, præsenti capit. istos enim partim interfecit, & partim fugauit. Aliud bellum fuit post fugatos Ammonitas: nam pugnauit contra terram illorum, & percussit multas vrbes eorum occidendo habitatores, & terram desolando: & de isto secundo bello dicitur. *Quod percussit ab Aroer vsque dum venias in Memnith viginti ciuitates.* Scilicet, quod istæ ciuitates incipiebant ab Aroer, & finiebantur in Memnith, est enim Aroer ciuitas terræ Israel, vt patet Iosue decimo tertio: nam ibi data est filiis Ruben: ideo debet hic accipi exclusiue, scilicet, quod ab ista ciuitate cœperunt Israelitæ introire in terram Ammonitarum percutiendo, & percusserunt viginti ciuitates, scilicet, capiendo eas bello, & occidendo eos, qui intus erant, & fuit finis in Memnith, & Abel: nam noluerunt vlterius pugnare. *Aroer quid sit.*

C *Et vsque ad Abel, quæ est vineis consita.* Ista est quædam ciuitas Ammonitarum, satis famosa in excellentia vini: ideo vocatur consita vineis, quasi nulla alia ciuitas terræ, illius sic consita foret. *Abel quid sit.* *Plaga magna nimis.* Id est, in istis ciuitatibus fuit magna plaga, quia occisi sunt valde multi: vel quia occidebantur omnes, qui inueniebantur. *Humiliatique sunt filij Ammon à filiis Israel.* Scilicet, superbia illorum humiliata fuit: nam ante hoc quotidie petebant terram Galaad ab Israelitis, & vastabant illos: nunc autem cessauerunt petere, & pugnare: & satis illis erat, quod se possent defendere, nec Israelitæ acciperent eis reliquam terram, quam possidebant.

An bellum hoc contra Ammonitas Israelitis facere licuit.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR, an licuit Israelitis facere istud bellum contra Ammonitas. Aliquis dicet, quod non, quia Deus vetuit Israelitis pugnare contra Ammonitas, & Moabitas: Deuteron. 2. cap.

Respondendum, quod licebat Israelitis pugnare contra illos, qui habebant iniustam causam pugnandi. Ad auctoritatem dicendum, quod illa fuit quoddam præceptum temporale, ideo solum obligauit pro illo tempore, quo datum est, scilicet, quando Israelitæ transituri erant inter confinia Moabitarum, & Ammonitarum: nunc autem non obligabat illud præceptum. Aliter dici potest, quod illud præceptum datum est ad excludendum iniustum bellum, scilicet, quia Israelitæ forte mouerentur ad pugnandum contra Moabitas, & Ammonitas desiderio capiendi terram eorum in transitu: nunc autem non pugnabant, vt caperent terram eorum, sed ex iusta causa, ideo licitum erat pugnare.

D

An Israelitæ habuerint aliquam causam pugnandi contra Ammonitas.

QVÆSTIO XLIV.

QVÆRETVR vlterius, dato quod liceret Israelitis nunc pugnare contra Ammonitas, si haberent causam: an habuerint aliquam causam pugnandi. Aliquis dicet quod non, quia bellum quod nunc fecit Iephte contra Ammonitas, erat ad expellendum eos de terra sua: nam ipsi introiuerant in terram Galaad præcedenti cap. postquam ergo impulissent eos, videbatur iniusta pugnatio contra eos: quia cessabat causa efficiēs bellum iustum. Respondendum, quod Israelitæ licite pugnauerunt contra Ammonitas, ad destruēdum viginti ciuitates: quia bellum est iustum dupliciter, scilicet, ad repetendum satisfactionem pro iniuriis, vel pro damnis datis, & quamdiu manet pars iniuriæ, vel damni adhuc est bellum iustum: nunc autem erat vtrunque in Israelitis ad Ammonitas: quia Ammonitæ fecerant iniuriam Israelitis introeundo in terram eorum nolentibus eis. Secundo erat damnum, scilicet, quod existentes in terra eorum vastabant multa. Quantum ad iniuriam erat satisfactio, quod Israelitæ expellerent Ammonitas de terra sua, & intrarent tantum in terram Ammon, quantum ipsi intrauerant in terram Israel. Etiam poterant occidere multos de Ammonitis, quia iniuria Israelitarum fuerat magna, cum stetissent magno tempore Ammonitæ in terra eorum nolentibus ipsis. Insuper fuerat magnum damnum Israelitarum, quia sæpe introiuerant Israelitarum terram ipsi Ammonitæ, & prædabantur totam terram Galaad, & interdum nimis confidentes transibant Iordanem, & vastabant tribum Iudam, & Beniamin, præcedenti capitulo, pro hoc Israelitæ poterant facere magnas prædas iuxta arbitrium suum, vt satisfieret eis de omnibus, quæ abstulerant ipsi de terra illorum toto tempore præterito. Etiam sicut multi occisi fuerant de Israelitis, poterant occidere multos de Ammonitis, & cum destruxissent viginti ciuitates, iudicauit Iephte satisfactum esse Israelitis pro damnis, & iniuria: ideo noluit magis vastare de terra Ammon: alioquin plus vastare potuisset.

E *Resp. cuiusdā ad quæstum. Et ratio. Dect resp. ad quæstum. Bellum est iustum dupliciter.*

Cum Iephte occidisset habitatores viginti vrbium, quare non cœperit eas, vt essent pro Israel.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR vlterius, quare cum Iephte occidisset habitatores istarum viginti vrbium, non cœpit vrbes, vt essent pro terra Israel cum essent in confinio terræ Israel. Respondendum, quod licitum erat Israelitis punire Ammonitas pro iniuria, & damnis. Et etiam facere pro iniuria tributarios: & tamen non licebat accipere terram eorum, ad vniendum terræ Israel: sic patet de Dauid: nam ipse pugnauit contra Moabitas, vt faceret de illis duos funiculos, vnum ad occidendum, & alium ad viuificandum: tamen cum fecerit illos tributarios, non legitur accepisse aliquem locum de terra illorum, ad vniendum terræ Israel, 2. Reg. 8. cap. Sic etiam fuit de Ammonitis. Nam pro dehonoratione nunciorum suorum pugnauit contra illos, & dure puniuit, & carpentis ferreis, & ducens eos in typo laterum: vt patet 2. Reg. 12. & 1. Paralipom. 20. cap. & fecit residuos tributarios, vt ibidem patet: tamen non legitur vniuisse terram illam, vel partem eius terræ suæ. Causa huius erat, quia Deus dixerat Deuteron. 2. quod non daret nec vnum vestigium pedis Israelitis de terra Idumæorum, Moabitarum, & Ammonitarum, eo quod dederat illam in possessionem filiis Esau, & filiis Loth: ista autem erat determinatio Dei, ideo nunquam licebat

F

A cebat Israelitis pugnare ad accipiendum partem terræ istorum. Et si aliquando pugnando in bello iusto, vel iniusto acciperent aliquam partem terræ, tenebantur ad restitutionem: & sic est casus, in quo quis in bello iusto non efficitur Dominus rei captę: sic etiam est si in bello iusto aliquis rapiat rem sacram: nam nunquam potest constitui Dominus illius, & istud est propter specialem prohibitionem de re illa: sic enim erat de terra istarum gentium: nam erat Israelitis vetita, scilicet, quod nullo modo caperent eam. Alia etiam causa est, quia generale erat Israelitis, quod nullam terram caperent ad vniendum terræ suæ: nam Numer. 34. Deus limitauit eis terram, quam possidere deberent, scilicet, terra possessionis vestræ his limitibus terminabitur: ideo dum non obtinuerant illam, licebat eis pugnare contra gentes habitantes in terra illa, & acquirere terram, sed postea licet pugnarent contra alias gentes, & obtinerent, non poterant vnire ciuitates terræ suæ ad augendum eam: sed aut ciuitates captę recipiebant pacem oblatam ab Israelitis, aut non. Si primo debebat ciuitates supponi tributis, & dimitti. Si autem non reciperet, debebat expugnari, & omnes viri debebant occidi: mulieres autem, & paruuli seruabantur, & efficiebantur serui vel vendebantur, & ipsa ciuitas destruebatur, vt Deuteron. 20. & sic in nullo casu licebat vnire terram captam terræ suæ, ne excederent Israelitæ terminos possessionis limitatæ eis à Deo: vnde non solum fuit hoc custoditum in Ammonitis, & Moabitis, de quibus erat præceptum speciale, ne caperetur terra eorum, sed etiam in aliis gentibus, vt patet de Syris terræ Soba, quos sibi subiecit Dauid, & fecit eos tributarios: & tamen nullam terram Syriæ vniuit Israel, vt patet 2. Regum 8. capitulo. *Reuertenti autem Iephte in Maspha domum suam.* Scilicet, reuertebatur Iephte de cœde Ammonitarum, & ibat in vrbem Maspha, vbi erat domus eius, scilicet, quia ibi forte tunc constituerat domum suam, quando ductus est de terra Tob, vt efficeretur princeps Israel. *Occurrit ei vnigenita filia eius.* Scilicet, sciens aduentum patris, venit cum magna lætitia obuiam ei, quia vicerat in bello: & erat ista vnigenita, quia nullos alios liberos habebat, & forte nec expectabat. *Cum tympanis, & choris.* Multæ virgines ibant cum filia Iephte, quod patet quia dicitur: cum tympanis, & choris: & tamen ipsa non poterat ducere plura tympana, & choros: sed multæ virgines ibant cum ea, eo quod ipsa erat filia principis Israel. Etiam quia nunc Iephte redibat victor: ideo virgines exibant ei obuiam canendo. Sic factum est in Dauid, & Saule: cum enim Saul iret in Ierusalem Dauid portante illuc caput Goliath, egrediebantur mulieres de singulis vrbibus, ducentes choros in tympanis lętitię, & systris, primo Regum decimo octauo capitulo. Et sciendum, quod ista puella Iephte filia; & alię virgines cantarent aliquid pertinens ad laudem Dei dantis victoriam, & ad laudem Iephtę, qui erat victor: sic etiam Maria soror Moysi tulit tympanum, & ipsa cum filiabus Israel, canebat canticum illud facta liberatione de mari rubro, scilicet, Cantemus Domino. Quod habetur Exod. 15. Sic etiam mulieres, quæ egressæ sunt obuiam Sauli, & Dauid canebant: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia, vt patet 1. Regum 18. cap. Tympanum est musicum instrumentum de ligno opertum corio extenso, quod percussum modulatos tinnitus reddit: & vocatur tympanum à tinniendo. Chorus potest accipi dupliciter hic. Vno modo pro chorea puellarum canentium: & sic dicitur, 1. Reg. 18. quod ducebant choros, id est, choreas: & est sensus quod ibāt multæ puellæ cum filia Iephte, vnde faciebant choreas multas. Alio modo chorus est quoddam instrumentum factum de ligno, & opertum corio: sed differt ab imagine tympani, vt quidam volunt. Fuit choros parum ante tempus istud inuentum in Græcia, vt infra dicetur, & ibi de figura eius. Quocunque modo horum poterat accipi: quia ad lætitiam pertinet chorus. *Non enim habebat alios liberos.* Istud potest dici propter duo. Primo ad significandum, quod non venerunt obuiam Iephte plures de filiis, vel filiabus eius quam illa, de qua dicitur: eo quod non habebat alios liberos. Secundo potest hoc dici, ad significandum magnitudinem doloris, quem habuit Iephte: quia si multos filios, vel filias habuisset, occidendo illam, quæ sibi occurrebat, non doleret tam acriter, sicut nunc doluit. Sciendum autem, quod licet cum ista filia Iephte irent aliæ puellæ virgines, non occidit aliquam illarum Iephte: eo quod votum suum solum intelligebatur de domesticis suis. *Qua visa scidit vestimenta sua.* Id est, in signum doloris. Sic erat mos antiquis; vnde Dauid audita morte Saulis & Ionathæ scidit vestimenta sua ipse, & viri sui, vt 2. Reg. 1. & audita morte Ammon filij sui, 2. Reg. 13. vnde etiam quando dolebant de peccatis, & petebant veniam à Deo, scindebant vestimenta sua: sed hoc vetuit Iohel propheta dicens, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: Iohel 2. cap. *Et ait: Heu filia mi, decepisti me.* Scilicet, quia fecisti votum meum euenire præter intentionem meam, scilicet, qui decipitur aliud in re sentit, quam ipse iudicauerit: ita Iephte non putauit aliquid de filia, & nunc videns eam putauit se obligatum occidere ipsam, ideo credidit se ab ea deceptum. *Et ipsa decepta es.* Scilicet, quia putasti gaudium esse exire mihi obuiam, & tamen ex hoc morieris. *Aperui os meum ad Dominum.* Scilicet, emisi votum, scilicet, de faciendo holocaustum, de primo exeunte de domo mea. *Et aliud facere non potero.* Id est, non potero variare illud, quia egresso semel verbo de labiis meis, maneo obligatus ad illud: & sic innuebat, quod cum sub voto suo caderet occisio illius, quod non poterat euitare, quin eam occideret.

D

Quæritur an iuramento teneatur quis stare in animo deliberato.

An Iephte tenebatur occidere filiam suam propter votum emissum.

B

QVÆSTIO XLVI.

E

QVÆRETVR an verum esset, quod Iephte tenebatur occidere filiam suam propter votum emissum.

Resp. ad quæsitum. Respondendum, quod non: quia aut Iephte vouens hoc generaliter, scilicet, quicunque primus egressus fuerit de foribus domus meæ offeram eum holocaustum Domino, cum intentione obseruandi hoc, tam in pecoribus, quam in hominibus: aut solum cum intētione occidendi animalia bruta pertinentia ad sacrificium. Si primo modo votum non tenebat, quia erat impium, & quod malum est nō obligat: vnde nec iuramenta præstita, nec vota emissa super se simpliciter mala causant aliquam obligationem: & peccabat Iephte emittendo tale votum, & postea si illud seruaret: sed magis impius erat seruando, quam emittendo: si autem vouit intelligens de solis brutis, etiam si de omnibus intelligeret, non tenebat votum, quia quædam pecora sunt, quæ non cadunt sub sacrificio, imo nullum genus sacrificij fiebat, nisi de tribus speciebus pecorum, scilicet, de bobus, ouibus, & capris, vt declaratum est, Leuit. 1. Si vero intellexit de solis animalibus immolatitiis tenebat votum, & tamen non obligabatur occidere filiam: dato quod ipsa primo occurreret, licet verba vniuersaliter dicta possent extendi, tam ad homines, quam ad pecora, quia sermo debet seruire rei, & res non debet subiecta esse sermoni, vt ait Hilarius in libro de Trinitate, & habetur extra de regulis iuris, cap. intelligentia, nisi forte verba dicantur in fauorem, vel præiudicium alicuius: quia tunc non debet attendi, quid proferens intellexerit, sed quid verba secundum communem interpretationem sonant, vt patet extra de sponsalibus: cap. ex literis, & hoc nisi forte alias constet de intentione loquentis, quod alia fuerit, quam per verba significatur, & sic sine vlla difficultate debebat Iephte cessare ad impletionem voti, cum non incurrisset ei res, in qua intelligebatur votum suum.

Quod malū est non obligat.

C

Chorus dupliciter accipitur.

F

Quare Iephte filiam suam occiderit.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR, cum non obligaretur Iephte occidere filiam, quare occidit illam.

Respondendum, quod putabat Iephte obligatum se ad occidendum illam ex voto, quod patet quia dixit, aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Sed dicendum, quod istud eueniebat ex imprudentia virorum illius temporis circa interpretationem sacræ scripturæ, & votorum: nam lex ponebat sub magna districtione vota, scilicet, quod homines obligabantur valde ad soluendum illa, Deuter. 23. cap. & ob hoc putabant, quod sub forma verborum, qua vouebatur erat tenēdum votum, dato quod votum ver-

A geret in deteriorem exitum, & quia ſub verbis Iephte generaliter videbatur comprehendi filia, licet intentio ſua fuiſſet ſolum obligare ſe in pecoribus: putauerunt quod ad occidendum illã teneretur Iephte. Et ſicut interdum inſipienter interpretabantur in fauorem votorum: ita interdum contra vota abſoluendo aliquos inſipienter agebant: ſic patet infra vigeſimo primo, vbi cum iuraſſet totus populus non dare filias ſuas in vxores filiis Beniamin: poſtea iuſſerunt virginibus, vt ducerent choreas per agros, & filiis Beniamin quod laterent in illis, & de virginibus venientibus raperent ſibi aliquas in vxores: & tamen nemo dubitabat, quod ſic infringatur votum, ſed tenuit: ſed putauerunt ſe Deum ſic deludere, ex quadam graui ignorantia, circa intellectionem legis, & rationem. Sciendum autem, quod Hebræi volunt Phinees nepotem Aaron fuiſſe nunc ſummum ſacerdotem: & dicunt quod quia noluit liberare à voto ipſum Iephte receſſit ab eo ſpiritus prophetiæ. Dicunt etiam, quod tam Phinees, quam Iephte peccauerunt hic: & vterque ex ſuperbia: nam Phinees ex ſuperbia noluit venire ad Iephte, ad denunciandum ſolutionem à voto, & quod non obligaretur occidere filiam. Iephte peccauit, quia ex ſuperbia noluit ire ad Phinees, vt declararet ei de voto ſuo: ideo vterque punitus eſt, & puella occiſa fuit. Phinees enim caruit ex tunc ſpiritu prophetico, vt volunt. De Iephte dicunt, quod putrefactus eſt, & partes eius ſingillatim cadebant, & ſepeliebantur in diuerſis locis. Quod probatur ſequenti capitulo, vbi litera noſtra dicit: ſepultus eſt in ciuitate ſua Galaad. In Hebræo dicitur: ſepultus eſt in ciuitatibus Galaad, ſcilicet, vna pars in vna: & alia pars in alia. Sed iſta poſitio Rabbi Salomon. & aliorum Hebræorum eſt fictitia. De primo patet, quia tempore huius voti non viueret Phinees, quod patet quia ab introitu in terram Chanaan, vſque nunc erant anni trecenti, ſicut dixit Iephte contra regem Ammonitarum: & tamen antequam incipiat computatio ipſorum annorum, erat Phinees triginta annorum, vel plurium. Nam eodem anno, quo factum eſt bellum contra Amorrhæos, & capta eſt terra: Phinees occidit ſcortum Madianitidem coeuntem cum principe tribus Simeon. Numer. 25. & Deus promiſit tunc illi ſacerdotium æternum, & tamen ad faciendum oportebat, quod eſſet ætatis maturæ, vt iſta pro Deo zelaret, & facere auderet: ergo erat nunc pluſquam trecentorum annorum, ſi ſuperuiueret: nullus tamen ad talem perueniebat ætatem in hoc tempore: ergo non erat nunc viuus Phinees. Quod autem dicũt, quod Iephte ex ſuperbia noluit ire ad Phinees, ſed potius occidit filiam ſuam, eſt omnino irrationabile: Nam dato, quod eſſet Phinees viuens, cum Iephte diligeret valde filiam ſuam, quia erat vnigenita: non ſolum iuiſſet petiturus conſilium ad Phinees, vt non moreretur filia ſua, ſed etiam ad viliſſimum hominum. Etiam quod dicunt, quod Iephte computruit, & ſepultus eſt in multis ciuitatibus: non eſt veriſimile, quia cadentibus aliquibus partibus corporis eius per putredinem moreretur ipſe. Etiam dato, quod ſic accidiſſet, non diceretur ſepultus in multis ciuitatibus, ſed in vna: quia ibi ſolum dicitur aliquis ſepultus, vbi eſt caput eius, ſiue aliæ partes ſint ibi, ſiue non, ideo tenendum eſt, id quod primo dixi. Etiam dicendum, quod dato quod Phinees tunc vixiſſet, neſciuiſſet interpretari iſtud votum, in quo obligabat, ſic enim fuit tempore ſuo factum, cum ipſe eſſet ſacerdos in Sylo, nam tunc fecerunt Iſraelitæ iuramentum, ſiue votum de non dando filias ſuas in vxores filiis Beniamin: poſtea dederunt exponendo votum, vel iuramentum, vt ſupra dictum fuit, & credendum eſt, quod iſtud ageret totus populus de conſilio eius, vel ſaltem eo non repugnante: ergo neſciebat Phinees interpretari vota, ſcilicet, in quo caſu obligarent, & in quo non. Sed dicendum, quod imputandum fuit, quod ſaltem Iephte non fecit cõſuli Dominum per ſacerdotem magnum, vt reſponderet ſuper hoc voto. *Cui illa reſpondit.* Cognouit filia Iephte, quod ipſa occidenda erat ex voto patris: & reſpondit quæ ſequuntur. In quibus patet magna virtus puellæ, quæ mortem non exhorruit, vt pater ſuus votum impleret in ea. *Pater mi ſi aperuiſti os tuum ad Dominum.* Id eſt, ſi emiſiſti verbum voti contra me, ita vt debeam mori. *Fac mihi quodcunque pollicitus es.* Scilicet, ſiue infligendo mortem, ſiue quamcunque aliam pœnam voueris inferre. *Conceſſa tibi vltione, atque victoria de hoſtibus.* Iſta litera poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quod ex quo Iephte vouerat immolare, ſi Deus traderet filios Ammon in manus eius, & iam tradiderat: dignum erat, quod immolaret eam. Secundo poteſt intelligi, ſcilicet, quod pater triſtabatur valde, quia occidebat filiam, & quia filia dixerit: pater non debes triſtari de morte mea, ex quo obtinuiſti victoriam, & vltionem de hoſtibus: quia maximum bonum, & gaudium quod habere poteras erat iſtud: ideo quæcunque mala accidant, poſtquam tantum bonum conſecutus es, non eſt tantum dolendum. Et ponuntur vltio, & victoria, quia vltio eſt in quantum tantum malum, & forte plus intulit Iephte Ammonitis, quam ipſi intulerant Iſraelitis. Victoria erat in quantum conuertit eos in fugam, & percuſſit viginti ciuitates eorum ſubiiciendo eas. Poteſt autem eſſe victoria ſine vltione, & vltio ſine victoria. De primo patet, quia quando nullum bellum, vel damnum aut iniuria præceſſit, quia tunc obtinens vincit: ſed non habet vltionem, cum non ſit recompenſatio: vel quando aliquis de hoſtibus triumphauit, & tamen non potuit eos tantum lędere, quantum ab eis percuſſus fuerat, vel læſus. De vltione ſine victoria patet, vt ſi manſit bellum dubium, ſcilicet, quod neutra pars alteram fugauit, & tamen vna intulit alteri magna detrimenta, & paſſa eſt paruum malum: vtrunque autem habuit Iephte, ſcilicet, quia Ammonitas fugauit: & maiora mala eis inflixit, quam ipſi inflixerant Iſraelitis.

B

C

D

E

F

An filia Iephte peccauit conſentiendo, quod pater ſuus occideret eam propter votum.

QVÆSTIO XLVIII.

QVÆRETVR, an puella iſta peccabat conſentiendo ſe immolari à patre. Aliquis dicet quod non, quia licet eam immolari malum eſſet: tamen non poterat euitare, quia pater volebat eam in omni caſu occidere: ideo voluit inuita: ſicut dixit Porphyrius.

Odero ſi potero: ſi non inuitus amabo.

Sed dicendum quod non ſtat, quia ſi puella ſciebat, vel putabat malum eſſe, licet ſciret ſe cogendam ad hoc, non debebat conſentire: ſicut ſi quis vult me occidere ſine cauſa, & ego volo occidi, pecco mortaliter: ſi autem nolo, & cogit me, ego non pecco, quia non ago, ſed ſolum patior: ideo non poterat puella hoc modo excuſari à peccato. Sed dicendum, quod puella voluit occidi, & non peccauit: imo valde meruit ſicut declaratum eſt Geneſis vigeſimo ſecundo cap. de Iſaac, qui conſenſit patri ſuo, quod eum immolaret: eo quod Deus iuſſerat, quod immolaret ipſum: ita puella iſta putabat, quod votum patris erat valde licitum: & quod Deus valde acceptabat tale ſacrificium, quod patet, quia iuſſit Abrahæ, quod immolaret filium ſuum Iſaac: & tamen ſi hoc non eſſet ei gratum non iuſſiſſet. Quod autem poſtea iuſſerit non occidi illum: putarent forte, quod fuit, quia Deus miſertus eſt ſenectuti Abrahæ. Et ſic iſta puella vltra fœmineam conſtantiam fortis fuit non exhorreſcens amariſſimam mortem, & in ætate iuuenili: & non ſolum non timuit, ſed etiam ipſa patrem ad non triſtandum ſuper hoc perſuaſit. Etiam poſtquam duobus menſibus ſuper montes virginitatem planxiſſet, ipſa ſponte ad patrem rediit ſciens, quod ab ipſo occidenda foret: quicunque autem gradus accedit ad id, quod putat obſequium Dei eſſe, meretur: nec debet imputari iſti puellæ ignorantia iuris ſuper hoc: nam ſi pater ſuus, & totus Iſrael putabat votum iſtud tenere, & bonum eſſe ſolui, à fortiori ipſa credere poterat hoc, quia nullus erat, qui eam in contrarium informare poſſet.

An filia Iephte obligaretur ſubire velle mortem, pro voto patris.

QVÆSTIO XLIX.

QVÆRETVR, dato quod iſtud votum licitum fuiſſet, ſcilicet, quod immolaretur aliquis homo Deo in holocauſtum, an obligaretur filia Iephte velle ſubire mortem pro voto patris.

Reſpondendũ, quod hoc dato peccabat Iephte emittẽdo

tale

Hebræi dicta de Iephte & Phinees.

Improbatio poſitionis Hebræorũ.

Magna virtus filiæ Iephte.

Poteſt eſſe victoria ſine victoria, & è cõtra.

A tale votum, ſine conſenſu omnium illorum, contra quos poterat militare votum: nam filia Iephte, & quilibet de domeſticis eius erat ſui iuris, quia licet eſſent omnes ſubiecti Iephte quantum ad aliquam poteſtatem, quam ſuper eos exerceret: tamen non habebat ius ſuper vitam eorum. Nam nec etiam eſt quis dominus vitæ ſeruorum ſuorum, vnde ſi voluerit occidere eos ſponte nullla exiſtente cauſa, ipſe occidendo peccat mortaliter: quia in quantum ſunt ſerui, habet ius plenum ſuper eos, & non in quantum ſunt homines: vnde dato quod Iephte voueret ſpecialiter, de immolando filiam, vel vouiſſet in confuſo, ſcilicet, quicunq; primus egreſſus fuerit, &c. nullus erat obligatus ad ſubeundum mortem, ſed ſicut ſi quis vouet res ad eum non pertinentes, non poterit implere votum, niſi conſentiente Domino: tenebatur tamen Iephte in hoc caſu perſuadere filiæ ſuæ, vel cuicunque domeſticorum ſuorum, hoc eueniſſet, quod ſubiret mortem: & hoc facto ſi illi nollent, ſoluebatur Iephte à voto: & tamen peccauerat à principio vouendo rem non ſui iuris: ſi autem non conaretur ſuadere cuilibet iſtorum, cui eueniret quod dictum eſt, quod ſubiret mortem, erat violator voti. Simile eſt, ſi quis vouerit quod introibit in religionem in tali monaſterio: nam ſi ibi nolunt monachi eum recipere: tenetur per ſe, & amicos precari, vt permittatur intrare: ſi autem non permittatur intrare, abſolutus eſt à voto introeundo in aliud, ſecundum diſtinctionem, quæ habetur Numer. 30. vbi de hoc multa locuti ſumus: num autem ſi filia Iephte noluiſſet ſubire mortem, non peccabat: & tamen ſi ſubiuiſſet illam, mereretur, quia actus erat per ſe bonus, vt patet ex caſu dato. Sed obiiciebatur de Iſaac, quia ille obligabatur ad ſubeundum immolationem, quam pater ſuus volebat facere de illo. Reſpondendum, quod ſi Abraham non dixiſſet Iſaac, quod volebat eum occidere ex parte Dei, non tenebatur ſubire mortem: imo ſubeundo peccabat mortaliter. Si autem dixiſſet, quod Deus iuſſerat, tunc non obligabatur credere Iſaac iſtud, quia cum eſſet res magni præiudicij, & inſolita, & contra rationem, non teneretur credere ſine certiſſima probatione, quam non potuiſſet oſtendere Abraham, cum non haberet teſtes de hoc: ideo ſi voluiſſet fugere de manibus Abrahæ licebat ei: ſi autem credidiſſet certiſſime, quod Deus hoc iubebat, tenebatur ſubire mortem, quia præceptis Dei quantumcunq; duriſſimis obedire tenemur, quia præcepta Dei nunquam poſſunt eſſe iniuſta. In Iephte autem ſecus erat, quia obligatio ſua fuerat inducta per votum, & non præcepto Dei: ideo non tenebatur ſtare voto eius. Sciendum tamen eſt, quod cum Iephte putaret ſe obligatum ad iſtud votum, dato quod filia recuſaret, ipſe occiſurus erat eam: alioquin non ploraſſet quouſque illa conſenſiſſet in mortem. *Dixit ad patrem: hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor.* Conſenſit filia Iephte ſponte, quod occideretur ad complendum votum patris, & quia pater volebat eam illico occidere, petiuit ab eo tempus modicum ad lugendum. *Dimitte me, vt duobus menſibus circueam montes.* Scilicet, vt diſcurram montes terræ Iſrael, & plangam ſuper illos. *Et plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.* Scilicet, vt eant mecum puellę virgines ſodales meæ, quæ coætaneę ſunt meæ, vel cõnutritæ mihi: & omnes ſimul plãgamus virginitatem meam ſuper montes. *Cui ille reſpõdit: vade.* Quia non petebat aliquid quod eſſet contra votum conceſſit: alioquin non erat conceſſurus. *Et dimiſit eam duobus menſibus.* Id eſt, dedit ei licentiam per duos menſes ambulandi ſuper montes, ſicut ipſa petiuerat. Credendum eſt, quod miſerit cum ea cuſtodes ne permitterent abire illam, quia forte ipſa timore mortis fugeret extra terram Iſrael, & hoc patet ex litera ſequenti, in qua ponuntur viri euntes cum illa. *Cumque abiiſſet cum ſociis, & ſodalibus ſuis.* Id eſt, cum aliquibus iuuenibus, qui erant connutriti ei. *Et cum ſodalibus.* Scilicet, cum virginibus, vel vocantur ſocij aliqui viri de ſeruis Iephte dati huic puellæ in cuſtodiam, & quia ſociabant eam in via, vocabantur ſocij, & non propter connutritionem: ſodales autem ſunt virgines coætaneæ. Petiuit autem puella ſolum ſodales dicens: plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Iephte tamen dedit ſocios, & ſodales ei. Et hoc propter duo. Primum ad cuſtodiam puellarum, vt honeſte ambularent, quia cum filia Iephte cum aliis puellis diſcurreret per montes, ſi nullus vir cuſtodiret eas, poterant pati caſtitatis detrimenta. Secundum fuit, ne fugeret filia Iephte, quia licet ſponte ſe obtuliſſet ad mortem, putabat Iephte, quod cum videret ſe liberam à poteſtate patris, fugeret. *Flebat virginitatem ſuam in montibus.* Id eſt, circueundo omnes montes per duos menſes ſemper flebat ſe in breui morituram.

B

C

D

Dei præcepta nũquam poſſunt eſſe iniuſta.

Iephte quare dederit ſocios filiæ ſuæ, & ſodalibus eius.

Quare filia Iephte flebat virginitatem ſuam, & quid eſt flere virginitatem, & an peccauerit in hoc.

QVÆSTIO L.

QVÆRETVR, quare filia Iephte flebat virginitatem ſuam. Aliqui turpiſſimi exponunt, quod fleuit virginitatem ſuam, ſcilicet, quia moriebatur in virginitate non experta delectatione venerea. Sed iſta eſt deriſio, & nefas: nam ſi hoc fieret, facile erat ſibi carere hoc deſiderio, quia poterat in illis duobus menſibus vacare libidini. Item non ſtat, quod aliqua mulier morti propinqua doleat, quod non experta fuiſſet delectationem veneream, quia licet delectatio venerea inſtante paſſione appetatur, & tunc quæ ſuccumbunt libenter vellent carere virginitate: tamen ablata paſſione quælibet corruptionem corporis horrent, & ipſa virginitatis integritas quoddam gaudium magnum, & ſpem confert morientibus, quod de hoc ſeculo integritate ſalua recedant: quomodo ergo puella iſta imminente morte plangeret ſic virginitatem? nam tunc illa ei libidinis paſſio inſurgere non poſſet timore, & ſolicitudine inſtantis mortis. Sed dicendum, quod flebat virginitatem ſuam, id eſt, quod moriebatur in ſtatu virginali, ſcilicet, in parua ætate: nam indigna mors erat, quæ eam in tam tenera ætate rapiebat, & cum deſideraret viuere flebat ſuam iuuenilem, ſiue puellarem ætatem in ipſo flore inchoante diſſolui. Aliter etiam dici poteſt, quod flebat virginitatem ſuam, id eſt, infœcunditatem: omnes enim virgines ſunt infœcundæ (niſi Domina Noſtra,) & quia in veteri teſtamento reputabantur infœlices mulieres infœcundæ: flebat ſe puella iſta, non quod moreretur, ſed quod moriebatur infœlix ſine liberis. Hoc patet, quia Lia vxor Iacob vocauit ſe fœlicem, quia pariebat multos filios, & ſic putabat ſe teneri ab omnibus mulieribus tanquam fœlix ex hac fœcunditate, vt patet Geneſis trigeſimo. Nam cum peperit ſextum filium, ſcilicet, Aſer, dixit: hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres. Sic etiam patet de Rebecca vxore Iſaac: nam cum fratres eius imprecarentur ei maximum bonum, quod imprecari poterant, dixerunt: ſoror noſtra es, creſcas in millia: Geneſis vigeſimo quarto, & ſic creſcere in filiis erat fœlicitas: è contrario autem non habere filios erat infœlicitas, & mulieres ſteriles deſiderabant mortem. Sic patet de Rachel Geneſ. trigeſimo, cum dicitur: cernens Rachel, quod infœcunda eſſet, dixit marito ſuo: da mihi liberos, alioquin moriar, id eſt, ſi non facis, quod habeam filios, ego volo mori. Et ſic iſta puella videns, quod moriebatur antequam gigneret prolem, doluit nimis, & hanc ſuam infœlicitatem plangebat. Iſti duo ſenſus ſunt conuenientes: ſed ſecundus magis ſtat, quia virginitas magis ſignificat hic integritatem, quam teneram ætatem: quod patet, quia immediate ſequitur, quæ ignorabat virum: ignorare virum pertinet ad virginitatem.

E

Reſp. 1. doctor. ad quæſtum.

Anti quitus creſcere in filiis erat fœlicius.

F

An peccabat filia Iephte flendo virginitatem ſuam.

QVÆSTIO LI.

QVÆRETVR vlterius, an peccabat iſta puella flendo virginitatem ſuam.

Reſpondendum, quod ſi acciperetur flere virginitatem primo modo, id eſt, pro deſiderio delectationis venereę, peccabat, quia deſiderare delectationem illam abſolute, niſi cum cæteris ſubſtantiis appetatur, peccatum eſt. Accipiendo ſecundo modo, ſcilicet, quod fleret ſe mori in tali ætate tam tenera, non erat peccatum, quia quandocunque aliquis ſciat ſe occidendum, poteſt licite plangere ſibi compatiendo: à fortiori ergo in ætate illa, in qua mors indigna, & immatura eſt. Accipiendo ſecundo modo pro infœcunditate etiam licebat ei plangere, qui licebat Racheli viuenti, & aliquando filios expectanti tantum dolere, vt diceret ſe

morituram,

A *Lætus virginitatis.*

morituram, nisi filios susciperet: quanto magis huic puellæ, quæ breuiter de hac luce recessura nulla fœcunditatis sua relinquebat vestigia. Sed certe rude seculum erat, & rusticana ætas, quæ de eo plangebat, de quo potius magna hilaritate exultandum foret. Nam nihil fœminę excellentius post charitatem, quæ cæteras ornat virtutes, quam quod in eadem integritate recedat, in qua huic seculo, & communi luci orta est. Vnde virgines aureolam quandam consequuntur gaudij specialis. *Expletisque duobus mensibus reuersa est ad patrem suum.* Solum petiuerat duos menses ad plangendum, vt suæ infelicitatis vestigia relinqueret: ideo illis finitis reuersa est. *Et fecit ei sicut vouerat.* Scilicet, occidit eam immolãdo sicut vouerat. *Quæ ignorabat virum.* Id est, & ista puella tũc ignorabat virum, quia nondum tradita fuerat matrimonialiter. Istud ponitur ad exponendum superiora, scilicet, quod flebat virginitatem suam, & hoc quia nondum cognoscebat virum.

Quomodo Iephte poterat in holocaustum filiam suam immolare, seruando cæremonias holocausti.

QVÆSTIO LII.

QVÆRETVR quomodo poterat Iephte immolare filiam suam in holocaustum: nam ipse vouit immolare in holocaustum, & hic dicitur, quod fecit sicut vouerat. Respondendum, quod cognitio huius dependet ex voto Iephte: si enim ipse vouendo solum intellexit de pecoribus immolatitiis, quod primum sibi occurrẽs immolaret: non poterat esse proprie holocaustum de filia sua, quia non est credendum, quod eam immolauerit in Sanctuario, & cremaret in altari holocaustorum, sicut fiebat in sacrificiis aliis: quia hoc non permisissent sacerdotes, quia erat contra legem fieri tales victimas, sed fieret alio modo: si autem votum Iephte intelligebatur, quod qui primus sibi occurreret siue homo siue pecus immolaretur Domino: tunc acciperet diuersimode, quia non poterant eodẽ modo ista offerri, & tunc dicendum, quod vocaret immolationem in holocaustum iugulationem, quæ fiebat ad cultum Dei cremando postea carnes totaliter. Pro quo sciẽdum, quod qualitercunq; votũ Iephte intelligeretur, dicendum quod ipse filiam suam immolauit in holocaustum, id est, occidit, & postea cremauit totam ad honorem Dei. Differebat autem ab aliis holocaustis, quia alia fiebãt in altare Sanctuarij, istud autem fieret extra. Et patet istud, quia ista immolatio filiæ Iephte habuit ortũ ex immolatione, quam Dominus iussit facere Abrahę de filio suo, quæ videbatur ei accepta: & iussit sibi eum immolari in holocaustum: Genes. 22. sed in isto holocausto voluit Abraham iugulare Isaac, & cremare eũ in quodam altari facto in monte: nam iam erat colligatus Isaac super ligna, & extendebat Abraham gladium ad occidendum eum, & intendebat postea subiicere ignem lignis: & sic arderet totus Isaac: cum ergo filia Iephte occisa fuerit, vt patet ex litera, dicẽdum, quod cremata fuerit super lignorum struem secundum illam formam, quæ fiebat in Isaac præallegato cap. *Exinde mos increuit.* Scilicet, postquam sic occisa fuit filia Iephte singulis annis flebant eam puellę. Et potest dupliciter intelligi exinde. Vno modo, vt significat tempus, scilicet, exinde, id est, ex eodem tempore creuit mos, vt plangerent illam puellæ, quasi dicat, non orta fuit ista consuetudo aliquot annis post, sed in eodem anno. Secundo modo potest dicere causam vel originem, scilicet, exinde, id est, ex fletu, quem fecit filia Iephte, antequam occideretur, plangendo duobus mensibus virginitatem suam super montes, nata est cõsuetudo, quod quolibet anno plorent eam puellæ Israel, sicut ipsa se cum aliis puellis plorauit: & iste sensus secundus est, quem intendit litera, scilicet, quod si non planxisset ipsa se, non orta fuisset ista consuetudo, quod puellæ Israel plangerent eam quolibet anno. *Et consuetudo seruata est.* Scilicet, ista consuetudo mansit multo tempore: nam tempore scriptoris huius libri, scilicet, Samuelis seruabatur. Et credendum est, quod etiam semper postea seruata sit, quamdiu mansit populus Israel in terra sua. *Vt post anni circulum.* Id est, expleto anno, scilicet, quolibet anno facerent. Vnde erat iste planctus anniuersarius pro filia Iephte: & incipiebatur iste annus non secundum inchoationem anni Iudæorum, sed computando à die, quo occisa est, ita vt semper in eodem die fieret planctus pro ea. *Conueniant in vnum filiæ Israel.* Scilicet, virgines: quia sicut solæ virgines sodales filiæ Iephte circuierunt montes cum ipsa plangendo virginitatem eius, ita postea conueniebant puellæ virgines ad plangendum. Et debet intelligi, quod conueniunt filiæ Israel in vnum: non de omnibus locis in vnum, sed quod virgines cuiuslibet loci congregabantur in vnum, & ibi plangebant, & sic in quolibet loco terræ Israel plangebatur filia Iephte. *Et plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Scilicet, quolibet anno durabat solennitas planctus diebus quatuor.

D

Quare virgines Israel annuatim Iephte filiam plangebant.

QVÆSTIO LIII.

QVÆRETVR quare virgines Israel plangebant singulis annis filiam Iephte. Respondendum, quod faciebant hoc propter tria vel quatuor. Primum erat propter honorem Dei, scilicet, quia ista puella oblata fuerat Deo in holocaustum, ideo propter honorem Dei, cui ipsa oblata fuerat faciebant ei memoriam anniuersariam, sic enim dicunt Iudæi dies festi clangoris, quod fit quolibet anno die prima mensis Septembris secundum computationem eorum celebratur in memoriam arietis immolati pro Isaac: & ob hoc clangitur eadem die in cornu arietino: si ergo pro Isaac, eo quod voluit Deo immolari fuit celebritas: videbatur à fortiori, quod esset pro filia Iephte, quæ realiter immolata est Deo. Secũda causa est ad honorem ipsius puellæ propter virtutem suam; quia ipsa vltra fortitudinem muliebrem morti se intrepide obtulit præeligens vita carere, quam votum paternum incompletum manere: virtus autem semper laudanda est, vt saltem laudata virtute, qui superstites sunt ad magnanimitatem, & precio ssimas virtutes accendantur, spe consequendi quendam honorem: & deinde ad meliorem finem dirigantur. Causa tertia erat propter honorem Iephte: nam ipse liberauerat Israel de manu Ammonitarum: ideo tenebantur Israelitæ ad valde honorandum eum: cum ergo ipse nimis lugeret pro hac filia, quam pro victoria obtinenda sacrauerat: voluit totus Israel honorare eum, magnum planctum anniuersarium pro filia sua celebrando. Et credendum est, quod in memoria huius puellæ magnum sepulchrum, & venerabile factum sit. Quarta causa fuit pro salute patriæ: nam ista puella pro salute Israel immolata est: nam Iephte vouit Domino, quod si traderet in manu eius Ammonitas, immolaret primum egredientem de domo sua: & Deus inclinatus precibus tradidit Ammonitas in manus eius: postea filia Iephte ex hac causa mortua est: ideo pro salute patriæ, videbatur ipsa directe occisa. Magnam ergo memoriam, & glorio sam ei patria præstare debuit, quæ pro patria seipsam gratis impendit. Sic enim duobus fratribus Silenis Aræ constitutæ sunt, qui pro vtilitate patriæ se viuos sepeliri passi sunt: & manent vsque hodie illæ Aræ memorabiles in Libya apud Cyrenem. De hoc Salustius in Iugur. & Valerius Maximus libro 5. & Paulus Oro sius in libris de Ormesta mundi. Si ergo illi honorem diuinum hominibus morientibus, pro vtilitate patriæ tribuerunt: isti saltem honorem humanum in anniuersario planctu, & honorabili sepulchro tribuere debebant.

E

An puellæ virgines Israelitarum peccabant quolibet anno plorando pro filia Iephte.

QVÆSTIO LIV.

QVÆRETVR vlterius, an puellæ Israelitarum peccabant quolibet anno plorando pro filia Iephte. Aliquis dicet, quod sic, quia planctus pro mortuis paruus conceditur, sicut Homerus concessit ad vnam diem, vt amoris signa ostẽdamus, sed maiori tempore flere irrationabile iudicauit. Idem tenet Seneca in libro de Consolatione ad Martian: & in libro de Consolatione ad Prolibium: & in libro ad Eusebiam matrem. Nos vero aliter arguimus, quia planctus paruus designat compassionem quandam, quam debemus morientibus, & nostram aduersitatem ex eorum discessu.

F *Ara fratribus cõstituta pro patria obeuntibus.*

B

C *Duplex littera ex positio.*

A Planctus autem longus, vel semper tentus signat desperationem de resurrectione, scilicet, quando omnino pro moriente dolemus, quia credimus illum omnino deficere: & nos in æternum illius consortio esse priuatos. Sed existimatio falsa est, quia post paruam ætatem transactam boni maiori, & cariori, quam hic fuit consortio, vnientur in vita æterna indissolubiliter: sed diffidere de resurrectione peccatum est: ergo planctus longus illicitus.

Doct. resp. ad quæsi tum. Respondendum, quod non fuit peccatum fieri planctum anniuersarium pro filia Iephte, quia iste planctus iam non fiebat ex dolore semper continuato, sed solum ad memoriam mortis eius honorandam, quę pro salute patrię mortua est. Si autem licuit pro Isaac sponte se offerente ad immolandum, & non realiter immolato celebritatem festi clangoris quolibet anno fieri: liceret aliquid fieri memorabile pro filia Iephte, quæ sponte mortem amplexa est pro religione paterni voti, & patriæ suæ salute. Cum arguitur, quod iste planctus erat valde longus, & signabat resurrectionem non esse.

B Respondendum, quod iste planctus si fuisset ex dolore, vel ad significandum dolorem esse de morte illius, non licebat tanto tempore extendi, quia tamen fiebat solum ad honorandum, vt manifeste omnibus apparebat, nihil derogabatur ex hoc fidei resurrectionis. Sed obijcietur de Christo, quia anniuersarium dolorem pro morte eius die crucis agimus. Respondemus, quod iste dolor non tantum agitur, vt quasi mortem Christi fuisse nobis contra voluntatem ostendamus: nam potius gauisi sumus ex morte eius, cum per eam redempti fuerimus, sed dolemus compatientes, vt mereamur dolendo. Talis autem dolor non solum anniuersarius esse deberet, sed etiam si quis posset semper deberet eum recolere, dicente Apostolo: si fueritis socij passionum, eritis & consolationum: ipse quoque istam memoriam semper agebat: vnde de se dixit: nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto, scilicet, per quotidianam compassionem. Et ne adhuc dolor ille de Christo moriente aliquid spei resurrectionis præiudicare videatur, mox post dolorem passionis celebramus festiuitatem magnam resurrectionis. In qua & resurgenti congaudemus: & pro nobis spem resurgendi firmamus, dicente Apostolo primo Corinth. decimo quinto, si Christus surrexit, & nos resurgemus.

An planctus iste anniuersarius pro filia Iephte aliquid ei ad peccatorum remißionem proficeret.

Qvæstio LV.

C Qværetvr vlterius, an planctus iste anniuersarius pro filia Iephte aliquid ei ad peccatorum remissionem proficeret. Aliquis respondebit, quod sic, quia ea, quæ fiunt pro mortuis proficiunt eis.

Orationes viuorum defunctis pro sunt. Respondendum, quod non proficiebat, quia si opera bona fiant pro morientibus, quæ per se sunt satisfactoria, alleuiantur defuncti à pœnis purgatoriis. Nam si ipsi pro se illa egissent fuissent omnino absoluti à pœnis, vel alleuiati. Et quia propter vnitatem in corpore Christi, & charitatem opera, quæ fiunt ab vno pro alio proficiunt ei, ita alleuiabuntur per opera, quæ alij pro ipsis faciunt, sicut si ipsi viuentes illa egissent, intelligendo non generaliter, sed proportionaliter: quia magis prodest cum quis pro se agit, quam quod alius nomine eius, & quia orationes, ieiunia, eleemosynæ, & oblationes sacrificiorum, atque similia sunt opera satisfactoria, per quæ mortui potuissent viuendo satisfacere: ita & nos pro illis operando satisfaciemus: sicut enim patet secundo Machab. cap. duodecimo, vbi misit Iudas duodecim millia dragmarum auri offerri in Ierusalem pro peccatis mortuorum, & subditur ibi: sancte, & religiose de resurrectione cogitans: nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum, & vanum esset orare pro mortuis: & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Cum autem pro mortuis fiunt aliqua, quæ non sunt secundum se opera satisfactoria, nec directe fiunt, vt proficiant animabus eorum, non proficiunt illis: sed solum sunt solatia viuorum: & ita in Israel iste planctus anniuersarius, qui pro filia Iephte inceptus est, & fuit ad consolationem patris, & honorem eius: ideo sex annis, quibus ipse post hoc vixit factus est: deinde in consuetudinem ductus semper obseruatus est: sed nihil proficiebat isti puellæ, quia nec ad hoc fiebat. Quæ enim ad honorem solum fiunt, solum honorem procurant.

D

An Iephte occidit filiam suam, vel solum fecit eam manere in virginitate perpetua occidendo morte ciuili, sicut quidam volunt.

Qvæstio LVI.

Qværetvr vlterius, circa istam filiam Iephte, an occisa fuerit à patre, quia licet litera illud manifeste dicere videatur, quibusdam dubium est. Considerandum autem quod quidam Hebræi tenent, quod non fuerit occisa, sed quod Phinees absoluerit Iephte ab isto voto, qui erat tunc summus sacerdos. Alij volunt, quod sapientes absoluerint eum dicentes votum non tenere: vnde quædam glossa Hebraica super locum istum, scilicet, dimitte me, vt circueam montes: dicit, dimitte me, vt circundam sapientes: & inquirant illi si est aliquis modus solutionis ab hoc voto. Nicolaus dicit etiam, quod gratia collationis ipse tenet, quod filia Iephte non fuerit occisa, sed dicitur occisa large, scilicet, per mortem ciuilem: quia fuit dedicata cuidam speciali ministerio, vel vitæ, scilicet, vt seruaret virginitatem perpetuam, & maneret in orationibus, & ieiuniis, & aliis operibus abstinentiæ vsque ad mortem suam. Istum modum mortis probat, quia Leuit. vigesimo septimo dicitur: Omnis consecratio, quæ fit ab homine non redimetur, sed morte morietur: & dicitur, quod intelligitur de omnibus rebus, quæ applicantur ad Deum, & tamen aliquę res inanimatę applicabantur ad Deum, vt agri, & aliæ res: tamen non poterant dici mortui proprie, sed large in quantum erant translati ab vsu hominum ad vsum Dei, & sic ista puella priuata potestate contrahendi, & manens in virginitate perpetua propter Dei obsequium dicebatur mortua. Item probat hoc, quia Iephte vouit facto super se spiritu Domini, sed ille non incitat ad malum: ideo licet secundum verba videretur votum stultum si compleret illud bono modo, quo compleri poterat, compleuit, scilicet, per consecrationem virginitatis. Item Iephte dedit filiæ suæ spatium duorum mensium ad plangendum virginitatem suam super montes: ergo in tanto tempore verisimile est, quod haberet consilium super hoc cum sapientibus, & ipsi eum absoluerent à tali voto. Item Apostolus collocat hunc in catalogo sanctorum ad Hebræos 11. si tamen occidisset filiam, cum istud esset scelestissimum, non poneretur inter viros sanctos. Sed dicendum, quod Iephte occidit filiam suam, & hoc tenent omnes fere tam Hebræi, quam Latini, qui aliquid intelligunt: sic enim dicit Iosephus 5. Antiquitatum, scilicet, Iephte filiam immolauit, nec legitimum faciens holocaustum, nec Deo dignum, non vtique deliberans apud animum suum qualis apud cæteros causa huius facti videretur. Eo modo Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi tenent occisam fuisse puellam, & peccasse ex superbia Iephte, & Phinees. Omnes autem Latini nostri, qui maioris auctoritatis sunt, hoc tenent. Sic Ieronymus ait, quod Iephte vouendo fuit stultus, & reddendo impius: si autem non occidisset illam, sed consecrasset Domino, non fuisset impius, sed religiosus, offerens Deo speciale votum, quale nunquam fuerat in veteri testamento. Idem etiam tenet historia Scholastica. Idem Sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. octuagesima octaua articulo secundo in solutione secundi argumenti, dicens: Votum Iephte esse de his, quæ interdum habent bonum euentum, & interdum malum, & quod in casu, in quo habent malum euentum non sunt tenenda: de Iephte tamē tenuit votum suum, licet euenerit in malum: ideo dicit cum Ieronymo, quod fuit in soluēdo impius. Item patet hoc ex litera: nam cum vouit Iephte Domino non intellexit de applicatione per consecrationem virginitatis, sed de vero holocausto, & postea dixit: aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero: ergo omnino diffiniebat votum complendum per occisionem illius.

Hebræorū responsio ad quæstum. Nicolaire sponsio ad quæstiū & 1. ratio. E

2. Ratio.

3. Ratio.

F *Doct. resp. ad quæst.*

Item

A

Item puella videns diffinitionem patris, dixit : Hoc ſolum peto: dimitte me, vt circueam: & plangam duobus menſibus virginitatem meam: quaſi dicat: non peto indulgẽtiam ſuper voto: ſed ſolum,vt poſſim flere:ergo pater voluit eam occidere, & occidi ipſa conſenſit. Item dicitur, quod expletis duobus menſibus rediit ad patrem, & fecit ei,ſicut vouerat: ſed manifeſtum eſt, quod votum intelligebatur de voto holocauſti, ideo vere eam occidit. Item ſi filia Iephte non occiſa fuiſſet: nam planxiſſent eam cum tanto deſiderio filiæ Iſrael continuantes quolibet anno feſtum planctus, ſed fecerunt hoc, ergo ipſa vere mortua fuit: nam planctus nunquam fit pro viuentibus quandiu adhuc viuere poſſint, ſed pro his rebus,de quibus nullum habetur remedium: ergo pro filia Iephte, ſi viueret, non plangeretur. Item non ſtat poſitio Nicolai, quia ſi pater vellet ſolum eam vouere Deo conſecrando ad ſeruandam virginitatem, ipſa non peteret duos menſes ad plangendum virginitatem ſuam, quia toto tempore,quo viueret poterat eam plangere, ſed petiit duos menſes, & iſti ſolum conceſſi fuerunt ei, & poſt illos rediit ad patrem: ergo intendebat eam occidere, & ipſa ſciens ſe morituram petiit ſolum duos menſes , alioquin nullum tempus petiiſſet. Sed Nicolaus dicit , quod Iephte à principio vouerat facere verum holocauſtum, & ita intendit facere de filia ſua , ſed in ſpatio duorum menſium quibus puella planxit, ipſe conſuluit ſapientes, & veniente puella erat mutatum propoſitum patris, & non occidit illam. Et quando obiicitur : quare ergo planxerunt puellæ ex eo tempore quolibet anno? Dicit Nicolaus , quod hoc fecerunt, eo quod illa puella propter reuerentiam voti paterni voluit ſubire perpetuam virginitatem,quæ erat contra conſuetudinem illius temporis. Sed non poſſunt ſtare iſtæ limitationes Nicolai. De prima patet, quia dicitur , quod reuertente puella poſt duos menſes, pater fecit ei, ſicut vouerat. Sed ipſe vouerat de vera immolatione, vt etiam Nicolaus confitetur, ergo eam vere occidit. Ad hoc autem, quod poſitio Nicolai ſit aliqualiter veriſimilis oportebat, quod poſtquam Iephte dedit filiæ ſuæ ſpatium duorum mẽſium plangendi virginitatem, quod nihil diceretur quid factum fuiſſet : & tunc poſſet intelligi , quod non occidiſſet eam pater: dicitur tamen, quod illa reuertente fecit ei, ſicut vouerat: ergo oportet de occaſione intelligi. Nec poteſt intelligi de conſecratione ad ſeruandam virginitatem , quia non vouerat hoc Iephte, ſed verum ſacrificium : illud ergo egit. Item non ſtat,quia dicitur,fecit ei pater,quod vouerat, dato quod velimus intelligere de cuſtodia virginitatis, cum obligatione ad ſeruãdum illam: non faceret aliquid nouum reuertente puella, quia ſolum faceret, quod abſtineret à viro,ſed ipſa ſemper hoc fecerat: & ſaltem ex tempore , quo pater ſuum votum interpretatus eſſet, iſtud eſſet, ſcilicet, quod ipſam obligaret ad obſeruandum virginitatem. Sed dicitur,quod fecit ei aliquid, & iſtud ſignificat aliquam mutationem corporis,ergo non fuit iſtud obſeruatio virginitatis, ſed aliquid aliud: & hoc non eſſet, niſi occiſio, quia non erat alius modus medius ſecundum intentionem Iephte ad implendum votum. Item iſta poſitio eſt contra totam aſſertionem Catholicam: nam Eccleſia dicit de Domina noſtra. Sola ſine exemplo placuiſti Domino Ieſu Chriſto: ſi tamen fuiſſet aliqua alia in veteri teſtamento conſecrata ad cuſtodiendum virginitatem , iam domina noſtra haberet exemplum, quod imitaretur: ergo filia Iephte non fuit conſecrata ad cuſtodiendam virginitatem. Ad rationes in contrarium reſponſio patet. Ad primam cum dicitur, quod Spiritus ſanctus mouit eum, & tamen ille nunquam mouet ad malum.

Reſpondendum,quod non accipitur ibi ſpiritus pro ipſo Spirituſancto, nec pro aliqua gratia gratificante , ſed ſolum pro robore, & animoſitate collata, vt auderet pugnare contra Ammonitas, contra quos prius non audebat pugnare, vel ſaltem non tantum confidebat: & iſte ſpiritus non efficit bonum hominem, quia non eſt gratificans, ſed ſolum gratia gratis data, & poteſt ſtare cum peccato quocunque mortali, nec dirigit hominem ad bonum , ſicut patet de ſpiritu prophetico,qui ſtat in peſſimis viris,ſicut in Balaam,& Caypha: Numer.22. & Ioan.11. cap. Et ſic poterat Iephte vouere ſtulta vota,& ſoluere ſtante iſto ſpiritu. Ad ſecundam rationem quando dicebat , quod in duobus menſibus conceſſis puellæ ad lugendum mutaret conſilium, quia à peritis ſuper hoc peteret. Dicendum, quod iſta ratio non ſtat propter duo, quia Nicolaus vult, quod à principio deliberauerit Iephte filiam ſuam occidere, & tunc conceſſerit ei duos menſes,& quod poſtea mutauerit conſilium. Sed iſtud eſt valde irrationabile : nam ſi Iephte dubitaret an vllatenus teneretur occidere filiam , vel poſſet alio modo compleri votum antequam faceret mutationem aliquam, conſuleret ſapientes ſuper hoc,& tamen dimiſit filiam ſuam circuire duobus menſibus montes plangendo virginitatem : & iſta erat magna mutatio: ergo non mutaret conſilium poſtquam puella circuiret montes, ſed prius cognoſceret certiſſime quid agere deberet. Cum autem permiſit ei duobus menſibus plangere,credendum eſt,quod omnino decreuiſſet immobiliter illam occidere: Secundum patet, quia dato quod conſuleret viros peritos,non ſcirent reſpondere: nam Phinees ſummus ſacerdos, qui erat vir ſanctus , cui Deus pactum æternum confirmauerat de ſummo ſacerdotio,vt patet Num.25. neſciuit interpretari quomodo tenebat votum factum , infra vigeſimo,& vigeſimo primo: nam tẽpore eius ei miſſum fuit,& interpretatum,& tamen interpretatio fuit valde rudis, vt ſupra dictum fuit. Ad tertiam rationem de catalogo Sanctorum reſponderi poteſt ſatis plane, quia ad hoc quod aliquis ſit vir ſanctus non requiritur, quod nunquam peccauerit, ſed quod in bono ſtatu moriatur,& quia Iephte fuit huiuſmodi, dato quod peccauerit prius, poterat poni in catalogo Sanctorum. Aliter poteſt dici, & magis in radice, quod Apoſtolus ſolum laudat ibi viros bonos ex merito fidei incipiens ab exordio ſeculi vſque ad tempus ſuum:nam in toto illo 11.capit. non tangitur aliud niſi laus fidei,& quia Iephte cõfidens Deo expoſuit ſe ad mortem contra gentem robuſtam Ammonitarum , quæ tunc premebat Iſraelitas, laudatur ex merito fidei: ſatis autem ſtat quod Iephte , & quilibet de aliis viris,qui in catalogo illo ponuntur, habuerint iniquitates multas.Alia confirmatio Nicolai erat à principio, ſcilicet quod moreretur Iephte filia morte ciuili, ſcilicet applicando eam totaliter Deo. Dicendum , quod non ſtat hoc, quod allegat,quia non videntur iſta,quæ applicantur Deo mortua, & id quod habetur Leuit.capit.27.non intelligitur niſi de morte naturali, ſcilicet omnis conſecratio, quæ offertur, non redimetur, ſed morte morietur. Nam non poteſt intelligi proprie, licet quidam cauillentur, niſi de animalibus mundis,& licitis ad immolandum: quia ſi offerrentur animalia immunda, vel non licita ad immolandũ, redimebantur dato pretio pro illis iuxta arbitrium ſacerdotis,&tamen ſi eſſet animal licitum ad immolandum,non poterat redimi, vel commutari: etiam ſi offerens, vel vouens vellet dare aliud animal immolaticium melius pro illo,ſed ſi conaretur aliud dare pro ipſo vtrumque erat conſecratum domino,& ſic talia animalia non poterant redimi poſtquam erant conſecrata domino, ſed morte moriebantur, ſcilicet occidebantur in ſacrificium. De aliis autem rebus non poteſt hoc intelligi: nam ſi homo voueretur Deo redimi poterat,& ponuntur Leuit.27.cap.precia pro qualibet ætate , & ſexu, ſcilicet quod ſecundum varias ætates ipſorum , qui ſe vouebant Deo,diuerſum precium darent pro redemptione ſua. Idem de agris, quia vouente agrum licebat illum redimere certo tempore,& conſtituit lex precium redemptionis eodem capitu. Etiam de animalibus immundis idem ſit: nã ſacerdos iudicabat precium illorum: nulla ergo res erat,quæ voueretur, & non poſſet redimi, niſi animal immolaticium, & de iſto proprie dicitur, quod deberet mori, & nunquam redimebatur, & ſic nihil probat de morte filiæ Iephte ciuili per hoc.

An peccauit Iephte filiam ſuam occidendo.

QVÆSTIO LVII.

QVÆRETVR vlterius, an peccauit Iephte occidendo filiam ſuam. Aliquis dicet, quod non,quia fecit hoc Spiritu Sancto irruente in eum, & Deus ad bonum incitat. Item ſicut Deus iuſſit Abrahæ, quod immolaret Iſaac filium ſuum , ita moueret Iephte ad immolandum filiam ſuam.

Improbatio opi. Nicolai. 1. Ratio

Reſpõſ. Nic. ad obiect. contra ſe.

Improbatio reſpon. quantum ad primũ dictũ. 1 Ratio

2 Ratio

3 Ratio

C

4 Ratio

Reſpõ. ad rationes in contrarium ad primam.

Ad ſe cũdam

D

E

Reſpõſ. ad tertiam. Ad eſſe virum ſanctũ quid requiratur. Alia reſp. ad idem.

Cõtra ſecũdũ dictum Nicolai.

F

Rationes in diuerſum.

A *Respon sio ad quæsi tum.*

Item Iephte ponitur in catalogo Sanctorum: ergo faciendo istud non peccauit. Respondendum, quòd peccauit valde Iephte occidendo filiam suam, quia votum irrationabile emisit, sed huiusmodi vota non sunt complenda: sicut dicit Beatus Isidorus: In malis promissis rescinde fidem In turpi voto muta decretum. Item si iniquitas est in vouendo aliquid, maior iniquitas erit in soluendo: sicut si aliquid turpe, & illicitum est quanto deturpius, & culpabilius erit quando efficitur. Item vota, quæ non placent Deo, non sunt complenda: sed votum Iephte non placebat, quia erat stultum: ergo reddendo peccabat, sic patet Prouerb.15.scilicet, victimæ impiorum abominabiles coram domino : vota autem iustorum placabilia. Item Iephte vouit id, quod non erat in potestate sua, scilicet filiam suam, quæ erat alieni iuris quantum ad vitam, & impendit vitam illius in holocaustum, ergo peccauit. Item occidere innocentem est in omni casu peccatum: sed filia Iephte erat innocens, quia nihil peccauerat in patrem aut in legem, vt mori deberet: ergo iniustum fuit, quod occideretur, & quod durius est peccabat, quia filiam suam occidebat vetante lege occisionem innocentis. Ad

Ad rationem primã in diuersum

rationem primam in contrarium dicendum, quòd non egit instinctu Dei, sed ex quadam deuotione stulta, & indeliberata, & postea quando votum impleuit non motus fuit à Deo, sed ipse impius illud egit, & nimis ignoranter. Nec valet quando obiicitur, quod spiritus domini mouit eum ad faciendum istud votum, eo quod dicitur : Factus est super eum spiritus domini, & votum vouit dicens: si tradideris, &c. Nam ille spiritus, qui venit super Iephte fuit spiritus roboris, vt dictum fuit, & ille solum potest mouere ad actum belli tolerando, vel aggrediendo durissima, & non mouebit ad alium actum bonum vel malum: sicut temperantia non potest mouere nisi ad actus suos, & sic liberalitas ad suos, eo quod virtutes distinguuntur in habitibus, & obiectis, & actibus, & non potest vna exercere actum alterius: sicut nec potest auris videre: aut oculus audire : motus fuit ergo Iephte ex quadam leuitate. Sciendum tamen, quòd historia scholastica dicit peccasse Iephte, quia fuit vouendo stultus, & soluendo impius, sicut tenet Beatus Hieronymus, & Sanctus Thomas, & tamen dicit, quòd potuit esse bonus antequam votum emitteret: quia tunc super eum irruit spiritus domini, & potuit etiam post votum esse bonus, & tunc ponitur in catalogo Sanctorum ab Apostolo. Sed ista solutio præsupponit aliquid esse necessarium, quod non est, scilicet quod fuerit bonus ante votum, eo quod irruit super eum spiritus domini: nam istud esset si ille spiritus esset gratia gratificans: tamen fuit gratia gratis data, scilicet animositas data à Deo, vt supra declaratum est. Etiam cum vult, quod postea bonus fuerit ad hoc, quod poneretur in catalogo Sanctorum, non stat, quia ponitur ibi pro actu, quem egit ante complementum voti. Nam ibi ponuntur multi viri, qui laudantur de fide, scilicet quod confidentes in domino non dubitauerunt tradere se morti exponendo se contra hostes

B

C

duriss imos: & hoc non faciebant confidentes in virtute exercitus, aut apparatu bellico, sed in Deo : sic patet cum dicitur ad Hebræo. vndecimo, de Iephte inquit Apostolus: Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, & Barac, & Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & alijs Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Et sic fides Iephte, & horum fuit expugnando hostes, sed Iephte antequam occideret filiã pugnauit ex fide, & vicit Ammonitas: ergo fuit positus in catalogo propter ea, quæ prius egit: & non oportuit, quod post completum votum bonus fuerit ad hoc, quod poneretur in catalogo Sanctorum.

Opinio historiæ schol confutatur.

Alia opin. ab historia scholastica posita.

Dicit etiam, quòd quidam volentes excusare eum, dicunt quod fecerit familiari consilio Spiritus Sancti. Sed dicendum quod non stat, quia Deo nunquam est grata immolatio innocentis. Etiam isti mouentur ad hoc dicendum, quia dicitur quod factus est super cũ Spiritus domini: & votum vouit dicens, &c. putantes, quòd Spiritus domini, qui hic nominatur fuerit Spiritus Sanctus. Sed supra improbatum est. Sed Beatus Hieronym. & Sanctus Thomas dicunt, quod Iephte fuit vouendo stultus, soluẽdo impius. Sed permittitur, quod factus est super eum Spiritus domini, quia fides, & deuotio, ex qua motus est ad vouendum à Deo fuit sine Spiritu Sancto, propter quod ponitur in catalogo Sanctorum, & propter victoriam quam habuit. Et quia probabile est ipsum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum præfigurabat, tantis patribus repugnare non debet. Sed cogor, quia isti volunt, quod fides, & deuotio ad vouendum fuit à Spiritu Sancto. Hoc quidem concedi potest in vniuersali, scilicet quod Spiritus Sanctus mouit Iephte ad deuotionem vouendi aliquid, & tamen non mouit determinate ad vouendum istud, quia tunc non peccasset Iephte vouendo illud. Sed cum dicunt, quod propter istam deuotionem vouend: dicitur in litera, quod factus est super eum Spiritus domini, non stat: quia non potest accipi ibi Spiritus, nisi pro Spiritu animositatis à Deo collato, qui solum mouet ad opera belli, vt supra declaratum est. Dicunt etiam quod quia fides, & deuotio, qua motus est ad vouendum fuit à Spiritu Sancto, & propterea ponitur in catalogo ab Apostolo. Sed non stat, quia, vt apparet ibidem ex litera, solum laudatur ibi viri illi, qui confidentes de adiutorio Dei exposuerunt se magnis periculis: ideo, etiam si Deus non mouisset eum ad id vouendum, poneretur, sicut ibi ponitur Samson, & Barac, qui nihil vouerunt, sed solum exposuerunt se morti contra hostes ex fide. Quòd autem dicunt, quòd postea pœnituerit, istud est satis credibile, & tamen dato quòd non pœnituisset, poneretur in catalogo: quia ibi non laudãtur illi viri, vt boni simpliciter, sed solum quantum ad meritum fidei. Ad secundam rationem, scilicet quod Deus iussit Abrahæ, quod immolaret Isaac, & licuit ei sic, moueret Iephte. Dicendum: quod Abrahæ licuit velle occidere filium suum, & occideret illum realiter, nisi Deus vetuisset : eo quod ipse iusserat, & omne præceptum Dei bonum est. Iephte autem occidit filiam suam ex voto, & non ex præcepto Dei, sed votum suum non poterat facere licitam esse mortem huius puellæ sicut mandatum Dei. Cum autem dicitur, quod tentauit Deus incitaret eum sicut incitauit Abraham. Dicendum quod non stat, quia Deus solum mouit Abraham ad occidendum Isaac, vt appareret omnibus hominibus obedientia eius, & non animo hoc expleri voleti. Quod patet, quia cum vellet illud explere Abraham, Deus prohibuit. Etiam quia dicitur, quod tentauit Deus Abraham: sed tentatio non est ad hoc, quòd aliquid fiat, sed ad cognoscendum voluntatem alicuius: ideo si ipse mouisset Iephte non compleuisset opus, & tamen compleuit: ideo non fuit motus à Deo, sed stulto quodam motu: & Deus permisit eum sic moueri in pœnam aliquorum peccatorum suorum, vt nimis doleret de morte filiæ, quæ vnigenita erat. Ad tertiam rationem, cum dicitur de catalogo, dicendum quod etiam si aliquando peccaret, sanctus esse poterat, & poni in catalogo, sicut est de multis alijs, & sic soluit historia scholastica. Aliter & melius dicendum est, quod ad hoc, quod esset Iephte in catalogo, non erat necessarium opus suum bonum ante hoc, nec post votum: sed solum posuit ibi Apostolus pro laude fidei, vt declaratum est: quamquam ergo post bellum istud peccaret, poneretur in catalogo, quia ibi fuit fides de qua in catalogo laudatur.

D

E

Ad secũdam rationẽ

Ad tertiã rationem

F

Aliter ad tertiam rationẽ

Quid sit præscriptio, & de diffinitione, & natura præscriptionis, tam secundum theologos, quam iuristas.

QVÆSTIO LVIII.

NVNC autem, quia in c. isto Iephte arguens contra regem Ammonitarum fundauit se valde super præscriptione, quia terra iam præscripta erat propter diuturnitatem temporis: circa præscriptionem erunt aliqua dubia, & primum circa quidditatem, vel diffinitudinem præscriptionis. Quæretur ergo, quid sit præscriptio. Quidam diffiniũt eam dicentes: Præscriptio est exceptio ex tempore substantiam capiens, & ponitur ista descriptio per Ioan. Glosatorem decretorum 16.q.3. in summa, in qua ponuntur duo scilicet effectus præscriptionis, & causa. Et sciendum, quod ista est

Diffinitio præscriptionis.

descri-

descriptio,& non diffinitio: nam datur per quædam extrinseca,& non significantia quidditatem. Primum significat effectum,scilicet præscriptio est exceptio:nam omnis prescriptio parit exceptionem. Pro quo sciendum, quòd duplex effectus consueuit sequi ad præscriptionem, scilicet exceptio,& acquisitio dominij. Primus effectus est necessario annexus: nam non est aliqua præscriptio,ad quam non sequatur exceptio, & tamen aliqua est ad quam sequitur acquisitio dominij. Primum patet dupliciter: primo rarione: nam si non competeret exceptio omni præscriptioni, sequeretur quòd aliqua præscriptio esset, quæ nullius foret efficaciæ: quia non competeret actio,vt aliquid aliud cui non competit exceptio,cum ipsa sit in minus. Secundò patet inductiue, quia inducendo in singulis speciebus præscriptionis est verum,quòd pariunt exceptionem: sic patet in decem diebus datis ad appellandum:nam illis transactis,præscribitur contra non appellantem,vt amplius non possit appellare 2.quæstion.6.cap.biduum,sic etiam lapsu trimestris temporis prescribitur contra non eligentem,de electione cap. ne pro defectu,& in his, si non appellantes infra decem dies, vel non eligens infra trimestre conaretur postea appellare, vel eligere,esset exceptio contra eos ex præscriptione: quod non poterat postea, aut appellare, aut eligere. De secundo patet, scilicet quòd acquisitio dominij, non sit effectus necessario annexus præscriptioni: nam quædam præscriptiones sunt in quibus causatur actio,& exceptio scilicet in præscriptionibus bonæ fidei, in quibus acquiritur dominium directũ, vel vtile solum secundum quosdam. In aliis autem sola exptio causatur, scilicet in præscriptionibus longi temporis,& malæ fidei: nam præscribens non acquirit ibi dominium. Secunda pars diffinitionis erat ex tempore substantiam capiens,id est totum esse, sic Philosophus 4.Phy sic.dicit quòd nunc est substantia temporis,id est totum esse: quia in tempore nihil est realiter nisi nunc. Ista particula patet, quia illud quod non habet vim aliquam, nisi elapso termino temporis,& post elapsum sortitur efficaciam,habet substantiam suam ex tempore: sed huiusmodi est præscriptio , ergo ipsa capit substantiam ex tempore. Patet hoc , quia in præscriptione,vel vsucaptione accipitur tempus strictissime: intantum quòd si transierit totum tempus præscribendi, quod sit viginti annorum, & restat adhuc dimidia dies, nullum ius aut pars iuris innatum est ipsi præscribenti: & lapso illo die ad complementum est ius plenum præscribentis ad excipiẽdum,& agendum si sit præscriptio bonæ fidei. Contra hanc descriptionem obiicit frater Gerardus de Senis Augustinianus,& Ioan.Andræ.in Mercuriali in regula possessor, triplici ratione. Prima quia dicitur: ex tempore substantiam capiens, tempus autem est naturalis causa: præscriptio autem non capit efficaciam suam ex natura,sed potius ex lege. Secunda quia omittit causam principalem, ex qua præscriptio sumit efficaciam, scilicet ex legum auctoritate. Tertia quia omittit causam finalẽ præscriptionis, scilicet ad quid introducta est descriptio: tamen diffinitio maxime debet accipere causam finalem,eo quod per eam innotescit valde quælibet res. Ideo dat aliam descriptionẽ præscriptionis,quæ tangit tam efficientem principalem,quam finalem,scilicet.Præscriptio est ius quoddam ex tempore congruens,auctoritate vim capiens,pœnam negligentibus inferens,& finem litibus imponens. In ista descriptione supplentur omnia,quę omissa fuerant in alia,scilicet limitatio congruens temporis, sine qua ignorantia non esset inexcusabilis. Secundò tangitur legum auctoritas,qua præscriptio inducitur,per quam contra sic negligentem cauſetur exceptio in re præscripta, ne possit eã petere. Tertiò tangitur finis,scilicet quia inuenta est præscriptio ad imponendum pœnam negligentibus,vt rerũ dominia perdant,& vt litibus finis imponatur:ne,non existente præscriptione,essent immortales,cum semper posset peti res: etiam si magno tempore,& bona fide possessa esset. Dicendum autem,quod vtraque harum descriptionum est cõueniens,& prima magis accedit ad naturam diffinitionis:secunda autem est descriptio notificans quasi totum esse descriptionis. Sed cum arguitur primò contra descriptionem Ioan. Glosatoris non stat, quia ipse non accipit ibi tempore pro causa,vel mensura rerum naturalium, sed pro limitatione temporis introducta à iure,scilicet prescriptio est ex tempore substantiam capiens, id est habens efficaciam ex lapsu temporis à iure statuti. Ad secundum dicendum,quòd dicẽdo ex tempore substantiam capiens, intellexit auctoritatem legum,cũ ibi non accipiatur tempus absolute,sed solum pro limitatione temporis, quæ limitatio à lege. Ad tertium dicendum,quod licet positio finis notificaret aliquid de substantia præscriptionis, tamen non est necesse poni finẽ: quia notificatio potissima, quæ fit à fine tenet in artificialibus:nã in artificiatis per finem notificatur materia, & forma:in naturalibus autem, & moralibus non tantum est necessitas finis ad notificandum. Si quis autem vellet dare quidditatiuam diffinitionem, dicet: Præscriptio est ius ex labente tempore constans, quo quis ex negligentia alterius ius habet in re, in qua prius nullum habebat. Considerandum autem, quòd consuetudo, & præscriptio habent quandam similitudinem: nam vtraque tempore constat, sed differunt, quia consuetudo non debet causari à quolibet, qui debet se ex ea iuuare. Præscriptio autem causari debet à quolibet, qui ex illa se iuuabit: etiam consuetudo non respicit tempus valde limitatum, quia aliquando in maiori, aliquando in minori causatur. Prescriptio autem respicit tempus limitatissimum, ita vt,si saltem dimidius dies desit, nullum ius præscribentis adhuc sit. Cõsiderandũ etiã, qꝙ in præscribendo semper sunt duo,s.ipsa prescriptio & ius causatũ ex prescriptione. Præscriptio autem non consistit post lapsum temporis: sed semper dum tempus labitur: effectus autem præscriptionis est in instanti lapsus temporis:nam dum incipit tempus prescriptionis vsquequo consumetur semper dicitur aliquis præscribere, & semper præscribit, & ipsa præscriptio est, & tamen nõdum est ius causatum ex præscriptione,scilicet acceptio, vel dominij acquisitio. Et quando fuerit causata exceptio, iam non manet præscriptio: nec dicitur aliquis præscribere, sed præscripsisse, & tamen licet præscriptio sit via ad acquirendum ius,non est tamen proprie ius: sicut alteratio est via ad generationem, sed non generatio: & sic se habent præscriptio,& exceptio inde causata, sicut motus & mutatum esse, & sicut magnitudo, & punctus terminans,& alteratio & generatio. Aliqui autem putant, quod præscriptio non sit,nisi completo tempore, eo quod si interrumpatur, nihil est. Dicendum,quod isti grosse accipiunt,quia exceptio causata per per præscriptionem est finito tempore: & tamen præscriptio ante tempus finitum semper est, sed isti nesciunt distinguere inter præscriptionem, & effectum præscriptionis, ideo notanter dixi labente tempore constans , & non ex lapsu temporis: quia ex lapsu temporis consistit effectus præscriptionis,& non præscriptio: tempore autem labente, id est cum labitur semper constat præscriptio. Dicitur quo ex negligẽtia alterius, ad differentiam consuetudinis, quia in consuetudine non attenditur negligentia alicuius: nam nullo negligente ex moribus vtentium causabitur ius consuetudinis. Etiam dicitur quo quis habet ius in re alterius, siue accipiatur res pro ipsa re,quæ possidetur: siue pro seruitute rei, vel iuribus in corporalibus,quę præscribuntur. Et dicitur iure alterius,quia præscriptio semper est ad rem alterius ad hoc, quod quis habeat ius in illa,scilicet agendi pro illa, vt sic cõsequatur dominium directum,vel vtile,vel saltem excipiendi pro illa contra alium,& quia aliquid istorũ causatur, semper dicitur ipsa, per quam quis habet ius in re alterius. Ex hoc est alia differentia consuetudinis,& præscriptionis,quia præscriptio semper est contra aliquem , & rem, quæ ab aliquo possidetur. Aliquando autem consuetudo non est contra aliquem,nec est ad tollendum bona alterius: ideo nunquam dubitatur de consuetudine,an sit contra ius naturale: sicut dubitatur de præscriptione : intantum quod præscriptio non potest esse contra rem, quæ nullius est: vnde si quis occupet rem, quæ nullius vnquam fuit, & ex hoc habebat exceptionem contra quemlibet agentem pro illa: non vocatur ista præscriptio,quia non est ad acquirendum ius in re alterius: sed in re, quæ nullius est: ideo hic non est necessarius lapsus temporis, sed per solam occupationem ius acquiritur.

Obiectio. Cõtra secũdã particulam Gerardus de Senis Eremita.

Alia definitio præscriptionis.

Declaratio diffinitionis.

Responsio Doctoris, & defensio. Ioan Glosat.

Diffinitio præscriptionis secũdum docto.

In præscribendo semper sũt duo.

An præscriptio sit contra ius naturale. Et quid sit ius positiuum & naturale: & quomodo inter se conueniant, & differant. Et an rationes Ioan. Andreæ, & Iuristarum ad probandum, quod præscriptio concordet iuri naturali, concludant.

QVÆSTIO LIX.

QVÆRETVR secundo, an sit prescriptio contra ius naturale: non enim quæritur an sit contra ius positiuum, quia manifestum est, quod non cum ab ipso iure constituta sit. Etiam non quæritur, an sit contra ius diuinum: quia ius diuinum vocatur à quibusdam ius naturale, & partim est positiuum, sicut in cæremonialibus, & iudicialibus. Quidam dicunt, quod est contra ius naturale: sic patet, ff. de regulis iuris, l. in iure naturali. Item contra æquitatem naturalem est aliquem locupletari cum aliena iactura, ff. de regulis iuris, l. locupletari, sed in præscriptione aliquis locupletatur alio perdente, ergo est contra ius naturale. Item videtur, quod non potuerit lex humana statuere aliquod medium præscriptionis, quo tolleretur dominium, quia dominia sunt introducta de iure gentium, ergo lex positiua non poterit ex tollere. Primum patet, ff. de iustitia, & iure, l. ex hoc iure. Secundum patet, quia ius positiuum est minus naturale, & iure gentium: ideo non potest illi præiudicare. Respondendum, quod præscriptio non est contra ius gentium. Pro quo sciendum, quod ius dicit rectitudinem, siue sit naturale, siue legale, & quamquam ius naturale, & legale, vel positiuum sint distincta, tamen non sint distinctæ rectitudines eorum, sed est eadem rectitudo aliter, & aliter se habẽs, quia ius naturale dicit rectitudinem quandã vniuersalem, & confusam: ius autem legale dicit eandem rectitudinem, vt iam explicatam. Et dicitur esse eadem rectitudo, quia ius est regula actionis, & rectitudo fundatur realiter in actu, sed mẽsuratiue & directiue in regula, siue iure: & quia eædem actiones diriguntur numero per ius naturale, & ciuile dicitur esse eadem rectitudo vtriusque: velut si eadem res significetur per aliquam propositionem obscuram, & per aliquam manifestam: nam eadem res, & eadem veritas vtrobique est: cum autem ius positiuum sit ius specificatiuum, & ius naturale sit speciale, potest dupliciter naturale per positiuum specificari, scilicet. Primo determinando illud per congruos modos: secundo applicando illud ad varios actus: tertio declarando per quosdam euentus. De primo patet: ius naturale est punire delinquentem, sed modus non est ab eo taxatus, ius autem humanum illa limitat secundum modum, & quantitatem. De secũdo patet: ius naturale vult nemini subtrahi, quod suum est, ius positiuũ distinguit actus ab illa rectitudine deuiantes, scilicet actum furandi, capiendi, fœnerandi, dolose extorquendi, de quibus non dixit ius naturale, qnòd essent modi subtrahendi aliena. Ostendit etiam quis actus istorũ magis deuiat à naturali rectitudine, scilicet per quem actum magis iniuste subtrahantur alicui sua, & secundum hoc statuit inæquales, & varias pœnas. De tertio patet, quia ius naturale ponit aliquas regulas, quæ dicunt in generali rectitudinem, & tamen nõ exprimit an aliqui casus sint, in quibus obseruatio illorum tollat rectitudinem naturalẽ: sicut de iure naturali est depositum reddi: tamen non est limitatum, an aliquis casus sit, in quo malum sit reddi, & hoc limitauit ius positiuum, quod non est reddendum, quando ex redditione malum prouenit: velut si quis deposuerit penes me arma, non teneor ei reddere, si petierit existens in furore, vel factus hostis patriæ: quia in vtroque casu posset nocere. Sic etiam de iure naturali est neminem cum alterius detrimento ditiorẽ fieri: & tamen aliquis casus est, in quo rectum est fieri ditiorem altero perdente, scilicet in præscriptionibus, & in vsucaptionibus: qui sic perdunt, licet damnũ recipiant, non patiuntur iniuriam: eo quod ex negligentia perdunt sua, per quam merentur perdere, & sic licet videatur in superficie recedi ab æquitate naturali, tamen secundum negligentiam literæ non receditur: nam si nullus casus esset, ne quo quis locupletaretur cum iactura alterius, faceremus contra duas regulas iuris naturalis. Primus est, quod bonum commune non sit negligendũ: si tamen prescriptio, & vsu captio tollantur in omni casu dabitur, quod multi negligent bona sua, & alij nollent capere ea, quia possidendo non efficient illa sua, & perditis bonis particularibus perit bonum commune, quod constat ex bonis priuatorum. Secunda regula iuris naturalis est, bonum cõmune diligibilius esse, & magis curandum quam bonum patticulare, vt patet 1. Ethicorum, si tamen non introducatur prescriptio, & vsucaptio: turbabitur pax communis, in qua consistit magna pars fœlicitatis politæ, & hoc quia lites fient immortales, cùm etiam post magnum tempus liceat repetere quascunq; res pacificè ab alio possessas: debuit ergo introduci præscriptio, & vsucaptio contra iura priuatorum, vt non tollatur totum bonum publicum, scilicet pax communis: & sic non est contra ius naturale, imò adiuuat illud, cùm duæ leges iuris naturalis iuducant præscriptionem, & vna solùm videatur tollere illam quantum ad corticem literæ: ideo fuit conueniens, & necessaria præscriprio, qua leges iuris naturalis inter se concordarentur: nam sicut de necessario intellectu iuris positiui est illud, sine quo leges plures dissonantes in voce inter se concordare non possunt, ita de iure naturali est illud, sine quo plures regulæ iuris naturalis non possunt inter se concordare, & sic eadem rectitudo est iuris positiui, & naturalis aliter, & aliter sumpta. Item patet hoc, ff. de iustitia, & iure, lege ius ciuile, vbi dicitur: Ius ciuile est, quod nec in totum à iure naturali, aut iure gentium recedit: nec per omnia ei seruit. Itaque cùm addimus, vel subtrahimus iuri communi, ius proprium, id est ciuile, efficimus: si enim rectitudo iuris positiui esset alia à iuris naturalis rectitudine, in totum ab ea recedere, & non esset sicut specificatiua illius: sed vt duæ rectitudines disparatæ: si autem ius ciuile totaliter seruiret iuri naturali, non esset specificatiuum eius, sed esset idem pœnitus, vel per modum: sed quia in aliquo subtrahimus, & in aliquo addimus, ius ciuile specificatiuum iuris naturalis efficimus: nam addendo, & subtrahendo est quidam modus specificationis per additionem: vt in duobus primis modis, scilicet cùm ius naturale dicit puniẽdum delinquentem, & non dat modum: lex humana specificat addendo speciem punitionis, & quantitatem, vel durationem. Secundo modo, vt lex dicit, quod nõ est alicui subtrahenda res sua, ius humanum addit modos subtrahendi tanquam ponens exempla, scilicet furtum, rapinam, ludos prohibitos, vsuram, dolosum contractum, spoliationem sepulchrorum, & sic de cæteris, & limitat in his pœnas subtrahendo. Specificat, scilicet tertio modo, quando lex dicit aliquid seruandum, & lex humana declarat aliquos casus, in quibus debet seruari, vt, non est aliquis locupletandus cum alterius iactura: lex humana subtrahit præscriptiones ab hac regula, & vsucaptionem. Sic etiam in deposito reddendo lex humana subtrahit casus, in quibus non reddatur, si efficiatur depositor furiosus, vel hostis. Assignant autem quatuor rationes frater Gerardus de Senis Augustinianus, & Ioan. Andr. in regula possessor, in Mercuriali ad probandum, quod præscriptio concordet iuri naturali. Prima. Illa iura, quæ habent eandem rectitudinem, sic se habent, quod non potest vnum alteri contrariari: sed ius naturale, & positiũ sunt huiusmodi, ergo in præscriptionibus non possunt inuicem contrariari. Vtraque pars patet ex dictis. Secunda ratio est: illud ius positiuum, quod habet congruam, & rationabilem rationem consonat iuri naturali, sed ius positiuum de præscriptionibus est huiusmodi, ergo cõsonat iuri naturali. Maior patet, quia ius, & ratio conuertuntur, & ius naturale est inuariabilis ratio. Minor patet est dictis supra. Tertia ratio est: illud ius positiuum, quod punit peccatum negligentię, quod est contra publicum bonum, est concordans iuri naturali, sed ius de prescriptionibus ex huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia de iure naturali est conseruari bonum publicum plusquam priuatum, & puniri transgressores. Minor patet, quia prescriptio, & vsucaptio tollunt omnia rerum negligentibus. Quarta ratio: illud ius positiuum, quod tollit lites, quę alias efficerentur immortales, & causat pacem publicam, est concordans iuri naturali: sed ius de prescriptione est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia ius naturale dictat bonum publicum, & pacem politicam valde amandam: ideo quod ad hoc adiuuat, valde consonat iuri naturali. Minor patet, quia prescriptio tollit lites,

A

B

Ius rectitudinem dicit.

Naturale ius potest tripliciter per positiuum specificari.

C

Quando depositũ reddi non debet.

D

Bonum cõmune non est negligendum.

Fuit necessaria præscriptio ad pacem politiæ.

Quid ius ciuile sit.

E

Rationes probantes præscriptionem concordare iuri naturali.

F

Quid sit de iure naturali.

quę

A *Respõs. ad has rationes.* *Ad primam.* *Ad secundã.* *Ad tertiam.* *Ad quartã Rationẽ Scoti in 4. Sententiarum dist 16. quod præscriptio sit rationabiliter introducta.* B

quæ alias efficerentur immortales, scilicet quia à pacifice possidente etiam post ducentos annos posset res peti. Istę rationes ex parte concludunt, & ex parte sunt calumniabiles. Nam cum prima dicit, quòd ius de præscriptionibus habet rectitudinem eandem cum iure naturali: intelligendum est de præscriptione cum bona fide, per quam acquiritur dominium, secus de malæ fidei longi temporis præscriptione. Secunda ratio habet maiorem falsam: nam præscriptio malę fidei habet causam rationabilem, & congruam: scilicet vt puniatur negligentia, & non pereat bonum publicum: quod interdum periret, nisi permitteretur præscriptio malæ fidei, & tamen illa non consonat iuri naturali. Tertia ratio habet etiam maiorem falsam: nam non omnis lex puniens negligentiam contra bonum publicum bene agit, quia potest punire aliter quam debet, vel plus quam debet: vt si aliquo negligente res suas non solum permitteretur contra eum: prę scriptio malæ fidei, sed etiam quod perderet aliquã de rebus, quam nõ desinebat possidere. Quarta ratio habet maiorem falsam eodem modo: nam licet imponi finem litibus bonum sit, tamen modus aliquis erit, per quem valde grauentur litigantes, vel præiudicetur iuri multorum, sicut patet in prędcenti exemplo. Sciendum vlterius, quod Io. Scotus, & Prancisus de Maironis ponunt in 4. Sententiarum dist. rationes quatuor ad probandum, quod præscriptio sit rationabiliter introducta. Prima est propter bonum publicum, scilicet ne contemnantur bona particularia, & pereant: cùm ex particularibus subsistant bona communia. Secunda ratio est, quia legislator potest transmutare dominia rerum ex causa: sic est negligentia: nam nullus debet destruere bonum publicũ ex negligantia sua, ideo constituit princeps præscriptionem tanquam modum transferendi dominium, & consonabit hoc æquitati ad conseruandum bonum publicum. Tertia ratio est ad tollendum lites, quæ alias fierent immortales: nã liceret agere contra possidentem pacifice, licet possediſſet ipse, & prædecessores sui per ducentos annos, & sic causarẽtur lites de rebus antiquissimis, & ob hoc essent valde difficiles, & ad quietandum statum publicum inttoduci debuit præscriptio, & vsucaptio transferentes dominium. Quarta ratio est ad quietandum conscientias: nam si præscriptio non daret dominium, esset quilibet dubius de re, quam possidet, an esset sua: nam dato quod possediſſet eam bona fide longo tempore, & etiam prædecessor suus, adhuc non esset dominus nisi daretur præscriptio, & vsucaptio: ideo vt quietaretur conscientia, debuit tale ius introduci. Nunc enim cum quis scit se possediſſe bona fide aliquam rem determinato tempore, dato quod non habebat titulum illius, est securus in conscientia: quia dato quòd nõ esset aliquid tradẽs dominium, saltem ipsa præscriptio tribueret. Sed considerãdum, quòd ratio potissima probandi præscriptionem esse licitam, imò necessariam, fuit illa, per quã inducebatur supra, quòd agebatur contra duas leges iuris naturalis, nisi daretur præscriptio: ergo dari debuit ad confirmandum, & concordandum leges iuris naturalis inter se. Considerandum vlterius, quòd præscriptionem esse contra ius naturæ, vel cõcordare illi potest intelligi tripliciter. Primo modo, quod sit aliqua de regulis ipsius iuris naturæ, sicut est nemini aliquid iniuste subtrahendum esse, & hoc modo non proprie diceretur præscriptionem concordare iuri naturali, sed esse de iure naturali. Secundò diceretur concordare, vt licet non sit aliqua regula iuris naturalis, sit tamen aliquid directe conclusum, & necessario ex iure naturæ nõ obuiãte ei alia regula iuris naturalis in superficie, vel in re, & sic cuncordat iuri naturæ plus punire latronem quam furem, & insidiatorem quam solum ex ira percutientem, quia ex regula illa iuris naturæ, quæ est peccatum debere puniri, induceretur conclusione necessaria vnum plus altero puniri debere. Tertio modo dicitur aliquis concordare iuri naturali, quando est ad cõcordandum regulas iuris naturalis, & tamen aliquid est quod saltẽ in superficie ei repugnat de regulis iuris naturalis. Primo modo non est præscriptio concordans iuri naturali, quia non est lex introducta à iure naturali, sed à positiuo. Secũdo modo etiam non consonat iuri naturali, quia aliqua regula iuris naturalis est, quæ non consonat ei, sed repugnat, scilicet quòd nullus debet cum iactura alterius locupletari, quod fit in præscriptione, & quantum ad istum modum accipiunt omnes, qui dicunt præscriptionem esse contra ius naturale. Tertio modo concordat præscriptio iuri naturali, imò est de necessario intellectu illius, inquantum sequitur ex quibusdã regulis illius quantum ad intellectum, & literam, & est quid concordãdum ad regulas iuris naturalis inter se, quod supra declaratum est, ideo dicendum plus concordare iuri naturali quam discordare ab illo. Ad primam rationem in contrarium iam responsum est supra, quod licet regulariter nõ debeat quis locupletari cum iactura alterius, tamen interdum iustum est: sicut tamen alicuius bona confiscantur propter crimina magna, ille cui applicantur locupletatur cum iactura alterius, & tamẽ iusta est acquisitio. Sic etiam est in omnibus legibus, quę imponunt delinquenti pœnam pecuniariã, quia necesse est tunc illam alicui applicari, & ille locupletatur per illam, id est ditior fit quam prius: ita fuit in præscriptione, quia ipsa introducitur in pœnam magnæ negligentiæ hominum deserentium res suas in magnum damnum reipublicæ: ergo non est magis ratio dubitandi de hoc, quã de Aliis modis transferendi dominium per pœnam. Ad secundum dicendum quod ea, quæ sunt de iure gentium non possunt tolli per ius positiuum directe derogando illis, scilicet statuendo legem contrariam, sicut tollitur vna lex positiua per aliam, & tamen indirecte potest tolli priuando aliquem beneficio illius, scilicet lex siue ius gentium introduxit dominia: ideo ius positiuum non potest introducere, quòd nullum dominium sit, & tamen potest statuere ius positiuum quòd aliquis careat dominio rerum suarum, & hoc consonat iuri naturali, scilicet quod qui puniatur, cum deliquit: sed pœna, vel erit in rebus, vel in corpore, ideo licitum est priuari aliquem dominio rerum.

C *Improbatio Scoti. Tripliciter intelligitur præscriptionẽ esse contra ius naturale vel illi concordare.*

D *Ad rationem primã incõtrarium.* *Ad rationem secundam.* E

An de iure canonico, & ciuili debuerunt esse diuersæ præscriptiones. Et an sit vera opinio Ioan. Andreæ, & Iuristarum, scilicet quod ius ciuile supplet, & subuenit iuri canonico in materia præscriptionis.

QVÆSTIO LX.

QVÆRITVR vlterius de varia præscriptione iuris canonici, & ciuilis an debuit esse distincta. In quo prę supponendum, quod secundum canones, solum præscribitur cum bona fide, vt extra de præscriptionibus capit. vigilanti, & de regulis iuris in 6. in regula possessor, secundum legis præscribitur etiam cum mala fide Codice de præscriptionibus triginta annorum l. prima, & l. omnes, & lege cum notissimi, & extra de præscr. vigilanti. Nunc autem dicet aliquis, quod non debuit esse ista varietas præscribendi canonum, & legum: quia aut præscriptio cum mala fide est iusta, aut non: si iusta tam canones quam leges debuerunt illã concedere: si iniusta, vtrique debuerunt eam vetare. Sciendum vlterius, qp præscriptio cum mala fide consideratur, vel quantum ad intentionem iuris ciuilis: vel quantum and intentionem præscribentis. Primo modo concordat iuri naturali, quia intendit ius per istam præscriptionem punire hominum negligẽtiam, quæ vertitur in damnum publicum, & imponere finẽ litibus, & ista ita fiunt per præscriptionem malę fidei, sicut bonæ fidei, & si sola præscriptio cum bona fide sit, non poterit sufficienter puniri negligentia quorundam, & terminari lites, quæ alias non terminantur, & hoc quia iustum est. Præscriptio cum mala fide iusta est, sed ex parte præscribentis est iniusta: quia ipse intendit per huiusmodi præscriptionem vsurpare rem alienam. Ex hac parte dissonat regulę naturę, scilicet, quod tibi non vis, alteri ne feceris. Nunc manet dubium, cum secundum ius considerata præscriptio malę fidei sit iusta, quare canones non introduxerunt eam sicut leges. Respondendum, quod præscriptio cum mala fide partim est iusta, & partim iniqua in extentione iuris, sed contra ipsum negligentem iusta est, sed ex parte præscribentis iniusta: ideo non totaliter est ista præscriptio à iure introducta: sed partim est introducta, scilicet contra eum, contra quem præscribitur: quia sic bona est, & partim est permissa, scilicet ex parte eius, contra quem præscribit: nam sic ius non iubet illam, quia est iniusta: sed permittit quia ex illa elicitur bonum, scil. quod lites efficiantur mortales aliquando, & quod puniatur negligentia. Nunc aũt permittere istã præscriptionem

Præscriptio cũ mala fidei dupliciter considerat. F *Cur præscriptio mala fidei non acceptatur à lege canonica.*

A *Finis politiæ.*

nem malæ fidei propter bonum publicum debuit pertinere ad leges, & non ad canones. Quod patet quia quodlibet ius debet attendere finem suum, & illo considerato quidquid adiuuat ad illud, iustum est: finis autem politicæ communicationis, propter quem introducitur ius politicum, est conseruatio ipsius politiæ in pace, & abundãtia rerũ: ideo quidquid agit ad ista duo est iustum politiæ, imo necessarium, & quia pax politica tollitur per litigia immortalia, & copia rerũ tollitur per hoc quod quilibet negligenter curat res suas, ideo debuit dare ius politicum remedium contra vtrunque: istud autem est per ptæscriptionem interdum bonæ fidei, & interdum malæ, quia præscriptio cum bona fide non sufficeret ad tollendum ista inconuenientia, ideo debuit vtraque à iure politico permitti, vel introduci. Ius autem canonicum, licet ad negotia ciuilia extendatur: cum etiam oporteat Episcopos secularium negotiorum peritos esse 39. dis. cap. Petrus, tamen præcipue est quoddam ius limitatiuum regulæ Euangelicæ per modum additionis, & explanationis: ideo debet tenere illum finem, quem tenet lex euangelica, & iste est seruare per omnia conscientiæ sinceritatem, vt per illam perueniatur ad vitam æternam: iuxta illud Matthæi 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: ideo ius canonicum debet attendere per omnia mentis sinceritatem: sed est contra mentis sinceritatem, quòd aliquis mala fide præscribat rem alterius, ideo non solum non debuit ius canonicum præscriptionem permittere, sed etiam debuit expresse prohibere. Et potest ex hoc formari sic ratio: illud quod sequitur veritatem Euangelicam, debet discordare ab omni illo, à quo discordat lex euangelica: sed lex euangelica discordat à iure ciuili, eo quod euangelica lex punit malam cogitationem, sicut malam operationem, vt apparet Matthæi 5. scilicet qui viderit mulierem ad concupiscendum eã, iam mæchatus est in corde suo: lex autem ciuilis solum punit malum actum, vel cogitationem inquantum incipit aliqualiter tendere in actum, cum per ista turbetur pax publica, & cogitationis peruersæ solius nullus secundum legem pœnam habet: ergo debuit ius canonicum deuiare in aliquo à iure ciuili, & sic fuit in hac præscriptione, quæ contra conscientiam permitteretur, scilicet peruertendo actum interiorem. Alia ratio erit sic: illa iura debent discordare ab inuicem, quorum vnum intendit iustitiam seruare propter litigia terminare, & alterum intendit litigia terminare ad iustitiam conseruandam. Ius autem ciuile iustitiam seruat ad tollendum litigia, quia finis suus est pax publica, & abundantia, atque prosperitas rerum, vt patet 9. Politicorum: sed huic fini magis coniuncta est oblatio contentionum, quam conseruatio iuris: ergo intendet magis tollere scandala, quam seruare æquitatem, & consequenter intendet iustitiam seruare propter terminare lites, & non è contrario. Sicut ad militarem subordinatur equestris, & frenefractiua, & quia equus immediate est, & vsus eius ipsi militi quam habere frenum, vel sellam: magis intenta est equestris quam frenefractiua, & sic intendit frenefractiuam propter equestrem. Sic patet 1. Ethic. cap. 1. de subordinatione finium. Ius autem canonicum intẽdit principaliter iustitiam colere, inquantum per eam peruenitur in vitam æternam: ideo intendet sic iustitiam conseruare simpliciter, & intendet litigia sic terminare, vt iustitia conseruetur, & non conseruare taliter iustitiam, vt litigia terminentur: sed præscriptio cum mala fide facit ad terminationem litigiorum, & contra iustitiam: ergo eliget potius lex ciuilis, sic litigia terminare non seruata iustitia quam è contrario. Ius autem canonicum intendet sic conseruare iustitiam, non permittendo tale in præscriptionem, licet litigia non terminentur. Alia ratio: illa iura, quæ sic se habent quod vnum eorum sic tenet forum litigij, vt vltimate remittat ad forum conscientię, & alterum sic totum forum litigij, vt in illo sistant, debent necessario discordare in præscriptione malæ fidei cum illa ad conscientiã remordentem pertineat: sed ius canonicum, & ciuile sunt huiusmodi, quia ius ciuile nunquam ponit aliquid in conscięntia, canonicum autem remittit omnia delicta conscientiæ, de pœnit. & remiss. ca. omnis, ergo in præscriptione malæ fidei, quæ est contra conscientiam, & ius canonicum, debuit prohibere, & ciuile permittere debuit. Aliud fundamẽtum huius ponit frater Gerardus de Senis, & Ioan. Andreas in regula possessor. in Mercuriali, scilicet ius canonicum, & ciuile sic se habent, quod vnum alteri subuenit: quia quod vnum deficit alterum supplet: eo quod sunt fundata super eãdem rectitudinem iuris naturalis: sicut est in puniendo clericum, quia ius canonicum punit eum vsque ad degradationem, & cum vltra non possit agere, si non esset ius ciuile, manerent quædam grauia scelera insufficienter punita, ideo ius ciuile subuenit, quia exiens potestatem canonici iuris traditus curiæ seculari, & degradatus plectitur capite secundum conditionem criminis: ista est in præscriptione: nam ius canonicum propter sinceritatem conscientiæ præscriptionem cum mala fide prohibet: ius autem ciuile propter terminationem litigiorum, & negligentiam tollendam permittit præscriptionem: si autem non esset ius ciuile, non possent puniri negligentes bonum publicum, & tollentes pacem, ideo subuenit ius ciuile canonico puniendo ista duo: introducendo, vel permittendo præscriptionem cum mala fide. Sed ista ratio nullo modo stat, quia tunc vnum ius subuenit alteri, quando id quod deficit vni iurium, alterum supplet, & tunc proprie ei subseruit, & sic cum iustum sit sacerdotem hæreticum, & incorrigibilem, & alijs grauibus facinoribus mixtum vltra pœnam statutam à canone aliam suscipere, & illam non potest determinate canon imponere nec minister eius exequi, conueniens fuit quod ius ciuile determinaret pœnas conuenientes illi, & minister eius inferret illas: sed in præscriptione malæ fidei nimis hoc distat, quia ius canonicum solum se extendit ad puniendum negligentes res suas, turbatores pacis publicæ inducendo præscriptionem in casu quo bona fide præscribi potest, & cum non sufficienter puniantur ista per præscriptiouem cum bona fide: si ius ciuile permitteret præscriptionem cum mala fide, puniret eos, & subueniret iuri canonico: quia puniret illud, quod non posset punire ius canonicum: & tamen non subuenit ei: quia nõ punit illos, cum ius canonicum tollat præscriptionem malæ fidei: & non sinit, quod quis præscribat mala fide: ideo ius ciuile non subuenit canonico, sed ius canonicum ciuile destruit. In alio autem casu secus erat, quia ius canonicum non prohibet clericum degradatum punire ciuili lege: imo iubet quod tradatur curiæ seculari: & si non iuberet hoc, non liceret iudicibus sæcularibus punire degradatos: ergo ista ratio nequaquam stat. Item non stat, quod dicunt scilicet ius ciuile non introducit præscriptionem cum mala fide, quia licet non introducat iubens, introducit tamen ius tribuens, quia tempore, quo erat ius ciuile sine canonico, currebat præscriptio cum mala fide: & tamen si non fuisset ius, quod præscriptio quadrigenalis, vel trigenalis cum mala fide valeret: non obtineret in iudicio prędcribens contra negligentem per exceptionem: ergo non fuit hęc permissio solum, sicut dicitur, quod iura permittunt fornicationem simplicem, id est non puniunt eam: sed fuit iuris constitutio, licet non iubendo, sicut id quod per se bonum est.

Ius canonicũ debetus per omnia attẽdere mentis sinceritatem.

B

C

Ius canonicũ principaliter intẽdit iustitiã, inquantũ per eã peruenitur ad vitam æternã

D *Aliud fundamentũ Gerardi de Senis, & Io. Andr.*

E

F

An præscriptio cum mala fide in aliquo casu sit iusta.

QVÆSTIO LXI.

QVÆRETVR vlterius, an præscriptio cum mala fide esset iusta. Aliquis dicet, quod sic, quia sacra scriptura introducit illam, vt patet hic in litera: nam Iephte defendit se contra Ammon dicens: Cur nihil vsque nunc super hac repetitione tenta sti? & tamẽ erat illa præscriptio malæ fidei, quia sciebat se accepisse rem, quæ fuerat Ammonitarum, & à principio vsque ad finem tenuit conscientiam huius, ideo non poterat præscribere, nisi cum mala fide. Item patet, quia de iure naturali est crimina puniri: potissime, quæ militant contra bonum publicum, quod magis conseruandum est, quam bonum priuatum, & tamen bonum publicum consistit in duobus potissime scilicet in pace politica, & in abundantia rerum, vt colligitur 7. Polit. ideo punire fractores publicę pacis, & copiam rerum tollentes, de iure naturali est: sed nisi permittatur præscriptio cum mala fide, fient hæc, quia litigia fient immortalia per hoc, q̃ quid possidens à tempore quantumcunque longo potest inquietari super re: & sic nullus erit securus de re sua vsque in æternũ, etiam quilibet poterit contemnere ex negligentia possessiones suas, & nullius

Rationes cõtra iustam in diuersum 1 Ratio 2 Ratio

accipiet

A

accipiet eas sciens esse alterius cum non possit præscribere mala fide,& sic peribunt illæ res per quarum perditionē diminuitur bonum publicum, quod cōstat ex particularibus.

resp. ad quæst.

Respondendum, quod in præscriptione malę fidei considerantur duo, scilicet ipse negligens res suas, & ipse præscribens. Quantum ad negligentem dicendum, quod valde iustum est, quod priuaretur dominio illarū, & quod possit cōtra eum præscribi. Nam iste lædit bonum publicū diminuēdo eum,quia de propriis non curat: etiam tollit pacem politicam,quia litigia immortalia efficit.Item in præscriptione bonæ fidei secure præscribitur, & tamen nihil magis peccat ille,contra quem præscribitur in præscriptione bonæ fidei, quam in præscriptione malę fidei,cum vterque sit æqualiter negligens rerum suarum non repetendo illas, ideo meretur per præscriptionem malæ fidei perdere dominium rerum: nam quod bona fide , vel mala præscribatur non se tenet ex parte eius,contra quem præscribitur:sed ex parte præscribētis,ideo culpa in negligente non minuitur.Itē videtur,quod magis rationabile sit in præscriptione malæ fidei aliquē perdere res suas,quam in præscriptione bonæ fidei, quia introducitur præscriptio in pœnam negligentium : ergo quanto aliquis magis negligens est,tanto iustius contra eum præscribitur: sed in præscriptionibus malæ fidei est quis negligentior, eo quod maiori tempore est negligens , quia præscriptio ista fit in maiori tempore,quam præscriptio bonæ fidei: ergo magis merebitur iste,quod contra eum præscribitur,& quod perdat dominium rerum. Consideratur secundum in præscriptione malæ fidei ipsa intentio præscribentis:& quātum ad hoc dicunt aliqui, quod est iniusta, quia iniusto animo res possidetur,& intenditur vsurpari, ideo quantum ad primum lex introducit præscriptionem, & quantum ad secundum permittit eam. Sed in dicēdum est, quod cum prę-

B

Præscriptio mala fidei duo inducit.

scriptio malæ fidei inducat duo, scil. quod aliquis iuste perdat, & quod aliquis iniuste acquirat:si posset vnum sine alio, scilicet, quod aliquis iuste perderet dominiū,sine hoc,quod aliquis illud iniuste acquireret, esset præscriptio ista iustissima, sicut cum bona fide: non tamen potest aliquis perdere dominium rei suæ quin alius efficiatur dominus illius : ideo præscriptio ista inducit malum permixtum bono, ipsum tamen taliter permixtum est malum simpliciter, quia constitit bonum ex causa integra, scilicet ex collectione omnium circumstantiarum particularium, & malum constitit ex defectu particularium bonorum, vel circumstantiarum : ita quod deficiente quacunque circumstantia boni fit actus malus, vt patet secundo Ethicorum: ergo præscriptio malæ fidei est mala. Istud autem est loquendo simpliciter de bono considerando per habitudinem ad aliquam politiam. Nam descendendo ad politias, dicendum erit præscriptionem lōgi temporis cum mala fide esse bonam, quia in omnibus est iste ordo,quòd finis est melior his, quæ ad finem, & vt politia aliqua iuste reguletur, debet habere tale ius quod directe ducat ad finem illius: alioquin ius erit, sicut via obliqua : & quia finis cuiuslibet politiæ inquantum politia est pax communis omnium politice viuentium,& copia rerum : totum ius politicum debet ad ista procurando ordinari.Et quia pax communis tolleretur per litigia antiquata, & copia rerum tolleretur per negligētiam bonorum particularium, ex quibus resultat bonum commune , oportuit dari ius tollens hæc,& istud non potuit esse, nisi præscriptio , & vsucaptio tam cum bona fide,quam cum mala præcederet. Et ista fuit causa quare de iure, vel consuetudine gentium introducta fuit prescriptio cum mala fide, & etiam ius ciuile illam habere vigorem constituit. Sciendum tamen, quod si ius vellet sequi iustum simpliciter, tolleret prescriptionem cum mala fide & posset punire alio modo negligentes res,& tollere lites,ne essent immortales,scilicet,qui rem suam per tot,

C

Modus tollendi præscriptionem cū mala fide.

vel tot annos desineret possidere permittens venire ad quēlibet,nisi omnino haberet illam pro derelicta , ita vt primo occupanti concederetur, quod perderet rē,& applicaretur fisco, vel bonis communitatis, aut cogeretur illam curare, & mulctaretur in aliqua summa pecuniæ , eo quod interest reipublicæ, ne quis re sua male vtatur.Ad rationem primam in contrariam dicendum,quod Iephte allegauit prescriptionem contra regem Ammon, licet non esset ibi vere præscriptio,quia cum quis habet titulum qui confert dominium,

Ad rationes primi in diuersum

non potest præscribere rem,cuius titulum habet: sed Israelitę habebant terram Ammonitarum sub titulo iusto, vt declaratum est,supra scilicet Deo iubente possidere illam, ideo non præscribebant:quia tamen nemo prohibetur vti pluribus defensionibus, vt patet de regulis iuris in sexto, regula, nullus, pluribus poterat allegare Iephte præscriptionem, scilicet dato quod non staret titulus ex mandato Dei,adhuc de terra esset iam præscripta longissimo tempore scilicet trecentorum annorum: & tamen cum mitteret Iephte præscriptionem ipsa esset malę fidei , vt in casu si non fuisset acquisitus titulus per mandatum Dei,& tunc intelligebat Iephte, quod sufficiebat ei præscriptio malę fidei. Et tunc dicendū, quod ista non erat de iure diuino, sed de iure gentium: volebat tamen Iephte vti illa contra Ammonitas,sicut vtebantur aliæ gentes. Scriptura autem sacra non approbauit hanc præscriptionem, sed solum retulit quod Iephte illam allegasset se defendendo: & sic multa, quæ mala sunt, & falsa, ponuntur in sacra scriptura : quia illa recitat vt ab alijs facta & dicta, sic etiam ius canonicum refert,quod secundum leges procedit prescriptio cum mala fide, & tamen non approbat illam, extra de prescriptio. cap. vigilanti. Ad secundam rationem dicendum, quod punire delinquentes in bonum publicum: siue tollendo pacem politicam , siue diminuendo copiam rerum est de iure naturali, & tamen punire sic,vel sic est,limitatio iuris positiui, ideo potest taliter limitari, vt bona punitio sit: vel potest aliter determinari,& quia pœna , quę est per prescriptionem malę fidei inducit peccatum non est ponenda ad emendationem, sed dicendū, quod poterat aliter puniri delinquens in negligentia , scilicet imponendo sibi multam certam pecunię postquam tanto tempore neglexisset bona, vel quod applicarentur fisco illa sua: & sic nullus indebite , vel contra conscientiam aliquid acciperet.Et adhuc dato quod nullus esset modus puniendi istos sic delinquentes, potius deberet dimittere illos impunitos, quam pœnas infligere, in qua simul culpa foret.

Ad secūdam rationē

D

E

An mala fide præscribens haberi debeat tanquam raptor,vel sit minor in culpa.

Qvæstio LXII.

Qværetvr vlterius, an mala fide prescribens censeri debeat cum raptore, vel sit minor in culpa. Respondendum, quod ad hoc scienda est differentia inter furtum, rapinam, & vsuram: nam ista tria sic se habent per ordinem, quod furtum se habet plusquam rapina, & rapina plusquam vsura. De ratione furti sunt duo.Primum vsurpatio rei alienę. Sciendum est, quod sit occulta. Per primum istorum furtum includit rapinam,eo quod rapina est vsurpatio rei alienę 14.q.5.c.pœnale.Per secundum distinguitur ab ea, vt patet extra de furtis c.2.De ratione rapinę sunt tria. Primū est, quod sit vsurpatio rei alienę,&ex hoc extenditur ad vsuram, in qua vsurpatur aliquid , & etiam collocatur sub furto. Secundum est,quod vsurpatio sit sciente domino, & per hoc rapina differt in furto,& extenditur ad vsuram, in qua vsurpatur res supra sortem sciente domino. Tertium est, quod vsurpatio sit pœnitus violenta: & per hoc distinguitur ab vsura,in qua non est talis violentia.De ratione vsurę sunt tria. Primum est quod sit vsurpatio rei alienę. Secūdum quod sit sciente domino. Tertium quod sit per consensum aliqualiter coactum,vel nō simpliciter liberum 16.q.1. Merito quęritur. Quantum ad prima duo conuenit cum rapina, quantum ad tertium conuenit cum nullo. Nunc dicēdum, quod proprie loquendo non potest vocari prescriptor cum mala fide fur,vel raptor: quia peccatum prescriptoris est detinendo rem alienam , peccatum autem furis principaliter est vsurpando siue accipiendo, & non tenendo: nam dato, quod fur,vel raptor reperiatur in actu vsurpandi rem alienam vocabitur fur,vel raptor:&punietur pœna furis,vel raptoris,& tamen nunquam tenuit rem illam. Quod autem fur,vel raptor tenuerit aliquanto tempore rem raptam,&non constituit ipsum peccatum principaliter,sed quandam circumstātiam aggrauationis:quia tanto grauiora sunc peccata,quanto diutius infelicem animā detinent alligatam,extra de consuetudine,quia tanto,ideo punietur grauius magno tempore detinens, quam si capiatur in ipso actu furandi:prescribēs

Differētia inter furtū rapinam,et vsurā.

Duo sunt de ratione furti.

Tria sunt de ratione rapinæ.

F

Tria sunt de ratione vsuræ.

Tanto grauiora sunt peccata quāto diutius infelicem animā detinēt

A

autem mala fide non habet peccatum in accipiendo rem, sed in detentando: nam iste à principio bonam fidē habet, quādo rem capit: sed postea nascitur mala fides cū detētat, & tūc peccat. Istud autem est, nisi forte velles dicere, quòd præscribens mala fide secundum leges etiam à principio cum rem caperet mala fide cœpit: quia tunc nullo modo videtur differre, qui à principio habet malam fidem, sed debet habere à principio bonam fidem, & vocetur præscribens, & non fur: & postea debet oriri mala fides: ad hoc, quod dicatur prę-

Ad qu

scribere cum mala fide. Ex hoc autem patet, quod præscribens mala fide non debet puniri pœna furis, vel raptoris secundum legem, quæ punit fures: nam præscribere mala fide solum est peccatum contra conscientiam: & pacem politicam tollit, quam ipsa iura principaliter conseruare conantur: & si iura non punirent raptores, & fures, nullus pacifice aliquid possideret, & tolleretur omnis ciuilis societas, essetque bellum continuum, & consequenter omnes perirent cum nullus conaretur ad ampliandum bona, quæ non posset pacifice possidere. Qui autem mala fide præscribere conatur, conscientiam grauat: & tamen pacem publicam non perturbat: eo quod ille, qui sic perderet bona sua, non deberet imputare iniquitati alterius, qui prę-

B

scripsit, sed suę negligentiæ, quia non curauit repetere: ideo iuste perdit: & sic licet non debet permitti præscriptio cum mala fide, eo quòd est contra conscientiam, tamen qui sic præscripserit postquam priuatus fuerit re, qua conatus est præscribere, non punietur: sed relinquitur diuinæ prouidentiæ puniendus, quia multa talia lex humana non punit: & Deo punienda relinquit: sic ait Augustinus lib. de lib. arb. scilicet. Lex ista,

Deter. quæst.

quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedit, & impunita relinquit, quæ per diuinam prouidentiam vindicantur. Dicendum ergo, quod licet præscribens mala fide non possit directe locari cum raptore, vel fure, quia non turbat pacem, & grauat conscientiam simul sicut illi, sed solum conscientiam inficit: tamen interpretatiue, & quantum ad Deū

Siquid inuenisti, & nō reddidisti furtū commisisti.

fur, & raptor vocabitur, quia Deus principaliter intendit animum, & consequenter manum. Sic etiam intelligitur illud: si quid inuenisti, & non reddidisti, furtum commisisti 14. quæstion. quinta, si quid. Nec tamen est intelligendum, quod tantum puniretur apud Deum præscribens mala fide, sicut fur, aut raptor, quia cum plura, & maiora mala illi faciant, necesse est iusto iudicio plus puniri. Quod plura, & maiora faciant declaratum est: & tamen sicut fur, & raptor debent rectificare conscientiam suam restituendo rem alienam: ita & præscribens mala fide habens conscientiam infectam: non potest alio modo rectificari, nisi restituendo: ergo tenebitur ad restitutionem. Et hoc etiam sequitur, quod cum fur, & raptor nō possunt aliquo iure defendere sibi rem ablatam, sed tenentur indistincte ad restitutionem: ita & præscribens mala fide non habet aliquod ius ad defendendū

C

rem, quamquam fuerit longo tempore tempore possessio ad præscribendum.

An mala fides superueniens completa præscriptione vitiet eam, & faciat non valere, præscribens obligetur ad restitutionem.

QVÆSTIO LXIII.

QVÆRETVR vlterius, an mala fides aduenies completa præscriptione tollat prescriptionem vitiādo eam, & an sic præscribens teneatur ad restiturionem rei præscriptæ, sicut si præscripsisset cum mala fide. Ad hoc respondetur per Bernardum extra de præscriptionibus capitulo vigilanti, & communiter per omnes, quod non. Primò, quòd si compleatur prescriptio bona fide, tutus videtur præscribens non solum de iure ciuili, sed etiam de iure canonico, extra de præscriptione, capitulo de quarta. Secundò patet, quia si compleatur præscriptio durāte bona fide, factum est ius meum, quod erat alienum: ideo iam non habeo conscientiam iuris alienæ rei confirmatæ vtroque iure: ideo nec ad restitutionem rei meæ tenebor. Tertiò patet, quod nullus obligatur restituere quod iuste possidet: & tamen præscribens huiusmodi possidet iuste, quia iure, & quod iure fit, iuste fit 14. q. 4. quid dicā. Contra hæc tenet Gerardus de Senis August.

Opinio Bernardi, & communiter ōnium iuristarum
1. Ratio
2. Rat.
3. Ratio
2. Opinio Gerardi.

scilicet quod præscribens bona fide tenetur restituere, si postea finita præscriptione incipiat habere fidem malam: & dicit quod rationes in contrarium supra allegatæ concludunt in foro contentioso, sed non in foro conscientię. Et quando

D

Resp ad 1. rationē secūdū Gerardum de Senis

arguitur, quod ius canonicum facit aliquem tutū facta præscriptione quantum ad conscientiam, quia etiam illud loquitur in foro conscientię: respondet, quod istud intelligitur de illis, quæ possunt reduci ad vtrumque forum scilicet cōscientiæ, & litigij. & tamen in illis, quæ solum reducuntur ad forū conscientiæ, sicut nunc scilicet quod consideratur ad secundum cōscientiam teneatur restituere, secus erit: vnde solum secundum conscientiam iudicandum est. Ad hoc ipse facit tres rationes. Prima est, quia contra intentionem iuris dantis efficaciam bonę præscriptioni esset, si superueniens mala fides non noceret præscribenti, quia secundum hoc mala fides haberet fauorem à præcedenti præscriptione, cuius contrarium statuere intendebat scilicet quod eius cursus nullū fauorem præstaret malæ fidei. Secunda ratio, quia bona fides

1. Ratio Ratio Gerardi de Senis.

est fundamentum præscriptionis, & illi dat efficaciam, quo cessante cessat effectus eius scilicet dominium acquisitum, quia ad hoc, quod manet, oporteat semper manere bonam fidem, vt sic semper acquisitio, & duratio bonæ fidei conueniant fundamento naturalis iuris. Tertia ratio est, quia veritas semper est correctiua falsitatis, ergo correcta fide erronea per fidem veram superuenientem, omne secutum ex illa

2. Rat.

erronea fide est corrigendum: & sic prescriptio mutabitur in

E

non præscriptum, & tenebitur restituere, sicut si nō prescripsisset. Ad istas tres rationes videretur facere 3. tex. scilicet 34. q. 2. si virgo, & extra de præscriptione vigilanti: & de regulis iuris in 6. regula: peccatum. Ponuntur autē 3. opiniones circa hoc per Bernar. in gl. c. vigilanti. Prima est, quod teneatur restituere: & dicitur esse Theologorum. Secunda, quod non teneatur, & dicitur iuristarum. Tertia est media dicens, quod aut præscriptio causat ius in his, quæ sunt ex causa lucratiua, vt quod sola possessione nihil dando quis acquisiuerit ius in rebus alterius: aut habet ex causa onerosa, scilicet si emit ab illo, qui furatus est. Primò modo dicunt, quod teneatur restituere per malam fidem superuenientem. Secundò modo, quòd non. Sed istam distinctionem improbat Hosti. Dicit Ray. quod si absens præscribens conscientiam remordētem non satisfaciat, vel si dicit se de peritorum consilio conscientiam non habere, vel si quam habuit completa præscriptione dicit se ad illorum consilium deposuisse: consulit adhuc tenendam tutiorem viam scilicet quod restituat propter duplicitatis ambiguum: & maxime, quia non facile omnia, quę debent in præscriptione concurrunt. Sed si non acquieuerit, non audet illum ponere inter saluandos per superiores rationes, nec inter damnandos propter iura in contrarium: maxime, quia per vniuersum per quod Ecclesiæ potestas extenditur sic seruari videmus. Goffredus dicit opinionem Theo

F

logorum non esse de necessitate, sed consilium; ideo non necessario tenendam 14. q. 1. ca. quod præcipitur Hosti. dicit, qp si conscientia est erronea super hoc, & remordet, nec informatur ad dictum peritorum, sequi eam debemus: sic de sen. excom. cap. inquisitioni. & de Simo. c. per tuas 2. De opinione autem, quæ vocatur Theologorum dicit non esse Theologos istos, sed scrupulosos timentes, vbi tenendum non est. Dicit se de illis non esse, præsertim cum iure diuino possit fieri præscriptio. Inducit Leuit. 25. & quod finita præscriptione non habet conscientiam rei alienæ, sed suæ, quia iam facta est sua. Idem tenet Beatus Thomas de Aquino in quodam quolibet, dicens: Qui præscripsit bona fide, ad restitutionem non tenetur, licet sciat rem alterius fuisse. Istam opinionem tenent fere omnes iuristæ scilicet Ioan. Innocen. Goffredus & Ray. & Ioan. Andr. & addit quasdam allegationes in Mercuriali in regula possessor, sed non curo de illis. Sed potest esse ratio duplex ad confirmandum positionem istam, quòd non teneatur restituere, quam teneo. Et prima sit. Ius canonicum sequitur forum conscientiæ: & tamen vult, quòd finita præscriptione, si repetatur res præscripta, possit possessor se defendere præscriptione: & tamen manifestum est, quòd tunc possessori constat rem alterius fuisse, alioquin non defenderet se præscriptione, sed negaret titulum alterius, cum ipse non cogatur probare titulum possessionis suæ, quia non possidet cōtra ius commune: ergo vult,

Aliaopinio. 1.2.3.opinio principalis in hac materia. Cōfutatio. 3. Opi. per Hosti. 4. Opi. Ray.

Opinio Goffredi qua concidit cū prima. Hosti. opinio qua concidit cum r. Thoma opinio.

Vera ratio auctō. ad confirmandam positionem S. Thomæ & iuristarū

quòd

A quòd non sit contra conscientiam præscripta re bona fide, quòd aduenie nte postea conscientia rei alienæ teneatur ad restitutionem. Si autem aliquis dicat, quòd ius determinat ibi in foro contentioso, in quo multa sunt nobis concessa, quæ non conceduntur in foro conscientiæ. Dicendum, quòd non stat, quia ius canonicum non attendisset cõscientiam si forum contentiosum permisisset præscriptionem cũ mala fide, sicut permiserunt leges, cum sit ad vtilitatem reipublicæ vt declaratum est: & tamen non permittit: ergo sequitur conscientiam: & postea permittit imò statuit, quod completa præscriptione possit quis defendere excipiendo contra illum, qui probat rem fuisse suam: ideo non est contra conscientiam retinere rem sic præscriptam. Secunda ratio. Qui præscribit aliquo tempore, facit rem suam acquirẽdo dominium vtile, vel directe: si facit rem suam impossibile est, quòd habeat eam iniustè, quia nemo iniustè potest possidere, quod suum est: si autem non est sua: ergo causatum nõ est dominium per præscriptionem, quod falsum est. Si autem dicas, lex potest facere aliquem dominum, & tamen nõ iustè. Dico, quòd includit cõtradictionem, quia lex, vel potestas principis potest alicui dare rem, ita quod nullus audeat eam repetere, quòd tamen iustè possideat, non potest efficere voluntas principis, aut lex, nisi ratio ipsa hoc agat: & tunc aut præscriptio egit, quòd iustè iste efficeretur dominus, aut non: si iustè, non potest iniustè vnquam possidere, nisi efficiatur res alterius: si autem non iustè effectus est dominus, non differret inter præscriptionem cum bona fide, & mala fide. Item, qui rem præscribit, si nunquam haberet conscientiam rei alienæ, semper esset verus dominus, & de hoc nullus dubitat: completa præscriptione, non potest tenere contra conscientiam rem præscriptam, nisi forte dicatur, quòd conscientia rei alienæ nouiter veniens conferat dominium: sed hoc falsum est, quia rem fuisse alterius aliquando nõ dicit aliquam obligationem ad aliquid agendum, nec etiam dicit aliquod ius, quia eodẽ modo cum emerim aliquam rem, si recolo illam fuisse alicu us tenerer ad restitutionem, quia ita effecta est semel mea res, quam præscripsi durante bona fide, sicut res quam emi. Item si aduenie nte tali fide post cõpletam præscriptionem tenerer restituere rem, aut tenerer restituere illi, qui possedit eam primò, vel alteri: sed neutri, ergo nulli. Paret hoc, quia res non est restituenda, nisi habẽti ius in illa, alioquin ipse fur, vel raptor, qui non habet ius, posset tenere rem: sed completa prascriptione cum bona fide desinit habere ius ille cuius erat primò res: alioquin prascriptio fidei bonæ nullo tempore cõstitueret verum dominium ergo necesse est, quòd aduenie nte isti conscientia rei alienæ ille acquireret dominium, & iste perdet: sed non est aliquid, per qꝑ ille acquirat plus dominium in re, quam quilibet alius, cum iam totaliter desierit habere ius: ergo non magis est tutio fieri debet isti, quam alteri: sed quod alteri nõ debet fieri manifestum est: ergo etiam non fiet isti. Sed obiicietur, quòd perdat iste dominium per hoc, quòd aduenit ei fides de re aliena, quia sic est in præscribendo: nam dũ non habet fidem rei alienæ præscribit, & quando habet fidem illius, nõ præscribit. Respondendum, qꝑ nõ est simile propter duo. Primò, quia fides ante præscriptionem finitã de re aliena est mala fides, eo quòd res ad alium pertinet tunc: post præscriptionem autem conscientia rei alienæ nõ est mala fides, quia res effecta est possessoris. Secundò patet, & efficacius, quia fides bona, vel mala non constituebat dominium, nec tollebat dominium: nam dato qꝑ ante finitam præscriptionem haberet quis bonam fidem, nõ erat ex hoc dominus, & dato qꝑ haberet malã fidẽ, nõ desinebat esse dominus: sed lex est, quę faciebat eũ dominium finita præscriptione: sed aduenie nte fide huiusmodi post cõpletam præscriptionem nulla lex est, quæ tollat dominium, sicut fuit aliqua, quæ cõferret prę scribendo: ergo non poterit desinere esse dominus. Dicendum ergo, quòd nõ tenetur restituere aduenie nte huiusmodi fide completa præscriptione. Etiam debet negari positio casus. s. quod finita præscriptione cum bona fide, potest alicui aduenire mala fides: nam quod completa præscriptione cõperiat rem alterius fuisse, nihil magis est, quam post emptionem sciat rem emptam fuisse altarius antequam eam emeret. Etiam non debet concedi, quòd completa præscriptione possit quis habere conscientiam rei alienę: sed potest habere cõscientiam, qꝑ res aliquando fuit aliena, & nunc est vere sua, quòd nihil obstat. De hac materia plura dixi in quadam repetitione, cuius principalis quæstio erat an teneremur restituere res præscriptione quæsitas: & ibi vide illa, quæ dixi.

1. Rario

2 Rat.

Resp. suæ dam ad ratione Conf. 1

B

Secunda.

C

Tertia

Deter. quæst. Per hoc respondetur facili er ad motiua Geraldi de Senis.

D

Auctor facit repetitionem præscriptionis, quæ nõ apparet, sicut multa alia opera eius.

Chronica temporalium euentuum sub Abimelech, & Thola, & Iair iudicibus Israel.

QVÆSTIO LXIV.

CHRONICAM temporaliũ euentuum hic inseremus, quam ex morte Gedeonis omisimus. Huic successit Abimelech filius eius ex concubina anno ab exitu de Ægypto ducentis quadraginta completis, & fuit tribus annis rex in Sichem: quem odiosum habuerunt Sichimitæ. Huius tempore in Græcia inuentum est musicum instrumentum, quòd vocatur Chorus, & dicit Strabus esse pellem cum duabus cicutis æris, per alteram inspiratur, & per alteram reddit sonum, & scribitur secundum quosdam sine aspiratione. Pro voce autem canentium, & mensura, & vento cum Ch aspirato: sic ait historia scholastica. Chronica temporalium euentuum sub Thola, qui successit Abimelech, de quo habetur præcedenti cap. Iste cœpit iudicare Israel anno ab exitu de Ægypto ducentesimo quadringentesimo tertio, & iudicauit annis 23. cuius tempore secundum quòd refert historia scholastica, Hercules vicit Anthæum in palestra, & Ilium vastauit: Bellum fuit inter Laphitas, & Centauros, quos Palefactus in libro de incredibilibus nobiles fuisse scribit equites Thessalorum. Priamus Laomedontis filius regnauit in Troia: Androgeus Athenis dolo interficitur, & Theseus in agone Minotaurum occidit, propter quod Athen. pueri tributarij pœna liberati sunt. Fuit autem, vt quidam aiunt, inhumanus, & valens in palestra ingratiatus Minois, quasi Minois taurus, id est carnifex. Sciendum autem, quòd Paulus Orosius primo de Ormesta Mundi, dicit hoc bellum Laphitarum, & cẽtaurorum, & bellum Thesei, & Minotaurij prius fuisse scilicet anno 27. præsulatus Gedeonis, vt declaratum est supra 8. sed modicum differt. Sciendum autem, quòd iste raptus Helenæ, qui hic ponitur non fuit quando eam rapuit Paris filius Priami, propter quem surrexerunt bella Troiana: sed de raptu Thesei, qui iterum eam prius rapuit. Etiam bellum Troianum, de quo hic dicitur: non fuit istud quod accidit tempore Priami, quòd fuit sub Agamemnone euntibus 50. regibus Græcorum, sed de bello, quod fecit Hercules, & Thelamon cõtra Laomedontem: postea autem fuit aliud bellum, quod decem annis durauit: in quo Troia exisa est. Sed adhuc istud bellum vult Paulus Orosius postea fuisse: sed adhuc de raptu Helenę Theseo melius sub Iair esse volunt. Chronica temporalium euentuum sub Iair, qui cœpit præsidere anno ab exitu de Ægypto ducentesimo sexagesimotertio, & præfuit annis 22. vt patet præced. c. huius tempore verius Helenam à Theseo raptam asserunt, quam postea recuperauerũt fratres eius Pollux, & Castor captiuando matrem Thesei, eo peregre profecto.

E

Chorus in Græcia inuentus tempore Abimelech

Chronica temporaliũ euentuum sub Thola.

Opinio de Minotauro.

De raptu Helenæ.

F

Chronica temporaliũ euentuum sub Iair.

CAPVT XII.

ECCE autem in Ephraim orta est seditio: nam transeuntes contra Aquilonem dixerũt ad Iephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, vt pergeremus te cum? Igitur incendemus domum tuã. Quib⁹ ille respõdit: Disceptatio erat mihi, & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocauiq́, vos, vt praberetis mihi auxilium, & facere noluistis. Quod cernens posui animam meam in manibus meis: transiuiq́, ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, vt aduersum me consurgatis in prælium? Vocatis itaque ad se cunctis viris de Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntq́, viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitiu⁹ est Galaad de Ephraim,

Primus hector, paris, & reliqui filij clarent.

Helena Troiani belli causa ràditur.

A

& habitat in medio Ephraim, & Manasse. Occupauerunt Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero fugiens, atque dixisset: Obsecro vt me transire permittas, dicebant ei Galaaditæ: Nunquid Ephrateus es? Quo dicente: non sum: interrogabant eum: Dic ergo schiboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat Siboleth: eadem litera, spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu. Et cæciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia Iudicauit itaque Iephte Galaadites Israel sex annis, & mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad.

Troia obsidione cingitur.

Ecce autem. Descripta in præcedentibus tribulatione, & liberationis modo: hic ponitur impetus seditione, scilicet quia per istam pugnam cum Ammonitis facta est quædam seditio in Israel. Primò seditio describitur. Secundò trium iudicum tempus succinctè subditur ibidem. *Post hæc iudicauit.* Illa pars diuiditur in tres partes secũdum quod fuerunt tres iudices: partes per se satis patet.

B

An in his sit aliqua mutatio ordinis, & an fuerint immediatè facta.

Qvæstio I.

Qværetvr, an ea, quæ habentur hic descendant à præcedentibus ordine continuato, vel sit aliqua mutatio ordinis, an fuerint facta immediatè post illa, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quòd fuit hic continuatio ordinis: nam supra ponebatur principium iudicaturæ Iephte, scilicet quomodo institutus est & immediatè contra Ammonitas pugnauit Hic autem subditur de seditione quam postea factus iudex habuit. Etiam ista seditio orta est, quia non vocauit Iephte Ephrateos ad bellum contra Ammon, vt ipsi asserebant: ergo fuit post bellum illud. Ad secundum dicendum, quòd videtur, quòd immediatè factum fuerit post præcedentia de bello Ammonitarũ: nam Ephratei moti sunt contra Iephte, quòd non vocasset illos ad bellum, ideo credendum est, quòd immediatè persequerentur iniuriam suam mouentes istud bellũ, quia si magno tempore post moueretur, non viderentur esse ad propositum talis commotio, cum non haberet aliquam causam recentem. Sicut etiam Ephratei moti sunt cõtra Gedeonem, quia non vocauit eos ad bellum contra Madianitas: & tamen illud fuit immediate, vt finitum est bellum, vt supra 8. cap. & sic esset hic. *Ecce autem in Ephraim orta est seditio.*

C

Non est intelligendum, quod Ephrathæi inter se haberent istam seditionem, quod contra Iephte tumultuabantur: sed dicitur in Ephraim, id est de Ephraim, scilicet, quia si mouerent eam præcedentes contra Iephte. *Nam transeuntes contra Aquilonem dixerunt ad Iephte.* Id est postquam iniram inter se succensi sunt contra Iephte, venerunt ad eum in terram suã Galaad tumultuandum contra ipsum, quasi ad eo iniuriam susceperint. Et dicitur, q̃ iuerunt contra Aquilonem, quia habitabant Ephrathei ad partem meridianam respectu Iephte: nam Iephte erat in terra Galaad in vrbe Masphad, vt patet præcedenti capit. Ista vrbs erat ad latus septentrionale terræ Israel: sors autem Ephraim erat magis meridiana, eo quod erat circa sortem iuda, & Beniamin, quæ erant maxime meridianæ: & ad veniendum ad locum Iephte descendebant ad Aquilonem, & aliqualiter ascendebant versus Oriẽtem: vnde transierunt Iordanem: & ob hoc postea in regressu tenuerunt Galaaditæ vada Iordanis, & ibi occidebant Ephrateos.

Quare Ephratei tumultuabantur contra Iephte.

Qvæstio II.

Qværetvr, quare Ephratei tumultuabantur contra Iephte. Respondendum, quod erant valde superbi, & nolebant, quod aliquis haberet honorem, nisi ipsi, & quia tunc Iephte consecutus fuerat victoriam magnificam, & ipsi non consecuti fuerant aliquam partem gloriæ, doluerunt nimis, & ob inuidiam voluerunt deijcere ipsum Iephte, & quesierunt occasionem pugnandi contra eum dicentes, quòd non vocauerat eos ad bellum, licèt in hoc mentirentur: sic enim quando Gedeon processit contra Madianitas, & non vocauit eos, postea iurgati sunt valde contra ipsum, ita vt vellent vim facere supra 8. cap. Et sciendum, quòd nulla alia tribus venit nunc contra Iephte, nisi tribus Ephraim, eo quòd viri de ista tribu erant magis superbi, quàm omnes viri de alijs tribubus, & sic tam contra Iephte, quàm contra Gedeonem ipsi soli iurgati sunt. Alia ratio specialis inuidiæ esse potest, quia Ephratei valde inuidebant filijs Manasse, & quia Iephte erat de filijs Manasse, doluerunt specialiter de victoria illi concessa. Sciendum autem, quòd Manasse, & Ephraim erant fratres, & Manasse erat primogenitus Ioseph sicut patet Gen. 48. Iacob tamen in benedictione præposuit Ephraim ipsi Manasse, & postea erat maioris honoris in actibus publicis tribus Ephraim, quàm Manasse: nam tribus Ephraim habuit vexillum, sub quo erat tribus Manasse: Nu. 2. cap. & princeps filiorum Ephraim prius obtulit in consecratione sanctuarij, quàm princeps Manasse: Num. 7. cap. & sic de cæteris: Manassitæ autem, quia secundum carnem ipsi erant de linea primogeniti, conabantur se superponere Ephrateis, & ex hoc nascebatur magna inuidia, & contentio inter eos, nec aliquæ duæ tribus tantum sibi inuidebant in toto Israel, sicut istæ duæ; ideo quando Manassitæ, qui minores erant, & æmuli Ephrateorum, faciebant aliquid glorioſum, dolebant valde Ephratei: & sic fuit quando Gedeon, qui erat de stirpe Manasse obtinuit contra Madianitas: nam tunc nulla tribus iurgata est contra eum, nisi Ephraim, supra 8. cap. nunc etiam Iephte erat de dimidia tribu Manasse, quæ erat ad Orientem Iordanis, quod patet, quia vocatur Galaadites, & tamen medietas terræ Galaad data est medietati tribus Manasse Deuter. 3. & sic inuiderunt valde ei plusquam si fuisset de alia tribu, & quia nulla tribus habebat specialem inuidiam contra Manasse, nisi tribus Ephraim, ipsi soli pugnauerunt contra Iephte: istud procedit dicendo Iephte fuisse de tribu Manasse. Aliqui tamen volunt eum fuisse de tribu Gad, quia vtraq; tribus habebat medietatem terræ Galaad, sed magis dicendum est fuisse de tribu Manasse, quàm Gad, & hoc communius tenetur.

D

Ephraita superbissimi, & inuidi.

E

Quare Ephraitei cupidi gloriæ non iuerunt ad bellum, vt victoriam obtinerent, sicut Iephte.

Qvæstio III.

Vlterivs quæretur, cùm Ephratei essent cupidi gloriæ, quare ipsi non iuerunt ad bellum, vt obtinerent victoriam, & gloriarentur, sicut Iephte: nam cùm vocati essent à Iephte ire noluerunt, vt patet infra. Respondendum, quòd fuit propter duo, primum fuit, quia timuerunt Ephratei, quòd nõ possent habere victoriam: nam Ammonitæ vsque nunc fuerant potentes nimis, & premebant valde Israelitas, non solùm habitantes in terra Galaad, sed etiã interdũ transibant Iordanem, & vastabãt sortem Iudę, & Ephraim supra supra 10. & nõ poterant resistere eis Ephratei, ideo nunc timuerunt pugnare contra eos, & sic non venerunt quamquam vocarentur. Secundum fuit ex magna dedignatione: nam cum Ephratei essent valde superbi, & inuidi contra Manassitas, dedignabantur Iephte Manassitam esse decem eorum, quia si quid boni agerent, totum imputaretur Iephte, & si paterentur mala, essent omnibus communia, ideo noluerunt ire nunc: quando viderunt autem, quod Iephte obtinuisset tam magnificam victoriam, doluerunt valde, quod ipsi ascriberetur victoria.

F

Quare cum Ephratei tumultuati fuerunt contra Gedeonem ex simili causa cessauerunt: & nunc non cessauerunt, sed intulerunt bellum.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius, quare cum Ephratei tumultuati fuerunt contra Gedeonẽ ex simili causa cessauerunt, & nunc non cessauerunt? sed intulerunt bellum. Respondẽdum, quod Ephratei valde irati sunt cõtra Gedeonem: sicut nunc contra Iephte, & iurgabantur acriter, ita vt iam vellent vim inferre supra 8. & tamen placauit eos Gedeon verbis: hic autem placari nõ potuerunt, & hoc fuit propter duo. Primũ erat, quia Gedeon locutus est eis verba valde dulcia, ascribẽdo eis totam victoriam, & sibi nihil, vt supra 8. scilicet: Quid enim tale facere potui quale vos feciſtis? nõne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? in manus vestras tradidit dominus principes Madian: excusando se quod vocauissent eos, & venire contempsissent: sed nunc Iephte non laudauit eos plusquam se: ideo non potuit quiescere superbia eorum, quia nihil fuit quod eorum impetum mitigaret. Secũdum fuit, quia quando litigabant contra Gedeonem: ipsi egerant aliquid quod erat vere laudabile, scilicet quod occidissent Oreb, & Zeb princeps Madian, licet maiora egisset Gedeon, & cum laudaret eos Gedeon, & viderent se egisse aliquid, de quo possent vere laudari, gloriati sunt, & potuit cessare eorum impetus: nunc aũt nihil glorioſum egerant, quia non iuerant ad bellum, ideo etiam si laudasset eos Iephte, satis non possent contentari, vt cessaret tumor illorum. *Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum?* Istud posuerunt pro occasione filij Ephraim ad pugnandũ contra Iephte, & tamen mentiti sunt, quia Iephte vocauit eos, vt patet infra, & vocati noluerũt venire. Sed adhuc dato quod noluisset vocare eos Iephte ad bellum, non grauabat eos, sed potius faciebat gratiam: nam ipse erat princeps populi, & poterat vocare quos vellet ad bellum dimittens alios. Etiam quando Iephte fecit istud bellum contra Ammonitas: erat constitutus solum princeps super terram Galaad, vt patet præced. cap. sed non super reliquum Israel: ideo non vocans de aliis quam de Galaaditis non male agebat, quia nolebat imperare, nisi subditis suis. *Incendemus igitur domum tuam.* Iniuste agebant, quia nullam iniuriam, aut damnum eis inflixerat Iephte: & dato quod inflixisset, non debebãt ipsi propria auctoritate inferre bellum, sed ex sentẽtia iudicum de domo consilij teneretur Iephte respondere, & satisfacere viris Ephraim. *Quibus ille respondit.* Non tenebatur Iephte respondere verba tam mollia, quia poterat dicere nolui vocare vos, quia non tenebat, vel quia non eratis populus meus: sed quia vidit eos iratos nimis, vt non daret occasionem bello, & effusioni sanguinis, tacuit ab his, & respondit verba mollia: nam responsio mollis frangit iram: & verbum durum suscitat furorem: Prouerbiorum. 15. *Disceptatio erat mihi, & populo meo vehemens contra filios Ammon.* Id est pugna grauis, vel vocatur disceptatio, id est altercatio, quæ non est bellum sed origo belli, & sic fuit hic: nam contendebant Ammonitæ, & Israelitæ super terra Galaad petẽtibus Ammonitis eam sibi reddi, Galaaditis vero respondẽtibus non deberi, & ista disceptatio erat terminanda bello, & ad hanc vocauit Iephte Ephraitas, & venire noluerunt, & vocatur vehemens disceptatio, quia erat quęstio de tota terra, quam tenebant Galaaditæ quòd perderent eam. In Hebræo dicitur. *Vir contentionis fui ego, & populus meus.* Scilicet ego & populus meus eramus in contentione cum Ammonitis: & idem est quod litera nostra, & dicitur: ego & populus meus, quia terra Galaad iam erat subiecta Iephte, eo quòd fecerant eum principem præcedenti cap. & non vocauit aliã terram, vel populum suum. *Vocauique vos vt mihi prestaretis auxilium.* Scilicet antequam inciperet, vocauit Ephrateos, vt venirent ad iuuandum eos, quia erant fratres sui, & noluerunt venire. *Et facere noluistis.* Scilicet, quia contempserunt ire sub principatu Iephte, qui erat Manassita. Etiam, quia timebant se non posse obtinere contra Ammonitas. *Quod cernens, posui in manibus meis animam meam.* Id est videns, ꝙ vos nolebatis me adiuuare, posui animã meã in manibus meis, id est posui me ad periculum. Vel posui terram meam in potestate manuũ mearum. s. ꝙ si bene pugnarem, anima mea, id est vita mea liberaretur: si autem male, periret anima mea: quasi dicat: si vos venissetis in adiutorium meum, nõ solum esset vita mea in manibus meis: sed etiam in vestris: quia tamen nõ iuistis, fuit anima mea in manibus meis solum. *Transiui ad filios Ammon.* Scilicet iui ad locum, in quo castrametabantur, vt pugnarem cõtra eos. *Tradiditq; eos in manus meas dominus.* Id est licet solus cum populo meo pugnarẽ, Deus tradidit Ammonitas in manus meas sine adiutorio vestro, & occidi fugauique illos. In Hebræo habetur. *Et non saluastis me de manibus suis.* Vbi litera nostra dicit, & posui animam meam in manibus meis, scilicet, quia vos noluistis me saluare, id est venire ad me adiuuandũ: posui animã meã in manibus meis: *Quid commerui, vt aduersum me consurgeretis in prælium?* Quasi dicat, cum ista sit veritas facti, vt vos nostis: quid mali ego commerui vobis, vt cõsurgeretis ad pugnandum cõtra me, sicut contra hostem? In Hebræo habetur. *Cur ascenditis contra me ad bellandum?* Et est litera breuior, sed idem significat. *Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad pugnabant contra Ephraim.* Non est intelligendum, quòd Iephte vocauerit viros Galaad ad pugnandum contra Ephrateos eundo in terram illorum, sed subintelligendum, quòd cum nunc dixerint Ephratei, ꝙ volebant incendere domum Iephte, ita continuauerint: Iephte autem defendit se cum viris, qui erant in vrbe sua Masphad: & iterum misit ad vocandum omnes Galaaditas, quibus ipse specialiter præerat, & venientes occupauerunt vada Iordanis, ne possent transire Ephratei fugientes, & pugnatum est contra Ephrathæos existentes in terra Galaad, quòd patet: quia si Ephrathæi iam rediissent in terram suam: non iussisset Iephte occupari vada Iordanis: nam Ephrathæi erant ad Occidentalem partem Iordanis, & non oportebat, quòd transirent Iordanem ad aliquam partem, & cum nunc veniebant ad vadum Iordanis, & petebant transitum, & ibi occidebant eos Galaaditæ, ergo erant in terra Galaad, & ibi pugnabant contra Iephte, & postea vocatis Galaaditis pugnauit ibi Iephte contra illos. Ista vocatio Galaaditarum fuit, quia dum Ephrathæi forte obsiderent ciuitatem Masphad, in qua habitabat Iephte, & ipse se defendebat: mitteret nuncios per totam terram Galaad, vt venirent in auxilium contra Ephrathæos. *Percusseruntq; viri Galaad Ephraim.* Istud fuit pugnando in terra Galaad, & postea Euphrathæi videntes se impares viribus Galaaditis fugerunt, vt transirent per vada Iordanis in terram suam, & iam erant occupata vada Iordanis. *Dixerunt: fugitiuus Galaad de Ephraim.* Id est dixerũt velut improperium Ephraitæ de Galaaditis, fugitiuus est Galaad de Ephraim, id est fugit à facie Ephraim, & ob hoc concitati sunt grauiter ad bellum Galaaditæ, & percusserunt Ephrathæos. *Habitabat in medio Ephraim, & Manasse.* Id est & tamen Galaad habitabat in medio Ephraim, & Manasse, quia terræ istæ erant cõiunctæ. Alij exponũt de Iephte scilicet quòd dixerunt Ephrathæi in improperium Iephte: fugitiuus est Galaad id est Iephte Galaadites scilicet quia fugatus fuit à fratribus suis tanquam ignobilis, & nunc principatur, ideo non est dignum huic viro tam ignobili subiici. Sed non stat expositio, quia dicitur: fugitiuus est Galaad de Ephraim, & tamen Iephte non fugatus est ab Ephrathæis, sed à fratribus suis Galaaditis. Aliter exponit Nicolaus. Fugitiuus Galaad, id est Galaaditæ sunt populus contemptibilis, & nullius valoris comparando ipsi Ephraim, & Manasse, & istud erat improperium, ideo suscitabantur in bellum ipsi Galaaditæ contra Euphrathæos tanquam ab ipsis contempti: sed magis conuenit literæ nostræ alius sensus, qui ponit, & habitabat in medio Ephraim, & Manasse. In Hebræo habetur. *Fugientes ab Ephraim vos ò Galaad in medio Ephraim in medio Manasse.* Et super hanc literam vult fundare Nicolaus sensum præcedentem, eo quòd non ponitur in illa, habitabat. Sed non conuenit, quia necesse est, quòd intelligatur habitabat ex habitudine literæ, vel aliud verbum: fugientes ab Ephraim, vos ô Galaad, id est Galaad est fugiẽs à facie Ephraim scil. non potens sustinere bellum illius. In medio Ephraim, & Manasse, id est tamen habitabat Galaad in medio Manasse, & Ephraim scil. circa Ephraim, & Manasse: accipitur hic Manasse pro dimidia tribu Manasse, quæ habitabat ad Occidentalẽ partem Iordanis, quæ erat iuxta fortẽ Ephraim

Nicolai expositio literare probatur.

A Iosue 17. nam alia medietas Manasse tenebat medietatẽ terrę Galaad, & contra istos erat nunc bellum Ephrathæorum, & contra tribum Gad, qui erant Galaaditæ. *Occupauerunt que Galaaditæ vada Iordanis.* Iordanis est fluuius magnus pontem non habens, & vada rara scilicet circa Herico: ideo Galaaditæ iuerunt ad illum locum, vt occuparent vada, scientes, qꝓ Ephrathęi non possent in terram suam ire per alium locum, quia non erat pons, nec puppis ad transeundum alibi. *Per quæ Ephraim reuersurus erat.* Scilicet, quia sciebant Galaaditæ nulla alia vada esse, per quæ redire possent in terram suam, etiam si vellent: & dicitur hoc, quia manebant nũc Ephrathæi pugnantes contra Iephte, & quædam pars Galaaditarum venit ad auxilium Iephte, alia vero occupauit vada Iordanis, & cũ Iephte prævaleret contra Ephrathæos fugiebant ad Iordanem, vt transirent, & ibi iugulabantur. *Cumq; venisset ad ea de Ephraim numero fugiens.* Id est Galaaditis tenentibus vada, veniebãt aliqui fugientes de numero Ephraim id est de numero Ephraitarum, qui transierant ad pugnandum contra Iephte, quia fugabantur à Iephte, & veniebant ad vada Iordanis. *Atque dixisset: obsecro, vt me permittas transire.* Id est veniebant Ephrathæi diuisim, sicut fugiebant de bello, & quia multi Galaaditæ erant tenentes vada, non poterant sine licentia illorum transire Ephrathæi, & dicebat: obsecro, vt me transire permittas. *Dicebant ei Galaaditæ: nunquid Ephrathæus es?* B Hoc quærebãt, quia Ephrathæi erant hostes, & nolebãt permittere aliquem transire, sed iugulare omnes. *Quo dicente non sum.* Omnes negabant se Ephrathæos ne occiderentur, quia sciebant ad hoc se interrogari, an essent Ephrathæi. *Dicebant ei, dic ergo Schibboleth.* Hoc dicebant ad experiendum eos: nã si Ephrathæus esset, non posset dicere Schibboleth per eãdẽ literam, & prolationem, qua dicebant Galaaditæ. *Quod interpretatur Spica.* Istud non est in Hebræo, sed posuit Ieronymus ad ostendendum significatum illius nominis, in quo experiebantur Ephrathæi. *Qui respondebat Schibboleth eadem litera, Spicam exprimere non valens.* Id est non dicebant Ephrathæi Schibboleth: quia nõ poterãt dicere: sed dicebãt Sibboleth, & sic solũ errabant in vna litera, quę erat in principio dictionis. Nicolaus dicit, quod Schibboleth est ęquiuocum ad Spicam, & ad impetum aquæ fluentis, & quod Galaaditæ accipiebant Schibboleth pro impetu, eo quod apud aquam experiebantur ipsos Ephrathæos, sed plurimi exponũt Schibboleth pro Spica, quam pro impetu aquæ: sed dato, quod vtrumque significet hic, non magis pro vno, quam pro alio accipiebatur, eo quod non attendebatur hic significatum vocis, sed ipsa vox, an possent eam proferre Ephrathæi.

Quis modus experiendi erat, quis esset Ephrathæus per prolationem literæ.

Qvæstio V.

C Qværetvr, quis modus experiendi erat iste ad cognoscendum Ephrathæos. Respondendum, quod erat in prolatione vnius literæ, quam poterant proferre alij Israelitæ, & non Ephrathæi. Pro quo sciendum, quod apud Hebræos sunt tres literæ loco, literæ nostræ, s, quantum ad officium: licet in asperitate sonoritatis nimis differunt scilicet Sin, Samech, quam ipsi, cama, vocant, & sade, quam ipsi, cadi, vocant: prima scilicet Sin est fortis sonoritatis, siue ponatur in principio dictionis, siue in fine, sicut litera nostra, s, quãdo ponitur in principio, vel fine lectionis, quia licet ponatur simplex: videtur duplata in sono, Samech, siue cama, habet sonum debiliorem qualem faciunt in litera nostra, s, illi, qui habent linguam Blesam, quia non possunt pronunciare illam cum tota sua grauitate, vel asperitate prolationis, & assimilatur sonus eius literæ, c. Sic aũt erat in Ephraitis: nã ista dictio Schibboleth habet literam Sin in principio cum aspera pronunciatione. Ephrathæi vero non poterant proferre Schibboleth cum Sin, sed proferebant cum Samech, ita vt dicerent Sibboleth. Sic autem est in quibusdam nominibus idiomatis nostri: nam Agareni non possunt proferre, sicut nos, licet iam linguam nostram nouerint: erant autem omnes Ephrathæi Blesi, vel per corruptionem proferebant, ita vt non possent pronunciare cum Sin: dicentes Schibboleth. Istud autem cognitum erat apud omnes Israelitas scilicet Ephrathæos non bene pronunciare: ideo experiebãtur eos in hoc. Sed sciendum, quod ista experictia erat valde periculosa, quia sicut erant omnes Ephrathæi Blesi, contingeret aliquem de aliis tribubus Blesum esse, & non pronunciare Schibboleth, & occideretur innocẽs. In Hebræo habetur. *Et non intelligebat loquendum sic.* Vbi dicit litera nostra: eadem litera spicam exprimere non valens, & idem est. Dicitur aũt. *Et non intelligebat ad loquendum sic.* Id est non poterat sic loqui scilicet sicut Galaaditæ, qui proferebant Schibboleth cum Sin, & Ephrathæi cum Samech. *Statimq; apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu.* Scil. cum non posset dicere Schibboleth, non quærebant aliam probationẽ contra ipsum, sed tanquam notorie Ephraitam occidebant. *In transitu Iordanis.* Id est apud vada. *Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.* Scilicet dum durauit istud bellum, & computantur isti tam in illis, qui cęciderunt pugnando contra Iephte, quam in illis, qui apud vada Iordanis occidebantur.

Apud Hebræos tres sunt literæ loco nostræ literæ, s.

Ephrathæi erant omnes Blesi.

An occisio quam fecit Iephte in Ephratæis iusta fuerit.

Qvæstio VI.

Qværetvr, an ista occisio quam fecit Iephte in Ephrathæis iusta fuerit. Respondendum, quod occisio est iusta, si bellum est iustum, fuit autem bellum iustum Iephte, qui erat ad defensionem: nam Ephrathæi venerunt ad incendendum domum Iephte sine causa, ipse autem defendit se solum, & vocauit in adiutorium suum Galaaditas: omnis tamen concertatio, & occisio, atque vulneratio facta ad defendendum licita est: vnde nõ solum poterat pugnare Iephte vsquequo securus esset de Ephrathęis, sed etiam vsquequo cos excluderet de terra sua, in qua iniuriose intrauerãt: vnde de viris Ephrathæis, quos occidit Iephte defendendo se & pugnando: non est dubium quin iuste egerit. Sed de illis, qui iugulati sunt ad vada Iordanis cum iam fugerent, qui erant valde multi, est dubium an potuerint licite occidi. Respondendum, quòd isti non poterant iam occidi per modum defensionis, quia iam fugiebant de certo bello, sed poterant occidi licite alio modo, scilicet repetendo vindictam iniuriæ: nam præter hoc, quod deberet Iephte se defendere, & occidere quos posset isto modo competebat ei repetitio iniuriarum scilicet quia illi valde iniuriati fuerãt ei introcũdo in terram eius, & mouendo bellum iniustum contra cũ: istam iniuriam poterat repetere Iephte infligendo bellum: ideo nunc in vindictam iniuriæ poterat occidere Ephrathæos quos reperiebat in terra sua. Sed adhuc dicendum, qꝓ iniuria Iephte erat maior ex alio capite, scilicet, quia ipse erat princeps, & iudex Israelitarum, & subditi sui monebantur contra ipsum, per quod videbantur incurrere quasi in crimine læsæ maiestatis, & ipse Iephte, quia iudex erat, poterat iubere infligi eis magnam pœnam scilicet quod occiderentur omnes, & etiam publicarentur bona eorum solum tamẽ occisi sunt illi, qui reperti sunt contra Iephte: ideo sententia iudicis recte condemnabantur. Credẽdum autem est, quod Iephte iusserit Galaaditis occupantibus vada Iordanis, qꝓ occiderent omnes Ephrathæos transeuntes, & sic licebat eis. *Iudicauit q; Iephte Galaaditesex annis.* Id est præfuit sex annis computando à tempore quo ductus est de terra Tob vsq; ad mortem eius: nam ille, qui semel erat iudex, nũquã priuabatur potestate illa. *Mortuusq; est.* Scil. post illos sex annos. *Sepultusq; est in ciuitate sua Galaad.* Id est sepultus in ciuitate sua, id est in qua morabatur, quæ erat Masphad præced. capit. & ista erat ciuitas Galaad, id est in terra Galaad. Nicolaus dixit prędcedenti cap. quòd accipiebatur hic Galaad pro nomine ciuitatis scilicet in ciuitate sua Galaad, id est in ciuitate sua, quæ vocatur Galaad. In Hebræo habetur. *Sepultus est in ciuitatibus Galaad.* Et exponũt quidam Hebræi, qꝓ Iephte propter hoc, qꝓ noluit cõsulere sacerdotem Phinees super voto de immolatione filiæ suæ, & immolauit illam: Deus fecit eum computrescere, & diffecabantur partes corporis eius ab inuicem, & sponte cadebant, & sic sepeliebatur vna pars in vna ciuitate, & alia in alia, & sic fuit sepultus in multis ciuitatibus Galaad: sed istud improbatum est præcedenti capitulo. Ideo exponit Rabbi Dauid Kimhi, quod sepultus est in ciuitatibus Galaad, id est in vna de ciuitatibus Galaad, & sic exponit qꝓ habe-

D *Litera in Hebræo.*

E *Nicolai opinio de Galaad.*

F

habetur 1. Reg. 18. ſecundum literam Hebraicam, ſcilicet, in duabus eris gener meus,, ideſt in vna duarum. Litera autem putaut hoc factum ex improprietate ſermonis Hebraici, quæ conſueta eſt, ſcilicet, quòd ponatur plurale pro ſingulari, & è conuerſo: ideo dixit in ciuitate ſua Galaad, id eſt terræ Galaad.

Phanthaſiea amazonum regina.

Poſt hunc iudicauit Iſrael Abeſan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores, introducens in domum ſuam. Qui ſeptem annis iudicauit Iſrael. Mortuus q. eſt, ac ſepultus in Bethlehem. Cui ſucceſſit Ahialon Zabulonites, & iudicauit Iſrael decem annis: mortuus q. eſt, ac ſepultus in Zabulon. Poſt hunc iudicauit Iſrael Abdon filius Illel Pharatonites, qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & iudicauit Iſrael octo annis: mortuus q. eſt, ac ſepultus in Pharaton terræ Ephraim in monte Amalech.

Troia deſtruitur poſt decennalem obſidionem.

Poſt hunc iudicauit Iſrael. Hic ponitur ſecundum huius cap. in quo tempus trium iudicum ſuccinctè deſcribitur.

An iſti tres iudices immediatè fuerint aſſumpti.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR circa iſtos tres iudices, qui ponuntur hic, an immediatè, ſcil. per ſucceſſionem, vel immediate tempore fuerint aſſumpti. Reſpondendum, quòd à principio inſtitutionis iudicum, fuit iſta conſuetudo, quòd nunquam inſtituerētur iudices ſine cauſa vrgente, ideo mortuo vno iudice, non immediatè aſſumebatur alius, ſed expectabatur aliquanto tempore vſque dum eſſet opus illo, ſcil. cùm Iſraelitæ colebant idola, & tradebat eos Deus in manus hoſtium, & tunc clamantes ad dominū ſuſcipiebant iudicem, vel quem ipſi eligebant, vel quem Deus ſuſcitabat. Et cùm ille moreretur eſſentque in pace, Iſraelitæ non ſuſcitabant alium iudicem quouſq; rurſus caderent in manus hoſtium, & ſic inter iudicem, & iudicem, intercidebant aliquot anni, ſic patet in Hothoniele, qui fuit primus iudex: nam inter eum & Aod fuerunt 18. anni ſupra 34. cap. & inter Aod & Barac fuerunt 20. anni ſupra 4. cap. & inter Barac & Gedeonem intercidit 6. annorum ſpatium, ſupra 6. cap. Dicendū tamen, quòd iſti tres iudices, imò 4. computando cum eis Iephte fuerunt ſuccedētes ſibi ſine medio. Quòd patet, quia quando intercidebat tempus inter iudicem & iudicem, illud deſcribebatur, & quid Iſraelitæ agerent, vel paterētur in illo, vt patet ſupra 3. & 4. & 6. ſed inter iſtos 4. iudices nullum tempus medium ponitur: ergo non fuerunt tempora intermedia, ſed per ſucceſſionem inſtituti fuerunt.

Quare fuerunt inſtituti per ſucceſſionem contra conſuetudinem iudicum præcedentium.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quare fuerunt inſtituti per ſucceſſionem contra conſuetudinē iudicum præcedentium. Reſpondendum, quòd in præcedentibus iudicibus Iſraelitæ non curabant ſtatuere iudicē mortuo prædeceſſore, quia putabant non eſſe neceſſe: ſed apparente neceſſitate inſtituebant illū: poſtea autē inuenerunt quod inſtituendo ſic iudices ſequebantur ſcandala, ſcil. quia aliqui vſurpabant ſibi dominium terræ tyrannizantes. Sic fecit Abimelech mortuo Gedeone: nam factus eſt rex à Sichimitis, & poſtea faciebat prædas & bella contra vrbes, ſupra 9. ideo illo mortuo Iſraelitæ conſtituerunt in iudicem Thola, nè aliquis ſurgeret ad tyrannidem exercendam poſt Abimelech. Etiam poſt Thola immediatè inſtituerunt Iair iudicem ex eadem cauſa, vt declaratū eſt ſupra 10. poſt Iair putantes ceſſaſſe cauſam ſcandali, non ſtatuerunt iudicem immediatè, & corruit populus in magna damna, ſcil. quia oppreſſus eſt à Philiſthinis, & Ammonitis, ſupra 10. Et compulſi ſunt Iſraelitæ eligere Iephte in iudicē præcedenti cap. poſt hoc autem videntes, quòd ex diſcontinuatione iudicum incidebat populus in aduerſitates, decreuerunt ſumere iudices per ſucceſſionem, & ſic poſt Iephte ſumpſerunt tres iudices, qui ſequuntur ſine medio, & omnes alij fuerunt etiam ſine medio, ſcil. Samſon, & Heli. Nec valet ſiquis obijciat, quod inter vltimum iſtorum, & Samſonem fuerunt quadraginta anni, vt colligitur ſeq. capit. quia illi 40. anni non ſunt computandi intermedij, vt eodem cap. declarabitur.

Quis fuit modus accipiendi iſtos tres ſequentes in iudices.

QVÆSTIO IX.

VLTERIVS quæretur, quis fuit modus accipiendi iſtos tres ſequentes in iudices. Reſpondendum, quod aliquando efficiebantur aliqui iudices Deo iubente, ſicut fuit de Gedeone ſupra 6. Aliquando Deo inſtigante, ſcil. dando eis virtutem, vt auderent pugnare contra hoſtes, & per hoc efficerentur iudices populi, ſicut fuit in Hothoniele, & Aod ſupra 3. nam dicitur quod Deus ſuſcitauit eos. Interdum erant aliqui iudices propter hoc, quòd Deus prænunciabat de his, q. futuri eſſent iudices, & poſtea populus tenebat eos in iudices: ſic enim fuit de Samſone, de quo prænunciauit angelus patri ſuo, & matri, q. liberaret Iſrael de manu Philiſthinorum ſequ. cap. Alij autem accipiebantur in iudices ſolùm per conſenſum populi, quia populus videbat illos eſſe viros bonos ad regendum populum, & pugnandū pro illo: ſic fuit de Iephte, ad quem vocandum miſerunt Galaditæ ſupra præced. cap. Dicendum de iſtis, quòd fuerunt electi conſenſu populi, quia erant viri excellentes, & populus volebat illos accipere in iudices, & iſte modus intelligendus eſt de omnibus illis, de quibus non ponitur modus expreſſus: nam illi, qui à Deo ſumebantur aliquo modo nominantur, quomodo ſumerētur, eo quòd iſtud erat aliquid ſpecialiter. Quòd autē electione populi conſiſterent, non erat aliquid ſpeciale, ideo ſcriptura non curat exprimere. Item eſt alia ratio multum apparens ad hoc, quia quando Deus vocabat aliquē hominē ſpecialiter, vt eſſet iudex, vocabat eum ad faciendum aliquem actum excellentē, vt patet diſcurrendo à principio libri huius vſq; ad finem, in omnibus illis, de quibus dicitur, quod Deus ſuſcitauit illos, vel iuſſit eis per angelum, quòd eſſent iudices: nam fecerunt aliqua opera magnifica, & tamen iſti nihil memorabile fecerunt: vnde ſcriptura nihil de eis explicat, ideo credendū eſt, q. non deſignati fuerunt à Deo, vt eſſent iudices, ſed populus elegit illos. *Poſt hunc iudicauit Abeſan de Bethlehem.* Iſte iudex erat de ſorte, & tribu Iudæ: nam Bethlehē erat in ſorte Iudæ: Matth. 2. & Micheę 4. De iſto dicit Rabbi Salomon, quòd fuit Booz, & quòd fuit fames tempore eius. Sed dicendū, quòd non ſtat, quia Booz nō legitur habuiſſe, niſi Obeth in filium de Ruth Moabitide, vt patet Ruth 4. & tamen iſte Abeſan habuit filios 30. & totidem filias. Reſpondet Rabbi Salomon, quòd omnes iſti filij, & filiæ mortui ſunt, & nō manſit ei filius, niſi Obeth, quem poſtea genuit ex Ruth. Sed iſtud non ſtat, quia ſatis videtur fuiſſe fictitium. Item iſte Abeſan fuit vir valde honorabilis, vt patet hic, & potens in diuitijs. De Booz autē non poteſt conuenienter dici, quòd fuerit valde diues, & potens, vt colligitur Ruth 3. & 4. Item ille, qui ſemel erat iudex ſemper erat iudex: ergo ſi Booz factus fuiſſet iudex, manſiſſet in iſto principatu vſq; ad mortem, & tamen quando accepit Ruth in vxorem, non videbatur eſſe iudex Iſrael, quia erat, vt vir ſimplex, vel priuatus, vt colligitur ex his, quæ habentur in libro Ruth: ergo nunquam fuit iſte iudex. Item Ioſephus 5. Antiquitatum, & alij Hiſtoriographi volunt accidiſſe id, quod legitur de Ruth tempore Heli ſummi ſacerdotis: ergo cùm ipſe eſſet iudex 1. Reg. 4. & tunc eſſet Booz, vt patet Ruth 3. & 4. non fuit Booz Abeſan, nec fuit aliquando iudex. *Qui habuit triginta filios, & totidem filias.* Intelligendum eſt, quòd de multis vxoribus haberet quia de vnica habere nō poterat: ſic enim dicitur ſupra 8. de Gedeone, q. habuit ſeptuaginta filios maſculos ex diuerſis vxoribus, & hoc, quia illo tempore licebat ſimul plures eſſe eiuſdem viri vxores: ponuntur autem iſti filij quantum ad quoddam mirabile.

A

Quare non ponitur aliqua hiſtoria geſtorum iſtorum trium iudicum ſuccedentium.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quare non ponitur aliqua hiſtoria geſtorum iſtorum trium iudicum ſuccedentium. Reſpondendum, quòd tempora horum fuerunt tempora pacis, quia ipſi rexerunt bene populum, vt non coleret idola, & ex hoc Deus non tradebat illos in manus hoſtium, & ſic non erant aliqua bella tempore ſuo, nec tamen ex hoc ſunt minus laudabiles, quia melior eſt ſapientia, quàm vires: ſed iſti prudentia, & virtute auferebant omnia bella, quæ eſſe poterant, ſcil. bene regendo populũ: ergo ita laudandi erant, ſicut illi, qui poſt bella exorta illa viribus ſuperabant, nè tamẽ omnino ſubticeatur de iſtis, ponũtur aliqua ſignificantia proſperitatẽ eorum, ſcil. quòd multos filios habuerint. Nam iſtud proſperitatẽ faciebat ſecundũ opinionẽ temporis illius. Sic dicit Ioſephus 5. Antiquit. De iſto Abeſan, quòd moriente Iephte principatum tenuit Abeſan de tribu Iuda de Bethlehem: hic 60. habuit filios, ſcil. triginta maſculos, & triginta virgines, qui cùm nihil egiſſet in ſeptem annis memoria, & ſermone dignum: in ſenectute defunctus eſt. *Quas mittens foras maritis dedit.* Id eſt, miſit extra domum, ſcil. dando eas viris: nam poſtquam maritatæ erant nõ manebant in domo paterna, *Et eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores.* Scilicet accepit triginta vxores pro filijs ſuis, quia tot filios habuit quot filias: ideo tot generos habuit, quot nurus. *Introducẽs in in domum ſuam.* Scilicet, vt habitarent filij cum vxoribus ſuis in domo patris. De filiabus dicitur, quòd emiſit eas, & de vxoribus filiorũ dicit, quòd introduxit eas in domum. Ratio diuerſitatis eſt, quia vir eſt caput vxoris, & debet vxor ſequi virum, & quia mariti filiarum ſuarum non erant de familia ſua expulit filias de domo, vt eſſent extra domum cum maritis, quaſi non eſſent iam de familia eius: & quia filij ſui erant de familia ſua, & vxores ſequuntur maritos, poterant eſſe in domo vxores, ſicut erant filij: & ſic nurus pertinebant magis ad eum, quàm filiæ. *Qui ſeptem annis iudicauit Iſrael.* Scilicet, quia erat iam ſenex quando ſuſcepit principatum iſtum, & cito mortuus eſt poſt illum acceptum. *Mortuusq; eſt, atq; ſepultus in Bethlehem.* Erat de vrbe Bethlehem, ideo ibi ſepultus eſt, quia iſta erat conſuetudo antiquorũ Iudæorũ, ſcil, quòd ſepelirentur in locis ſuarum originum in ſepulchris patrum ſuorum. *Cui ſucceßit Ahialon.* Iſte eſt ſecundus iudex iſtorum nomine Ahialon, & à quibuſdam vocatur Chialon per corruptionem: ſed in Hebræo vocatur Elon. De iſto debet dici, quòd fuit ſumptus in iudicem immediatè poſt mortem Abeſan, ſicut fuerat ſumptus Abeſan moriente Iephte, & fuit electus cõcilio populi, & voto, ſicut Abeſan, nec deſcribũtur aliqua geſta eius, quia nihil memorabile egit, eo quod erat tunc tempus pacis, vt ſupra dictum eſt. Et dicitur. *Cui ſucceßit Ahialon.* Scilicet, quia inter Abeſan non fuit tempus quo vacaret iudicatura, ſed illico aſſumptus eſt ex cauſa ſupra aſſignata. *Zabulonites.* Variabantur iudices per tribus: nam præcedens iudex fuerat de tribu Iuda, & iſte fuit de tribu Zabulõ. *Et iudicauit Iſrael decem annis.* Quia ſumptus eſt in iudicem in ſenectute, & non vixit, niſi decem annis poſtquam ſumptus eſt. *Mortuusq; eſt, atque ſepultus in Zabulon.* Et ſepultus eſt in ſorte tribus Zabulon, quia de illa tribu erat. In Hebræo dicitur. *Sepultusq; eſt in Ahialon.* quia fortè erat aliquis locus in tribu Zabulon ſic vocatus, vt ipſe iudex, & ibi ſepultus eſt. Eſt autem Ahialon quidam locus, de quo dixit Ioſue die, quo ſtetit ſol: ſol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Ahialon: Ioſue 10. ſed ciuitas Ahialon ponitur in ſorte Nephtalim: Ioſue 19. Et tamen poterat eſſe alius locus nomine Ahialon in ſorte Zabulon, quia multa loca erant binomia, vel multinomia. *Poſt hunc.* Hic ponitur de tertio iudice horum, & etiam iſte fuit electus votis populi, & fuit in tempore pacis, ideo nihil memorabile egit. *Iudicauit Iſrael.* Id eſt præfuit in principatu iudicatiuo. *Abdon filius Helles Pharatonites.* Vocatur Pharatonites, id eſt de vrbe Pharaton. Et iſte videtur fuiſſe de tribu Ephraim, quia dicitur infra, q; ſepultus eſt in Pharaton terræ Ephraim. De iſto dicit Ioſeph. 5. Antiq. quod erat filius Ahialon, ſine Chialõ iudicis præcedentis, & conſequenter erat de tribu Zabulon, ſicut ille. Sed obijcietur, quòd non poſſit ſtare dictum Ioſephi, quia neceſſe eſt filium eſſe de eadem tribu, de qua pater, ſed Ahialon erat Zabulonites, & iſte Abdon erat de tribu Ephraim, cùm dicatur hic, q; ſepultus eſt in terra Ephraim, & quilibet ſepeliebatur in terra originis ſuæ: ergo erat Ephrathæus. Reſponderi poteſt, quòd non concludit, quia licèt ſepeliretur in terra Ephraim, poterat eſſe de alia tribu. Sic fuit de Thola, quia erat de tribu Iſſachar ſupra 10. & tamen ſepultus eſt, atq; habitauit in Sanir montis Ephraim, vt patet ibidem. Et hoc, quia mons Ephraim non ſolùm erat intra ſortem, ſed etiã extendebatur ad alias ſortes propinquas, & erat partim in ſorte Iſſachar, & Zabulon, & alijs tribubus coniunctis. Videtur tamen magis dicendum, quòd Abdon non fuerit filius Ahialon, quia non vocatur hic, ſupra: nam ibi vocatur Ahialon, vel Chialon, & hic vocatur Helles. *Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes.* Iſtos habuit Abdon viuens, quia poſt mortem ſuam fortè fuerunt plures nepotes eius, quia illi non faciebant ad manifeſtã fœlicitatẽ eius, ſicut illi, qui viuebant eo viuente, deſcripti ſunt ſolùm iſti. *Aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum.* Ex hoc patet magnitudo ſtatus iſtius Abdon, quia de poſteris ſuis habebat ſimul ſeptuaginta milites iam viros effectos, qui aſcendebãt ſuper equos ſeptuaginta, ſic dicitur ſupra decimo, quòd triginta filij Iair aſcendebant ſuper triginta pullos aſinarum, & erant principes triginta ciuitatem. *Et iudicauit Iſrael octo annis.* Scilicet erat ſenex, quando factus eſt iudex, & non vixit niſi octo annis poſt ſumptionem principatus. De hoc dicit Ioſeph. 5. Antiq. Abdõ Chialonis filius habuit filios quatuor, & ex eorum ſemine omnes ſuperſtites derelinquens defunctus eſt in ſenectute, & honorabilem in Pharaton promeruit ſepulturam. *Mortuusq; eſt, atq; ſepultus in Pharathon.* Ab iſto loco vocatur Pharatonites, & erat locus ſuæ originis. *Terra Ephraim monte Amalech.* Id eſt iſte locus Pharaton erat in terra Ephraim: & ſic erat de tribu Ephraim iſte Abdon. Vel ſecundum Ioſephũ erat de tribu Zabulon, & Pharathon eſſet in terra Ephraim, id eſt in terra montis Ephraim, quæ extenditur ad alias tribus, vt ſupra dictũ eſt. Eſt autẽ Amalech nomen montis, in quo erat ciuitas Pharaton ipſius Abdon.

B

C

D

E

F

De Abialon iudice.

De tertio iudice Iſrael.

Obie. dio contradictum Ioſephi.

Magnitudo ſtatus iſtius Abdon

Pharaton quid ſit

Chronica temporalium euentuum, quo tempore iudicauit Iephte.

QVÆSTIO XI.

CHRONICA temporalium euentuũ tempore, quo iudicabat Iephte. Eo tempore Hercules in morbum incidit peſtilentem, & ob remedium doloris flammis ſe iniecit, & ſic defunctus eſt. De hoc Chryſantas ad Dariam ait: Quę nam ſanctitas Herculis, qui vicinorum interfectione fatigatus ſe viuum flammis iniecit, & combuſtus eſt cum machęra, & pelle, quam geſtabat? Hunc Herculem vocat Seneca Oethæum, de quo in Tragædia decima, cuius titulus eſt Hercules Oethæus: & hoc, quia in monte Oethæo combuſtus eſt. Varro lib. 4. Diuinarum rerum: ideo hunc Herculem victorem putat dici, quia omnium generum animalia vicerit: Hercules Iouis filius omnibus alijs inuictus Oniphole præamore ſubiacuit, qui eum ad ancillaria miniſteria, & muliebria coegit. De hoc Seneca Tragædia quarta cuius titulus eſt Hippolytus carmine 3. ait.

Natus Alcmena poſuit Pharetras,
Et minax vaſti ſpolium Leonis.
Paſſus aptari digitis ſmaragdos,
Et legem dari rudibus capillis.
Crura diſtincto religauit auro:
Luteo plantas cohibente ſocco.

Hercules mors

Omniũ generũ animalia vicit Hercules Iouis filius.

De hoc Albericus in hiſtorijs ait: Hercules deuicto Gerione veniens in Italiam ab Euandro tunc rege ſuſceptus eſt, & cùm Iouis filium ſe diceret, & virtutem ſuam nece Caci probaſſet, pro numine habitus eſt, & aram meruit, quæ maxima dicta eſt, & ei data eſt: quam Delphicus Apollo ei in Italia eſſe futuram prædixerat. Primò tamen ſuſceptus non eſt apud maiores, quia rarò aduenæ, niſi ius hoſpitalitatis haberent ſuſcipiebantur. Cùm ergo de ſuo armento boues dediſſet ad ſacrificia Pinario, & Potitio duobus ſenibus, cum

circa ſolis occaſum ſacrificia eſſent repetenda, dixit Potitius prior familia miniſtret epulantibus Potitijs. De hoc etiam Solinus in Polyhiſtor. cap. de vrbe Rom. hic potes inſerere quicquid hiſtoriæ de Hercule referunt. Anno eodem Hercules, & Iephte mortui ſunt, vt ait hiſt. ſcholaſtica, & Euſebius, & Vincẽtius in ſpeculo hiſtoriali, & hoc anno Alexander filius Priami, qui & Paris dictus eſt Helenam repuit: ex quo Troianum bellum ſecundum famoſiſſimum originem habuit. Hoc tempore Menelaus Lacedæmoniæ regnabat, quæ poſtea Conſtantinopolis dicta eſt. Tunc etiam Agamenon in vrbe Micenarum imperabat, qui fuit princeps omnium regum pugnantiũ contra Troiam, licèt aliqui velint, quòd tempore Ahialon iudicis ſequentis hoc factum ſit, ſed nihil refert. Sciendum, quòd bellum Troianum cœpit hoc tempore, ſcil. anno ſecundo Ahialon, & durauit decem annis, ſcil. octo annis reſiduis Ahialon, & duobus annis iudicis ſequentis, ſcilicet Abdon, & anno tertio huius Troia capta, & euerſa eſt, ſicut etiam ex hiſtoria Francorũ conſtat, Troia tempore Aod iudicis ſecundi Iſrael condita eſt, ſcilicet anno ſuo 54. lapſo, & durauit annis centum octogintaquinq; , ſcil. vſq; ad tertium annum Abdon: deinde multitudo magna Troianorum fugiens duos duces de poſteritate Priami ſecuta: duos populos fecit, ex quibus ſunt magni illi populi, quos nos Turcos vulgariter appellamus, id eſt Teucros, quia ſunt de ſanguine Teucri, qui fuit de Troianorum regum ſtirpe. Hic perijt nobilis illa ciuitas Ilium, cuius bella famoſiſſima fuerunt, ad quæ pęnè totus vtrimq; conuenit orbis, cuius opera tam celebria, quam vulgata ſunt, ideo ad nos nihil de eis referre attinet: rari enim ſunt hiſtoriographi, qui illud magnum bellum, aut non ex toto expedierint, aut ſaltem nõ tetigerint. Scripſit enim illud Daretes Frigius Athenis, ſcripſit Cornelius nepos ad Saluſtium Criſpum, ſcripſit etiam in magna laude Græcorum Homerus in libro, qui Ilias dicitur, ſcripſit Virgilius in Æneide 2. & 3. ſcripſit Ouidius 12. & 13. Meta. ſcripſerunt ferè omnes hiſtorici, & Poetæ, ſcripſit nouiſſimè magno apparatu Guido de columnis. Sciendum, ꝙ ſecundus horum trium iudicum, ſcil. Ahialon in Biblia 70. interpretum cum ſuis annis non ponitur, ideo Euſebius in Chronicis ad complendũ annos 480. qui ab exitu de Ægypto vſq; ad principium conſtructionis templi fluxerunt 3. Reg. 6. addidit plures annos, quàm reperijt in Ioſepho tempore Samuelis, & Saulis, cuius tempus non deſcribitur in hoc libro, nec in libro regum. Quidam volunt turbationẽ, quæ accidit pro muliere Leuitæ contra tribum Beniamin fuiſſe tempore Abdon. Sed falſum eſt, quia valde prius fuit, ſicut infra 19. declarabitur: à Troia capta vſq; ad annotationem primæ Olympiadis fluxerunt anni 406. tunc Græci ad gloriam victoriæ cœperunt annotare tempora ſic: anno tali à captiuitate Troiæ: inceptis autem Olympiadibus, annotauerunt tempora iuxta numerum Olympiadum, tandem Romani florentes annotauerunt ætatem ab vrbe condita, ſcil. anno tali ab vrbe condita: deinde Chriſtiani à Chriſti incarnatione poſuerunt annorum computationem. Capta Troia Menelaus recepta Helena coniuge ſua, propter quam bellum fuerat, ad Polybium regem Ægypti iuxta Homerum venit. Anno tertio poſt captam Troiam, vt quibuſdam placet, vel anno octauo iuxta alios, Æneas cœpit regnare in Italia, qui regnauit annis tribus, ante quem fuerant alij reges in Italia, de quibus Solinus in Polyhiſtor. & fuerunt gentes illæ Aborigenes ferè non habentes certam originem: primus autem rex, qui in Italia regnauerat, fuit Ianus, deinde Saturnus, poſtea Picus, deinde Faunus, & poſtea Latinus, qui regnabat quando venit Æneas in Italiam, & fuerat tempus horum regum annorum ferè centũ quinquaginta ante Æneã. Sciendum autem, quòd bellum iſtud Troianum ſecundum Paulum Oroſium primo de Ormeſta Mundi aliquanto tempore poſt hoc cœpit, ſcilicet, anno 18. Heli ſummi ſacerdotis, quod fuit poſt hoc ferè 30. annis, ſed modicum differt. De naufragijs, & laboribus Vlyſſis, qui hoc tempore acciderunt: ſufficienter narrat. Homerus in libro, quem Odiſſeam appellauit. De bellis, quæ Æneas fecit in Italia, & de naufragijs eius ſufficienter tractat Virgilius in Æneide.

A
De hoc late author ſupra Euſ. 38. cap.

Conſtantinopolis Lacedamonia dicebatur

B
Troia durauit annis 185.

Turcarum imperium quando & quo incœperit.

De Ahialon ſecundo iudice Iſraelitarum.

C
Primus rex, qui in Italia regnauit.

De bello Troiano.

CAPITVLVM XIII.

RVRSVMQVE filij Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini: qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis. Erat autem quidam vir de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem ſterilem, Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis: ſed concipies, & paries filium: caue ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum. Quæ cùm veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis, quẽ cum interrogaſſem, quis eſſet, & vnde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: ſed hoc reſpondit: Ecce concipies, & paries filium: caue ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, ex vtero matris ſuæ, vſque ad diem mortis ſuæ.

Rurſumque. In præcedentibus poſita fuit Iſraelitarum tribulatio ſexta: hic conſequenter deſcribitur ſeptima. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur tribulationis pondus. Secundò liberationis modus ibidem. *Erat autem vir.*

An hic ſit ordinis mutatio: & an hæc fuerint immediatè facta.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic habent continuũ ordinem ad præcedentia, vel ſit mutatus, & an iſta, quæ habentur hic fuerint immediatè facta poſt præcedentia, vel aliquanto tempore interiecto. Reſpondendum, quòd hic eſt ordo cõtinuatus ad præcedentia: nam ſupra agebatur de tribus iudicibus conſequentibus: quorũ tempore nulla venit aduerſitas: hic autem incipit quædam hoſtilis calamitas, ſcil. quòd oppreſſi ſunt annis quadraginta, & apparet ex litera cõtinuatio, quia dicitur hic: rurſumq; Iſrael filij fecerunt malum, ſcil. poſt iudices præcedentes. Ad ſecundũ dicendum, quòd pauco tempore fuerunt iſta poſt ea, quæ habentur præced. capit. Quod patet, quia tempore iudicum quatuor poſitorũ præced. capit. continuatim non coluit populus idola, & non venit aliqua aduerſitas, & poſtquam fuerunt ſine iudice, coluerunt idola: nam cum nullus eſſet, qui cogeret eos recedere à malo, declinabant mox ad Idola: ideo modico tempore poſt præcedentia accideret iſta præuaricatio, & afflictio ab hoſtibus, & etiam tempus iudicaturæ aliquod tempus inter iudices præcedentes, & Samſonem. *Rurſumque filij Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini.* Scilicet coluerunt idola, quia iſtud erat malum, quod ipſi dicebãtur facere, & erat malum per excellentiam. Alia autem tam parua erant in reſpectu huius, quòd non iudicarentur mala: & dicitur, quòd rurſus fecerunt, ſcilicet, poſtquã iterum fecerant mortuo Iair: nam tempore quatuor iudicum conſequenter ſe habentiũ ſupra, ſcil. Iephte, Abeſan, Ahialon, Abdon populus non coluit idola, & ob hoc non venit aliqua aduerſitas: & ſic coluerant idola poſt mortem Iair quando multa idola coluerunt, ſupra decimo capitulo: & tunc cùm afflixiſſet eos dominus valde per manus Ammonitarum, & Philiſthinorum: clamauerunt valde ad dominũ promittentes, quòd nunquam colerent idola poſt hoc, & Deus doluit ſuper afflictionibus eorum, & dedit eis Iephte in liberatorem, & manſerunt tempore quatuor iudicum nõ peccantes: nunc autem obliti prioris fœderis redierunt ad idola colenda. *Qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis.* Id eſt tradidit eos, vt opprimerentur à Philiſthinis, & oppreſſi ſunt quadraginta annis.

D
Supra 10.

Achilles Agamennõ Menelaus & reliqui Graci clarẽt. 1. Re. 1.

Hecuba mater Caſſandra & Polyxena filiæ clarent.

E

F

A

Tempore cuius iudicis computabuntur isti quadraginta anni.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR de istis quadraginta annis quando computabuntur, scilicet tempore cuius iudicis. Aliquis dicet, quòd computantur isti 40. anni per se sine iudice. Et si obijciatur quòd anni afflictionum computantur sub annis iudicum aliquorum, vt declaratum est tertio. Potest dici quòd sic factum est supra de annis 18. quibus afflicti sunt Israelitæ à Philisthinis, & Ammonitis supra 10. cap. nam illos vocauimus annos sine iudice, & per se computamus. Sed dicendum, quòd non stat ista positio, quia necesse est, quòd omnes summæ partiales annorum, quæ colliguntur ab exitu de Ægypto vsq; ad primum annum fabricationis templi simul collectæ: perueniant ad annos 480. solùm, quia tot ponuntur 3. Reg. 6. cap. Si tamen computentur isti 40. anni per se tanquam pars summæ, erunt anni plus quàm quingenti, quia istis non computatis venit summa æqualis, vt declaratum est supra tertio: ergo non debent computari per se isti anni, sed sub annis alicuius iudicis. Si autē dicitur, quòd isti anni non computentur per se, sed sub tempore iudicum non stat: quod semper anni, qui ponuntur alicuius afflictionis cōputantur sub illo iudice, qui liberauit ab illa afflictione, sicut patet supra 13. de 8. annis, qui fuerunt ante Hotonielem: & 18. ante Aod: & viginti ante Barac, supra 4. & 7. ante Gedeonem, supra 6. cap. Ideo deberent isti 40. anni poni sub tempore Samsonis, qui fuit iudex sequens, & tamen non potuerunt sic computari, quia Samson præfuit 20. annis solùm, infra 16. in quibus non includuntur 40. Etiam nō potest includi ista summa in tempore iudicis præcedentis, scil. Abdon, quia ille solùm 8. annis præfuit. Item quòd nunquam computantur huiusmodi summæ nisi sub iudicibus sequentibus, qui liberauerunt populū ab illis angustijs. Itēm quia necesse est, quòd peccatum quod fecerunt Israelitæ pro quo traditi sunt 40. annis in manus Philisthinorum, fuit post Abdon: vt patet hic, cùm dicatur: Rursumq; filij Israel fecerunt malum in conspectu domini. Etiam si vellemus ponere istud tempus sub 4. iudicibus præteritis simul non stat: quia tempore illorum Israelitæ non peccauerunt, nec subiecti fuerunt hostibus. Etiam dato quod vellemus facere, non possemus, quia non potest includi istud tempus in tempore illorum, quia tota duratio illorū fuit annorum triginta vnius, scilicet Iephte sex, Abesan septem, Ahialon 10. Abdon 8. Ideo necesse est quòd transferatur ad tempus aliorum. Et si vellemus extendere cum tempore præcedente: coincideret cum 18. annis afflictionis, qui fuerunt ante Iephte supra 10. Aliquis dicet quod ponantur isti 40. anni esse

C

40. anni quibus præfuit Heli: nam 40. annis iudicauit, primo Reg. quarto. Dicendum quod non stat quia relinquitur hic iudex medius, scilicet Samson: nam oportet, quòd communicentur isti anni tempori suo: cum post iudices superiores dicatur accidisse istud malum. Item & fortius quia, dicitur infra, quòd Samson inciperet liberare Israelitas de manu Philisthinorū, ergo iam premebant Israelitas, quando ipse iudicauit, & sic tempus suum capietur sub tempore illorum. Dicendū igitur, quòd isti anni sunt inchoandi à morte Abdon iudicis præcedentis, & durabant per totū tempus Samsonis, scilicet per 20. annos eius: & per totidem annos temporis Heli summi sacerdotis, & sic non supercrescet summa, nam hoc tempore Philisthini oppresserunt Israelitas.

Quomodo sit hic aliquid insolitum, scilicet quòd computatur aliqua afflictio per tempora duorum iudicum.

QVÆSTIO III.

VLTERIVS quæretur, quomodo sit hic aliquid insolitum, scil. quòd computetur aliqua afflictio per tempora duorum iudicum, nam supra semper anni afflictionis ponebantur sub tempore iudicis sequentis. Respondendū quod hoc factum fuit, quia iudex primus istorum non potuit totaliter liberare Israelitas de ista tribulatione, & manserunt etiā in illa tempore secundi iudicis. Pro quo sciendum quòd post Samsonem iudicauit Heli Israel 40. annis 1. Reg. quarto cap. & toto tempore, quo Samson præfuit, fuerunt confortati Philisthini super Israel, ideo adhuc tempore illius computabantur tempora afflictionis. Quo moriente successit in principatu Heli summus sacerdos, & durabat persecutio, & afflictio Philisthinorū vsq; ad annum 20. eius: & tunc cœpit diminui oppressio Israelitarum, quia quasi æquales erant Philisthinis. Hoc patet quia de Samsone prænunciauit angelus matri suæ, quòd ipse inciperet liberare Israelitas de manu Philisthinorū, scil. quòd non posset totaliter liberare, sed esset quoddā principium liberationis. Patet etiam, quia Samson mortuus est in potestate Philisthinorū infra 16. scil. cùm ipsi tenerent eum captum, infra 16. cap. ideo non finiuit liberationē Israelitarum, sed adhuc extenta fuit tribulatio ad tempora sequentis iudicis, scil. Heli. In alijs autem iudicibus, & communiter finiebantur tribulationes tempore ipsorum, scil. quia ipsi prævalebant contra hostes: ideo non extendebatur tempus tribulationis ad sequentes iudices, sicut tribulatio à rege Mesopotamię finita fuit ab Hothoniele, & computatur sub tempore suo, & tribulatio à rege Eglon Moabita finita fuit per Aod: & computatur tempore suo supra 3. & sic de alijs: fuit tamen quidam alius iudex, in cuius tempore non finita fuit tribulatio ante hoc, & ob hoc non computantur ei aliqua tempora, sed iudici sequenti, scil. in Samgar, qui percussit Philisthinos: & fuit post Aod, supra 3. & tamen post Aod cœpit tribulatio quā intulit rex Iabin, supra 4. & quia Samgar nō potuit liberare perfectè Israel ab illa, non computantur aliqua tempora ei. Sic patet supra 5. scil. In diebus Samgar filij Anath cessauerunt semitæ, & qui ingrediebantur per illas, ambulauerunt calles deuios, scil. tempore suo propter timorem hostium cessabat discursus, & frequentatio itinerum, ita accidit hic quòd Samson non perfectè liberare potuerit Israel: ideo extēditur ista oppressio Philisthinorum ad tempora sequentis iudicis.

D

B

E

Quare non computantur tempora Heli sicut Samsonis.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius, cum computentur isti 40. anni partim de Heli tempore, & computetur tota ætas Samsonis in illis: quare etiam non computatur sic totum tempus Heli, sed solum computatur vsq; ad 20. annū eius cum nullam mutationē videamus in toto tempore suo. Respondendum q̄ ista afflictio à Philisthinis super Israelitas fuit propter idola quæ colebant: & quandiu ipsi coluerunt ea, tamdiu fuit persecutio magna Philisthinorū cōtra eos: cum verò desierunt colere persecutio cessauit. Et quia toto tempore Samsonis Israelitæ cessauerunt à cultu idolorū, non potuit Samson perfectè liberare Israel: deinde tempore Heli Israelitæ colebant etiā idola sicut prius: ideo durabat persecutio. Anno autē 20. principatus eius desierunt colere idola, cum viderent q̄ propter illa affligebantur, & tunc Philisthini nō potuerunt opprimere Israelitas, sicut à principio. Istud colligitur, quia ante mortē Heli aliquanto tempore erant Israelitæ aliqualiter liberi à iugo Philisthinorū: nam iam pugnabāt cōtra eos in acie, vnde fecerunt duas pugnas 1. Re. 4. & tunc viuebat Heli, & tamē si Philisthini valde dominarentur tunc Israelitis, nō auderent pugnare contra eos. Sic patet de tempore Samsonis, quia tunc Israelitæ subiecti erant Philisthinis sequent. cap. & non solùm ipsi non audebant pugnare contra Philisthinos, sed etiam increpabant Samsonem, quia pugnauit contra illos & ipsi venerunt ad ligandum eum, vt traderent illum Philisthinis, infra 15. cap. & tamen tempore Heli Israelitæ pugnabant contra Philisthinos, ergo non erant circa mortem Heli tam oppressi Israelitę à Philisthinis, sicut tempore Samsonis. Item patet ex verbis Philisthinorū 1. Reg. 4. cùm enim Philisthini audirent gaudium Israelitarum in castris veniente arca, timuerunt, & dixerunt: Confortamini, estote viri Philisthini, nè seruiatis Hebræis, sicut illi seruierunt vobis. Ex quo apparet, quòd iam transierat tempus, quo Israelitæ seruiebant Philisthinis, & fuit istud in toto tempore Samsonis, & in annis 20. seq. Heli sacerdotis summi, & quia postea Israelitæ fuerunt liberati aliqualiter ab ista oppressione, computantur solùm 40. anni durantes vsq;

F

ad 20. annum Heli. *Erat autem vir.* Hic ponitur ſecundum, ſcil. liberationis modus, & diuiditur in partes quatuor. Primò ponitur liberatoris ducis conditio. Secundò inuaſionis occaſio ibi ſeq. cap. Tertiò hoſtium debellatio, infr. 15. cap. Quartò Samſonis mors, & conſummatio, ibi infra 16. Prima in duas, primò ponitur ducis conceptio, ſcil. eius natiuitas, & conditio ibi. *Peperit itaque filium.* Circa primum ſciendũ, quòd mater Samſonis nõ ſuſcepit filiũ virtute naturæ tantũ, ſed virtute naturæ à Deo adiutæ per gratiam. Circa quam gratiam ponuntur quatuor: primò ponitur reuelatio angeli. Secundò reuelatio verbi ibi. *Cunque veniſſet.* Tertiò cõfirmatio facti ibi. *Orauit itaq;*. Quartò oblatio ſacrificij ibi. *Dixitq; Manue.* Circa primũ dicitur. *Erat vir quidam de Saraa.* Iſte pater Samſonis erat de Saraa, quia Saraa erat de ſorte Dan, de qua erat iſte vir. Patet Ioſue 19. c. vbi ponuntur Saraa, & Heſtaol in ſorte Dan. Sed obijcietur, quòd nõ eſſent iſta duo loca in ſorte Dan, ſed Iudę. Nam Ioſ. 15. ca. dicitut. Quòd in campeſtribus ſortis Iudæ erat Saraa, & Heſtaol. Reſpondendũ, ꝙ multotiens eodẽ nomine vocantur multa loca, ſicut Bethlehem erat quædam ciuitas in ſorte Iudæ, de qua erat Dauid, Matt. 2. & Io. 7. Micheę 4. Et etiã Bethlehẽ erat in ſorte Zabulon. Ioſ. 19. c. Sic etiã erat triplex Aſor: duæ in ſorte Iudę, Ioſ. 19. & vna in ſorte Nephthalim: Ioſ. 19. Ita de Heſtaol, & Saraa: nam erant duo loca ſic vocata in ſorte Iudæ, & alia duo ſic vocata in ſorte Dan: ideo ponuntur Ioſue decimo quinto & decimo nono cap. Aliter poterat dici, quòd ſolùm erat Saraa, & Heſtaol in vna tribu, quia tamen erant in extremitatibus ſortis illius ponebãtur pro limitibus illius ſortis, & alterius ſibi coniunctæ. Sed primum eſt veritas. *De ſtirpe Dan.* Iſta erat de paruis tribubus Iſrael, & nõ habebat poſſeſſionẽ plenam, ſicut alię tribus. De hoc ſupra primo. De hac tribu prẹnunciatũ erat per Iacob, quòd venturus eſſet Samſon ſaluator Iſrael, Geneſis quadrageſimonono, ſcilicet: fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, & cætera, vt ibi expoſitũ fuit. *Nomine Manue.* Iſte erat vir honorabilis valde, & famoſus in tribu ſua. *Habens vxorem ſterilem.* Iſtud ponitur ad ſignificandum impedimentum habendi filium, ideo oportebat, quòd filius naſciturus virtute ſupernaturali produceretnr. In Hebræo ſuperabundat litera, ſcilicet. *Habens vxorem ſterilem, quæ non pariebat.* Sed idem ſunt iſta: ſermo tamen Hebraicus interdum eſt immoderatè breuis, & interdum irrationabiliter decurtatus.

Quare expreßit ſcriptura hic, quòd erat ſterilis mater Samſonis.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quare expreſſit hic ſcriptura, quòd erat ſterilis mater Samſonis. Reſpondendum, quòd Samſon, qui naſciturus erat, excellens robore, & admirabilis in omni opere ſuo appariturus erat, & nè crederetur iſta ei naturaliter eueniſſe, ſicut ſæpe aliquos accidit partim ex conditione ſeminis, partim ex natura loci generationis, partim ex influentia ſpeciali cœleſtium corporum pro tunc gigni viros robuſtiſſimos. Factum eſt ſic de gigantibus à principio, qui à cæteris hominibus robore, & proceritate differentes erant. Deſcripſit ſcriptura, quòd mater huius erat ſterilis, vt deſcribatur, quòd iſte non conditione naturæ, ſed Dei munere genitus eſt, & ex hoc colligi poterat, quòd robur eius admirabile non eſſet ex accidenti per conditionem naturæ, ſed à Deo. Et hoc apparet dupliciter. Primò quia quando Deus aliquid ſpecialiter vult producere, producere debet ad aliquem ſpecialem finem, quia alioquin fruſtra eſſet aliquid fieri vltra id, quod natura facit, ſi nihil ſpecialius futurum eſſet in eo, quàm in illo quod natura facit. Secundò patet per exemplum, quòd conſiderando omnes, qui geniti ſunt ex matribus ſterilibus, reperimus in eis aliquid admirabile, ideo ſic etiam in iſto futurum erat. Patet de Iſaac, qui natus eſt de Sara ſterili, & in ſenectute Geneſ. decimo octauo & poſtea factus eſt caput, & origo totius populi Dei, & in eo benedictæ ſunt omnes gentes: Geneſ. duodecimo & vigeſimo ſecundo cap. Sic etiam Samuel natus eſt de matre ſterili, & fuit Propheta ſublimis, & coronans regẽ primo Reg. primo cap. Iacob quoque, & Eſau de Rebecca ſterili nati ſunt, & facti fuerunt magni viri principes gentium, ſcilicet, alter Idumæorum, & Amalechitarum, & alter Iſraelitarum: ipſe quoque Ioſeph de ſterili Rachael genitus eſt, Geneſ. 30. & poſtea factus princeps Ægypti à Deo pauit patrem ſuum, & Iſraelitas: Gen. 45. & 50. Beatus Ioannes Baptiſta de ſterili Eliſabeth natus Saluatorem prænunciauit in terris primò, & tantum laudis meruit, vt ſaluator diceret de ipſo Matth. 11. Inter natos mulierũ nõ ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Ante ergo, quàm Samſon aliquid faceret, poterant Iſraelitæ aliquid magnum opinari de ipſo, & certiſſimè opinarentur, eo quòd de ſterili matre per angelicam nunciationẽ natus fuerat. Sic enim dixerunt de Beato Ioanne Hebræi videntes patrem mutum in natiuitate ſua locutum, & matrem ſterilem concepiſſe. Quis putas puer iſte erit? Et poſuerunt hæc in corde ſuo: Lucæ 1. cap. *Cui apparuit Angelus Domini.* Scil. in figura humana, quòd patet, quia ipſi dixit: Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum. *Et dixit ad eam, ſterilis es, & abſq; liberis.* Id eſt ſterilis es non potens parere naturaliter, & abſque liberis, nullos filios hactenus genuiſti. *Sed concipies, & paries filium.* Id eſt, quanquam ſit ſterilis, concipies, ſcilicet, Deo dante tibi conceptum. In Hebræo dicitur. *Sterilis es, & non paries.* Id eſt nunquã peperiſti, & ad idem pertinet quod ſine liberis.

Ad quid Angelus dixit mulieri ſterilis es.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, ad quid angelus dixit mulieri ſterilis es, quia licèt conueniens fuerit deſcribi, quod iſta mulier ſterilis erat, vt cognoſceretur, quòd iſte puer naſciturus aliquid magnum facturus erat, tamen non videbatur oportere, quòd denunciaretur ipſi mulieri, quòd erat ſterilis, quia ipſa hoc nouerat. Dicendum, quòd Angelus hoc denunciauit, vt ipſa ſciret, quòd filius, quem pariebat, erat ex Dei munere, & ipſa erat verè ſterilis: nam ſi Angelus nõ prænunciaſſet, ipſa non putaſſet ſe verè ſterilem, licèt non peperiſſet temporibus præteritis: ſed hoc eueniſſe à caſu, ſicut accidit multis mulieribus, quòd quodam tempore in iuuentute parere non poſſint, & poſtea cùm declinant ad maiorem ætatẽ pariunt. Et dato, quòd ipſa putaſſet ſe prius ſterilem, quia non pariebat, cùm poſtea videret, quòd pariebat, putaret ſe non fuiſſe verè ſterilem, ſed accidiſſe ex aliquo impedimento, quòd in illo tempore nõ peperiſſet. Vnde ſi non prænuntiaretur ei, quòd erat ſterilis, quando poſtea pareret, putaret naturaliter peperiſſe: & ad declarandum iſtud, dixit Angelus, & non paris. Vel. *Abſque liberis es.* Id eſt patet, quòd ſis ſterilis, quia ſi non eſſes ſterilis, iam peperiſſes in tanto tempore, quo coniugata es viro tuo.

Quomodo dedit Angelus hanc probationem ad ſterilitatem. ſcilicet non paris.

QVÆSTIO VII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dedit Angelus hanc probationem ad ſterilitatem, ſcilicet, non paris, id eſt nunquam peperiſti: nam non ſufficienter probabat, quia aliquæ mulieres ſunt, quæ non pariunt in iuuentute, & poſtea in ſenectute, vel in ætate matura diſponuntur ad pariendum, quia aufertur aliquid quod impediebat conceptum, & ſic poterat iſta mulier poſtea concipere, licèt nondum concepiſſet. Reſpondendum, quòd ad probandũ de aliqua muliere, quòd ſit ſterilis opinio, & quòd non poſſit concipere, niſi Deo dante ſupernaturaliter, neceſſe eſt, quòd expectetur tempus ſenectutis, in quo deſinunt fieri muliebria. Nam quamdiu menſtrualis humor fluit mulieri, non eſt impoſſibile eam naturaliter parere, vel ſaltẽ ſi aliquod ſit quod obſtet, non poteſt apparere ſufficienter aliquid tale eſſe, & ſic ſcriptura cùm vellet dicere de Sara, quòd concepiſſet ſupernaturaliter Gen. 18. cap. dixit, quòd erat Sara prouectæ ætatis, deſierantq; fieri ei muliebria: quaſi dicat, quòd non ſufficiebat, quòd ipſa eſſet prouectæ ætatis ad non concipiendum, niſi deſinerent ei fieri muliebria: iſtud autem non erat in matre Samſonis, quia non erat tam inueterata, ideo non

A
Conceptio Samſonis.
B
Qualis erat Manue pater Samſonis.
C
Robur Samſonis à Deo fuit.
D
E
Reſpon. ad quæſitum.
F

A poterat de ea firmiter constare, quia esset sterilis. Dicendum igitur, quòd Angelus dixit istud non tanquam firmam probationem, sed tanquam signum quoddam: nam si non fuisset sterilis mater Samsonis, cùm ipsa, & vir suus dedissent operam proli gignendæ genuissent, sed non genuerunt. Aliter potest dici, quòd Angelus non ponebat hoc ad probandum, quòd erat ista mulier sterilis, sed vt quando ipsa pareret, sciret, quòd verè fuerat sterilis, eo quòd Angelus dixerat ei, quòd paritura esset, & quòd erat sterilis: sed euenit, quòd peperit, sicut dixerat Angelus, ergo verum erat, quòd sterilis esset, & sic partus futurus erat probatio sterilitatis. Aliter potest dici, quòd Angelus dixit istud non ad probandum, quòd muler erat sterilis, quia hoc ipsa nouerat: sed dicebantur ista ad probandum verum esse quòd prædicebat de filio nascituro, acsi diceret: ego prænuncio tibi, quòd paries filium, & ad hoc, quòd credas, dico tibi, quòd tu es sterilis, & nunquã peperisti, velut si diceret ei aliquid aliud occultum sibi, per quod probaret se à Deo venire, & occultorum habere notitiam.

An Samson supernaturaliter, vel purè naturaliter fuerit conceptus. Et de quatuor modis quibus Deus operatur supernaturaliter in conceptione alicuius.

B

Qvæstio VIII.

Vlterivs quæretur, an Samson conceptus fuerit supernaturaliter, vel purè naturaliter. Respondendum, quòd ad hoc, quòd aliquis actus sit purè naturalis, oportet, quòd perficiatur à causis totaliter naturalibus, non operante aliquid causa supernaturali, nisi inquantum ipsa est prima, vel in concatenatione causarum naturaliter ordinatarum ad ad hoc, quòd aliquod opus sit supernaturale largè sumendo, oportet, quòd illud sit tale, quòd non possit expleri sine operatione speciali causæ supernaturaliter operantis, siue ipsa sola operationem expleat, siue aliæ causæ, scilicet naturales, concurrant. De conceptione Samsonis dicendum, quòd fuit supernaturalis non purè supernaturalis: nam causa supernaturalis interuenit, scilicet Dei gratia naturã adiuuans, & defectum eius supplens: causæ etiam naturales fuerunt, scilicet commixtio seminis masculini, & fœminini, & omnis operatio reliqua causarum naturaliũ concurrentium. Causa tamen supernaturalis interuenit ad supplendũ sterilitatem, qui erat defectus impediens. Considerandum vlterius pro hoc, quòd ad hoc, quòd Deus dicatur supernaturaliter agere ad conceptum alicuius, potest tripliciter operari. Primo modo inclinando gignentes ad tempus, & in quo gignere possunt, vtpotè, vt sint aliqui duo dispositi ad gignendum, scilicet, quia nõ sunt steriles, si tamen coeunt in talibus temporibus, in quibus non est dispositio in eis ad gignendum nunquam gignent, sicut multi sunt, qui interdum dantes operam proli, gignunt, & interdum non gignunt: istud autem est, quia contingit interdum semen esse ad hoc dispositum, & interdũ non. Quòd ergo Deus inclinet eos tali tempore ad coeundum, quo poterunt gignere, est adiuuare supernaturaliter ad generationem, quia si isti non inclinarentur sic à Deo: fortè nunquam inclinarentur, vel conuenirent in tali tempore, in quo gignerent, & sic sine sterilitate priuarentur generatione, & dabitur eis è contrario, quòd gignant supernaturaliter, similiter ad gignendum masculum aliter esse debet semen dispositum, quàm ad gignendum femellam: & fortè aliqui dispositi, & potentes gignere masculos coeunt semper in tempore, quo sunt dispositi ad gignendum fœminas, & gignunt fœminas: vnde licèt desiderent gignere masculos, nunquam eis euenit. Si autem Deus inclinet eos ad coeundũ in tali tempore, in quo semen sit dispositum ad gignendum masculos, gignent masculos, & erit ista generatio partim supernaturalis. Et hoc modo quando aliqui non potentes habere filium, sed filias, orant Deum, vt det illis filios, faciet, quòd non dando supernaturaliter aliquam virtutem semini eorum, incitabit eos ad coeundum in tali tempore, in quo semen sit dispositum ad procreationem masculi, & sic, qui obtinent hoc modo filium, dicerent verè, quòd orationibus, & supernaturaliter illum obtinuerunt, quia non erant eum aliter habituri. Item hoc modo interdũ Deus facit excellentes homines, qui nascuntur, siue in robore, siue sapientia, siue alijs perfectionibus naturalibus. Nam licèt non debeamus dare corporibus cœlestibus aliquam potestatem super liberum arbitrium directè, non debemus indirectè tollere eis, quin possint causare in natis maius, vel minus robur, aut debilitatem membrorum, timiditatem, aut confidentiam, inclinationem ad libidinem, ad ebrietatem, vel inclinationem ad abstinendum ab his, dispositionẽ magnam phantasiæ ad faciliter intelligendum, & in dispositionem, vel aptitudinem ad stultitiam, insaniam, & alias passiones. Si ergo Deus vult facere aliquem hominem perfectum in aliquo prædictorum, vel defectuosum: non oportet, quòd semper ei infundat ista, sed sufficit, quòd eum in tali tempore concipi, & nasci faciat; in quo secundum conditionem operationis cœlestis, necesse sit ista accipere: & sic si aliquis oret Deum, vt det ei filium sapientem valde, & bonis moribus ornatum inquantum inclinatio naturalis valet, obtinebit eum si Deus inclinet eum ad gignendum in tali tempore, in quo contingat corpora cœlestia hæc influere. Ex hoc, illi, qui naturali ingenio excellentes sunt, si sciunt, etiam per infusionem, nihil sibi datum, sed quidquid habent naturaliter euenisse, ita debent Deo gratias referre, velut si eis per infusionem tale ingenium præstitisset, scilicet, quia ideo sibi hoc euenit, quia Deus inclinauit parentes eorum ad gignendum in tali tempore, in quo ista naturaliter euenirent: & si ipse non inclinasset, nunquam sic facturi essent: nisi fortè dicat, quòd ex accidenti hoc fuit, sed istud repugnat omni catholicæ positioni, & etiam philosophicæ veritati, quia nihil potest esse omnino à fortuna, sed necesse est cuncta esse præuisa, quia regimen vniuersi temeritati committendum non est. Non ergo accidit istum, qui in tali tempore genuit, sic genuisse, quasi nullus eum mouerit magis ad illud tempus, quàm ad aliud, necesse est aliquam causam esse præuidentem, & inclinantem, vt nihil excedat, aut subterfugiat diuinam prouidentiã: & tunc magnas gratias agere Deo debebo, quia ipse voluit inclinare parentes meos ad me in tali tempore gignendum sub hac intentione, in qua necesse esset me dispositum esse valde super omnes alios homines ad intelligendum, & ad quandam naturalem morum honestatem, ad quod non inclinauit multos alios. Secundo modo Deus cõfert supernaturaliter ad generationem alicuius, cùm semen patris, & matris est omnino indispositum ad aliquid gignendum, vel saltem semen alterius eorum, & istud est in seminibus. Iste modus est excellentioris operationis Dei, quàm præcedens, quia in præcedentibus non disponebat semen, quia ipsum in se dispositum erat, seo solum inclinabat ad gignendum in tali tempore, in quo semen sit dispositum. In isto autem modo semen non erat dispositum, nec poterat naturaliter disponi, & Deus illud supernaturali operatione disponit. Tertius modus est, quando Deus non solùm semen disponit, sed etiam administrat: sic fuit in conceptu Isaac: nam Sara erat iam prouectæ ætatis, & desierant ei fieri muliebria, vt Gen. 8. cap. Et Muliebria, id est fluxus menstrualis, sunt materia ipsius fœtus formandi: & sic nõ solùm erat virtus actiua formatiua indisposita ad generationẽ, sed etiam pars materialis: nam ex menstruo formatur fœtus, & iste modus est mirabilior, hic autem vtrumq; deficit. Quartus modus operandi in conceptione supernaturaliter est quando Deus semen non disponit, nec administrat, sed ex solo semine, vel menstruo muliebri fœtum format: & sic fuit in conceptu Saluatoris nostri: & iste modus est excellentior omnibus alijs, quia in alijs cõmixtio seminis masculini, & fœminini est: hic autem solùm menstruum muliebre. In primo modo horum sunt multi homines, quos Deus voluit gigni in tali tempore, in quo essent excellentes valde in aliqua perfectione naturali, siue roboris, siue sapientię. In secundo modo est Samson, Esau, Iacob, Samuel, Ioannes Baptista. In tertio modo est Isaac. In quartò modo solus Christus: ideo Christi conceptio fuit excellentior, quàm conceptus cœterorum hominum: deinde conceptus Isaac fuit excellentior, & miraculosior conceptu Samsonis, & reliquorum, & sic per ordinem.

D *Corpora cœlestia inclinant homines ad multa.*

E *Nihil potest esse omnino à fortuna.*

F *Ex mẽstruo formatus fœtus.*

Determin. quæstionis.

Deus triplici ter potest operari ad conceptum supernaturaliter genitum.

C

An postquam angelus nunciauit patri, & matri Samsonis, quòd habituri erant filium, obligabantur conuenire carnaliter, vel erat sibi liberum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, postquam angelus nunciauit patri, & matri Samsonis, quòd habituri erant filium, an obligabantur conuenire in vnum, & an peccarent, si non darent operam proli. Aliquis respondebit, quòd non tenerentur conuenire carnaliter, quia actus matrimonialis non est sub præcepto impositus, sed sub indulgentia datus ad tollendum fornicationem, quam aliter difficulter excusaremus vt patet 1. Cor. 7. cap. ideo coniugati non obligãtur conuenire, sed potius si pari cõsensu abstineant valde merentur, & sic Apostolus magis cõsulit virginẽ esse, quàm nubere: erit ergo similiter melius in primo matrimonio continere, quàm amplexibus vacare. Respondendum, quòd obligabantur Manue, & vxor eius post istam denunciationem angelicam conuenire carnaliter, quia Deus denunciabat eis filium nasciturum, & hunc per carnalem commixtionem: si autem ipsi nollent cõuenire carnaliter, repugnassent volũtati Dei, scil. quia nollent gignere filium, ergo peccabant. Sed aliquis respondebit ad hoc, quia non obligarentur, quia angelus denunciabat eis, quòd habituri essent filium si conuenirent carnaliter, & quia istud erat in fauorem eorum, & licet, cuique renunciare ei, quod pro se introductum est, vel in fauorem suum, possent ipsi licitè, imò magis merendo abstinere, scilicet, quòd magis vellent abstinere propter Deum, & non gaudere de filio, quam gaudere de filio, & non abstinere. Respondendum, q̃ nõ stat ista ratio, sed obligabantur pater, & mater Samsonis post verba angeli vacare proli quousq; scirent cõceptam prolem, eo quòd istud erat eis nunc sub præcepto. Et non valet ratio in contrarium, scil. quòd poterant renunciare ei, quod in fauorem eorum introductum fuerat: respondendum, quòd si in solum fauorem eorum fuisset filius introductus, licebat eis renunciare, scilicet, nolle habere illum, vt gauderent in eo: erat tamen iste nasciturus magis ad populi Israel vtilitatem, scil. vt liberaret populum: nam dixit angelus: ipse liberare incipiet populum meum de manu Philisthinorum: si ergo noluissent isti coire ad habendũ hunc filium, peccassent mortaliter præiudicantes toti Israel, ad cuius salutem puer iste nasciturus erat. Etiam peccabant contra Deum, quia vellent turbare modum dispositionis eius, scilicet, quia ipse dispossuerat liberare per puerũ illum, & ipsi nolebant. Item confirmatur hoc per consimile, quia licèt nunc nulla necessitas sit ad conueniendum carnaliter cum aliqua, sed magis meretur potius, qui nunquam conuenit, tamen aliquando fuit præceptum, & necessitas conuenire, scilicet ab exordio seculi, quia Deus volebat genus humanum prodire modo propagatiuo, qui pertinet ad speciem, & hoc sine coitu non fit: ideo iussit expresse, crescite, & multiplicamini, & replete terram: Genes. primo. Vnde si quis fuisset in exordio primæ ætatis, vtputa filius, vel nepos Adam, qui proli vacare nollet, peccaret mortaliter: & maximè peccaret Adam, si nollet cognoscere Heuam, & hoc quia præceptum vrgebat, & etiam necessitas erat ad sic multiplicandum genus humanum. Ita nunc erat necessitas coitus Manue, & vxoris suæ ad gignendum Samsonem: & hoc, quia iste erat liberaturus Israel. Etiam Deus iubebat illum gigni. Sed adhuc dicendum, quòd dato, quòd angelus non expressisset, quòd iste puer liberaturus esset Israel, sed solùm diceret, quòd genituri essent quendã filium, quem facerent Nazaræum, tenebantur sub pœna peccati mortalis conuenire in vnum ad gignendum, quia ex hoc, quòd dicebat Angelus, quòd facerent eum Nazaræum, dicebat eum domino specialiter applicandũ, & significabant Deum velle quendã cultũ specialem in ipso: nam obseruantia Nazaræorum erat in veteri testamento aliquid supererogationis, sicut cõsilia in nouo testamento: nolle ergo coire ad gignendum puerum, in quo Deus talem cultũ sibi prædicabat, erat velle impedire cultum Dei, ideo peccarent mortaliter. Item dato quòd angelus solùm dixisset, quòd gignerent filium, & non imponeret ei aliquam obseruantiam: si ipsi nollent conuenire carnaliter, peccabant: quia Deus non solet iubere, vel prænuntiare aliquid specialiter, nisi ad aliquod bonũ specialiter: sed ipse non solebat prænuntiare alijs, quòd genituri sint filios, & prænunciauit hoc in Manue; ideo satis apparebat, quòd aliquid magnũ facere vellet de Samsone inde gignendo: q̃ ergo istud impedirent parẽtes, erat peccare mortaliter. Item cùm Manue sciret se habere vxorem sterilem, & nunc à Deo promitti filium, videbat magnam liberalitatem Dei erga se: quod ergo nollet cõuenire carnaliter cum vxore ad gignendum, erat ingratitudo, & contemptus diuini beneficij, scil. quia nolebat beneficium sibi sponte à Deo oblatum. Et ratio potissima est, quia nescit an ille filius sit ad aliquod magnum bonum, quod ipse perturbaret nolendo conuenire carnaliter. Vnus casus est, in quo videtur licitum alicui non vacare proli ad habendũ filium, quanquam prænuntietur ei quòd habebit à Deo filium, scilicet si quis orans sæpe petiuit filium cum sterilis esset vel aliàs non potens generare, & postea angelus denunciauit ei, quòd Deus cõcesserat quod petebatur, si iste nimis afficiatur ad continendum poterit non conuenire carnaliter ad habendum filium. Et ratio est, quia cùm ad preces eius cõcessus fuerit filius, videtur introductus in fauorem eius, & licet ei renunciare illi: potissimè cùm hoc facit non contemnendo Dei beneficium, sed desiderio continentiæ. Non sic est de illo puero, qui erat ad aliquod magnum bonũ, quia tunc parentes tenentur sub pœna peccati mortalis conuenire. Sed adhuc dato q̃ precibus cõcessus sit, & non exprimatur de eo, quòd aliquid magnũ facturus sit, videtur securius, q̃ parentes cõuenirent, quia verissimũ est, quòd aliquid speciale Deus per illum facturus sit: & sic licèt in vno casu nõ obligentur parentes ad conueniendũ carnaliter, videtur tamen vniuersaliter tutius esse conuenire. De patre autẽ, & matre Samsonis manifestius est, quòd obligarentur propter causas assignatas supra. *Caue ergo ne vinum bibas, ac siceram.* Hic ponitur obseruantia propter puerum nasciturum, & imponitur duplex, scilicet, vna matri, & alia filio, vt patet infra.

Casus in quo licèt alicui non vacare proli ad habendum filium.

Quare imposita fuit matri Samsonis hæc obseruantia, & vsque ad quantum tempus.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quare imposita fuit matri iste obseruantia, & vsq; ad quantũ tempus. Ad primum respondendum, quòd sicut Deus voluit sibi consecrare Samsonem per specialem cultum Nazaræorum incipere obseruationem, eo quòd faciebat eum liberatorem populi sui, & dabat ei vires excellentes: ita voluit ad reuerentiam pueri nascituri matrẽ esse mundam, & obseruare omnia hæc, quæ pertinebant ad quandam excellentiã munditiæ: nam q̃ aliqua res sit nimiũ, vel modicum reuerenda, ex cæremonijs ei exhibitis apparet: nam cui multas cæremonias honoris exhibemus, multum honorabilis est: illa verò cui paucas facimus, iudicatur minus honorabilis: vt ergo donum Dei conferendum Samsoni magis honorabile videretur, non solùm iussum est, quòd ipse esset Nazaræus, sed etiam, quòd mater seruaret hæc. Ad secundum dicendum, quòd ex litera non apparet vsquequo mater deberet obseruare cæremonias istas, & tamen dicendum, quòd illas obseruaret vsquequo pareret, quia mater non obseruabat cæremonias istas propter se, sed propter filium; & tamen ex obseruatione matris in similibus non videtur aliquod filio aduenire, nisi quando mater aliquo modo identificatur filio: sed mater identificatur saltem apparenter filio, quandiu est in vtero, ideo tunc debebat obseruare circa matrem munditiam hanc: nam quando filius est extra vterũ, iam apparet quomodo sit distinctus à matre, & tunc debebat incipi seruari in puero munditia, quę habẽt in litera, ergo cessabat munditia circa matrẽ seruari alioquin dicetur, quòd matri non iubebatur munditia ista, inquantum identificabatur aliquo modo cũm filio, sed inquantum erat causa eius, & tunc nõ solùm matri, sed etiã patri iniungenda fuisset ista obseruantia, quia etiã ipsa erat causa filij præcipua, nihil tamen patri iussum est. Posset tamẽ satis rationabiliter dici, quòd ista obseruantia in matre debebat esse vsquequo puer ablactaretur, quia sicut cum puer est in vtero, ipse de

Si Adã non cognouisset Heuam carnaliter peccasset mortaliter.

A

ſubſtantia materna nutritur, ita dum eſt extra vterum nondum ablactatus cõtinuè nutritur de ſubſtantia matris, & ob hoc mater munda eſſe debebat, vt non videatur aliquid immundum pertinere ad filium propter matrem : ablactato autem filio, quia iam nihil ipſius matris communicabatur filio : ceſſaret obſeruatio munditiæ in matre. Et eſt ſatis rationabilis poſitio iſta : magis tamen eſt firmũ, quòd ſolùm ſeruaret hoc vſq; ad partum, quia in litera dicitur : Caue, nè vinum, & ſiceram bibas, aut quidquam immundũ comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget nouacula caput. Et ſic erat iſta obſeruantia, quia debebat concipere, & parere : ergo poſtquam concepiſſet, & peperiſſet, liberatur ab hac obligatione.

Quo tempore iſta obſeruatio debebat inchoari.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, quo tempore iſta obſeruatio debebat inchoari. Aliquis reſpondebit, quòd debebat inchoari prima die, qua accederet ad virum: nam dixit angelus, quia concipies, & paries, ſed concipere nõ debebat vſq; quo vir tangeret eam : ergo vſq; ad illud tempus non tenebantur ad hanc obſeruationẽ. Item abſtinentia erat propter

B

aliquam cauſam, ſcil. quòd cõcipere debebat : ergo quando non ſuberat aliqua cauſa, ſcil. quia nondum conceperat, nõ videbatur propter quid deberet abſtinere. Reſpondendum, quòd tenebatur mulier iſta abſtinere ex eo tempore, ex quo iſta dicebantur : nam præcepta negatiua omni tempore obligant, niſi in eis exprimatur tempus, quo debeant obligare, affirmatiua autẽ ſolùm pro loco, & tempore : ſed præceptũ iſtud erat negatiuũ, ſcil. de nõ comedendo, ſiue de abſtinendo, & abſtinentia negationẽ importat, & non limitauit tempus aliquod ipſe angelus, ergo immediatè obligauit. Item aut præceptũ iſtud ſeruari debebat poſtquã mulier concepiſſet, aut prius : nõ poſt ſolùm, quia tunc repugnat literæ, quæ dicit : immundum quidquã non comedas, quia concipies. Et ſic ponitur ibi, concipies, tanquam aliquid futurũ ad obſeruationem iſtam, & ſic priuſquã conciperet debebat obſeruare hoc. Item debebat ex tunc incipere, vt quando conciperet eſſe iam munda, & diſpoſita per obſeruationẽ præcedentem : ſi autẽ non obſeruaret aliquid vſq; quo iam cõcepiſſet, eſſet cõceptus in immunditia. Ideo tam neceſſarius videbatur ad honorẽ nati apparatus obſeruationis ante conceptũ, ſicut poſtea : imo iſta erat ratio potiſſima, ſcil. vt videretur iam ſanctificata mater, quando conciperet filium illum. Ad

Præcepta negatiua omni tempore obligant.

Ad rationem primã.

rationem primam in contrariũ dicendum, quòd quanquam non conciperet quouſq; tangeretur à viro, tamen prius debebat ſe continere ab immundis, quàm accederet ad virum,

C

quia iſta obſeruantia fiebat ad diſponendam matrem, vt eſſet ſanctificata, quando iam cõciperet. Item iſta probatio potius inducit propoſitũ noſtrũ, quàm oppoſitũ, quia cùm dicatur, ꝙ abſtineret ab immũdis, quia cõceptura erat, ergo antequã

Ad rationem ecundã

conciperet debebat obſeruare iſtud. Ad ſecundam rationẽ, quando dicitur, quòd abſtinentia erat propter aliquam cauſam, & tunc non videbatur aliqua cauſa quare abſtineret : reſpondendum, quod cauſa magna ſuberat, ſcilicet, vt mater eſſet diſpoſita per ſanctificationem ad fœtum, quia ex Dei dono gignebatur.

An mater Samſonis obligata eſſet ad votum Nazaræorum.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlterius, de iſta obſeruatione, ſcil. an mater Samſonis obligata eſſet ad votum Nazaræorum Aliquis dicet, quòd ſic, quia iſtæ ſunt cæremoniæ, quæ imponuntur Nazaræis, vt patet de ritu eorum : Nu. 6. In contrarium dicet aliquis, quòd non iubebatur ei ritus Nazaræorum, quia iſte ritus ad maſculos pertinet, ideo non iuberetur matri Samſonis. Dicendum non ſtare hoc, quia votum Nazaræorum tam viro, quàm fœminæ conuenire poterat, quòd patet dupliciter. Primò, quia lex dicit Num. 6. Vir, ſiue mulier, cùm fecerint votũ domino, & ſe conſecrare voluerint &c. & ibi eſt totum cap. de voto Nazaræorum, ergo patet, quòd iſtud votum non competeret mulieribus, ſi fortè eſſet aliqua cæremonia in voto Nazaræorũ, quæ non poſſet conuenire fœminis, & tamen non erant aliqua, quæ indifferenter non conueniant viris, & fœminis, vt patet diſcurrendo per eas : Nu. 6. Sed adhuc dato, quòd competeret fœminæ votum iſtud, non apparet an mater Samſonis obligabatur ad illud ex iſtis, quæ dixit ei angelus. Reſpondendũ, ꝙ votum Nazaræorũ poterat eſſe dupliciter, ſcil. perpetuũ, & temporale: nam poterat ſe quis conſecrare domino per illud votũ ad ſemper. Temporale erat, quando quis volebat certo tempore obſeruare cæremonias Nazaræorũ ſolùm, & iſtud erat ad placitũ vouentis, ſcil. per annũ, vel duos annos, aut menſem, & ſic de cæteris. Si autem erat temporale erant duplices cæremonię, vel triplices : ſi autẽ perpetuum erant ſimplices, ſcil. quędam cæremoniæ erant, quas obſeruarr debebat Nazaræus temporalis incipiens votũ, vſq; ad cõſummationem : aliæ erant quas faciebat ad ſolennitatẽ expletionis voti : aliæ erant, quas faciebat ſi fortè interrumperetur votum per aliquã immundiciam ſuper mortuo quã incurreret Nazaræus, quia tunc factis quibuſdã cæremonijs repetebatur votum. Primæ cæremonię erant, ꝙ vouens iſtud votũ debebat abſtinere à vino, & ſicera, aut omni potu, aut cibo, qui poteſt inebriare. Etiam nõ comedebat vuas recentes, aut ſiccas, aut quidquid vllo modo ad vuas pertinet, aut quod ex vuis ſit. Etiam acetũ non comedebant, & ſuper mortuos nõ debebant pollui vllo modo, ſcil. tangendo eos nec eundo ad funera, aut plangendo pro illis in funere, licèt poſſet ſecretè lugere. Etiam non poterant ingredi in domum, in qua aliquis mortuus erat, nec licebat eis ſepulchra tangere, aut oſſa cadauerum in agro reperta. Etiam ex die conſecrationis ſuæ, vel voti non debebat nouacula aſcẽdere ſuper caput eorum. Secundæ cæremoniæ ſunt, quas faciebat Nazaræus temporalis in expletione voti ſui, ſcil. quòd omnes capilli eius tondebantur die vltima in ſanctuario, & cremabantur in altari holocauſtorum, ſicut quodlibet aliud ſacrificium. Etiam offerebat illa die ad oſtium tabernaculi agnum anniculum in holocauſto, & ouem pro peccato, & arietem in hoſtiam pacificam, & caniſtrum azymorum, & libamina omnium iſtorum ſacrificiorum, & in iſtis ſacrificijs fiebant à ſacerdotibus cæremoniæ, quæ habentur Numero ſexto. Tertiæ cæremoniæ erant, quæ fiebant quando ante completum votum Nazaræus incidebat in aliquam immundiciam, vtpotè ſi tangebat aliquem mortuum, vel aliquis ſubito moriebatur coram eo. Nam eodem die, quo pollueretur, debebat radere totum caput, & iterum die ſeptimo poſt hoc radebat capillos renaſcentes. Die autem octauo offerebat duos turtures ſacerdoti ad oſtium tabernaculi, vel duos pullos columbarum : vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum, & ex eo die incipiebat de nouo votum ſuum, quaſi ſi nihil ante hoc obſeruaſſet. Iſta tria genera cæremoniarum erant pro Nazaræo temporali : Nazaræus autem perpetuus ſolùm obſeruabat primum genus cæremoniarum, ſecundas autem non, quia ipſe nunquam finiebat votum, & illæ erant in die expletionis voti : tertias autẽ non obſeruabat, quia illæ erant quando Nazaræus polluebatur ad hoc, quòd reciperet votũ ſuũ, & eſſet tunc mundus quando inciperet, quia aliàs quidquid poſtea faceret, reputaretur factum in immundicia, & illæ cæremoniæ mundificabant pollutum. Sed Nazaræus perpetuus non reincipiebat votum, eo quòd qualitercunq; ſe haberet ſemper debebat obſeruare in perpetuum votum illud : ergo ſolum manebant ei cæremonię primi modi. De his omnibus Num. 6. Nunc dicendum de matre Samſonis, quòd ipſa non erat obligata ad votum Nazaræorum, quia nõ ad perpetuũ, nec ad temporale : ergo ad nullũ. De primo patet quia ſupra declaratum eſt, quòd obſeruatio matris Samſonis ſolùm extendebatur vſquequo pareret. Etiam nõ erat temporalis obſeruatio, quia tunc impoſuiſſet ei angelus omnia, quæ pertinebant ad iſtam obſeruantiam, ſed ſolùm impoſuit de his, quæ pertinebant ad Nazaręorum obſeruationẽ, ſcil. ꝙ nõ biberet vinũ, nec ſiceram, & omiſit omnia alia, ſcil. comeſtionem omnis generis vuarum, & aceti, & nõ tonderi capillos nouacula, & cæteras cæremonias omnium

D

Dupliciter votum Nazaræorum eſſe poterat.

Prima cæremonia Nazaræorum ad tempus vouentium.

E

Secunda.

De matre Sãſonis penes obſeruantiã cæremoniarum Nazaræorum

F

rium modorum ſupra poſitorum. Item patet iſtud, quia ſi intendiſſet ponere ei angelus obſeruationem Nazaræorum cùm filius naſciturus deberet eſſe Nazaræus, impoſuiſſet ei, quòd ſeruaret ea, quæ puer ſeruaturus erat : & tamẽ ei ſolùm

dixit

dixit cauere vinum,& res immundas: de puero autem dixit, quòd ipse esset semper Nazaræus, & nunquam ascenderet nouacula super caput eius. Item cum angelus nollet explicare in particulari omnia,quæ seruaturus erat puer,dixit quòd futurus erat Nazaræus,vt per hoc intelligeretur,quòd deberet tenere regulam Nazaræorum: Num. 6. De matre ergo, cùm dixit, quod non comederet immunda,nec biberet siceram, aut vinum, dixisset,quòd ipsa Nazaræa futura esset hoc modico tempore,& tamen nihil addidit per quod hoc intelligeretur, ideo non debebat ipsa seruate votum Nazaræorũ. Item matri Samsonis iubebatur hic obseruare quasdam cæremonias propter filium nasciturum, sed quòd obseruaret votum Nazaræorum nihil ad hoc attinebat. Nam tota consecratio Nazaræorum erat in capite, vel capillis: ideo Nu. 6. nil vocatur in Nazaræo consecratũ, nisi caput. Etiam quando polluebatur Nazaræus nihil dicebatur pollui, nisi caput, & ipsum solum radebatur. Etiam quando desinebat votum Nazaræorum soli capilli tondebantur, & dabantur ad cremandum in altari holocaustorum iussu Dei. Hæc omnia habentur Num. 6. & tamen consecratio capillorũ matris Samsonis nihil attinebat ad Samsonem: ideo frustra erat ei imponi obseruattonem Nazaræorum.

In capite erat Nazaræorum consecratio.

Quare imponebantur matri Samsonis quædam attinentia ad votum Nazaræorum, si non erat obligata ad illud.

QVÆSTIO XIII.

VLTERIVS quæretur, cùm mater Samsonis non esset seruatura votum Nazaræorum, quare imponebantur ei quædam pertinentia ad illud, scilicet non bibere vinum, & siceram, & non comedere aliquid immundum. Aliqui dicunt tenentes superiorem positionem, quod matri Samsonis impositia fuit obseruatio Nazaræorum, quia fuerunt ista dicta, vt per ea intelligerentur alia,quæ pertinebant ad votũ Nazaræorum.Sed dicendum,quòd non stat,quia supra probatum est, quòd nõ fuit impositia ista obseruatio matri Samsonis, nec valet fundamentũ eorum, scil. quia imposita fuerunt hic quædam pertinentia ad Nazaræos: nam nullũ istorum pertinebat specialiter ad Nazarẹos. De primò patet, quia licèt Nazaræi non biberent vinum Numeri sexto. tamen non erat istud speciale eis, quia etiam sacerdotes toto tempore quo manebant in sanctuario ministrantes, non poterant vinum, aut siceram bibere, vel aliud inebriatiuũ: Leu. 10. ca. vnde si quis de sacerdotibus, veniente vice sua, deberet ministrare in aliquo ministerio in sanctuario per vnum mensem continuè:non debebat toto illo mense bibere vinum. Secundum etiam quod iubebatur, scilicet, quod non comederet aliquid immundum, non erat speciale Nazarẹis, quia erat præceptum omnibus Israelitis, vt patet Leu. 11. & Deuter. 14. vbi determinantur res immundæ, & mundæ, & vetantur omnibus immunda. Etiam nõ comedere immunda non erat præceptũ Nazaræorũ: nam omnia præcepta illorũ ponũtur Nu.6. & tamen nõ ponitur ibi hoc. Dicendum ergo, ꝙ Deus non iussit hic aliquid istorum, in quantũ pertinebat ad Nazaræos, nec expediebat sub hac ratione iuberi, sed solùm voluit, quòd mater Samsonis seruaret quandam mundiciam, & reuerentiam, quia conceptura erat filium sanctificandũ. Et proficiebant ista duo imposita homini dupliciter: primò ad quandam reuerentiam,scilicet, quia cùm iuberetur matri Samsonis se abstinere ab his, quia erat paritura Samsonem, significabatur eum futurũ magnũ. Et ista ratio supra assignata est, & ad hoc principaliter pertinebat non bibere vinum, aut siceram, quia ista interdũ inebriant, & per ebrietatẽ reddit quis valde despicabilis, & potissimè mulier, & quia istud vergebat in dedecus nasciturị, debuit abstinere ab his, nè aliquando inebriaretur. Etiam est sic de rebus immundis, quia inter Hebræos res immundæ determinatæ à lege erant abominabiles, & habebantur vt vtiles, qui comedebant eas, pertineret ad dedecus Samsonis matrẽ suam his pollui. Secundum erat ex parte nutritionis fœtus, scil. quia fœtus in vtero nutritur de substantia matris, scil. de sanguine suo, & postea etiam sanguis iste conuertitur in lac, vt inde fœtus eductus de vtero alatur, sicut disponitur sanguis mulieris,ita disponitur nutritio fœtus, & quia res immundæ causant immundũ nutrimentũ,& disconuenientẽ fętui, non debuit comedere res immundas. De vino, & sicera eodem modo applicari potest. Et sic ista iussa sunt matri Samsonis, non inquantum sunt partes voti Nazaræorum,sed ob aliam causam. *Nec immundum quidquam comedas.* Solùm vetantur in potu illa, quæ poterant inebriare, & in cibo res immundæ.

Immunda quæ matri Samsonis comedẽda vetantur,quæ nã fuerant.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quæ immunda erant ista. Respondendũ est, quòd dupliciter accipi potest: vno modo vocantur immunda omnia, quæ lex iudicauit immunda, siue in comedendo, siue in tangendo, & sunt multa genera animaliũ quadrupediũ vetita, & volucrũ, & piscium, & omnia reptilia: insuper res, quæ per se moriuntur, aut occiduntur à bestijs, sunt immundæ. De his omnibus Leu.11. & Deut.14. c. Omnia hæc vetita erant Iudæis in cibo. Alio modo possunt vocari immunda omnia, quorũ cibus mundus, vel sanus non est: nam etiã in eis, quæ concessa sunt à lege erant aliqua interdum, quæ non causabant conuenientem cibum, & ab his vtile erat abstinere. Sed dicendũ, ꝙ hic vocantur immunda primò modo à quibus lex vetabat. Et hoc patet, quia solùm dicitur, ꝙ caueret ista mulier immunda, & nõ exprimitur, quæ essent illa immunda, quasi ei nõ essent: & hoc, quia lex deducta in quotidianum vsum omnium Hebræorũ ab antiquo fecerat illa cognita: si tamen intelligeretur de alijs rebus immundis, necesse erat, quòd exprimerentur, quia mulier non nouerat, quæ illa essent, & præceptum non daretur in certum,quia esset valde irrationabile, nec obligaret.

Quare iubebatur hic matri Samsonis, quòd non comederet immunda.

QVÆSTIO XV.

VLTERIVS quæretur,quare iubebatur hic matri Samsonis,quod non comederet immunda, quia istud necessariũ erat iam, cum lex illud posuisset, & dato quòd non paritura esset, obligabatur. Respõdetur, quòd hoc ponitur, non quasi non obligata esset ad istud obseruandũ, sed ad significandum specialem sanctimoniã, quàm debebat mater seruare propter filium nasciturum, scil. quia dato quòd lex non iussisset illud prius, deberet nunc illa obseruare hoc. Alia ratio est,scil. quia ponitur istud præceptum hic per modum repetitionis: est enim consuetudo sacrę scripturæ quędam præcepta sæpe scribendo repetere & hoc, vt magis memoriæ commendet illa, quia sunt valde necessaria: ita licèt nunc non esset necesse repeti quod iam scriptũ erat, propter magnam tamen necessitatem præcepti huius repetitum fuit matri Samsonis. Aliter potest dici, quòd quædam præcepta repetuntur sæpe, quia sunt homines faciliores ad peccandũ contra illa, & quia sic erat de comedendo immunda, licèt iam essent ista iussa, repetiuit illa angelus mulieri. Aliter dici potest, quòd ponitur ad significandum specialem obligationem, scil. quia generaliter ex præcepto legis erat obligata mater Samsonis ad hoc, sicut cæteri Hebræi: quia tamen Deus volebat specialiter obligare eam ad tenendum mundiciam propter puerum nasciturũ, expressit ei de ciborũ mundicia, vt sic specialiter obligaretur. Aliter etiam potest dici, quòd licèt Hebræis præceptum esset de ciborum mundicia, tamen circa quædam non obseruabant illam mundiciam nõ curantes, vel faciliter peccantes, sicut nos solemus peccare in quibusdam peccatis communibus: & quia si non iuberetur nunc specialitet matri Samsonis abstinere ab immundis, fortè interdum comederet immunda, quod erat contra intentionem Dei, qui volebat magnam puritatem seruari hic propter fœtum nasciturum, ideo conueniens fuit, quod exprimeretur de ista mundicia, & ista fuit causa potissima.

Cùm angelus iusserit nunc matri Samsonis aliquid, ad quod erat obligata ex lege, an fuerit causata ex hoc aliqua noua obligatio. Et an excommunicatus posśit vltra excommunicari.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, vlterius, cùm Angelus iussit nunc matri Samsonis, nè comederet immunda, & lex prius dixerat

de hoc,

A

de hoc, an esset aliqua noua obligatio. Ad hoc respondendum, quòd præceptum inducit obligationem: & quia nunc iubebatur matri Samsonis necesse erat, quòd obligaretur. Nec obstat, quòd iam obligata esset ad hoc, quia obligatio ligamen quoddã est: sed in ligamentis corporalibus, qui ligatus est amplius ligari potest: ergo in obligatione ad aliquid faciendum, qui obligatus est poterit magis obligari: simile patet in excommunicatione: nam qui excommunicatus est amplius excommunicatur, & tamẽ quẽlibet excõmunicatio est aliquod ligamen: ergo ligatus ligatur. Sed considerandũ, quòd in excommunicatione est ligamen, quod est aliquid positiuum, & est ipsa pœna excommunicationis priuatiua: nam excommunicatus non dicitur quantum ad aliud ligari, nisi quòd per sententiam excõmunicationis latam in eum, siue à Canone, siue ab homine, obligatur ad tenendum pœnam priuationis cuiusdam. Et ista ligatio non magis est in excommunicatione, quàm in quibuscunque pœnis impositis à iudice Ecclesiastico: potissimè in foro conscientiæ vtendo clauibus: ideo imponendo alicui, quòd pœniteat per tot dies dicitur ipsum ligare. Nam ob hoc vocatur clauis ligandi & soluendi, quia est potestas ad remittendum pœnam, vel obligandi nos ad pœnam. Est autẽ aliud in sententia excommunicationis, scilicet, priuatio à Sacramentis, & Communione fidelium, & ista est pœna priuatiua. De hoc dicendũ, quòd quantum ad istam pœnam priuatiuam non potest aliquis magis ligari aut minus, & postquam est ligatus non potest magis ligari, quia qui extra Ecclesiam est non potest magis extra Ecclesiam esse, potest tamen esse distantior ab Ecclesia, & hoc operantur excommunicationes iteratæ, scilicet, quia faciunt excommunicatum distantiorem esse ab Ecclesia, & ideo tardius, & difficilius reuocatur, & reconciliatur Ecclesiæ, qui pluribus sententijs innodatus est, quàm qui vnica. Etiam, quia licèt priuatio secundum se non habeat magis, & minus, tamen bonum, quo quis priuatur habet magis, & minus vnde potest quis priuatus magis priuari. Et sic est in sententijs excommunicationis iteratis, quia per quamlibet illarum subtrahit excommunicatio aliquod Dei adiutorium, si iustè excõmunicatur, & nouo bono semper priuatur: ergo ligatus adhuc potest religari. Simile etiam est in voto, quia interdum obligant se homines voto ad ea, ad quæ aliàs obligati sunt, sicut est in votis Baptismalibus, in quibus vouemus recipere fidem, & abrenunciare Satanæ, & pompis eius. Et ob hoc magis peccat, qui facit contra fidem, postquã illã suscepit in baptismo, quàm prius: licèt etiã prius obligatus esset ad omnia, quæ erant in Euangelio, & peccabat non agendo illa. Sic etiam dicendum de præceptis decalogi, quia antequam darentur obligabant omnes homines, cùm insint conscientiæ nostræ, sine aliqua lege data, vt colligitur ad Rom. 2. Et tamen postquam data sunt, causauerunt aliquam nouam obligationem: vnde non immeritò Deus petiuit consensum Hebrẽorum ad dandum eis legem: Exod. 19. cap. & ob hoc illi, qui peccant contra hæc præcepta postquam data sunt, magis peccant, quàm à principio. De matre autem Samsonis sic dicendum, quia à principio ipsa erat obligata ex lege ad non comedendum immunda, & nunc nouiter obligata fuit ad idem: ideo peccaret magis transgrediendo: nam esset maior contemptus, quàm præuaricari mandatum semel datum. *Quia concipies, & paries filium.* Quasi dicat propter filium nasciturum ex te, qui erit domino sanctificatus, debes tu nunc seruare mundiciã, & esse disposita ex nunc.

Notandum de ligamine excommunicationis.

B

Potest aliquis magis distare ab Ecclesia altero.

C

An fuerit Samson sanctificatus in vtero.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlterius, an fuerit Samson de sanctificatis, seu consecratis in vtero, sicut dicimus Ieremiam, & Beatum Ioannẽ Baptistam. Quidam dicunt, quòd sic, quia dicitur hic: Erit enim puer Nazaræus domino ex vtero matris: & tamen Nazaræus significat consecrationẽ, vel benedictionẽ, vt patet Nu. 6. Respondendũ secundũ positionem communẽ, quæ est doctrina sanctorũ, & ferè omniũ doctorum, quòd Samson non fuit sanctificatus in vtero, sicut Ieremias, vel B. Ioãnes. Et ratio ad hoc potest esse duplex. Prima est, quia sanctificati in vtero non possunt peccare mortaliter, vt est doctrina cõmunis: Samson tamen peccauit sæpe mortaliter. Item, quia de Samsone non dicitur, ꝙ fuerit sanctificatus in vtero matris, sicut dicitur de quibusdã, scil. Ioanne, & Ieremia. Dicendũ, ꝙ non fuit cõsecratus, vel sanctificatus in vtero, sed ex vtero, scil. ꝙ fuit antequam exiret de vtero obligatus ad obseruandum cæremonias Nazarẽorum, & illas obseruare debebat ex prima die natiuitatis: & hoc est ex vtero, id est immediatè, vt egrederetur de vtero. Sanctificati tamen in vtero matris non sanctificantur ex vtero, id est postquam exeunt, sed interius sanctificantur, scil. tollendo eis culpam originalem, & confirmando eos, nè possint mortaliter peccare: in Samsone autem non erat sanctificatio, sed quædam consecratio, id est obseruatio cæremoniarũ Nazaræorum ex die, quo nasceretur vsq; ad mortem: sanctificati autem non consecrantur domino mox, vt exeunt de vtero, sed intra vterum, sicut patet de Ieremia, qui dicitur esse vnus de istis, & legitur Iere. 1. scil. Priusquã te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre, sanctificaui te. De B. Ioanne simile est Luc. 1. Erit puer magnus coram Domino, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris. Satis tamen dici potest secundũ veritatẽ, licèt sit contra doctrinã antiquorum, quòd non sit talis sanctificatio, qualem volunt doctores nostri. Nam volunt, quòd Deus aliquos in vtero, sic sanctificauerit, quòd maculam originalem abstulerit, & animã eorum impeccabilẽ fecit, scil. culpa mortali. Et hoc quidem nõ nego fieri posse ex Dei priuilegio. Etiam nõ nego factum fuisse in aliquibus, tamen in applicatione errant, qui dicunt Ieremiam fuisse huiusmodi. Quod probant, quia Iere. 1. dicitur: Et antequam exires de vtero sanctificaui te. Sed istud nihil est, quia sanctificare non accipitur ibi pro mundare, vel facere sanctum, id est impeccabilem, sed pro disponere, vel præordinare aliquid ad aliud: vt si quis præordinatur ad prædicandum, dicitur sanctificari ad prædicandum: iste modus loquendi est frequentatus in sacra scriptura, sicut patet Exod. 19. cap. scil. Sanctificamini in diem tertium: lauate vestimenta vestra, & nõ appropinquetis vxoribus vestris. Et sic accipitur sanctificamini, id est parati estote. Et hoc apparet clarius, quòd ibi exponitur vnum per ailud: nam Deus dixit Moysi, ꝙ sanctificaret Israelitas, & ipse dixit eis: Estote parati in diem tertium: quasi idem esset sanctificare, & esse paratũ. Item Iosue 3. sic accipitur, scil. Sanctificamini, cras faciet dominus mirabilia inter vos, id est parati estote ad videndum mirabilia quæ dominus faciet. Et magis patet Ioel. 3. scil. Sanctificate bellũ, id est parate bellũ: Ier. 11. Sanctifica eos in diem occisionis .i. para eos ad occidendũ. Vnde secundũ modũ Hebraicũ loquendi, quẽ accepit litera nostra, nõ est sanctificare, nisi præparare, vel præordinare: & sic Ieremias sanctificatus est ex vtero, quia cũ adhuc esset in vtero dispositus, prædestinatus fuit ad prædicandũ. Et hoc cõuenit literæ Ier. 1. scil. Antequã exires de ventre sanctificaui te, & prophetã in gentibus dedi te, id est in vtero sanctificaui .i. præordinaui te, vt esses ꝓpheta in gentibus. Quòd autem Ieremias fuerit mundatus à peccato originali in vtero, & fuerit cõfirmatus, nè posset peccare mortaliter, non potest probari. Doctores tamẽ nostri dicunt hoc, ꝙ accipiunt ibi sanctificaui, id est sacratũ feci: & tamẽ sanctus dicit duo, scil. mundiciã totalem, & statũ immutabilẽ in bono: & ob hoc viros bonos, qui hic sunt vocamus bonos, sed non sanctos, quousq; sint in vita ẽterna: eo ꝙ adhuc peccare possunt. Propter primũ dicunt de Ieremia, ꝙ fuerit in vtero ablata ei macula originalis, quia non est mundus, qui manet in peccato mortali, quale est originale. Propter secundum dicunt, quòd Ieremias fuit factus impeccabilis, scil. quòd non posset peccare mortaliter. Sed illud no stat vllo modo, quia est contra modum loquendi scripturæ: nam tunc Ios. 3. cùm dixit Iosue: sanctificamini, cras enim faciet dominus mirabilia: ipsi sanctificassent seipsos: sed hoc non conuenit homini, quia non est in potestate hominis, quòd se faciat impeccabilem, sed Dei priuilegium est. Item Exo. 19. dixit Deus Moysi: Sanctifica eos in diem tertium: & postea sequitur: Sanctificauit eos Moyses: & tamen manifestum est, quòd Moyses, nec directè, nec ministerialiter poterat eis dare priuilegium impeccabilitatis. Item dicitur ibi, quòd sanctificati sunt, ergo facti sunt impeccabiles: sed falsum est, quia post modicum facti sunt idolatrę facientes vitulum aureum,

D

Quid sit in vtero sanctificari.

Opin. communis doctorum refellitur.

E

Quomodo Ierem. sanctificatus est in vtero. Sãctus dicit duo.

F

Improbatio quorundam.

Exod.

A

Exod. 32. ideo nec Ieremias ex hoc probabitur ſanctificatus, id eſt mundatus à peccato originali, & confirmatus, nè peccaret mortaliter. Dicendum ergo, quòd an Ieremias fuerit purgatus ab originali, & confirmatus in gratia, antequam exiret de vtero, eſt problema neutrum. Et ſi volumus credere doctoribus noſtris, faciemus eis gratiam. Quòd tamen ipſi poſſent probare hoc, vel ſaltem habere aliquod motiuũ ex ſacra ſcriptura, falſiſſimũ eſt. De Beato Ioanne, quòd ſit ſanctificatus in vtero magis patet, quia Luc. 1. dicitur: Quod Spiritus Sanctus replebit eum ex vtero matris: ideo de hoc ſatis concedo, quòd fuerit ſanctificatus vtero. *Cuius non tanget caput nouacula.* Hic ſignificatur obſeruatio pueri poſtquã poſita eſt matris obſeruatio, ſcil. quòd puer teneret votum iſtud erat duplex, ſcil. perpetuum, & temporale, vt declaratum fuit ſupra, obſeruatio autem Samſonis debebat eſſe perpetua. Quod patet, quia infra dicit: erit puer Nazaræus Dei ab infantia ſua ex vtero matris vſq; ad diẽ mortis ſuæ. Ideo dicendum, quòd licèt incideret Samſon in aliquam immunditiam, vtpotè aliquo ſubito moriente coram ipſo, non tenebatur ad aliquam cæremoniã obſeruandam de illis, quæ habentur Num. 6. quia illud intelligitur de Nazaræis temporalibus.

Ioan Bapt. an à peccato origin. fuerit purgatus.

B

Quare magis dictum ſit de nouacula, quòd non aſcenderet caput Samſonis, quàm de alia cæremonia.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, quare magis dictum eſt de nouacula, quòd non aſcenderet caput eius, quam de alia cæremonia Nazaræi. Reſpondendũ, quòd iſtud fuit ad ſignificandũ, quòd erat futurus Nazarẽus: ideo oportebat exprimi aliquã cæremoniam Nazaræi, & fuit illa expreſſa, quæ magis pertinebat ad Nazarẽos: nam in omnibus, quæ ad Nazarẽos pertinebant: nihil erat tam præcipuum, vt capillus Nazaræi; ideo nihil dicebant conſecrari domino de Nazaræo, niſi caput. Et ſic dicitur ſæpe Nu. 6. cap. conſecrationis ſuæ. Etiam nihil polluebatur cum Nazarẽus polluebatur, niſi capilli ſui, ſicut patet Nu. 6. ſcil. polluetur caput conſecrationis eius. Etiam in Nazaræis temporalibus expleto tempore voti tondebãtur omnes capilli capitis, & cremabantur in holocauſto in altari tanquã de eis fieret aliquod ſacrificium Deo grauiſſimum: Num. 6. & non erat alia res eius, de qua aliquid Deo daretur: ideo capilli pertinebant principaliter ad votum Nazaræorũ, & de eis ob hoc principaliter hic dictum eſt.

An liceret Samſoni capillos ſuos tondere, licèt non raderet nouacula.

C

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, an liceret Samſoni capillos ſuos tondere, licet non raderet nouacula. Reſpondendum, quòd ſicut hic dicitur de nouacula, ita dicitur Num. 6. de nouacula, quòd non aſcenderet ſuper caput Nazaræi: ideo putabat aliquis, quòd cum Samſon eſſet obligatus ad votum Nazaræorũ ſolùm, quòd poſſet capillus forficibus tondere, ſed non nouacula radere. Dicendum tamen, quòd non licebat Samſoni, aut alicui Nazaræo temporali, vel perpetuo tondere capillos qualitercunque. Quod patet, quia ſi liceret ei hoc, poſſet eſſe ſine capillis ſeruando votum Nazaræorũ, & tamẽ hoc eſt falſum, quia in fine voti tondebantur omnes capilli capitis nouacula, & cremabantur in altari: Nu. 6. ergo non licebat eos habere raſos, vel tonſos forficibus. Item patet, & fortius, quia quandocunq; Nazaræus temporalis obſeruabat votum, & moriebatur aliquis coram eo, polluebatur caput eius, & debebat radi, & re incipere votum, Num. 6. ſi tamen liceret Nazaræo tondere capillos, etiam ſine nouacula: aliquando moreretur quiſquam coram eo, & non pollueretur, nec poſſet radi, quia nullos capillos haberet, ergo ſemper debebat habere capillos quamdiu erat Nazaræus. Item Nu. 6. dicitur de Nazaræo, quòd omnibus diebus conſecrationis ſuæ non tranſibit nouacula ſuper caput eius. Et ſequitur: Sanctus erit Domino creſcẽte cæſarie capitis eius, id eſt à die quo conſecratur ſemper debet permittere creſcere cæſariem ſuam, id eſt capillaturam: ſi tamen liceret nazaræo tondere caput forficibus, non creſceret cæſaries poſtquã conſecraretur: ergo non licebat ei tangere cæſariem ſuam poſtquam voueret votum nazarẽorum ad illam amputandũ. Item regula iuris eſt, quòd id quod non permittitur alicui vno modo, non debet ei permitti alio modo, ſicut ſi quis eſt facinoroſus, & diffinitur de eo, quod ſit ineligibilis ad Epiſcopatum, non poterit conſequi illum per viam poſtulationis, quia tunc fieret fraus legi: ideo cùm radere capillos nouacula, vel tondere forficibus perueniat ad eundem effectũ, ſcil. quòd caput nudetur capillis: ſi non licet nudare caput nouacula, nec licebit nudare illud forficibus, vel alio inſtrumento. Item patet hoc de Samſone ſpecialiter, quia ipſe non fecit differentiam de tonſione capillorum pro Nazaræo an nouacula fieret, vel alio modo: nam infra 16. dixit Samſon ad Dalilam: ferrum non aſcendit ſuper caput meum, quoniam Nazaræus, id eſt conſecratus ſum Domino. Ergo videtur, quòd ad integritatem ſtatus Nazaræorum requirebatur, quòd non tonderentur capilli eorum ferro, quandocunque illud eſſet: & ſic vna de cauſis, quare ſpecialiter dictũ eſt matri Samſonis, quòd nõ aſcenderet nouacula ſuper caput eius, fuit quia attendere debebat ne puero nato ob aliquã cauſam capillos amputaret, ſed ſineret creſcere Cæſariem. *Erit enim Nazaræus Deo ab infantia ſua.* Subditur ratio præcedentis dicti, ſcil. quòd non aſcenderet nouacula ſuper caput eius: & hoc, quia erat Nazaræus futurus. Et dicitur ab infantia. id eſt immediatè, vt naſceretur, ſicut infra dicitur ab vtero matris. Et hoc, quia votum iſtud, vel obſeruatio in Samſone non erat tẽporale, ſed perpetuũ, ideo incipere debebat ab infantia, & continuare vſq; ad mortẽ: ſic dicitur infra: erit puer Nazaræus Dei ab infantia ſua vſq; ad diem mortis ſuæ. Sciendum autem, quòd Nazaræus eſt nomen Hebræorũ, quia licet forma declinandi ſit Latina, nomen eſt Hebræum: nam vbi nomen eſt Nazaræus dicunt Hebræi (Nair). Nec fecit aliquid tranſlator niſi mutare formam Hebraici nominis in formam declinandi latinorum, & ſignat Nazir ſeparatum, ſcilicet, quia Nazaræi erant ſeparati à cæteris hominibus in quibuſdam cæremonijs, quas ipſi ſpecialiter obſeruabant, & non obſeruabant eas alij homines. Etiam ſequeſtrabant ſe nimis à communicatione aliorum hominum: quia communicando cum illis poterant faciliter incurrere aliquam immunditiam, & tamen ipſi ſummopere cauere debebant illam. Etiam cùm conuerſarentur cùm alijs poterat mori aliquis coram eis, & polluebantur: fiebatque irritum totum tempus obſeruationis eorum, debebantque repetere illud de nouo. Etiam cùm cæteri homines venirent ad funera amicorum aut cognatorum, nec etiam patris, aut matris, nec etiam poterant ingredi domum alicuius mortui, quando erat ibi mortuus ita Num. 6. Sciendum etiam quod Nazaræus, & phariſæus idem ſignificant, quia Nazaræus ſignificat ſeparatum, & phariſæus diuiſum, vel ſeparatum. Et ob hoc aliqui cœperunt occaſionem errandi nimis, putantes phariſæos illos, de quibus ſæpe dicitur in Euangelio fuiſſe Nazaræos. Sed falſum eſt: nam Nazaræi fuerunt à principio legis datæ, phariſæi autem cœperunt tempore Ioannis Hircani filij Simonis Machabæi, vt declarat Ioſephus 14. Antiquitatum. Item Nazaræi, de quibus dicitur Num. 6. non tenebant aliquam ſpecialem poſitionem, circa modum viuendi, & ſtatum animarum: phariſæi autem, qui erant quando Chriſtus prędicabat ſpeciales poſitiones contra alios Iudæos tenebant, vt patet Actor. 23. & declarat poſitionem eorum Ioſephus lib. 2. De bello iudaico. Dicitur Nazaræus Dei, id eſt ſeparatus ſpecialiter ad cultum Dei. *Ex matris vtero.* Id eſt, non ſolum quando fuerit infans ſcilicet, 3. vel 4. annorum, ſed etiam à prima die natiuitatis ſuę debebat tenere regulam Nazaræorum, & hoc dicitur quia nunquam debebat agere contra illam à natiuitate, vtpote ſi tonderentur ei capilli, vel amputaretur modicum, quia neutrum licebat. Etiam ſi permitteretur contingere aliquid mortuum. Etiam ſi daretur ſibi vinum aut aliquid de vino aut de aceto, vel vuis.

D

E

F

Phariſæus quid ſit

A

An teneretur Samſon obſeruare cæremonias Nazaræorum propter hæc: & quæ erant cæremoniæ iſtius voti.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, an teneretur Samſon obſeruare cæremonias Nazarẽorum propter hęc. Aliquis reſpondebit quod non, quia obſeruatio Nazaræorum erat in veteri teſtamento ſicut conſilia euangelica in nouo teſtamento, vt declaratum eſt Num. 6. Sed ad conſilia nullus de neceſſitate tenetur, ergo ita erit de voto Nazaræorum. Item id quod ſub voto obſeruatur nõ cadit ſub præcepto, quia iſti ſunt diuerſi modi obligandi: & tamen obſeruantia Nazarẽorum cadebat ſub voto; imò ponitur pro regula q̃ quando obſeruaretur, quòd obſeruaretur ex voto, ergo nõ obligabatur Samſon ex his, niſi ſpecialiter vouiſſet. Reſpondendum quòd Samſon tenuit obſeruationẽ Nazaræorũ tota vita ſua, vt patet infra 16. cap. cum ipſe dixit ad Dalilam, ferrum non aſcendit ſuper caput meum quia Nazarẽus Dei ſum ex vtero matris meę: & tenuit hoc Samſon putans ſe obligari præcepto angeli. Et dicendũ quòd obligabatur mater Samſonis obſeruare, quæ ſibi impoſita erant, ſcil. non bibere vinum, & ſiceram, & nõ comedere quicquam immundum & hoc vſq; quo pareret: obligabantur autem ex ipſo die pater, & mater Samſonis obſeruare ipſum, vt non ageret aliquid quod eſſet contra regulam Nazaræorũ vſque ad diem, quo ipſe eſſet potens aliquid per ſe agere, & tunc obligabantur denunciare ei præceptum Dei de obſeruatione Nazaræi in ipſo, & perſuadere ei quantum in illis eſſet, quòd obſeruaret Nazaræorum regulam, & ipſe Samſon tunc obligabatur illam ſeruare denunciato ſibi hoc: nam cùm Deus ei hoc iuſſiſſet tenebatur illud obſeruare: nihil enim eſt quantumcunq; inſolitum quod ſi Deus nobis iuſſerit non teneamur ad illud: quia ſicut à principio ad nihil tenebamur: & poſtea obligauit nos ad prẽcepta quẽcunq; voluit dando legem Moſaicam deinde Euangelicam: ita & nunc cùm non ſit minoris poteſtatis, quando aliquid iubere voluerit, quodcunq; illud ſit, obligabimur facere illud: & ſic cùm Samſon datum ſit præceptũ de obſeruatione Nazaræorum, teneretur ad illam. Ad rationẽ primã in contrarium dicendum, quòd quanquã obſeruatio Nazaræorum eſſet in veteri teſtamento, ſicut cõſilia Euangelica in nouo, tamen obligauit Samſonem nõ in modum conſilij ſed præcepti, eo quòd Deus ſibi ſpecialiter illud dedit: ſic etiã eſſet de quolibet conſilio Euangelico, quia licèt nunc non teneamur ſpecialiter ad obſeruandum illud, ſi Deus iuſſerit nobis obſeruare, tenebimur, ſicut ad quodlibet præceptum legis. Ad ſecundam rationẽ dicendum, quòd votum, & præceptũ ſunt diſtincti modi obligandi: & quando aliquid manet in viribus voti, non tranſit in vires præcepti: & ſic generaliter in veteri teſtamento obſeruatio Nazaræorũ erat ſpontanea, ideo veniebat per votum, vt cõmuniter: ſic lex dixit Leu. 6. vir ſiue mulier, cùm votũ vouerit, & ſe domino conſecrare voluerit & cæt. & tamẽ nunc in Samſone non manebat iſta obſeruatio, vt votũ: ſed tranſibat in vires præcepti, ſcil. quia dominus iuſſerat ei quòd hoc obſeruaret: ideo nõ oportebat, q̃ Samſon aliquid voueret ſicut Nazaræi cæteri, ſed ſolum erat ei obligatus ad obſeruationem ex mandato Dei.

Reſpon. ad quæſitum.

Ad rationem primam in diuerſum.

Ad 2. rationem.

B

C

Quid ſi Samſon ſuadentibus parentibus ſuis nollet obſeruare votum Nazaræorum.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, quid ſi Samſon ſuadentibus parentibus ſuis nollet obſeruare votum Nazarẽorũ. Reſpondendum quòd erat auctoritate, & ſententia iudicis lapidandus. Vno modo poterat hoc fieri officio iudicis, vt ſi conſtaret ei aliquo modo, quòd Deus iuſſiſſet, quòd Samſon ſeruaret cæremonias Nazaræorum, & nollet eas tenere, poterat eum lapidare tanquam ſuperbientem contra mandatum Dei: & tamen Deus iubebat, quòd iudices punirent contemptores legum ſuarum, & in defectum iudicum populi poterant hoc agere, & potiſſime illi qui erat cognati peccantium. Simile eſt Leu. 20. de illo, qui dedit de ſemine ſuo idolo Moloch: nam iubetur, quòd populus terræ lapidet eum: ſi autem populus noluerit lapidare illum, quaſi contemnens imperium Dei, ipſe ponet faciem ſuam contra hominem illum, & progeniem eius quouſque deleret eam. Quicunq; autem de cognatis Samſonis ſciret eum nolle obſeruare cæremonias Nazaræorum contumaciter, tenebatur denunciare illud iudici, & cùm condemnaretur ex hoc, iſte denuncians, vel accuſans tenebatur primum lapidem mittere in eum: ſicut erat de peccato idololatriæ, in quo maritus accuſabat vxorem, vel filios Deuter. 13. & lapidabat eos primus, deinde totus populus. Secundus modus erat ſi pater, & mater Samſonis vellent eum accuſare tanquam proteruum, & inobedientem, & contemnentem cæremonias eorum: quia tunc ſententia iudicis lapidandus erat, ſicut iubetur Deut. 21. cap. & ſi parentes contemnerent hoc facere celantes crimen filij, Deus eradicaret ipſos de terra & Samſonem, iuxta illud, quòd dictum eſt Leu. 20. cap. *Et ipſe incipiet liberare Iſrael de manibus Philiſthinorum.* Poteſt dupliciter intelligi. Vno modo quòd ipſe incipiet liberare Iſrael, id eſt ipſe erit primus, qui liberabit Iſrael de manibus Philiſthinorum, & poſt eum Saul, & Dauid, & Ionathas. Alio modo, quòd iſte incipiet liberare Iſrael, ſcil. incipiet, & non complebit, quia non fuit in diebus Samſonis perfecta liberatio Iſraelitarum de manu Philiſthinorum. Primus ſenſus non ſtat, quia alius liberauit Iſraelitas prius de manu Philiſthinorum quam Samſon, ſcil. Samgar tertius iudex Iſrael, qui ſexcentos Philiſthinos occidit vomere, ſupra 3. cap. Etiam poſtea liberati fuerunt Iſraelitæ de manu Philiſthinorũ: nam poſt Iair, & ante Iephte iudicẽ fuerunt 18. anni intermedij, in quibus Iſraelitæ oppreſſi fuerũt ab Ammonitis, Philiſthinis, & poſtea liberati fuerunt: cùm tempore Iephte non haberent aliquos, qui perimerent eos: ſupra decimo, nunc autem nouiter Philiſthini irruerunt iterum, & oppreſſerunt Iſraelitas 40. annis, vt patet ſupra in litera. Sed dicendum, quòd ponitur iſtud ad ſignificandum, quòd liberatio facta per Samſonem nõ fuit plena, ſed quædam alleuiatio ad tempus: tamen adhuc erant Philiſthini domini Iſraelitarum: & manſit iſtud dominiũ vſq; ad annum 20. principatus Heli, in quo completi ſunt quadraginta anni ſeruitutis Iſraelitarũ ſub Philiſthinis, de quibus ſupra dictum eſt. Cauſa ſemiplenæ liberationis fuit, quia Iſraelitæ non recedebant ab idolis, & manentibus eis in culpa manebat ſemper pœna. Sciendũ, quòd non dixit angelus, quòd liberaret Iſraelitas Samſon, niſi de manu Philiſthinorũ, & quòd Iſraelitæ tempore Samſonis nullos alios hoſtes habuerunt, niſi Philiſthinos. In Hebræo habetur. *Erit puer Nazaræus Dei ex vtero matris.* Vbi litera noſtra dicit ſupra: erit ab infantia ſua Nazaræus Dei, & ex matris vtero: & idẽ eſt, quia vbi litera Hebraica poſuit puer, poſuit litera noſtra ab infantia: & ad idem pertinet. *Quæ cum veniſſet.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcil. verbi reuelatio: nam reuelauit mater Samſonis viro ſuo id, quod viderat. Et dicitur. *Quæ cum veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei.* Scilicet apparuit angelus ſoli fœminæ, & ipſa nunciauit poſtea viro. *Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum.* Vocauit iſtũ angelum virum Dei, quia cùm vidiſſet eum in forma viri putauit eum eſſe virum: quia tamen nunciauit ei ea, quæ futura erant, & deſignauit ea, quæ ipſa patiebatur, ſcilicet ſterilitatem, & quòd non haberet filios, credidit eſſe eum prophetam, & ob hoc vocauit eum virum Dei, id eſt à Deo miſſum, & ſic conſueuerunt vocari prophetæ: ſic vocatus eſt Elias 4. Reg. 1. Sic etiã vocatus eſt Eliſeus 4. Reg 4. Et dixit quòd habebat vultũ angelicum, id eſt valde pulchrum: nam cùm eſſet angelus, erat in poteſtate eius accipere qualemcunque corporis formã vellet, ſiue nimis pulchram, ſiue corrugatam. In Hebræo habetur. *Et viſus eius ſicut viſus viri Dei.* Vbi nos dicimus habens vultum angelicum, & litera noſtra mutauit hebræam: quia videtur eſſe inculcatio, & inſipientia quædã dici: venit ad me vir Dei habens vultũ viri Dei. Et quia iſta clauſula fuit poſita ad aliquid ſignificandũ, neceſſe eſt, vt aliquid ſignet, ideo litera noſtra ſic interpretata eſt ruditatẽ ſermonis Hebraici, ſcilicet, quòd vir Dei vocetur vir, qui cum Deo eſt: & iſti ſunt ſancti ſui Angeli, qui ei aſſiſtunt iuxta, Daniel. cap. ſeptimo: & iſti vocantur interdum viri, ſicut Dan. nono, vocatur Gabriel vir, ſcilicet venit ad me Gabriel vir. Ideo dixit habens vultum angelicum.

D

E

Verbi reuelatio.

F

A *Conditio bonorū angelorum.*

Terribilis nimis. Id est, valdè reuerendus, vel *Terribilis*. Scilicet, quia quamquam esset pulcher, tamen erat aspectus non formidandus, & ista est conditio bonorum Angelorum, quia vt communiter se ostendunt terribiles, & istud nō est ad terrendum, sed ad reuerentiam ostendendam, vt appareat dignitas honoris eorum. Sic etiam omnia, quæ ad Deum pertinent, vocantur terribilia: sic patet Genes. 28. quando vidit Iacob scalam Bethel, per quam ascendebant angeli, & descendebant, & dixit: Terribilis est locus iste, id est valdè reuerendus.

Quem cū interrogassem, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere. Id est, tunc ego quæsiui ab eo vnde venisset, & quis ipse esset, & de nomine suo: sed ad nullum voluit mihi respondere, scilicet: quæsiui vnde venisset, id est an Deus misisset eum ad nunciandum hæc, vel ipse à se diceret: & quis esset, scilicet homo, vel angelus: vel quis, id est qualis, scilicet Propheta, vel non Propheta: & quo nomine vocaretur, scilicet vt postea scirem dicere: ille, qui denunciauit mihi de filio, vocabatur sic: & erant omnia hæc ad certificandum. In Hebræo habetur: *Non quæsiui ab eo vnde erat ipse, & nomen suum non indicauit mihi.* Scilicet, quòd nec mulier quæsiuit aliquid ab eo, nec ipse respondit aliquid de se, nec de nomine suo. Sed iste sensus non est verisimilis, quia cùm mulieri appareret, & diceret ei ista, verisimile est, quòd ipsa inquireret quis esset: vt sciret an ea, quæ dicebat erant firma, vel leuia.

B Litera tamen Hebraica consueuit interdum ponere sine negatione, quod debet esse cum negatione, & è conuerso: & tamen ex habitudine literæ apparet, an debeat poni negatio, vel non: sic patet Deut. 20. ca. cùm dicitur, quòd quando oppugnarent Israëlitæ aliquas vrbes, non cæderent ligna fructifera. & subditur: lignum est, & non homo, vt possit contra te bellatorum augere numerum. Et dicitur ibi in Hebræo, lignum est homo, & tamen manifestum est, quòd debet intelligi negatiuè. *Sed hoc respondit: Ecce concipies, & paries filium.* Scilicet, noluit respondere ad alia, sed solùm respondit ad hoc, quòd conciperem, & parerem. *Caue ne vinum bibas, aut siceram.* Nec aliud quid inebriatiuum: causa suprà posita est. Etiam volunt aliqui, quòd non deberet comedere vuas, nec aliquid natum ex vinea, vt patet infrà, scilicet ab omnibus, quæ dixi vxori tuæ abstineat se, & quicquid ex vinea nascitur, non comedat.

Dicendum, quòd illud intelligitur de Samsone, scilicet, quòd deberet Samson abstinere ab omnibus illis, quæ angelus dixerat vxori Manue: & in illis includebatur non comedere vuas, eo quòd erat votum Nazaræorum non comedere vuas, Num. 6.

Nec aliquo vescaris immundo. Scilicet in cibis, qui vocabantur à lege immundi tam in quadrupedibus, quàm volucribus, quàm piscibus. De quibus Leuit. 11. & Deut. 14. cap.

C *Erit enim puer Nazaræus ab infantia sua.* Id est, ex hoc quòd puer erit Nazaræus, & valdè sanctificatus, & hoc ex infantia, id est à principio infantię: tu etiam debes custodire munditiā magnam, quousque illum parias.

Et ex vtero matris. Id est ex die, qua exiuerit de vtero, debet incipere obseruantiam Nazaræorum: nam ex illo die poterat infringere hanc obseruationem, vt suprà declaratum est. In Hebræo dicitur: *Erit puer Nazaræus ex vtero matris.* Et non habetur ab infantia sua, sed ponitur ad exponendum in litera nostra, & idem est. *Vsque ad diem mortis suæ.* Istud non fuit suprà expressum in verbis Angeli. Dicendum tamen, quòd angelus illud dixit mulieri: tamen litera non expressit, eo quòd iterum dictura illud erat: nam consuetudo sacræ Scripturæ est, quando aliquid sæpè referre debet, non referat qualibet vice plenè, sed satis est, quod semel plenè enunciet, & interdum non enunciat plenè aliqua vice, sed ex multis narrationibus varijs colligitur vna integra narratio. Apparet autem ex hoc, quòd Samson erat Nazaræus perpetuus: ideo licèt aliquando pollueretur, moriente aliquo coram eo, non obseruabat cæremonias purificationis, quæ habentur Num. 6. quia illæ sunt pro Nazaræis temporalibus, vt suprà declaratum est in litera.

* * *

Consuetudo sacrarū literarum.

D

Quare Angelus Domini apparuit mulieri à principio, & non patri Samsonis.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quare apparuit Angelus Domini mulieri, & non patri Samsonis à principio?

Aliquis respondebit, quòd hoc factum est, quia ad mulierem magis pertinebat, quàm ad virum: nam vir non debebat aliquid obseruare propter istam conceptionem pueri, mater autem debebat obseruare munditiam, quæ habetur suprà, vsquequò pareret. Item puer debebat ex vtero matris seruare votum Nazaræorum, & istud pertinebat ad matrem, & non ad patrem: nam paruuli à principio apud matrem nutriuntur, & non ad patrem, vt patet extr. de conuersione infidelium, cap. ex parte, vbi iubetur filium paruulum triennio minorem apud matrem regulariter ali, nisi aliquid timeatur. Et ob hoc Philosophus primo Politicorum, capit. vltimo dicit matrem esse dimidium liberorum, id est ad hoc quòd filij sint boni medietas boni eorum est matrem esse bonam, scilicet quia si mater bona fuerit, erunt quoque filij boni, scilicet quia apud eam nutriuntur in parua ætate: & tamen non modicum differt à iuuentute statim, sic vel sic assuesci, id est assuescere ad bonum, vel ad malum, ex pueritia: nam in hoc consistit potissima pars morum humanorum, vt patet secundo Ethicorum, circa principium. Et quia votum debebat incipi obseruari ex prima die natiuitatis Samsonis, cùm dicatur quòd erit Nazaræus ab infantia, & ab vtero matris, ad matrem pertinebat cura faciendi eum obseruare cęremonias istas, scil. quòd ipsa nō daret ei in cibos aliquid quod esset cōtra regulā Nazaræorum: ergo ad patrē non attinebat, sed ad matrem, & ei referendum erat.

In quo cōsistat potissima pars morum humanorum.

E

Improbatio.

Sed dicendum quòd non stat, quia tunc cùm non esset necesse, quòd appareret viro ex causa dicta, nunquam ei apparuisset, & tamen apparuit infrà: ergo non fuit ex hac causa.

Doc. resp̄ōs. ad q̄situm

Dicendum igitur, quòd fuit apparitio solùm facta vxori ad magis confirmandum factum istud, quia Angelus intendebat pluries apparere: vt sæpè apparendo, & referendo verba cōfirmaretur magis quod dicebatur de Samsone: Et quia si à principio apparuisset simul matri, & patri, non apparuisset iterum, voluit apparere, & postea orante patre, quòd appareret ei iterum apparuit, & sic factum est: nam apparuit denuò mulieri soli, & illa iuit ad vocandum virum suum: & vtrique tunc visus est Angelus.

Quare iussum est Samsoni, quòd esset Nazaræus.

QVÆSTIO XXIII.

F QVÆRETVR vlteriùs, quare iussum est Samsoni, quòd esset Nazaræus?

Respondendum, quòd Deus dedit quoddam donum excellens Samsoni, scilicet, quia fecit eum robustissimum super omnes homines huius seculi, quia nec talem vnquam etiam in historijs fabulosis audiuimus. Et ad honorem huius magni doni, ne contemneretur tanquam esset aliquid naturaliter aduenies, vt non putarent Israëlitæ se liberari per robur alicuius viri, iussit Deus, vt seruaret semper cæremoniam Nazaræorum, tanquam semper recolens beneficium sibi à Deo præstitum, & semper illud honorans. Et hoc patet, quia quādiu tenuit obseruantiam voti huius, manserunt in eo vires, & quando abscissi ei fuerunt capilli eius cessauerunt vires, infrà 16. cap.

Sed obijcietur, quia Deus dedit alios iudices liberatores Israël prętер Samsonem, & quod ampliùs est illi fuerunt verius liberantes: sicut Barac, Gedeon, & Iephte, Hothoniel, & Aod, qui multitudinem hostium occiderunt, & fecerunt, quòd in diebus eorum nunquam auderent pugnare contra Israël, & abstulerunt totaliter iugum ab Israël: Samson autem non abstulit omnino iugum, sed solùm dicitur, quòd incepit liberare Israël, vt patet in litera: ergo magis debuisset imponi alijs iudicibus, quòd seruarent regulam Nazaræorum.

Respondendum, quòd non debuit alijs imponi, nam licèt Israëlitis Deus contulit magnum bonum per alios iudices

A liberando eos de manibus hostium: tamē ipsismet iudicibus non contulit tantum bonum, sicut Samsoni, quia Samsoni contulit tantùm robur quantum nunquam auditum fuit de aliquo: per quod fuit famosus in toto seculo: ideo pro hoc speciali dono debebat aliquem specialem honorem Deo impendere, & iste honor erat obseruatio regulæ Nazaræorum: nam non erat aliquid impositum in toto veteri testamento per modum consilij, nisi votum Nazaræorum: in alijs autem iudicibus, quia Deus non conferebat aliquod speciale beneficium ipsis, sed populo Israël, cui dabatur victoria, & liberatio de manu hostium, non erat rationabile, quòd obseruare regulam Nazaræorum obligaret eos Deus.

Gen.16 c Luc. 1 suprà eod. *Orauit itaque Manue Dominum, & ait: Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est. Exaudiuit q̃ Dominus deprecantem Manue, & apparuit rursum Angelus Dei vxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cùm vidisset angelum, festinauit, & cucurrit ad virum suum, nunciauit q̃ ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem antè videram. Qui surrexit, & secutus est vxorem suam, veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. Cui Manue: quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer, aut à quo se obseruare debebit? Dixit q̃ Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se: & quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum, & siceram non bibat, nullo vescatur immundo, & quod ei præcepi, impleat atque custodiat. Dixit q̃ Manue ad Angelum Domini: Obsecro te, vt acquiescas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris. Cui respondit Angelus: Si me cogis non comedam panes tuos; si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue, quòd Angelus Domini esset. Dixit q̃ ad eum. Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Tulit itaq̃ Manue hœdum de capris, & libamenta, & posuit suprà petram offerēs Domino, qui facit mirabilia: ipse autem, & vxor eius intuebantur.*

Penelope vxor Vlyssis castissima.

B

Circes maga, & meretrix.

Orauit itaq̃ Manue. Hic ponitur tertium huius partis, scilicet, confirmatio facti, quia id quod reuelatum fuerat soli mulieri, reuelatum fuit viro, & mulieri simul nūc: & per hoc confirmatum est magis. *Orauit itaq̃ Manue Dominum.* Scilicet,

C vt mitteret virum, quem prius miserat, & per hoc certificaretur an esset verum quod dicebat mulier, etiam informaretur magis.

Ad quid orauit Manue, vt veniret iterum vir Dei.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR ad quid orauit Manue, vt veniret iterum vir Dei: nam ille iam docuerat vxorē suam de eo, quod factura esset tam ipsa, quàm paruulus postquam nasceretur, ideo non opus erat, quòd denuo appareret.

Respondendum secundùm quosdam, quòd orauit, vt veniret angelus, quia putabat quòd vxor sua diligeret alium virum, & non esset ille angelus, sed vir alienus pro quo zelatus est nimis Manue cùm haberet vxorem pulchram, & si veniret angelus crederet vxorem suam non deliquisse: sin autem maneret adhuc suspicio contra ipsam. Vnde & Iosephus tenet, quòd ad preces mulieris angelus iterum venerit, quia ipsa voluit se purgare de zelotypia, quam conceperat vir contra ipsam, cap. 10. vnde dicit in 5. Antiquitatum: Quidā Manue de tribu Dan inter paucos egregius, & patriæ suæ sine dubio primus, vxorem accepit primam, & pulcherrimam, quæ inter cæteras comprouinciales fœminas eminebat: illa autem viso angelo marito venienti indicauit angeli visionem indicando iuuenis pulchritudinem, ita vt ille zelatus in eius laudibus obstupesceret, & quasi suspicionem de extraneo amore conciperet: at illa volens irrationalem eius tristitiam mitigare, rogauit Deum, vt angelum denuo destinaret, quatenus maritus conspiceret, & iterum Dei gratia angelus venit in suburbano illorum, & apparuit mulieri à viro remotæ, quæ rogauit illum, vt sustineret quousque virum suum adduceret: permittente angelo Manue vocatus venit, qui cùm vidisset, nec tunc à suspicione cessaret, rogauit vt quæcunque vxori dixerat, illi declararet, & tunc cessauit suspicio. Sed ista positio Ioseph, licèt satis possit literæ applicari, non conandum est ad hoc, quia in expositione sacrarum Scripturarum reprehensibile est, quòd conemur literam applicare intentioni nostræ: sed magis, vt conemur iudicium nostrum submittere veritati literæ, vt ait beatus Clemens Papa, vt habetur in Decret. 37. dist. c. relatum est. Dicendum autem magis, quòd Manue orauit, vt appareret angelus, & hoc vt ipse cognosceret quid fieri deberet de puero nascituro, vt patet in litera, scilicet: Obsecro Domine veniat vir, quem ante misisti, & doceat nos quid agere debeamus de puero, qui nasciturus est.

Sed tunc obijcietur, quia iam angelus dixerat ista vxori Manue, & ipsa retulerat viro suo: ideo non erat necesse quòd appareret angelus ad notificandum hæc. Aliquis dicet, quòd non credidit Manue vxori suę; ideo voluit certificari per angelum venientem. Sed dicendum, quòd non stat, quia litera dicit contrarium, scilicet: Obsecro veniat vir Domini, quem misit: ergo credebat virum venisse, & à Deo missum.

Respondendum, quòd Manue credidit vxori suæ, quòd vidisset virum Dei, & tamen putauit quòd ipsa non erat plenè informata ab ipso, & quia periculum erat si puer nasceretur, & per ignorantiam alicuius cæremoniæ obseruandę peccaretur: voluit plenè informari de omnibus, quæ facere debebat puer, & quid fieret ei, qñ esset paruulus. Et motiuum Manue erat rationabile, quia credidit, quòd mulier non sufficienter quæsiuisset ab angelo pro omnibus, quę puero euētura erant, vel q̃ obseruaturus erat. Et etiam quia angelus nō plenè informauerat eam: nam dixit ipsa quòd quæsiuerat ab eo, quis esset, & vnde venisset, & quo nomine vocaretur, & non responderat ei. Patet etiam hoc, quia postquam apparuit angelus, quæsiuit ab eo Manue quid acturi essent circa puerum. *Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti veniat iterum.* Vt ille Propheta, quem misisti ad vxorem meam veniat iterum, vt & ego possim cum videre. *Et doceat nos quid facere debeamus de puero, qui nasciturus est.* Scilicet, vt plenè nos doceat; quia vxor mea non fuit plenè instructa ab ipso circa omnes cæremonias, quæ obseruandę erant in puero nascituro. In Hebræo habetur: *Quid debeamus facere de puero nato.* Et ponitur ibi participium prēteriti pro futuro, quia manifestum est, quòd nondū natus fuerat puer, & hoc propter improprietatem magnam sermonis Hebraici. *Exaudiuit q̃ Dominus precantem Manue.* Scilicet quia Deus volebat quòd angelus iterum appareret ad confirmationem facti, & ipse incitauit Manue ad orandum vt eum exaudiret. Ex hoc apparet quòd non precabatur videre angelum, vt sciret an vxor sua diligeret virum alterum, vel an verè apparuisset ei angelus, & locutus fuisset: nam si hac intentione oraret, iniusta esset oratio, & non exaudiretur. Iosephus tamen vult quòd ex hac causa angelus veniret, & dicit quòd ad petitionem mulieris venit, & nō orante Manue. Historia autem Scholastica volens temperare hoc dictū reducendo Iosephum ad concordiam literæ, quia valdè sequitur Iosephum dicit, quòd Manue valdè zelatus est, quasi mulier sua alium diligeret virum, & de hoc tristabatur, quod mulier intelligens voluit auferre viro hanc tristitiam irrationabilem, & suasit ei vt orarent Dominum, quòd veniret denuo angelus, & referret ei quæ prius dixerat: & tunc orante vtroque apparuit angelus, sed prius mulieri, deinde Manue.

D

E

F

Dott. contra Iosephū.

Opinio histor. Schol.

Et apparuit rursum Angelus Dei vxori eius sedenti in agro. Scilicet erat mulier extra domum in suburbano, sicut dicit Iosephus, & tunc venit angelus ad eam.

* * *

Quare non apparuit nunc Angelus prius Manue, quam vxori eius.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR quare non apparuit nunc Angelus prius Manue, quàm vxori eius, quia non veniebat ad certificandum eam, sed ad certificandum virum.

Respondendum, quòd apparuit prius vxori, quia non viderat prius Manue Angelum, & non cognoscebat eum: ideo etiam si nunc apparuisset ei, non cognouisset illum: & sic debuit prius apparere vxori, vt ipsa eum ostenderet viro. Item factum est hoc ad maiorem confirmationem, scilicet, vt appareret vxori, & ipsa orante consisteret Angelus quousque vocaret virum. Iosephus autem quinto Antiquitatum dicit, quòd cùm venit Manue in locum, in quo apparuerat Angelus, & vidit eum, non cessauit suspicio eius, quia vidit eum pulchrum valdè, sed postquam locutus est omnia, quæ prius fuerat locutus, cessauit suspicio. Poterat esse causa huius, quia poterat Manue suspicari de vxore sua, quòd ipsa diligeret alterum virum, & haberet accessum ad eum, & quia poterat concipere de illo, quod nunquam euenerat de ipso Manue: licèt ipse dedisset operam gignendæ proli, cognosceret Manue, vel saltem suspicaretur, quòd vxor sua cognita fuisset ab alio viro, de quo concipere potuisset: vt ergo ipsa præuideret sibi ponens excusationem ante tempus, quasi de ipso Manue susciperet filium virtute Dei: dicebat quòd ad illam venerat vir Dei, & ille vir, cum quo ipsa vellet adulterari posset venire coram Manue ad magis certificandum dictum vxoris Manue, ideo Manue viso iuuene tam pulchro, non cessauit à suspicione, sed magis zelaret arbitrans quòd conspecta tāta pulchritudine vxor sua moueri potuisset. Postquam tamen locutus est omnia, quæ prius locutus fuerat, & fecit signa, quæ infrà habentur, cùm cognouerit Manue, quòd verè erat Angelus, cessauit praua suspicari. *Manue autem maritus eius non erat cum ea.* Quia fortè erat in domo, vel in alia parte agri. *Quæ cùm vidisset Angelum festinauit, & cucurrit ad virum suum.* Ad vocandum eum, vt videret Angelum, quem videre optauerat. Iosephus quinto Antiquitatum dicit, quòd vxor Manue petiuit ab Angelo quòd sustineret modicum, dum ipsa vocabat virum suum, quo cōcesso ipsa iuit ad vocandum virum, & hoc verisimile est, quia mulier non auderet ire ad vocandum virum, quousque sciret an Angelus permaneret ibi: alioquin dum ipsa iret, poterat recedere Angelus, & veniente viro suo non appareret, crederetur quòd mentita esset vxor eius, & crescceret contra eam suspicio: ideo verisimile est quòd obtinuerit ab eo, quod expectaret: sic enim Gedeon petiuit ab angelo, qui apparuit ei, quòd expectaret modicum in loco, in quo erat quousque ipse veniret ad offerendum sacrificium coram illo, suprà 6. cap.

Nunciauitq; ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir quem ante videram. Semper enim existimabant eum virum, & etiam postquam apparuit ista vice, quousque ascendit in fumo sacrificij, quia ibi manifestè apparuit eum esse angelum, infrà in litera, cucurrit autem festinans, & valdè læta ista mulier ad virum suum, quia fortè credebat, quòd nunc tolleret irrationabilem viri suspicionem de zelotypia contra se conceptam, vt vult Iosephus. *Qui surrexit secutusq; est vxorem suam.* Fortè ipse quiescebat sedens in domo, quando vxor vocauit eum: & surrexit sollicitus scire de angelo venienti. *Veniensq; ad virum, dicit ei: tu es, qui locutus es mulieri.* Id est, nunquid es tu ille vir, qui prius apparuit mulieri isti, & locutus est ei? Hoc dixit Manue, quia volebat aliqua loqui quærendo de illis, quæ dicta fuerant vxori prius, & informari plenius: & quia si non esset iste vir qui prius apparuerat loqueretur in vanum, ideo quæsiuit, an esset idem. *Et ille dixit: ego sum.* Scilicet quære si aliquid vis, quia ego sum vir, qui apparui. *Cui Manue.* Scilicet, dixit. *Quando sermo tuus fuerit expletus.* Scilicet, quando vxor mea conceperit, & peperit filium, sicut tu prædixisti. *Quid vis, vt faciat puer?* Dixit hoc Manue, quia vxor sua dixerat aliquas cæremonias, & ipse putabat, quòd fortè aliæ non fuerant ei indicatæ; ideo quærebat generaliter, vt angelus diceret quidquid facere deberet puer. *Et a quo se obseruare debebit?* Istud dixit, quia omnis obseruatio humana qualitercunque ponatur, non potest consistere nisi in duobus, scilicet in agendo aliquid, & in cauendo ab aliquo: & ista tetigit dicens quid faciet, & à quo se obseruabit. Obseruatio autem Nazaræorum magis constabat in abstinendo à quibusdam, quàm in faciendo aliquid, vt patet Num. 6. cap.

Quare Manue incepit loqui Angelo sic dicens, quando sermo tuus fuerit expletus.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, quare Manue incepit loqui Angelo, sic dicens: quando expletus fuerit sermo tuus, quia magis debuisset interrogare, an deberet aliquando concipere, & parere vxor sua?

Respondendum, quòd Manue solùm volebat certificari de quibus erat dubius: ipse autem non dubitabat, quòd aliquis vir Dei venisset ad vxorem suam, & nunciasset ei quòd conceptura foret, quod patet, quia ipse orauit suprà ad Dominum, dicens: Obsecro Domine, vt vir Dei quem misisti veniat iterum: si tamen dubitasset, non sic oraret: ideo cùm solum restaret ei dubium, an vxor sua fuisset plenè informata de cæremonijs obseruandis circa puerum, de eis solùm quæsiuit, scilicet quid agere deberet, & à quo cauere. Vel aliter dicendum, quòd licèt per certitudinem, an nō apparuisset angelus vxori, & nunciasset ei, quòd conceptura esset: tamen non oportuit de hoc facere specialem interrogationem: nam cùm dixit an esset ipse vir, qui prius locutus fuerat mulieri, & ipse respondit quod sic, sciuit Manue, quòd ipse locutus fuisset vxori suæ, & per hoc credidit, quòd sicut vxor sua verum dixerat in hoc, ita verum dixisset in toto, quod retulerat. In Hebræo habetur: *Modò veniet verbum tuum, quod erit iudicium pueri, & opus suum?* Vbi nos dicimus, quando expletus fuerit sermo tuus, quid vis, vt faciat puer, & à quo se obseruare debebit? Et idem est quantum ad sensum: litera tamen nostra vult ponere modum loquendi Hebraicum, qui est valdè alienus à proprietate Latini sermonis, & vocatur iudicium pueri, id est regula vel præceptum iudiciale datum de his, à quibus debet cauere: opus eius vocatur cæremonia, in qua s debet exercere. *Dixitq; Angelus Domini ad Manue.* Informando eum circa cæremonias pueri. *Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ abstineat se.* Aliqui referunt hoc ad vxorem Manue, scilicet, vxor tua abstineat se ab omnibus, quæ dixi ei, scilicet à vino, & sicera, & comestione immundorum, vt suprà patet. Sed non stat, quia Manue quæsiuit hic de puero quid obseruaturus esset: quomodo ergo responderet angelus de obseruatione vxoris, quia istud erat nimis disparatum. Et dato quòd vellet simul respondere de vxore, de qua non quærebatur, saltem tamen responderet etiam de puero, & tamen nihil respondit de illo isto modo. Ideo referenda est litera ad puerum, scilicet abstineat se puer ab his, quæ locutus sum vxori tuæ, scilicet quia illi dixi omnia, quæ facere deberet, & non tenetur facere plura, ideo non expedit repetere illa. *Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat.* Scilicet nec vuas, nec agrestas, nec vinum bibat, nec acetum, nec sumat aliquid cōfectum de vuis, vel in quo vinum sit. Istud tam ad mulierem, quàm ad puerum poterat pertinere, sed de puero dicitur. In Hebræo dicitur: *Quidquid nascitur ex vite vini.* Sed idē est. *Vinū, & siceram non bibat.* Et per hoc intelliguntur prohibita omnia alia inebriatiua. Vnde si alius potus, vel cibus erat, qui posset inebriare, tenebatur abstinere puer ab illo, quia Nazaræis iubebatur cauere ab omni, quod poterat inebriare, vt patet Numerorum sexto, sicut est fructus palmæ Ægyptiacæ, quia comedentes ebrios reddit. lingua, & sensu impeditos, velut si vinum abundanter bibissent, vt ait Solinus in Polihistor. cap. de Ægypto.

Et nullo vescatur immundo. Istud suprà iussum fuerat matri Samsonis, sed etiam ipsi Samsoni conuenit, immò omnibus Israëlitis: specialiter tamen illis, qui viuebant vita Nazaræorum.

Quod ei præcepi impleat, atque custodiat. Scilicet, omnia alia quæ præcepi impleat, scilicet faciendo, & custodiat, scilicet cauendo se ab alijs, quia quædam erant præcepta affirmatiua, & quædam negatiua: nam dixerat quòd Nazaræus esset puer ex vtero matris, & quòd nouacula non ascenderet super

A B C D E F

Litera in Hebræo.

Dor. ex positio.

caput eius. Etiam intelligitur per hoc id, quod dictum est ipsi mulieri, vt ipsa obseruaret, scilicet quòd non biberet vinũ & siceram, & quòd non comederet immunda.

Oblatio sacrificij post cõfirmationem verborũ angeli factã

Dixit itaq;. Hic ponitur quartũ, scil. oblatio sacrificij post confirmationem verborum angeli factam. *Dixitq; Manue ad Angelum Domini.* Postquam notificauerat Angelus ipsi Manue ex parte Dei de filio nascituro: tanquam susceptο beneficio quodã per ipsum, voluit eum inuitare ad cibos, putans quòd vir esset. In Hebræo dicitur: *Inuitabimus nunc te.* Vbi litera nostra dicit, obsecro, vt acquiescas precibus meis: sed idem est, quia preces, quas fundebat nunc Manue ad angelum, non erant, nisi de inuitando ipsum, vt acquiesceret manducare cum Manue. *Et faciemus tibi hœdum de capris.* Et parabimus tibi ad manducandum hœdulum de capris: dixit enim de hœdulo, quia cibus iste gratus est, & sapidus quando est tener

Litera in Hebræo. Cibus de hœdulo gratus est.

Accipitur facere pro parare: sic dicitur aliquis facere barbam, vel capillos, id est ornare illos. sic etiam dicitur facere vngues Deut. vigesimoprimo, secundùm Hebraicam literam, vbi nostra dicit, & circuncidet vngues. Iste modus etiam est apud Poëtas, vt patet per Virgilium in Bucolicis Ecloga secunda, scilicet:

Cùm faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.

Id est, dum ego coquo vitulam, & dispono ad cibos. *Cui dixit angelus: si me cogis, non comedam panes tuos.* Id est si vis me cogere ad comedendum, non comedam de pane tuo. Dicitur hoc, quia Manue non solùm precabatur, sed etiam trahebat, quasi vim precando faciens. Sic dicit Gregorius in quadam Homilia super Lucam, quòd pauperes, & peregrini non solùm sunt inuitandi, sed etiam trahendi. Sic patet Lucæ vigesimoquarto, de discipulis, qui putantes Christum esse peregrinum, coëgerunt illum secum declinare ad manducandum, licèt ille fingeret se longius ire, & est sensus: etiam si multum me depreceris, vt comedam, ita vt velis mihi vim inferre, nõ comedam. Et dicitur, panes tuos, id est res à te appositas ad comedendum, quia nomine panis intelliguntur omnia quęcunque comedi possunt: nam etiam mel intelligitur nomine panis, vt patet primo Regum decimoquarto capit. etiam quarto Regum sexto dicitur, quòd dixit Eliseus: Appone panem coram eis, & sequitur quod apposita fuit ciborum magna præparatio. In Hebræo habetur: *Si me inuitaueris, non comedam in pane tuo.* Et idem est, scilicet si inuitando me cogere volueris, non comedam de pane tuo. Vel aliter dicendum, quòd verbum positum hic in Hebræo est æquiuocum ad inuitandum, vel ad cogendum: & ista fuit causa mutationis. *Si autem vis holocaustum offerre, offer illud Domino.* Id est ego nolo bibere, aut comedere de pane tuo. si tamen vis totaliter expendere aliquid circa me: expende illud in holocaustum, & offer illud Domino.

Litera in Hebræo.

Quare Angelus Domini noluit comedere de cibis Manue.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, quare Angelus Domini noluit comedere de cibis Manue.

Respondebit aliquis, quòd non poterat, quia erat angelus, & angeli non possunt comedere, cùm non sint animalia.

Sed dicendum, quòd non stat, quia tres Angeli venerunt ad Abraham sub ilice Mambre, & comederunt ibi cum eo, Genes. decimo octauo. Etiam duo de illis angelis venerunt eadẽ die Sodomam, & hospitati in domo Loth, comederunt ibi, Genes. 19. cap.

Respondendum, quòd comedere dicit duo, scil. transglutire cibum, & conuertere illud in substantiam suam, dirigendo in locis debitis. Quantum ad primum quod est transglutire, angeli & dæmones in assumptis corporibus comedunt, quia ad os panes mittentes transglutiunt: & tamen nec stomachum habent, in quo digerere possint, nec virtutem digestiuam, aut conuersiuã, nec aliquas partes corporis, in quas per assimulationem conuertatur, ideo est in eis comedere quantum ad apparentiam, sed non realiter: sic dixit Raphael angelus ad vtrumque Tobiam patrem, & filium: Cùm essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor, vt patet Tob. 12. cap. Deinde autẽ quòd angeli, vel dęmones sic comedunt, dicendum est, quod integrum manet, sicut ipsi illud assumunt, & videntur deglutire: tamen occultant illud transferentes ad alia loca, vt non videatur. Etiam poterant huiusmodi angeli comedentes cũ alijs omnia, quæ assumebant, & transglutire videbantur, secretè in mensa reponere, nullo vidente, & sic viderentur semper comedere, & nunquam deficeret cibus, si vellet. sic in litera patet, scilicet & nesciebat Manue quòd Angelus Domini esset: quasi dicat, ideo inuitabat eum, quia nesciebat, quòd esset angelus: & ipse non comedit, ideo quia erat angelus, & illi non comedunt.

Quũ angeli, & dæmones cõedant.

Quare iste angelus non comedit, sicut illi qui comederunt coram Abraham, & Loth.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm angeli interdum comedãt, saltem largè sumendo comedere pro transglutire cibũ, quare non comedit nunc iste angelus, sicut illi qui comederunt coram Abraham, & coram Loth?

Respondendum, quòd cùm angeli secundùm se non egeant cibo, nunquam sument illum, nisi sit aliqua causa, secundùm quam sumptio illa proficiat: angeli autem, qui venerunt ad Abraham comederunt, quia illi veniebant ad nunciandum conceptum Saræ, & quia si non comedissent, non habuissent occasionem manendi cum Abraham loquendo, vt denunciarent ei de conceptu Isaac, vt rideret Sara, voluerunt comedere cum Abraham: & tamen ad hoc ipsi se non fecerunt promptos, sed potiùs volebant transire, & Abraham currit ad illos, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ vt lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore: ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, ita Genes. 18. capitulo. & tunc cùm sederent ad mensam sub arbore, locuti sunt de Abraham, quòd habiturus esset filium sequenti anno: & Sara, quæ abscondita erat post ostium tabernaculi, risit: ideo vt hęc possent conuenienter accidere, voluerunt angeli sumere cibos. Idem fuit de angelis duobus, qui iuerunt Sodomam in domum Loth, quia illi volebant ostendere, quòd viri essent ad experiendum iniquitatem Sodomitarũ, & quia si nollent comedere, haberetur præsumptio ad cognoscendum eos ante tempus, voluerunt comedere, ne cognoscerentur esse angeli, Genes. 19. Sic etiam fuit de Raphaele Angelo, qui fuit ductor Tobiæ per tot terrarum spatia, & coram illo comedebat, & bibebat, quia vt ipse dixit postea Tob. 12. expediebat, quòd illo tempore se occultaret in viri effigie. Et quia si non comederet, non cognosceretur esse angelus, voluit semper comedere: nũc autem non erat procuranda aliqua vtilitas si comederet iste angelus, ideo comedere noluit: sed potiùs è conuerso si comedisset, secuta fuissent duo inconuenientia, vel quæ non ita benè fierent, sicut non comedente eo. Quod patet, nam primum esset, quia si comedisset putaretur esse Propheta, & non angelus Dei. Nam ob hoc dabat ei Manue cibos, quia putabat non esse angelum Dei, vt patet in litera, scilicet, & nesciebat Manue, quòd esset angelus Domini: magis tamen certitudo de annunciatione erat, & in maiori auctoritate haberetur sciendo, quòd Angelus annunciasset, quàm cùm putaretur, quòd Prophęta erat annuncians. Secundum erat, quia si angelus vellet comedere, non obtulisset sacrificium Manue. Vt ergo incitaret illum ad offerendum, dixit: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem holocaustum offerre vis, offer illud Domino. Melius ergo fuit non comedere, quàm conuiuium acceptare. *Et nesciebat Manue, quòd Angelus Domini esset.* Scilicet, ideo inuitabat eum ad comedendum, quia nesciebat, quòd esset angelus Domini: sed putabat esse virum Prophetam, si autem putauisset esse angelum, non inuitasset eum.

* * *

Stan. 13. Manue apparent & edisset, duo sequebatur inconuenientia

Quomodo ex hoc, quòd putabat Manue iſtum non eſſe Angelum inuitabat eum, &c.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR, quomodo ex hoc, quòd putabat Manue iſtum non eſſe angelum, inuitabat eum, & ſi cognouiſſet non inuitaſſet, & quid circa hoc Iudæi credebant de angelis. Aliquis dicet in contrarium, quòd quamquam putaret eum eſſe angelum, poterat eum inuitare ad comedendum, quia notum erat apud omnes Hebræos, quòd Abraham pater eorum inuitaſſet tres angelos, & comediſſent cum eo ſub arbore, Geneſ. 18. cap. Loth etiam inuitauit duos angelos, & comederunt cum eo, Gen. 19. ergo etiam ipſe poterat inuitare angelos ad comedendum.

Reſpondendum, quòd ſi putaſſet Manue illum eſſe angelum, non inuitaſſet eum, quia putabant Iſraëlitæ angelos Dei non eſſe animalia, vel homines, ita vt egerent cibo, ſed eſſe ſubſtantias alterius modi, & licèt crederent illos eſſe corporeos, tamen putabant eſſe ſua corpora indefectibilia, cibo, aut potu non egentia ad conſeruationem, ſcil. vt corpora animalium, & ſic licèt crederet Manue, quòd poſſent angeli tranſglutire cibos, quia tamen illud non erat propriũ comedere, nec erat eis neceſſarium non inuitaret ad epulas angelũ. Cùm autem arguitur de angelis venientibus ad Abraham, & Loth, poſſet dupliciter reſponderi. Vno modo, quòd Iudæi intelligerent illos eſſe angelos, id eſt nuncios, ſed non angelos, ſcil. de ſubſtantia angelorum. Pro quo ſciendum, quòd in Hebræo ponitur Malach, vbi nos ponimus angelum, quia angelus eſt nomen Græcum, ſignificãs ſuperbum nuncium: Malach autem in Hebræo ſignificat nuncium abſolutè, nec magis nuncium Dei, quàm nuncium hominis. Inde quilibet homo, qui aliqua nunciat, vocatur Malach in Hebræo, & ſi nunciat aliquid bonum, quod eſt ex parte Dei, vocatur Malach Elohim, id eſt nuncius Dei. Sic dicitur Malac. c. 2. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem exquirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Ideo Hebræi poterant ponere indifferenter illos, qui venerunt ad Abraham, & ad Loth fuiſſe viros miſſos ex parte Dei, vel fuiſſe angelos. Primo modo accipiendo, manifeſtum eſt, quòd poterant comedere, & ſic dato, quòd eſſent verè angeli poterat eſſe, quòd Abraham putaret illos viros, & ob hoc inuitaret illos ad comedendum: ſi autem putaſſet illos eſſe verè angelos, forte non inuitaſſet. Alio modo poteſt intelligi, quòd Abraham putaret illos viros ad ſe venientes non eſſe homines, ſed angelos veros. Et iſta eſt veritas, quia ipſe locutus eſt ad eos tanquam ad Deum, vel angelum eius: & maximè, quia quando cum eis ibat verſus Sodomam, petebat ab vno illorum remiſſionem pro vrbe Sodomorum, tanquam ille eſſet Deus, & dicebat ei, quòd ipſe iudicabat omnem terram, & quòd non perderet iuſtum cum impio, ita Geneſ. 18. & tamen iſta non diceret, ſi non putaſſet eſſe verè angelos Dei, & Deum in eis valdè repræſentari.

Et tunc dicendum, quòd inuitauit eos, quia Abraham putauit, quòd etiam angeli Dei cibo vtebantur, eo quòd Abraham erat rudis circa hæc, quia non cognouerat naturam angelorum, eo quòd Scriptura nulla erat de eis. Etiam Deus de illis nihil reuelauerat: ſed ſicut videbat eos in corporum humanorum effigie, ita putabat eos facere eadem, quæ homines, præter hoc, quòd non moriebantur, ſicut homines. Paulìſper autem procedente magis ætate Iudæorum eruditi ſunt aliqualiter circa naturam angelorum, ſcil. quòd non eſſent habentes talia corpora, ſicut homines, & quòd non egebant cibo, ſicut homines, & iſta opinio erat iam inducta tempore Manue, ideo ſi ipſe ſciuiſſet eſſe angelum Domini, non inuitaſſet eum ad cibum.

Sanctitas quã deque ſtat cũ ruſticitate.

Nec erat hoc mirandum, quòd poſteri Iudæorum cognouiſſent aliquid, quod nõ cognoſcebat Abraham, licèt ille ſanctior eſſet, quia ſanctitas interdum ſtat cum ruſticitate, quia ſanctitas ad ſinceritatem volentis pertinet: ſapientia autẽ ad intellectus perſpicacitatem. Etiam non erat inconueniens, dato quòd Deus diligeret valdè Abraham, & promitteret ei magna, & ſe oſtenderet ipſi, quia etiam Prophetis hoc accidebat, ſcil. quòd licèt Deus ſe eis reuelaret, alij homines eſſent tam in ſpeculabilibus ſapientiores, quàm in agibilibus prudẽtiores: ſic patet de Moyſe, qui erat eximius Prophetarum, & tamen Iethro Madianita ſciuit melius ordinare populum, quàm ipſe, Exod. 18. Etiam multæ quæſtiones ſatis planæ petebantur à Moyſe, & neſciebat quouſque conſuleret Dominum ſuper eis.

Quomodo Angelus Domini iubebat Manue, quòd offerret holocauſtum Domino, cùm ipſe non eſſet ſacerdos.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quomodo angelus Domini iubebat Manue, quòd offerret holocauſtum Domino ſi vellet, quia peccaret valdè in hoc Manue. Primò, quia non offerret in loco debito: nam in ſanctuario ſuper altare holocauſtorum offerendum erat omne ſacrificium, ſicut præcipitur Leuit. 17. alioquin offerẽs reus erat, ac ſi ſanguinem effudiſſet. Item peccabat, quia ipſe non erat perſona idonea ad faciendum ſacrificium, quia iſtud pertinebat ad ſolos ſacerdotes, Num. 3. & 18. capit.

Reſpondendum eſt, quòd angelus iuſſit ei hoc, quia poterat ex parte Dei diſpenſare cum illo: nam lex ab eo condita, per illum poterat recipere diſpenſationem: angelus autem fungebatur vice Dei, quia erat nuncius, & ſciens Deo placitũ eſſe, dixit illud Manue: aliàs autem fuiſſet ei illicitum. Nam ſicut diſpenſabatur cum alijs viris ſanctis, & Prophetis ſuper hoc, ita & cum iſto diſpenſatum eſt.

Quomodo Manue audebat ad mandatum huius ipſum alloquentis facere ſacrificium.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Manue neſciret angelum iſtum eſſe, qui iubebat, vel ſuadebat hæc quomodo audebat facere ſacrificium ad mandatum illius, quia non eſſet tutus, quòd non peccaret?

Reſpondendum, quòd Manue putauit hunc eſſe Prophetam aliquem magnum, & quia Prophetæ veniunt à Deo, nõ dicerent aliquod malum, credidit quòd liceret ſibi ex dicto illius offerre holocauſtum: ſic enim aliàs ab aliquibus non ſacerdotibus, & in locis non ſacris facta ſunt ſacrificia: quia ipſi erant Prophetæ. Sicut ergo ipſi licitè faciebant, quia ſciebant ſibi permiſſum à Deo: ita, illi quibus ipſi dicerent hoc facere poſſent tuti eſſe faciendo.

Sed obijcietur, quia Deut. 13. dicitur, quòd quando aliquis Propheta prædiceret aliquod ſignũ, & eueniret, & poſtea diceret: venite eamus, & ſequamur deos alienos, nõ debebant Iſraëlitæ aſſentire illi, ſed fugere: ſic autem erat hic: quia facere ſacrificium extra locum debitum, & quòd fieret per perſonam non idoneam erat illicitum, ideo dato quòd Propheta hoc iuberet, peccaret qui faceret.

Reſpondendum eſt, quòd illa regula Dei intelligitur in illis, quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ſicut colere deos alienos, vel occidere innocentes, vel adulterare: tunc quodcunq; horum vel ſimilium diceret Propheta, non erat ſibi aſſentiendum: ſi tamen diceret aliquid de illis, quæ ſolùm erant mala non ex ſe, ſed inquantum prohibita erant, ſicut offerre in tali, vel tali loco, & cum talibus, vel talibus cæremonijs, poterat ei credi, quia iſta erant faciliter diſpenſabilia, & iam legimus ea diſpenſata in bonis Prophetis, ſcilicet in Samuele, qui offerebat in multis locis, & ipſe non erat ſacerdos. Etiam Elias obtulit in monte Carmelo, vbi non erat ſanctuarium: etiam ipſe non erat ſacerdos. De Samuele patet 1. Regum 7. de Elia 3. Regum 18. Ideo Manue aſſentiẽs in hoc ipſi viro, quem credebat eſſe Prophetam, non peccabat.

Alij reſpondent aliter, ſcilicet quòd non egit hic Manue aliquid, quod non poſſet agere ſine ſpeciali diſpenſatione: nã poterat hic eſſe peccatum propter locum, vel propter perſonam offerentem: ſed neutrum erat peccatum. De loco patet, quia dicunt, quòd toto tempore, quo fuit altare Domini in Silo, & vſquequò fuit in templo Salomonis, fuit licitum offerre vbicunq; quis vellet. Nicolaus autem dicit aliter de loco, ſcil. quòd aliàs non eſſet ibi licitum offerri: ex apparitione

Nicol. opinio refellitur.

A tamen angeli erat licitum, quia vbi apparebat angelus, poterat offerri ſacrificium.

Sed dicendum, quòd non ſtat: primum, quia tota lex obligauit ex eo tempore, quo Iſraëlitæ fuerunt pacificè in terra Chanaan, vt colligitur Deut. 12. ſed iſtud erat ſpeciale præceptum, ergo ſemper obligauit vbicunque eſſet ſanctuarium. Quod ſatis apparet allegato ca. nam cùm ibi diceretur, quòd in deſerto non obſeruaretur lex, ſed quilibet faceret quod ſibi placebat, & quòd non ſic futurum eſſet poſtquam tranſirent Iordanem, & habitarent pacificè: ſubiunctum eſt, quòd tunc non debent ſacrificia offerri in quacunque vrbe quis vellet, ſed ſolùm in vrbe, quam Dominus ſibi elegiſſet, & vbi eſſet ſanctuarium ſuum, ergo non licebat cuique altaria cõſtruere, vbi vellet. Secundum etiam, quod Nicolaus dicit, nõ ſtat: nam ſi apparitio angeli faceret licitum eſſe locum ad offerendum, ſi ipſe iuberet ibi offerri, vel ſcito quòd erat angelus apparens propter ſanctitatem, quam acquiſiuerat locus ex eius præſentia, quòd poſſit ibi offerri, ſed Manue nunc neſciebat angelum ibi apparuiſſe, & neſciebat illud ſibi ſuaderi ab angelo, ideo non excuſabatur ab hoc: excuſaretur autem poſt apparitionem iſtam, ſi ibi offerret Manue. Aliud in quo peccabatur erat perſona non idonea, quia ipſe Manue non erat ſacerdos. Reſpondet Nicolaus, quòd in hoc non peccauit, quia ipſe non fecit ſacrificium, ſed ſolùm dedit materialia ſacrificij: angelus autem ſuſcitauit ignem, & compleuit ſacrificium. Sed non ſtat, quia ſicut non licebat laico cremare

B ſuper altare carnes ſacrificij, ita non licebat immolare: ſcilicet occidere pecus, & decoriare, atque diuidere carnes, quia omnes iſti erant actus ſacerdotales: nam & Leuitis non competebant, niſi in diſpenſatione in caſu neceſſitatis, ſcilicet nõ ſtantibus ſacerdotibus: ſic fuit tempore regis Ezechiæ, quando ſanctificauit templum Domini, quod erat pollutum, & fecit feſtiuitatem magnam, offerendo multa ſacrificia, & erant tunc multa holocauſta, & pauci ſacerdotes, qui illa facerent, eo quòd in tempore præcedenti, cùm ſeruiebatur idolis, non fuerant conſecrati, & Leuitæ adiuuerunt ſacerdotes ad explendum ſacrificia ſolùm decoriando animalia, 2. Paralipomenon 29. Ergo decoriari animalia cremanda in altari nunquam licebat, niſi ſacerdoti regulariter. occidere tamen animalia immolanda, & ſanguinem offerre non fuit permiſſum Leuitis ex paucitate miniſtrorum: ergo non licebat Manue occidere animal cremandum, vel decoriare, & diuidere partes, & ponere ſuper petram, quæ erat altare, quia iſtud nõ eſt dare materiã offerendã, ſed exercere miniſtrationem ſacerdotalem: ſecùs ſi ipſe Manue dediſſet hœdum de capris viuentem angelo, & ipſe occidiſſet illum: decoriaſſet, atque poſuiſſet ſuper altare. Dicendum ergo, quòd nõ poterant iſta licere Manue regulariter, ſed ex diſpenſatione licuerunt. Et ſic tenenda eſt ſolutio prima data ab initio.

C *Quod genus ſacrificij erat, quod obtulit Manue.*

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quod genus ſacrificij erat, quod obtulit Manue?

Dicendum, quòd erat holocauſtum, quia ſic angelus ſibi ſuaſerat, dicens: ſi autem vis offerre holocauſtum, offer illud Domino: & non eſt credendum, quòd faceret, niſi quod angelus monebat. Item dicitur, quòd poſuit Manue hœdum de capris ſuper petram: ſi tamen eſſet ſacrificium pacificum, vel pro peccato non poneretur ad cremandum, niſi particula quędam: quia omnes aliæ partes cedebant in ius ſacerdotum, & offerentium: nam de ſacrificio pacifico adeps offerebatur, & interdum cauda, vt Leuit. 3. capit. de ſacrificio pro peccato nihil niſi adeps, Leuit. 6. cætera autem proueniebant ſacerdotibus, & offerentibus. Hic autem totus hœdus ad cremandum poſitus eſt.

Reſpondendum, quòd hic non fuit verè aliquod de tribus generibus ſacrificij, quæ Scriptura enumerat, eo quòd nullius illorum cæremoniæ totaliter obſeruatæ ſunt: maior tamen ſimilitudo fuit ad holocauſtum, quàm ad alia. Primũ patet, quia non fuit ſacrificium pro peccato, nec pacificum, cũ fuerit totus hœdus incenſus in altari, & tamen in his duobus ſacrificijs quædam particulæ ſolùm cremabantur, vt dictum eſt. Etiam non fuit holocauſtum, quia in illo prius accipiebatur ſanguis in crateris, & fundebatur ſuper parietes altaris, & fluebat ad baſim. Etiam ipſum animal diuidebatur in fruſta, & ponebatur ſic ſuper altare: hic autem non fuit ſanguis oblatus ad fundendum per gyrum altaris, ideo non fuit holocauſtum totaliter. De his Leuit. 1. Quod autem magis eſſet holocauſtum, quàm alia ſpecies ſacrificij, patet: eo quòd totum corpus hœduli crematum eſt in holocauſto, & etiam angelus iuſſit holocauſtum offerri.

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd angelus dixit, quòd offerretur holocauſtum, & tamen non fuerunt obſeruatæ omnes cæremoniæ holocauſti. *Ad 1. rõnem in diuerſũ.*

Ad ſecundam dicendum, quòd licèt totum corpus hœduli crematum eſt, non probatur eſſe holocauſtum, nam ex hoc patet, non eſſe pacificam hoſtiam, nec pro peccato: & tamen non conuincitur eſſe holocauſtum, quia ad illud requiruntur cæremoniæ aliæ, vt dictum eſt, & illæ non fuerunt hic obſeruatæ. *Ad 2. rõnem.* *Dixitq; ad eum.* Cùm nollet angelus comedere cum Manue, & recedere vellet, quia fortè nunquam poſtea videret eum, quæſiuit de nomine illius, dicens: *Quod eſt nomen tibi? vt ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te.* Scilicet antequam expleatur ſermo tuus, non eſt aliqua cauſa honorandi te etiam ſi certi eſſemus de euentu eius, ſed cùm expletus ſit ſermo, honorabimus te, laudantes te, vel euntes ad te in loco, vbi habitaueris, & ferentes tibi munera. Quia tunc quæreret Manue pro tali viro, qui ſic nominabatur, & veniret in locum eius ad honorandum eum muneribus, & accipitur hic, *Si expletus fuerit.* Id eſt, quando expletus fuerit, quia ſuprà oſtenderat ſe non dubitare de hoc ipſe Manue, dicens: quando ſermo tuus fuerit impletus, quid vis, vt faciat puer. *Cui ille reſpondit.* Scilicet angelus Manue. *Cur quæris nomen meum quod eſt admirabile?* Quaſi dicat, nomen meum non eſt ſicut nomina veſtra, & non poteſt ſic declarari, ideo non debes quærere illud. Sciendum tamen, quòd nomen poſitum hic in Hebræo eſt æquiuocũ ad admirabile, vel difficile, & vtrunq; erat nomen admirabile, & occultũ, & etiam difficile ad explicãdum.

D

E

Quomodo nomen huius angeli erat admirabile, & quare nomina angelorum dicuntur admirabilia. Et à quibus nomina eorum fuerunt inuenta.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR, quomodo nomen huius angeli erat admirabile?

Reſpondendum, quòd angeli habent nomina apud nos, ſi nos eis illa volumus imponere: ipſi tamen in vita æterna nomina nulla habent. Cauſa huius eſt, quia nomen imponitur ad certificandum rem dubiam, vel indeterminatam: ſicut cùm in eadem ſpecie ſunt multa indiuidua ſimilia: ad faciendum differentiam inter illa, ponimus nomina illis ad placitum: ſic eſt in omnibus, in quibus faceremus certitudinem, ſublatis nominibus, ideo vſus nominum compertus eſt. In angelis autem non ſubſiſtit hoc, quia angeli ſunt determinati in eſſentia ſua per hoc, quòd quilibet angelus eſt in vna ſpecie, & non multiplicantur indiuidua: ſicut in rebus naturalibus per materiæ ſignationem, ideo oportet poni nomina differentiæ cauſa, quia tamen non omnes recipiunt iſtud fundamentum (licèt verum ſit) ſunt aliæ cauſæ etiam: Vna eſt quia nomina ſunt, vbi res ſiue in ſpecie, ſiue in indiuiduo nõ eſt cognita niſi per nomen: ſed Deus cognoſcit angelos ſuos ſine nomine, immutando quem voluerit ad aliquid miniſterij exercendum in creaturis, & quilibet angelorum ſentit ſe à Deo immutari, & aliquid ſibi præcipi à Deo ſine vſu nominis, ideo non eſt eis neceſſarius vſus nominis per relationem ad Deum. Etiam eorum inter ſe non ſunt nomina neceſſaria, quia nominum vſus eſt ad tollendum incertitudinem, ſed vbi eſt plena ſcientia & determinatiſſima, nulla eſt incertitudo, nec varietas, ideo ſuperuacuus foret vſus nominis. Alia etiam cauſa eſt, & de potiſſimis, quia nomen imponitur ad vocandum rem, quæ tali nomine appellatur, vel ad loquendum determinatè de illa re: ſed in vita ætetna inter Deum & angelos nulla vox eſt: nec etiam, vt ſic ſunt, eſſe poſſet, ideo dato quòd eſſent eis res dubiæ ſicut nobis, non poſſent habere vſum nominum. Alia cauſa eſt, quia ſi aliqua nomina eſſent, aliquãdo fuiſſent impoſita, & ab aliquo, ſed à nullo imponi potuerũt, quia nullus inter angelos Deo aſſiſtẽtes

F *Angeli ſpecie differũt ſecũdum Doct.*

loqui

A loqui potest,ideo nullum nomen ibi est, & sic Angeli in particulari nō habent aliqua nomina,siue ponatur quilibet continere vnam speciem , siue multi in vna : sed ea nomina, quæ sunt imposita quibusdam , fuerunt imposita à sanctis viris, scilicet à Prophetis , vt Daniel primo inuenit nomen duorum Angelorum , scilicet Gabrielis, & Michaelis. In Tobia autem primo inuentum est nomen Raphaelis. Etiam Luciferi nomen in Isaia inuentum est.

Dicendum etiam,quod sicut ipsi particulares Angeli non habēt aliquam denominationem,ita nec ordines eorum nouem:nec Hierarchiæ tres,sed nomina ordinum inuenta sunt ab Apostolo in Epistola ad Colosſ.vbi ponit quædam nomina ordinum,& alia in Epistola ad Ephes.Nomina etiam Hierarchiarum à Dionysio inuenta sunt , qui fuit discipulus B. Pauli,& creditur ab eo edoctus circa hoc: nos igitur , qui assueti sumus res particulares nominibus distinguere, in qualibet re nomen inquirimus , nec tamen quælibet res nomen habet , & cùm fuerimus in vita æterna , non cognoscemus Angelos nominibus , quia nulla habent. Nec etiam tunc nouiter imponentur , sed eos seipsis determinatissimè cognoscemus,sicut ipsi se nunc cognoscunt,& sicut quilibet homo cognoscit seipsum , dato quod nomen non haberet. Etiam nos, qui nunc nominibus vtimur, ibi non distinguemur nominibus,sed quilibet alium ibi cognoscet sine nomine,sicut hic seipsum sine nomine cognoscit.

A quibus nomina ordinū Angelorum fuerūt inuēta.

Non erunt nomina in vita æterna.

Cur nomina Angelorum vocantur admirabilia.

B

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR denuò, cùm Angeli nō habeant nomina, cur vocant nomina sua admirabilia?

Dicendum,quòd nomen Angeli est admirabile,quia hoc ipsum,quod est carere nomine admirabile est , cū in nobis non sit distinctio aliquarum rerum sine nomine , quātum ad colloquendum:alijs etiam ad intelligēdum cùm ab alijs nobis res aliquæ ponuntur. Item est nomen eorum admirabile, quia sicut in nobis nomē est distinctiuum,& certificatiuum, ita in illis est quædam certitudo cognitionis, & distinctionis qua res sine ambiguitate cognoscitur, non vtendo nomine aliquo pro illa,& ista certitudo est ex parte cognoscētis,& rei cognitæ in comparatione ad cognoscētem supplet in eis locum nominis , & fieri istud est admirabile , vel illa certitudo admirabilis est , quia in nobis non reperitur aliqua talis certitudo,quia sine nominibus distinguamus,& cognoscamus: ideo nomen eorum admirabile est : nam excedit iste modus certificationem nostram,quæ fit per nomina.

Quomodo nomina Angelorum dicuntur occulta.

C

QVÆSTIO XXXV.

VLTERIVS quæretur,quomodo nomina Angelorum possunt vocari occulta.

Respondendum , quod ad euidentiam huius considerandum sicut suprà dicebatur , quod Angeli secundùm se nō habēt nomina:ideo si aliqua debēt habere,oportet quòd competant eis ex habitudine ad nos, scilicet secundùm officia,quæ in nobis exercēt:sic etiam omnes spirituales substantiæ inquantum ad nos mittuntur , vocantur Angeli, id est, nuncij. In speciali etiam consequuntur nomina ipsi Angeli ex officijs,sicut Angelus,qui venit ad purgandum labia Isaię vocatus est Seraphim , non quòd esset de ordine Seraphim, sed quia in Hebræo vocatur combustor , vel ardens , & quia ille Angelus,qui venit,tulit calculum ardentem de altari , & tetigit labia Isaiæ,vt patet Isaiæ 6. & tamen Seraph,vel Seraphim non est ibi nomen ordinis,sed nomen commune pro combustore:sic namque Nume,21.vbi litera nostra dicit:serpentem æneum,dicit litera Hebraica Seraph , id est , ardentem,vel combustorem,eo quod serpentes erāt igniti, eodem cap.sic etiam Angelus veniens ad Tobiam , vocatus est Raphael,id est medicina Dei:qa venerat ad medicādum Tobię, scil.vt sanaret oculos eius. Et alius Angelus vocatus est Gabriel,Dan.9.quia interpretatur fortitudo Dei , & ipse veniebat ad confortandum Danielem. Etiam dictus est Gabriel qui venit ad Virginem , Lucæ 1.scilicet. Missus est Angelus Gabriel , & hoc quia venerat ad indicandum aliquod opus magnæ potētiæ,vel fortitudinis Dei, scilicet quòd virgo conciperet , quod impossibile erat naturæ. Vnde ad significandum Dei potētiam,& fortitudinem dixit: Nunquid erit impossibile apud Deum omne verbum ? quasi dicat, Deus fortis est,& nihil est sibi impossibile,ideo congruè nomen accepit Gabriel,id est,fortitudo , vel potestas Dei, quia veniebat ad annunciandum potestatem Dei. Sic etiam vocatus est alius Angelus Michael , quod interpretatur , quis vt Deus : & significat Deum admirabilem esse : quod nomen conuenienter introductum fuit à Daniel,eo quod ipse induxit Michaelem, vt Pincipem maiorem populi Hebraici,& quod ille maximè pugnabat contra potestates aduersantes , & quia Michael,& Gabriel,qui erant principes Hebræorum pugnauerunt viginti vno diebus, contra Angelum principem Persarum,qui nolebat Israelitas exire de potestate Persarum , scilicet de Babylone : acceperunt conuenientia nomina à potestate , vel fortitudine, aut admiratione. De hoc Danielis 10. cap.

D

De officijs Angelorum.

Nunc autem de istis officijs dicendum , quod mutantur, quia si nunc missus vnus Angelus de vno ordine ad vnum actum exercēdum,poterit mitti, & mittetur realiter aliquando alius Angelus de eodem ordine ad similem actum,& quia ex officijs,quæ apud nos faciunt, nomina accipiunt , necesse est,vt isti duo Angeli accipiant idem nomen , & sic continget multos Angelos accipere idem nomen , & tunc cùm nominatur aliquis illo nomine , non certificatur per illud nomen, quia putauimus esse Angelum , qui prius venit, quàm hunc,qui nunc venit,& fortè erit aliusciusdem nominis : ideo nomina sunt occulta ex æquiuocatione , quæ non potest reduci ad vniuocationem : sicut fit apud nos in nominibus proprijs virorum , quando eodem nomine multi appellātur,quia per adiuncta limitatur æquiuocatio , & fit vniuocatio:sed in Angelis non inuenimus aliquid per quod determinemus æquiuocationem nominum , cùm non sint notæ nobis conditiones eorum particulares, sicut sunt in indiuiduis humanis. Hoc modo poterat esse, quòd Angelus Gabriel,qui venit sæpè ad Danielem , vt patet Dan.8.& 9.& 10. non esset ille Gabriel , qui venit ad Beatam Virginem. De quo Lucæ primo , sed quia vterque veniebat ad confortandum ex parte Dei, vel fortitudinem Dei indicandam , vt suprà declaratum est, poterat vterque vocari Gabriel,& hoc modo nomina Angelorum sunt nimis occulta. Alia occultatio adhuc maior est in nominibus Angelorum , scilicet quòd cùm nomina imponantur ex actibus, quos circa eos exercent , & quia idem Angelus veniet sæpè ad diuersos actus exercendos , oportet quòd ex illis acciperet vocabula diuersa, vtputà quòd nunc vocaretur Raphael , si veniret ad curandum ægritudinem,& iterum vocaretur Gabriel, si veniret ad indicandum Dei fortitudinem super aliqua re, & sic putaret iam aliquis ex nominibus illum Angelum esse duos Angelos : nimis ergo occulta sunt nomina Angelorum id est,non notificant eos distinctè , sicut nomina nostra notificant nos , & quia cùm vnus Angelus mittitur ad vnum actum, adhuc nescit, an mittetur ad alium actum dissimilem, ignorat quòd nomen magis ei conuenire debeat , & sic nō solùm nobis nomina Angelorum occulta sunt,sed etiam ipsismet Angelis.

E

F

Quare Angeli,vt communiter quando veniunt ad nos nolunt nomina sua manifestare.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR vlteriùs , quare Angeli, vt communiter quando veniunt ad nos nolunt nomina sua prodere.

Respondēdum, quod aut Angeli se ostēdunt potiùs vt viros,& volunt teneri vt viri,aut se ostendunt,vt Angelos, aut se ostendunt dubios nolentes pro tunc indicare vtrum Angeli,vel viri sint. Primo modo Angeli confitentur nomina sua tanquàm nomina virorum. Et hoc vt si non dixerint nomina reddant illos suspectos , cum quibus communicant. Etiam quia sine nomine inter homines communicare nequeunt:sic fuit de Angelo,qui duxit Tobiam iuniorem

A

Aliquãdo Angeli apparentes produũt nomina sua aliquãdo non.

in Rages: nam quæsiuit Tobias senior nomen illius: & ipse dixit, ne te solicitum reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius, vt patet Tobiæ 5. Quando autem Angeli sunt, vt Angeli, interdum nomina sua dicunt, & interdum nolũt: de primo patet Tobiæ 12. Nam postquàm Angelus ille expleuit opus suum, confessus est nomen suum, & dixit: Ego sum Raphael vnus de septem spiritibus, qui astamus ante Dominũ, & istud fuit non petente Tobia: nam ipse tunc non petebat nomen eius, tamen Angelus sponte sua nomen expressit ad tollendam erroneam opinionem vtriusq; Tobiæ: nam putabant eum esse virum, & vocari Azariam, & quia iam recedens ab eis volebat indicare se esse Angelum, negauit omnes conditiones humanas, quæ prius videbantur in eo, scilicet quòd comederet, & biberet, & dormiret, dicens: quòd ipse licèt videretur comedere, & bibere, tamen non vtebatur his cibis, sed spiritualibus. Etiam quia putabatur nomen eius esse Azarias, dixit, quod nomen suum erat Raphael. Aliquando autem Angeli non produnt nomina sua, licèt ostendant se esse Angelos, sic patet Gen. 32. cap. vbi Angelus luctabatur cum Iacob, & dixit ei: Si contra Dominum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Et post hoc quæsiuit Iacob de nomine illius, & ipse dixit: Cur quæris nomen meum? Et non expressit nomen. Fortè hoc fuit, quia erat ille Angelus datus particulariter in custodiam Iacob, vel princeps populi Hebraici exituri de Iacob, & quia sæpè facturus erat aliqua circa Iacob, ex quibus diuersa nomina sortiri deberet, noluit aliquod sibi nomen tunc imponere, ne illud solùm habere putaretur. Aliquando autem Angeli apparent in effigie dubia, scilicet, quia nolunt totaliter videri viri, nec haberi vt viri, & rursus volunt tunc haberi determinatè vt Angeli, & tunc occultant nomina sua, sic fuit hic: nam iste Angelus nolebat videri Angelus vsquequò per flammam sacrificij indicaretur. Etiam nolebat totaliter haberi vt vir: quia modico tempore erat mansurus in illa habitudine, ideo noluit nomen aliquod exprimere, quia vel illud esset Angeli, vel hominis, sed quocunque dato notificaretur eum esse hominem, vel Angelum: & sic redditus fuit incertus ipse Manue, & non cognouit ex hac conuersione eum esse Angelum, vel hominem: magis tamen putabat eum virum.

B

Tulit itaq; Manue hœdum de capris. Scilicet illum volebat parare pro Angelo, vt comederet, vt patet suprà, & quia noluit, sed dixit, quòd offerret holocaustum duxit ipsum hœdum ad holocaustum. *Et libamenta.* Vocantur libamenta quædam accessoria ad sacrificia: nam cum sacrificijs holocaustorum, vel victimis pacificis offerebantur libamenta, Numer. 15. & 28. & 29. Erant autem quinque genera rerum, de quibus fiebant libamenta, scilicet de farina, & oleo, vino, sale, & thure, & duo vltima ponebantur sine mensura, & alia tria cum mensura, scilicet quod de sale, & thure imponebatur in sacrificio, quantum veslet offerens, quia non limitabat lex aliquam mensuram. De his duobus patet Leuit. 2. Nam de sale specialiter iubebatur, quòd nullum esset sacrificium, in quo non poneretur. De thure etiam iubetur ibi, quòd ponatur. De oleo simila farina delicato, & vino habetur Num. decimoquinto, vbi ponitur mẽsura istarum rerum, scilicet, quia maior pars similæ vini, & olei offerebatur in sacrificio bouis quàm arietis, & magis in ariete, quàm in agno anniculo, & pro singulis erat ibi limitata mensura cognita apud Hebræos: ista omnia posuit Manue secundùm exigentiam hœduli, qui offerebatur. De modo autem quo ista ponebantur in sacrificio, vel quomodo miscebantur declaratum est Leuit. 2. & Nume. decimoquinto. Est autem sensus, quod Manue occidit hœdulum, & decoriauit, & exclusis intestinis, posuit super altare, & cum eo posuit libamenta. *Et posuit supra petram.* Quia ibi non dicit aliud altare. *Offerens Domino.* Scilicet ipse Manue obtulit Domino sacrificium illud tanquàm sacerdos: nec fuit aliquid in illa immolatione, & oblatione sacrificij, quod non faceret Manue, sed fecit ex dispensatione, vt suprà dictum est.

Libamen quid, & ex quibus fiebat.

C

Qui facit mirabilia. Id est, obulit istud sacrificium Deo, quia facit mirabilia, & dignum est, quòd sibi offeratur tanquàm soli omnipotenti. In Hebræo habetur.

Obtulit Domino, & mirabile ad faciendum. Id est, obtulit Domino holocaustum, & Deus est ad faciendũ mirabile, scilicet nullus est, qui faceret mirabile, nisi Deus. *Ipse autem & vxor eius intuebantur.* Scilicet Manue, & vxor eius intuebãtur quid faceret Angelus, vel quomodo cremaretur sacrificium.

D

Cumq; ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cùm vidisset Manue, & vxor eius, proni ceciderunt in terram, & vltra eis non apparuit Angelus Domini. Statimq; intellexit Manue, Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neq; ea, quæ sunt ventura, dixisset. Peperit itaq; filium, & vocauit nomen eius Samson. Creuitq; puer, & benedixit ei Dominus. Cœpitq; spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa, & Esthaol.

Dyomedes à quo insula Dyomedia Latinorum regum exordium.

Cumq; ascenderet flamma altaris in cœlum. Id est, ascenderet directè contra cœlum. Hebræi dicunt, quod ascendit flamma de petra, & consumpsit sacrificium.

An in sacrificio patris Samsonis ignis natus fuerit de petra, vel de lignis.

E

Qvæstio XXXVII.

Qværetvr circa hoc an sit verũ. Aliquis dicet quod sic, & patet quia dicitur, quod obtulit holocaustũ Domino Manue, qui facit mirabilia, id est, quod mirabile secutum est immediatè oblato holocausto, & istud non esset, nisi quia ascenderet ignis de altari: alioquin non videretur ad quid poneretur immediatè post oblationem holocausti, quòd Deus faceret mirabilia. Item quia dicitur, quòd Manue, & vxor eius intuebantur: in quo significatur quædam magna attentio, & sic videtur quod erat ad rem magnam, scilicet, quia videbant flammam consurgere de altari, quod erat mirabile. In contrarium videtur, quòd non esset flamma ascendens de petra, sed quòd posuerit Manue ligna super petram, & igne succenso cremarẽtur victimæ: quia alioquin si iussisset Angelus poni carnes ad cremandum sine igne cognitum esset, quod erat Angelus, quia istud mirabile, & tamen non cognouerunt eum tunc, sed posteà quando ascendit in flamma: ergo non ascendit ignis de petra, sed de lignis. Item si ascendisset ignis de petra, fuisset istud miraculum magnum, & scriptura narrasset illud, quæ intendit enarrare laudes Dei, & ostendere illum nobis laudabilem, sed non narrauit, ergo non fuit. Item quando Manue, & vxor eius viderunt Angelum ascendentem in flamma, corruerunt in faciem suam tanquàm videntes mirabile: si tamen vidissent prius succendi carnes, non suppositio igne, vidissent mirabile: ergo ibi cecidissent in terram, sed non ceciderunt: ergo non fuit ignis egrediens per se de petra, sed suppositus erat in lignis: simile patet Leuitic. nono, cùm venit ignis ad cremandum hostias, & non fuerat ab aliquo appositus, sed à Deo: Israelitæ laudauerunt Dominum, & corruerunt in facies suas.

Ratiões cuiusdam.

1. ratio.

2. ratio

3. ratio

F

Respondendum, quod ista quæstio est dubia: potest enim quodcunque teneri, quia vtrumque est satis rationabile: vel saltem non contra rationem. Si autem velimus tenere, quod non fuit ignis à Domino veniens, sed succensus à Manue.

Rationes in diuersum.

1. ratio.

2. ratio

Ratio-

Respondebitur ad primam rationem, quod obtulit sacrificium Deo Manue, qui facit mirabilia, non quòd fecerit nasci ignem de altari, sed obtulit, quia faciebat mirabilia, id est, in gratiarum actionem pro hoc mirabili, quod nunc faciebat: scilicet quia promiserat, quòd mulier sterilis pareret, & quòd puer inde genitus subijceret hostes, vel turbaret, & affligeret eos, & istud est nimis rationabile, scilicet quòd pro hoc bono nunciato per Angelum sacrificauerit, & propter hoc scriptura designauit causam dicens: obtulit Deo, qui facit mirabilia, id est, propter hoc, quod facit mirabilia in dando fœtum sterili.

Resp. ad quæ situm.

Ad 1. rationẽ

A

Ad 2. rationē

Ad 1. rationē in diuersum

Ad 2. rationē

B

Alia reſpon. ad 2.

Ad 3. rationē

Ad ſecundam, quando dicitur quod intuebantur Manue, & vxor eius, dicendum non intuebantur flammam miraculosè egredientem, quia nulla talis erat, ſed intuebatur ſolicitè quid acturus eſſet Angelus, vel quomodo cremaretur ſacrificium. Si autem vellemus tenere, quod flamma orta fuit hic de petra, diceremus ad primam rationem in contrarium, cognoſceretur Angelus antequàm aſcenderet in flamma, ſed falſum eſt.

Dicendum, quòd non cognoſceretur ex hoc, quia crematio victimarum igne cœleſti facta fuerat aliàs ſine præſentia Angeli, ſicut quando conſecratus eſt Aaron, vt patet Leuit. nono. Etiam facta eſt quando Elias diſceptauit in Carmelo contra Prophetas Baal: nam ignis de cœlo conſumpſit ſacrificium, & etiam lapides altaris, 3. Regum 18. cap. ideo poterat intelligere Manue, quòd iſte erat vir Propheta, & in approbatione dicti ſui inducebat quòd fieret ſacrificium ſine igne, & quòd Deus daret ignem: nam ita per Prophetas fiebant miracula, ſicut per Angelos: vnde nō cognoſceret eum eſſe Angelum.

Ad ſecundam rationem dicēdum, quod Scriptura interdum omittit quædam enarrare, ſicut Chriſtus multa miracula fecit, quæ ſcripta non ſunt, vt patet Ioan. vigeſimo cap. ita & in veteri Teſtamento omitterentur aliqua mirabilia ſcribi. Poteſt dici aliter, quod ſcriptum fuit iſtud miraculum, in quantum dictum eſt: obtulit Deo, qui facit mirabilia, ſcilicet, ſuccedendo ſacrificium, ſine igne appoſito.

Ad tertiam dicendum, quod non corruerunt Manue, & vxor ſua viſa flamma ſupernaturaliter accenſa, eo quòd ſecundùm iſtam poſitionem iam Angelus comprehendiſſet, quod eis apparitura erat illa flamma, & aliàs hoc euenerat, ideo non tantùm mirarentur, viſo tamen quod Angelus erat ille, qui loquebatur eis cùm aſcenderet in flamma, timuerunt ſe morituros, & præ pauore corruerunt. Dicendum tamen rationabiliorem poſitionē eſſe, quod non fuit hic ignis ſupernaturaliter ſuſcitatus de petra, ſed accēſa fuerunt ligna per Manue, ſicut in alijs ſacrificijs fiebat. Motiuum namque contrariæ opinionis eſt, quia hic dicitur, quod aſcēdit flamma altaris, & non fit mentio de aliqua ſucceſſione ignis facto per Manue. Sed iſtud nihil eſt, quia Scriptura debet enarrare ea, quæ inſolita ſunt, & quæ aliàs neſcirentur, ſi non ſcriberentur, ea autem quæ per ſe ſciuntur, etiam ſi non ſcribantur ſuperfluum eſt ſcribi. Ideo ex hoc, quod nihil ſcriptum eſt de ſuccenſione lignorum facta per Manue credendum eſt potiùs, quòd facta fuerit, quàm quod non: nam ſi nō facta fuiſſet, neceſſe erat, quòd fieret miraculosè: ſed miraculoſa ſunt inſolita, & de quibus non præſumitur, niſi cùm ſciantur, ideo de illa ſcriberentur. Item ſi talis flamma exorta fuerit de petra, dato quòd eis Angelus prædixiſſet quando ſurgeret, corruerent in terram, vel timore rei magnæ, & diuinæ, vel ſaltem in reuerentiam Dei: ſic enim Moyſes prænunciauerat Iſraëlitis, quòd ignis egrederetur à Domino ad cremandum ſacrificia Aaron, & tamen quando viderunt illum, corruerunt ſuper facies ſuas, laudantes Dominum, Leuitici nono. Item tempore Eliæ iam erat cognitus iſte modus cremandi ſacrificia, & tamen cùm ad inuocationem eius veniſſet ignis, totus populus corruit in terram, vt patet 3. Regum 18.

Angelus Domini in flamma pariter aſcendit. Id eſt, aſcendente flamma de ſacrificio aſcendit Angelus in altum cum flamma, & iſtud fuit ad indicandum ſe eſſe Angelum.

Quod cùm vidiſſent Manue, & vxor eius proni ceciderunt in terram. Videntes Angelum eleuari. Iſte caſus in terram poteſt eſſe ex humiliatione, ſcil. ad reuerentiam Angeli, quia prius putabant eum eſſe virum, & modicum reuerebantur, poſteà autem videntes eſſe Angelum, inclinati ſunt. Vel poterat hoc eſſe ex timore, ſcilicet quia timuerunt mori videntes, quòd Angelus erat, qui locutus fuerat eis, infrà dicitur.

Et vltrà non eis apparuit Angelus Domini. Scilicet poſtquàm euanuit in fumo, & hoc quia nihil eis erat reuelandum ſuper ſtatu pueri.

Statimq; intellexit Manue Angelum eſſe Domini. Scilicet videns, quòd euanuiſſet in flamma, intellexit quod erat Angelus.

C

Quomodo pater Samſonis cognouit illum Angelum eſſe verum Angelum per ſigna, quæ vidit.

QVÆSTIO XXXVIII.

D

QVÆRERTVR, quomodo per hoc intellexit Manue eſſe Angelum illum.

Reſp. ad quæſitum.

Reſpondendum, quod intellexit dupliciter, ſcil. per negationē, & per poſitionem. Per negationem intellexit, qa aut erat iſte, qui locutus fuerat Angelus, aut homo cùm nullus alius poſſet loqui, ſed non poterat eſſe homo, quia homini non competit talis cōditio, ſcil. quòd aſcendat in flamma ignis, & euaneſcat, ergo erat Angelus. Secundò cognouit hoc poſitiuè, ſcilicet quia Hebręi exiſtimabant tunc de Angelis, quòd eſſent ſubſtantiæ corporeæ ad figuram corporum humanorum, & tamen corpora eorum erant indefectibilia, & ex hoc non vegetabantur cibo, ideo inuitauerat eum prius ad cibos, quia neſciebat, an eſſet Angelus, vt patet in litera, & hoc ſignificatur Tobiæ 12. vbi dixit Raphael Angelus, quod ipſe erat Angelus: & licèt videretur comedere, non comedebat, ſed vtebatur cibo ſpeciali, quem ipſi non videbant. Putabant etiam Iſraëlitæ, quòd eſſent corpora Angelorum aërea, vel de alia materia valdè ſubtili, ideo poterant volare, & quia materia corporum ſuorum erat rara, poterant ipſi euaneſcere à conſpectibus noſtris: ſic enim tenuerunt etiam Gentiles antiquiſſimi. Vnde Apuleius Platonicus, & Socraticus eorum doctrinam ſequens, dixit dæmones habere corpora aërea, & tamen dæmones vocantur ipſi Angeli tam boni quàm mali. Etiam Plato Angelos bonos, quos calodæmones, id eſt, bonos dæmones, vel bonos Angelos appellauit, dixit habere corpora aërea, & ſic competebat eis, quòd poſſent eleuari in igne ex natura leuitatis corporum ſuorum, ſic etiam Manue credidit: nam cùm loqueretur Angelus ei neſciebat an eſſet Angelus: cùm verò aſcendit in flamma credidit eſſe Angelum, vt patet ſuprà 6. cap. & ſic non ſolùm erat iſta opinio apud Manue, ſed etiam apud Iudæos omnes, & fuerat ab antiquo. Sed dicendum, quòd licèt eſſet aliquale argumentum, tamen non erat neceſſarium: quia etiam fieri poterat in homine: nam Abacuc Propheta ductus eſt in Babylonem volans per aërem, quia tenebat eum Angelus Domini per capillum, & duxit ad lacum leonum, vt patet Dan. 14. Etiam poterat euaneſcere ab oculis eorum, quia non ſolùm Deo operante poteſt aliquis euaneſcere ab oculis hominum, ſed etiam opere naturali poteſt fieri inuiſibilis. Manue, & vxor eius arguebāt à communibus, & putauerunt certiſſimè eſſe Angelum.

E

Opinio Apulei de dæmonib.

An poſſet aliquis homo naturaliter fieri inuiſibilis.

QVÆSTIO XXXIX.

F

QVÆRETVR circa hoc, an poſſet aliquis homo naturaliter fieri inuiſibilis.

Aliquis dicet, quòd non, quia quicunq; talis ſit, vel vel fit opere Dei, vel dæmonum, ſed neutrum eſt naturale opus, ergo non fit naturaliter quis inuiſibilis.

Duo requiruntur ad hoc q aliqd propriè efficiatur inuiſibile

Conſiderandum ad euidentiam huius, quod nō accipitur inuiſibilis, id eſt, ex ſe habens conditionē inuiſibilitatis, quia tunc quòd eſſet inuiſibile ſemel, nō poſſet poſteà videri, quia oporteret, quòd reduceretur ad inuiſibile, vel careret colore & luce, ſcilicet ad hoc quòd aliquid propriè efficiatur inuiſibile, requiritur vnum de duobus. Primum eſt, quòd res ſit indiuiſibilis: nam in re indiuiſibili, ſiue ſint color & lux, ſiue non, non poterit videri, & repugnat ei ex conditione ſua videri, patet de primo, vt anima eſt indiuiſibilis ſecundùm quantitatem continuam, & Angelus: & neutrum illorum poteſt videri: ſic etiam Deus, & quilibet ſpiritus, ſic etiam accidentia ſpiritualia, vt actus animæ, vel habitus cauſant in corpore ad aliquid agendum, quia conſiſtunt illi indiuiſibili. De ſecundo etiam, vt ſi homo habens totam quantitatem ſuam extenſam reducatur ad inuiſibile, manebit ibi color, & quantitas, & omnia accidentia illius, nihil autem eſt quòd tollatur, niſi extenſio, quæ conſequitur quantitatem non eſſentialiter, & accedentia, quæ conſequuntur extenſionem,

ſcili-

A

Visio quo fi.

Res indiuisibilis videri an potest.

B

C

D

Ter le. sua Christus redidit se inuisibilem.

E

F

cilicet figura,& quælibet circumscriptio. Quocunq; modo istorum erit res inuisibilis, quia repugnat ei ex conditione sua, vt sic esse videri.

Ratio est, quia omnis visio fit per pyramidem radiosam, cuius basis est in re visa, & conus est in centro oculi, sed indiuisibile non potest facere basim, quia basis est linea, vel superficies super cuius extremitates terminantur lineæ, vel superficies, quæ in parte opposita causant angulum conalem. Ista probatio patet in principio perspectiuæ: ergo includit contradictionem rem indiuisibilem etiam per potentiam diuinam videri. Secundus modus inuisibilitatis est, si res manens in sua excessione, priuetur luce, vel colore existenti in superficie: nam cùm nulla potentia possit agere vltra obiectum suum formale, non poterit oculus videre, nisi quod est obiectum visus, sed nihil est obiectum, nisi color & lux: ergo impossibile est aliquid videri, vbi non fuerit color, vel lux, sicut impossibile est audiri aliquid, vbi nullus sonus est. Sed ablato colore, & luce de superficie corporis, manet corpus in quantitate, & extensione priori, & non manet ibi aliquod obiectum visus: ergo non poterit videri res ista, sicut per potentiam diuinam oculus non potest audire, nec auris videre, quia implicant contradictionem. Inter inuisibile tamen isto modo, & primo modo ista differentia est, de qua infrà dicetur. Istis modis est aliquid inuisibile propriè, scilicet ex conditione sua. Alio modo vocatur aliquid inuisibile, non quòd includat contradictionem illud videri, vel quia ex conditione sua competit ei non videri, sed quia nullus oculus poterit illud videre pro aliquo tempore, quo constituimus illud inuisibile. Et dico, quod istud potest effici dupliciter, scilicet diuinitùs, vel naturaliter. Diuinitùs autem poterat effici aliquo de duobus modis supradictis.

Primo modo, quòd Deus reduceret ad indiuisibile aliquod corpus, sicut facit in Eucharistia, quia ibi est totus Christus in qualibet parte hostiæ: & istud non potest esse, nisi quia est sub indiuisibili, & hoc omnis cõfitetur Ecclesia. Sic etiam creditur à quibusdam, quòd exierit Christus de vtero virginis, quòd manerent claustra integra. Licèt alius modus ponatur per penetrationem corporum, de quo magis dixi quinto de Metaphoricis Paradoxis ad reginam castellæ: & in illis modis nullus dubitat colorem Christi in corpore esse, & omnes qualitates suas, & ipsam quantitatem.

Secundo modo etiam poterat efficere hoc, scilicet auferendo colorem, & lucem à superficie, quia ista non dependent ab inuicem dependentia essentiali: & satis staret vnum sine altero naturaliter postquàm facta esset talis separatio: quia tamen istis duobus modis res est propriè inuisibilis, vt suprà declaratum est: oportet quod dicamus alio modo, scilicet quòd Deus faciat aliquam rem inuisibilem, non reducendo illam ad indiuisibile: nec etiam auferendo colorem, vel lucem: & istud est causando quandam passionem, quam Græci auriſiam vocant, de qua Augustin. 22. de Ciuitate Dei, & ista est secũdùm quam aliquis habens oculos sanos, videt omnia ante se consistentia, & vnicum illorum videre non potest, istud iam sæpè Deus fecit. Primò enim legitur factum in vrbe Sodomorum, quando conuenerunt omnes Sodomitæ ante portam Loth: & Angeli percusserunt eos cæcitate, & tota nocte non potuerunt inuenire portam, cùm apud illam essent, & non erat illa cæcitas vera, quia si ipsi excæcati fuissent, videntes se percussos à Deo, desijssent perquirere viros, & pœniterent: sed tota nocte inquirebant portam, vt dicitur Genes. 19. ergo non erant excæcati, sed videbant totam domum, & nunquàm poterant videre portam, & sic præ desiderio inueniendi tota nocte circundabant domum. Item fuit simile factum tempore regis Ioram regis Israel, & Ioram regis Iuda: nam veniebant Syri serui Benadab ad capiendum Elisæum Prophetam, qui erat in vrbe Dothaim, & ipsi cognoscebant eum: egressus est autem ad eos Elisæus, & percussit illos cæcitate, id est, auriſia, & cùm essent apud ciuitatem Dothaim, in qua erat Elisæus, dixit eis ipse: Non est ista ciuitas, quam quæritis, nec via: & duxit illos per viam Samariæ, & introduxit in vrbem Samariæ, in qua erat rex Israel, qui erat hostis Benadab, & ipsi viri videbant omnia alia, scilicet cœlum, & montes, & tamen nõ videbant viam, per quam ibant, nec ciuitatem Samariæ, in quam introiuerunt, & cùm introiuissent, ablata est cæcitas illa siue auroſia, & viderunt hostes suos in quorum manibus erant, & timuerunt, voluitque rex Israel occidere illos, sed non permisit Elisæus, dicens: Non occepisti eos in gladio tuo, & arcu, sed potiùs appone panem coram eis, vt patet 4. Regum 6. cap. Iterum factum est hoc per Christum cùm prædicaret, & vellent eum lapidare Iudæi: nam dicitur, quod abscondit se, & exiuit de templo: & fecit Christus ter istud. Primò, quando Nazaræni voluerunt eum præcipitare de supercilio montis: nam tunc cœpit ire Iesus per medium illorum, & nemo illi loquebatur, scilicet quia non videbant eum, Lucæ quarto. Iterum fecit cùm in quadam festiuitate enceniorum prædicaret, voluerunt enim Iudæi tenere eum, & lapidare, lapsusque est de manibus eorum, & nõ viderunt, Ioan. cap. 10. Iterum etiam paulò ante passionem suam cùm vellent eum lapidare, dicitur, quòd abscondit se, & exiuit de templo, Ioan. 8.

Alio modo potest fieri humanitùs, vel vt meliùs dicam, opere naturali fit, quòd res videatur maior vel minor quam sit, vel videatur in maiori numero quàm sit, & alterius coloris quã sit, & in alio situ: similiter erit aliquid naturale, quòd possit totaliter immutare oculum, vt ipsam rem præsentem non videat.

De primo patet, quia si aliquid sit intra aquã videbitur ab existentibus extra aquã maioris quantitatis, sicut patet de denario proiecto in aqua, & à fortiori si aqua sit gelida. Cuius causa est, qa propter maiorẽ diuersitatem medij magis franguntur radij declinantes à sua rectitudine, sic etiam fit in illis qui vident per specularia, quia videntur eis literæ grossiores propter diuersitatem medij facientis varium angulum.

De secundo, scil. quòd videatur minor patet, scil. si quis sit intra aquã apparebunt sibi homines extra aquam existentes necessariò minoris quantitatis ex causa opposita, scil. quia radij per medium densium constringuntur ad perpendiculare: sic etiam si aliquis videat rem in superficie conuexa speciali rotundi, videbit illam minorem quàm sit.

De tertio patet, scil. quòd videatur res alterius coloris quã sit: nam si quis patitur ophthalmiam, quæ est apostema albũ inter pelliculas oculi, videbit omnes res esse albidas, vel medio modo coloratas inter album, & nigrum, scil. fuscas, siue res viridis, siue rubeæ, vel cuiusque coloris sint.

De quarto, scil. quòd videatur res in maiori numero, patet, quia si quis posuerit digitum sub oculo oculum alqualiter eleuando, vel mutando oculum à sua dispositione, videbit quãlibet rem esse duas, cuius causa est ex diuersitate nerui producentis speciem sensibilem visibilem: nam cùm transierit species centrũ visus, sunt duo nerui colligati, & cancellati, per quos peruenit species vsque ad sensum communem, in quo iudicatur, & ibi terminantur simul extremitates illorum duorum neruorum, sicut vnus, neruus licèt veniant à duobus oculis, & si manent illi nerui in situ suo species, licèt sit duplex in toto medio, tamen in extremitate nerui fit vnum, ideò repræsentat vnam rem numero: si autem supponatur digitus vno oculo eleuatur vnus neruus ab alio, quantum ad extremitates suas, & tunc species, quæ feruntur per illos neruos, nunquàm concurrunt in identitatem, sed præsentantur, sicut duæ species, ideo repræsentant duas res numero. Ex hoc autem accidit, quod videmus interdum quòd si qs supponat digitũ vtriq; oculo æqualiter, & ex eadẽ parte res non videbitur, nisi vna: eo quod per eleuationem vtriusq; oculi eleuatur vterque neruus, & tantùm vnus sicut alius, & manent simul sicut prius manebãt, sed hoc rarò possumus facere in oculis, eo quod vix potest qs æqualiter mouere duos oculos æqualiter eleuãdo illos digito, ideo apparebit differentia saltem in modico. Item patet, quod vna res videtur, quod multæ res: nam potest vna res habere vsque ad quatuor imagines in vno speculo, & præsentabitur sicut quatuor res, sic patet in speculis sphæricis cõcauis, vel columnaribus, in quibus possunt apparere interdum tres, & interdum quatuor imagines, vt ꝓbatur in secũda parte perspectiuæ Pisani propositione 47, & 48.

De quinto patet, scil. quòd possit videri res in alo situ: nam quædam specula de facientibus varias imagines demonstrãt rem retro caput, & aliquando suprà, vt patet in secundo lib. allegato perspectiuę propositione 49. Etiam aliquando res, quæ est conuersa ad nos, apparet euersa, & aliquando res

Quo Deus faciat aliquid visibile.

existens

A

existens recta, videtur habere pedes suprà, & è contrario, vt patet eodem lib. propositione 50. & sic de multis alijs varietatibus.

De sexto patet, quòd scil. non ens videatur, quia quoddã oleũ est, quòd si cremetur, tota domus apparebit plena propaginibus, & racemis, & nihil erit: & multa alia apparere non interueniente aliqua dæmonum operatione: si ergo natura potest facere omnia ista, potest etiam facere rem, quę est, non videri, quia æquale est rem, quæ non est, videri, & rem, quæ est præsens, non videri, sed natura facit rem, quæ non est videri, vt dictum est: ergo poterit facere non videri rem, quæ præsens est. Nec oportet, quòd aliquis hoc neget, quia experientia teste conuinceretur, & istud est per appositionem alicuius rei naturalis, quæ oculos omnium videntium, siue hominum, siue pecorum ludificat.

Considerandum autem est, quod quãdo aliquis sic fit inuisibilis, non definit res illa emittere speciem visibilem, per quã videatur: sed emittitur species visibilis vsq; ad visum omnium, sed defectus est ex parte videntium, quia non possunt pati, vel immutari ab illis speciebus: sic accidit existẽtibus in ecstasi, quia cùm habeant oculos apertos nihil vident, & habentes aures apertas magnos clamores nõ audiunt: solùm est ergo virtus illius rei naturalis in disponere sensum visus ad percipiendum speciem, quæ ad ipsum peruenit: nõ tamẽ potest aliqua potestas naturalis tollere alicui rei, quòd emittat species suas ad quamcunq; partem, vt videatur quòd ista virtus necessariò inest colorato, vel lucido.

B

Sciendum tamen quòd isti, qui sic efficiuntur inuisibiles palpari possunt, quia soli oculi in nobis respectu eorum ludificati sunt: sensus autem tactus nõ est ludificatus, & ipsi habent quantitatem extensam, quæ manibus attractari potest, sicut prius. Item isti si moueantur audietur strepitus pedum eorum, & videbitur locus, per quem transeunt, sed de eis nihil videbitur, eo quòd audiri sonitum pertinet ad auditum qui non ludificatur tunc. Item si aliquis fiat inuisibllis existente Sole non videbitur corpus eius, sed videbitur vmbra illius: nam licèt fallantur oculi nostri, tamen non potest falli Sol, quia necesse est, quòd faciat vmbrã omne corpus, quod non possunt penetrare radij rei luminosæ, sed non possunt corpus aliquod humanum penetrare radij Solis: ergo necesse est, quòd faceret vmbram, sicut aliàs faceret. Item qui sic efficitur inuisibilis, si moueat se ad Solem, videbitur vmbra eius discurrere, & de eo nihil videbitur, sicut interdum videmus vmbram alicuius rei, & ipsam rem non videmus.

Quin-diuisibiles efficiuntur palpari possũt: & audire, et vmbrã faciũt.

Item isti si maneant in loco vmbroso non facient vmbram, per quam possint cognosci, occultabunt tamen res, quæ post eos sunt, scilicet quòd si paries, vel alia res sit post eos, non videbitur, & causa est, quia species visibiles illius rei emittuntur, & non possunt transire obiecto eis isto corpore denso, ideo tantum occultabitur de rebus oppositis, quãtum isti magnitudine corporis sui occupant. De Angelo autem isto dicendum est, quod euanuit, non quidem faciẽdo se inuisibilem aliquo de modis præcedentibus, sed quia Angelus videbatur prius in corpore assumpto de aëre condensato, & lineato: subitò autem aërem illum condensatum dissoluit, & fecit quod maneret aliqua species visibilis, quia non manebat color propter rarefactionem, & dissolutionem corporis prioris aërei. *Et dixit ad vxorem suam: morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Timuit valdè Manue, & dixit, quòd morerentur, eo quod viderant Dominum, id est, Angelum Domini.

C

Quare dixit Manue, quòd moreretur, quia viderat Angelum.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR, quare dixit Manue, quòd morerentur, quia viderant Angelum.

Respondendũ, quod inter Hebræos erat opinio communis, quòd si quis videret Angelum, vel Deum, moreretur, sic patet ex positione Gedeonis. Nam ipse vidit Angelũ, & dixit: Heu mihi, Domine Deus, qa vidi Angelum Dei facie ad faciem: dixitq; ei Dominus, pax tecum, ne timeas: non enim morieris, vt patet suprà 6. c. sic etiã Manue, & vxor eius viden es timuerunt, atque dixit Manue, quòd morerentur. Fuerat autem orta ista positio, quia Deus dixerat Moysi, Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, id est, nõ poterit me aliquis homo videre, & ꝙ posteà viuat. Accipiebãt tamẽ indistinctè pro Deo, vel Angelo, ideo vtroq; modo putabant se morituros. Quòd autem non distinguerent inter hoc apparet, quia Manue viderat Angelum Dei, & sciuit illum esse Angelum, & non Deum: quod patet, quia suprà dicitur statim, quod intellexit Manue Angelum Dei esse, & tamen subdidit ad vxorem suam: moriemur, quia vidimus Dominum.

D

Cui respondit mulier, si Dominus nollet nos occidere, de manibus nostris sacrificium, & libamen non suscepisset. Id est, si Deus esset iratus contra nos, ita quòd vellet nos occidere, nõ accepisset de manibus nostris sacrificium, & libamen, id est, non iussisset, quòd offerremus ei sacrificiũ, & libamen. Et refertur ad Angelum, quẽ Manue vocauit Deum, & ille dixerat ei, quòd offerrent Deo sacrificium. Vel potest accipi Deus pro Deo vero, qui acceptauit sacrificium de manu istorum: nam ipse ostendit aliquod signum, per quod cognouerunt ipsi sacrificium suum esse acceptum: erãt quippe aliqua signa inter eos hæc ostendentia, & fortè si concederetur, quod flamma erupit de lapide, esset signum manifestissimum, quòd Deus acceptauisset sacrificium. Etiam hoc non stãte cùm ascendente flamma ascẽderet Angelus in illa, signum erat, quod Deus acceptabat sacrificium: alioquin non acceptauisset ascendere in flamma, sed potiùs refugisset, & abominaretur illã, quia victimæ impiorum sunt abominabiles, Prouerb. 15. c. vocatur hic sacrificium ipse hœdulus immolatus. Vocabatur libamen accessorium, quod cum illo offerebatur quędam pars farinæ delicatæ, quæ vocatur simila, & quædam pars vini, & & olei, & thuris, vt declaratum est suprà.

E

Nec ea, quæ sunt ventura, dixisset. Scilicet denunciauit nobis de paruulo nascituro, & quòd liberaturus esset Israel: & de his, quæ facturus erat, sed talia non reuelat Deus his, quos odit, ergo Deus nolebat nos occidere.

An vxor Manue benè arguit ad probandum, quòd Deus nollet eos occidere.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR an vxor Manue benè arguit ad probandum, quòd Deus nollet occidere eos.

Dicendũ, ꝙ rationes vxoris Manue non sunt omninò concludẽtes, & tamen satis persuadent, & sunt duæ rationes.

Prima ratio est, quia Deus acceptauit sacrificium eorum. Ista ratio potest habere vigorem dupliciter. Vno modo, quod Deus iussit, & suasit eis facere sacrificium, & tamen si non fuisset Deo acceptum sacrificium non iussisset: sacrificia tamen non sunt accepta, nisi quando fiunt à viris bonis: nam vota impiorum sunt Deo abominabilia, Prouerb. 15. ergo non habebat Deus exosos Manue, & vxorẽm suam postquàm viderunt Angelum, & consequenter nolebat occidere illos.

F

Secundò ista ratio fundatur ex acceptatione: nam cùm Deus acceptauisset, scil. in aliquo signo, & tamen Deus non respicit ad sacrificia malorũ, quia Gen. 4. dicitur, quod Deus respexit ad Abel, & munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit: & hoc quia Cain erat malus, & Abel erat bonus, sed sacrificium istorum à Deo acceptum fuit: ergo erãt ipsi à Deo boni reputati, sed mors est pœna, & nõ infligitur violenter, nisi in pœnam alicuius specialis peccati: ergo non volebat Deus eos pro hoc occidere. Secunda ratio vxoris Manue erat, quia Deus reuelauerat eius futura, scil. de Samsone nascituro. Ista ratio potest dupliciter accipi. Vno modo, quòd cùm Deus denunciaret eis futura, diligebat eos, quia istud erat speciale priuilegium, & tamen Deus non occidit illos, quos diligit: ergo nollet occidere istos. Secundo modo potest sumi hinc ratio, scil. Deus prædixit, quod puer de nobis nasciturus erat, qui liberaret Israel de Philistinis, & quòd nos deberemus nutrire eum in regula Nazaræorum: si tamen occideret nos nũc, esset impossibile, ꝙ ista fierent: ergo impossibile est, quòd occidamur nunc à Deo, qa vidimus Angelum. Ista ratio est omninò concludens, & non est persuasio. Aliter etiã posset hoc probari præter fundamẽta sumpta ex litera, scil. quia non potest aliquis peccare in eo, quòd

A

Nemo peccat in eo, q̃ nõ est in sua potestate.

non est vllatenùs in potestate sua, sed videre Angelũ non fuit in potestate Manue, & vxoris suæ, quia non est in potestate nostra, quibus visis tangamur, vt ait August. ergo non peccauerunt, & consequenter Deus non occideret illos.

Sed obijcietur cõtra rationem istam, quia non erat in potestate Bethsamitarum videre arcam, vel non videre cùm arca venit ad locum, in quo ipsi erant, & tamen mortui sunt, quia viderunt eam, vt patet 1. Reg. 6. ergo etiam si non esset in porestate istorum videre, vel non videre peccarent videndo Angelum.

Bethsamitæ q̃o peccarint videdo arcam

Respondendum quod non stat, quia Bethsamitæ nõ peccauerunt, quia viderunt arcam solùm, sed quia iuerunt ad eã, & discooperuerũt aliquid eius, & viderũt curiosè, & tamẽ dictum erat, quod quicũq; de laicis, vel de Leuitis vellet videre aliqua curiositate arcã nudam, vel alia vasa, morerentẽ, Num. 4. si autem vidissent solùm arcã opertam, vt ipsa veniebat de terra Philisthinorum, non perijsset aliquis eorum, imò etiam si venisset discooperta, & aperta, scil. ablato propitiatorio de terra Philisthinorum: & sic vidissent eam Bethsamitæ, quousque operiretur, nullus eorum moreretur, quamquàm viderent, sed peccauerunt solùm, quia arcam opertam discooperuerunt, vt aliquid curiosè in ea cernerent, quod lege vetitum erat. Manue & vxor eius non videbant aliquid curiosè, ideo non peccabant. Item vbi est omninò ignorantia inuincibilis non est peccatum: sed in Manue & vxore sua fuit ignorantia inuincibilis, respectu Angeli, quia dato, quòd vellent declinare oculos in terram, vt non viderent eum, non potetant, quia nesciebant an esset Angelus: ideo non peccabant videntes eum. Patet hoc, quia semper putauerunt, quòd esset vir Propheta quousque viderunt eum ascendentem in flamma, vt patet suprà in litera. Item non erat rationabilis positio Manue, quia Gedeon viderat Angelum Dei, sed non mortuus fuerat, suprà 6. cap. ergo nec sequebatur, quòd ex hoc solo moreretur ipse, & vxor eius. Item fundamentum positionis huius erat inconueniens, quia solùm dixerat lex de Deo: non videbit me homo, & viuet. De Angelo autem nihil expressum fuerat: ergo non debebat aliquis mori, quia videret Angelum. Conueniẽter ergo dixit vxor Manue, quòd non morerentur: & sic fuit ipsa animosior quàm vir suus non timens. Etiam fuit prudentior, quia sciuit inducere rationes pro hoc, & vir non. *Peperit itaq;* Hic ponitur secundum principale, huius scilicet ducis Natiuitas, & conditio. Et dicitur. *Peperit itaq; filium, & vocauit nomen eius Samson.* Scilicet mater vocauit puerũ nomine Samson: nam licèt ex litera nostra nõ appareat, an vocauerit nomẽ pueri ipsa mater vel pater: tamen ex litera Hebraica apparet, in qua verbum pertinet ad fœmininum genus. *Creuitq; puer.* Scilicet ætate, & corpore. *Et benedixit ei Dominus.* Benedicere est multiplicare, scilicet Deus multiplicauit perfectiones corporis Samsonis: nam dedit ei tantum robur, quantum nulli vnquàm homini dederit.

Samsonis ducis Natiuitas et cõditio

C

Benedicere quid.

Cœpitq; spiritus Dei esse cũ eo. Id est, spiritus fortitudinis, & roboris, & nõ spiritus gratiæ gratificantis, quæ vocatur spiritus bonus Dei, de quo Ps. l. 50. Scil. Spiritũ rectum innoua in visceribus meis, sed hic non potest accipi pro gratia. Nam tunc gratia Dei esset cum eo ex die, quo circunciſus est, quia per circunciſionem conferebatur gratia, & auferebatur macula, & reatus peccati originalis, sicut per baptismum, sed intelligitur de spiritu roboris: quia Deus dedit spiritum roboris ipsi Samsoni: sic enim accipitur sæpè spiritus Dei in Scriptura, vt patet suprà 11. & 1. Reg. 11. & 16. & in alijs locis. Nam quando fuit adolescentulus, dedit istam fortitudinem Deus Samsoni, & incœpit facere admiranda opera. *In castris Dan.* Possunt accipi castra pro multitudine, scilicet quod in tota multitudine tribus Dan non fuit aliquis, in quo appareret maius robur, quàm in Samsone. Vel accipiuntur castra Dan pro quibusdam tentorijs sicut in exercitu, scilicet quod tribus Dan nondum habebat loca ciuitatum, & villarum, in quibus habitaret, & morabatur in agris in tabernaculis, vel tentorijs, & congregatio illorum tentoriorum vocabatur castrum, vel castra Dan. Hoc patet infrà 19. scil. in diebus illis non erat rex in Israel, & tribus Dan quærebant sibi possessionem, vt habitarent in ea. Et cum nondum habebant istam possessionem plenam, habitabant in tentorijs, vel castris: & in illis erat pater Samsonis & ipse, & ibi faciebat opera roboris: & videtur quod Samson dum ibi fuit fecit aliquod opus magnum in bello contra hostes, vel aliàs, ex quo patebat in eo esse spiritum Domini, & istud opus non narrauit Scriptura distinctè, sed tetigit in vniuersali.

D

Inter Saraa, & Esthaol. Istæ erant duæ vrbes in sorte Dan, vt patet Iosue 19. & dicitur habitasse inter Saraa, & Esthaol, qa non habebat aliquam vrbem, in qua maneret, cùm nondum ista tribus haberet plenam possessionem, sed habitabat in agris in tabernaculis inter istas duas vrbes: alia duo loca sunt, sic vocata in sorte Iudæ, & ponuntur simul sicut ista Iosue 15. In Hebræo dicitur. *Cœpit spiritus Domini facere ei recordationem.* Vbi litera nostra dicit: cœpit spiritus Domini esse cum eo, & idem est: nam accipitur facere recordationem in Hebræo, sicut nos vulgari sermone dicimus, quod quando aliquis excitat alium à somno dicitur eum facere recordari, quasi dicat, Samson prius nihil faciebat, sicut dormiens, qui nihil agit: & licèt sit sapiens, vel robustus, nihil horum apparet, cùm autem euigilauerit, possunt apparere opera eius, ita de Samsone à principio non apparebat an fortis esset, quia nihil agebat. Cùm autem Deus excitauit cor eius ad aliquid agendũ, dicitur fecisse ei recordationem, id est, excitasse eum, vt appareret robur eius.

Caput XIIII.

E

Descendit ergo Samson in Thamnata. Videnſq; ibi mulierem de filiabus Philisthijm, ascendit, & nunciauit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierẽ in Thamnata de filiabus Philisthinorũ, quã quæso, vt mihi accipiatis vxorem Cui dixerunt pater & mater sua: Nunquid nõ est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philisthijm, qui incircuncisi sunt Dixitq; Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Parentes autem eius nesciebant, quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem cõtra Philisthijm, Eo enim tempore Philisthijm dominabantur Israeli.

Ænea in Italiã nauigat.

Descendit. Descripta est in præcedentibus ducis liberantis conditio, hic ponitur consequenter inuasionis occasio, scil. vnde habuerit Samson occasionem ad pugnandum contra Philisthinos. Et diuiditur in quatuor: primò ponitur vxoris petitio, secundò eius dispẽsatio ibi. *Descendit itaq;* Tertiò desponsatæ acceptio ibi. *Et post aliquot dies.* Quartò inuasionis occasio ibi. *Cùm igitur ciues.*

An hic sit ordinis mutatio, & an immediatè hæc fuerint facta.

F

Qvæstio I.

Qværetvr circa primum an ea, quæ habentur hic, habeant ordinem cõtinuum ad præcedentia, & an fuerunt facta hæc immediatè post illa, vel fuerit aliquantum tempus medium.

Ad primum dicendum, quod est cõtinuatio ordinis, quia suprà actum est de natiuitate Samsonis, hic autem agitur de quibusdam actibus eius, ideo necessariò fuerunt ista post illa.

Ad secundum dicendum, quod fuerunt facta immediatè: nam suprà dicitur quomodo cœpit spiritus Domini esse in Samsone in castris Dan: & istud fuit in ætate iuuenili, & in eadem acciderunt quæ habentur hic, scil. quod desponsauit sibi Samson mulierem Philisthinam, & pugnauit contra Philisthinos, ideo continuata est historia, ita quod nihil de actibus Samsonis interciderit in medio. *Descendit itaq; Samson in Thamnata.* Est Thamnata ciuitas Philisthinorum, & ibi vidit mulierem Samson, quam concupiuit.

A

Quomodo Samſon potuit deſcendere in Thamnata.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quomodo Samſon potuit deſcendere in Thamnata, quæ erat ciuitas Philiſthinorum, & Philiſthini erant hoſtes Iſraëlitarum.

Aliquis dicet, quod deſcendit illuc quemadmodum vnus homo ſolet interdum intrare in terrā hoſtium ſuorum clàm ad nocendum.

Sed dicendum, quod non ſtat, quia Samſon intrauit in vrbem, & vidit mulierem, & concupiuit eam, & ſic ambulauit pacificè per vrbem, cùm poſſet aſpicere virgines, & delectari. Etiā quia volebat illā habere vxorem, & tamen ſi eſſent omninò hoſtes Iſraëlitæ & Philiſthini, prohibitus eſſet omnis contractus inter eos: & nō poſſent viciſſim matrimonia copulari. Item pater, & mater Samſonis deſcenderunt in Thamnata, & locuti ſunt puellę ad accipiendā eam in vxorem Samſoni: ergo non intrabant, vt hoſtes in terram hoſtium.

Doct. reſp. ad ōjectum

Reſpondendum, quod inter Philiſthinos & Iſraëlitas erat nunc pax: nam Iſraëlitæ ſubiecti erant Philiſthinis, & ſoluebant eis aliqua tributa, & ob hoc Philiſthini nullum bellum inferebāt Iſraëlitis, ſed erat pax, & vtrinq; omnes contractus fieri poterant tanquàm eſſet vnus populus: ſic enim dicitur infrà in litera, & ſequen. cap. quod Philiſthini dominabātur tunc Iſraëlitis, nec erat pugna Iſraelitarum ad Philiſthinos quamquàm pugnaret Samſon contra illos: ideo potuit Samſon deſcendere ſecurè in terram Philiſthinorum, & accipere inde vxorem: nam nec ipſe ſolùm inde accepit, ſed etiam alij Iſraëlitæ credendi ſunt accepiſſe vxores de Philiſthinis, & dediſſe illis de filiabus ſuis.

B

Videnſq; ibi mulierem de filiabus Philiſthijm. Scilicet quæ placuit valdè in oculis eius, & deſiderauit eam ad accipiendam vxorem. *Aſcendit & nunciauit patri ſuo, & matri dicens.* Quia volebat eam accipere in vxorem, & non poterat ſi pater, & mater non darent ei illam, vel non conſentirent: quia aliàs nihil haberet in bonis illorum, annunciauit eis, vt acciperēt ei illam in vxorem. *Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philiſthinorum.* Scilicet pulchram nimis, & quam accipere deſideraui in vxorem. *Quam quæſo, vt mihi accipiatis vxorem.* Id eſt, rogo, vt detis illam mihi in vxorem. Ex hoc patet, quod aliqua conſuetudo erat inter Iſraëlitas, quòd acciperent vxores de Philiſthinis, & è contrario: alioquin nō auſus fuiſſet Samſon cōtra ſolitum aliquid petere. Etiam pater, & mater eius nunquàm accepiſſent ei vxorem de Philiſthinis, ſi non fuiſſet aſſuetum inter Iſraëlitas.

C

An peccauit Samſon accipiendo vxorem de Philiſthinis.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, an peccauit Samſon accipiendo vxorem de Philiſthinis.

Aliquis dicet quod ſic, quia contractus matrimoniales erant prohibiti inter Hebræos, & Chananæos, & tamē Philiſthini erant de Chananæis, ſic patet Exod. 34. c. & Deut. 7. vbi dicitur, quòd auerterent mulieres alienigenæ cor Iſraëlitarum à Deo ſuo. Etiam ſuprà 2. nimis increpuit Deus Iſraëlitas, quia copulabant matrimonia, & exercebant alios contractus cum Chananæis.

Rabbi Dauid Kimhi.

Reſpondet Rabbi Dauid Kimhi, quod non peccauit. Primò, quia quandocunq; acciperet aliquam vxorem de Philiſthinis, conuertebat eam ad Iudaiſmum, & ſic non poterat cor eius peruerti ab illa ad colendū idola, quæ eſt ratio prohibitionis, Exod. 34. c. Item dicit, quod non legitur peccauiſſe accipiendo mulierem Philiſthinam: nam Scriptura non redarguit eum, ſi tamen peccaſſet redargueret illum. Item dicit quod Samſon erat Iudex, & non erat veriſimile, quòd faceret iſtud ſi eſſet contra legem Dei, ideo credēdum, quòd ipſe faceret tali modo, quòd non eſſet contra legē Dei. Item dicit, quod Deus dabat robur contra Philiſthinos etiam poſtquàm accepit mulierem Philiſthinam: ſi tamen peccaret, nō dediſſet illi Deus poſt hoc robur. Itē dicit, quod Deus quærebat occaſiones cōtra Philiſthinos, ergo ipſe incitabat Samſonem ad accipiendum vxorem de Philiſthinis, & ſic nō peccaret. Nicolaus etiam dicit, quod non peccauit, quia à Deo motus eſt ad faciendum iſtud: nam infrà dicitur, parentes autem eius neſciebant, quòd res à Domino fieret, & ſic ſolùm excluditur cognitio iſta à parentibus, ſed non à Samſone, & ſic innuit, quod ipſe cognoſcebat, quod Deus volebat, quòd acciperet vxorem de filiabus Philiſthijm, & agens quòd ſibi reuelatum eſſet, non peccaret. Dicendum, quod adhuc iſtæ rationes non multum probant, licèt hoc non obſtāte verum videatur, quòd Samſon non peccauerit.

D

Nicol. ratio.

Prima non ſtat, quia præſupponit, quòd conuerteret Philiſthinam quam acciperet ad ritum Iudaicum. Sed nō ſtat, qa tunc Samſon duceret vxorem, quā acciperet in terrā Iſrael, quia manens inter Philiſthinos coleret idola, imò Samſon ſi ſemel accederet ad vxorem ſuā recedebat ab ea magno tempore relinquendo illam in terra Philiſthinorum in tantum, quòd illa daretur alteri viro Philiſthino, ſi tamen conuerſa eſſet ad Iudaiſmum non acciperet in virum aliquem Philiſthinum poſt Samſonem, maximè illo non repudiante illam, & tamen fecit ſic, ſeq. cap.

Secundò peccat iſta ratio, quia dato quod cōuerſa eſſet ad Iudaiſmum iſta mulier accepta in vxorem à Samſone, non licebat ei accipere illam: quia lex permiſerat in mulieribus, quæ erant de alijs Gentilibus, quæ non erant Chananeæ, & maximè quando capiebātur mulieres in bello, vt patet Deute. 21. & tamen de mulieribus terræ Chananæorum non permittebatur, ſed iubebatur nullum omninò de gente illa permitterent Iſraelitæ viuere aliqua occaſione. Item quia Deus valdè increpat ſupra ſecundò Iſraelitas, quia contraxerunt fœdera cum Chananæis, ſcilicet accipiendo vxores de filiabus eorum: ſi tamen liceret eis accipere de illis vxores, dum tamen conuerterent eas ad Iudaiſmum: non deberent redargui, quia acceperunt vxores de Philiſthinis, vel Chananæis, ſed quia non conuertebant eas ad Iudaiſmum. Item in alijs gentibus erat permiſſum, quòd Iſraelitæ acciperent vxores de filiabus illarum, dum tamen conuerterent eas ad Iudaiſmum, ergo ſi ſic liceret in Chananæis, non eſſet differentia de Chananæis ad alias gentes, ſed falſum eſt, quia de Chananæis dixit Deus Deut. 20. quòd nullū de illis omninò permitterent viuere, ſed occiderent omnes gladio: ergo non licebat accipere vxorem de illis conuertendo eam ad Iudaiſmum.

E

Impro. 2 ra. tionis.

Secunda ratio non ſtat, ſcil. quod legitur peccauiſſe, quia Scriptura non refert peccata omnium illorum, de quibus aliquid refert: maximè quia cùm aliquod factum eſt damnatum, & Scriptura refert illud de aliquo, nō oportet quòd dicatur, quod peccauit in illo: quia notū eſt, quod peccat cùm factum ſit damnatum, & de talibus ſemper debet iudicari, quòd peccauerint, niſi probetur diſpēſatio: quia intentio eſt fundata de iure communi, ſcil. quod mittunt factum dānatum: ideo non eſt neceſſarium, quòd quicquam probetur.

F

Impro. 3. ra tionis.

Tertia ratio etiam non ſtat, quia dato quòd Samſon eſſet iudex, poterat peccare, & peccauit: nam propter aliqua peccata permiſſus eſt cadere in manibus Philiſthinorum, vt ſuffoderētur oculi eius. Etiam alij iudices interdum pecccabāt, ſicut fuit de Iephte, qui vouit ſacrificium, & obtulit filiam ſuam in holocauſtum, ſuprà 11. c.

Impro. 4. ra tionis.

Quarta ratio non tenet, ſcil. Deus dabat ei robur contra Philiſthinos, quia non peccauit, quia iſta eſt gratia gratis data, & eſt aliquid corporale: ſi ergo gratia gratis data, quæ eſt donum Prophetiæ, & eſt aliquid ſpirituale datur viris valdè ſceleſtis, ſicut erat Balaam, & Caiphas: à fortiori robur, quod eſt perfectio corporalis dabitur viro peccatori, & non tolletur propter peccatum aduenies.

Impro. 5 ra tionis.

Quinta ratio erat, quia Deus quærebat occaſionem contra Philiſthinos. Dicendum, quod adhuc iſta ratio non ſtat, quia quamquàm Deus vellet punire Philiſthinos per Samſonem accipiente Samſone vxorem de Philiſthinis, non ſequitur quod erat licitum Samſoni talem vxorem accipere, quia ſic etiam Deus puniebat Iudæos per Aſſyrios, & Babylonios: & tamen non ſequitur quod ea quæ faciebant iſti ad puniendum Iudæos erant ſimpliciter iuſta.

Impro. ratiōis Nic.

Ad rationē Nicolai dicendum, quod non conſtat, an voluntas Dei eſſet, quòd iſte acciperet mulierē de Philiſthinis: ſed erat iſta voluntas permiſſionis, vel operationis, qa mala culpæ Deus permittit, vt interdū eliciat mala pœnæ, quæ di-

A rectè intendit,& quia ad pœnam est voluntas eius directè, & pœna procuratur mediante culpa, dicitur velle culpam permissiuè. Dicēdum ergo ad istud dubium,quod est problema neutrum. Potest tamē teneri,quòd peccauerit Samson accipiendo vxorē de Philisthinis,quia erat contra legem,& quòd meritò huius permissus fuerit cadere in manus Philisthinorū, & eruti fuerint oculi eius: & sicut in muliere peccauerat, ita per mulierem ad mortem traderetur, scil.quia Dalila tradidit eum in manus Philisthinorum, & ipsa interfecit eum, quia totondit capillos illius, quibus stantibus erat robur,infrà 16.c.In contrarium etiam teneri potest, scil.quòd nō peccauerit accipiendo vxorem de Philisthinis, ꝙ videtur quòd Deus reuelauerit ei,siue per Angelum, siue mouēdo cor eius ad hoc,quòd acciperet istam vxorem,ita quòd ipse planè intelligeret, quod à Deo mouebatur ad faciendum istud. Et illud colligitur ex litera, scil.parentes autem nesciebāt,quòd res à Domino fieret, scil.quod à Deo fiebat, quòd Samson acciperet vxorem de Philisthinis.Et tunc aut fiebat ab eo,ita quod ipse iubebat Samsoni, quòd faceret,vel mouebat eum, aut Deus tētauit eum,vt faceret,& fecit. Si primo modo bonum egit,quia Deus non iubet nisi bonum,nec inclinat hominem nisi ad bonum, quia Deus operator bonorum est, & non volens iniquitatem. Secundò non stat, scil. quia Deus non tentat hominem ad malum, sic patet Iacobi c.1. scilicet, Nemo,cùm tentatur,dicat quod à Deo tentatur:Deus enim tentor malorum non est:ipse enim neminem tentat. Ideo licuit ei agere,quia Deus volebat,& suadebat ei facere.

Doct. resp. ad qſitum.

B

Cui dixerunt pater,& mater sua. Mirabantur,quòd ille vxorem vellet de Philisthinis. *Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum?* Quasi dicat,ita tu petis vxorem de Philisthinis, quasi si in toto Israel nulla mulier esset, quam posses accipere in vxorē,& tamen multæ sunt. Accipiuntur hic fratres Samsonis pro cognatis suis de familia, de qua ille erat, vel de ipsa tribu Dan:nam omnes de vna tribu vocantur fratres. Non possunt autem accipi fratres propriè, quia non liceret accipere Samsoni aliquam filiam sui fratris, quia iste gradus erat prohibitus Leuit.18.& 20.c. vt quidam putant. Etiam non habebat Samson fratres aliquos, quia mater sua erat sterilis, & nunquàm pater suus,& mater habuerant aliquos filios ante eum,& sic non poterat habere fratres aliquos habentes filias,de quibus aliquam acciperet in vxorem.

Aut in omni populo tuo. Id est,in toto populo Israel,quasi dicat, illi qui accipiebant vxores de Israelitis, habebant istam consuetudinem, quòd acciperent vxores de familia sua, vel saltem de tribu sua, & si non reperirent in familia, vel tribu, poterant accipere de Israel de quacunque tribu, eo quod sic

C iussum erat,Nume.36.scilicet, Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & omnes fœminæ maritos de eadem tribu accipient, vt hæreditas permaneat in familijs. Et tamen adhuc erant mulieres aliquæ in terra Israel, ideo non licebat Samsoni accipere de filiabus Philisthim vxorem.

Quia vis accipere vxorē de Philisthijm,qui incircunciſi ſunt. Quasi dicat,turpe est accipere vxorē de Philisthinis, propter hoc quod sunt incircuncisi,ideo nunquàm deberet accipi nisi in defectum, & tamen in populo tuo sunt mulieres, ideo non debes accipere vxorem de Philisthijm. Sciendum quod istud nomen incircuncisus proferebatur inter Hebræos ad opprobrium magnum: quia cùm omnes Hebræi essent circuncisi, reputabāt gentes incircūcisas valdè viles,& opponebant eis tanquàm opprobrium. Sic dixit Dauid 1. Regum 17. Quis est iste Philisthæus incircuncisus, qui exprobrauit aciē Dei viuentis? Et iterum:Erit iste incircuncisus sicut vnus de illis. Et sic canem, & incircuncisum æquiparauit in opprobrio.Sic etiā Ionathas filius Saulis dixit armigero suo:Ascendamus ad stationem incircuncisorum horum, & ob hoc innuebat pater Samsonis, quod erant omnes Philisthinorum filiæ de vili genere, quia erant filiæ incircuncisorum : ideo non erat accipienda vxor de eis, nisi in magnum defectum. Non tamen erat ista causa potissima, quare non deberet accipere Samson vxorem de mulieribus Philisthinis,quia accipere mulierem degenerem pœnale est,& non culpabile: culpa tamen magis fugienda est quàm pœna, sed debebat fugere talem vxorem, quia à Deo prohibita erat,Exo.34.&Deuteronom.7.cap. Pater tamen Samsonis fortè dixit istud,quia putauit istam esse efficaciorem suasionem pro Samsone:quia cùm esset iuuenis, & arderet in fœminam, non multum curaret de lege,sed potiùs si indicaretur ei, quod erat magnum dedecus talem accipere vxorem.

D

An liceret Samson accipere vxorem de Philisthinis.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR dato, quòd nō haberet Samson aliquam mulierem in toto Israel,cum qua contrahere posset, an liceret ei accipere vxorem de Philisthinis.

Respondendum, qud secūdùm quosdam liceret,eo quòd Israelitæ habebant pro infœlicitate nō gignere prolem, ideo non inuenta vxore apud suos oportebat, quòd apud alienos illam inquiri liceret.

Dicēdum,quod hoc dato casu, qui ferè erat impossibilis, non liceret Samsoni accipere vxorem de Philisthinis: nam tunc debebat accipere vxorem de alijs gentibus, quæ non erant Chananeæ,& conuerteret illam ad Iudaismum,& tunc acciperet: si tamen de alijs gentibus non reperiret aliquam vxorem,quæ vellet vllo modò sequi ritum viri: non debebat suscipere vxorem, ne ipse peruerteretur ad idola per mulierem,& ne filios idololatras gigneret:nam mater conuerteret eos ad ritum suum. De Chananæis in nullo licebat casu suscipere,siue illa vellet conueti ad Iudaismum, siue non.quia omninò erat prohibita communicatio cum eis, & tamen Philisthini erant de Chananæis. ideo non licebat cum eis sic habere contractum : nam melius est alicui mori sine filijs, quàm filios illicitè procreare.

E

Sed obijcietur, quia ex verbis patris Samsonis colligitur, quòd si non esset mulier in toto Israel, quòd liceret ei accipere vxorem de Philisthinis. Dicendum, quod non dicebat hoc pater Samsonis ad innuendum, quod in defectum Israelitarum mulierum liceret accipere de Philisthinis,sed ad fortiter increpandum, scilicet quod si in aliquo casu liceret,illud non esset,nisi saltem cùm deficerent mulieres in Israel,& tamen nunc non deficiebāt. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd licèt Israëlitæ pro magno bono reputarent prolem gignere, & tamen propter hoc non debebant illicitè filios gignere : sed gignere illos de mulieribus Philisthinis erat illicitus modus: ergo etiam si deficerent mulieres Israelitarum, non liceret accipere Philisthinas: sicut nunc, licèt quis non posset habere vxorem aliquam Christianam, non liceret ei accipere vxorem de Hebræis, vel Saracenis. Etiam si aliquis Hebræus esset, qui nullam omninò posset habere vxorem, non liceret ei desiderio generandi coire cum vxore proximi sui Hebræi: nulla ergo necessitas poterat esse ad gignendum,quæ tolleret legem de prohibitione vxorum alienigenarum. Sed his non obstantibus dicendum quod licebat, vt patet infrà 21. in quadam quæstione. *Dixitq; Samson ad patrem ſuum:Hanc mihi accipe.* Licèt pater rationabiliter increparet Samsonem, non assensit. Cuius ratio erat duplex: prima quia Deus incitabat eum ad hoc, & non erat faciendum contra incitationem suam. Secunda, quia pulchritudo virginis concusserat animum Samsonis, & efferuescebat iuuenilis sanguis præ amore eius. *Quia placuit oculis meis.* Id est,diligo eam valdè, quia visa est mihi pulchra. Ista ratio Samsonis videbatur conueniens,scilicet:istam diligo,& cum ea delectabiliter, & quietè viuam: si autem das mihi aliam, quam non diligam, erit mihi amara vita cum ea, & litigiosa, & necesse erit repudiare eam.

F

An pater,& mater Samsonis peccauerint accipiendo ei in vxorem aliquam Philisthinam.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR an pater, & mater Samsonis peccauerint accipiendo ei in vxorem aliquam Philisthinam.

Aliquis dicet,quod non, quia Samson non peccauit desiderando vxorē illam, & accipiendo: ergo pater,& mater non peccauerunt dando eam illi.

Sed dicendum,quod ista ratio non valet,quia poterat ipse habere causam rationabilem petendi, & accipiendi, & illi nō haberent causam dandi: sicut fit sæpè in alijs contractibus,

quod

A quod aliquis dando non peccat, & alius accipiendo peccat, ſicut in redimẽte ius ſuum. Etiam interdum dans peccat, & recipiens non: ſicut qui dant ordinatoribus aliqua munera parua ſecundùm ſtatum eorum, vt non moueant corda eorũ ad cõferendum ordinẽ, vel beneficium: & tamen ipſi collatores non mouentur ex munere, nec recipiunt illud mente ſimoniaca, vt extra de ſimo. c. & ſi quæſtiones. Ita ergo hic potuit ex altera parte tantum eſſe peccatum, & apparet quod peccauerunt parẽtes, quia Samſon ſolùm excuſatur ex reuelatione Dei, quæ ei licitum fecit hoc, de parentibus tamen Samſonis dicitur, quod parentes eius neſciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occaſiones contra Philiſthijn, ergo ipſi non habebant excuſationem aliquam.

Doct. reſp. ad q̃ſtum. Dicendum quod æqualiter poteſt teneri, quòd peccauerint, vel non peccauerint. Nã ſi dicamus, quod neſcierunt parentes Samſonis vnquã motiuum Samſonis, nec dederunt ei vxorẽ de Philiſthinis, niſi quia ipſe dixit, quod diligebat eam valdè peccabant: quia deſiderio complacendi filio tranſgrediebantur legem Dei. Et iſtud patet, quia mox vt Samſon dixit: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis: non repugnauerunt ei parentes, ſed deſcendentes in Thamnata acceperũt ei vxorem. Et dicitur, quod non cognoſcebant, quòd res à Deo fieret, id eſt neſcierunt iſti, quod Deus mouebat Samſonem ad hoc, cùm neſcirent iſtud: ſed quia Samſon dixit, quod placuerat mulier oculis eius. Si autem velimus excuſare parentes Samſonis, dicemus quod Samſon eis reuelauerat, quod Deus incitauit eum ad hoc quærendo occaſionem contra Philiſthinos, & tunc parentes conſenſerunt, & erit iſtud rationabiliter dictum, ſcilicet quia à principio parentes Samſonis reſtiterunt ei. Vnde videtur, quòd poſteà non conſenſiſſent ei, niſi expreſſiſſet cauſam rationabilem, & iſta eſſet ſi diceret reuelationem Dei fuiſſe. Si autem obijciatur, quod dicitur, quod parentes neſciebant, quòd res à Deo fieret. Debet exponi, quod neſciebant iſtud à principio, quando repugnauerunt Samſoni volenti accipere vxorem, & ob hoc ſolùm, quia neſciebant quod res à Domino fieret: poſteà autem eo reuelante cognouerunt, quod Deus illum incitabat ad hoc, & tunc non reſtiterunt ei, ſed adiuuerunt potiùs deſcendentes cum illo in Thamnata, & deſponſando ſibi mulierem Philiſthinam.

An pater, & mater Samſonis tenebantur credere, quod illis dicebat Samſon.

QVÆSTIO VI.

C QVÆRETVR vlteriùs, ſi Samſon diceret patri ſuo, & matri, quod Deus reuelauerat ei, quòd acciperet vxorẽ de Philiſthinis, ſi tenebantur ei dicenti credere.

Reſpondet Nicolaus, quod tenebantur, quia fuerat Samſon ſupernaturaliter promiſſus, per Angelum annunciatus, & mirabiliter natus. Sed dicendum, quòd ſi ex his ſequeretur, quod Samſon non poterat mentiri, & peccare, tenebantur ei credere parentes, & tamen peccare poterat, & peccauit, ideo non tenebantur ex hoc credere. Item quia in rebus, in quibus alicui vertitur in magnum præiudicium ſi credit, & credendo operatur: non tenetur faciliter credere. Sed ſic erat hic de parentibus Samſonis: nam credendo ei, ſi non eſſet verum agebant ipſi contra legem Dei, & peccabant mortaliter, ideo non debebant faciliter credere.

Doct. deter. Reſpondendum, quod ſi Deus reuelauerat Samſoni iſtud: haberet ipſe fortè aliqua ſigna, per quæ poſſet patri ſuo, & matri probare iſtud eſſe verum, & tenerentur credere plenæ probationi: ſi autem nõ haberet alia ſigna, poterat reddi hoc veriſimile ex eo, quod prædixit Angelus parentibus Samſonis, ſcilicet quòd ipſe inciperet liberare Iſraëlitas de manu Philiſthinorum, vt præcedenti cap. & iſtud erat per bella: nunc autem occaſione huius matrimonij poterant oriri bella mutua inter Samſonem, & Philiſthinos: ideo apparet conformare dictum Samſonis dicto Angeli, & tunc deberent credere ei.

Parentes autem eius neſciebant, quòd res à Domino fieret. Id eſt, neſciebant, quòd Deus incitaret Samſonem ad accipiendum vxorem de Philiſthinis: quia per hoc haberetur occaſio pugnandi, & aliter non. Et fortè Deus fecit, quòd mulier illa Philiſthina placeret oculis Samſonis: nam cor noſtrum eſt in manu Dei, & quocunque voluerit vertet illud, ſcil. ad aliquid amandum, vel exoſum habendum, vt declaratum fuit ſuprà 3. & 9. cap. D

Et quæreret occaſiones contra Philiſthijn. Id eſt, Deus quærebat occaſionem ad pugnandum contra Philiſthinos, & tradendum eos in manus Samſonis. Occaſio autem haberi poterat per mulierem, quam Samſon accepit, ſcil. quòd ipſa traderetur poſteà alteri viro, & ipſe ſtimulatus iniuria, pugnaret contra Philiſthinos, & ſic factum eſt ſeq. cap.

Deus quare puniendi Philiſthinos occaſiones quærebat.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, quare Deus quærebat occaſiones puniendi Philiſthinos: nam Philiſthini, ſi merebantur malum, ipſe poterat punire eos non quærendo aliquam occaſionem: ſi autem non merebantur, occaſio erat iniuſta.

Reſpondendum, quod Philiſthini merebantur puniri à Deo, & volebat ipſe infligere pœnas, nec egebat ipſe occaſione ad hoc, quòd pœna ab eo inflicta eſſet iuſta, aut non conquererẽtur de eo: quia poterat eis immittere peſtem, vel famem: aut aliud genus pœnæ: volebat tamen pœnam immittere eis per Samſonem. Et licèt Deus poſſet pœnam iuſtè infligere, tamen non videbatur, quòd iuſtè poſſet Samſon exequi contra Philiſthinos, ideo voluit Deus inquirere occaſionem pro Philiſthinis, ſcil. ne poſſent conqueri de Samſone, quãquàm puniret eos, & iſtud fuit dando ei vxorem de terra Philiſthinorum, quia Philiſthini grauarent eum tollendo vxorem ſuam, & ipſe moueretur contra eos ad vindictam, & occideret de eis multos, terramq; eorum vaſtaret. E

Ad quid opus erat, quòd quæreret Deus occaſiones pro Samſone ad pugnandum contra Philiſthinos.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vleriùs, ad quid opus erat, quòd quæreret Deus occaſiones pro Samſone ad pugnandum contra Philiſthinos: nam ipſe poterat non exquiſita aliqua occaſione pugnare, eo quod terra Philiſthinorum erat in terra Chanaan, & tamen Iſraëlitæ poterant, imò obligabantur pugnare contra omnes Chananæos quouſque excluderent eos de terra, Numer. 33. & Deut. 20. Ideo ex hoc ſolo, quod Philiſthini, qui erant de Chananæis, occupabant terram debitam Iſraëlitis, poterat iuſtiſſimè pugnare contra eos Samſon.

Nicol reſp. ad q̃ſtum Reſpõdet Nicolaus, quod Deus tradiderat Iſraëlitas meritis ſuis in manus Philiſthinorum: & poſteà fecerant cum eis aliqua pacta firmata iuramentis, contra quæ non poterant venire: ideo oportuit quærere occaſiones, ita vt Iſraëlitę poſſent pugnare contra Philiſthinos non frangendo promiſſa: iſtud autem non poterant ex iure quod habebant contra illos in quantum erant Chananæi, quia fortè ſuper hoc factum extiterat aliquod fœdus, & iſta fœdera interdum fiebant pro cauſa iuſta, & poterant ſeruari ad tempus, & peccabant Iudæi, ſi poſtquàm feciſſent illa, non ſeruaſſent. Sic patet de rege Sedechia, 2. Paralipo. vltim. vbi increpatur, quòd non cuſtodierit pactum factum cum Nabuchodonoſor: nec erubuit faciem Ieremiæ loquentis ad ſe, à rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adiurauerat eum per Deum: ita ergo ponitur inter peccata ſua, quòd non ſeruauerit iuramentum, & ſic Philiſthinis ſeruanda eſſent iuramenta, quæ cum illis poſita eſſent. F

Doct. reſp. ad q̃ſtum Dicendum autem, quod licèt non poſuiſſent Iſraëlitæ aliqua fœdera cum Philiſthinis, neceſſe erat quærere occaſiones ad hoc, quòd Samſon pugnaret contra Philiſthinos. Pro quo ſciendum, quòd Iſraëlitæ nunc erant ſubiecti Philiſthinis, vt patet in litera, & nõ poterãt reſiſtere illis, & ſi Samſon, vel aliquis de Iſraëlitis pugnaret contra Philiſthinos, ipſi retorquerent totum malum in totum populum Iſraël, & vt nõ haberet colorem retorquendi malum ſuper populum, oportebat quòd Samſon haberet aliquam cauſam ſpecialẽ ex parte ſua ſolũ, pro qua deberet pugnare contra Philiſthinos, &

A illa non tangeret Israëlitas: alioquin Philisthini pugnarent contra Israëlitas tanquàm suasione eorum Samson inferret damna Philisthinis, & sic fuit occasio de ablatione mulieris suæ à Philisthinis. Et adhuc sic aliqualiter conabantur Philisthini retorquere malũ super Israëlitas, & nisi viri Iuda iuissent ad ligandum Samsonem, & tradendum manibus Philisthinorum, non credidissent, quòd Samson ex seipso ageret, sed consilio populi: de quo sequen. cap. ideo non agebat aliquid ad hoc, quòd Israëlitæ haberent aliqua pacta cum Philisthinis, vel nihil haberent, quia nisi ponerentur occasiones retorquerent Philisthini malum super totum Israel, & pugnarent contra illos. Etiam responsio Nicolai esset conueniens ad excusandum Israëlitas, si ipsi deberent pugnare contra Philisthinos, & tamen non erant ipsi pugnaturi, sed solus Samson: ideo non conuenit illa responsio. Item illa excusatio Nicolai erat ad excusandum Israëlitas in conspectu Dei, scilicet quòd non obstante fœdere posito cum Philisthinis possent pugnare contra eos, sed non erant ad excusandum in conspectu Philisthinorum: quia Philisthini non curabant de præcepto, quod Deus dederat Israëlitis, vt excluderent omnes Chananæos de terra: sed si ex hac parte vellent pugnare illicò resisterent eis durissimè. Deus tamen volebat dare causam apparentem Samsoni in conspectu Philisthinorum, ideo dato quòd non staret fœdus aliquod, debebat quærere aliquã occasionẽ. Et patet, quòd ista intentio sit literæ, quia dicitur immediatè in litera: eo tempore Philisthini dominabantur Israel, quasi dicat: propter hoc quod dominabantur oportebat quærere aliquam occasionem nimis manifestam contra eos: ne habito aliquo leui colore retorquerent omne malum contra Istaëlitas, & premerent eos nimis potentia sua.

B

Quare Israelitæ habentes Samsonem ducem non conueniebant cum eo ad pugnandum contra Philisthinos, vt eorum seruitutem exuerent.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quare Israëlitæ habentes talem ducem, scilicet Samsonem non conueniebant cum eo ad pugnandum contra Philisthinos, vt exuerent seruitutem eorum: nam alij iudices non erant ita fortes, sicut Samson, & tamen populus conueniens cum illis pugnabat contra hostes, & vincebat, manebatq; postea liber, & in pace.

Nicol resp. ad q̃situm C

Respondẽdum, quòd secundùm positionem Nicolai dici posset, quod Philisthini habebant pacta cum Israëlitis, propter quæ non licebat Israëlitis pugnare contra eos: ideo licèt haberent conuenientem ducem, & scirent quòd vincerent Philisthinos, non pugnarent, ne iuramentum violarent.

Respõ. Doct. solidior ad quæsitum.

Aliter tamen, & melius dicẽdum est, quod Israëlitæ, scilicet non habebant cor ad resistendum Philisthinis: putabant enim quòd non possent prœualere contra illos, & si committerent bellum etiam superarentur, & premerentur nimis ab illis: ideo eligebant potiùs seruire Philisthinis. Vnde non solùm ipsi Israëlitæ non audebant pugnare contra Philisthinos: sed etiam increpabant Samsonem, quia pugnabat contra illos, vt patet sequen. cap. scilicet. Nescis quia Philisthini dominantur nobis? quare hoc facere voluisti? Et tunc ipsimet Israëlitæ ligauerunt eum, & duxerunt vinctum ad Philisthinos: si tamen Israëlitæ non timerent nimis Philisthinos, dato quòd fecissent cum eis pacta, non tenebantur ipsi ducere vinctum Samsonem: sed solùm quòd non adiuarent contra Philisthinos ipsum Samsonem. Sed ipsi etiam iuerunt ad ligandum Samsonem, vt complacerent Philisthinis, quia erant subditi illis: ergo ex timore faciebant, iste autem timor erat in cordibus Israëlitarum, incussus à Deo in pœnam, quia Israëlitæ peccabant continuè contra Deum, & Deus nolebat eos eruere de manibus Philisthinorum. Et quia si Samsonem ducem secuti fuissent omnes Israëlitæ possent superare Philisthinos (quod Deus nolebat) ideo voluit, quòd Israëlitæ non auderent pugnare contra Philisthinos, nec acciperent Samsonem in ducem contra illos.

Alia ratio esse poterat, quia Angelus prædixerat de Samsone, quòd ipse inciperet liberare Israel, præceden. cap. id est, quòd non posset totaliter eruere de manu Philisthinorum, sicut quilibet aliorum iudicum fecerat, & fortè Israëlitæ sciuerant hoc, & timebant quòd si pugnarent, & dux suus non posset eos totaliter liberare, ad extremum semper manerent Philisthini dominantes Israëlitis, & premerent eos, ideo iudicabant melius sibi esse manere in parua seruitute, quàm pugnando incidere in magnam calamitatem, & ista est ratio efficacior. D

Quare Samson Israelitis datus est in iudicem, cùm non potuerit eos liberare de manu Philisthinorum.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, cùm Samson non potuerit liberare Israëlitas de manu Philisthinorum, quare datus est in iudicem.

Aliquis dicet, quòd licèt Samson nõ potuerit liberare ab ipsa tota seruitute Philisthinorum: tamẽ liberauit à quadam parte eius, & hoc sufficiebat. Sed adhuc dicetur, quod hoc nõ stat, quia à tota non liberauit, vt notum est. A parte etiam liberauit, quia Samson licèt vastaret quandam partem terræ Philisthinorum, & occideret aliquos de illis, non minùs subiecti erant Israëlitæ eis quàm prius, nec soluebant minora tributa: nam tunc quando Samson pugnabat contra Philisthinos non rebellabant Israelitæ Philisthinis ad non soluendum aliquid, vel ad hoc, quòd tollerent eis aliquid de seruitute: alioquin rebellarent penitùs, sed ipsi adiuuabant Philisthinos contra Samsonem: nam cùm cremauit vineas Philisthinorum, & fugit: ipsi Israelitæ duxerunt eum vinctum, & tradiderunt manibus Philisthinorum, sequen. cap. Et si ipsi non vinxissent eum funibus, non potuissent eum ligare Philisthini, cùm contra eum etiam ligatum pugnare nequiuerint, ideo non diminuebatur aliquid de seruitute Israelitarum per opera Samsonis. E

Dõt resp. ad q̃situm

Responderi potest satis rationabiliter, quod Samson fuit datus iudex Israelitarum non principaliter, vt liberaret Israelitas, sed vt pugnaret contra Philisthinos, & puniret eos: nam Deus iratus Philisthinis volebat percutere aliquos illorum, & harum pœnarum faciebat Samsonem ministrum: & quia erat de Israelitis poterant gaudere Israelitæ in hoc, & secundùm istud poterat vocari iudex eorum. Sed obijcietur, quia præceden. cap. dicitur, ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum: ergo licèt nõ liberaret totaliter saltem quantum ad aliquid liberabat, & tamen si nihil omninò liberaret non diceretur, quòd inciperet liberare Israel.

Respon sio. Quõ Samsõ aliqua liter liberauit Israelitas de manibus Philisthinorum. F

Respondendum ergo, quod Samson liberauit aliqualiter Israelitas de manu Philisthinorum. Et istud potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod liberauit eos, scil. quia Philisthini fortè volebant aliquando pugnare contra Israelitas ad redigendũ eos in maiorem seruitutem: & tamen viuente Samsone nõ audebant, quia cùm viderent, quòd ipse solus pugnaret cõtra eos, & superaret illos: quanto magis hoc fieret, si totus Israel sequeretur eum vt ducem? & tamẽ hoc necesse erat si Philisthini pugnarent contra Israelitas, ideo non audebãt Philisthini pugnare, & hoc modo liberabantur Israelitæ per Samsonem à multis malis, quæ al às eis infligenda erãt. Aliter potest intelligi, quòd abstulerit aliquid de magnitudine seruitutis, quã habebant Israelitæ. Et hoc poterat dupliciter intelligi. Vno modo, quod viuente Samsone aliquãdo exactores Philisthinorum, qui colligebant tributa Israelitarum nõ ausi fuerint venire ad colligendum formidantes Samsonem. Secundo modo potest intelligi, quod in morte Samsonis liberati fuerint Israelitæ à magna parte seruitutis, scil. quod Samson moriens occidit omnes principes Philisthinorum, qui erant congregati in vrbe Gaza in templo Dagon ad faciendũ festum pro victoria de Samsone: & tunc Samson concutiens domũ, & ad terram prosternens occidit omnes principes Philisthinorũ, & multos alios vsq; ad tria millia virorũ, vt inf. 16. c. tunc Israelitæ videntes perijsse principes, qui dominabantur eis, poterant resistere Philisthinis, vt diminuerẽt eis iugum: vel quòd totaliter rebellarent. Et tunc verisimile est, quòd Philisthini diminuerent aliquid de iugo Israelitarum, & istud cõsecuti sunt Israelitæ per Samsonem, ideo ipse cœpit liberare Israel de manu Philisthinorum.

A

Eo enim tempore Philisthini dominabantur Israeli. Scilicet tempore, quo Samson petijt, vt daretur sibi vxor de filiabus Philisthinorum: incœperat autem istud dominium ante natiuitatem Samsonis, nam præcedenti cap. dicitur, quod post mortem Abdon tradidit Deus Israelitas quadraginta annis in manus Philisthinorum, & iterum dicitur, quòd Angelus dixit ad matrem Samsonis, quòd nasceretur ex ea filius, qui liberare inciperet Israel de manibus Philisthinorum. Dicitur autem istud ad reddendum rationem præcedentis dicti, scilicet quod Deus quærebat occasionem cõtra Philisthinos: quasi dicat, si Israelitæ fuissent liberi tempore, quo Samson petijsset vxorem, non oportebat, quod ad pugnandum contra Philisthinos quereretur occasio, quia si pugnante Samsone contra Philisthinos, siue cum causa, aut sine causa Philisthini vellent pugnare contra Israelitas, ipsi resisterent Philisthinis: quia tamen Philisthini dominabãtur eis, & non audebãt resistere illis, debuit quæri occasio, vt, quamquàm Samson pugnaret contra Philisthinos, ipsi non haberent colorem pugnandi contra Israelitas.

Descendit itaque Samson cum patre suo, & matre in Thamnata. Cumq; venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frusta decerpens, nihil omninò habens in manu, & hoc patri, & matri noluit indicare. Descenditq;, & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius. Et post aliquot dies reuertens, vt acciperet eam, declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensq; ad patrem suum, & matrem dedit eis partem, qui & ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis assumpserat. Descendit itaque pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Samson conuiuium. Sic enim iuuenes facere consueuerant. Cùm ergo ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, vt essent cum eo. Quibus locutus est Samson: proponam vobis problema, quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas: si autem non potueritis soluere, vos dabitis mihi triginta sindones, & eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: propone problema, vt audiamus. Dixitq; eis: De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem soluere.

Sup. eo.

B

Author Paduam condidit.

Pyrrhi filius Achillis, à quo Epyrus denominatur primus Pyrrata.

C

Descendit itaq;. Hic ponitur secundum huius cap. scilicet vxoris desponsatio, quia nunc pater, & mater Samsonis despõsauerunt ei puellam Philisthinam, & posteà secuta est matrimonialis copula, & interponitur hic quidam casus ostensiuus fortitudinis Samsonis, scilicet quod pugnauit contra leonem, & strangulauit eum, atque decerpsit in partes, & dicitur.

Descendit itaq; Samson cum patre suo, & matre in Thamata. Scilicet postquàm pater, & mater Samsonis consenserunt dare ei vxorem de mulieribus Philisthinorum, descẽderunt cum eo in Thamnata vrbem illorum vbi puellam viderat, vt acciperent eam illi. *Cumq; venissent ad vineas oppidi.* Hic interponitur casus de pugna Samsonis contra leonem, & dicitur, quod accesserunt ad vineas oppidi, id est, ad vineas vrbis Thamnata, & in illis erat leo. *Apparuit catulus leonis sæuus rugiens.* In terra Chanaan sunt multi leones, & vrsi: quia est terra calida, & nutriuntur ibi: vnde Dauid dixit, quod cùm ipse pascebat gregem patris sui, sæpè veniebat leo, & vrsus, & ipse dilacerabat eos tenens mentum eorum, vt patet 1. Regum 17. Veniebat autem iste caulus rugiens, scilicet vt teneret prædam, & volebat irruere in Samsonem. *Et occurrit ei.* Scilicet Samsoni, scilicet soli ei occurrit, quia fortè Samson recesserat modicum à patre, & matre ad purgandum aluum, vel ad aliquid aliud, & non viderunt ipsi quid faceret Samson, nec ipse indicauit eis, quòd occidisset leonem, vt patet infrà. *Irruit autem spiritus Domini in Samson.* Id est, venit super eum fortitudo à Deo missa ad pugnandum contra leonem. *Et dilacerauit eum.* Scilicet tenuit illum per barbam, & aperuit os eius, & inde cœpit decerpere in frusta. *Quasi hœdum in frusta decerperet.* Id est, no fuit maioris difficultatis Samsoni dilacerare leonem, quàm vnum hœdum tenerum, cuius dilaceratio satis facilis foret. *Nihil omninò habens in manu.* Istud ponitur ad indicandam magnam fortitudinem Samsonis, scilicet quia non habebat in manu gladium, vel baculum, aut lapidem, quo percuteret, vel lanceam, aut telum: sed nudis manibus tenuit leonem, quod ad indicibile robur pertinet. *Et hoc patri, & matri noluit indicare.* Id est, quamuis occidisset leonem, non dixit patri, & matri quid egisset.

D

Quare Samson noluit patri, & matri leonis occisionem indicare.

Qvæstio XI.

Qværetvr, quare Samson noluit hoc indicare patri, & matri, & ad quid ponitur hic, quòd noluerit indicare.

Respondendum, quod hoc fecit Samson, quia volebat accipere in leone aliquod problema, quòd proponeret Philisthinis: vt eis nescientibus soluere obtineret laudem ab eis, & lucrum, & istud fuit de fauo mellis reperto in corpore leonis: & quia si patri, & matri indicasset, illi ad ostentandam fortitudinem filij sui dixissent illud in vrbe Thamnata, & inducerent in testimonium dilaceratum leonem ab ipso, & sic quãdo proponeret problema Philisthini aduerterent, & possent cõsiderare faciliter hoc dictum de leone: tacuit ergo, ne pater, & mater hoc dicerẽt Philisthinis. Sed dicetur, quòd non tacuit propter hoc, quia problema fuit propositum posteà quando venit alia vice Samson ad accipiẽdum vxorem, & inuenit fauum mellis in corpore leonis, & de illo proposuit problema, scilicet. De comedẽte exiuit mel, & de forti egressa est dulcedo. Samson tamen nesciebat nunc, an positurus esset problema de melle, quia nõdum erat mel in leonis corpore, nec sciebat an aliquando ibi futurum esset: ergo non tacuit hac intentione.

E

Respondendum, quod Samson quando occidit leonem intendit proponere aliquod problema de illo, & tacuit, & tamen tunc non erat determinatus ad modum problematis, sed secundùm ea, quæ posteà reperiret in eo leone proponeret genus problematis. Quòd autem intenderit aliquid facere de leone apparet, quia quando rursus venit in Thamnata ad accipiendum vxorem, declinauit ad cadauer leonis, & etiã non dixit, quò ibat patri, & matri, & reperto melle in corpore leonis formauit problema de leonis melle. Si autem non reperisset mel, sed aliquid aliud, non formasset de melle, sed de aliquo reperto in leone mortuo,

F

Ad quid ponitur hic de ista occisione leonis, &c.

Qvæstio XII.

Qværetvr vlteriùs ad quid ponitur hic de ista occisione leonis, cùm non pertineaat ad principalẽ historiã.

Respondendum, quod ponitur ad duo. Primum est ad indicandum fortitudinem Samsonis: nam occidere leonem erat quid excedẽs humanam fortitudinem, scilicet occidere nudis manibus, ideo in præconium roboris à Deo dati descripta est res. Secundum erat, & melius, scilicet, quod Samson erat positus in iudicẽ Israel, vt pugnaret contra Philisthinos, & puniret illos, & Deus inquirebat occasiones quo modo per Samsonem Philisthinos percuteret: ideo ponitur ista quia fuit quædam occasio ad pœnam Philisthinorum, scilicet, quia occiso leone natum est mel, & de illo positum est problema, & cùm Philisthini obtinuissent contra Samsonem soluentes problema: ipse descendit ad vrbem Aschalonem, & occidit triginta de Philisthinis, & cœpit vestes eorum ad satisfaciendum eis, qui soluerant problema, vt patet in litera infrà, & sic occisio triginta virorum fuit pœna inducta per occisionem. Ista est causa verissima, quare po-

Caſus de pugna Sãſonis contra leonem

natur. Quod patet ex duobus: primò, quia immediatè, vt dictum est, quod Deus inquirebat occasiones contra Philisthinos subiunctum est de ista occisione leonis, quia ista erat quoddam principium ad inquirendam occasionem contra Philisthinos.

Secundum est, quia si fuisset intentio principalis ad enarrandum fortitudinem Samsonis non curasset scriptura aliquid describere, postquã dixisset, quod Samson occidit leonem, & tamẽ cum magna diligentia descripsit quidquid inde secutum est vsq; ad mortem triginta virorum: ideo oportet quòd principaliter fuerit descripta occisio leonis, inquãtum erat principium illius occasionis contra Philisthijm.

Tertia ratio reddi potest, quia Samson fecit alia opera fortitudinis præter hæc, vt innuitur præcedenti cap. scilicet quod spiritus Domini cœpit esse cum Samsone in castris Dan. Et Rabbi Dauid Kimhi dicit, quod illa fuerunt aliqua magnifica opera, quæ scriptura non refert. Et hoc quia illa non erant facta contra Philisthinos, scilicet in castris Dan, id est, inter Iudæos, vt ibi dicitur, cætera auem quæ describuntur de Samsone erant pœnæ quædam per occasionem datæ Philisthinis: ergo etiam istud, quod hic describitur de occisione leonis fuit positum, inquãtum erat occasio occidendi triginta Philisthinos.

Descenditq; Scilicet intrauit in vrbem Thamnata, quia nũc erat in vineis apud vrbem, vbi occiderat leonem.

Et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis eius. Scilicet locutus est ei verba pertinentia ad contractum matrimonialem, & B fuerunt tunc sponsalia de præsenti, quę vocantur matrimonium: & non fuit per copulam consummatum, & solennizatum: sed post paucos dies redijt iterum Samson in Thamnata, & accepit vxorem per copulam.

Vxoris desponsatæ acceptio. *Et post aliquot dies.* Hic ponitur tertium huius cap. scilicet vxoris desponsatæ acceptio. Et dicitur. *Et post aliquot dies reuertentes.* Scilicet pater, & mater Samsonis cum eo reuersi sunt in vrbẽ Thamnata. Et est sensus quod prima vice Samson accepit puellam solùm in sponsam per verba de præsenti, & non consummauit matrimonium, sed redijt cum patre suo, & matre in terram suam ad parandum aliquid, quod ad solennitatem matrimonij erat necessarium: & illo facto redierunt simul in Thamnata, vt Samson consummaret matrimonium.

Vt acciperet eam. Scilicet, vt acciperet eam ad consummandum matrimonium per copulam, & ad cohabitationẽ, quia licèt prius desponsasset eam, non acceperat eam, scilicet vt esset in potestate ipsius, quia hoc fit quando vir & vxor cohabitant.

Declinauit, vt videret cadauer leonis. Scilicet quid factum esset de eo: nam ex illo volebat sumere materiam formandi problematis: & hac intentione suprà tacuerat nihil dicens patri C de leone, quem occiderat. Deus autem mouebat Samsonem ad hoc, quia ipse inquirebat occasionem contra Philisthinos, vt suprà dictum est: & ipse sic res euenire faciebat, vt omnia coaptarentur ad intentionem Samsonis.

Et ecce examen apum in ore leonis Id est, reperit examẽ apum mellificasse in ore leonis. In Hebræo dicitur: in corpore leonis, sicut infrà dicit litera nostra, quod voluit Samson indicare, quòd sumpsisset mel de corpore leonis, & tamẽ idem nomen est vtrobique in Hebræo.

Quomodo apes mellificarunt in ore leonis, cùm esset res putrida.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quomodo apes mellificauerunt in cadauere leonis cùm esset res putrida, & sordida, & apes abominantur nimis res putridas, & olentes, ideo eligunt flores optimos, & cibos valdè suaues. & incontaminatos.

Dicendum, quod quædam sunt apes generosæ, vel domesticæ, & istæ mellificant in solis rebus mundis, & locis mundis, & abominantur, & fugiunt omnia loca cõtaminata: sunt autẽ aliæ apes fusl canæ, quæ nullum locũ dedignantur, ideo siue in loco puro, siue in immũdo mellificare possunt, & consueuerunt: & harum esset examen quod reperit Samson in corpore leonis.

Aliquis dicet, quòd licet apes non consueuerunt mellificare in locis immundis: tamen nunc Deus induxit apes ad mellificandum in tali loco, vt Samson haberet inde locum problematis. Sed istud non stat propter duo. D

Primò, quia cùm aliquid potest fieri naturaliter, introducere miraculum ad factionem illius est inconueniens, quia irrationabile est per plura fieri, quod potest per pauciora fieri, 8. Topico. & tamen ponere miraculum est ponere plura: ergo non debet poni vbi natura sufficit.

Secundò non stat, quia si contra cõsuetudinem omnium apum esset mellificare in locis fœtẽtibus, licèt nunc miraculosè factum fuisset, Samson non potuisset conuenienter hoc proponere, quia sic forte verteretur posteà in dubiũ, de quo intelligebatur problema, & si Sãson diceret de melle inuẽto in cadauere leonis, diceretur ei, quod insaniebat, quia contra eum erat natura apum, & sententia omnium hominum. Et etiam, quia nunquã tale inuentum fuisset, ideo ipse cõdemnaretur: & sic oportebat quòd problema suum non præsupponeret aliquid inopinabile.

Ac fauus mellis. Scilicet quia iam firmauerant mel in corpore leonis. *Quem cùm sumpsisset in manibus.* Scilicet accipiens de cadauere leonis. *Comedebat in via.* Scilicet dum veniret de diuerticulo, in quo erat cadauer vsquequò accederet ad patrem, & matrem, quos reliquerat in via publica veniens ad patrem suum, & matrem, scilicet ipsi gradiebantur via publica, & Samson diuerterat modicum ab eis, vt videret cadauer leonis, quod reliquerat. *Dedit eis partem.* Quia multum de fauo ferebat, scilicet totum quod reperit in corpore leonis, qui & ipsi comederunt nihil interrogantes vnde suscepisset, quia putabant aliqua aluearia apum apud viam consistere. E

Nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis assumpserat. Scilicet ipsi non interrogauerunt vnde sumpserat, & ipse non dixit: sed etiam si quæsiuissent, noluisset eis dicere, quod erat de corpore leonis, sed dixisset de aliqua alia re: causa autẽ taciturnitatis fuit illa, quæ suprà posita est, scilicet ne pater suus, & pater possent dicere in vrbe Thamnata, quod comederant mel de corpore leonis, quia per hoc solueretur problema Samsonis à iuuenibus. *Descendit itaq; pater eius ad mulierem.* Non solùm descẽdit pater Samsonis, sed etiam mater, vt suprà patet, cùm vtrique in via dederit de fauo: sed dicitur de patre specialiter, quia ipse erat principalis persona, & ipse faciebat solẽnitatem nuptiarum. Et dicitur, quod descendit ad mulierem, scilicet dicens illi, quòd pararet se ad consummationem matrimonij.

Et fecit filio suo Samson conuiuium. Ad honorem nuptiarum filij sui Samson, scilicet quia tunc cõsummabat matrimonũ per copulam: & ad solennizandum nuptias fecit conuiuium magnum multis secundùm consuetudinem terræ illius.

Sic enim iuuenes facere consueuerant. Id est iuuenes consummantes matrimonium in terra illa solebant facere conuiuia per aliquot dies: & sic fecit pater Samsonis filio suo. *Cùm igitur ciues.* Hic ponitur quartum, scilicet inuasionis occasio, & F fuit ista occasio immediata ex propositione problematis Sãsonis quamquàm mediatè iam accepisset originem ex occisione leonis: & dicitur. *Cùm igitur ciues loci illius vidissent eum.* Scilicet ciues vrbis Thamnata, in qua nuptiæ celebrandæ erant: & isti erant cognati puellæ, qui curam gerebant de solennitate nuptiarum. *Dederunt ei triginta sodales, qui essent cum eo.* Scilicet istos dederunt ei ad comitandum eum toto illo tempore, quo durabat conuiuium, vt gauderet cum illis. *Quibus locutus est Samson.* Iuuenes autem ad solatium solẽt proponere inter se aliquas quæstiones secundùm ingenium suum, vt tempus expendant, & gaudeant in illis.

Proponam vobis problema. Id est proponam vobis quæstionẽ: & sic Aristot. 1. Topico. vocat aliqua problemata neutra, quia neutra pars contradictionis est satis solida, sicut ibi de quibusdam exemplificat. Et propriè problema importat dubitationem: sic enim quæstio quælibet est dubitabilis propositio. *Quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij.* Dedit eis spacium septem dierum, quia conuiuium durabat septem diebus ad solennitatem nuptiarum, & in illis septem diebus poterant soluere problema, vel soluerent pœnam: transactis autem diebus conuiuij recederent iuuenes isti à Samsone, ideo nõ erat tunc conueniens tempus solu- *Problema.*

uendi:

A

uendi:& sic solùm dedit eis spatium,dum durabat conuiuiũ, & fuit propositum problema in primo die conuiuij. *Dabo vobis triginta sindones.* Erant triginta iuuenes, ideo ponebat triginta sindones,& triginta tunicas, vt à quolibet reciperet vnam tunicam,& vnam sindonem,& cuilibet tantundem daret. Sindon vocatur quædam vestis linea pulchra, qua vtebantur viri in terra Chanaan super cæteras vestes. Et etiam in terra ista aliqui vtuntur ea, & ponitur Isaiæ 3. cum alijs ornamentis muliebribus. Tunicæ vocantur istæ vestes de panno laneo,& sic erat sindon, & tunica completum quasi vestimentum alicuius.

Venetijs,& in alijs terris Lõbardiæ fœmina vtũtur ista veste.

Si autem non potueritis soluere. Scilicet declarando veritatem eius. Quid si iuuenes dedissent aliquam expositionem, & nõ esset conueniens, vel non esset illa quam Samson intendebat,quis arbitrari debebat,quòd obtinerẽt? Respondendum quòd erat recurrendum ad commune iudicium : nam si verba problematis coaptarẽtur solutioni iuuenum, ipsi obtinerent:& si Samson diceret,non est ipse sensus problematis, nõ erat ei credẽdum, nisi doceret sensum magis coaptari verbis problematis,quàm sensum à iuuenibus datum.

Vos dabitis mihi triginta sindones,& eiusdem numeri tunicas. Et sic erat æqua conditio pacti ex vtraq; parte, quia tantùm lucrari debebat Samson quantum solueret si succumberet,& idem de quolibet iuuene.Nam ad vnam tunicam, & sindonẽ quilibet extendebatur,vel obtinendo,vel succumbendo.

B

Qui responderunt ei:profer problema vt audiamus. Subintelligẽdum est, quòd prius acceptauerũt conditionẽ istam & firmauerunt eam pacto,quàm Samson enunciaret problema,alioquin cùm problema videretur difficile,resiliissent ab illo.Cõsenserunt autem iuuenes propter duo, primò quia tempus indultum ad excogitandum erat magnum, scilicet septem dierum, & in illis de quocunque quantumcunq; dubio possent certificari per se, vel per alium. Secundum erat, quia multi erant quibus proponebatur; & vnus vel alius inueniret solutionem. Etiam putauerunt isti iuuenes, quòd non posset Samson aliquid tam obscurum dicere quod omnes ipsi non possent inuenire.

Quando Samson proposuit problema Philisthinis quid intendebat.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quando Samson istud problema proposuit quid intendebat,vel quomodo audebat se exponere tantæ obligationi, scilicet quòd si perderet dare triginta tunicas,& totidem sindones, & tamen ipse non habebat vnde solueret quicquam horum.

Respondendum, quòd Samson habere poterat intentionem ad vnum de duobus, scilicet ad ipsum problema quod occultum erat,vel ad robur suum, scilicet quia si succumberet,posset citò triginta tunicas,& totidem sindones prædando recipere,& dare iuuenibus.

C

Sed dicendum quòd Samson nõ attendit ad robur suum, quasi perditurus esset, & acquisiturus sindones, & tunicas prædando. Sed attendit ad problematis difficultatem,quia putauit quòd erat eis fortè impossibile inuenire solutionem, & sic quando inuenerunt,dixit eis:si non arauissetis in vitula mea,non inuenissetis propositionem meam,quasi dicat, aliter erat vobis impossibile scire: & tamen ipse putauit quòd vxor sua non declararet illis iuuenibus,ideo tenuit se ex parte difficultatis. Item patet, quia si Samson attẽdisset ad robur suum,iam intendisset, vel putasset se saltem perditurum: & ad hoc ipse non contenderet,quia nulla vtilitas erat laborare ad soluendum id,in quo obligaretur.

Considerandum tamen, cùm hæc omnia à Deo fierent, qui quærebat occasionem contra Philisthinos, vt suprà patet,quòd Deus incitabat Samsonem ad proponendum istud problema ex parte contraria, scilicet quia volebat Deus, quòd Samson succumberet, soluentibus iuuenibus problema: & ad hoc dedit viam, vt illi per vxorem Samsonis inuenirent solutionem: & sic succumberet Samson, & teneretur inquirere tunicas,& sindones occidendo Philisthinos, & occidendo triginta viros : totum hoc fuit ergo ingenium mouendi Samsonem ad occidendum istos viros triginta, & ipse non ferebatur hac intentione. Et sic accidit in alijs negotijs, quando Deus vult in manus nostras aliquid ad iustitiam pertinens exequi,quia ad idem ferimur nos & Deus: & tamen nos mouemur vna intentione, & Deus mouet nos alia intentione & actu: completur in actu non quod nos volumus,sed quod Deus vult.

D

Qui dixit eis: De comedente exiuit cibus. Scilicet de leone qui erat comedens, & deuorans exiuit cibus, id est mel, quia in cadauere eius nidificauerunt apes, & fabricauerunt mel, de quo pater, ipse,& mater sua comederunt, vt paret suprà in litera. *Et de forti egressa est dulcedo.* Repetitio est eiusdem sententiæ per alia verba, & fortè posita fuit ad turbandum, vt putarent esse duas sententias: & quamquam vnam inuenirent, non inuenirent aliam:& dicitur de forti, id est leone egressa est dulcedo,id est mel dulce. *Nec potuerunt per tres dies soluere propositionem.* Id est nõ potuerunt inuenire intellectum eius: conati sunt enim omnes triginta iuuenes in tribus diebus primis inuenire solutionem : & cùm non possent putantes esse impossibile inuenire, cessauerunt frustrà anxiari, sed recurrerunt ad alia remedia. Isti tres dies intelliguntur primi tres dies conuiuij.

Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad vxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei, vt indicet tibi quid significet problema Quod si facere noluerit,incendemus te,& domum patris tui. An idcircò vocastis nos ad nuptias, vt spoliaretis? Quæ fundebat apud Samson lachrymas, & querebatur, dicens: Odisti me, & non diligis:idcirco problema, quod proposuisti filijs populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo,& matri nolui dicere, & tibi indicare potero? Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemque die septimo cùm ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicauit ciuibus suis. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea: non inuenissetis propositionem meam. Irruit itaque in eum spiritus Domini,descenditque Aschalonem, & percussit ibi triginta viros: quorum ablatas vestes dedit his qui problema soluerant. Iratus ualdè nimis ascendit in domum patris sui: vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis.

E

Verona cõditur

Suprà eod. & infrà.

Cumq; adesset dies septimus. Iste dies septimus non vocatur dies septimus conuiuij, nec solutionis dandæ, quia Samson dederat problema primo die conuiuij,& indulsit septem dies conuiuij ad dandam solutionem : & nõ potest vocari iste dies septimus,scilicet termini, vel conuiuij,quia nunc proposuerunt iuuenes problema vxori Samsonis,vt patet hic, & tamẽ infrà dicitur quòd ipsa erat ei molesta per omnes dies conuiuij,& flebat:& tandem dixit ei,vt patet infrà,ergo non erat iste dies septimus,quia cùm iuuenes septimo die ante solis occubitum soluerint problema, vt infrà patet ; non potuisset vxor Samsonis molesta esse Samsoni, nisi vna die incompleta,scilicet die septima: & tamen dicitur hic quòd erat ei molesta omnibus septem diebus conuiuij : ergo ante septimum diem per aliquot dies venerunt ad eam, & vocatur iste dies septimus, scilicet, hebdomadæ, vt exponunt omnes tam Hebræi, quàm Latini. Vel potest intelligi cùm adesset, id est cùm appropinquaret, scilicet, quia iam erat quartus dies: & videbant, quòd appropinquabat dies septimus, & ipsi nondum inuenire poterant solutionem, accesserunt ad remedium vxoris Samson. *Dixerunt ad vxorem Samson.* Putauerunt quòd ipsa posset extorquere ab eo veritatem : nam ipse diligebat eam valdè,nunc & nouiter acceperat eam,incœperatque illius frui amplexibus, ideo nullo mõdo eam contristaret,sed exponeret problema : & sic factum est. Deus autem incitauit iuuenes ad istud remedium, & succumberet Samson,& cogeretur quærere sindones,& tunicas, occidendo triginta Philisthinos. *Blandire viro tuo.* Id est fac ei blanditias,vt inducas ipsum ad exponẽdum problema. Istæ blandi-

F

A tiæ poterant esse in opere faciendo ei de seipsa aliquod speciale gaudium, quo solicitaret animum eius. Vel dicitur blandire, scilicet in verbis, & sic faciebat fœmina ista: nam lachrymas fundebat apud Samsonem, & fortè in lecto, quod amarè ferebat Samson, scil. teneriter amantem anxiari, & amor erat principium deceptionis. In Hebræo habetur: *Decipe virum tuum.* Et ad idem redit, scil. decipe eum blandiendo illi dulcibus verbis, & teneris lachrymis, ita vt commoueantur viscera eius ad teneritudinem præ amoris immanitate. *Et suade ei, vt indicet tibi, quid significet problema.* Id est, & per blanditias suade ei, id est inducas eum ad hoc, vt indicet tibi quid significet problema, scil. & tu nobis indices illud. In Hebræo habetur litera breuior: *Decipe virum tuum, & indicet nobis quid significet problema.* Et tamen non debebat indicare Samson viris illis, sed vxori: quia manifestum est, quòd ipse non consentiret viris indicare: sed litera Hebraica est barbara, & mutat personas, & modos loquendi: & dicitur indicet nobis, id est tibi, & sic posuit litera nostra, quia tamen postquam Samson indicaret vxori suæ, ipsa erat indicatura iuuenibus, dixit litera Hebraica: & indicet nobis, scil. mediãte te indicabit nobis. *Quod si facere nolueris.* Scilicet diligenter laborando, & rem ad effectum producendo. *Incendemus te, & domum patris tui.* Id est, incendemus te & patrem tuum, & totam familiam eius, & quid quid ad eum pertinet: nam domus non accipitur hic pro ædificio, sed pro familia, sicut communiter dicitur: Domus Iacob benedicite Domino. Istam pœnam comminati sunt iuuenes vxori Samsonis, quia fortè putabant, quòd ipsa potiùs

B diligeret virũ suum, quàm eos: & vellet, quòd obtineret vir, ideo si non amore, aut clementia assentiret eis, saltem timore ducta assentiret. Et ista timebat iuuenes, quia sciebat, quòd poterant facere id, quod dicebant, ideo solicita fuit ad opus. *An idcirco nos vocastis ad nuptias, vt spoliaretis.* Id est, vel nunquid non vocastis nos ad honorandum nuptias, nisi vt expoliaretis nos? Quasi dicat, venimus ad honorandum nuptias tuas, & nihil hinc consequimur, nisi quòd expoliabimur, vnde honorem consecuturi eramus. Hoc dicebant, quòd quilibet illorum daturus erat vnam tunicam, & vnam sindonem, & sic manerent nudi. & ista videbatur quædam ratio motiua ad hoc quòd vxor Samsonis conaretur exponere problema iuuenibus, vt cùm ipsi venissent ad honorandum eam, non cõsequerentur inde dedecus: & tamen non dedit medium conuenienter vxor Samsonis, quia debuerat ipsa intercedere inter virum & iuuenes, scilicet quia solueret eis pœnam in quã incidebant non soluentes problema: & sic nec Samson aliquid perderet, nec iuuenes dehonorarentur: si autem contenderet ad exponendum problema, depauperaret virum suum obligando eum ad solutionem triginta tunicarum, & totidem sindonum, in quo satis exhauriretur substantia viri sui. Si autem non faceret quidquam dehonorarentur, & obtineret Samson: ideo debuit intercedere, vt mediatrix, &

C non vt partialis. In Hebræo habetur: *Litera in Hebræo.* *Si ad hæreditandum vocastis nos.* Id est, nunquid vocastis nos ad nuptias ad tollendam hæreditatem nostram? Et accipitur hæreditare, pro exhæredare, vel hæreditatem tollet, scilicet quia obligando quemlibet ad soluendum vnam tunicam, & vnam sindonem, tollebant partem hæreditatis eorum.

Quæ fundebat apud Samson lachrymas. Id est quando erat cum Samson plorabat, intendens, quòd ploratus eius moueret Samsonem, & fortè erat fletus iste in lecto, vt magis iuuenem aut libidine furentem, & ad modica aduertem, teneritudine superaret. *Et querebatur dicens.* Id est conquerebatur de eo. *Odisti me, & non diligis.* Id est, nunc ostendis, quòd habes me exosam, & non me diligis, quamquam dicas, quòd me diligis. *Idcirco problema quod proposuisti filijs populi mei non vis mihi exponere.* Id est, si tu me diligeres, exponeres mihi problema, quod proposuisti filijs populi mei, id est viris de stirpe Philisthinorum, qui sunt filij populi mei, id est de populo meo. Et hoc dicebat, quia Samson non erat de populo illius mulieris, id est de stirpe Philisthinorum, quasi dicat, si me diligeres, non occultares mihi quicquam de eo, quod à te peterem: & tamen occultas: ideo exosam me habes. *At ille respondit: patri meo, & matri nolui dicere.* Scilicet quando occidit leonem, in cuius cadauere postea fuit mel, non indicauit patri, aut matri quòd leonem occidisset. Etiam quando postea accepit fauum, & dedit patri, & matri, noluit indicare quòd de corpore leonis esset fauus. *Et tibi indicare potero?* Id est, nunquid iustum erit, quòd tibi indicem, cùm illis non indicauerim? quasi dicat, non: quia magis tenebar obedire illis, & diligere eos quàm te debeam amare, ergo iniustum petis. D

Septem igitur diebus conuiuij flebat apud eum. Quanquã Samson iustè respondisset, non cessauit pertinacia fœminæ, sed fundens semper lachrymas inquietabat eum. Et dicitur per septem dies conuiuij, id est vsque ad complementum septem dierum conuiuij: nam non cœpit mulier inquietare Samsonem ex prima die conuiuij, sed ex quarta: quia primis tribus diebus conuiuij conati sunt iuuenes inuenire solutionem, & cùm non inuenissent putantes sibi esse impossibile sic inuenire, diuerterunt ad vxorem Samsonis, vt ipsa inueniret per virum: & incœpit ex die quarto solicitare virum vsque ad finem dierum conuiuij.

Tandemq; die septimo, cùm ei molesta esset, exposuit. Id est etiam vxor in omnibus diebus non potuit extorquere à viro solutionem problematis: in die autem septima cùm ipsa sciret finiri terminum molesta erat nimis: & tunc Samson exposuit. Nam erat Samson iuuenis insensatus ardens in vxore: vnde ægrè ferebat quòd vxor sua, quam tenerè diligebat coram co fleret: commouebãtur quippè viscera, amante in fletum versa, ideo non sustinuit, quin exponeret ei.

Quomodo Samson voluit indicare problema vxori suæ. E

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quomodo Samson voluit indicare problema vxori suæ, quia manifestum erat, & ipse satis conspicere poterat, quòd ipsa scire vellet ad exponendum 30. viris socijs Samsonis: & tunc licèt ipsa fleret non debebat commoueri ad assentiendum; sed magis habere eã exosam; & magis tacere, cùm insidiatrix loqueretur.

Respondendum, quòd Samson inductus fuit ad hoc dupliciter: Primò, quia vxor Samsonis innitebat quòd nullo modo volebat scire expositionem ad proponendum iuuenibus, sed solum ad intelligendum. Et fortè sæpè iuraret quòd nulli proderet, & Samson nimis credulus putans, quòd vxor magis diligeret eum quàm extraneos, credidit quòd non indicaret illis. Confirmatiuum huius erat motus interior Samsonis, quia iuuenis erat, & diligebat nimis puellam hanc, vt patet suprà, & nunc quoque nouiter amplexibus illius frui cœperat; ideo nihil erat quod ei proponeret: cùm autem vultum illius considerabat tristem, & obortas lachrymas, commouebãtur viscera eius præ teneritudine amoris, quia amor cùm ipse durus sit, omnia tenera reddit: nec mirum si puellæ amanti ipse quoque amans comploraret, & consolaretur eã blanditijs tanquam dimidium animæ suæ ægrè ferens illam anxiari. sic ille intensus, & feruens amator Sichem Dinam filiam Iacob vi oppressam blanditijs consolabatur, quia irruerat in eum amor fortis, vt patet Gen. 34. cap. & ideo satis declaratum est: passio autem dura commouet rationem ad assentiendum alicui, vel dissentiendum: & sic licèt verba vxoris Samsonis credibilia non essent, amor qui eum vrebat illis vires dabat persuadendi. Secundum, & efficacius erat incitatiuum affixum cordi Samsonis à Deo. Volebat enim Deus, quòd expositio problematis per vxorem Samsonis reuelaretur iuuenibus, & Samson succumbente oporteret, vt ipse inquireret vnde solueret 30. tunicas, & totidem sindones, & cogetur occidere 30. de Philisthinis. Quod autem potius ex hac hac parte quàm amore vxoris motus fuerit apparet, quòd potente vxore cum lachrymis solutionem problematis, ipse rationabiliter respondit, dicens: Patri meo, & matri nolui dicere, & tibi dicere potero. Sic etiam postea cùm per omnes dies conuiuij molesta ei esset, non potuit obtinere: septimo autẽ die tandem obtinuit. si tamen præ amoris magnitudine exposuisset, non potuisset tolerare eam flentem omnibus diebus præteritis, quibus eius fruebatur amplexibus. F

Amor fortis omnia vincit.

Quæstatim indicauit ciuibus suis. Id est, illis triginta iuuenibus, qui erant dati in sodales Samsonis, & erant ciues istius mulieris, scilicet de vrbe Thamnata, & fortè de cognatione sua. *Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum.* Scilicet iuuenes dixerunt Samsoni solutionem die septimo, & hoc ante solis occubitum: quia dixerat Samson, quòd soluerent ei

A intra ſeptem dies conuiuij. & ſi poſt ſolis occaſum ſoluiſſent, erant extra terminum, & tenebantur ad pœnam, non obſtãte, quòd ſoluerent problema. *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?* Non dixerunt ei, quòd intelligebatur de leone, & quòd in illo inuentus fuerat fauus, ſed per breuia verba expreſſerunt ſententiam.

Qui ait ad eos: ſi non araſſetis in vitula mea. Modus metaphoræ eſt: vocauit enim vxorem ſuam vitulam, & non dixit vaccam ad ſignificandum teneritudinem, quia puella erat, ſcil. ſi non ſolicitauiſſetis eam inquirendo problematis expoſitionem.

Non inueniſſetis propoſitionem meam. Id eſt, non inueniſſetis ſolutionem eius. Et verum dicebat in hoc Samſon: nam illi per tres dies laborantes non potuerunt inuenire, & deſperauerunt ſe poſſe inuenire. *Irruit it aq; in eum ſpiritus Domini.* Vidit ſibi nunc Samſon imminere neceſſitatem ſoluendi triginta tunicas, & totidem ſindones, & non habebat vnde ſolueret, ideo iratus nimis, & neſciens quid ageret, deſcendit in Aſchalonem, & occidit triginta viros, quorum veſtes rapuit. Et vocatur hic ſpiritus Domini, id eſt ſpiritus roboris, qui irruit in Samſonem, id eſt venit in eum ſubito ad accendendũ eum contra Philiſthinos, vt pugnans contra illos obtineret tunicas, & ſindones.

Et ſciendum, quòd accipitur ſpiritus non pro robore, ſed etiam animoſitate: nam ſi Deus daret Samſoni ſolum robur quamquam eſſet potẽs ad pugnandum contra multos viros ſimul: tamen non auderet aggredi illos, aut reſiſtere illis pugnando, ſicut videmus multos homines corpore quidem robuſtos, & animo infirmos, & fugientes à facie aliorum corpore debiliorum: Samſon tamen audebat pugnare contra leones nudis manibus: etiam contra quantamcunque Philiſthinorum multitudinem ſine armis ſolus pugnabat, ſequenti c. ideo erat animoſitas ſua magna æqualis robori. Vtrumq; autem dabatur ei à Deo, & vocatur ſpiritus Domini.

B

Aſchalõ quid ſit.

Deſcenditq; Aſchalonem. Eſt Aſchalon vna de quinq; metropolibus Philiſthinorum, vt patet Ioſue 13. & 1. Regum 6. nunc autem aſcendit Samſon de Thamnata, in qua celebrabantur nuptiæ, & iuit ad Aſchalonem ad rapiendum ibi veſtes, vt ſolueret. *Et percuſſit ibi triginta viros.* Potuerat Samſon occidere triginta viros & plures, tamen ſolùm 30. occidit, quia nõ occidit eos ex deſiderio occidendi, nec quia offenderant eum: ſed quia volebat rapere veſtes eorum, & quia ſolis triginta veſtibus egebat, occidit ſolùm triginta viros. *Quorum ablatas veſtes dedit eis, qui problema ſoluerant.* Id eſt abſtulit veſtes omnium triginta occiſorum, & veniens in Thamnata dedit illas triginta iuuenibus, qui ſoluerant problema ſuum. Ex hoc patet, quòd omnes viri in terra Philiſthinorum induebantur tunicis, & ſindonibus: alioquin cùm obligaretur Samſon dare triginta tunicas, & totidem ſindones, ſi quilibet vir non indueretur tunica, & ſindone, non occurreret, quòd in triginta viris, quos occidit reperiret triginta tunicas, & totidem ſindones.

C

An Samſon peccauit occidendo iſtos triginta viros Philiſthinos, vt acciperet veſtes eorum.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, an Samſon peccauerit occidendo iſtos viros Philiſthinos?

Aliquis dicet, quod non, quia iſti erant Chananæi, & Iſraëlitæ poterant pugnare contra Chananæos, imò debebant occidere eos gladio neminem viuere permittendo: Deuteronomij vigeſimo cap. In contrarium videtur, quod peccauerit, quia viri iſti non offendebant Samſonem, & ipſe ſine cauſa inuadens occidit illos. Item inter Iſraëlitas, & Philiſthinos erat nunc pax: quod patet, quia ingrediebantur ſecurè Iſraëlitæ in terram Philiſthinorum, & è contrario. Contra fœdera tamen bellum committere peccatum erat.

Reſpondendum, quòd Samſon non peccauit occidendo iſtos viros, quod patet, quia Deus mouebat eum ad hoc: nam Deus inquirebat occaſionem contra Philiſthinos per Samſonem, & ad hoc fecit quòd acciperet vxorem de Philiſthinis, vt patet ſuprà: ergo faciendo mala, ad quæ Deus incitabat eũ non peccabat. Item quando Samſon non habuit vnde ſolueret iuuenibus, qui ſoluerant problema, irruit in eum ſpiritus Domini, & deſcendit in Aſchalonem ad occidendum iſtos viros, ergo Deus incitauit eum ad hoc. Quod patet, quia iſte erat ſpiritus roboris, & animoſitatis, & non erat prius in Samſone nunc autem ſubitò venit, ſed iſtud robur non erat niſi ad faciendum aliqua opera fortia: ergo dando illi pro tunc illam fortitudinem incitabat eum ad faciendum aliquam occiſionem, vel bellum, quia Deus non ſolùm conferebat tunc robur, ſed etiam animoſitatem, vt ſuprà declaratum eſt. Item Samſon ſciebat ſe poſitum iudicem Iſraël à Deo ad nocendũ Philiſthinis, ideo non reputabat peccatum eſſe nocere illis, imò reputabat eſſe peccatum, ſi non noceret, cùm Deus infundendo ei ſpiritum ſuum incitaret eum ad hoc. Item Samſon videbat, quòd Deus mouebat eum contra Philiſthinos, ſicut Moyſes ſtans inter Ægyptios mouebatur à Deo ad vindicandum iniuriam Iſraëlitarum: vnde ipſe occidit Ægyptium facientem iniuriam Iudæo, & abſcondit eum ſub tabulo, Exod. 2. capit. & quamquam regulariter non liceret ei hoc, quia erat opus iudicis, & ipſe nõ erat conſtitutus iudex, tamen ſciebat ſe à Deo conſtitutum iudicem, & liberatorem Iſraëlitarum, & putabat quòd Iudæi ſic exiſtimabant de illo. Sic patet Actuum 7. cùm dicitur de occiſione ipſius Ægyptij facta à Moyſe, & ſubditur: Exiſtimabant autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis, at illi non intellexerunt. Ita erat de Samſone, quia ipſe ſciebat ſe poſitum in liberatorem, quia ſic Angelus prædixerat, & poſtea Deus incitabat eum ſpecialiter, quando immittebat ei ſpiritum fortitudinis, ideo non dubitabat ſe benè agere.

D

E

Ad rõnem 1. in diuerſum

Ad rationem primam in contrarium dicendum, quòd licèt iſti viri non offenderent Samſonem, tamen ipſe potuit eos licitè occidere, quia ſicut iudex poteſt occidere reos mortis, licèt eum non offenderint vnquam: ita & Samſon erat iudex conſtitutus à Deo ad puniendum Philiſthinos: & nunc Deus mouit eum ad occidendum iſtos viros, ideo non peccabat.

Ad rõnem 2.

Ad ſecundam rationem dicendum, quòd erat pax inter Iſraël & Philiſthinos pro tunc: ideo nõ licebat alicui de Iſraëlitis pugnare contra Philiſthinos non facta admonitione aliqua, vel non apparente aliqua cauſa: Samſon autem pugnauit nunc non tanquam vnus de Iſraëlitis, ſed tanquam iudex conſtitutus à Deo, & incitatus ab illo ad occidendum illos triginta viros.

An licuerit Samſoni tollere ſpolia illorum occiſorum.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, an licuerit Samſoni tollere ſpolia illorum occiſorum. Aliquis dicet quòd non, quia quamquam iudex occidat aliquos reos, nõ licet ei tollere bona illorum, ſed permanent hæredibus eorum: imò ſi iudex aliquem reum occidat, vt poſſit rapere bona illius, peccat.

F

Reſpondendum, quòd licuit Samſoni occidere, & rapere veſtes Philiſthinorum, quia Samſon, licèt eſſet à Deo datus iudex Iſraëlitis, & ex auctoritate ei à Deo data, licebat occidere Philiſthinos, non procedebat contra Philiſthinos, tanquam contra ſubditos, ſed tanquam contra hoſtes: in bello autem iuſto, quandocunque licet occidere, licet etiam prædari: ideo poterat Samſon iſtorum bona rapere, quos iuſtè occidebat. Item quod ex Dei motu fit iuſtum eſt, ſed ſicut Samſon motus fuit à Deo ad occidendum Philiſthinos, motus fuit etiam ad prædandum bona eorum, quia ad vtrumq; fuit idem motus, ergo licuit rapere, ſicut occidere. Ad rationem in contrarium reſponſum eſt, quòd Samſon magis procedebat contra Philiſthinos, vt contra hoſtes, quàm vt contra ſubditos: ſed à Deo auctoritatem habebat procedendi contra illos.

An fuerit conueniens occaſio hoc ad procedendum contra Philiſthinos, vt occiderentur iſti triginta viri.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, an fuerit cõueniens occaſio hoc ad procedendũ contra Philiſthinos, vt occiderẽtur iſti 30. viri.

Reſpon-

A Respondendum, quòd potest hic considerari occasio, aut quantum ad Deum, aut quantum ad Samsonem, aut quantum ad Philisthinos. Primo modo accipiendo, dicendum quòd non erat occasio aliqua, quia Deus ex iusta causa mouetur semper, & non habet aliquam occasionem tanquam motiuam: & hic ipse voluit occidere triginta viros Aschalonitas, quia erat aliqua causa iusta, quare occiderentur. Si autē considerentur respectu Samsonis, dicendum quòd ipse iustè occidit, vt suprà declaratum est: & tamen non motus fuisset ad occidendum illos, nisi habuisset occasionem, scil. quia daturus erat 30. tunicas, & totidem sindones, & non habebat vnde solueret: voluitque occidere 30. viros, vt inde consequeretur illas. Quantum ad Philisthinos autem non potuit hic haberi occasio, id est color aliquis ad occidendum eos, qa ex hoc quòd Samson obligabatur ad 30. sindones, & tunicas, non habebat causam rationalem occidendi aliquos de Philisthinis: & si notum fuisset Philisthinis, quòd Samson egisset hoc, potuissent iustè contra eum pugnare: sed occultum fuit opus Aschalonitis, quia fecit illud Samson, vt latro insidians in via: solùm ergo fuit ista occasio sic, quia Deus volebat nūc occidere 30. viros de Aschalonitis, & illos per Samson volebat occidere, & quia Samson non moueretur ad istud, nisi Deo expresè mandante. Vel magis, vt consequeretur aliquā vtilitatem inde, posuit talem casum, scilicet inducēdo, quòd in solutione problematis ipse succumberet, vt cogeretur de-
B scendere in Aschalonem ad rapiendum, & tunc Deus obtulit ei illos 30. viros, quos volebat perire, & occidit illos, rapuitque tunicas eorum.

An Samsonis fortitudo fuerit naturalis, vel supernaturaliter data.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlteriùs, de robore Samsonis, an esset naturaliter, vel supernaturaliter in illo?

Respondendum, quòd erat supernaturaliter: nam quandocunque Samson deberet agere aliquid magnæ fortitudinis, dicitur quòd spiritus Domini irruebat in ipsum: ergo ex Deo erat. Sed adhuc dicendum, quòd robur esse supernaturaliter potest multipliciter intelligi. Primo modo, quòd Deus fecisset, quòd Samson in tali specie, & de materia taliter dispositā conciperetur, quod haberet vires magnas nimis: nam quæ sic conferuntur, quanquam videantur naturaliter euenire, tamen à Deo specialiter dantur, vt declaratum est præceden. cap. Secundo modo poterat esse robur supernaturaliter, id est quòd non prouenisset ei ex natiuitatis conditione, sed Deus ei nato postea dedisset, sicut sapientiam infundit alicui quam nunquam separat, sicut fuit in Salomone, qui à
C principio non erat valdè sapiens, sed Deus contulit ei sapiētiam, quæ semper mansit in illo vsque ad mortem, licèt malus effectus fuerit. Sic autem poterat esse in Samsone, scilicet quòd conferretur ei fortitudo, quæ nunquam postea separetur ab illo. Tertio modo esse poterat robur supernaturaliter, scil. quòd daretur ei à Deo ad aliquem actum, & cessante illo actu cessaret, & iterum quando esset necessarium robur ad alium actum conferretur à Deo, & sic est de spiritu Prophetico, qui à Deo confertur: nam ille subitò illustrat Prophetam: & tunc desinit esse in illo, & iterum redit in illum ad alium actum: & contingit multotiens, quòd Propheta non habens spiritum propheticum si conetur intelligere aliquid altissimum non poterit, nec sciet plus quàm cæteri homines.

De primo modo dicendum, quòd non competebat Samsoni: nam non fuit ei robur collatum ex tempore natiuitatis: quia tunc non oportebat quod vocaret spiritum Domini ad operandum aliquid. & tamen orauit, vt Deus daret ei fortitudinem ad concutiendum columnas domus, infrà 16. cap. non fuerat sibi ex natiuitate. Item quando Samson agebat aliqua opera fortia, dicebatur quòd irruebat spiritus Domini super eum, vt patet quando occidit leonem, & quando occidit triginta viros Aschalonitas: ergo non erat robur ex conditione complexionis. Manent autem alij duo modi, & de istis est dubium quis eorum fuerit. Aliquis dicet, quòd fuit tertius, scilicet quòd Samson nunquam haberet robur manens, sed vt communiter ipse esset infirmus, sicut cæteri homines. Sed quando aliquid magnum acturus erat, veniebat D spiritus Domini super ipsum, & tunc habebat robur, & animositatem. Hoc patet, quia quandocunque Samson ageret aliquid magnum, dicitur q; spiritus Domini irruebat super eū: sic enim fuit in occisione leonis: sic etiam fuit in occisione 30. virorum Aschalonitarum, suprà in litera: sic etiam fuit in occisione mille Philisthinorum, quando solus pugnauit contra eos, sequenti cap. sic etiam quando concussit columnas domus, infrà 16. cap. Sic etiam est de Prophetis, quia spiritus prophetiæ non est manens, & tunc quando prophetāt, dicitur quòd fit super eos manus Domini, vel spiritus Domini. Sic patet de Balaam, Num. 24. Sic etiam de Elisæo 4. Reg. 3 & alijs Prophetis.

Quo modū roboris habuerit Sāson.

Dicendum tamen est, quòd Samson habuit modum secundum fortitudinis, scilicet quòd Deus dedit ei fortitudinem postquam natus est ex munere præter complexionem, sicut dedit Salomoni sapientiam quam continuè habebat, & ideo quandocunque vellet exercere aliquod opus fortitudinis exercebat, non expectans tempus determinatum, vel quòd Deus infunderet ei spiritum roboris: erat autem istud robur, quia Deus voluerat ei dare specialiter, dum maneret in obseruatione Nazaræorum: & quia semper hanc regulam seruauit vsquequò Dalila præcidit capillos eius, semper fuit in eo robur. Hoc patet, quia quando Dalila quærebat vbi erat robur Samsonis, ipse respondit varia vsque ad vltimum, E cùm dixit, quòd erat Nazaræus ab vtero matris, & quòd si abscinderentur capilli eius, esset infirmus sicut cæteri homines, infrà 16. & ibi dicitur quòd enarrauit tunc veritatem illi mulieri: ergo virtus erat semper manens in eo, quamdiu manebant capilli, & non veniebat ei vicissim, sicut venit spiritus prophetiæ super Prophetas. Item si Samson non haberet robur continuè manens: per hoc quòd capilli abscinderentur, non tolleretur robur, cùm illud non inesset sibi, & tamen robur ablatum est: ergo immanebat ei semper: patet antecedens, quia si robur non semper maneret, sed veniret quā do irruebat super eum spiritus Domini, quando capilli radebantur, non tolleretur spiritus Domini, quia ita posset postea irruere, sicut prius irruebat, & tamen abscissis capillis iam nihil potuit Samson, infrà 16. Item tonsis capillis Samsonis, eod. cap. dicitur, quòd Samson nesciebat quòd Deus recessisset ab eo, & putauit quòd posset se excutere de manibus Philisthinorum, sicut priùs: ergo videtur quòd prius erat semper Deus cum illo, quantum ad robur, & tonsis capillis nō mansit. Item eod. c. vult, quòd robur Samsonis consequeretur capillos, qa dicit quòd detonsis capillis cessauit robur: & postea cùm vult signare, quomodo per antiquū robur potuit Samson concutere columnas, dicitur quòd iam capilli eius renasci cœperant: & tamē si nihil capilli agerent ad robur, superfluè poneretur. Ideo dicendū, quòd robur cepit esse in Samsone ex aliquanta ætate sua: & postquam nunquam desijt esse in illo dum manserunt capilli: & illis ablatis, cessauit F robur: redeuntibus autem eis redijt denuò robur, & concussit prostrauitq; domum.

Discrimē inter robur Sāsonis, et Salomonis sapientiam

Dicendum tamen, quòd erat magna differentia inter robur Samsonis, & sapientiam Salomonis, quia licèt vtrunque esset infusum, & vtrunque semper manens, tamen sapientia Salomonis manebat tanquam naturaliter inexistens: nam sicut sapientia acquisita est habitus quidam infixus intellectui difficulter mobilis à subiecto, ita sapientia infusa Salomoni erat habitus radicatus, & infixus, & immanebat naturaliter, imò erat magis radicatus habitus, quàm per acquisitionem: quia habitus acquisiti possunt deleri, & traditur scientia obliuioni, & tamen sapientia Salomonis non poterat obliuione deleri: robur autem Samsonis non erat aliquid manens quasi naturaliter in eo, quia nos sentimus robur nostrum, quod est quædam conditio membrorum nostrorum: & cùm quis est robustus, vel debilis, sentit illud: robur tamen datum Samsoni non insistebat in membris, ita quòd esset virtus membrorum effecta, quia tunc Samson sentiret quādo esset robustus, vel quando debilis, & tamen quando detonsi fuerant capilli Samsonis, putabat ipse, quòd posset effugere, sicut alijs vicibus, & non potuit, infrà 16. ergo nō erat robur tanquam conditio membrorum.

Opinio quorundam.

Determinat. quæst.

Dicendum igitur, quòd robur Samsonis in membris erat cùm membra sua mouerentur ad fortes operationes: alio-

quin

A quin non possent manus suæ esse organa tam fortium operationum, scilicet quia frangerentur, sicut ligna tenera, licèt moueantur à forti agente, non poterunt esse organa fortis percussionis: non erat tamen ista fortitudo Samsonis tanquã conditio ipsorum membrorum, scilicet infixa eis, & quæ verè vocaretur accidens eorum, ideo habebat minorem adhæsionem, & infixionem in Samsone, quàm sapientia Salomonis in intellectu eius.

Cùm autẽ arguitur, quòd qñ Samson operabatur aliquid forte, irruebat super eum spiritus Domini. Dicendum, quòd potest hoc dupliciter intelligi. Vno modo, quòd Deus tunc non infundebat ei robur tanquam prius non haberet illud, sed augebat, vt posset habere actus fortissimos. Aliter potest dici, quòd tunc non infundebat ei Deus robur, sed sòlùm animositatem, quia prius habebat robur, & non habebat desiderium ad aliquid agendum. Deus autem infundebat ei animositatem magnam ad aggrediendum aliqua fortius, quæ aliter nõ aggressurus esset. Et iste modus est verior: & ita fuit de occisiõe leonis, & triginta virorum: & postea de pugna contra multos Philisthinos, quando rupit vincula.

Sed adhuc obijcietur, quòd infrã 16. cap. dixit Samson, quòd Deus daret ei pristinam fortitudinem suam, vt haberet victoriam de hostibus.

Dicendum quòd tunc perditum erat robur, scilicet quia quando capilli præcisi fuerant cessauerat robur, & crescentibus capillis Samsonis denuo venerat robur, & tamen nesciebat illud Samson: ideo petiuit à Deo, quòd redderet ei pristinam fortitudinem, & sensit illam in se facto in se spiritu Domini, & concussit columnas domus. *Iratusq; nimis ascendit in domum patris sui.* Scilicet Samson iratus valdè fuit contra vxorem suam, quia discooperuerat secretum de expositione problematis iuuenibus, & ipse succubuerat: in quo erat duplex malum. Primum, quia ex illo coactus est triginta tunicas, & totidem sindones iuuenibus præstare. Secundum erat, quia istud erat signum, quòd vxor Samsonis magis diligeret alium quàm ipsum: cùm potius elegisset, quòd succumberet vir suus quàm iuuenes compatriotæ sui: & istud erat signum quòd non esset fidelis viro, sed adulteraretur. *Vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius.* Scilicet, vnum de illis triginta iuuenibus qui fuerant sodales tempore conuiuij Samsonis, & obtinuerant in problemate. *Et de pronubis.* Illi iuuenes vocantur pronubi, id est socij nubentis, vel custodientes nubentem, quos nos vulgariter patrinos nuptiarum appellamus. Sic custodes puellæ antequam tradantur viro, vocantur paranymphi. para, quod est iuxta, & nympha, quod est puella, quasi iuxta puellam, scilicet quia sunt iuxta eam custodiendo eam.

Quare vxor Samsonis acceperit in virum alium viuente Samsone. Et an potuit eam repudiare propter hoc.

C

Qvæstio XX.

Qværetvr, quare vxor Samsonis accepit in virum alium viuente Samsone.

Respondendum, quòd causa videtur duplex: Primò, quia puella non multum diligebat Samsonem: nam dum adhuc ipse maneret cũ ea in diebus nuptiarũ, ipsa diligebat potiùs iuuenes socios Samsonis quàm ipsum: nã voluit, quòd obtinerent illi contra Samsonem in solutione problematis, & soluit eis illud, vt patet suprà, & hoc cõuincitur ex posterioribus. Nam recedente Samsone accepit in maritum vnum de iuuenibus illis, qui erant tunc cum Samsone. Et videtur, quòd amore illius ipsa laborauisset cum Samsone ad inquisitionem solutionis problematis. Ipsa ergo gauisa est, quòd recederet Samson, vt acciperet alium in virum. Secunda causa fuit, quia quando Samson dedit vestes his, qui soluerãt problema, iratus fuit contra vxorem, quia ipsa exposuisset: & ob hoc recessit de ciuitate Thamnata; & sic putauit pater illius, & ipsa puella, quòd Samson nollet ad eam redire, ideo tradita est alteri in vxorem. Et istam causam expressit pater puellæ dicens: putaui quòd odisses illam, ideo tradidi eam amico tuo, sequenti capitulo.

An Samson poterat repudiare istam puellam, quæ tantùm offenderat eum

Qvæstio XXI.

Qværetvr vlteriùs, an Samson poterat repudiare istam puellam, quæ tantùm offenderat eum? Aliquis dicet quòd sic, quia concessus erat libellus repudij Iudæis, quãdo displicerent eis vxores, ne alias occiderent, Deut. 24. & Matth. 19. sed ista displicebat nimis Samsoni, quia offenderat valdè eum adiuuando alios extraneos cõtra ipsum, ideo licebat ei repudiare illum.

Respondendum, quòd ex illa lege non licebat Samsoni repudiare eam, quia illa lex data fuerat Iudæis, & tenebat inter illos, qui erant subiecti illi, & non in præiudicium illorũ, qui non erant subiecti illi legi: & tamen vxor Samsonis erat Philisthina, & non ligabat eam illa lex, ideo virtute illius non poterat eam repudiare, nisi fortè à principio cõuentum fuisset, quòd posset eam repudiare. alioquin conueniretur Samson coram iudicibus Philisthinorum, & cogeretur manere cum illa. Dicendum tamen, quòd potuit eam repudiare, quia tam lege Hebræorum quàm lege Philisthinorum matrimonium recipiebat repudium: de lege Hebræorum patet ex dictis. De lege autem Philisthinorum patet ex verbis patris vxoris Samsonis: nam dixit ad Samsonem: Putaui quòd odisses eam: ideo tradidi illam amico tuo. in quo innuit, quòd ex odio dimittere poterat illam, alioquin (licèt odisset eam) nõ diceret, quòd dederat eam alteri viro. Item intelligebat pater illius puellæ, quòd Samson poterat nunc accipere in vxorem sororem illius puellæ: si tamen nõ procederet repudium non posset accipere sororem, ergo poterat repudiare illam lege Philisthinorum.

Quare Samson non repudiauit puellam hanc.

Qvæstio XXII.

Qværetvr vlteriùs, quare Samson non repudiauit puellam istam, quia prius acceperat eam, quia placuerat oculis eius, vt patet suprà in litera: nunc autem nimis displicuerat ei, quia diligebat potiùs iuuenes quàm ipsum, & expo fuerat eis problema, intantum quòd Samson iratus reliquit illam, debuisset ergo illam repudiare.

Respondendum, quòd Deus fecerat quòd Samson acciperet mulierem de Philisthinis, quia quærebat occasiones ad hoc quòd Samson pugnaret contra eos, vt patet suprà: si autẽ dimitteret illam per repudium, nõ haberet occasionem propter eam inferendi malum Philisthinis: Deus autem volebat, quòd nascerentur hinc multæ occasiones contra Philisthinos: nam primò propter eam, quæ exposuit problema coactus est Samson descendere in Aschalonem ad occidendum 30. viros, & rapiendum vestes, & rursus, quia offenderat eum, habuit eam exosam, & recessit ab ea: pater autem eius hoc videns tradidit eam alteri viro, ex quo iratus Samson combussit segetes, & vineas, & oliueta Philisthinorum: & iterum fecit plagam magnam in eis, vt patet cap. seq. Si autem Samson repudiasset vxorem, non habuisset occasionem faciendi aliquid istorum: ideo Deus inclinauit eum ad non repudiandũ illam, licèt iratus fuerit illi, inclinauit tamen eum ad recedendum ab ea, vt interim pater puellæ tradere posset eam alteri viro, & sic haberetur occasio ad pugnandum contra Philisthinos, & nocendum illis.

Caput XV.

Post aliquantulum autem temporis cùm dies triticeæ messis instarent, venit Samson inuisere volens suam, & attulit ei hœdum de capris. Cumq; cubiculum eius soluto vellet intrare, prohibuit illum pater illius dicens: Putauiquòd odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ iunior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea vxor. Cui Samson respon-

Pallas Gigasà Turno interficitur.

A

respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: Faciam enim vobis mala. Perrexitq;, & cepit trecentas vulpes, caudasq; earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne succendens dimisit, vt hùc illucq; discurrerent: quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum: quibus succensis, & comportatæ iam fruges, & stantes adhuc in stipula, concrematæ sunt, intantùm vt vineas quoque, & oliueta flamma consumeret. Dixeruntque Philisthijm: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderunque Philisthijm: & combusserunt tam mulierem, quàm patrem eius. Quibus ait Samson: Licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tunc quiescam. Percussitq; eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitauit in spelunca petræ Etham.

Post aliquantulum. Suprà posita est occasio prima Samsonis pugnandi contra Philisthinos, hic ponitur occasio secunda: & diuiditur in duas, quia primò ponitur occasio, secundò Philisthinorum inuasio, ibi. *Perrexitq; & cepit.*

B

An sit ordinis mutatio, & an hæc immediatè fuerint facta.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea quæ habentur hic, fuerint facta post præcedentia continuato ordine, & an fuerint facta immediatè, vel interiecto aliquanto tempore?

Ad primum dicendum, quòd est ordo rectus, quia suprà fit mentio quomodo vxor ablata est Samsoni. Hic autem ponuntur mala secuta Philisthinis propter ablationem vxoris.

Ad secundum dicendum, quòd fuit modicum tempus inter præcedentia, & ista, quæ habentur hic, scil. iratus Samson recessit de Thamnata relicta vxore, & iuit in domum patris sui, mansitque ibi aliquot diebus, & post aliquantum tẽporis venit rursus ad vxorem, & facta sunt quæ habẽtur hic: & litera continuat se hic cùm dicit: post aliquantulum temporis, id est quòd modicum tempus intercidit. *Post aliquantulum temporis.* Scilicet computando à tempore, quo recesserat Samson Thamnata relinquens vxorem. Causa autem quare Samson stetit aliquanto tempore non rediens ad vxorem suam, fuit duplex. Vna fuit ex parte eius, & alia ex parte Dei. Prima fuit, quia quando Samson recessit ab vxore, erat nimis iratus, & non habebat animum redeundi ad illam: nunc autem aliquanto tempore intercidente ira deferbuit, & cœpit Samson diligere vxorem suam sicut prius. Etiam quia cùm iuuenis esset, libido eum vexabat, & habens memoriam consuetudinis præteritæ cum vxore, voluit redire ad eam. Secunda causa fuit ex parte Dei. Scilicet, Deus noluit quòd Samson rediret citò postquam recessit, quia Deus intendebat quòd vxor Samsonis traderetur alteri viro: & ob hoc Samson iratus percuteret Philisthinos: & quia si rediret immediatè, vel pauco tempore postquam recessit, nondum esset vxor eius tradita alteri viro, nec traderetur: & ob hoc non esset occasio Samsoni pugnandi contra Philisthinos, ideo inclinauit Samsonem ad non rediendum, nisi post aliquantum tempus. *Cùm dies triticeæ messis instarent.* Scilicet istud tempus erat quando Samson redijt ad vxorem suam. Est autem in terra Chanaan tempus messis triticeę in Maio; quia est terra calida magis quàm ista, cùm sit partim in tertio, & partim in quarto climate, & nominatur hic tempus messis triticeæ propter ea, quæ infrà habentur, scilicet quòd Samson ligauit vulpes ad comburendum segetes, & combusserunt illas. *Venit Samson inuisere volens vxorem suam.* Nam reliquerat eam ex aliquot diebus iratus: nunc autem redijt ad eam volens visitare illam, & cohabitare illi. *Et attulit ei hœdum de capris.* Istum attulit de domo patris sui Manue, quia hactenus manserat in domo patris sui, cùm iratus recesserat ab vxore sua, & ferebat hunc hœdum ad lætificandum eam.

Samsõ quare stetit aliquãto tempore nõ rediẽs ad vxorẽ suam.

C

Quomodo Samson recedens ab vxore nimis iratus, nunc non solùm redibat ad eam, sed etiam redibat ferens hœdum.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, cùm Samson tantùm offensus fuisset ab vxore sua, ita vt recederet ab ea nimis iratus, quomodo nunc non solùm redibat ad eam, sed etiam redibat ferens hœdum?

Respondendùm, quòd istud erat ex duabus causis. Prima erat ex parte Samsonis: nam ipse à principio dilexerat valdè istam Philisthinam, quia placuit oculis eius, & ob hoc eam in vxorem acceperat, vt patet præcedenti capitulo, fuerat autem subito valdè iratus Samson contra ipsam, quia offenderat eum nimis. Nunc autem efferuescente ira redijt pristinus amor. Item Samson eius fruebatur prius amplexibus, quia iuuenilis eum flamma vrebat: ad tempus autem ira prẽualuit amori, & recessit ab ea: nunc autem crescente pristina flamma Samsonis, cœpit tenerè diligere vxorem suam, cupiens denuò eius frui amplexibus: & ob hoc ad eam redijt, vt patet infrà cùm dicitur: cumque cubiculum eius solito intrare vellet, & cætera. ideo Samson amans non solùm iniuriæ satisfactionem ab vxore nolebat, sed potius è contrario timebat eam sibi iratam inuenire: ideo ad eam lætificandum, & inuitandum ad pristinum amorem, & iuuenilia gaudia hœdum de capris ei in munus attulit. Secunda causa fuit ex parte Dei, scilicet volebat Deus, quòd appareret manifestè Philisthinos offendisse Samsonem: & istud erat quia vxorem eius tradiderant alteri viro, & quòd respondere volebat pater puellæ quia fecerat hoc quia Samson oderat eam, & iam nolebat eã in vxorem; inclinauit Samsonem ad ducendum hœdum de capris vxori suæ, vt per hoc pateret quòd non solùm non oderat eam, sed etiam diligebat nimis, cùm offerret ei munera. *Cumq; cubiculum eius solito vellet intrare.* Scilicet quando venit ad vidẽdum vxorem voluit eam cognoscere affectu maritali sicut prius. Et dicitur: Solito, quia eo tempore quo mãsit in Thamnata, scilicet celebrando nuptias solitus erat cognoscere illam. *Prohibuit eum pater illius.* Dicens, ne accederet ad eam, quia iam non erat vxor eius, sed alterius viri. *Dicens: putaui quòd odisses eam, ideo tradidi eam amico tuo.* Cùm Samson vellet intrare ad puellã vt ad vxorem suam: pater vidit quòd errauerat tradens eam alteri viro, ideo cœpit se excusare, dicens: *Putaui quòd odisses eam.* Id est, quòd iam nolles habere in vxorem: istud motiuum fuerat principale patris: nam Samson nimis iratus recesserat de domo soceri, vt patet præced. c. & ira fuit contra mulierem, quia reuelauerat expositionem problematis iuuenibus, ideo putauit pater eius quod nunquam reuersurus esset ad cã. Et dicitur: *Tradidi eam amico tuo.* quasi dicat, quòd in hoc fecerat ei gratiam, quia cùm vxor ei adempta foret, melius erat quòd daretur alicui amico suo quàm alteri.

D

E

F

An vxor Samsonis peccauit accipiendo alterum virum viuente Samsone.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, an vxor Samsonis peccauerit accipiendo alterum virum viuẽte Samsone? Aliquis dicet quòd non, quia secundùm leges suas poterat repudiare illum, & accipere alterum.

Respondendum, quòd peccabat, quia vxor soluitur à lege viri per mortem viri, vel eam repudiaret tunc quando durabat tempus repudij. Samson tamen viuebat, & non repudiauerat vxorem, ideo ipsa manebat ligata lege eius. Nec poterat ipsa repudiare eum, quia licèt lex Hebræorum, & leges positiuæ aliarum gentium permitterent repudium, nunquam dabatur ista potestas nisi viris: fœmina autem in nulla vnquam politia habuit potestatem repudiãdi virum, quia causa repudij cessat ex parte fœminæ. Et sic fuit facta magna offensa Samsoni, quia vxor sua alteri copulata est, non solùm adulterando, sed etiam accipiendo alium in virum, quasi ei liceret. Vnde Samson conquestus fuit valdè de hoc,

A vt patet infra. *Sed habet ſororem, quæ illa pulchrior, & iunior eſt.* Videns pater vxoris Samſonis, quod offendiſſet nimis Samſonem, voluit eum placare, & quia Samſon dilexerat puellam illam, quia pulchra erat, putauit quod pulchritudine alterius pulchrioris placaret eum, & dixit: habet ſororem, quæ eſt iunior, & pulchrior: quaſi dicat: non triſteris, quod iſta ablata ſit, quia dabo tibi ſororem eius, quæ eſt pulchrior, & iunior, & magis gaudebis cum illa. *Sit tibi pro illa vxor.* Id eſt, accipe eam in vxorem, ſicut habebas aliam, & non triſteris.

An liceret Samſoni accipere in vxorem iſtam ſororem vxoris ſuæ.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, an liceret Samſoni accipere in vxorem iſtam ſororem vxoris ſuę. Aliquis dicet, quod non propter duo. Primo, quia durabat matrimonium cum prima, & manente illa non poterat accipere aliam vxorem. Secundum erat, quia dato, quod ceſſaret primum matrimonium, non poſſet cum ſorore illius cõtrahere, quia iſte gradus erat prohibitus. Dicendum, quod iſta ratio non ſtat ex omni parte: nam primum nõ tenet: quia licet matrimonium adhuc primum teneret, quia mulier non potuit illud diſſoluere recedendo à Samſone, tamen Samſon poterat repudiare vxorem, & iam non ſtaret matrimonium, & poſſet accipere aliam vxorem. Secunda etiam ratio non ſtat, quia licet dicatur gradus ille prohibitus ſecundum quaſdam gentes, tamen ſecundum alias non erat prohibitus. Vnde dicendum, quod Samſon ſecundum legem Philiſthinorum poterat accipere in vxorem ſororem vxoris ſuæ. Sic patet ex verbis patris, ſcilicet, habet ſororem, quæ iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor: ſi tamen inter Philiſthinos eſſet omnino vetita iſta copula, non diceret pater puellæ: ſit tibi pro ea vxor. Dicendum tamen, quod ſecundum legem Hebræorum nõ poterat Samſon illam accipere, & ipſe tenebatur ſeruare legem Hebræorum, & non Philiſthinorum, quia agendo contra illam, peccaret. In Hebræo habetur: Habet ſororem, quæ iunior, & melior illa eſt. Vbi nos dicimus pulchrior: nam bonus in Hebræo accipitur pro pulchro, ſic & interdum accipit litera noſtra. *Cui reſpondit Samſon: ab hac aie non erit culpa in me contra Philiſthæos.* Non conſenſit Samſon huic pacto, quia erat prouocatus nimis ad iram, ſed ſuccẽſus fuit ad vltionem huius offenſæ; & dixit, quod non eſſet ei culpa contra Philiſthęos, id eſt, ſi ageret contra illos, quia offenderant eum grauiter, ita vt mererentur magnas pœnas. *Faciam enim vobis mala.* Id eſt, omnibus Philiſthæis faciam malum propter hoc, ſcilicet, quia in terra eorum facta eſt mihi iſta offenſa. *Perrexitque.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, ipſa inuaſio Philiſthinorum. Et diuiditur in duo: primo ponitur inuaſio bonorum: ſecundo inuaſio perſonarum ibi. *Quibus ait Samſon.* Circa primum dicitur. *Perrexitque, & cœpit trecentas vulpes.*

Quomodo Samſon capere poterat trecentas vulpes viuentes.

QVÆSTIO V.

ALIQVIS dicet, quomodo Samſon poterat capere tot vulpes. Aliquis reſpondebit, quod Samſon, ſicut erat fortiſſimus, ita erat velociſſimus, & poterat velocitate feras conſequi, & capere, & ſic poſſet capere multas quotque reperiret in terra: ſimilis enim velocitas fuit in Aſahele fratre Ioab, & Abiſai, 2. Regum 2. de quo dicitur, quod erat Aſahel curſor velociſſimus, quaſi vnus ex capreis, quæ morantur in montibus. Sic credendum eſt de Samſone, quia cum Deus daret ei hanc dotem roboris ad affligendum Philiſthinos, daret etiam quidquid aliud neceſſarium erat ad perſequendum: ſed velocitas erat ita neceſſaria, ſicut robur: ideo Deus daret ei robur cum velocitate, & poſſet ſic perſequi vulpes, & maxime hoc eſt veriſimile: quia cum Samſon aliquid magnum acturus erat irruebat in eum ſpiritus Domini, vt patet præcedenti cap. & hic, & in ſequenti: & tunc adiuuabat eum ſpecialiter, & quia congregare vulpes erat aliquid ad pęnam Philiſthinorum ordinatum, Deus daret ei ſpecialem velocitatem ad conſequendum eas. Aliter dici poteſt, & melius, quod Samſon cepit iſtas vulpes in retibus, vel per alia artificia, & non fuerit ipſe ſolus, ſed alij adiuuerint eum: licet ipſe fuerit ingeniator, & potuit faciliter capere tot, quia in terra illa ſunt multæ vulpes, in tantum, quod demoliuntur vineas florentes, & alia terræ naſcentia, vt oporteat illas artificioſe capi, ne tantum lædant, ſicut patet Cantic. 2. ſcilicet: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit: & ſic poterat Samſon in breui capere tot vulpes, ita vt non aduerterent ad hoc Philiſthini.

In terra Chanaan ſunt multæ vulpes

Ad quid voluit Samſon tot vulpes.

QVÆSTIO VI.

SED quæretur, ad quid voluit Samſon tot vulpes. Dicendum, quod ipſe volebat comburere, ſi potuiſſet, terram totam Philiſthinorum, & comburere debebat apponendo ignem vulpibus, ideo quanto pluribus apponeret, illæ diffugerent in plures partes, & cremaretur maior pars terræ Philiſthinorum. *Caudaſque earum vinxit ad caudas.* Non eſt intelligendum, quod ligauerit vnam caudam cum alia torquendo ipſas caudas, & faciendo, quod ipſæ eſſent ligamina non apponendo alia ligamina, quia hoc impoſſibile erat, quod trecentæ vulpes poſſent inter ſe ſolis caudis ſuis ligari, quia vix duæ vulpes ligari poſſent: ſed intelligitur, quod ponebantur aliqua ligamenta magna de funibus, quæ ſumerent principium ex cauda, & mediantibus illis ligarentur omnes caudæ illarum.

Ad quid Samſon ligabat vulpes ſimul ad cremandum totam terram.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, cum Samſon vellet miſſis vulpibus cremare terram Philiſthinorum, ad quid ligabat eas ſimul, quia ſufficiebat, quod quælibet vulpis ligata face ad caudam ſi mitteretur diſcurreret per ſegetes, & vineas, & cremaret, ſicut ſi omnes ſimul ligarentur, & poſtea mitterentur.

Reſpondendum, quod intentio Samſonis fuit, vt cremaretur terra Philiſthinorum ad omnem partem, & ſi mitterẽrur quælibet vulpis per ſe non fieret ſic, quia contingeret omnes vulpes, aut plures earum concurrere in eandem partem: & ſic non plus proficerent multæ vulpes, quam paucæ, & cremaretur pauca terra: nunc autem ligando omnes ſimul neceſſe erat, quod diſcurrerent ad partes contrarias, & non relinquerent aliqua loca intacta, ad quæ non pergerent: & ſic omnia cremarentur. Pro quo ſciendum, quod modus erat, quod captis omnibus vulpibus ponerentur funes magnæ, quibus ligarentur, ita vt omnes ſimul tenerentur ligatæ vno ligamine. Et præter hoc eſſet cuilibet vulpi aliquis funis ſingulariter ligatus, in quo penderet aliqua facula, vel torris artificioſe, & diligenter incenſus, vt non poſſet faciliter extingui: vtpote appoſita pice, & ſtuppa, vel aliis fomentis ignium, & talis fax erat ita ligata ad caudam vulpis, quod non poſſet cremare vulpem, ſed videret eam, & tunc appoſuit Samſon ignem in medio trecentorum vulpium, & cremata ſunt vincula magna, quibus omnes inuicem tenebantur ligatæ, & ipſę videntes ignem cęperunt timentes fugere ab eo, & cum vna vulpes videret aliam ardentem fugiebat ab ea, & alia ab alia: in tantum, quod neceſſe erat eas in partes contrarias fugere. Et hoc modo totam terram in circuitu perambularent: inſuper vulpes videntes ignem poſt caudam ſuam timebant illum, & fugiebant velut poſſent recedere ab eo, & quia ſemper illum ſecum portabant ſemper timebant, & ſemper fugiebant putantes, quod ignis moueretur ad eas, & ſic neceſſe erat, qaod diſcurrerent per multa loca, & omnia ſuccenderent. Amplius autem, quia vulpes putabant ignem non eſſe ſibi alligatum, ſed quod veniret, & per ſe moueretur poſt eas, deſiderabant fugere ad loca occulta, in quibus ignis non poſſet conſequi illas, ideo introibant in ſegetes, & inter oliueta, & vineas putantes ibi poſſe latere, & quod ignis non conſequeretur illas: & ſic ſuccendebant ſegetes, vineas, & oliueta: & cum in aliquam ſegetem intrabant, videntes il-

A tes illam succendi fugiebant magis, quam prius timentes ignem: & hoc modo necesse erat discurrere per omnes segetes, & arbusta quousque omnia cremarent, vel deficerent faces succensæ ligatæ ad caudas vulpium.

Quare non apposuerit Samson ignem per se.

Qvæstio VIII.

Qværetvr vlterius, quare non appositit Samson ignem per se, quia etiam non succensis caudis vulpium poterat cremari terra appositio igne per eum, & per alios consocios suos.

Respondendum, quod Samson non potuit conuenienter cremare segetes, & arbusta per se, sicut per vulpes, quia vt descriptum est, vulpes discurrerent per omnem partem terræ, & non relinquerent aliquid incombustum in terra illa. Samson autem non poterat ponere ignem, nisi in paucis locis: & si forte vellet ponere in multis, poterat ipse periclitari, quia cum in diuersis locis poneret inuadente flamma omnia, quæ in circuitu erant, poterat ipse capi melius, & exuri, ideo facilius, & melius potens facere per vulpes fecit per illas.

Quare magis accepit Samson vulpes ad cremandum terram, quam alia animalia.

B

Qvæstio IX.

Qværetvr, quare magis accepit Samson vulpes ad cremandum terram, quam alia animalia. Respondet Dauid Kimhi, & alij Hebræi, quod fecit hoc ad similitudinem Philisthinorum: nam merebantur puniri per vulpes, cum ipsi essent vulpes, scilicet, quia sicut vulpes sunt animalia dolosa retrocedentia, ita Philisthini erant dolosi, & retrocedentes à pacto iuramenti: nam socer Samsonis, non obstantibus fœderibus matrimonialibus, dedit filiam suam alteri in vxorem, & sic retrocessit. Sed dicendum, quod istud est ridiculum, quia Samson non intendebat hic designare malitiam Philisthinorum, sed punire illos: si ergo aliud animal esset conuenientius ad puniendum illos, quam vulpis, licet non designaret malitiam illorum potius acciperet illud Samson, quam vulpes. Ideo dicendum, quod accepit Samson vulpes propter duo. Primo, quia erant animalia multum conuenientia ad hoc faciendum, vt declaratum est, & vt patuit iure. Secundo, quia ista animalia erant communiora in terra illa, quam alia, scilicet, quia faciliter capi poterant multæ de illis, & non possent capi sic alia animalia: quod patet, quia accepit trecentas vulpes. *Et faces ligauit in medio.* Non intelligatur, quod erant caudæ inter se ligatæ, & faces essent in medio, sed erant ligamina longa de funibus in medio, & in

C quibusdam ligaminibus specialibus ipsarum erant faces, id est, faculæ ardentes, scilicet, aliqua ligna succensa, quæ pice, stuppis, & aliis fomentis ignium essent illita, vel aspersa, ita vt non posset ignis faciliter extingui. *Quas igne succendens.* Scilicet, succendit faces, & combussit ligamina media, vt possent ab inuicem diffugere. *Dimisit vt huc, illucque discurrerent.* Scilicet, dimisit eas, vt mouerentur arbitrio suo, & mouebantur in partes contrarias fugiente vna ab alia: nam quælibet timebat ignem, quem ferebat, & quem alia habebat. *Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum.* Causa erat, quia videntes ignem post se venire, non putabant sibi alligatum, sed putabant, quod ipse moueretur per se contra illas ad cremandum eas: & ob hoc fugiebant semper ab illo, & ibant ad loca occulta putantes, quod possent ibi euadere ab igne latendo, & quia segetes erant altæ iuerunt ad latendum ibi, & sic succendebant illas. *Quibus succensis.* Scilicet, postquam succensæ fuerunt segetes, ad quas iuerunt vulpes. *Et comportatæ iam fruges, & adhuc stantes in stipula concrematæ sunt.* Id est, succensa sunt segetes Philisthinorum euntibus illuc vulpibus, & tunc non solum segetes, quæ erant in agris nondum collectæ, sed etiam fruges, quæ erant collectæ in areis crematæ sunt, eo quod vulpes discurrerunt tam per agros messium, quam per areas, in quibus erant fruges collectæ. Vocantur enim fruges comportatæ illæ, quæ de agris iam portatæ erant ad areas ad triturandum: segetes stantes in stipula vocantur illæ, quæ adhuc stant in agris vbi natæ sunt, & non sunt falce demessæ. *In tantum vt vineas quoque, & olieta flamma consumeret.* Id est, non solum flamma consumpsit segetes, sed etiam vineas, & oliueta: hoc dicitur, quia segetes facilius cremari poterant, quia erant stipulæ siccatæ, & tamen vineæ, & oliueta virebant, & poterant magis resistere igni, nec tantum nocuit ignis illis, sicut messibus, & aliis rebus aridis. In Hebræo habetur ista sententia breuius, scilicet. *Succendit ab aceruo vsque ad messem vineam, & olieta.* Scilicet, succendit aceruum, scilicet, fruges comportatas messe, id est, segetes stantes in stipula: vineam, & oliueta, id est, etiam peruenit ignis ad cremandum vineas, & oliueta.

D

An peccauit Samson comburendo terram Philisthinorum, & an ablatio vxoris esset causa, quare posset hoc iuste facere.

Qvæstio X.

Qværetvr, an peccauerit Samson faciendo istud. Respondendum, quod non peccauit, quia Deus mouebat eum ad faciendum hæc, quia ipse inquirebat occasiones contra Philisthinos, vt patet præcedenti capitul. & Deus specialiter cor eius mouebat ad faciendum talia, vel talia mala, & in tali, vel tali loco, licet forte ista non tam distincte cognosceret Samson sibi à Deo iussa. Etiam Samson ad hoc natus fuerat, vt malum faceret Philisthinis, & sic liberaret Israelitas de manu eorum supra 13. cap. ideo malum faciendo non peccabat. Sciendum autem, quod Deus volebat percutere istos Philisthinos, quorum nunc Samson succendit segetes, & vineas, & voluit percutere per manum Samsonis, ideo dirigebat eum, vt solum noceret illis, quos ipse volebat percutere, & etiam ipse Deus direxit vulpes, vt transirent ad succendendum prædia illorum, & fructus, quibus Deus nocere volebat: & sic Samson in vniuersali sciebat, quod Deus moneret eum ad nocendum Philisthinis, & sciebat, quod bonum esset noceret illis: & tamen quod noceret istis, vel illis nesciebat, nisi in quantum se moueri contra ipsos, & non contra illos videbat. Ad hoc autem Deus præstabat ei causam particulariter, vt vellet expetere vindictam ab istis, & non ab illis: & sic nunc verisimile est, quod succenderit terram Thamnata, & aliam terram vicinam, quia Thamnathæi offenderant ipsum, scilicet, quia vxor eius ablata fuerat ibi ei, & Deus mouit istam occasionem particulariter in istis, quia volebat percutere nunc istos per manum Samsonis.

E

An ablatio vxoris erat causa propter quam terra Philisthinorum posset exuri.

Qvæstio XI.

F

Vlterivs quæretur, an ista erat causa, propter quam terra Philisthinorum posset exuri, vel habebant iustam causam Philisthini occidendo Samsonem. Aliqui dicunt, quod habuit Samson iustam causam in tantum, quod Philisthini nihil rationabiliter ei obiicere poterant, quia hoc fecisset. Sed non stat, & hoc propter duo, vel tria. Primum erat, quia Samson fuerat offensus ab vnico viro, & combussit prædia, & fructus multorum virorum, & magnam partem terræ Philisthinorum. Secundum erat, quia etiam contra illum virum Thamnatheum socerum suum non poterat procedere ad pœnam infligendam propria auctoritate, sed iudice diffiniente ille puniendus erat, & si iudex fauens illi non condemnaret eum, licebat tunc Samsoni, vel saltem non erat tam illicitum, quod ipse puniret socerum suum: & tamen ipse non accusauit eum, sed propria auctoritate egit, ideo iniuste agebat. Sed adhuc dicet aliquis, quod Samson potuit percutere terram Philisthinorum, quia in ea fuit ei facta magna iniuria, scilicet, quod ablata fuerit vxor, & scientes Philisthini noluerunt ei satisfacere, ideo potuit contra vtrosque pugnare. Respondendum, quod non stat, quia ad hoc, quod iudices Philisthinorum essent in culpa, oportebat quod Sãson peteret sibi satisfieri de iniuria, & illi nollent: tunc enim, quia non haberet Samson aliquem iudicem superiorem, ad quem recurreret, poterat propria auctoritate repetere dam-

Fruges comportatæ

A na inferendo iustum bellum, & tamen antequam peteret satisfactionem sibi fieri, non licuit hoc facere: sic patet de toto Israel pugnante contra viros Gabaa: nam quia ibi magnum scelus patratum fuerat, petiit totus Israel viros scelestos ad pœnam, vt illi soli punirentur, & quia noluerunt viri Gabaa, sed exposuerũt se ad defendendum illos, totus Israel pugnauit ex auctoritate Dei contra Gabaa, vt patet infra 19. cap. & vsq; ad finem libri: Samson autem non petiit hic vltionem, sed per se illam exercuit. Ideo dicendum, quod Philisthini gerebant propter hoc iustum bellum contra Samsonem ad occidẽdum eum, & Samson etiam iuste ista mala intulit Philisthinis. Sed tunc dicetur: quomodo stat, quod Samson gereret iustum bellum agerent cõtra Philisthinos, & Philisthini etiam iustum bellum agerent contra Samsonem: & hoc super eadem re, quia videtur includere contradictionem. Respondendum, quod vtrumq; erat iustum bellum, sed non secundum idem: nam Samson faciebat bellum iustum contra Philisthinos non ex aliqua causa exteriori, aut propter aliquam offensam ei factam, sed solum ex Dei reuelatione, & inclinatione, scilicet, quia inclinabat eum ad pugnandum contra Philisthinos: Philisthini autem iustum bellum fouebant contra Samsonem ex ratione, & lege humana, scilicet, quia ipsi nihil nocuerant Samsoni, & ipse inferebat eis bellum, & non requisierat eos super iniuria, & volebat eos punire tanquam negligentes, ideo omnes homines debebant Samsonem iudicare, vt impium in hac causa, & condemnare eum. Simile accidit interdum in iurisdictione Ecclesiastica, quod quis excommunicatur iniuste, & tamen Ecclesia eum iuste excommunicat, & licet sit iuste excommunicatus, si consenserit excommunicationi, scilicet, faciendo quod iubet iudex, peccauit mortaliter, scilicet, si quis contraxit matrimonium cum consanguinea in gradu prohibito, & non potest probare consanguinitatem, & tamen certissime constat illi, vel forte pars aduersa probat per falsos testes non esse consanguinitatem: non debet reddere debitum, nec exigere tanquam non stante matrimonio, & Ecclesia eum excommunicabit, vt reddat, & tunc debet sustinere sententiam excommunicationis, & non reddet debitum, & si reddit peccat mortaliter: sic patet extra de restit. spol. cap. literas, & de sent. excom. cap. inter alia: excommunicatio tamen ista iuste ab Ecclesia infligitur: vnde habet hic iste iustam causam non obediendi: & iudex habet iustam causam ipsum excommunicandi.

Samson gerebat iustum bellum in foro Poli. Philisthini etiã gerebant iustum bellum in foro fori seu contẽtioso.

B

Quomodo ablatio vxoris facta Samsoni hic fuerit occasio pugnandi, &c.

QVÆSTIO XII.

C QVÆRETVR, quomodo ablatio vxoris facta Samsoni fuerit hic occasi pugnandi, & an fuerit occasio pro Samsone, vel pro Philisthinis.

Respondendum, quod ista non fuit occasio Deo ad puniendum Philisthinos, quia Deus ex causa iusta mouebat Samsonem ad puniendum Philisthinos, & apud eum nunquam est occasio, sed veritas causæ. Dicendum autem, quod fuit occasio pro Samsone, & etiam contra Philisthinos. De primo patet, quia Deus volebat punire Philisthinos per Sãsonem, & non omnes, sed quosdam, scil. viros vrbis Thamnatha, & alios cõuicinos, & quia Samson non moueretur diligenter ad exequendum illud, nisi aliqua vtilitas ibi verteretur ei, vel aliquo modo causa efficeretur sua, ideo Deus inquisiuit occasionem ad incitãdum Samsonem, & fecit, quod socer auferret ei vxorem, & Samson iratus prosequeretur iniuriam istam cõtra Philisthinos, & diligenter puniret eos. Ex hoc autem patet, quod viri imperfecti, qui desiderio boni principaliter trahi debent ad bonum agendum, debent trahi desiderio alicuius interesse: vnde quando videmus aliquos bonum agentes, licet non bona intentione agant, sed propter quæstum, vel laudem, aut aliam causam propriam, non debemus increpare tanquam male agentes, nec impedire ab actu suo: sic enim dixit Apostolus, siue per occasionem, siue per veritatem Christus prædicetur, non refert, *Dixerunt-que Philisthini, quis fecit hanc rem?* Isti Philisthini erant de aliis vrbibus, quam de vrbe Thamnatha: quod patet, quia respõsum est eis: Samson gener Thamnathæi fecit hoc: ergo tam interrogantes, quam respondentes non erant Thamnathæi, quia alias non diceretur gener Thamnathæi. Item, quia dicitur, quod ascenderunt Philisthini, & combusserunt puellam, & patrem eius: si tamen essent isti de vrbe Thamnatha, in qua erat vxor Samsonis, non diceretur, quod ascenderũt: erant ergo isti de aliis vrbibus, & venerunt ad vrbem Thamnatha ad comburendum patrem puellæ, & ipsam. Ex hoc patet, quod Samson non solum combussit agros, & messes, vineas, & oliueta vrbis Thamnatha, sed etiam aliorum locorum vicinorum, quia vulpes ferentes faces ardentes mouebantur illuc, & cremabant omnia: etiam cum semel cepit per omnia loca flãma dispergi cremans omnia cõiũcta, quousque nihil inueniret quod combureret. *Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi.* Vocabatur Samson gener Thãnathæi, quia socer suus erat de vrbe Thamnatha. *Qui dedit vxorẽ eius, & alteri tradidit.* Expresserunt etiam quare hoc fecisset, quia ablata erat ei vxor, & ob hoc faciebat. *Ascenderunt q; Philisthini.* Erant isti Philisthini de aliis ciuitatibus terræ illius, & videntes, quod malum istud euenisset eis, per virum illum Thamnathæum, voluerunt petere vltionem in eo. *Combusserunt tam mulierem, quam patrem eius.* Vterq; videbatur in culpa, scilicet, pater, quia dedit illam alteri viro viuente priore, & ipsa, quia consensit alteri tradi: nam potius debuisset mortem pati, quam se permittere adulterandam: sed istud secundum matrimonium non erat matrimonium, sed adulterium. In Hebræo habetur. *Combusserunt mulierem, & domum patris eius.* Et hoc signat aliquid grauius, scilicet, quod non solum combusserunt eam, & patrem suum: sed etiam totam domum eius, id est, familiam, scilicet, filios, & filias, & quidquid ad illum pertinebat. Litera autem nostra noluit accipere tam duram sententiam, sed solum, quod puella, & pater suus cõbusti fuissent, eo quod ambo solũ peccauerãt: & litera Hebraica interdum permutat sententias accipiendo vnum pro altero.

D

E

An peccauerint Philisthini cremando hanc puellam, & eius patrem.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, an peccauerint Philisthini cremando istam puellam, & patrem. Respondendum, quod Philisthini faciebant hoc animo vindictæ, quia magnum malum venerat super eos propter Thamnathæum, & filiam suam. Moueri autem ad infligendum pœnam aliquam, etiam quæ alias iusta est, peccatum est, si ex solo desiderio vindictæ fiat, quia fit bonum, sed non bene. Si autem consideretur ipse actus, scilicet, an esset iustus: respondendum, quod aut fuit combusta puella cum tota domo patris sui, sicut videtur innuere litera Hebraica; aut fuit solum pater puellæ combustus cum ipsa puella. Si autem fuerit pater cõbustus, & puella iuxta literam nostram, non peccabant Philisthini, quia dato quod nunquam aliquod malum intulisset Samson Philisthinis propter vxorem ablatam: merebatur mortem pater puellæ, qui eam tradiderat alteri viro viuente priore: etiam puella, quæ consensit se copulari alteri meruit mortem. Si autem combusserunt puellam, & patrem & totam domum patris dicendum, quod peccauerunt, quia isti duo erant rei in hoc crimine. Sed aliquis dicet, quod non peccauerunt, quia pro peccato patris merebatur cremari tota familia: nam sæpe sic factum est, & iuste, vt patet in Achor, qui furatus est de Anathemate Iericho, & peccante ipso solo combusta est familia eius, vel lapidata, Iosue 7. sic etiam peccauit, Saul occidendo Gabaonitas, & multo tempore post filij sui occisi sunt pro hoc peccato, vt patet 2. Reg. 21. cap. & tamen non peccauerunt illi, qui occisi sunt, quia nondum erant nati, quando factum est peccatum, vel erant valde parui, vt ibidem declarabitur. Respondendum, quod non est idem iudicium de occisis mandato Dei, & de occisis mandato humano propter crimina: nam homines nunquam debent punire aliquos capitaliter quantumcunq; sit peccatum, nisi ipsi peccauerint: etiam si magnam colligationem habuerunt isti inter se, sicut pater cum filiis. Sic patet Deut. 24. ca. scilicet. Non occidentur filij pro patribus, nec patres pro filiis. In iudicio autem Dei secus est, quia ipse occidit filios pro peccatis patrum.

F

A Ratio diuersitatis est, quia homines solum debent iudicare, quantum ad ea, quæ apparent: Deus autem iudicat secũdum occulta, vt patet 1. Reg. 16. cap. ideo interdum Deus iudicat quosdam morte dignos pro quibusdam causis, pro quibus non est licitum apud homines iudicare illos dignos morte: vtrumq; autem iudicium, quod in cõtrarium allegatur, scil. Ios. 7. & 2. Reg. 21. fuit iudicium Dei. In iudicio autem humano secus fieri debebat; ideo non licebat Philisthinis punire totam familiam soceri Samsonis pro peccato eius, & filiæ suæ solius. *Quibus ait Samson.* Hic ponitur inuasio in personis, postquam posita est supra inuasio in bonis, & diuiditur in duo, secundum quod facta est duplex inuasio. Secunda ibi. *Igitur ascendentes.* Circa primum dicitur. *Quibus ait Samson.* Scilicet, postquam Philisthini combusserunt vxorem Samsonis, & patrem eius, in quo videbantur expetiuisse vltionem loco Samsonis, dixit eis Samson ista, quæ sequuntur. *Licet hæc feceritis, adhuc ex vobis expetam vltionem.* Id est, licet occideritis socerum meum, & vxorem vindicando iniuriam meam, non cessabo à malo, quod cœpi agere contra vos: sed adhuc expetam vltionem à vobis, sed vltionem completam: quia vsque nũc solum habui vltionem semiplenam. *Percussitq; eos ingenti plaga.* Scilicet, occidit multos de Philisthinis. *Vt stupentes suram femori imponerent.* Id est, in tantum fuit plaga ista magna, quod Philisthini erant attoniti cogitantes, quomodo possent vltionem accipere de Samsone. Vocatur enim sura pars

B posterior cruris. Femur vocatur pars anterior, & sic in eodem crure sunt sura, & femur: sed solum differunt positione, & tunc ponitur sura super femur, quando homo sedet, & ponit vnum crus super aliud, quia tunc pars posterior vnius cruris est super partem anteriorem alterius, & istud ponitur ad significandum, quod erant meditabundi, quia homines attente cogitantes aliquid, & attoniti ponunt cruris suram super femur. Et hoc significatur cum dicitur: ita vt stupentes suram femori imponerent, id est, præ stupore, & cogitatione hoc faciebant. In Hebræo est ista sententia breuior, scilicet. *Percussit eos crus super femur plaga magna.* Litera autem nostra supplet literam istam, vt patet supra. Hebræi tamen dicunt, quod Samson percussit plaga magna exercitum Philisthinorum tam equites, quam pedites: nam equites nituntur femoribus super equos: pedites autem innituntur pedibus, vel tibiis: Samson autem percussit equites Philisthinorum, qui vocantur femur, & pedites eorum, qui vocantur crus, vel tibia. Istum sensum tenet litera Chaldaica, & fere omnes Hebræi: conuenientius tamen ad literam Hebraicam dixit litera nostra: nam si in Hebræo diceretur: percussit eos crus, & femur: staret aliqualiter expositio Hebræorum, sed dicitur: Crus super femur: ideo litera nostra dixit: ita vt obstupentes suram femori imponerent, id est, suram super femur. *Et descendens habitauit in spelunca petræ Etam.* Scilicet, postquam percussit Philisthæos plaga magna, sciebat quod Philisthini congregarentur ad pugnandum contra eum, vel contra Israelitas propter eum, & fugit in spelunca petræ Etam, est enim quædam petra nomine Etam, vel in solitudine Etam, in qua erat spelunca magna. Illuc autem descendit Samson non quidem, vt ibi liberaretur, quia non poterat ibidem liberari magno tempore, eo quod saltem fame conficeretur, sed iuit illuc, vt nesciretur, vbi erat. Si autem velis dicere contrarium non multum insisto.

C

An peccauit Samson pugnando contra Philisthinos post crematam terram eorum, & vxorem.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, an licuerit Samsoni nunc pugnare contra Philisthinos. Aliquis dicet, quod non, quia Philisthini non faciebant nunc aliquam iniuriam, imo potius ipsi vlti sunt iniuriam eius plene occidentes vxorem suam adulteratam, & patrem eius. Respondet Nicolaus, quod non peccauit, quia Philisthini non occiderant patrem, & puellam vxorem Samsonis amore iustitiæ, sed solum, vt vindicarent ipsi iniuriam suam in eis. Secundo, quia Samson erat consecratus ad percutiendum Philisthinos, ideo non debebat cessare propter hoc. Dicendum, quod ratio prima Nicolai non stat, quia siue Philisthini occiderent patrem vxoris Samsonis, & ipsam vxorem ad vindicandum se, siue ad vindicandum Samsonem, non differebat quantum ad ius Samsonis de expetendo vltionem: nam ius vltionis solum erat ei contra illos, qui intulerant iniuriam, & isti erant puella, & pater eius, & hos occiderunt Philisthini, ideo non manebat Samsoni ius iniuriæ expetendæ contra alios. Item quando dicitur, quod consecratus erat ad hoc, ideo non debebat cessare ab istis, non consonat multum verbis Samsonis, quia ipse dixerat supra, quod expeteret vltionem de Philisthinis: nunc autem dicebat, quod adhuc expeteret vltionem, quamquam occidissent socerum suum, & vxorem tunc quiesceret, & sic Samson dicebat se agere pro iniuria. Esse autem consecratum ad aliquid dicit officium: ergo non consonat intentioni Samsonis. Respondendum, quod Samson non poterat iuste nocere nunc Philisthinis pro iniuria suscepta de ablata vxore, quia non erant isti, qui intulerant, contra quos ipse pugnauit. Item, quia iam fuerant occisi illi, qui intulerant iniuriam Samsoni. Item, quia si volebat pugnare pro offensa oportebat, quod primo peteret pacifice restitutionem damnorum, vel satisfactionem offensæ. Et si non fieret tunc pugnaret, & tamen non petiit: imo cum Philisthini vindicassent iniuriam eius addidit, quod adhuc expeteret vltionem de eis, & tunc quiesceret: ergo non iuste pugnabat tanquam repetens satisfactionem iniuriæ. Dicendum tamen, quod Samson non peccauit puniendo nunc Philisthinos, eo

E quod Deus incitabat eum contra eos, & ad hoc dederat ei robur, vt pugnaret contra eos, & etiam immittebat ei specialiter audaciam interdum, qua incitabat eum contra illos, quando dicitur, quod irruebat spiritus Domini in Samsonem, ideo potius peccaret si immissa ei audacia, & desiderio pugnandi subito à Deo contra Philisthinos non pugnaret contra illos. Cum autem obiicitur, quod non poterat iuste repetere satisfactionem iniuriæ; concedendum, quod non poterat iuste repetere satisfactionem iniuriæ sibi factæ, & non satisfactum esse reclamans, solum agebat in quantum Deus immutabat eum, & inclinabat: vnde si Deus non inclinaret eum non potuisset nunc aliquo modo agere contra Philisthinos pro vxore sibi ablata propter rationes in contrarium allegatas. Sed obiicietur, quia supra dicebatur, quod Samson dixit, quod expeteret nũc vltionem, & postea quiesceret, id est, cessaret. Respondendum, quod Deus mouebat Samsonem, & ipse non cognoscebat determinate ad quid Deus eum moueret, & ob hoc Deus inquirebat occasiones, vt moueret Samsonem contra Philisthinos, quia alias non diligenter moueretur, sicut declaratum fuit supra, sicut nũc Deus volebat, quod omnes isti quos nunc occidit Samson morerentur, & quia si Samson non haberet causam suam ad

F persequendum illos, non moueretur bono desiderio, Deus dedit illi zelum magnum ad se vindicandum pro omnia non inflicta, faciens credere, quod non fuit perfecta vltio facta, & tunc quamquam Deus moueret Samsonem ad occidendum istos, quia merebantur, ipse occidebat illos tanquam in vindictam propriæ iniuriæ, & faciebat Deus tamdiu durare desiderium vindictæ in Samsone, quousq; occiderentur illi omnes, quos ipse volebat occidi, & tunc Samson putauit sibi satisfactum, & cessauit à bello. Sed adhuc obiicietur, quod Samson peccaret, quia ipse agebat ista animo vindictæ, & ideo non liceret ei pro satisfctione iniuriæ pugnare, quia iniuria nulla iam manebat, & pro Dei inclinatione ipse non pugnabat, ex qua liceret pugnare: ergo peccaret: sic enim erat de Sennacherib, & Nabuchodonosor, & aliis pugnantibus contra Iudæos. Nam Deus mouebat eos, cum diceretur vocare eos de vltimis terræ, Isai. 5. & 7. & 10. & tamen isti peccabant, quia non agebant tanquam à Deo vocati, vel vt positi iudices, sed solum desiderio dominandi, & ex superbia, vt patet Isai. 10. & Abac. 1. cap. Respondendum, quod non peccabat Samson, quia mouebatur à Deo contra Philisthinos, & tamen intentionem Dei distincte interdum ignorabat Samson, & ista erat, vt percuterentur Philisthini, qui erant peccatores: ipse quoque Deus infigebat menti Samsonis aliam intentionem, scilicet, desiderium habendi vindictam, & sic vtraq; erat à Deo: ista tamen infigebatur à Deo animo Samsonis, eo quod ista moueret eum conuenientius, quam alia, quia tangebat magis propriam causam, & sic non agebat Samson ex desiderio suo, sed ex desiderio à Deo dato,

quod

A quod cõcernebat cauſam Samſonis. De Sennacherib autem, & Nabuchodonoſor, & aliis punitionibus Hebræorum non eſt ſimile, quia iſti mouebantur à Deo, vt venirent contra Iſraelitas, tamen deſideriũ, quod eos immediate mouebat non erat à Deo eis immiſſum, ſed à ſeipſis, ſcil. ad dominandum, & conterendum: imo ipſi mouebantur contra Deũ, ideo iſti peccabant tanquã minus moti à Deo, quã à ſeipſis: Samſon autem quantum ad vtrumq; deſideriũ à Deo erat motus. Secundo eſt diſſimilitudo, quia Nabuchodonoſor, & alij tantũ mouebãtur proprio deſiderio, quod repugnabãt Deo Iſrael: vnde ipſe Sennacherib miſit ad blaſphemandũ Deum Iſrael coram toto populo tempore Ezechiæ, dicens, quod non cõfiderent, q̃ Deus ſuus poſſet liberare eos de manu eius, quia ſicut cæteri dij gentium non potuerunt liberare ſuos cultores de manibus eius, & aliorum regum Aſſyriorum: ita nec Deus Iſrael poſſet liberare eos, vt patet 4. Reg. 19. c. ſic etiam patet Iſai. 10. cum dicit Dominus de Sennacherib: Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe: in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & de populo furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diuidat prædam. Et ſequitur: Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internetionem gentium non paucarum. De Samſone autem erat è contrario, quia ipſe putabat ſe moueri à Deo in omnibus his, quæ agebat, & laudabat Deum, quando feciſſet aliquid
B magnificum, ſic fuit quando occidit mille viros in maxilla aſini, infra in litera: nam tunc cantauit canticum Domino, & ibi exaudiuit eum inuocantem pro aqua. Tertio differebat Samſon ab his, quia iſti non fuerant à Deo dedicati ad delendum, vel opprimendum Iſraelitas, vel alia regna terræ: ſed deſiderio dominandi mouebant bellum omnibus gentibus, & tunc Deus ſubiiciebat eis gentes illas propter peccatum ipſorum: in Samſone autem ſecus erat, quia Deus ad hoc ſolum dederat ei robur, vt pugnaret cõtra Philiſthinos, ſicut reuelauerat angelus patri & matri eius, ſupra 13. & ſic ipſi dicerent poſtea Samſoni: vnde ipſe agens id, quod ad officium ſuum pertinebat nullo modo putabat ſe peccare.

Illata iniuria ablatæ vxoris Samſoni, an ei liceret nunc pugnare contra Philiſthinos.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius, dato quod licuiſſet Samſoni propria auctoritate ſumere vindictam de iniuria ablatę vxoris, an liceret nunc ei pugnare, & occidere multos Philiſthinorum, ſicut egit.

Reſpondendum, quod non liceret propter duo. Primo, quia petitio ſatisfactionis iniuriæ eſt ſolum contra illos, qui
C iniuriam intulerunt directe, vel indirecte, qui de iure puniri poſſunt pro crimine: iſti autem erant ſolum duo, ſcilicet, ſocer Samſonis, & filia eius: ideo dato, quod propria auctoritate liceret petere vltionem, tamen de his ſolis petere debebat, & quia iſti erant mortui, quando Samſon fecit iſtam occiſionem in Philiſthinos, non poterat Samſon agere tanquam pro iniuria. Secundo patet, quia dato quod licuiſſet Samſoni comburere ſegetes, & vineas à principio pro iniuria ſibi inflicta tranſmutando vltionem ad alium: tamen iam non licebat ei facere aliam vltionem, quia bellum eſt iuſtum pro repetitione damnorum, vel ſatisfactione iniuriarum, quando non ſe extendunt damna, quæ inferuntur in bello vltra quantitatem ſatisfactionis debitæ, & tamen damnum quod intulit Samſon cremando terram Philiſthinorum erat maius eis, quam iniuria illata: ergo non poterat plura inferre damna pro ſuſcepta iniuria, intulit autem iſta Samſon, & licite agebat, quia Deus mouebat ipſum ad faciendum hæc, vt declaratum eſt præcedenti quæſtione.

An tenebantur Philiſthini cremare ſocerum Samſonis, & vxorem eius in vindictam ipſius.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius, cum Philiſthini occiderint ſocerum Samſonis, & vxorem eius adulteratam, & per hoc vindicabant iniuriam Samſoni inflictam, an tenebantur ad hoc. Reſpondendum, quod ſi Samſon non vltus fuiſſet iniuriam ſuam propria auctoritate, tenebantur Philiſthini eo petente vindicare illam: nunc autem non tenebantur vlciſci iniuriam illius propter duo. Primum eſt, quia iam ipſe vltus fuerat propria auctoritate iniuriam ſuam. Secundum erat, quia vltus eſt in illos, qui nihil mali ei intulerunt: & ob hoc non ſolum non merebatur iuris beneficium, ſed etiam merebatur extremum ſupplicium pro tanto facinore. Dico tamen, quod tenebantur Philiſthini occidere ſocerum Samſonis, & filiam eius non in quantum per iſtud erat vltio Samſonis, ſed quia iſti egerant contra legem, ſcilicet, dando vxorem vnius viri alteri viro.

D

Igitur aſcendentes Philiſthijm in terram Iuda, caſtrametati ſunt in loco, qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt, maxilla, vbi eorum fuſus eſt exercitus. Dixerunt. que ad eos de tribu Iuda: Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Qui reſponderunt: Vt ligemus Samſon venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus eſt. Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam Dixeruntque ad Samſon: Neſcis quod Philiſthijm imperent nobis: Quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis. Ligare inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum. Quibus Samſon, iurate, ait, & ſpondete mihi, quod non occidatis me. Dixerunt: Non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligauerunteque eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. Qui cum veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthijm vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad ardorem ignis ligna conſumi, ita vincula quibus ligatus erat diſſipata ſunt, & ſoluta. Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat arripiens: interfecit in ea mille viros.

E

Beneuentũ in Sãcto conditur.

Igitur aſcendentes. Hic ponitur ſecunda inuaſio Samſonis in Philiſthinos, & diuiditur in tres partes: Primo, ponitur inuaſionis occaſio. Secundo, ipſa inuaſio ibi. *Qui cum veniſſet.* Tertio, gratiarum actio ibi. *Et ait in maxilla aſini.* Circa primum dicitur. *Igitur aſcendentes Philiſthini in terram Iuda.* Scilicet, poſtquam Samſon fecit tam magnam plagam ſuper Philiſthinos, receſſit in terram Iſrael: & tunc Philiſthini congregati venerunt in terram Iſrael in ſortem Iudæ ad capiendum Samſonem.

Quare Philiſthini non pugnabant contra Iſraelitas pro damnis, &c.

F

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, quare Philiſthini non pugnabant contra Iſraelitas pro damnis, & iniuriis, quas inferebat eis Samſon cum ipſe eſſet de terra Iſrael.

Reſpondendum, quod non habebant nunc aliquem colorem ad hoc: nam ſi Samſon ageret iſtud iubentibus Iſraelitis, aut conſulentibus, aut ratum habentibus, vel vllo modo fauentibus, poterant Philiſthini pugnare contra eos: tamen Iſraelitæ non iubebant, nec pugnabat Samſon pro aliqua cauſa Iſraelitarum, ſed pro cauſa ſua, ſcilicet, quia erat ſibi iniuria illata à Philiſthinis ſingulariter. Item quod maius erat, Samſon quando cœpit agere iſta bella habitator erat terræ Philiſthinorum: nam habebat vxorem in Thamnatha, ideo non attinebat ad Iſraelitas aliquid de hoc, nunc tamen Samſon fugerat, & latuerat in terra Iſraelitarum, & ſi nollent dare Iſraelitæ illum Philiſthinis, viderentur peccare contra eos tanquam receptatores hoſtium ſuorum, & tunc poſſent Philiſthini iuſte pugnare contra Iſraelitas: ob hoc autem cum Philiſthini venirent contra Iſraelitas pro Samſone tradiderunt eum in manus illorum.

A

Quare potius Philisthini venerint contra tribum Iudæ, quam contra aliam.

Qvæstio XVIII.

Qværetvr, quare potius venerunt Philisthini contra tribum Iudæ, quam contra aliam, nam Samson non erat de tribu Iudæ, sed de tribu Dan: nam pater suus Manue erat de tribu Dan, supra 13. Respondendum, quod potuit esse hoc propter duo. Primum erat, quia forte audierant Philisthini, quod esset Samson in sorte Iudæ, scilicet, quod specus petræ Etam esset in sorte Iudæ, & quia tribus illa, in qua Samson esset, debebat eum exhibere Philisthinis, iuerunt ad tribum Iuda. Secunda causa esse potest, scilicet, quia sors tribus Iudæ erat magis coniuncta terræ Philisthinorum, quam alia tribus, vt colligitur Iosue 15. vbi ponitur fere tota terra Philisthinorum in sorte Iudæ: vnde venientes ad introeundum in terram Israel Philisthini, necesse erat, quod introirent prius in sortem Iudæ. *Castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi.* Iste locus est in extremitate terrę Philisthinorum, & habitationis filiorum Iuda in confinibus, & noluerunt introire in terram Iuda, quia pax erat Philisthinis, & Israelitis, & si introirent in terram eorum cum exercitu grauabant eos, & pugnare poterant Israelitæ licite contra illos.

B Ex illo autem loco venerunt aliqui ad viros Iuda, & fuit collocutio inter eos. Dicitur, quod iste locus postea vocatus est Lechi, id est, Ramathlechi, vt patet infra, scilicet, eleuatio maxillæ, vt infra declarabitur. *Vbi eorum fusus est exercitus.* Scilicet, postea fusus est, id est, dispersus, vel percussus exercitus Philisthinorum in eodem loco à Samsone: nam Philisthini locuti sunt ibi cum viris Iuda, qui iuerunt ad capiendum Samsonem ad petram Etam: duxeruntque eum vinctum, & interim manebat exercitus Philisthinorum in eodem loco, & cum Samson ligatus ductus fuisset ad eos, pugnauit contra illos, & eorum exercitum dispersit. In Hebræo non habetur ista clausula, vbi eorum fusus est exercitus, sed appositum illud litera nostra ad declarandum. *Dixeruntque ad eos de tribu Iuda: cur ascenditis contra nos?* Quasi dicat: non habetis aliquam causam pugnandi contra nos: quomodo ergo facitis bellum? Dicebant hoc rationabiliter viri Iuda, quia erat pax inter Israelitas & Philisthinos, cum Philisthini dominarentur Israelitarum, & soluerent Israelitæ tributa, nunc autem non fecerant Israelitæ aliquem insultum contra Philisthinos: etiam non cessabant à solutione statutorum tributorum, ideo non habebant aliquam causam Philisthini ascendendi contra viros Iuda. *Qui responderunt, vt ligemus Samsonem veninus.* Id est, non venimus ad pugnandum contra vos, sed ad ligandum solum Samsonem, qui est hostis noster. *Et reddamus ei, quæ in nos operatus est.* Id est, occidamus eum, sicut ipse

C occidit multos de nobis.

An Philisthini iustum petebant, quod traderetur eis Samson, &c.

Qvæstio XIX.

Qværetvr, an Philisthini iustum petebant, quod traderetur eis Samson, & occiderent eum.

Respondendum, quod sic, quia Philisthini non offenderant Samsonem, & ipse offenderat eos valde, ideo poterant contra eum iustum bellum facere, vbicunque ille esset, & nisi eis traderetur, poterant etiam mouere bellum contra defensores, & receptatores eius: ideo dicendum, quod si Philisthini occidissent eum, non faciebant contra aliquam legem humanam, vel rationem, nec etiam peccabant mortaliter, ipse tamen Samson non peccauerat mortaliter, sed potius merebatur infligendo Philisthinis omnia mala, quæ intulerat, quia Deus mouebat eum. Quomodo stet, quod simul Samson faceret iustum bellum contra Philisthinos, & Philisthini iustum bellum contra Samsonem declaratum est supra in quadam quæstione. *Descenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad specum filicis Etam.* Sciuerunt ibi latere Samsonem, & iuerunt illuc.

D

Quare tot viri iuerunt ad quærendum Samsonem.

Qværetvr, quare tot viri iuerunt. Respondendum, quod putauerunt, quod Samson nollet se tradere eis, vt portaretur ad Philisthinos timens mortem, ideo pugnaret contra viros Iuda, ne ducerent eum, & quia si non possent ducere eum, vel euadens de manibus eorum fugeret, putarent Philisthini, quod Israelitę calumniarentur, & quod nollent eis dare Samsonem, & ob hoc pugnarent contra eos: quod timentes viri Iuda voluerunt multi descendere contra Samsonem, vt si forte nollet sponte venire coactus bello duceretur: iuerunt autem tria millia, quia sciebant Samsonem fortissimum, & quod posset occidere: ideo tot iuerunt quot ipse occidere non posset, nec auderet pugnare cum illis.

Si Samson nollet pacifice venire cum filiis Iuda, an possent licite pugnare contra eum, vt eum caperent, vt traderent Philisthinis, & an ei liceret se defendere ab eis.

Qvæstio XX.

Qværetvr, si nollet Samson venire pacifice cum filiis Iuda, an possent licite pugnare contra eum, vt caperent eum, & traderent Philisthinis. E

Respondendum, quod vt quidam putant poterant hoc facere viri Iuda: nam si hoc non facerent viderentur fauere Samsoni hosti Philisthinorum, & possent ipsi licite pugnare contra Israelitas, & quia non tenebantur Israelitæ exponere se morti propter Samsonem, poterant pugnare contra Samsonem ad tenendum eum, & tradendum in manus Philisthinorum. Sed dicendum, quod non, quia non licebat Israelitis tradere Samson ad mortem Philisthinis, quia sciebant ipsi, quod non erat reus mortis: nam omnia quæ fecerat contra Philisthinos fecerat auctoritate Dei incitantis eum: nam nouerant dixisse angelum, quod iste esset liberator Israel de manu Philisthinorum: tradere autem innocentem ad mortem, erat peccatum mortale, ideo potius debebant ipsi mortem potius sustinere, quam dare Philisthinis Samsonem ad occidendum: sed poterant Israelitæ pugnare contra Samsonem, vt exiret de terra Israel, & in hoc faciebant vtrumque, scilicet, quia non tradebant innocentem ad mortem, cum

F eiicerent ad aliud regnum, in quo eodem modo erat in pendenti vita sua, sicut apud Hebræos. Secundum erat, quod liberabant seipsos à periculis Philisthinorum: nam non pugnarent contra illos, si Samson fugeret de terra Israel: si tamen dicas, Samson poterat erui de manibus Philisthinorum, forte manendo in terra Israel, quia defenderent eum Israelitę si vellent pugnare contra Philisthinos, & si eiicerent eum de terra, putarent, quod vix posset euadere, an tenebantur eum defendere. Dicendum, quod non, quia tenetur aliquis non peccare mortaliter, sed occidendo per se aliquem, vel tradendo occisori, peccat mortaliter, & potius debet ipse mori, quam ista agere, tamen non tenetur eum emere opponendo se morti: imo dato, quod sciat certissime, quod occidetur si eiicit eum de regno, vel domo potest eum eiicere, ne ipsemet occidatur, & sic licet putarent certissime Israelitæ, quod recedente Samsone de terra Israel caperent eum Philisthini, & occiderent: non tenebantur ipsi exponere se morti pugnando contra Philisthinos, vt eum defenderent: si autem Samson nollet exire de terra Israel, nec se tradere manibus Israelitarum, vt illum statuerent coram Philisthinis, poterant licite pugnare contra ipsum ad occidendum eum, & occiderent, quia si nollet exire de terra irrogabat iniuriam & damna Israelitis, scilicet, quia constituebat eos hostes Philisthinorum, & licet non mereretur alias mortem, pro hoc mereretur, quod iniuste eos efficiebat hostes Philisthinorum ad hoc, quod paterentur ab eis damna.

(·.·)

An Samſon licitè pugnare poſſet contra viros Iuda, &c.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR, an Samſon licitè pugnare poſſet contra viros Iuda, qui iuerunt ad ligandum ipſum, vt non ligarent eum. Reſpondendum, quòd Samſon non meruerat mortem ſibi infligi à Philiſthinis, quia quidquid contra illos egerat Deo mouente egerat, ideo quicunque vellet eum tradere manibus Philiſthinorum ad occidendũ erat hoſtis ſuus, & ſic ſi viri Iuda vellent eum ligatum omnino tradere Philiſthinis, ita quòd ipſi poſſent eum occidere, poterat pugnare contra eos, & tamen ipſi ſic confeſſi ſunt dicentes : ligare te venimus : Samſon ergo poterat pugnare, & occidere quotcunque illorum, nec obſtabat, quòd eſſent Iſraëlitæ, quia cũ ipſi iniuſtè eum capere, & tradere hoſtibus vellent, ipſi efficiebantur hoſtes eius : ſi tamen Iſraelitæ offerrent Samſoni optionem, dicentes : aut exite terra noſtra, aut permitte te ligari, & duci ad Philiſthinos, tenebatur Samſon efficere vnũ illorum. Si autem neutrum illorum vellet, Iſraelitæ poterant iuſtè pugnare contra eum, & ipſe non poterat pugnare contra illos occidendo, vel vulnerando quemquam de illis. Sed obiicietur, quod non poterat compelli Samſon ad exiendum de terra, quia illa erat terra ſuæ originis, ideo non poterat cogi exire de illa. Reſpondendum, quòd poterat, & hoc propter duo. Primum erat, quia in iudicio humano magis attenditur vtilitas, vel bonum publicum, quam priuatũ : manente tamen Samſone in terra Iſrael totus ſtatus Iſraelitarum erat in periculo, quia pugnaturi erant contra eos Philiſthini, quos valde timebant Iſraelitæ, ideo pro ſalute publica poterant licite excludere de terra Samſonem. Secundum erat, quia Samſon non debebat priuari beneficio terræ ſuæ, de qua erat oriundus ſine culpa ſua, & tamen ipſe ſecundum humanum iudicium peccauerat inferendo bella iniuſta, & grauiſſima damna Philiſthinis, ideo ſicut cùm quis peccauit in quibuſdam criminibus poteſt infligi ei exilium, ita & nũc quia bella iniuſta intulerat Philiſthinis, eis accuſantibus Samſonem iuſtè poterat exulare : tenebatur ergo alterum iſtorũ Samſon ſuſcipere, & ſic fecit.

Quare Samſon non pugnauit contra viros Iuda, qui ſe contulerant ad ligandum.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlterius, cùm liceret Samſoni pugnare contra viros Iuda ſi vellẽt eum vinctum in manus Philiſthinorum tradere ad occidendum, & ſic ipſi volebant dicentes : ligare te venimus Samſon, & non obtulerunt ei optionem, quòd ligari ſe permitteret, vel exiret de terra, ſed indiſtinctè eum ligare dixerunt, quare non pugnauit contra eos. Aliquis dicet, quòd non auſus eſt, quia erant valde multi, & ipſe non audebat pugnare contra tot viros. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia Philiſthini, quibus traditus eſt, erant fortè plures, quia vocantur exercitus, & viri Iuda expauerunt venientibus illis, atque dixerunt, quare veniſtis contra nos ? & tamen Samſon pugnauit contra exercitum iſtorum, & occidit de eis mille viros, vt infra in litera : ergo etiam auderet pugnare contra viros Iuda tria millia. Item dato quòd timeret tot viros, exponeret ſe periculo, & timens pugnaret : nam putare debebat periculoſius ſibi eſſe, quod vinctus traderetur in manus omnium Philiſthinorum, quando pugnare non poſſet, quam quòd nunc pugnare potens exponeret ſe in dubio ad pugnandum contra viros Iuda. Dicendum igitur, quòd Samſon noluit pugnare contra viros Iuda, ſatis enim ipſe confidebat, quòd poſſet eos percutere, & fugare, tamen voluit potius vires ſuas exercere in Philiſthinos contra quos dedicatus erat, quam in contribulos ſuos : confidebat enim, quòd quemcunque Philiſthinorum exercitum ſuperare poſſet : ideo petiit à viris Iuda, quòd nõ occideretur fraudulenter, ſed ſolum traderetur Philiſthinis, quia tunc putabat, quòd ipſe poſſet rumpere vincula, & pugnare contra Philiſthinos : ſi tamen viri Iuda noluiſſent ei promittere, quòd non occiderent eum poſtquam ligarent : pugnaret contra eos, & faceret quod facturus erat cõtra Philiſthinos. *Dixeruntque ad Samſon.* Nolebant viri Iuda pugnare contra Samſonem, vt eum ligatum ducerent ad Philiſthinos, ideo præmiſerunt culpam eius, vt ipſe intelligeret, quòd iuſtè tradendns erat in manus Philiſthinorum, & cognoſceret, quod viri Iuda iuſtè mouebantur cõtra eum. *Neſcis, quòd Philiſthini imperent nobis.* Id eſt ſcis, quod ſunt Domini noſtri, ſc. quia tributa eis præſtamus, & ſunt potentiores nobis : nam cùm voluerint poſſunt nos affligere valde. *Quare ergo hoc facere noluiſti ?* Scilicet pugnando contra eos iniuſtè, & infligendo magna damna in terra eorum : quaſi dicat : male agebas, quia ponebas totam terram noſtram in periculo : ſcire enim debuiſti, quòd cùm tu eis damna inferres, ipſi contra nos pugnaturi erant, vt nos omnia damna ſolueremus. *Quibus ille ait : ſicut fecerunt mihi, ſic & feci eis.* Scilicet malum mihi fecerunt, & ego malum eis inutili.

Quare Samſon non reſpondit aliter viris Iuda, cùm poſſet melius.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR, quare Samſon non reſpondit aliter viris Iuda, cùm poſſet melius reſpondere. Pro quo ſciendũ, ſicut ſupra declaratum eſt, quod Samſon non poterat agere illa, quæ fecit contra Philiſthinos, ſi feciſſet ea ſolo intuitu iniuriæ ſibi illatæ, quia non per ſe, ſed per iudices debebat vindicta expeti, eo quòd iudices aliqui erant, qui potuiſſent iudicare : etiam, quia Samſon exceſſit modum repetendi vindictam pro iniuria : nam non erat tanta iniuria, quanta fuerũt damna, quæ intulit, ideo ex hac parte non habebat iuſtam defenſionem, & Philiſtini iuſtè mouebantur contra eum : poterat autem bene reſpondere, dicens, quod Deus iuſſerat ei, ꝙ hoc faceret, & ꝙ ad hoc ipſe natus fuerat, ſicut angelus prædixerat, ideo quòd licite egiſſet : non tamen reſpondit iſto modo, quia fortè non crederent ei Iſraelitæ, eo quòd apparebant iſta iniuſta, & quia ipſe non poterat probare præceptum Dei, non crederetur. Alia ratio eſt, quia ſi iſtam cauſam propoſuiſſet Samſon, fortè viri Iuda moti fuiſſent timẽtes Deum, vt pugnarent contra Philiſthinos adiuuando eũ. Deus autẽ nolebat hoc, quia nolebat, quod Iſraelitæ præualerent nunc contra Philiſthinos in bello, cùm adhuc ſeruirẽt nunc contra Philiſthinos in bello, cùm adhuc ſeruirent Idolis, & diffinierat Deus, quod tempore Samſonis non excuterent iugũ Philiſthinorum de ceruicibus ſuis, ideo inclinauit eum Deus ad dandum aliud reſponſum. Alia cauſa eſt, & fortè efficacior, quia licet Samſon in generali ſciret, quod Deus mouebat eum, ahuc tamen in particulari ipſe mouebatur ad vindictam contra Philiſthinos, quia etiam Deus dabat ei zelum vindictæ, vt in quadam quæſtione ſupra declaratum eſt. Ideo non expreſſit id, quo mouebatur in generali, ſed id quo in particulari mouebatur, quia iſtud erat proprium motiuũ ſuum, ſc. vt iniuriam ſibi inflictam vlciſceretur. *Ligare inquiũt te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Id eſt, quia iniuſte pugnaſti contra eos, & ipſi veniunt contra nos ad pugnam, nos venimus ad ligandum te, & tradendum eis, vt ſic euadamus pugnam eorum.

An tenebantur Iſraelitæ Samſonem tradere ligatum Philiſthinis.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR, an tenebantur Iſraelitæ tradere Samſonem ligatum Philiſthinis. Reſpondẽdum, quòd Iſraelitæ conſiderare debebant prius an Philiſthini haberent iuſtam querelam contra Samſonem, vel non. Si non haberent iuſtam querelam non tenebantur eis tradere Samſonem : imò ſi traderent, peccabant, quia iniuſtè tradebant eum morti, & potius debebant ſuſtinere bellum à Philiſthinis, vel facere aliquid aliud, quàm tradere eum innocentem ad mortem. Si autem Philiſthini peterent iuſtè contra Samſonem, tenebantur ad vnum de pluribus ſc. ad dandum illum Philiſthinis, vel ad occidendum eum, ſi mereretur per accuſationẽ Philiſthinorum, vel ad excludendũ eum de terra, vel ad dandum Philiſthinis licentiã perſequendi eũ intra terram Iſrael:

Reſpondet ad quæſtionem.

notum autem erat quòd Philisthini iustum peterent contra Samsonem, ideo Israelitæ obligabantur ad aliquid horum alioquin haberent iustum bellum Philisthini contra illos. Secundum autem noluerunt Israelitæ, quia ipsi iniuste occiderent Samsonem, cùm scirent eum datum à Deo in liberatorem Israel. Etiam, quia ipsi putabant, quòd posset eis amplius proficere, ideo nefas putabant eum occidere. Tertium etiam noluerunt, quia licèt istud esset minus malum quod Samsoni fieri poterat, quia tamen Israelitis dicentibus, quòd vellent eum ligare, & tradere Philisthinis, ipse consensit, non oportuit deuenire ad istum modum. Quartum modum nullatenus reciperent Israelitæ, scilicet, quòd permitterent Philisthinis intrare in terram Israel, quia in hoc multum læderetur terra, & quod Philisthini bello acturi erant, volebant potius ipsi agere in pace. Primum autem modum acceptauerunt Israelitæ, quia Samson illum acceptauit, & duxerunt eum vinctum. Dicendum tamen, quòd non tenebantur Israelitæ determinatè ad tradendum Samsonem manibus Philisthinorum: vnde si Philisthini hoc petiuissent non acceptantes aliquam aliam conditionem, non tenerentur Israelitæ hoc facere, quia satisfaciebant (si vellent) tenendo eum in terra sua exhibere cõplementum iustitiæ occidendo Samsonem, vel effugando de terra, scilicet si permitterent Samsonem fugere, & si bellum vellent super hoc mouere Philisthini Israelitis, debebant illud sustinere tanquam iniustè inflictum.

An peccabant viri Iuda ligando Samsonem, & eum Philisthinis tradendo.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlterius, an peccabant viri Iuda ligando Samsonem, & tradendo eum manibus Philisthinorum. Respondendum, quòd cùm scirent viri Iuda, quod Samson à Deo dedicatus fuerat tanquam dux Israel ad nocendum Philisthinis, licèt secundum humanum iudicium videretur mereri mortem, peccabant mortaliter, si tradidissent eum ad mortem certissimè: sed cùm ipsi non possent negare debitum iustitiæ Philisthinis, tenebantur facere de Samsone vnum de quatuor positis præcedenti quæstione, ideo tenebantur minimum horum facere, scilicet, quòd excluderent eum de regno, & tunc Philisthini non habebant causam pugnandi contra Israelitas. Et si Samson non consentiret, peccarent Israelitæ aliquid aliud ei facere volentes, & tamen nũc non peccauerunt, quia Samson consensit, quòd ligaretur, quia sciebat, quòd posset rumpere postea vincula, & pugnare contra Philisthinos. Etiam viri Iuda hoc crediderunt, cùm cognoscerent robur Samsonis. Vnde non dubitauerunt illum sic ligatum tradere Philisthinis. *Quibus respondit Samson: iurate, & spondete mihi, quòd non me occidatis.* Posuit Samson istam conditionem cum Israelitis, quia si non consentirent in hoc intendebat pugnare contra eos, & habuisset iustum bellum, vt supra declaratum est, & satis cõfidebat, quod posset totum illum exercitum trium millium superare: potius tamen voluit in extraneos, quã in contribulos vires suas exercere, cũ esset sibi securitas, ẽt si daretur ligatus Philisthinis.

Quare Samson voluit securitatem ab Israelitis, ne eum occiderent.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, quare Samson voluit securitatem ab Israelitis, ne occiderent eum, quia non videbatur necessaria: nam etiam si esset in vinculis esset securus, quia poterat rumpere vincula, sicut fecit coram Philisthinis, & pugnare. Respondendum, quòd necessaria erat securitas Samsoni, quia alioquin posset faciliter occidi: nam aliquis occultè poterat Samsonem gladio transuerberare dũ ligaretur, vel post quam ligatus esset cùm dormiret poterat occidi antequam traderetur Philisthinis, vnde licet non posset Samson occidi, si ipse videret sibi imminere, periculũ, quia rumperet vincula & fugeret, tamen, quia occultis modis poterat occidi voluit securitatem, quòd non occideretur ab eis: alioquin non præstantibus eis hanc securitatem, pugnare intendebat contra illos. *Dixerunt que, non te occidemus.* Intelligendum est, quòd istud fuerit sub iuramento, & promissione firmatum. *Sed vinctum trademus.* Scilicet constituemus te vinctum coram eis, deinde tu fac quod potueris, & volueris. *Ligauerunt q; eum duobus funibus nouis.* Erant isti funes valde grossi, vt non frangeret illos Samson, & dicitur, quòd erant noui, vt innuatur, quòd erant fortiores, quia vigor eius non debilitatus fuerat in aliquo opere. In Hebræo non habetur duobus funibus nouis, sed solùm ligauerunt eum, quia tamen colligitur hoc ex litera sequenti in Hebræo, interposuit illud litera nostra ad magis exponendũ. *Et tulerunt de petra Etam.* Scilicet ibi latuerat, & ibi ligauerunt, fuitq; in toto itinere ligatus. Sciendum autem, quòd licet Samson iret ligatus, tamen sponte ibat ad Philisthinos, quia alias potuisset rumpere vincula, & fugere de manu virorum Iuda, sicut rupit vincula coram Philisthinis, & percussit eos: sed ipse gaudebat, quòd sic duceretur, quia essent securi viri Iuda circa Philisthinos, quia faciebant quantum in ipsis erat: etiam ipse Samson habebat occasionem occidendi Philisthinos, quòd ante facere non poterat si ipsi non mouerent aliquid contra eum. *Qui cum venisset.* Hic ponitur secundum huius partis, sc. Philisthinorum inuasio, & dicitur, *Qui cum venisset ad locum maxillæ.* Id est cùm ductus fuit: nam cum ligatus magis videbatur trahi, quàm venire, licèt veritas esset in contrarium, cum potuisset rumpere vincula antequam illuc veniret. Vocatur locus maxillæ per anticipationẽ, quia postea sic vocatus est facta ibi pugna: prius autem non vocabatur sic. *Et Philisthiim vociferantes occurrissent ei.* Videntes enim illum, magno gaudio commoti sunt, quia percusserat eos nimis, & nunc putabant plenam victoriam se habituros de illo: & ob hoc vociferabant in signum lætitiæ. *Irruit spiritus Domini in eum.* Scilicet animositas ad pugnandũ, & desiderium: nam robur ad faciendum fortia semper in eo erat, vt præced. cap. declaratum est. *Et sicut solent ad odorem ignis ligna consumi.* Id est ligna consumuntur, cùm odor ignis venerit super illa, scilic. mox, vt cœperit ignis venire super ligna, quod est venire odorem eius, consumuntur. *Ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt.* Scilicet non stetit magno tempore in frangendo illa, sed subito rupit, & soluit. *Inuentamque maxillam, id est mandibulam, quæ iacebat arripiens.* Id est non habebat Samson tunc aliqua arma, sed Deus parauit ei quandam maxillam asini, quam accipiens pugnauit. Exponitque litera nostra maxillam, id est mandibulam, & idem est: dicitur enim mandibula à mandendo, id est terendo cibum, quia in mandibula inferiori sunt dentes, quibus cibus teritur. In Hebræo habetur. *Maxillam teneram.* Et exponunt aliqui, q̃ erat tenera, id est alicuius asini parui, & teneri, & ex hoc erat magis mirabile, quia esset maxilla minor, & fragilior, scilicet facilius poterat frangi percutiendo, vel vocatur tenera, quia erat alicuius asini nouiter mortui, nam haberet adhuc alias partes pellis, vel carnis. *Interfecit in ea mille viros.* Id est interfecit cum ea, quia sæpe accipitur (in) pro cum: sic accipitur Gen. 32. In baculo meo transiui Iordanem, id est cum baculo meo transiui, non habens aliquid aliud.

An Samson peccabat occidendo Philisthinos.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, an Samson peccabat occidendo Philisthinos, quia non offenderant eum nunc, nec & ipse vlciscebatur iniuriam.

Respondendum, quòd non peccauit, quia egit se defendens: cuilibet autem licita est defensio, Philisthini nunc volebant occidere Samsonem, ideo ne occideretur, poterat occidere illos. Sed obiicietur, quia Samson non se defendit hic sed egressus est, quia defensor, vel defendens, & inuadens opponuntur, sed Samson inuasit Philisthinos: nam cùm ipsi adhuc non inferrent ei aliquod malum, rupit vincula, & cœpit occidere Philisthinos: inuasio tamen non licebat Samsoni, quia non habebat aliquam causam. Ad hoc respondendũ, q̃ Samson nõ erat inuasor: nam licèt Philisthini adhuc non percuterent Samsonẽ, nec fortè intenderẽt percutere, veniebant ad eũ quasi hostes, vt tenerent eũ, & ducerẽt

in ter-

De Sãsone ligato eunte ad Philisthinos

Philisthinorum inuasio.

A in terram suam, ibique facerent mille, opprobria ei, & postea vilissimam mortem infligerent, & hoc solum erat inuasio: ideo antequam accederent ad eum Philisthini vocabantur aggressores: & si ipse inciperet percutere illos non vocabatur aggressor, sed defendens se, ne traderetur manibus eorum, eo quòd si simul caderet in manus eorum, defensio ei nihil conferret, ideo tunc defensio licita est, quando aliquid conferre potest. Patet etiam quòd Philisthini aggrederentur, quia cum viderent, quòd duceretur Samson ad eos, occurrerunt vociferantes ad tenendum eum: & ideo si quis videns hostes suos venientes ad capiendum se, vt occidant, nō possit effugere, nisi incipiat percutere, & occidere aliquos, licebit ei, & non dicetur aggressor, sed defendens se, dato quòd aliis nōdum mouentibus arma ipse percutiat aliquos, & occidat. Sed adhuc obiicietur, quòd non licitè egerit Samson, quia defensio est licita, quando fit cum moderamine, & sine culpa: vnde si quis potens euadere, nullum occidendo, aut percutiendo vult aliquos percutere, non vocatur defendens, sed aggressor, & iam non caret culpa. De Samsone autem sic est, quia cùm rupit vincula, poterat fugere, & nullus de Philisthinis potuisset eum capere, quia erat velocissimus. Voluit tamen tot occidere quousque fugauit omnes, & occidit mille: ergo non erat inculpata tutela. Respondendum, quod si Samson solùm deberet excusari, tanquam egisset defendendo, non posset excusari; quia potius debuisset fugere, cùm posset: & tamen noluit. Et patet hoc, quia quando ipse ductus est à viris Iuda, potuisset rumpere vincula in via, & non fuisset tractus ad Philisthinos, sed noluit: ergo sponte ductus. Dicendum ergo, quòd Samson semper inquirebat occasionem ad pugnandum contra Philisthinos, & quia ipse vidit, quòd sic poterat occidere multos de illis, voluit duci ad eos non ad se defendendum, sed ad inuadendum illos: excusatur tamen Samson, quia agebat ista Deo mouente, ideo non solùm non peccabat, sed etiam benè agebat pugnando.

Obiectio an licet alicui se defendere inuadendo hostem, & sequūtur inuadatur ab eo.

B

Quomodo Samson, cùm esset Nazaræus, mortuos tangebat, & occidebat.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo Samson cùm esset Nazaræus tangebat mortuos, & occidebat, & sustinebat quòd multi morerentur coram eo, quia ista erant contra obseruantiam Nazaræorum, vt patet Numeri sexto capit.

Rabbi Dauid refellitur.

Respondet Rabbi Dauid Kimhi quòd Samson forte tangebat mortuos in aliquo modo, qui ei licitus esset. Vel dicit quòd Samson non vouit votum Nazaræorum, sed angelus dixit, quòd obseruaret: ideo poterat contaminari in mortuis. Vel dicit quòd Samson non occidebat Philisthinos, sed

C percutiebat: & ante mortem spoliabat. Vel dicit quòd Samson occidebat Philisthinos, sed non tangebat eos postquam mortui erant: sed iubebat cuidam Philisthino, quem secum habebat, quod spoliaret eos, & sic ipse non contaminabatur. Sed nulla istarum responsionum stat. De prima patet, quia illa est indeterminata: nihil enim magis est sic respondere quàm nihil respondere, vel si peteretur ab aliquo à iudice: quare occidisti hominem, & diceret: ego habui aliquam causam occidendi, & non exprimeret illam, tantum erat ac si nihil responderet. Secunda responsio non stat, quia vult innuere Rabbi Dauid Kimhi, quod iubente angelo, non seruaret votum Nazaræorum, quòd non teneretur, & tamen falsum est, quia certum erat, quòd istud præceptum angeli erat à Deo, nec de hoc dubitauit pater Samsonis, aut mater postquam sciuerunt illum esse angelum: sed si Deus iuberet, certum est, quòd obligabat: ergo iubente angelo tenebatur ad istam obseruationem Samson. Item patet, quia Samson obseruabat alias cœremonias, quæ pertinebant ad Nazaræos. Nam ipse nunquam totondit capillos suos vsquequo Dalila totondit illos, & ipse dixit ei: ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus Domini sum: ergo innuebat in hoc, quòd seruabat cœremonias Nazaræorum. Item patet, quia si non obligatus fuisset seruare cæremonias Nazaræi detonsis capillis de culpa sua non defecissent vires eius: & tamen defecerunt: nam illico fuit infirmus, vt patent omnia hæc sequenti capitulo: ergo non potuit esse libera cæremoniis Nazaræorum quamquam ipse non vouisset, sed iussisset angelus. Solutio tertia non stat, quia falsum asserit, & præsupponit falsum. De primò patet, quia manifestum est, quòd hic occidit Samson mille viros, applicat tamen Rabbi Dauid istam solutiouem ad id, quod dicitur præcedenti capitulo de triginta viris Aschalonitis, quorum vestes rapuit, quia in Hebræo non habetur, quòd occidit illos, sed quòd percussit, & tamen istud nihil est, quia percutere, vt communiter accipitur pro occidere in historiis tam sacræ scripturæ, quàm in aliis Chronicis. Item non stat, quòd ipse occideret illos triginta viros adhuc viuentes, quia quando Samson percutiebat eos: etiam si haberet intentionem non occidendi eos, non erat in potestate sua, quia cùm ipse percuteret illos, ne insurgerent in eum, vel vt non resisterēt percutiebat sicut poterat, & contingeret aliquos fortiter percussos illico mori: vnde non est verisimile, quòd omnes illi triginta sic fortiter percuterentur, vt omnes in terram caderent, & non possent surgere contra Samsonem, & tamen sic esset percussio parua, quòd nullus eorum moreretur dum ipse spoliabat omnes triginta. Item non stante illo manifestum est, quòd hic occidit mille viros, & dum ipse occideret quosdam alij expirabant, & ipse conculcabat eos, persequendo eos, quousque fugaret totum exercitum, & occideret mille. Item præsupponit falsum, quòd faciendo sic non polluereturr, quia cum Samson percuteret aliquos poterant multi mori coram eo ex forti percussione, potissimè cùm ipse duraret in bello magno spacio quousque totum exercitum fugaret, vel prosterneret: & sic morientibus aliquibus coram eo polluebatur: etiam cum se exponeret huic periculo, scilicet, quia verisimile erat, quòd aliquis moreretur coram eo peccaret. Item præsupponit, quòd quamquā ex percussione Samsonis morerentur aliqui: dum tamen ipse non tangeret eos postquam mortui essent, quòd non polluebatur, ideo ponit, quòd expoliabat eos antequam morerentur. Sed hoc falsum est, quia non solum ex tactu polluebatur Nazaræus: sed etiam siquis coram eo moreretur, & ipse non tangeret eum polluebatur, vt patet Num. 6. Quarta solutio non stat, quia præsupponit id quòd præcedens est, scilicet, quod Samsonem manere coram mortuis, vel aliquem coram eo mori non erat peccatū, siue pollutio: sed solùm si spoliaret illum: istud tamen est falsum, quia quocunque moriente coram Nazaræo ipse erat pollutus. Item falsum est, quòd Samson haberet secum Philisthinum, qui spoliaret mortuos: nam istud applicat Rabbi Dauid ad occisionem, quam fecit Samson apud Aschalonem præcedenti cap. Sed non videtur stare, quia nullus auderet de Philisthinis ire cum illo, ne reputaretur reus criminis pro societate criminis. Item Samson nollet secū alquem Philisthinum habere, ne ille declararet iniquitatem illius Philisthinis aliis. Item dato quòd habuisset ibi aliquem Philisthinum secum, constat, quòd hic nullum habuit, quia ipse ducebatur vinctus à viris Iuda, vt poneretur in manibus Philisthinorum, & rupit vincula subito, atque pugnauit contra exercitum Philisthinorum, & ipse spoliauit morientes.

D

E

F

Respondo. ad quæsitum.

Dicendum ergo, quòd non stat aliqua istarum solutionum: sed dicendum, quòd Samson erat Nazaræus perpetuus, & polluebatur in occidendo aliquos, & tangendo mortuos, quia erat contra legem Nazaræorum, & tamen Deus non reputabat istud in eo tanquam pollutionem, eo quòd Samson ad hoc fuerat à Deo consecratus, vt occideret Philisthinos, sicut significauit angelus, dicens, quòd ipse inciperet liberare Israel de manu Philisthinorum: liberatio tamen ista non fiebat sine bello, & occisione: ideo oportebat ipsum vacare occisionibus, & tamen angelus, qui ista dixit denunciauit, quòd Samson esset semper Nazaræus, scilicet, ab vtero matris vsque ad mortem, supra decimo tertio capite, ergo innuebat, quòd simul seruari poterat in Samsone status Nazaræorum cum pollutione super mortuo.

Quare viri Iuda videntes Samſonem pugnantem contra Philiſthinos, non adiuuerunt eum.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlterius, quare viri Iuda videntes Samſonem pugnantem contra Philiſthinos, non adiuuerunt eum. Reſpondendum, quòd Iſraelitæ erant ſubiecti Philiſthinis illo tẽpore ſoluentes tributa, vt colligitur hic, & præcedenti cap. & non audebant inſurgere contra illos: credentes, quòd ſi nunc contra eos pugnarent, poſtea congregarentur omnes Philiſthini, & delerent Iſraelitas: nec enim dabat Deus cor Iſraelitis contra Philiſthinos propter peccata ſua, ideo licèt haberent ducem optimum, non audebant pugnare. Alia cauſa eſſe poterat, quia ipſi videbant, quod Samſon ſolus pugnare ſufficiebat contra Philiſthinos: ideo credebant inutile eſſe, quòd ipſi pugnarent: imò credendum eſt, quod quando Samſon pugnabat nunc contra Philiſthinos, nullus de Iſraelitis erat præſens: colligitur infra, quia finito bello quando Samſon ſiti moriebatur, non fit mentio, quod ibi eſſet aliquis, qui aſtaret ei, vel conſolaretur eum, & fortè hoc fuit, quia Philiſthini erant in extremitate terræ ſuæ expectantes, quando viri Iudæ ducerent ligatum Samſonem, & cum viri Iuda acceſſerunt ad terminos terrę ſuæ reliquerunt ibi ligatum Samſonem, & redierunt in terram ſuam: & tunc Philiſthini venerunt ad tenendum eum, & ipſe rupit vincula, & pugnauit contra illos.

Et ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros. Cumque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ. Sitienſque valde, clamauit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam, & en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Quibus hauſtis, refocillauit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, fons inuocantis de maxilla, vſque in præſentem diem. Iudicauit q; Iſrael in diebus Philiſthiim viginti annis.

Et ait: In maxilla. Hic ponitur tertium huius partis, ſcilicet gratiarum actio, quia pro victoria ſibi à Deo data cœpit cantare coram Domino id, quod ſequitur, ſc. *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos.* Iſtud eſt canticum, ſc. Domine Deus gratias tibi ago, quia in mandibula aſini, id eſt, habens ſolùm vnam mandibulam aſini deleui exercitũ Philiſthinorum. Et replicatur ſententia ad modum carminum: nam maxilla aſini, & mandibula pulli aſinarũ idem ſunt. An verò iſtud ſolùm fuerit canticum, vel fuerit ſolum principium cantici, & alia taceantur non apparet: ſed creditur, quòd iſte erat primus verſus, qui replicatur, ſicut in multis carminibus ſunt verſus intercalares, qui replicantur dictis quibuſdam ſententiis, & obſeruatur in carminibus vulgaribus ſemper: apud Poëtas autem interdum fit in illis, qui obſeruant intercalares verſus. Sic accipitur in Ouidio in libro Heroidum, ſiue Epiſtolarum in Epiſtola Deianiræ ad Herculem, quæ incipit.

Gratulor Aetoliam titulis ſuccedere noſtris.
Et verſus, qui repetitur eſt.
Impia quid dubitas Deianira mori?

Idem obſeruat Thodolus in fine ſui libri, ſcilicet.

Cede dies colo, quia neſcit credere virgo.

Sic etiam Virgilius in Bucolicis, & eſt verſus,

Incipe Menalios mecum mea tibia verſus.

Et in alia Ecloga ponitur alius verſus intercalaris, ſc.

Ducite ab vrbe mea carmina ducite Daphnim.

Sic Dauid facit in planctu pro Saule, & Ionatha 2. Reg. 1. vbi repetitur verſus, ſcilicet: Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica: ſic etiam Pſalm. 106. ponitur vnus verſus intercalaris, qui ſæpe repetitur, ſcilicet. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominũ. Samſon autem fecit nunc iſtud canticum, quia conſuetudo erat Iſraelitis quando aliquas pugnas mirabiles faciebant, ad laudem Dei facere cantica: ſic enim Moyſes fecit magnum canticum, cùm perierunt Ægyptij in mari rubro, & habetur Exodi decimo quinto, ſcilicet. Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare. Sic etiam poſt bellum Barac contra Syſaram factum eſt magnum canticum Debborę, quod habetur ſupra quinto, ſed iſtius cantici ſolùm habetur principium. Sic etiam interdum apud gentiles factis magnis bellis fiebãt carmina in laudem victorum, & factum eſt, quando Seon rex cœpit terram Moabitarum, vt patet Numeri vigeſimo primo capitul. *Et percuſſi mille viros.* Iſtud etiam cantabat Samſon. Neceſſe eſt autem, quòd iſti mille manerent mortui, aut vulnerati ad mortem in campo, & Samſon computaret eos finito bello, alioquin neſciret quot percuſſiſſet. *Cumque hæc canens verba compleſſet.* Quia iſta verba erant tanquam verſus intercalaris, qui repetitur, & ſicut in principio cantici ponerentur, ita & in medio, & fine, & ſic complebatur in eis canticum. *Proiecit mandibulam de manu.* Quia iam non erat neceſſaria: fortè enim finito bello ſemper tenuit eam, dũ inueſtigabat eos, qui corruerant in campo: vt ſi quis fortè illorum non erat mortuus occideret eum: nunc autem numeratis eis, & finito cantico proiecit, maxillam in terram. *Et vocauit nomen loci illius Ramath lechi.* Iſtud nomen impoſitum fuit à caſu, qui ibi fuit, ſc. quia in maxilla occidit ibi viros mille. *Quod interpretatur eleuatio maxillæ.* Iſtud non eſt in Hebræo, ſed additum fuit ab expoſitore & tranſlatore noſtro, vt ſciatur quid ſignant nomina in Hebræo: nam Rama, vel Ramath interpretatur eleuatio, vel excelſum: Lehi, vel Lechi corrupta voce ſignificat maxillam. *Sitienſque valde clamauit ad Dominum.* Hic ponit quoddam miraculum, quod accidit poſt occiſionem Philiſthinorum, ſcil. quia Deus dedit aquam ſupernaturaliter Samſoni de maxilla aſini: & dicitur quòd ſitiuit valde, quia laborauerat nimis Samſon pugnando contra Philiſthinos, cùm occidiſſet mille ex eis: labor autem cauſat calorem, & deſiccationem, & conſequenter ſitim quandam: videns autem Samſon, quod non haberet aquam, nec erat ad propinquum aliquam aqua recurrit ad Dominum: nam in eis ibi iam deficit poteſtas, & prudentia humana, debemus ſemper ad Dominum recurre-re, vt patet 2. Paralip. 20. cap. 1ci. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Tamen dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam atque victoriam.* Id eſt tu feciſti per manum meam, qui ſum ſeruus tuus, iſtud bellum magnum, ſcilicet quod occiſi ſunt mille viri ab vno viro inermi. Vocatur ſalus maxima, quia ipſe liberatus eſt à morte: & quia fuit per excellentem modum pugnandi vocatur victoria maxima: vocatur autem victoria, quia non ſolum ipſe liberatus fuit à morte vtpote ſi fugiſſet: ſed etiam obtinuit victoriam de Philiſthinis congregatis ad bellum, mille viros occidit, & reliquum exercitum diſperdit. *Et en ſiti morior.* Scilicet quod non habeo aquam nec poſſum ire ad aliquem locum vbi habeam aquã, quia prius ſiti moriar, quam ad locum aliquem vadam, vbi reficiar. *Incidamque in manus incicunciſorum.* Scilicet ego laſſabor ſiti, & deficiam pauliſper, & antequam moriar venient Philiſthini, qui incircunciſi ſunt, & tenebunt me, & in manibus eorum moriar.

Ex hoc patet quia quando Samſon pugnauit contra Philiſthinos, non erant ibi aliqui de viris Iuda, vel Iſrael cum eo, quia tunc non dixiſſet ipſe: incidamque in manus Philiſthinorum, quia dato quod moreretur ſiti, non incideret in manus Philiſthinorum, eo quod viri Iuda ducerent eum in terram ſuã, ſed timebat, ꝙ moreretur, vel laſſaretur in loco ipſo, in quo erat, & venientes Philiſthini tollerent eum. Orabat autem hic Samſon valde ſuaſoriè ad Deum, quaſi dicat. Tu Domine Deus dediſti iſtam victoriam magnam per manus meas ad laudem tuam, & tamen ſi nunc ſiti morior, & incido in manus Philiſthinorum, nulla erit gloria de iſta victoria, quia ego, qui eram victor, ero victus cadens in hoſtium manus, & ſic iſtud opus mirabile, quod egiſti, nullius vtilitatis erit: ideo vt opera tua tua non ſint ſuperuacua, da mihi aquam

Sup 14 Neapolis campania conditur. Caieta ab Aenea cõditur. Cumana ciuitas cãpaniæ ab Aenea reſtituitur.

Miraculum q; poſt Philiſthinorum occiſionẽ accidit.

Verſus intercalares quid.

A hi aquam, vt bibam. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini.* Deus condescendit precibus Samsonis, quia iuste orabat, & confidenter, sciens quod Deus ei dare aquam, quomodocunque vellet: & de maxilla illa, qua occiderat Philisthinos fecit prodire aquam copiosam: & ad hoc excussit vnum de dentibus maxillæ, & per foramen illius egrediebantur aquæ tanquam scaturigo fontalis esset intra maxillam, & prodiret vena aquaram per ruptarum eius, sicut fit in terra, in qua laterent aquæ viuentes. *Et egressæ sunt ex eo aquæ.* Id est de vno foramine maxillæ egressæ sunt aquę copiosæ ad satiandum Samsonem. *Quibus hausti reuocillauit spiritus.* Id est postquam hausit, id est bibit aquam refocillauit, id est, recreauit spiritum, quia iam incipiebat deficere, & anxiare ad mortem. *Et vires recepit.* Nam prius cùm sitiret nimis, vires suæ erant valde debilitatæ: & ob hoc timebat, quòd incideret in manus Philisthinorum, quia dato, quòd viuens esset si superuenirent aliqui Philisthini, non posset se defendere ab eis, & incideret in manus eorum. In Hebræo habetur. *Et vixit.* Vbi nos dicimus. *Vires recepit.* Sed litera nostra est conuenientior ad exprimendum, quia non poterat nunc viuere, nisi mortuus fuisset: sed dicitur. *Vixit.* Id est reuixit spiritus eius, scilicet, quia prius erat tanquam mortus præ siti.

Quomodo fluxerunt aquæ de maxilla asini, & quantum durauit illa scaturigo.

B

Qvæstio XXX.

Qværitvr, quomodo fluxerunt aquæ de maxilla asini. Respondendum, quòd Deus poterat dupliciter hoc facere: vno modo, quod crearet aliquas de nihilo, sicut fecit in exordio rerum creans omnia de non ente. Secundò modo, quòd de aliqua materia, scilicet de aere formauerit aquas, sicut de materia formauerat animalia, & arbores. & hominem, atque fœminam, & cætera entia distincta in speciebus suis, & istud adhuc fieri poterat dupliciter: vno modo, quòd de materia illa per diuinam virtutem sine aliquo naturali gente formasset subito aquas: alio modo, quod per angelos formatæ fuerint applicando actiua passiuis, scilicet, sicut generantur aquæ in suis fontalibus originibus. Nam sub ¡ntrante aëre ad loca, in quibus generantur aquæ per frigiditatem loci condensatio fit, & conuertitur in aquam: sic igitur poterat dari frigidltas talis in circuitu maxillæ, quòd aërem circunstantem conuerteret in aquam, & licet prius non esset ibi talis dispositio, tamen angeli poterant faciliter hoc operari. Sciendum autem quomodocunque ponatur ista aqua producta, quòd ipsa non egrediebatur de maxilla asini per dentem erutum, quia intra maxillam non erat, sed faciebat Deus locum generationis illus aquę esse in foramine dẽtis ablati, & sic videbatur aqua egredi de maxilla. Sciendum

C etiam, quòd Samson iam proiecerat istam maxillam in terram, vt supra dictum est, & tamen cum ipse oraret ad Dominum pro aqua, cœpit erumpere in altum impetus aquæ de foramime dentis, ꝙ Samson videns, cępit maxillam, & bibit.

An durauerit scaturigo aquæ in maxilla asini, postquam bibit Samson.

Qvæstio XXXI.

Qværetvr vlterius, an durauerit scaturigo aquæ in maxilla postquam desiit bibere Samson. Aliquis dicet, quòd non, quia istud factum est supernaturaliter solùm ad satiandum Samsonem: illo igitur satiato non maneret miraculum. Respondendum, quòd cùm aliqua fiunt huiusmodi mirculosè ad aliquem finem, habito illo fine, vt communiter deficiunt, & quia sic fiebat ista eruptio aquæ pro Samsone, videtur, quòd illo satiato, cessauerit. Dicendum tamen, quòd aliqua facta sunt sic miraculosè, & tamen durant vsque in hodiernum diem: sic namque Deus dedit Israelitis aquam in deserto in Raphidim de petra Horeb ad satiandum populum, vt patet Exodi 17. & tamen fons ille, qui tunc nouiter factus est, manet vsq; hodie, & propterea cum tota illa vallis Arabiæ, quæ ab antiquo inhabitabilis fuerat, facta est habitationis bonæ, vt patet in libro de diuisione terræ sanctæ, vbi agitur, de Arabia: sic ergo aliquis dicet, quòd manere poterat in maxilla, scaturigo aquæ perpetua. Respondendum, quod non est dubium, quin posset manere, quia Deus potest quandocunque voluerit, & quod voluerit operari, & tamen Deus nunquam operatur miraculosè continuè, quia tunc operatio miraculosa esset sicut naturalis: sed si miraculum aliquando fit, cito cesset. De fonte autem Arabiæ in Raphidim, dicendum, quòd cùm Moyses percussit virga coram filiis Israel, non erat ibi aqua, nec virtus scaturiginis fontalis, sed Deus subito formauit aquas, & facit eas copiosè defluere, & quia locus ille erat dispositus ad hoc, quod secunhum naturam gignerentur ibi aquæ, sicut in aliis locis, accedit, vt tunc efficeretur nouiter fons ibi, & iam nõ fluerent ibi aquæ supernaturaliter, sed naturaliter genitæ, sicut in aliis scaturiginis fontalibus: in maxilla autem, non poterat sic fieri, quia non poterat esse intra maxillam locus contentiuus materiæ conuertendæ in aquã, quia tota erat solida. Etiam deficiebat ibi qualitas conuersiua, quia illa conuersio fit per condensationem, & condensatio fit à frigore, sed non potest esse in foramine maxillę talis frigiditas, quia aër existens in circuitu aliquando esset siccus, & aliquando calidus, ideo non fieret ibi continuus defluxus aquarum: tale enim non potest fieri, nisi in locis subterraneis, & absconditis valde, vbi aër non potest alterari ad tot qualitates, sicut hic super terram: si tamen tanta fuisset frigiditas maxillæ, quæ semper in ea duraret, poterat emanare aqua ex illa per conuersionem aëris circumstantis, sed modica aqua illa esset: sic est in lapidibus tempore hyemis, quia ex frigiditate complexionali adiuta à frigore temporis aerem circumstantem conuertunt in aquam condensando, & videtur semper emanare aqua de illis. Sic etiam est quidam lapis preciosus valde frigidæ naturæ, qui semper sudare aquam videtur, & sic est, nec ab hoc cessat in tempore æstatis. Et istud est, quia per frigiditatem complexionalem alterat aerem, & condensat, & in aquam vertit: non ergo poterat manere maxilla aquam emittens naturaliter, sed si manebat oporteret, quòd semper continuaretur miraculum, Deus autem non continuat miracula, cùm illa fiant propter causas valde speciales. Ideo certissimè dicendum, quòd non manſit mandibula aqua fluens, sed solùm durauit dum Samson bibit, & illico cessauit: si tamen mansisset semper fluens non fuisset res preciosior, & vtilior toto orbe: nam ipsa sola valeret plusquam vnum regnum, cùm posset quocunq; ferri in manu hominis, & tamen præbebat copiosissimas, & indeficientes aquas. *Idcirco appellatum est nomen loci illius fons inuocantis de maxilla.* Scilicet locus, in quo tunc Samson erat, vocatus est fons inuocantis, sc. fons Samsonis, qui inuocauit ibi Dominum, vt daret ei aquam, & dicitur de maxilla referendo ad fontem, & non ad inuocantem, scili. quod fuit fons de maxilla erumpens. In Hebræo habetur. *Fons clamantis, qui est in Lehi.* Id est vocatus est locus ille fons clamantis, siue inuocantis, & est in Lehi, id est in Ramathlehi. Considerandum autem, quòd iste locus habebat nunc duo nomina, quæ euenerunt ei, quasi simul propter diuersos casus, scil. Ramathlechi propter Philisthinos, qui occisi sunt ibi cum mandibula asini per Samsonem: & vocatus est fons clamantis propter aquam manentem de maxilla asini. Et ista duo nomina manserunt simul loco illi pro semper: sic enim factum est in quibusdam aliis locis. Nam Israelitę venientes de monte Sinai in desertum Pharam murmurauerunt, & accensus est ignis contra eos, vocatusq; est nomen loci illius Incensio. Et post paucum ibidem concupierunt Israelitæ carnes, & dedit Dominus coturnices, & postea occidit multos de Israelitis, ob hoc locus ille vocatus est sepulchra concupiscentiæ. De vtroque patet Num. 11. *Vsque in præsentem diem.* Scilicet vsque ad tempus, quo scriptus est liber iste, scilicet per Samuelem. Fluxerunt autem inter Samsonem & Samuelem solum anni quadraginta, quibus præfuit Heli summus sacerdos, primo Regum 4. & tunc Samuel factus est iudex, & ille fuit vltimus iudicum. *Iudicauitq; Israel in diebus Philisthijm viginti annis.* Id est fuit iudex Israel viginti annis, & tunc erant dies Philisthinorum, id est dies quibus Philisthini dominabantur Israelitis, vt patet supra.

D

Aqua conuersio quo modo fit

E

Lapis quidã, qui sè per sudat.

Determinat. quæst.

F

A

Quare dicitur hic iudicauit Samſon Iſrael.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quare dicitur hic iudicauit Iſrael, quia in aliis iudicibus nunquam ponitur tempus, quo iudicauerunt quouſque ponatur mors illorum: hic autem ante mortem Samſonis ponitur tempus iudicaturæ eius, & quare poſtea replicatur ſequenti capitulo, quòd iudicauit viginti annis. Reſpondet Rabbi Dauid Kimhi, quòd hoc factum eſt, quia vſque ad tempus iſtud viſus eſt iudicaſſe Samſon & non amplius: eo quòd poſt hoc non egit aliquid mirabile, nec timebant eum Philiſthini, ſed captus eſt ab eis. Sed dicendum, quod non ſtat, quia poſt hæc Samſon concutiens domum diruit eam ſuper Philiſthinos, & occidit tria millia, ſequenti capitulo, etiam timebant eum Philiſthini, & inſidiabantur ei quando ingreſſus eſt Gazam, & fecit ipſe opus magnificum, ſcilicet eruit portas vrbis ſimul cum vectibus, impoſuit humeris ſuis, tulitq; in montem. Dici poſſet, quòd ſi ſcriptura poſuiſſet iſtam clauſulam circa principium capituli ſequentis vbi dicitur: Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Soreth: conuenienter diceremus, quòd poſuiſſet hic tempus iudicij Samſonis: eo quòd ſequens tem

B

pus non ſpectabat ad honorem, & principatum Samſonis, ſed ad ignominiam, eo quod captus eſt à Philiſthinis, in carcere ad molas ſicut aſinus ligatus eſt, & periit ibi totus honor temporis præcedentis capituli. Et ſi obiiciatur, quòd in morte occicit multos de Philiſthinis. Dicendum, quòd illud factum non excuſat ignominiam Samſonis, quia captus, & in poteſtate hoſtium erat, quando iſta egit: ideo potius vocari debebat ſeruus inſurgens, quam hoſtium princeps pugnans: & tamen ſcriptura non ſic poſuit. Ideo dicendum, quòd ſcriptura non fecit iſtam duplicationem, ad ſignificandum aliquid ſpeciale, quia non omnium, quæ in ſcriptura ſacra ponuntur, ratio reddi poteſt, nec conari debemus ad illud, quia multa dicta ſunt ſuperabundanter ex conditione idiomatis eorum, qui ſcribebant. Vnde Hieronymus multos modos loquendi Hebraicos mutat in litera noſtra. Si tamen illi fuiſſent ſic ſpecialiter poſiti ad aliquid ſignificandũ, non mutati fuiſſent à Beato Ieronymo.

Quomodo computantur iſti viginti anni, quibus præfuit Samſon.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo computantur iſti viginti anni, quibus præfuit Samſon. Reſpondendum, quod de fine iſtorum annorum non eſt dubium, vbi ponatur: nam in quolibet iudice erat finis ſuæ iudicaturæ mors ſua, & ſic neceſſe erat, quòd in Samſone finis iſtorum viginti annorum mors ſua: ſed de principio eorum eſt difficultas, pro quo ſciendum, quòd iſti viginti anni poſſunt habere triplex exordium, ſcilicet, quòd inchoent ante natiuitatẽ Samſonis, ſcilicet à morte Abdon, qui erat iudex præcedens, vel à natiuitate Samſonis, vel à tempore, quo cœpit pugnare contra Philiſthinos, ſcilicet quando deſcendit in Thamnata, & accepit ſponſam: nam tunc fuit initium bellorum ſuorum contra Philiſthæos. Prima poſitio videtur eſſe neceſſaria, quia in omnibus iudicibus erat iſte ordo, quòd mortuo vno iudice mox inciperet computari tempus alterius, licèt ipſe non illico ſuccederet, quia tranſirent aliqua tempora ſine iudice, quibus Iſraelitę ſubiicerentur gentilibus, vt declaratum eſt ſupra tertio, & quarto: ideo oportet, quòd poſt mortem Abdon, mox incipiant computari anni Samſonis. Item totum tempus quod fuit ab exitu de Ægypto vſq; ad ædificationem templi Salomonis computatur per tempora iudicum coniungendo eis duos reges, ſcilicet Saulem, & Dauid, & quadraginta annos manſionis deſerti: ſi autem inter mortem Abdon, & Samſonis eſſent aliqui anni non computarentur in tempore Samſonis, nec Abdon, & deficerent iſti de ſummis particularibus, ex quibus colligitur neceſſariò ſumma illa annorum quadringentorum octuaginta, vt patet tertio Regum ſexto, quæ ſumma colligitur præciſa ex

C

Ordo in omnibus iudicibus.

ſummis particularibus intermediis, quæ habentur in iſto libro cum quadraginta annis deſerti, & annis Heli Samuel Saulis, & Dauid, & ſi deſicerent aliqui anni de ſummis particularibus inter Abdon, & Samſonem, qui in nullius tempore computarentur, non poſſet colligi præciſa ſumma illa totalis ex ſummis partialibus, & tamen colligitur, ideo non poteſt intercidere aliqua ſumma annorum inter Abdon, & Samſonem. Sed contra iſtam poſitionem eſt inconueniens, quia tunc neceſſe erit, quòd quando Samſon mortuus eſt, erat ſolum decemſeptem, vel decemocto annorum, quod videtur eſſe difficile. Hoc patet, quia poſt mortem Abdon Philiſthini dominati ſunt Iſraelitis peccantibus eis, & poſtquam ipſi cœperunt dominari denunciatum eſt matri Samſonis, quòd conciperent puerum, qui liberaret Iſrael de manu Philiſthinorum, & ſic ad minus eſſet aliquantum tempus, quo ipſi dominari cœperant, ſaltem vnus annus, & inde vſque ad natiuitatem Samſonis tranſiret alius annus, & tamen tempus iudicaturæ Samſonis eſt ſolùm viginti annorum, vt patet hic, à quibus tollantur duo anni, qui interciderent inter mortem Abdon, & natiuitatem Samſonis, vt nunc computatum eſt, ideo ſolùm viueret Samſon decem & octo annis. Quomodo ergo in his temporibus acciperet vxores, & diligeret concubinas, & faceret bella, quæ habentur in his tribus capitulis: nam in ætate hac non diligunt adoleſcentuli bella, ſed ludos pueriles. Si autem teneatur ſecunda poſitio, ſcilicet, quia incipiat computatio à natiuitate Samſonis, nõ multum differt iſta poſitio à præcedenti in euitando inconueniens, & non habet motiuum aliquod. Quod patet, quia cùm Samſon dicatur viginti annis iudicaſſe, erit mors ſua in anno vigeſimo, ſed non videtur conueniens ætas iſta ad faciendum, vel ſaltem ad deſiderandum aggredi ea, quæ fecit Samſon. Item non habet motiuum aliquod, ſed patitur potius inconueniens ex principio ſuo, quia tunc inter mortem Abdon, & natiuitatem Samſonis manebunt duo anni, vel quaſi, qui non computantur cum aliqua illarum ſummarum, & facerent varietatem in ſumma totali, quæ habetur tertio Regum ſexto, ſed falſum eſt, ideo non poteſt ſic computari. Tertia poſitio eſt, quòd computetur ab eo tempore iſta ſumma annorum, quo cœpit Samſon bella contra Philiſthinos deſcendens in Thamnata, & iſta poſitio habet bonũ motiuum, ſcilicet, vt Samſon faceret iſta bella in tempore conuenienti ſecundũ ætatem, vtputa in anno vigeſimoquinto, vel trigeſimo, & fieret ſic, quod cùm Samſon deſcenderet in Thamnata ad accipiendum vxorem, eſſet 24. annorum, vel quaſi: & tunc inciperent bella Philiſthinorum, & durarent iſta bella aliquanto tempore, cùm ſint multa bella, & poſt viginti annos ab inceptis bellis moreretur, & ſic eſſet annorum 44. vel quaſi. Sed iſta poſitio ſuſtinet magnum inconueniens, quia tunc totum tempus quòd fluxit à morte Abdon præcedentis iudicis vſq; ad annum quo Samſon bella inciperet, non comprehendentur ſub aliqua ſumma particulari, & deficerent tot anni de ſumma totali, qui eſſent vigintiquinque, vel plures, & tamen falſum eſt, cùm ſumma totalis colligatur præciſa ex ſummis particularibus, vt inductum eſt ſupra 3. ideo non ſtabit iſta computatio. Aliquis autem poterit dicere, quòd Samſon natus eſt viuente Abdon, vel Ahialon, & tamen principium iudicaturæ ſuæ fuit primo anno poſt mortem Abdon, & tunc viderentur omnia benè ſtare, ſcilicet, quod Samſon eſſet magnus quando inciperet tempus iudicaturæ ſuæ, vtpote, ſi eſſet annorum 20. vel plus, & poſſet facere conuenienter opera bellica, & moreretur anno 40. vel quaſi. Etiam non ſequeretur incõueniens ex parte principij, quia computaretur iudicatura Samſonis à morte Abdon, & non maneret aliqua ſumma annorum intermedia, ſicut manebat computando alias. Sed dicendum, quod iſta poſitio non ſtat, quia præſupponit, quòd Samſon natus fuerit ante mortem Abdon quod falſum eſt, quia poſt mortem Abdon cœperunt quadraginta anni, quibus Iſraelitæ fuerunt ſub ſeruitute Philiſthinorum, vt colligitur ſupra 13. Nam deſcripta morte Abdon cap. 12. ſequitur in ca. 12. quod rurſus Iſraelitæ fecerunt malum coram Domino, qui tradidit illos in manus Philiſthinorum 40. annis, & tamẽ quando natus eſt Samſon iam cœperant Philiſthini dominari Iſraelitarum: nam Angelus veniens ad matrem Samſonis dixit ei, quod paritura eſſet quendam filium, qui inciperet liberare

D

E

Secunda poſitio refellitur

Tertia poſitio reprobatur.

F

Quarta poſitio tollitur

berare Iſrael de manu Philiſthinorum: ſi tamen nõ eſſet iam Iſrael ſubiectus Philiſthinis, non diceretur hoc: ergo neceſſe eſt, quod Samſon natus fuerit poſt mortem Abdon ſaltem vno, vel duobus annis, & ſic non ſtabit iſta poſitio. Aliquis dicet aliter, ſcilicet, quod Samſon natus eſt poſt Abdon magno tempore, ſcilicet, quòd inter principatum Abdõ, & Samſonem interciderint quadraginta anni, ſcilicet, quòd mortuo Abdon Philiſthini inceperint dominari Iſraelitis, & durauerit iſtud dominium per quadraginta annos, quibus expletis cœpiſſet tempus principatus Samſonis. Et hoc conformatur literæ valde, ſcilic. quia ſupra duodecimo, dicitur quomodo mortuus eſt Abdon, & immediate in principio 13. cap. dicitur, quomodo Philiſthini dominati ſunt 40. annis Iſraelitis, & poſtea dicitur de natiuitate Samſonis: & ſic dicetur, quod Samſon natus fuit intra iſtos 40. annos ante completionem eorum annis 15. vel viginti, aut pluribus, & tamen principatus ſuus non incepit, niſi finitis illis 40. annis, & ſic tollerentur omnia inconuenientia. Primum, ſcilicet, quia quando Samſon cępit agere illa bella, eſſet iam vir fortis 25. annorum, vel plurium, & viginti anni principatus ſui, qui ponuntur hic computarentur à tempore, quo inciperet bella, & ſic quando moreretur Samſon eſſet 40. annorum, vel plurium. Etiam tolleretur aliud inconueniens, ſcilicet, quod inter Abdon, & Samſonem non maneret aliqua ſumma annorum non computata, quæ deficeret in ſummatotali, quæ habetur tertio Regum ſexto, etiam tolletur aliud inconueniens, ſcilicet, quod non poneretur Samſon natus ante mortem Abdò. Iſta poſitio eſt multum conueniens, ſed obſtat ei valde computatio 40. annorum: nam computat illos inter Abdon, & Samſon. Sed hoc non poteſt ſtare: nam ſi illa ſumma computetnr tanquam diſtincta ab aliis, & addat in numero: ſequetur, quod ſummæ particulares, quæ colliguntur in libro iſto, & libro regum ſint maiores, quam ſumma totalis, quæ habetur 3. Reg. 6. nam ibi ponuntur 480. anni, & ſi adduntur iſti 40. anni erunt 520. anni: vnde non computatis iſtis quadraginta annis tanquam ſumma diſtincta ab aliis, colligitur ſumma totalis præciſa ex ſummis partialibus, vt in ductum fuit ſupra tertio, ideo non debent cõputari iſti quadraginta anni tanquam diſtincti, ſed in annis Samſonis, & Heli computabuntur, vt declaratum eſt ſupra 13. ca. Aliquis dicet aliter, quod computentur iſti viginti anni iudicaturæ Samſonis ante natiuitatem Samſonis, ſcilic. immediate poſt mortem Abdon, ſicut computatur prima poſitio, & tamen quod Samſon iudicauerit quadraginta annis, ſcilic. quia iudicauit viginti annis computando ante natiuitatem ſuam vſque ad bellum iſtud de maxilla, & inde vſque ad mortem Sãſonis fluxerint alij viginti anni, & ſic fuerit tota iudicatura Samſonis quadraginta annorum. Iſtud patet, quia hic dicitur, quod iudicauit Samſon viginti annis, ſcilicet, à principio ſuæ iudicaturæ vſque nunc, & ſequen. cap. in morte Samſonis dicitur, quod iudicauit Iſrael viginti annis, ſcilicet, computando ab iſto tempore vſque ad mortem ſuam. Iſta poſitio non videtur includere aliquod inconueniens de ſupra poſitis, vt patet ſi quis velit inducere, ſicut induximus in aliis, quod omitto breuitatis cauſa. Sed non ſtat iſta poſitio propter duo. Primò, quia ponit pluralitatem inutiliter: nam qui conantur in vita Samſonis ponere plures quàm viginti annos, faciunt hoc, vt iſta geſta fortia, quę egit, dicatur feciſſe in ætate virili: nam in decimo ſexto, vel in decimo ſeptimo anno nullus eſt habilis ſaltem ad aggrediendum talia, & tamen iſti coguntur dicere, quòd Samſon fecit iſta opera fortia ante viginti annos, quia poſtquam pugnauit, & occidit mille viros maxilla, dicitur, quod iudicauit viginti annis, & pro alio opere paruo quod ponitur ſequenti capi. ponunt alios annos 20. quod eſt ſuperfluum, vt declarabitur. Secundo errant, & fortius, quia tunc neceſſe erat computari annos 40. in iudicatura Samſonis. Sed falſum eſt, quia computando annos 20. ſummę partiales reddunt totalem ſummam præciſam, vt declaratum eſt ſupra tertio: ideo non poſſunt poni Samſoni plures quàm viginti anni, niſi de ſummis aliorum iudicum auferatur aliquid, & iſtud eſt omnino irrationabile, ſcilicet, quod tollatur aliquid de his, quæ ſunt in textu. Dicendum ergo, quod totum tempus iudicaturæ Samſonis fuit 20. annorum ſolùm, & debet computari, ſicut computabatur in prima poſitione, ſcili. q òd incipiant poſt mortem Abdon ferè duobus annis ante natiuitatem Samſonis, & tunc tota vita Samſonis debet poni ad plus annorum decemocto, vel 19. in qua ætate mortuus eſt, & debet dici, quod rationabiliter hoc euenit eo, quod bella Samſonis durauerunt modico tempore contra Philiſthinos. Quod patet, ponamus, quod Samſon anno ſuo decimo ſeptimo, vel quaſi 18. duceretur à patre, & matre in Thamnata ad deſponſationẽ, & tunc occidit in via Leonem, præceden. cap. & poſt paucos dies rediens ad accipiendum vxorem intra ſeptem dies primos nuptiarum ſuccubuit Samſon in ſolutione problematis, & illico deſcendit Aſchalonem, & occidens triginta viros & veſtes eorum tulit, & dedit his, qui ſoluerant problema, & immediatè receſſit iratus valde in domum patris ſui, deſerta vxore, vt patet præced. cap. & poſt paucos dies, ſc. poſt vnum menſem, vel duos rediit ad vxorem ferens hædum de capris, & iam ipſa acceperat alium virum, & tunc ipſe iratus trecentas vulpes ligans combuſſit terram: quo facto Philiſthini venerunt, & combuſſerunt ſocerum Samſonis, & vxorem, vt ſupra in litera, & ipſe dixit, quod non erat contentus hac vindicta: ſed adhuc faceret plagam in Philiſthinos, & fecit plagam magnam, ita vt obſtupeſcerent Philiſthini, & tunc congregati Philiſthini aſcenderunt contra viros Iuda ad ligandum Samſonem, & traditus eſt eis, factumque eſt bellum in maxilla. Et ſic iſta omnia ſunt continua, & poterant conuenienter fieri minus quàm in vno, vel ſaltem in vno anno. Ea autem, quæ habentur ſequenti cap. breui tempore fieri potuerunt, ſcilicet in vno, vel duobus menſibus: nam prius amauit mulierem in Gaza, & vna vice ſolum iuit ad eam, ſcilicet quando tulit fores ciuitatis ſuper humeros, iterum & quaſi immediatè dilexit Dalilam in valle Soreth, & illico Philiſthinorum principes venerunt ad eam, vt deciperet illum, quæ mox executa eſt, & captus fuit Samſon. Poſt captionem autem vſque ad mortem Samſonis, non intercideruntduo menſes: Quod patet ex duobus, primò quia die, quo mortuus eſt Samſon congregati erant principes Philiſthinorum ad faciendum feſtum magnum Deo ſuo Dagon, & conuiuia quia tradiderat in manus eorum hoſtem ſuum Samſonem: & tamen manifeſtum eſt, quod non morarentur magno tẽpore facere ſolennitatem illam poſt captionem Samſonis, hoc patet ſequenti capit. Item patet, quia quando Samſon captus eſt tonſus fuit: nam aliter capi non potuiſſet: & dicitur quod in die, qua concuſſit domum, & mortuus eſt cęperant iam creſcere capilli eius, ſequent. cap. ergo modicum tempus inciderat, ſcilicet vnius menſis, vel quaſi, alioquin magni capilli eius eſſent iam, & ſic ea, quæ habentur in cap. ſequenti, non addunt duos menſes, aut parum plus ad tempus, quod habetur in hoc c. & iſta fuit principalis cauſa ſi velimus aſſignare eam, quare dicitur hic, quòd Samſon iudicauerat viginti annis, & ſequenti cap. dicitur idem, ſcili. quia nunc erant completi viginti anni, & tempus ſequentis c. fuit valde modicum, & nihil videtur addere ad ea, quæ habentur hic: potuit autem Samſon conuenienter facere ea, quæ habentur in hoc c. & præcedenti anno decimo octauo, vel decimo nono, quia Samſon habebat robur, & animoſitatem à Deo, & nõ ſolum in hoc tempore, ſed etiam multo ante hoc facere potuiſſet. Item non ſolum ſtat hoc rationabiliter, ſed etiam videtur, quòd non poſſit aliter bene ſtare. Nam Samſon fecit iſta in vno anno, vel quaſi poſtquam accepit vxorẽ, ſed certum eſt, quòd non expectaret Samſon accipere vxorem ad magnam ætatem, ſed acciperet in anno vigeſimo, vel quaſi, & ſic paulo ante annum viceſimum iſta egit, & mortuus eſt nondum completo anno 19. ætatis ſuæ.

Caput VVI.

Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſq; eſt ad eam. Quod cum audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet ad eos, intraſſe vrbem Samſon, circunderunt eum, poſitus in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon vſq; *ad medium noctis. Et inde conſurgens apprehendit am*

A *has portæ fores cum postibus suis, & sera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.*

Abijt quoque. Dicto in præcedentibus de multiplici Samsonis contra Philisthinos inuasione, hic agitur de eius morte & consummatione. Fuit autem causa mortis Samsonis mulier. Ideo primò agitur, quomodo pro quadam muliere periculo se exposuit. Secundò dicitur quomodo pro alia morti succubuit, ibi. *Post hæc amauit.*

An hic sit mutatio facta, an immediatè fuerint facta.

QVÆSTIO I.

Respon. ad quæ situm. QVÆRETVR circa primum, an ista quæ habentur hic habeant continuum ordinem ad præcedentia, & an fuerint facta immediatè post illa, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quòd est hic ordo continuus, quia supra agitur de actibus Samsonis, hic agitur de fine suæ durationis, qualiter captus, & mortuus est. Ad secundum dicendum, quod ista facta fuerunt paucis diebus post præcedentia, quod colligitur, quia ista, quæ habentur in hoc capitulo, nõ adduntaliquod tempus in computatione scripturæ ad tempus, quod ponitur præcedenti capitulo: nam ibi dicitur, quòd iudicauerat Samson viginti annis Israel, scilicet computando à principio vsque tunc complebantur anni viginti, & in hoc capitulo mortuo Samsone dicitur, quòd iudicauit annis viginti: si tamen inter ea, quæ habentur præcedenti capitulo, & hic simul cum tempore, quo durauerunt in fieri ea, quæ habentur hic transiuisset vnus annus, cum dicatur præcedenti capitulo, quòd iudicauit viginti annis: diceretur hic, quòd iudicauit viginti vno annis, & tamen dicitur viginti, sicut supra: ergo videtur, quòd nec inter hoc, & illa, nec in fieri istorum durauerit annus vnus in fluendo.

B *Abyt quoque in Gazam.* Scilicet post bellum factum contra Philisthinos in Ramathlechi descendit Samson in terram Philisthinorum, & introiuit in vrbem Gazam: est enim Gaza vna de quinque ciuitatibus Metropolitanis terræ Philisthinorum: nam diuiditur terra Philisthinorum in quinq; regulos, Iosue decimo tertio, vel in quinque Satrapas, primo Regum sexto, & isti reguli, vel Satrapæ principantur in his quinque ciuitatibus cum locis comprouincialibus, & adiacentibus sibi, Iosue decimo tertio: ad istam vrbem tanquam famosam in terra Philisthinorum descendit Samson.

Quomodo audebat descendere Samson in terram Philisthinorum cum esset hostis eorum.

C

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, cùm Samson esset hostis Philisthinorũ, quomodo audebat descendere in terram eorum, & introire in vrbes suas.

Respondendum, quòd Samson incaute se exposuit, & tamen erat iuuenis, & amor iuuenilis eum ferebat: amabat enim mulieres Philisthinorum, & non Hebræorum, & ideo vt frueretur illis descendebat in terram ipsarum. Nec mirum quod Samson hæc faceret, quia & ipsę fęminæ, quia sexu fragiles, & audacia deficientes sunt: si insanè amare cœperint, omnibus se exponent malis, & nihil durum suspicabuntur, vt suo fruantur amore. Sic enim Phedra diligens insanienti amore Hippolitum loquitur ad eum Tragædia quarta Senecæ, cuius nomen est Hippolytus carmine quinto, scilicet.

Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca:
Famulamque potius, omne seruitium feram
Non me per altas ire, si iubeas, niues,
Pigeat, gelatis ingredi Pindi iugis
Non si per ignes ire, & infesta agmina.
Cunctis paratus ensibus pectus dare,
Mandata recipe, sceptra, me famulam accipe.

Multa quoque amantum atrocia facta, & insaniæ sunt, quæ abundanter poëtarum carminibus enarrantur. Etiam faciebat hoc Samson confidens de robore suo: nam si ipse videret omnes Philisthinos sibi obuios, non fugeret à facie eorum, sicut factum est præcedenti cap. nam pugnauit contra totum exercitum Philisthinorum, & occidit mille viros. Solum autem timendæ erant Samsoni insidiæ, scilicet ne quietus, & iacens occideretur, aut teneretur, sed adhuc quòd maius erat non timebat capi, quia si quis teneret eum, aut ligaret non posset retinere: nam rumperet vincula sicut fecit præcedenti cap. Amplius autem putauit Samson, quòd ipse satis incognitus esset apud Philisthinos, quia latenter introiuit in vrbem Gazam, & putauit, quod Philisthini non cognoscerent aduentum eius, sed magna insania erat ista: nec tamen mirandum, quia amor ad omnia impellebat. *Et vidit ibi meretricem mulierem.* Scilicet quæ pulchra erat & placuit oculis eius, & vocatur meretrix, quia omnium libidini patet. Vel non omnium, sed aliquorum magnum precium offerentium. Hebræi autem dicunt, quod erat hospitatrix mulier, & non meretrix per æquiuocationem huius nominis, quia æquiuocant illud ad meretricem, & ad hospitatricem. Sed istud est inconuenienter dictum: nam istud nomen, quod hic ponitur in Hebræo, scilicet zona, significat proprie meretricem: Non signat autem hospitatricem, nisi per analogiam, inquantum consueuerunt hospitatrices non honestè viuere: ideo debet semper accipi nomen in significatione propria, nisi aliquid sit quod impediat: hic autem nihil impedit, cùm Samson non esset tam honestus, vt de eo negare debeamus, quod ad meretricem accederet. Item videtur potius contra literam, quod accipiatur pro hospitatrice, quia litera vult hic, quod vidit mulierem, & ingressus est ad eam, scilicet propter hoc, quod vidit ingressus est, in quo innuitur quod dilexit, quia vidit, & ideo introiuit, & tamen si acciperetur pro hospitatrice, non diceretur quod vidit mulierem, & ingressus est ad eam, sed ingressus est in domum cuiusdam mulieris. Item Samson diligebat mulieres Philisthinas, sicut patet de prima muliere, quam dilexit in Thamnata supra 14. Etiam dilexit Dalilam in valle Soreth, infra in litera. Ita ergo de ista muliere dicendum est, quòd dilexit eam, quia pulchra erat, & petierit eam ad libidinem. *Et egressus est ad eam.* Scilicet cognouit eam carnaliter, sic accipitur communiter ex modo loquendi scripturæ. Sic dicitur Gen. 16. scilicet ingredere ad ancillam meam, si fortè suscipiam liberos ex illa, id est cognosce illam carnaliter. Sic etiam Genes. 29. Da mihi vxorem meam, quia tempus est, vt ingrediar ad illam, id est vt cognoscam illam carnaliter. Hebræi tamen accipiunt, quòd ingressus est ad eam, scilicet ad hospitandum in domo sua, sed istud nihil est, vt declaratum fuit nunc. *Quod cùm vdissent Philisthim.* Scilicet viderunt, quod ingressus fuerat Samson in domum mulieris meretricis. *Et percrebuisset apud eos intrasse vrbem Philisthijm Samson.* Id est fuit fama per ciuitatem subito, quod Samson introierat in vrbem. *Circundederunt.* Scilicet circundederunt domum mulieris meretricis, vt quando exiret caperetur.

D

E

F

Quare Philisthini non acceperunt Samsonem in domum mulieris occurrendo.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quare Philisthini non acceperunt Samsonem in domum muleris occurrendo, quia non posset fugere, & ibi poterant eum iaculis confodere, vel diruere domum super ipsum, vel cremare eum cum domo. Respondet Nicolaus, quod fortè domus talium mulierum sunt priuilegiatæ, vt intra eas nullus capiatur, aut possit sibi noceri, quantumcunque sit facinorosus: sic enim est in quibusdam regionibus: & ob hoc Philisthini seruantes legem terræ suæ non nocuerunt ei in domo: sed disposuerunt custodias extra domum, & in portis vrbis, vt non posset exire: & postquam egrederetur de domo mulieris caperetur. Sed ista ratio non stat, quia hosti non est seruenda lex: erat autem Samson atrocissimus hostis Philisthinorum, & intrauerat in vrbẽ eorum, ideo non solùm non gaudebat aliqua immunitate locorum, sed etiam erat valde iniustum quod gauderet, cùm hostis veniat ad disperdendum terram & legem, & loca ipsa, in quibus immunitas est: nihil tamen hosti seruandum est, nisi quod cum conuenitur, aut quod omnium gentium vsu, & approbatione communiter inter hostes obseruatur, & vo-

Lyranus reprehenditur

A catur ius gentium, non eſt tamen de iure gentium quòd aliquis intrans occultè in loca hoſtium ſuorum gaudeat aliqua immunitate locorum. Item dato quòd Samſon deberet de iure gaudere hac immunitate, Philiſthini non obſeruaſſent ei hoc : quia valde cupiebant eum occidere, eo quòd nimis nocuerat eis. Sed dicendum quòd Philiſthini non curauerunt capere eum intra domum mulieris, quia clauſis portis vrbis poterant eum capere conuenienter egredientem de domo mulieris : ſi autem villa non habuiſſet muros, & portas, ipſi conati fuiſſent capere eum intra domum ne effugeret. Item putauerunt Philiſthini, quòd ſi vellent capere eum intra domum potius eum occiderent, quàm caperent, & tamen ipſi deſirabant ipſum viuentem capere vt exercerent in eo ludibria, ſicut poſtea fecerunt, ideo voluerunt quod egrederetur domum, quia extra putabant eum ſine morte capiendum. Item non potuiſſent eum capere intra domum mulieris, niſi vel dirueretur domus, vel incenderetur domus, & cum putarent ſe aliter poſſe capere eum, noluerunt hoc damnum inferre. *Poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus.* Præter cuſtodes, qui erant in circuitu domus mulieris, poſuerunt alios ad portam vrbis, vt ſi forte Samſon elaberetur manus eorum, qui erant in circuitu domus, veniret ad portas vrbis, vt fugeret, & ibi teneretur. Etiam erant iſti cuſtodes, vt Samſon non poſſet effugere per murũ dimiſſus in aliqua corda, quia fortè cum videret portas clauſas conaretur deſcendere per

B murum ligatus funibus : iſti autem cuſtodes poterant hoc impedire non dantes ei locum ad faciendum hæc: & ſic conuocaretur tota ciuitas, & caperent Samſonem. *Et ibi tota nocte cũ ſilentio præſtolantes.* Scilicet expectabant quidam cuſtodes apud domum meretricis in circuitu : alij autem ad portam vrbis, & vtrique erant cum ſilentio, vt Samſon non putaret aduentum ſuum cognitum, & inopinatus egrederetur tanquam nullis ei inſidiantibus, & caperetur. *Vt facto mane exeuntem occiderent.* Scilicet vt cùm exiret in aurora caperent eum, & occiderent ſi vellent. Vel ſeruarent ad ludos : ſicut fecerunt, quando cæperunt eum induſtria Dalilę meretricis, vt infra in litera. *Dormiuit autem Samſon vſque ad noctis medium.* Scilicet manſit vſque ad illud tempus cum meretrice, & ad mediam noctem ſurgens receſſit, hoc autem fecit, quia voluit latere Philiſthinos introitum, & exitum eius. Nam putabat quod Philiſthini neſciebant eum introiuiſſe in vrbem, & ſi exiret in aurora, viderent illum, & caperent, voluit media nocte egredi, quando nullus eum videre poterat, *Et conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum hoſtibus ſuis, & ſera,* ſcilicet, iuit vt egrederetur per portam, quæ clauſa erat firmiter, ideo tulit ambas fores, & impoſuit humeris ſuis atque receſſit. Accipiuntur autem hic proprie fores & porta, quia porta non eſt ianua aliqua, ſed ipſa apertio muri, in qua ponuntur valuæ, vt claudant, & aperiant : fores autem vocantur ipſæ valuæ, vel ianuæ. Samſon autem portauit ambas fores,

C quia cùm forte eſſent fores clauſæ ipſe percuſſit ealce portas, & deiecit ad terram, & cum tunc poſſet exire, non fuit contentus exire, ſed accepit valuas portę ſimul cum ſera, & etiam poſtes, ſcilicet ſuperliminaria, & liminaria, & omnia ligna, quæ in circuitu erant terræ infixa, quibus valuæ innitebantur eruit, & ſimul tulit. *Et impoſitas humeris portauit ad verticem montis.* Id eſt impoſuit eas ſuper humeros vtramq; ſimul eleuans : nam ambæ erant ligatæ ſera forti, & noluit frangere ſeram, vt melius portaret valuas. *Qui reſpicit Hebrõn.* Iſte mons ſatis diſtabat ab vrbe Gaza, & erat verſus terram Iſraelitarũ, & reſpicit vrbem Hebron, ſcilicet, quòd circa Hebron eſt

Situs montis Hebrõ. mons ille, vel inde videtur Hebron. Erat autẽ Hebron quædam ciuitas de famoſiſſimis in tota ſorte tribus Iudę, vbi Dauid vnctus eſt in regem, & regnauit ibi annis ſeptem & dimidio, vt patet 2. Reg. 2. & 5. cap.

Quomodo Samſon potuit valuas vrbis ferre, non impedientibus cuſtodibus.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, quomodo Samſon potuit valuas vrbis ferre, non impedientibus eum cuſtodibus, qui erant in circuitu domus meretricis, & cuſtodibus, qui erant ad portam vrbis.

Doctor. reſpon. ad quæſitum.

Aliquis dicet, quòd illi cuſtodes abierant ad dormiendũ, D quia putabant quod non egrederetur vſque ad auroram, & ipſi intendebant redire ante auroram. Sed obiicietur, quia dicitur in litera, quòd circundederunt domum eius poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte præſtolantes cum ſilentio, vt facto mane eum occiderent : ergo non potuit egredi quando ſtarent ibi cuſtodes. Aliquis dicet, quòd Philiſthini ſic concordauerant, quòd manerent cuſtodes ad portam tota nocte : & tamen poſtea putauerunt, quòd caperent eum in aurora, etiam ſi non ſtarent ibi tota nocte, & ob hoc receſſerunt, & cùm venit Samſon ad portam, nullus cuſtodiebat. Sed hoc non poteſt ſtare, quia ſignificat litera non ſolùm, quòd ſic diffinuiſſent facere Philiſthini, ſed etiam quòd ſic fecerint, quia dicitur quod circundederunt domũ poſitis cuſtodibus ad portam vrbis, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes. Ergo narratur hoc tanquam factum, & non tanquam cogitatum ſolùm. Cogitauerunt autem occidere Samſonem, & hoc non fecerunt : ideo, vt, quod importat finem ſolum determinat illud, ſcilicet vt facto mane eum occiderent. Videtur ergo dicendum, quòd cuſtodes ad portam erant, quando Samſon ſurrexit. Et tunc aliquis dicet, q̃ tenebantur ſopore grauiſſimo, & non viderunt recedentem Samſonem. Sed iſtud non ſtat, quia Samſon deiecit portas vrbis in terram calce, vel alio ictu ad hoc quòd portaret eas in humeris, ad quod neceſſarius erat magnus fragor, & ſic euigilarent cuſtodes, qui erant apud portas. Aliquis dicet E aliter, quòd cuſtodes erant in circuitu Samſonis egredientis de domo, & ipſe pugnauit cum eis, atque fugauit, & rurſus cum aliis, qui erãt apud portam pugnauit, & fugauit illos, & tunc nullo impediente valuas deiecit atque portauit. Sed iſtud videtur dubium nimis, quia ſi pugnaſſet contra cuſtodes, illi vocaſſent facto clamore viros totius ciuitatis, & ſic antequam Samſon exiret, oportebat quod pugnaret cũ tota ciuitate, & faceret magnam ſtragem, quam non ſubticeret ſcriptura. Etiam dato quòd cum ſolis cuſtodibus pugnaret non ſubticeretur, quia ſcriptura computat bella ſua, quæ fecit contra Philiſthinos etiam minimum, ſcilicet in quo occidit triginta viros Aſchalonitas ſupra 14. cap. ideo etiam iſtud ſaltem in confuſo tangeret. Dicendum ergo videtur, quòd Samſõne egrediẽte erant cuſtodientes aliqui in circuitu domus meretricis, & alij ad portam vrbis, ſed viſo eo contremuerunt, nec auſi ſunt mouere manum contra eum, ſed potius fugerunt, ne occideret eos, ſi præſentes eſſent : ſciebant enim quòd ipſe ſolus fugauerat totum exercitum Philiſthinorum, & occiderat mille viros, præcedenti cap. & ſic nullo impediente deiecit ianuas vrbis ad terram, & portauit eas.

Ad quid Samſon portarit vrbis ianuas ſuper humeros ad montis verticem.

QVÆSTIO V.

F

QVÆRETVR vlterius, ad quid Samſon portauit ianuas vrbis ſuper humeros ad verticem montis. Reſpondendum quòd Samſon fecit hoc ad oſtentandum magnum robur ſuum. Nam ea, quæ fecerat Samſon pugnando contra omnes Philiſthinos ſimul, & occidendo mille, licèt oſtendant magnum robur, magis tamen oſtendunt animoſitatem magnam quàm vires. Hic autem oſtenſæ ſunt vires, quia erat aliquid admirandum, & non ſolùm ſupra vires huius hominis, ſed etiam ſupra vires multorum ſimul, quòd portas ſimul cum poſtibus nullo adiuuante ſuper humeros poneret, cum poſtibus, & omnibus appenditiis ſuis eas per magnum tractum ab vrbe portaret vſquequo poneret eas ſuper verticem montis: placebat autem Samſoni oſtentare robur ſuum, cùm quilibet gaudeat oſtentando perfectionem, quæ in eo eſt, quia in hoc videtur eſſe fruitio. Secundo fecit hoc ad oſtendendum ſe non timere Philiſthinos ſimul, nec appreciari in aliquo, quia exiens de vrbe illorum non fugiebat quantum poterat, ſicut qui euadit de manu hoſtis, ſed lento gradu mouebatur ſecum ferens valuas ciuitatis eorum. Tertiò fecit hoc ad irridendum Philiſthinos, & ad dehonorandum, ſcilicet quia non ſolum obtinebat contra eos in bello, & fugabat illos, ſed etiam vrbibus ſuis portas auferebat ad opprobrium, quia non poterat eſſe maius opprobrium illorum.

A Sic etiam cum Hiſpania propter peccata vetera ab Afris de ſecta Maometica vaſtaretur: peruenit quidam rex potentiſſimus eorum vſque Compoſtellam in finibus Gallitiæ, vbi beati Iacobi Apoſtoli corpus tumulatum iacet,& portas maioris Eccleſiæ inde tulit, ferens ad vrbem Cordubam longe inde diſtantem ad inſigne gloriæ ſuæ, & magnam ignominiam Hiſpanorum. Vnde vſque hodie porta illa maior Eccleſiæ ſine valuis manet in Eccleſia Iacobitana.

Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Soreth, & vocabatur Dalila. Venerunt q; ad eam principes Philiſthinorum, atque dixerunt. Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille centum argenteos. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas? Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem neruiceis funibus necdum ſiccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri homines. Attulerunt que ad eam ſatrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, vt dixerat, quibus vinxit eum, latentibus apud ſe inſidijs, & incubiculo finem rei expectantibus, clamauitque ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon: Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum ſputamine, cùm odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum, in quo eſſet fortitudo eius. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: Saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas. Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero nouis funibus qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis. Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamauit: Philiſthiim ſuper te Samſon, in cubiculo inſidijs præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum. Dixitque Dalila rurſum ad eum Vſquequo decipis me, & falſum loqueris? Oſtende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: Si inquit ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Quod cùm feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon: Qui conſurgens de ſomno, extraxit clauum cum crinibus & licio. Dixitque ad eum Dalila. Quomodo dicis, quòd amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua.

Pari ſius cõdatur.

B

Parmæ condi tur.

Supra eod. & infra eod.

Supra eod. & infra eod.

C Quomodo Samsõ proalia mulierę mortiſuccubuit.

Poſt hæc. Hic ponitur ſecundum principale huius cap. in quo pro quadam muliere Samſon morti ſuccubuit ſcilicet pro Dalila. Et diuiditur in tres partes, quia primò ponitur mulieris inquirentis fraudulenta roboris Samſonis inquiſitio. Secundò veritatis apertio ibi. *Cumque moleſta ei eſſet.* Tertiò Samſonis comprehenſio ibi. *Quem cum comprehendiſſent.* Prima in 3. ſecundum q̃ ponitur triplex inquiſitio, & fallax Samſonis reſponſio. Secunda ibid. *Dixitque ad eum Dalila.* Tertia ibi. *Dixitque Dalila rurſus.* Circa primum dicitur. *Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Soreth.* Scilicet poſtquam exiuit de vrbe Gaza adhuc non fugit omnino de terra Philiſthinorum timens hoſtes, ſed rediit ad terram illam, & vidit in valle Soreth mulierem pulchram, & dilexit eam: non fuit magnum tempus inter id quòd fecit in vrbe Gazæ, & id quod dicitur hic, vt declaratum eſt in principio cap. In Hebræo dicitur. *In torrente Soreth.* Litera autem noſtra poſuit in valle, quia certum erat, quòd non habitabat in torrente, ſed apud torrentem: & quia torrentes ſunt in locis decliuibus, ſcilicet in vallibus, dixit in valle Soreth. Potuiſſet etiam dicere quòd habitabat apud torrentem Soreth. *Et vocabatur Dalila.* Iſta eſt quæ Samſonem morti tradidit, & ſcriptores aliqui corrumpunt nomen iſtud dicentes Dalida interponentes. d. ſed nihil eſt. Nam in Hebræo vocatur Delila ſed mutata eſt e. in a. vt magis conformaretur modo latinorum.

D

Quare Samſon venit rurſus in terram Philiſthinorum ad Philiſtinam mulierem.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quare Samſon venit rurſus in terram Philiſthinorum ad mulierem Philiſthinam, quia iam viderat ſe in periculo in vrbe Gazæ

Reſpondendum, quòd Samſon mouebatur multiplici motiuo. Primum erat, quia amabat, & amantes nequeunt tenere modum. Nam in amore tenere modum aut ſeruare prudentiam nihil aliud eſt quam ſi quis cum ratione inſaniat: & quia iuuenis erat, & diligebat nimis, paſſio naturaliter contemptis periculis imò non reputatis, proſequebatur ſuum delectabile, quia vt ſupra dictum fuit, non ſolùm Samſon, ſed etiam cuicunque infirmo viro, & etiam mulieri, dũ tamen inſanè amet nullum periculum reputatur. Secundum erat, quia Samſon contemnebat Philiſthinos tanquam nihil ei obeſſe poſſent: videbat enim, quòd ipſe ſolus effugauerat totam aciem eorum, & occiderat mille viros, nihil difficultatis in hoc reperiens.

Tenere modũ in amore eſt ei rationi inſonare.

Etiam ingreſſus in vrbem Gazam nihil mali paſſus eſt: quin potius portas vrbis ad eorum opprobrium portauit humeris vſque ad montem: nunc ergo putabat, quòd nihil ei nocere poſſent. Tertium erat, quia Samſon non putabat ſe nunc exponere periculis: nam cùm introiuit Gazam, in qua erant portæ, & ſeræ, erat periculum aliquod, ſed nunc amabat mulierem in valle Soreth, vbi erat villula ſine muris, & poſſet effugere, nec videbatur ſibi, quòd ſe exponeret periculo. Quartum erat, quòd peccata Samſonis demerebantur mortem, & Deus in pœnam permittebat eum cadere in manus hoſtiles, & ſinebat imò excæcabat eum, vt illa faceret, quæ ei nocitura erant.

E

Quomodo Samſon ſemper amabat mulieres Philiſthinas.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo Samſon ſemperamabat mulieres Philiſthinas: nam inter Iſraelitas erant mulieres pulchræ, quibus ſine periculo frui poterat. Aliquis reſpondebit quòd hoc fiebat à Deo incitante Samſonem, vt magis diligeret iſtas, quàm Hebræas, ſic patet ſupra 14. nam petiuit Samſon in coniugem mulierem Philiſthinam, & pater nolebat eam dare, & ſequitur, parentes autem eius neſciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occaſionem cõtra Philiſthiim, ſcilicet ad hoc quòd occaſione vxoris pugnaret contra illos, ſicut factum eſt poſtea, ita & nunc fieret. Dicendum quòd non ſtat propter duo. Primò quia quando Deus incitauit ad amandum puellam Thamnathæam fuit hoc, vt faceret bella, & damna, quæ fecit Philiſthinis, patet ſupra 14. & præcedenti cap. & tamen poſt cum dilexit Dalilam non pugnauit ipſe contra Philiſthinos, ſed potius ipſi cæperunt eum, & exoculauerunt. Secundum eſt, quia Samſon motus eſt ibi deſiderio licito, ſcilicet ad accipiendũ puellam in vxorem: hic autem mouebatur ad cognoſcendum fornicariè: Deus autem ad licita mouet, ſicut eſt matrimonium: ad illicita autem ſiue meretricium non mouet.

F

Sed dicendum quòd mouebatur Samſon ad Philiſthinas potius quàm ad Iſraelitas mulieres, quia fortè erant aliquæ pulchriores inter Philiſthinas, quàm inter Iſraelitas, & cùm iuuenis eſſet & feruens, mouebatur in pulchritudinem. Vel fortè licèt non eſſent tam pulchrę, erant inter eas aliquę, quę magis placebant Samſoni quàm aliæ, quæ erant inter Iſraelitas. Eſt enim quædam paſſio, quam medici amorem hereos vocant, ſecundum quam aliquis fertur tam inſano amore in aliquam, vt pereundum ſit ſibi morte certiſſima, atque veloci, niſi amore ſuo potiatur: ſicut Ammon filius Dauid patiebatur ad ſororem ſuam Thamar, ſecundo Reg. 13. ſic etiam Sichem filius regis Emor ad Dinam filiam Iacob, Geneſis trigeſimo quarto. Mulieres quoque è contrario ad viros, vt fuit Phedra ad Hippolitum. Et ſic de aliis innumeris, de quibus apud poëtas, & hiſtoriographos magna enarratio eſt.

Doctor. reſpon. ad quæſitum.

Hereos diffi. i lis curationis.

Amor quomodo ſit.

Iſta

A

Ista autem passio fit non ex desiderio naturæ ad euacuandũ superfluum propter titillationem caloris venerei, quia amor vt qualibet expleri potest: sed ex sola apprehensione formæ, quia illa forma videtur ei iucunda: & nulla alia mulier, etiam si sit nimis speciosa etiam plusquam illa, placebit: omnes enim repudiabuntur propter illam, quæ tali amore diligitur. Est autem curatio talis ęgritudinis difficillima, quia cùm ipsa non surgat ex qualitatibus aliquibus corporalibus, sed ex phantasiæ apprehensione, per phantasiam curari debet: sed phantasia directè medico non subest. Prouenit autem vt plurimum passio ista ex actione cœli: nam corpora cœlestia magnam virtutem habent super phantasiam licèt non super intellectum, & voluntatem: intantum quòd naturaliter causatur concordia inter aliquos in operibus, vel discordia ex conditione natiuitatis, licèt sit postea homini facultas ad euitandum istos actus, ad quos inclinatur. De hoc Ptholomæus in centiloquio propositione 32. ait: Concordia aliquorum in re aliqua est, quòd reparatur ex significatore illius rei in vtriusque natiuitate. Si ergo fuerit in esse laudabili erit inter illos concordia bona: & qui fortior loco fuerit, erit sicut princeps, & agens: & debilior sicut patiens, & subiectus: scilicet quòd quando quæritur specialiter de aliquo opere, vtpote de elegẽdo, vel comedendo, vel pugnando, an aliqui duo in illo concordabunt, non oportet quòd astrologus consideret figuram natiuitatis cuiuslibet eorum, & aspiciat significatorem illius negocij, vel operis, de quo quærebat an concordarent, & si fuerit vnus eorum aspiciens alterum ex trino, vel sextili aspectu: significabit per hoc quòd conuenientia in illo opere erit: si autem fuerit aspectus ex quarto, vel opposito signat maximam discordiam, quæ erit inter illos in hac re, & si non se aspexerint non perficietur concordia inter eos in re illa, & cùm se aspexerint fortior in domo, & in angulo erit princeps. Sic ait Aly, Abben, Razel, Sic etiam ex opere cœli causatur inter aliquos ieclinatio magna ad amicitiam, & dilectionem. Sic ait Ptolomæus in centiloquio propositione 33. scilicet. Amicitia, & inimicitia accipiuntur ex mutatione locorum duorum luminarium in duabus natiuitatibus ex consimilitudine ascendentium in amicitia, & discordia: & signum obediens est fortioris amicitiæ. Et est sensus, quòd cùm sol fuerit in alicuius natiuitate, vbi fuerit luna in natiuitate alterius, & fuerit luna in natiuitate prima, vbi fuerit sol in natiuitate secunda: fueritque ascendens vnius in sextili aspectu ascendentis alterius, vel in trino: firmabitur inter illos dilectio, & signum obediens alterius erit fortioris dilectionis, & inclinationis, id est diliget magis alium quàm diligatur ab eo; vt ait Aly, Abben, Razel, ita ergo accidet ex figura cœli aliquem ad amandum moueri aliquem insanè: licèt è conuerso non sit modus: & quia non est concordia illa ad alias formas, quamquam pulchras, non afficietur iste vir sic ad alias mulieres, sicut ad istam, licet pulchriores sint: vnde verè dixit ille, qui dixit.

Curatio amoris hereos difficillima.

B

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

C

Sic forte accidit misero Samsoni, vt pateretur ad aliquas de mulieribus Philisthinorum, ideo amabat plus illas, quam mulieres Israelitas. Alia causa esse potest ex excæcatione Dei, quia licet Deus non incitaret Samsonem ad hoc, quia malum: tamen propter demerita sua permittebat eum diligere nocentia sibi. *Venerunt que ad eam principes Philisthinorum.* Scilicet scientes principes Philisthinorum, quòd Samson frequenter veniret ad Dalilam, venerunt ad eam exorantes, & offerentes precium, vt traderet Samsonem in manibus eorum.

Qui erant principes hi Philisthinorum.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, qui erant isti principes Philisthinorum. Respondendum, quòd erant quinque principes totius terræ Philisthinorum: erat enim diuisa terra in quinque regna per quinque ciuitates metropoles terræ illius, scilicet Gaza, Aschalon, Geth, Ascharon, & Azotum, vt patet Iosue 13 & primo Regum sexto. Erant autem isti quinque principes reges, vel satrapæ, id est principes magni, vt patet allegatis c Quod autem isti principes erant, qui venerunt ad Dalilam, patet, quia infra dicitur, quòd satrapæ Philisthinorum attulerunt ad Dalilam septem funes, & tamen satrapæ erant reges eorum: isti autem humiliabant se tantum, vt venirent coram Dalila, quia erant nimis soliciti de salute terræ suæ, & honore: & tamen ipsi per Samsonem dehonorabantur, & terra eorum vastabatur: & quia putauerunt, quod mulier ista posset eum tradere in manus eorum, iuerunt omnes ad eam, vt magis eam inclinarent, & voluerunt eam inclinare duobus modis, scilicet honore, & pecunia, vtrumque enim magnum est allicitiuum fœminarum. De primo patet, quia non poterat esse maior honor Dalilæ quàm vt quinq; reges terræ Philisthinorum venirent ad precandum aliquid obtinere ab illa: feminæ autem cum sint elatæ naturaliter, mouentur valde ad aliquid per laudis conditionem, & honorem. De secundo patet, quia quilibet istorũ principum promisit ei dare mille & centum argenteos, vt patet infra, & tunc ipsa nimis ad hoc cõmota diligentem operam exhibuit, quo vsque compleuit. *Atque dixerunt: decipe eum.* Scilicet per blanditias, vt non intelligat quòd inquirat fortitudinem eius ad aliquod malum: sic dixerunt iuuenes primæ puellæ, quam dilexit Samson: Blandire viro tuo, & suade ei, vt indicet tibi quod significet problema. supra 14. cap. *Et discę ab illo, in quo tantam habeat fortitudinem.* Scilicet vt nos cognoscamus, vt possimus tenere eum.

D

Honor, & pecunia multũ allicit fœminas.

Quomodo Philisthini quæsiuerunt de Samsone in quo tantam haberet fortitudinem.

E

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo Philisthini quæsiuerunt de Samsone, in quo tantam haberet fortitudinem: nam videbatur ista quæstio nimis superflua, quia existimare debebant, quòd Samson habebat vires, vbi alij homines habebant. Insunt enim vires ossibus, neruis, & musculis, quia qui neruos propensiores habet, & ossa grossiora fortior est, vt ait Isidorus 11. Etimologiarum. Sic debebant de Samsone imaginari. Respondendum, quòd Philisthini moti sunt rationabiliter ad inquirendum hoc, quia ipsi videbant corpus Samsonis, quòd non erat maius corporibus aliorum hominum, nec membra erant differentia à membris aliorum: & dato quòd ex bona complexione, vel ex aliqua speciali virtute excederet aliqualiter vires aliorum, non erat admirabile, tamen ipse faciebat opera, quæ excedebant tam differenter vires humanas, quòd non solum vnus homo solus, imò quòd nec centum homines simul possent facere, quę ipse faciebat, scilicet portas vrbis simul cum postibus humeris imponere, & portare ad montem. Etiam rumpere tam fortia vincula, quæ à centum hominibus trahentibus rumpi non possent, ideo erat opinio apud omnes Philisthinos, quòd vires suæ non erant naturaliter in eo sicut in cæteris hominibus, sed quòd fortè adiuuabatur à dæmonibus ad facienda hæc, vel habebat aliquid alligatum alicui parti corporis, quo stante haberet vires, & illo absente careret eis, vt possent Philisthini illud ei auferre, & secundum veritatem sic erat, quia vires suę non erant in ossibus, & neruis tanquam ex eis existentes, sicut sunt in aliis hominibus, sed erant ex Dei munere, & erant in præsentia capillorum, quibus ablatis manerent Samsoni solæ vires, vel quas ex complexione habebat. De alio autem homine non sic inquirerent, quia putarent eum habere vires, sicut cæteri homines habent. *Et quomodo eum superare valeamus.* Quasi dicat, nunc ipse superat omnes nos: nec isto modo est possibile, quòd nos habeamus victoriam de illo, ideo quære ibi habeat vires: & sic superabimus eum. Vel ponuntur istæ tanquam duæ clausulæ, scilicet quod Dalila sciret, vbi erat fortitudo Samsonis: & quia non sufficiebat istud ad intentionem Philisthinorum, adhuc quærere debebat, quomodo poterat carere istis viribus.

F

In quibus partibus corporis sint vires.

Cur Philisthini quærebant qua in parte corporis Samson vires haberet.

QVÆRETVR, quare Philisthini inquirebant istud, quia poterant eum alio modo occidere: nam Samson sæpe veniebat ad Dalilam in vallem Soreth, & manebat cum ea:

A

tunc poterant Philisthini parare exercitum magnum subito superuenientem: vel per noctem, dum maneret Samson cũ illa, & tenerent eum. Respondendum, quòd Philisthini poterant sæpe circundare Samsonem ad tenendum eum, & tamen non audebant putantes se non posse proficere: nam iam conuenerat semel exercitus Philisthinorum contra eum in campo, & ipse inermis occidit mille, & effugauit reliquos, præcedenti capit. etiam iam fuerat inclusus intra vrbem Gazæ: tamen non potuit tota vrbs tenere eum, quia portas humeris imponens abstulit: & sic credebant, quòd quamquam nunc congregaretur totius exercitus terræ Philisthinorum, non possent superare eum, sed potius darent ei victoriæ materiam, & occisionis in Philisthinos. Sed dicetur, quare saltem dum sæpe dormiret Samson cum Dalila, non ligabant eum multis funibus grossis, & sic tenerent eum. Respondendum, quòd putabant istud non proficere, quia viderant quando duxerunt eum viri Iuda vinctum, habebat funes grossos, & tamen illi continuo, vt ipse traxit eos rupti sunt, ideo nisi scirent quid erat, in quo erant vires Samsoni, putabant superfluum esse tentare hæc. *Et vinctum affligere.* Id est quo possimus eum ligare, & non effugiet, sed possit ibi affligi. *Quod si feceris dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* Ista erat multa pecunia, sed erat res magna, quam facere debebat Dalila, & satis merebatur apud Philisthinos pecuniam istam, & maiorem. Erant enim argentei nummi facti de argento magni valoris. Principes autem qui daturi erant hanc pecuniam, erãt 5. satrapæ Philisthinorum, & sic darent quinque millia, & quingentos. *Locutaque est Dalila ad Samson.* Hic incipit prima inquisitio, quia Dalila honore magno commota, scilicet quia ad eam veniebant principes totius terræ Philisthinorum. Etiam quia promittebant magnam pecuniam se daturos, solicite cæpit negocium. *Dic mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo.* Credendum est quod Dalila præmisit aliquas blanditias, vt alliceret Samsonem. Vel forte erat cum ea in aliqua magna iucunditate, & tunc quæsiuit, quia credidit quòd non posset negare. Et dixit: maxima fortitudo tua quæ est maxima inter fortitudines omnium hominum. Vel maxima fortitudo, scilicet quòd tu habes fortitudinem in multis partibus, sed dic mihi in qua parte corporis tui, vel in qua re est fortitudo tua maxima? *Et quid sit quo ligatus erumpere nequeas.* Non bene quæsiuit Dalila, quia forte talis erat conditio fortitudinis Samsonis, quòd nullum ligamen erat, quo ligatus posset firmiter teneri: & tamen poterat alio modo superari, ideo debuisset potius dicere, quid est quo potes superari. Putauit tamen Dalila, & Philisthini, quòd si cognoscerentur vires Samsonis, quòd possent deficere: & aliquid esset, quo posset ligatus teneri. In Hebræo dicitur. *Quid est, quo ligari potes ad te affligendum.* Sed idem est affligi, & non posse erumpere: *Cui respondit Samson.* Noluit veritatem ei exprimere, & tamen, vt non contristaret eam, cùm diligeret eam nimis, dixit ei istud quod sequitur, vt interim gauderet putans se veritatem cognouisse. *Si septem neruiceis funibus.* Dixit istud Samson, licèt non esset verum ad colorandum mendacium suum, quia non videtur aliquid fortius quam nerui, ideo nerui grossi extracti de corporibus animalium sunt fortissimi ad ligandum. *Nec dum siccis, & adhuc humentibus.* Ista duo eandem sententiam faciunt, quia esse neruos nondum siccos, & esse humentes idem est: dixit autem Samson hoc ad colorandum mendacium, quia tales nerui cùm trahuntur extenduntur, sed nunquam rumpuntur: nerui autem desiccati frangi possunt præ duricie magna. *Infirmus ero, vt cæteri homines.* Scilicet habebo paucas vires, vel saltem non potero rumpere vincula.

B

Prima inquisitio de Samsonis fortitudine.

C

An Samson peccarit pœnes eius fortitudinis expressionem.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, cùm Samson mentitus fuerit hic circa expressionem fortitudinis suæ an peccauerit. Respondendum quòd peccauit, quia non habebat Samson aliquam causam quæ induceret eum ad mentiendum aut quæ efficeret mendacium istud pernicioſum, officioſum, ita vt esset excusabile. Sed tunc dicetur, quòd si Samson peccauit mentiendo: ergo tenebatur veritatem dicere, scilicet ostendendo fortitudinem suam, & sic putaretur malum: quia Philisthini comprehenderent eum. Respondendum quod non tenebatur Samson ad aliquid istorum, scilicet nec ad mentiendum, nec ad veritatem manifestandum, sed poterat tacere, quia nullus obligabat eum respondere illi mulierculæ, ipse tamen voluit respondere, vt non contristaret eam, quia diligebat illam, & ille amor erat illicitus, scilicet fornicarius, & vt non inueniretur fortitudo sua, voluit mentiri, ideo peccauit. *Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes.* Isti satrapæ erant nimis diligentes in hoc opere. Et est præsupponendum quod cum Dalila quæsiuit ista à Samsone latebant satrapæ Philisthinorum, id est quinque reges, vel principes in aliquo loco, in quo Dalila eis colloqui posset, & detulit ad eos responsum de funibus neruiceis. Illi autem continuo inquisiuerunt, & attulerunt ad Dalilam: & non mittebant nuncios aliquos isti reges Philisthinorum, sed ipsi per se veniebant, vt diligentius fieret istud opus, & vt ipsi consequerentur hanc gloriam, scilicet, quod capiebant hostem tam terribilem. Agebant autem magna solicitudine, & industria istud opus, quia tota salus Philisthinorum pendebat in capiendo Samson: nam si non caperent eum, paulatim destrueret eos, sicut fecerat in duobus bellis, quæ habentur præcedenti cap. *Vt dixerat.* Id est tales sicut Dalila dixerat, scilicet funes neruiceos, & humentes, quibus vinxit eum, scilicet Dalila vinxit eum dum dormiebat, vt Philisthiim venientes tenerent eum.

D

E

Quare non ligabatur Samson ab aliquo de Philisthinis potius quam à Dalila.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quare non ligabatur Samson ab aliquo de Philisthinis, qui firmius ligaret quam Dalila: nam forte ipsa ligaret ita debiliter, quòd sine ruptione vinculorũ ipse posset illa soluere. Respondendum quòd nullus ausus est, quia timuerunt quòd dum ligaret eum fortè excitaretur, & tunc percuteret ad mortem, quem apud se reperiret, & omnes alios, qui laterent in domo in insidiis. Etiam si comperiret hoc, nunquam confideret Dalilæ: imò occideret eã, & caueret sibi de cætero à Philisthinis, nec possent eum capere. Si autem Dalila ligante eum Samson euigilaret antequã plenè ligaretur, non ob hoc timeret mortem Dalila, quia diceret quòd faciebat ex amore nimio, quę ad eum gerebat: ideo volebat habere experientiam fortitudinis eius, ideo tutius fuit quòd ipsa ligaret. *Latentibus apud se insidijs.* Scilicet in domo Dalilæ erant satrapæ 5. Philisthinorũ cum aliis Philisthinis latentes, vt cùm ligatus esset Samson tenerent eum & affligerent. *Et in cubiculo finem rei expectantibus.* Scilicet latebant intra cubiculum isti insidiatores, & expectabant vsquequo Dalila ligaret Samsonem, & vt videret an ligatus possit erumpere. Et est intelligendum, quòd insidiæ erant in cubiculo, quia Samson non erat tunc in cubiculo cum Dalila, sed extra in alio loco manifestiori: & dormiebat ibi in gremio eius: insidiæ autem latebant in cubiculo, vt essent in loco secretiori. Vel fortè erat Dalila cum Samsone in cubiculo, id est in camera, & ibi in aliqua parte cameræ erant abscónditi insidiatores, quia camera erat magna. Sed primum verisimilius est.

F

Quare Philisthini non irruerunt illico super Samsonem à Dalila captum.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quare Philisthini non irruerunt super Samsonem illico, vt Dalila eum ligauit, sed expectabãt finem rei. Respondendum, quòd Philisthini nescìebant an verum dixisset Samson, & an Dalila vellet eos fallere, & si antequam viderent finem rei erumperent, fortè Samson rumperet vincula, & percuteret eos, sicut fecerat præcedenti cap. quando rupit vincula. Vel saltem si videret insidias, & fugeret de manibus illorum, nunquam possent eum capere, quia caueret nimis illos, ideo expectabant finem rei, scilicet an postquam Dalila excitaret Samsonem, & ipse conaretur vincula rumpere posset, vel non: quia si posset, manerent

A nerent in insidiis suis, & non cognosceretur quod venissent ad eum. Si autem non posset rumpere vincula egrederentur, & tenerent eum. *Clamauitque ad eum: Philisthium super te Samson.* Dormiebat Samson quando ligabatur, & postquam ligatus est clamauit ad eum Dalila.

Quare Dalila clamauit in capiendo Samsonem.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quare Dalila sic clamauit, quia securius capi poterat Samson, si dormiens postquam ligatus esset tenerent eum Philisthini.

Respondendum, quod non audebant Philisthæi sic tenere eum, quia nesciebant an fortitudo eius adhuc maneret, vel non: & si maneret, & erumperet de laqueo, occideret omnes astantes: ad sciendum autem an haberet fortitudinem, oportebat sic eum vocari, vt ipse conaretur se soluere si posset, alioquin scirent eum carere viribus, & tunc confidentes tenerent illum. Sed dicetur, quod alio modo poterat hoc sciri, scilicet, si Samson permitteretur euigilare ligatus non dicto ei de Philisthinis. Nam tunc si posset se soluere, solueret: alioquin vocarentur tunc Philisthini de insidiis: Vel fieret alias, scilicet, quod Dalila tunc solueret eum, & cognito certissime vbi erant vires eius vocaret Philisthinos iterum ligando eum, dum dormiret, & tunc dormientem caperent.

B *Debi latio resp.*

Dicendum, quod per istum modum non possent scire Philisthini fortitudinem Samsonis, quia forte Samson volens fallere Dalilam, quando euigilaret ligatur neruiceis funibus fingeret se nequaquam posse rumpere, sed faceret quod Dalila rumperet vincula ferro, vel solueret nodos, & crederet ipsa quod vere carebat tunc Samson viribus, & vocaret tunc Philisthinos ad capiendum eum iterum, cum dormiret ligando eum. Sic & Samson tunc euigilans rumperet vincula, & percuteret Philisthinos: iste autem modus, de quo nunc erat ad sciendum vires Samsonis conuenientissimus, quia cum Samson dormiens ligaretur, & vocaretur subito dicendo: Samson Philisthiim super te: ipse timens, & indeliberatus ageret quantum posset ad rumpendum vincula, & non posset habere animum fallendi, & si non posset tunc rumpere vincula, sciretur, quod veraciter effectus fuerat impotens. *Qui rupit vincula.* Scilicet, audito, quod Philisthini veniissent super eum timuit, & traxit fortiter brachia, & rupit vincula. *Quomodo rumpat quis filum de stuppa.* Quasi dicat, vincula ista erant fortissima, & tamen Samson rumpendo illa non sensit magnam difficultatem, sed ita faciliter rupit, sicut quis rumpere posset filum de stuppa, quia ista sunt fila valde infirma. *Tortum sputamine.* Id est, fila ista torquentur cum sputo: nam in filando mulieres ponunt sputum: alioquin non possent particulæ duræ, & hispidæ conglobari ad faciendum filum:

C effetque filum nimis pulchrum, & debilius, etiam quando postea torquentur fila complicando vnum cum alio sputa apponuntur, quia alias nihil fieret propter siccitatem desilientibus filis ab inuicem. *Cum odorem ignis acceperit.* Quasi dicat, non solum quod rumpatur viribus filum, sed quod ponatur ad ignem, nam tunc sine viribus rumpitur, scilicet, ita velociter, & sine difficultate Samson rumpit illa vincula sicut quis rumperet filum ponendo illum ad ignem. *Et non est cognitum in quo esset fortitudo eius.* Quia rupit vincula quæ dixerat se non posse rumpere. *Dixitque ad eum Dalila.* Hic ponitur secunda inquisitio. Dalila enim quamquam hac vice decepta fuisset, non cessauit inquirere vbi esset robur Samsonis non diffidens blanditiis, & inquietudine sua illum capiendum. *Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es.* Scilicet, quod putabam me accepisse à te verum responsum, & gaudebam tanquam sciens secretum tuum: & tamen mentitus eras. *Saltem nunc indica mihi, quomodo ligari debeas.* Id est, quamquam mentitus es vice præcedenti, dicas mihi nunc veritatem: quid est, quo ligari debeas, scilicet, ad hoc quod non possis erumpere.

D

Quare Samson non occiderit Dalilam cum machinaretur ad eius mortem.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quomodo Samson reperiens quod Dalila ligasset eum, & machinabatur ad mortem eius, non occidit eam: vel non iratus fuit dure, ita vt nunquam rediret ad eam. Et videtur quod debuisset facere, quia alia quam acceperat prius in vxorem, non tantum offenderat eum, & tamen iratus fuit contra eam durissime: nam ipsa exposuerat iuuenibus problema Samsonis, & obtinuerunt contra eum in 30. tunicis, & totidem sindonibus, & pro hoc iratus Samson reliquit eam, & iuit in domum patris sui, supra 14. capitulo, ista autem durius egit contra Samsonem: nam ligauit eum ad mortem, & putabat eum tenere ligatum, ita vt non posset erumpere.

Respondendum, quod Samson non occidit Dalila, imo nec iratus est saltem contra eam, quamquam reperit se ter ab ea ligatum, vt patet in litera. Et causa est, quia Samson diligens Dalilam credebat se ab ea diligi, & non putabat, quod ipsa machinaretur in mortem eius, & quod non inquirebat, in quo erant vires eius ad nocendum ei, sed solum ex amore, quia amici gaudent scire in alterutrum secreta: nam actus amicorum est conuiuere, vt patet nono Ethicorum: est autem conuiuere, mente, & verbo participare: & non quemadmodum animalia in eodem pasci, vt patet ibidem. Sed communicare mente est reuelare in alterutrum secreta, vnde non habebat Samson tanquam malum, quod Dalila inquireret de robore eius. Etiam quod eum ligauerit non putauit malum, quia credidit quod faciebat ad accipiendum experientiam de verbo eius, & sic non fuit iratus: fuit autem iratus contra primam mulierem, non quidem quia quæsiuit ab eo expositionem problematis, sed quia postea publicauit illud Philisthinis, supra decimo quarto. De ista autem non repererat Samson quod aliquid fraudulenter egisset contra eum: nam non putabat, quod teneret Philisthinos inclusos in domo contra eum, quia nunquam vidit illos, ideo licet nunc ligauisset eum, & postea bis non iratus fuit contra eam. *Cui ille respondit.* Etiam nunc respondit Samson falsum; & tamen voluit potius respondere, quam tacere: quia si taceret affligeret tristitia amantem, quod graue sibi erat: & quousque experiretur istud mendacium, transiret aliquantulum temporis, in quo frueretur gratanter Samson desiderio suo. *Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere.* Samson volebat colorare mendacium suum, ideo ad significandam magnam fortitudinem funium dixit: qui nunquam fuerunt in opere, nam operando debilitantur, & facilius rumpuntur. *Infirmus ero, & aliorum hominum similis.* Id est, non habebo tantas vires, sicut nunc: sed ero similis aliorum, scilicet, non habebo maiores vires, quam alij homines, vt communiter. *Quibus rursum Dalila vinxit eum.* Scilicet, licet fuisset decepta prius ab eo funibus neruiceis: tamen non recusauit subire secundam experientiam, quousque veritatem reperiret: vinxit autem eum quando dormiebat, quia alioquin Samson non permisisset se ligari, vt caperetur in eo aliqua experientia, & si permitteret se vigilantem ligari caperet in dolo Dalilam: nam cum ligatus esset fingeret se non posse soluere quousque Dalila solueret, vel amputaret vincula: & si Dalila nollet amputare, sed vocaret Philisthinos, venientibus eis Samson rumperet vincula, & occideret tam Dalilam, quam illos: si autem non vocaret eos tunc, sed solueret vincula, & iterum quando dormiret ligaret eum, & vocaret Philisthinos confidens quod teneretur Samson in vinculis, & venientibus eis rumperet Samson vincula, ideo oportebat, quod vinciret eum dormientem. Etiam quia Dalila debebat vocare Philisthinos: vel clamare super Samsonem dicens: Philisthiim super te Samson: & tamen eo vigilante non poterat hoc conuenienter facere, quia ipse videret, quod ista erat delusio. *Et clamauit, Philisthiim super te Samson.* Scilicet, dormiente Samsone, & hoc factum est: quia putabat Dalila quod teneretur Samson, & volebat experiri an verum esset locutus. *In cubiculo insidiis præparatis.* Scilicet, dormiente Samsone extra cubiculum in gremio Dalilæ latebant insidię

E *Actus amicorum est conuiuere.*

F

A in cubiculo, vt Samſon non poſſet videre inſidias: vel forte erat ipſe in cubiculo,& etiam inſidiæ in aliqua parte cubiculi, ſed melius eſt primum, quia infra dicitur, quod quando totondit Dalila Samſonem dormiebat ipſe in gremio eius, vnde non eſſet in cubiculo. *Qui ita rupit vincula ſicut fila telarum.* Quaſi dicat,nullam difficultatem ſenſit rumpendo, ſed ſicut facile eſt cuique rumpere fila telarum.

Quare Philiſthini non occidebant Samſonem dormientem.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quare Philiſthini non occidebant Samſonem dormientem: nam iſtud facile erat eis, quia Dalila daret eis locum, quia ſicut ipſa poterat ligare eum non ſentientem, ita ipſi poſſent occidere illum. Aliquis dicet, quod non audebant Philiſthini accedere ad eum, etiam dormientem,nam timebant,quod euigilaret,& occideret quotquot ibi eſſent: & poſtea caueret ab eis ſibi, vt nunquam ſic capi poſſet ab eis: & haberet illos magis exoſos, & noceret magis quam prius. Et ſi arguatur de Dalila,quæ ligabat eum dormientem non ſtat, quia ipſa ſe exponebat huic rei, quia etiam ſi Samſon euigilaret dum ligabatur non putabat quod eam percuteret, ſicut fecit in omnibus his vicibus, quia ſciebat ſe ab ea ligatum fuiſſe. Philiſthini autem ſe exponentes huic periculo deficerent propter prædicta.Sed adhuc dicendum quod iſta ratio non ſtat, quia cum Samſon dormiret inermis,poterant duo,vel tres Philiſthini venire ſub ſilentio cum laterent intra cubiculum Dalilæ, vt patet hic, & incuterent gladios Samſoni, vel iacerent ſuper eum lapidem grandem, ita vt prius moreretur quam euigilaret. Et ſi adhuc dicas, quod timerent hoc facere: dicendum quod poterant eum ſagitta percutere ex loco inſidiarum ſuarum, & ſic faciliter occideretur.

Cuiuſdam reſp ad quæſitum.

B

Reſp. doct.

Reſpondendum,quod Philiſthini poterant hoc facere,& tamen non faciebant; quia deſiderabant eum capere viuentem,vt illuderent ei,& fieret plena victoria de illo, ſicut poſtea factum eſt:quia coegerunt eum in carcere molere,& deinde ludebat coram eis. Et quia credebant eum poſſe capere viuentem, nolebant eum occidere per inſidias:ſi autem deſperaſſent omnino eum poſſe capere ligatum, occidiſſent eum dormientem. Alia cauſa erat,quia Deus diuertebat valde cogitationem Philiſthinorum ab hoc: nam Deus volebat quod Samſon captus à Philiſthinis noceret eis valde occidendo plures,quam viuens occiderat,vt patet infra in litera: Et quia ſi nunc occideretur Samſon ſic per inſidias non eueniret illud, noluit Deus quod ſic occideretur, & auertebat mentem Philiſthinorum ab eo ſolum ponens in corde eorum, quod eum viuum caperent. Vel forte Philiſthini putabant, quod ſicut Samſon habebat vires ſuper conditionem humanam,ita corpus ſuum non poſſet ferro,aut lapide conteri aut perforari: & ob hoc inutiliter aggrederentur talia,& Samſon iſta ſentiens euigilans occideret omnes, ſed præcedens ſolutio melior eſt. *Dixitque Dalila rurſus.* Hic ponitur tertia inquiſitio in qua etiam Dalila fuit decepta. *Vſquequo decipies me, & falſum loqueris.* Iſta ſunt verba querelæ. Quaſi dicat: cum tu me diligas deberes dicere veritatem,& non me affligere totiens mentiendo. *Oſtende quo vinciri debeas.* Id eſt, quid eſt quo ligatus non poſſis diſſolui. Iſta dicebat Dalila imperioſe quaſi offenſa eſſet nimis à Samſone per frequentata mendacia. *Si, inquit, ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris.* Id eſt,ſi ligaueris cum baculo groſſo texentium.Sciendum quod Samſon per ſeptem crines incluſerit omnes capillos ſuos,vt ait Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi,& hoc quia Samſon nunquam comebat capillos: ideo erant commixti in aggeres ſicut fieri ſolet in hominibus, qui raro caput comunt. Sed magis videtur dicendum, quod Samſon induſtrioſe diuiſerat omnes capillos ſuos in ſeptem crines, id eſt, capilaturas, quia erant capilli ſui valde longi, cum tota vita ſua nunquam aſcendiſſet nouacula ſuper caput eius, & vt non impedirent eum huc illucque inordinate fluentes, diuiſerat eos in ſeptem partes: & ligauerat ſingulam ſeptem particularum per ſe: & circumligabat capiti, vel ad partem poſteriorem: ſicut facere ſolent fœminæ, quæ longos capillos capiti contorquent ſic circumligatos, & ſic omnes ſeptem particulæ plectendæ erant capillorum licio. *Et clauum his circumligatum terræ fixeris.* Modus autem faciendi hoc erat, quod ſumeretur lignum groſſum texentium in quo tela reuoluitur,quod alias vocatur liciatorium texentium,vt patet de haſta Goliath, quæ dicebatur eſſe ſicut liciatorium texentium, primo Regum decimo ſeptimo, & ſecundo Regum vigeſimo primo capitulo, erant autem plectendi capilli cum licio, quia debebant ſingulæ capillaturæ illarum ſeptem regirari in circuitu licij ſicut tela regiratur in illo, & quod maneret quædam particula capillorum extra licium, & illa ligaretur clauo forti: & clauus terræ figeretur, & tunc ad hoc quod Samſon ſurgeret de terra oporteret, quod eradicaret clauum fixum in terra: & eleuaret ſimul licium quod erat magni ponderis. Erat autem veriſimile, quod hoc facere non poſſet viribus capillorum. Hoc autem difficile erat fieri, niſi propter magnam longitudinem capillorum. *Infirmus ero.* Scilicet, non habebo vires ad euadendum de manu alicuius. *Quod cum feciſſet Dalila.* Scilicet, dormiente Samſone in gremio eius ligauit capillos cum licio, & clauo: & fixit clauum fortiter in terra non ſentiente Samſone. *Dixit, Philiſthijm ſuper te Samſon.* Ad experiendum an poſſet euadere: quia cum ſubito euigilaret, ſi infirmus eſſet, licet conaretur euadere non poſſet: ſi autem potens ſubito præ timore apponeret totum ſuum conatum, & cognoſceretur veritas rei. *Qui conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus, & licio.* Id eſt, ſubito euigilans eradicauit clauum fixum, & eleuauit licium. *Dixitque ad eum Dalila.* Hic nimis indignata eſt, quia videbat ſe ſemper falli, & quia cupiebat nimis hoc ſcire affligebatur non ſciendo. *Quid dicis, quod ames me cum animus tuus non ſit mecum.* Id eſt, tu mentiris dicendo, quod amas me, quia cor tuum non eſt ad me: nam ſi tu vere me diligeres, cor tuum mecum eſſet, & nihil ſecretum tibi ſeruares, quod non indicares mihi, ſed iſtud modicum, quod ſæpe à te petiui nunquam mihi aperire voluiſti: patet ergo,quod me non diligas: nam amantes debent mente, & verbo participare: cum in hoc ſit actus eorum, nono Ethicorum, & reuelare ſecreta adinuicem eſt participare mente, ideo volebat Dalila, quod ſic eſſet inter eam & Samſonem. Sed non bene arguebat, quia iſtud intelligitur de amicis honeſtis, qui ſunt veri amici, & quorum amicitia indiſſolubilis, & reuelatio ſecreti non poteſt verti in damnum alicuius eorum: ſecus autem in amicis vtilibus, & delectabilibus, quia iſti non ſunt amici propter ſeipſos, ſed propter delectabile, vel vtile quod inuicem communicant: quo ceſſante perit amicitia: & velox motus iſtorum eſt, vt patet octauo Ethicorum. Samſon erat dubium ſi erat amicus eius propter delectabile,ſed erat amans: cum nimis differat amare delectabile alicuius, vel eſſe amicum eius propter delectabile, vt colligitur octauo Ethicorum, ideo Samſon non tenebatur ex lege amantis referare ſecreta pectoris ſui Dalilæ. *Per tres vices mentitus es mihi.* Scilicet,in omnibus tribus experientiis ſupra poſitis. *Et noluiſti dicere, in quo ſit tua maxima fortitudo.* Id eſt, vbi ſint præcipuæ vires tuæ: quaſi dicat, in omnibus partibus corporis erant vires, ſed in aliqua parte ſpecialiter putabat eſſe maximam fortitudinem, & hoc noluerat Samſon indicare.

C

Inquiſitio in qua Dalila fuit decepta.

Opinio Rabbinorũ.

D

E

F

Cumq́; moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines. Videnſque illa, quod confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthinorum,ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel,quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt, aſſumpta pecunia, quam promiſerant. At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cæpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit: dixitque Philiſthijm ſuper

te Sam-

A *te Samſon Qui de ſomno conſurgens, dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante fecit, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus.*

Cumque ei moleſta. Hic ponitur tertium, ſcilicet, veritatis apertio: nam in iſta vice confeſſus fuit Samſon veritatem Dalilæ: & dicitur. *Cumque ei moleſta eſſet.* Scilicet, inquietando eum ſemper, vt declararet veritatem: more enim fœmineo importuna erat, & lacrymis, & queruloſis vocibus quietem Samſonis turbabat. *Et per multos dies iugiter ei adhæreret.* Scilicet, adhærebat ei ſemper ad precandum, & ſollicitandum, etiam adhærebat ei forte carnaliter, quia tam illecebris, quam querimoniis ſuadere quærebat. Magis tamen accipitur hic pro adhærere ad precandum, vt patet ex litera ſequenti. *Spatium ei ad quietem non tribuens.* Id eſt, non dabit ei ſpatium dormiendi, & ſumendi cibum, & recreandi, ſed ſemper vocibus queruloſis apud eum intercedebat, & moleſtabat illum, & per iſtum modum neceſſe erat quod Samſon ſaltem tædio affectus, aut ab ea recederet, aut exponeret ei veritatem.

Quare Samſon non dixit aliquod mendacium ipſi Dalilæ.

Qvæstio XVI.

B Qværetvr, quare Samſon non dixit aliquod mendacium ipſi Dalilæ ſicut conſuetus erat ei dicere, vt ſic ſaltem deſineret eum moleſtare, & ipſe quieſceret.

Reſpondendum, quod non intendebat nunc dicere aliquid Dalilæ; quia iam non inueniebat Samſon aliquid quod eſſet veriſimile quo ipſa contentaretur: quia ea quę veriſimiliora erant iam ipſe protulerat: ſi autem diceretur aliquid minus veriſimile, cum præcedentia falſa forent, minus hoc reciperetur: & inquietaret eum magis Dalila, tanquam ſemper mentientem. Item, ſi aliquid diceret quod non eſſet verum, illa mox experiretur illud, & falſum reperiens magis moleſta eſſet Samſoni, quam nunc: ideo voluit nunc potius totam materiam inquiſitionis auferre: quam falſa reſpondendo maioris inquietatis tribuere occaſionem. Putauit enim quod ſi nunc nihil vellet reſpondere, quod ipſa tædio affecta deſineret reſpondere, & ſic non inquietaretur de cætero: & ſic cœpit nunc agere: nam cum per multos dies ipſa ſollicitaret eum, & adhæſiſſet illi, nihil reſpondebat. *Defecit anima eius vſque ad mortem, & laſſata eſt.* Id eſt, præ amaritudine defecit Dalila, & laſſabatur, ſcilicet, debilitabantur vires eius, & immutabatur color, & toto corpore deficiebat, ita vt moritura videretur.

Quare Dalila elanguerat nolente Samſone dicere veritatem.

C

Qvæstio XVII.

Qværetvr, quare Dalila tantum defecerat, quia ſic deficere eſt mutatio amantis, Dalila autem non amabat, ſed fallere cupiebat.

Reſpondendum, quod Dalila deficiebat propter duo. Primum erat amaritudo animæ, & ſollicitudo quotidiana, quod ſe videret repelli à Samſone nolente ei reſpondere: triſtitia autem cauſat debilitationem corporis, & deſiccationem omnium membrorum: omnia enim curarum genera ſic faciunt, vt patet Prouerbiorum decimo ſeptimo, ſcilicet. Animo gaudens floridam facit ætatem: ſpiritus triſtis deſiccat oſſa. Secundum erat, & præcipuum elongatio ſpei, & priuatio deſiderati boni: nam Dalilæ promiſerant principes quinque Philiſthinorum ſinguli mille, & centum argenteos, vt conſtat ſupra in litera, ſi traderet Samſonem ligatum eis: Samſone autem non reſpondente, non poterat hoc facere, & quia iam per multos dies noluerat ei quicquam reſpondere, putauit quod nunquam lucro deſiderato nimis frui poſſet, & ob hoc anxiabatur ad mortem: quia ſicut qui ardenter amant, niſi fruantur amato deſiccabuntur: ita ſi quis inſane moueatur deſiderio alicuius honoris, vel lucri magni, ſi non aſſequatur illum tabefactus deficiet: & ſic Dalila peribat, quæ iuxta modum fœminarum tam laudis, quam pecuniæ cupida valde erat, & nunc videns ſibi vtrumque ademptum inconſolabiliter mœrens deficiebat toto corpore, & extenuabatur. D

Quomodo Samſon voluit veritatem indicare Dalilæ.

Qvæstio XVIII.

Qværetvr vlterius, quomodo Samſon voluit veritatem indicare Dalilæ: nam ſatis cognoſcere debebat, quod Dalila volebat eum fallere cum totiens eum ligaſſet, & vocaſſet Philiſthinos ſuper illum, quia non ſolum non debuiſſet reſpondere iam ei: ſed potius deberet eam occidere tanquam volentem eum fallere, vel ſaltem debuiſſet recedere ab illa, ne falleretur.

Reſpondendum, quod Samſon poſuerat apud ſe non reſpondere, & ob hoc multis diebus tacuerat quamquam ipſa eum inquietaret: reſpondit tamen nunc, quia putauit, quod non intendebat eum Dalila fallere, & ob hoc etiam non nocebat ei, nec recedebat ab illa: ſi tamen aliquid ſuſpicatus fuiſſet receſſiſſet ab illa. Et ratio huius erat triplex. Prima, quia nunquam viderat Samſon aliquid in Dalila, propter quod crederet, quod ipſa intendebat eum fallere: nam licet ipſa vocaret ſuper eum Philiſthinos, quando erat ligatus, nunquam ipſe viderat illos, quia latebant in cubiculo expectantes, an Samſon poſſet ſeipſum ſoluere, & quia viderunt, quod in qualibet vice de tribus præcedentibus Samſon ruperat vincula, non exibant ad tenendum eum: ſic dicitur ſupra, quod inſidiæ latebant in cubiculo expectantes finem rei, & ob hoc putabat Samſon, quod nulli Philiſthini ibi erant, ſed quod Dalila faciebat iſtas experientias ex amore ad cognoſcendum robur Samſonis, quem diligebat. Secundum motiuum fuit, quia vidit nunc Samſon defeciſſe corpore, & laſſatam fuiſſe, & per hoc credidit, quod ex amore agebat, & mouebatur, eo quod iſti motus ſunt amantum, & tunc videns, quod irrationabiliter affligeret fœminam tam amantem prodidit ei ſecretum nullam fraudem ſuſpicatus. Tertium motiuum poteſt addi ex miſericordia. Nam Samſon diligebat Dalilam ſaltem amore libidinoſo, & quia nunc videbat eam pereuntem condolebat ei, & quia ſciebat eam perire, eo quod non pandebat ei ſecretum ſuum, miſertus eius, expoſuit veritatem. E

Quomodo ſtat, quod hucuſque Samſon exprimere nollet veritatem, & quod nunc expreſſerit.

Qvæstio XIX.

Vlterivs quæretur, quomodo ſtant iſta, ſcilicet, quod hucuſque Samſon exprimere nollet veritatem, & quod nunc expreſſerit: nam videtur iſtud irrationabile factum. Nam aut Samſon ſuſpicabatur aliquid mali latere, aut non: ſi nihil ſuſpicabatur, debuiſſet à principio exponere non contriſtando toties amantem: ſi autem ſuſpicabatur malum aliquod, non debuiſſet, nec à principio, nec nunc exponere veritatem, etiam ſi moreretur Dalila præ tædio, imo potius debebat occidere illam, vel fugere ab illa ſi aliquid ſuſpicabatur. Reſpondendum, quod Samſon non ſuſpicabatur aliquid contra Dalilam, tanquam ipſa aliquid mali moliretur ei, ſed potius credebat eſſe amantem: noluit tamen à principio pandere veritatem: imo proponebat nunquam exponere, vt dictum fuit. Et hoc, quia licet non putaret, quod Dalila inſidiaretur, tamen ſciebat, quod cognita fortitudine ſua, poterat fieri contra ipſum malum aliquod, quod alias non fieret, & licet nunc Dalila: non moliretur malum contra ipſum, poterat iraſci aliquando, & haberet facultatem nocendi ei per ſe, vel per alium exponendo ſecretum de fortitudine eius, ſicut fecerat vxor ſua Thamnathæa, quæ expoſuit problema iuuenibus Philiſthinis contra Samſonem, vt apparet ſupra decimo quarto capitulo, & ad reſeruandum ſibi iſtud ſecretum de Samſon multis diebus tacuerat: nunc autem videns tam afflictam Dalilam miſertus eius expoſuit veritatem. F

A

Quomodo cum Dalila ligabat Samſonem dormientem, non quarebat ipſe Philiſthinos.

Qvæstio XX.

Qværetvr vlterius, quomodo cum Dalila ligabat Samſonem dormientem,& poſtea clamabat: Philiſtiin ſuper te Samſon: non inquirebat Samſon, an aliqui Philiſthini eſſent in domo latentes.

Reſpondendum, quod Dalila fecit hoc ter quando Samſon ſoluit ſe, & iam Samſon putabat iſtos eſſet ludos Dalilæ, quod ſicut ipſa inquirebat fortitudinem eius ad gaudẽdum, ita etiam faciebat experientias iſtas ad gaudium, & quod non poterat cognoſcere veritatem huius, niſi faciendo ſubito euigilare Samſonem, & cum timore, dicebat: Philiſthiin ſuper te Samſon, quia per hoc timeret, & cum iam ſemel vidiſſet eam vocantem Philiſthinos, & nullum viderat in aliis vicibus,putabat iam nihil hoc eſſe. Sed de prima vice ſtat dubium,quomodo Samſon non inquiſiuit, an eſſent Philiſthini in domo, quia cum illa vox eſſet ei iniolita, debuit aliquid timere, & ſuſpicari.

Reſpondendum, quod nihil ſuſpicatus eſt Samſon, quia non vidit vllos Philiſthinos, & motiuum ſuum erat iſtud, quia aut illi Philiſthini venirent ſponte ſua,ſiue à caſu ad occidendum Samſonem, aut Dalila illos teneret abſconditos ad occidendum eum: ſi primo modo vidiſſet eos Samſon, aut ſaltem audiret ſtrepitum eorum fugientium à facie ſua: ſed nihil videbat,vel audiebat, ſed omnia videbat pacata, ideo putabat, quod nulli veniſſent: ſi autem Dalila teneret eos abſconditos credebat Samſon, quod non excitaret eum, vt ſe liberaret ab eis, ſed potius taceret, vt venirent, & occiderent eum dormientem, & videbatur ratio iſta efficaciſſima. Item quando Samſon euigilabat ruptis vinculis,Dalila dicebat ei, quod nihil erat: ſed dixerat illud ad excitandum eum de ſomno, & experiendum fortitudinem illius, & ſic Samſon nihil omnino ſuſpicabatur, nec inquirebat.

B

Quomodo Samſon auſus eſt nunc de viribus ſuis dicere veritatem.

Qvæstio XXI.

Vlterivs quæretur, quomodo Samſon auſus eſt nunc dicere veritatem Dalilæ de viribus ſuis, licet nihil ſuſpicaretur. Ad hoc non poteſt reſponderi, ſicut ſupra dicebatur, ſcilicet, quod non ſuſpicabatur Samſon contra Dalilam: nam dato, quod non ſuſpicaretur malum contra eum, erat periculum magnum, ac ſi ſuſpicaretur aliquid. Quod patet, quia Samſon viderat, quod Dalila in omnibus tribus vicibus præcedentibus experta fuerat id,quod dixerat Samſon ligando eum, & euadebat Samſon, & putabat Samſon, quod bono animo iſta faceret Dalila, ita facere poterat, & veriſimile erat, quod faceret nunc, vt experiretur dictum Samſonis,& tonderet capillos eius, & maneret ipſe ſine viribus, & ſic dato, quod bono animo certiſſime ageret, tamen eum viribus priuaret, quod erat eum omnino perdere. Dicendum, quod iſtud dubium non poteſt habere rationabilem reſponſionem excuſatiuam Samſonis,ſicut cætera, quia ſi Samſon prudenter egiſſet pro nulla cauſa debebat ſe exponere periculo huic grauiſſimo, ſed putauit Samſon, quod Dalila nullo modo capillos eius tonderet, & hoc propter duo. Primum erat, quia tolleret decorem illius, credebat enim Samſon, quod Dalila diligeret eum valde, & ob hoc, quod nollet deturpare eum: erat tamen valde magna deturpatio capitis virilis potiſſime in tempore illo, quod decaluaretur, ſiue tonderetur, ideo nollet vllatenus radere capillos eius. Secundum erat, quod Dalila in omnibus aliis vicibus quæſiuerat experimentum, eo quod non præbuerat fidem plenam dictis Samſonis tanquam non veriſimilibus: nunc autem putabat, quod ipſa crederet eum vera dicere, ideo quod non curaret inquirere experimentum. Alia ratio fuit teneritudo paſſionis in Samſone, quia diligebat nimis Dalilam tanquam dilitias, & nunc vidit eam ſic deficientem: putauitque quod eius intuitu,& amore deficeret:ideo non paſ-

C

Duplices de cauſa Samſõ putauit nullo modo Dalilam ei capillos tondere.

ſus eſt eam vltra grauari. Et paſſio hic vicit rationem, & in periculum capitis ſui veritatem expoſuit. Nam ſicut ira animum impedit, ne verum cernere queat: ita & amor impedit à vero iudicando,& bono eligendo. Alia cauſa fuit ipſa diuina permiſſio, vel operatio in pœnam Samſonis pro peccatis ſuis eum excæcantis, vt caderet in manus Phiſiſthinorum: quia ipſe merebatur incidere in manus illorum, & Deus efficit ſic hominem inconſideratum, & facit cadere in pericula. Quidquid autem ſit, nihil de ſuperioribus fuit, in quo Samſon magis inſanus foret quam in hoc committendo ſe apertiſſime periculo. *Tunc aperiens veritatem rei dixit ei.* Id eſt, declarauit veritatem quæſtionis propoſitæ. *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum.* Id eſt, nunquam tonſi fuerunt capilli mei nouacula,vel forfice,aut alio inſtrumento. *Quia Nazaræus,id eſt,conſecratus Domino ſum.* Scilicet,ad Nazaræos pertinebat non tonderi. Et ponitur iſta expoſitio à tranſlatore noſtro,& in Hebræo non habetur.Et hoc quia Nazaræus eſt nomen Hebræum, vt declaratum fuit ſupra 13. cap. *De vtero matris ueæ.* Id eſt, à natiuitate mea vſque ad mortem factus ſum Nazaræus, & obſeruaui ſemper cæremonias Nazaræorum. *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo.* In ſeruando ſemper capillos erat vna cæremonia de prẽcipuis Nazaræorum: ideo illa non ſeruata putauit Samſon,quod illico recederet fortitudo eius. *Et deficiam.* Scilicet, à magnitudine virium. *Eroque vt cæteri homines.* Id eſt, non habebo maiorem fortitudinem, quam cæteri homines, & potero quocunque vinculo ligari, vt alij homines.

D

E

Quomodo ſciebat Samſon, quod ſi tonderetur caput eius, ceſſaret eius fortitudo, & quomodo capilli faciebant ad vires.

Qvæstio XXII.

Qværetvr, quomodo ſciebat Samſon,quod ſi tonderetur caput eius ceſſaret fortitudo ſua.

Reſpondebit aliquis, quod Samſon ſciuit hoc per experientiam, quia aliquo tempore ante bella raſit caput ſuum, & inuenit ſe infirmum, & poſtea redeuntibus capillis fuit fortis,vt prius:ſciuit nunc,quod ſi tonderetur eſſet ſicut cæteri homines.

Sed dicendum, quod hoc non ſtat, quia nunquam capilli Samſonis raſi fuerant à natiuitate ſua, vt ipſe dixit: ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum;ideo non poterat ſcire experientiam.

Sed dicendum, quod Samſon ſciebat ſe habere vires ſupernaturaliter, & cuſtodiebat legem Nazaræorum,quia iuſſerat angelus: ideo credebat, quod per illam obſeruationem manerent in eo vires, & ſi non ſeruaret capillos putabat, quod deficerent in eo vires, quæ propter obſeruationem iſtam erant in eo:& tamen neſciebat hoc certiſſime Samſon, quia poterat contrarium accidere, cum ipſe nunquam hoc expertus fuiſſet. Aliter poteſt dici, quod angelus Domini, qui prænunciauit vitam, & mores Samſonis dixit, quod obſeruaret diligenter capillos, alioquin ceſſarent vires eius, & ex auctoritate illius credidit mater, & dixit hoc Samſon, & ſic fiebat.

F

An vires Samſonis eſſent in capillis.

Qvæstio XXIII.

Qværetvr vlterius, an Samſon haberet vires in capillis. Aliquis dicet, quod ſicut ipſe dixit hic, quod ſi tonderetur caput ſuum ceſſaret fortitudo ſua,& tamen ſi vires non eſſent in capillis, illis amputatis, non tolleretur fortitudo. Item, illico vt Samſon priuatus fuerit capillis redditus fuit infirmus: ergo ibi erant vires. Item capillis ſtantibus ſtabant vires, & illis pereuntibus, peribant, & illis redeuntibus redibant: ergo vires erant in capillis. Patet hoc, quia nihil aliud videtur requiri ad hoc,quod aliquis ſit cauſa alterius. Antecedens patet, quia quandocunq; Samſon capillos habuit, vires habuit: etiã abſciſſis capillis mox fuit ſine viribus. Etiam quando capilli renaſci cœperunt iam ligato Samſone in carcere apud Philiſthinos, cœpit habere vires, & potuit

Non nullorũ opinio.

A tuit concutere columnas atque deiicere ad terram domum, vt patet infra in litera.

Respondendum, quod aliqui volunt, quod vires Samsonis secundum quosdam non manebant in capillis, aut in alia parte corporis, sed communiter ipse manebat sine viribus, & quando opus erat, Deus mittebat subito vires ei, scilicet, quando dicitur de eo, quod irruebat in eum spiritus Domini, & illico expleto opere recedebant, sicut in spiritu Prophetiæ. Sic tenet Nicolaus, sed hoc improbatum est supra 14. capit. & conclusum est, quod vires erant immanentes in Samsone. Et tunc manet dubium, in qua parte corporis erant. Dicendum, quod non erant in capillis, quia vires sunt id, quo aliquis potens est aliquid efficere, & pertinent ad organum corporale: sed capilli non sunt alicuius operationis, ideo ibi non erant, & si daremus, quod essent ibi, non posset Samson plura facere quam alij viri, quia organa sua operatiua erant manus, & pedes, & si ibi non haberet robur magnum, faceret solum ea, quæ faciebant viri infirmi. Item esse vires in capillis erat aliquid superfluum, quia capilli non proficerent ad aliquam operationem, ideo etiam vires illæ nunquam accommodarentur operationibus. Deus tamen nihil agit frustra: ergo non poneret vires in capillis Samsonis. Etiam si ibi fuissent nunquam apparuisset Samsonem habere vires, quia vires manifestantur in opere, & capilli non sunt ad aliquod opus: ergo nunquam cognosceretur eum B esse robustum. Sed dicendum est, quod vires Samsonis erant in membris operatiuis, scilicet, in manibus, & pedibus, & omnibus partibus motiuis, & operatiuis, in quibus naturaliter solent esse in aliis hominibus paucæ, vel multæ vires, & ob hoc poterat facere, & mouere, quæ alij homines non poterant facere, aut mouere. Istæ autem vires Samsonis non erant sic in membris Samsonis, sicut vires in membris aliorum hominum, eo quod non erant tanquam conditio ipsorum, quæ esset accidens ipsorum, sed magis tanquam aliquis spiritus mouens ipsa membra, alioquin non potuisset Samson destitui viribus, quin sentiret in se magnam mutationem: sicut qui mutatur ex egritudine in sanitatem, vel è contrario: de quo declaratum est capitulo decimo quarto: in capillis autem Samsonis nullę vires erant, imo includebat contradictionem, ibi esse vires, cum vires sint qualitates organicæ, & non possint esse, nisi in organis: capilli autem non sunt organa, cum non sint partes corporis. Sed dicendum, quod dum Samson habebat capillos, habebat vires: non tanquam in capillis essent, sed quia habendo capillos obseruabat cæremonias Nazaræorum, & Deus tunc dabat illi vires, & non tollebat concessas. Cum autem arguitur, quod stantibus capillis, vires stabant, & recedentibus, recedebant, & redeuntibus, redibant: non concluditur, quod in ipsis erant vires, sed quod magis ipsi erant causa, sine qua non, & hoc satis concedi potest: & tamen causa, sine qua non, nihil confert directe, ita & capilli nihil conferebant ad vires, sed accidebat, sine illis non esse vires. Sed tamen adhuc potest dici, quod nec sequatur esse causa, sine qua non: nam quando aliqua sic sunt secundum naturam ordinata, quod vnum stat stante altero, & illo pereunte, perit, & illo redeunte redit, erit vnum respectu alterius saltem causa, sine qua non, & tamen si à voluntate sit iste ordo, non vocatur causa, sine qua non. Et sic erat hic, quia quod stantibus capillis, staret robur, & pereuntibus illis periret, non erat ex habitudine aliqua eorum inter se, sed quia Deus volebat, quod habendo capillos, haberet vires. Adhuc autem, quod magis vrget est, quia quod capilli starent simul cum viribus, & pereuntibus capillis perirent vires, potest pertinere ad causam, sine qua non: sicut se habet vita humana ad esse in loco, & tamen quod redeuntibus capillis redeant vires deperditæ, non pertinet ad causam, sine qua non: sed ad directe efficientem. Respondendum, quod si virtute capillorum redeuntium redirent vires deperditæ, esset causa directe efficiens in capillis, quia tamen non erat hoc ex virtute sua, sed per accidens, scilicet, quia sic Deus volebat esse connexionem, nec erat per causam directe efficientem, nec sine qua non, nisi ex voluntate, & nimis per accidens.

(·.·)

Dubiũ de situ virtũ Samsonis.

Resp. ad argumentum supra factũ.

Si quocunque modo capilli auferrentur Samsoni, an careret viribus.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR, si quocunque modo capilli auferrentur Samsoni si careret viribus.

Respondendum, quod capilli Samsonis poterant multipliciter perire, scilicet, voluntarie, aut violenter, aut per egritudinem, & quicunque modus istorum potest subdiudi, quia cum auferrentur, aut nouacula tondendo, aut forfice amputando, aut aliter euellendo. Si autem diceremus, quod vires Samsonis essent vere in capillis, quocunq; modo Samson careret capillis, priuaretur viribus, nec differret, quod sua culpa, vel sine culpa illis careret: sicut cum visus sit in oculo: si quis caruerit oculo, siue ægritudine, siue violenter eruto, siue sponte eradicato, carebit visu indifferenter: imo etiam si quis pro nomine Christi patiatur oculos erui, carebit visu, nisi Deus ei supernaturaliter restituat, vel aliquid ei conforme, & æquiualens oculis tribuat: sicut quibusdam Episcopis, quos Arriana perfidia linguas absciderat, Deus locationem miraculose tribuebat. Dicendum tamen, quod in Samsone non erant realiter vires in capillis, sed in membris operatiuis, vt declaratum est: erant tamen solum vires, quando erant capilli, & hoc solum, quia dum habebat Samson D capillos seruabat regulam Nazaræorum, & alias non: & frangendo regulam Nazaræorum, quæ erat in eo ex præcepto, Deus tolleret vires eius, ideo solum ablatis capillis careret Samson viribus in casu, in quo ablatio capillorum esset contra regulam Nazaræorum: si autem capilli Samsonis violenter tollerentur, non agebat Samson contra regulam Nazaræorum: ideo pereuntibus capillis non perirent vires: vnde si dormiente Samsone Dalila abscidisset ei capillos, dum tamen ipse non significasset ei de viribus suis, non careret viribus, etiam si quis ei viribus euelleret omnes capillos, ita vt tardius renascerentur non priuaretur robore. Etiam si ægritudine caderent: est enim ægritudo, quæ vocatur alopetia, siue fluor capillorum, & efficiuntur homines sic calui, & recalua tri, possunt sic cadere omnes capilli & dato quod Samsoni omnes capilli: sic caderent, non careret viribus: si autem Samson sponte sibi capillos auferret, agebat contra regulam Nazarę orum, & tunc careret viribus, & hoc siue nouacula illos tonderet, siue forfice amputaret, aut gladio secaret, vel igne cremaret, aut sibi illos euelleret, viribus careret, quia quocunq; horum modorum agebatur contra regulam Nazaræorum, vt declaratum est supra 13. cap. Sed quod obiicietur, quod Dalila Samsoni violenter capillos abstulit, scilicet, illo nolente, & tamen caruit Samson viribus. Respondendum, quod iste actus censetur volũtarius, eo quod fuit Samson in culpa, declarando Dalilæ hosti suæ, vbi habebat vires, F & qui est in culpa, licet sic nolens punitur de iure, sicut volens: licet in quibusdam pœna mitigetur. Si autem Samsone semper tacente à casu Dalila totondisset capillos Samsonis, non caruisset viribus ex causa supra assignata.

An carere capillis offenderet in aliquo votum Nazaræorum.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlterius, an carere capillis offenderet in aliquo votum Nazaræorum.

Respondendum, quod offendebat valde. Pro quo sciendum, quod, vt declaratum est supra 13. Nazaræi, erant duplices, quidam temporales, & alij perpetui: Nazaræi temporales offendere poterant dupliciter non habendo, vel amputando capillos: primo quia lex iubebat, quod non ascenderet nouacula super caput eorum, per quod intelligebatur omnis ablatio capillorum voluntaria, vt supra declaratum est 14. cap. & contra faciendo præiudicabat voto, & erat acsi nihil egissent, & tenebãtur repetere illud. Secundo præiudicabat, quia in die, quo finiebatur votum debebant capilli Nazaræi tonderi, & cremari in altari, Numeri sexto, & si non haberet capillos, non poterat in eo expleri cæremonia ista: in Nazaræis autem perpetuis erat vnum præiudicium, scilicet, quia lex

iubebat

A

iubebat in illis, quod nouacula non aſcenderet ſuper caput eorum,& faciendo hoc infringebant votum,ſicut temporalis Nazaræi, ſed differt,quia non debebant aliquando capilli Nazaræi perpetui cremari in altari, ſicut capilli Nazaræi temporalis,eo quod ille nunquam finiebat votum niſi in die mortis, & tamen iſta cæremonia fieri debebat die,quo complebatur votum, Numer.6. vterque ergo egebat capillis.

An non habentes capillos actualiter poſſunt vouere votum Nazaræorum.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR vlterius,an non habentes capillos actualiter poſſunt vouere votum Nazaræorum, qui raſi erant, vel qui omnino carebant capillis propter ſenectutem iam decaluati. Dicet aliquis,quod non,quia Numer.6.dicitur, quod Nazaræus ſanctus erit Domino creſcente cæſarie capitis eius,& ſic videtur, quod ad conſecrationem Nazaræi requirebatur, quod inciperet creſcere cæſaries: ſed in iſtis non incipiebat creſcere, ergo non ſanctificabantur in voto Nazarẽorum.Item eodem cap.dicitur,quod ſi quis mortuus fuerit coram Nazaræo, ſubito polluereturcaput conſecrationis eius, & debet radi, & reintegrare votum: ſed qui non habet capillos,non poteſt pollui in capillis: nec poterunt radi capilli ad reintegrationem voti: ergo deficient in eo aliqua ſubſtantialia ad votum Nazaræorum complendum.

Ratio nes cu inſdã i Ratio.

2.Ratio.

B

Reſpondendum, quod aut aliquis erat raſus, ita vt nullos haberet capillos, vtpote qui in eadem die raſus fuerat, aut erat omnino priuatus capillis, ita quod nullum iam habere poterat propter ſenectutem.De primo dicendum,quod poterat vouere votum Nazarẽorum,ſiue perpetuum,ſiue temporale, nec deficiebat in illo aliquid de ſubſtantialibus voti. Cum autem dicitur quod ſanctus erit creſcente cæſarie:non eſt ſenſus, quod non poterat ſanctificari in voto Nazaræorum quouſque creſceret Cæſaries, ſed quod Nazaræus ſanctificatus debebat ſinere creſcere Cæſariem,ita quod nec raderet capillos,nec ſcinderet,aut euelleret,ſicut faciebant alij non conſecrati voto iſto,& hoc ſic,ita conuenit non habenti capillos,ſicut habenti,cum vterque habeat propoſitum,& votum non radendi illos. Cum autem dicitur, quod polluetur caput conſecrationis: dicendum, quod ſi aliquis vouens obſeruationem Nazaræorum recenter eſſet raſus, & eadem die, vel ſequenti non habendo adhuc aliquos capillos apparentes polluereturſcilicet, quod aliquis ſubito moreretur coram illo,quia debebat reintegrare votum offerendo ſacrificium columbarum,quod iubetur Numer.6.& caput ſuum dicebatur pollutum,quia conſecratio præcedentis temporis non proficiebat, & non debebant radi capilli, quia non erat hoc neceſſe cum nullos haberet: nam capilli Nazaræi polluti non tondebantur ad aliud ad reintegrandum votum, niſi quia cenſebantur polluti. Et quia vltimo die voti expleti capilli Nazaræi conſecrabantur Domino, quia cremabantur in altari, cum capilli primi fuiſſent polluti,ſi permitterentur ſemper creſcere cremarentur coram Domino capilli immundi, vt ergo mundi ſint raduntur illi, qui polluti ſunt, & noui recreſcunt,qui mundi ſunt,& illi coram Domino conuenienter cremantur: ſi autem cum quis polluitur omnino nullos apparentes habet, non polluuntur capilli, cum nulli ſint, & ſic capilli poſtea apparentes naſcuntur mundi, & illi poſſunt coram Domino cremari expleto voto. Sciendum tamen,quod ſi quis habeat valde paruos capillos,ſcilicet,ſolum radices apparentes, vtpote ex tribus, vel quatuor diebus, & emiſſo voto polluereturdebebant adhuc illi parui capilli tonderi,vt renaſcerentur noui capilli:nam illi,ex quo apparebant, polluti fuerunt. Quod autem dicitur de raſo in temporali voto, intelligendum eſt à fortiori in voto perpetuo:quia in illo non requiritur tanta obſeruatio,ſicut in voto temporali,vt declaratum eſt Numeri ſexto, & ſupra decimo quarto. Si autem quæratur de illo, qui omnino carebat capillis propter ſenectutem, nec ſperabat illos habere. Dicendum, quod aut iſte vult emittere votum temporale Nazaræorum, aut perpetuum. Si temporale non poterat, quia die vltimo voti debebant capilli eius cremari coram Domino: ſed iſte non habebat capillos, nec ſperabat quod medio tempore naſcerentur, vt poſſent poſtea tonderi, & cremari coram Domino: ideo non poterat vouere iſtam obſeruantiam, ad quam ſciebat ſibi particulam quandam deficere. Si autem vellet vouere perpetuum votum, dicendum quod poterat, quia in Nazaræis perpetuis nunquam erant capilli cremandi coram Domino, ſed ad aliud non erant directe neceſſarij capilli in Nazaræis. Ad rationes autem in contrarium reſpondebitur, ſicut ſupra.

Reſp. ad quæſtum

Adration 1.

Adration. 2.

C

D

Quid fiet de carente capillis per alopetiam, &c.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlterius,quid ſi aliquis vouens Nazarẽorum à principio habuit capillos, poſtea autem per alopetiam caruit omnibus capillis, quid de illo fiet.

Reſpondendum, quod aut emiſerat votum temporale, aut perpetuum,ſi perpetuum nihil differt,quia Nazaræi perpetui nunquam debent capillos radere, ſed in Nazaræis non ſunt neceſſarij ſimpliciter, niſi ad radendum: ergo non obſtat,aut refert eos habere capillos,vel non habere.Patet hoc, quia ſi capilli eſſent neceſſarij in iſtis, aut hoc eſſet, vt raderentur quando polluuntur, aut vt radantur ao cremandum Domino in die expletionis voti:non ad ſecundum quia Nazaræi perpetui nunquam explebant votum, niſi in morte, ideo non cremabantur capilli eorum in altari. Et ſi dicas, quod capilli Nazaræorum perpetuorum debebant radi in die mortis eorum,& cremari. Non ſtat,quia homo mortuus eſt res immundiſſima ſecundum legem: in tantum quod accedentes ad ipſum, vel ad domum eius per ſeptem dies efficiebantur immundi. Quomodo ergo capilli hominis mortui cremari deberent in altari Domini tanquam ſacrificium eius? Etiam non debebant radi capilli Nazaræorum perpetuorum ad hoc, quod naſcerentur capilli noui, & mundi quando polluebantur priores moriente aliquo ſubito coram Nazaræo. Nam in Nazaræis temporalibus fiebat iſtud, eo quod capilli in fine voti cremandi erant coram Domino, & vt non cremarentur capilli immundi facti ſemel radebantur illi,vt naſcerentur alij noui,& immundi,& tamen Nazaræus perpetuus non radebat capillos in fine voti, ideo etiam ſi aliquando polluereturnon faciebat cæremonias purificationis. Etiam ſi haberet capillos non oportebat, quod illos raderet, & ſic nihil magis erat in perpetuis Nazaræis nunquam habere capillos, quam habere illos. Si autem dicatur de voto temporali,dicendum quod ſi contingeret iſtum habentem capillos perdere illos ante expletionem voti,poterat inſurgere dubium de duobus. Primum erat ſi polluereturaliquando moriente homine coram ipſo, & ipſe tunc non haberet capillos. Ad primum dicendum, quod nihil obſtabat, quia capilli, qui radebantur quando polluebatur Nazaræus, radebantur, vt ipſi immundi non cremarentur coram Domino in die expletionis voti: ſi autem nullos haberet, cum polluereturnon poterant capilli immundi cremari coram Domino,licet ſiue renaſcerentur aliqui poſtea,ſiue non dubium non erat, quod qui poſtea eſſent mundi. De ſecundo dicendum, quod quando aliquis votum expleret, ſi non haberet capillos, aut expectabat, quod illos in breui poſſet habere,aut nunquam illos expectabat,ſi primo modo,debebat extendere votum ſuum vltra tempus promiſſum, vt expleretur in eo Nazaræorum cæremonia à Deo impoſita: ſi autem nunquam poſtea expectarentur capilli, debebant fieri cæteræ cæremoniæ expletionis voti, omiſſa iſta, & ſic rite expleretur votum Nazaræorum.

Duo ſunt hic dubia.

Adration.

E

F

Adration.

An amiſiſſet vires ſuas Samſon tranſgrediendo aliquam aliam de cæremoniis Nazaræorum.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlterius, ſicut Samſon vires perdidit carendo capillis, an perdidiſſet tranſgrediendo aliquam aliam de cæremoniis Nazaræorum.Aliquis dicet,quod non, quia Samſon infringebant quaſdam alias, & tamen non carebat viribus: nam cæremonia Nazaræorum erat non accedere ad mortuos: Numer.ſexto,& tamen Samſon occidebat multos,

A multos, & tangebat eos post occisos, vt declaratum est præcedenti capitulo. Respondendum, quod si vires Samsonis vere essent in capillis, ista cæremonia violata perirēt vires, & omnibus alijs cæremoniis Nazaræorum omissis, non perirent vires: & tamen declaratum fuit supra, quod vires non erant vere in capillis, sed in organis operatiuis, & motiuis: & tamen manebant quamdiu manebant capilli, eo quod ista erat quædam cæremonia Nazaræorum, & Deus volebat istas cæremonias obseruari, & quamdiu illas obseruaret manerent vires, & non obseruando perirent, & quia Samson non solum infringebat Nazaræorum obseruationem istam cæremoniam capillorum violando: sed etiam omittendo quamcunque aliam. Ideo dicendum, quod quamcunque cæremoniam aliarum culpabiliter transgrederetur Samson careret viribus, vtpote si biberet vinum, aut comederet vuas, & ea, quæ nascuntur de vinea, quia ista erat de cæremoniis principalis Nazaræi, Num. 6. & tamen semper obseruauit Samson, quod non biberet vinum, nec siceram, nec comederet vuas. In sola autem cæremonia abscindendi capillos fuit culpabilis, ideo propter hanc solam perdidit vires. Si tamen conseruando capillos, vinum bibere voluisset, aut siceram, vel vuas degustare in terra Philisthinorum, caruisset ibi viribus. Cum autem obiicitur, quod Samson violabat alias cæremonias, vt patet de immunditia super mortuo. Dicendum, quod violatio istius nō erat culpabilis in Samsone, eo quod ad hoc Deus vires ei tradiderat, vt occideret Philisthinos, & hoc non poterat fieri nisi tangendo illos, ideo non peccabat in hoc, nec faciebat contra votum, sed potius merebatur, quia istud erat ad quod Deus eum consecrauerat: si tamen Samson vellet se polluere in mortuis eundo ad illos, & tangendo extra bella Philisthinorum, peccaret. Sed adhuc posset obiici, quia quando Dalila dixit, quomodo Samson posset perdere vires, quando ei Samson respondit veritatem, dixit quod erat Nazaræus, & quod si capilli sui tonderentur esset infirmus, & non dedit alium modum: ergo non erat alius modus perdendi vires. Respondendum, q̄ non sequitur, quod per omissionem, siue transgressionem aliarum cęremoniarum non careret Samson viribus, sed dixit Samson de isto, quia aliæ cæremoniæ consistebant in actu Samsonis solius, scilicet quod biberet, vel non biberet vinū, aut siceram, aut quod comederet vuas, & quod nascitur ex vinea, vel non, & nullus poterat Samsonem cogere ad istos actus, ideo per se solum viribus carere poterat isto modo, & non ab aliis: in capillis autem secus erat, quia si quis abscinderet capillos Samsonis ipso existente in culpa perderet vires, & sic fuit in tonsione facta per Dalilam: licet forte Samson putabat, quod quocunque modo capilli eius abscinderentur careret viribus. Hoc tamen erat falsum: nec est mirandum, quia isti imperiti circa dubitationes legis, & ea, quę exercebant, qualiter intelligenda forent nescibant: sicut declaratum fuit supra 11. capit. de voto Iephte, q̄ nescierunt Iudæi interpretari an teneret, vel non. *Videns autem illa, quod confessus esset ei omnem animum suum.* Id est vidit, quod nunc confessus est veritatem, quam corde celabat: & quod non mētiebatur nunc, sicut aliis vicibus. *Misit ad principes Philisthinorum.* Scilicet ad quinque satrapas, vel reges, qui erant domini totius terræ Philisthinorum: misit inquit ad eos, vt venirent ad se. *Atque mandauit.* Id est misit ad dicendum: nā mandare mittere legationem est. Sic accipitur Gen. 45. cum dixit Ioseph fratribus suis: dicite patri meo: hæc mandat filius tuus Ioseph, id est hæc mittit ad dicendum. Sic etiam Num. 20. hæc mandat frater tuus Israel, id est ista mittit tibi ad dicendum. *Ascendite adhuc semel.* Id est ascendite nunc vna vice ad me vtiliter, sicut iam ter inutiliter ascendistis: ex quo patet, quod quandocunque Dalila faciebat experimenta virium Samsonis veniebant principes Philisthinorum, & latebant intra cubiculum Dalilæ ad videndum exitum rei, & cum viderent, quod Samson rumpebat vincula secrete recedebant non audientes manere in domo aliquanto tempore: ne Samson arbitratus eos ibi esse afficeret illos morte: & cum rursus Dalila extorqueret à Samsone, vt diceret ei de viribus suis mittebat ad principes Philisthinorum, vt venirent, & rursus latebant expectantes finem rei, vt prius: & sic fecerunt per tres vices, & decepti sunt. In quarta autem vice erant iam tædio affecti, & desperantes posse inuenire veritatem, ideo forte ascendere nollent ad Dalilam. Et ob hoc ipsa dixit: ascendite adhuc semel, id est ascendite ista vice, quia iam non erit amplius opus, quod ascendatis, quia in ista vice dixit veritatem, & comprehendetis eum. *Quia nunc aperuit mihi cor suum.* Id est licet in aliis vicibus me falleret, in ista vice declarauit mihi veritatem, quam corde celabat. D

Adrationem in diuersum B

Obiectio.

Responsio.

C

Quomodo Dalila sciuit nunc, quod Samson declarasset ei veritatem.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR quomodo Dalila sciuit nunc, quod Samson declarauerat ei veritatem, quia in aliis omnibus vicibus fefellerat eam. Respondet Nicolaus, & Rabbi Salomon, quod sciuit nunc veritatem dixisse Samsonem, quia nominauit dominium dicens: Nazaræus domini sum de vtero matris meæ, & quia nūquam Samson consueuerat Deū nominare nisi vera dicendo, credidit, quod verum diceret. Sed non multum stat, qui istud est si Samson iurasset in nomine domini, quia tunc forte propter reuerentiam Dei verum dicit, & sicut solitum est quibusdam hominibus, quòd licet mali sint si iurauerint in nomine domini nequaq̄ mētientur, & tamen Samson non iurauit hic per Deum, sed dixit Nazaræus Dei sum. Dicendum ergo videtur, quod Dalila cognouit, quod nunc dixisset veritatem, non ex aliquo alio signo, nisi quia Samson nunc locutus est verisimilius quam aliis vicibus, vt patet considerando modum fortitudinis eius, quod patet quia fortitudo Samsonis tanta erat, quod non poterat dici eam esse modo naturali, sed diuino: si autem à Deo esset non poterat modo naturali superari, ideo siue septem funes neruicei, siue septem funes noui alligarentur Samsoni, cum esset iste excessus resistentiæ naturalis, vires à Deo datæ non perturbarentur ex hoc, & quia munera Dei sunt saltem secundum apparentiam propter bonitatem vitæ: satis rationabile creditum erat, quod cum obseruantia Nazaręorum esset aliqua perfectio in statu veteris testamenti, quod Samsoni obseruanti hanc regulam Deus daret vires, & quod si illam infringeret subtraheret Deus munus virium: vnde Dalila illico credidit Samsoni, quod vera dixit. *Qui ascenderunt assumpta pecunia, quam promiserant.* Credendum est, quod in qualibet vice, qua veniebant isti principes ferebant pecuniam promissam, quia tamen Samson rumpebat vincula, nihil dabant Dalilæ: nunc vero credentes, quod tenerent eum confidentius pecuniam tulerūt: ista pecunia erat quinque millium quingentorum argenteorū, quia quilibet princeps promiserat mille, & cētum argenteos supra in litera: Erant autem principes quinque, ideo tātam ferebant pecuniam. *Et illa dormire eum fecit super genua sua.* Sic etiam faciebat Dalila aliis vicibus, & erant Philisthini latentes intra cubiculum ad tenendū Samsonem, & maxime quia conuenientius tonderentur capilli Samsonis ibi, quā si dormiret super lectum. *Et in sinu suo reclinare caput.* Id est fecit, quod reclinaret caput super sinum Dalilę, scilicet super brachia sua, vel super gremiū, & hoc vt ipsa caput mouere posset tonsori. *Vocauit q̄ tonsorem.* Non rasit ipsa Dalila, sed vocauit tonsorem. *Et rasit septem crines eius.* Per septem crines intelliguntur omnes capilli capitis sui, qui in septem crines distincti erant, sicut supra declaratum est. E

Nicol. & Rabbi Sal. resp. ad quæs.

Doct. resp. ad quæsit.

Quare Dalila non rasit nunc capillos per se Samsonis, sed vocauit tonsorem.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quare Dalila non rasit nunc capillos per se, sed vocauit tonsorem, cum alijs vicibus ipsa eū per se ligaret, vt patet supra. Aliquis dicet, quod hoc factum est quia aliis vicibus non audebat aliquis accedere propter timorem Samsonis si rumperet vincula: nunc autem non erat timor vllus. Dicendum tamen, quod Dalila vocauit nunc tonsorem ad radendum capillos, quia ipsa non poterat per se facere, eo quod recubuerat super gremium eius, & ad radendum omnes capillos capitis necesse erat, quod eleuare- F

Munera Dei sunt saltem secūdum apparētiā propter bonitatē vitæ.

A

tur caput,& vnus teneret illud,& alius tonderet,& ſic oportuit quod vocaret alium in adiutorem: cum autem ligabat eum aliis vicibus ipſa ſola poterat hoc efficere, cum ſolum deberet ligare brachia eius,ideo tunc neminem vocabat.

Quomodo tonſor audebat venire ad tondendum Samſonem.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlterius, quomodo tonſor audebat venire ad tondendum Samſonem: nam Philiſthini, qui veniebant ad capiendum Samſonem, non audebant comparere,etiam ſi Samſon eſſet ligatus quouſque viderent, an poſſet rumpere vincula: ergo à fortiori debebat iſte timere, ne euigilaret Samſon,& occideret eum. Reſpondendum, ꝙ iſte auſus eſt venire,quia in aliis vicibus Dalila non credebat verum eſſe,quod dicebat Samſon, ideo ne euigilans rumperet vincula timentes latebant, nunc autem ſciebat, vel crediderat Dalila,quod Samſon dixerat verũ,& quod non poſſet euadere,ideo quamquam euigilaret quando tonſus eſſet, non poſſet nocere tõſori, eo quod iam careret viribus.Item confidebat Dalila, quod non eſſet periculum tonſori, eo quòd Samſon erat grauis ſoporis,& quamquam tonderetur
B non poſſet euigilare: hoc patet,quia poſtquã tonſus erat adhuc non euigilabat, ſed Dalila abiiciebat eum à ſe ſæpius quouſque euigilauit.

Quid tonſor egiſſet ſi euigilaſſet Samſon dum tonderetur.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quid tonſor egiſſet ſi euigilaſſet Samſon dumtonderetur,quia irrueret in eum. Reſpondendũ, quòd Dalila putabat certiſſime iſtum caſum non euenturũ, cum ipſa cognoſceret conditionem Samſonis, & tamẽ ſi accideret putabat,quod poſſet euadere dicendo, quod nõ vocaſſet eum ad malum, ſed ad experiendum: nam in aliis vicibus,quando Samſon dicebat Dalilæ, vbi haberet vires, ipſa volebat experiri, & ligabat eum, & cum Samſon ab ipſa excitabatur reperiens ſe ligatum,& ſoluens vincula, non irascebatur ei,ſciens aut arbitrans,quod ipſa iocans ageret fortitudinem experiendam, & non ad malum illius: ita nunc putaret: nam ſi crederet,quòd ad malum hoc faceret,potius vocaſſet Philiſthinos, vt eum dormientem occiderent. Item cum iſte tonſor raderet capillos eius,poterat nouiſſima nouacula leuiter iugulare eum, & non fecerat,ideo non veniebat ad nocendum ei,ſed ſolum ad cognoſcendum fortitudinem eius, & ſic non curaret Samſon, licet inueniret tonſorem radentem caput ſuum: potiſſime, quia ſi Dalila malum
C intenderet facere,ipſa nullo vocato poterat Samſonem dormientem in gremio ſuo iugulare.

Quare Philiſthini hac tertia vice non ſtabant coram Samſone dormiente, ſed latebant in cubiculo.

QVÆSTIO. XXXIII.

QVÆRETVR vlrerius,cum tonſor auderet caput Samſonis tondere,quarePhiliſthini hac vice non ſtabãt coram Samſone dormiente,ſed latebant intra cubiculum,ſicut aliis vicibus. Reſpondendum, quod periculum erat ſi Philiſthini ſtarent corã Samſone dormiente, quãdo tonderetur, & non erat periculum,ꝙ ibi maneret tonſor: nam ſi euigilaret Samſon, & videret principes Philiſthinorum apud ſe occideret illos,quia putaret manifeſte, quòd veniebãt ad occidendum eum, & dato ꝙ non poterat hoc moueretur ad occidendum eos,eo quòd erant hoſtes eius. De tonſore autem nõ erat ſic:quia dato quòd euigilaret,poterat colorari factũ, ita vt nihil mali ſuſpicaretur,ſicut ſupra declaratum eſt: ideo debuit tonſor accedere,&nõ debuerunt prẽſentes eſſe Philiſthinorũ principes: quoniam licet non putaretur,ꝙ Samſon euigilare deberet, tamen poterat accidere, & ad euitandum periculũ non debuerunt eſſe præſentes,quouſq; Samſon tõderetur,& cognoſceretur,ꝙ perdidiſſet vires.*Et cœpit abÿcere eum.*Scil.mouere caput eius:nã dum tondebatur tenebat illũ ſuauiter,vt nõ euigilaret,cũ verò tonſus erat mouebat caput illius,vt euigilaret,& cognoſceret an careret viribus. *Et à ſe repellere.* Scil. repellebat eũ de gremio ſuo, cum prius teneret eum ſuper genua.*Statim enim ab illo fortitudo diſceſſit.* Nõ intelligitur, vt mox eum abiecit à ſe, ſed mox, vt tonſus eſt; quia Deus noluit,quod vires ſupernaturaliter ſuffrugarẽtur ei,eo quod erat in culpa declarando Dalilę modũ,quo ipſa faceret in eo contra regulam Nazaræorum. *Dixitque,Philiſthÿm ſuper te Samſon.* Ideſt euigila,quia Philiſthini veniunt ſuper te:erãt tamen tunc Philiſthini intra cubiculũ finem rei expectantes.

D

Quomodo Philiſthini nunc ſciuerunt, an deberent inſurgere in Samſonem ad tenendum eum,vel non.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR,quomodo Philiſthini nunc ſciuerunt,an deberent inſurgere in Samſonem ad tenendum eum vel non:nam in aliis vicibus ſtahant in cubiculo expectantes finem rei,ſcilicet ſi Samſon poſſet vincula rumpere,& manebant in inſidiis, & poſtea ſecrete recedebant: ſi autẽ non potuiſſet ſoluere inſurrexiſſent in eum: nũc tamen nõ habebat aliqua vincula,quę rumperet:per quorum ruptionẽ,vel impotẽtiam ad rumpendum cognoſcerent,an perdidiſſet vires Samſon.Aliquis reſpondebit,ꝙ licet non fiat mentio in litera,tamen Dal la ligauit Samſonem dormientem aliqua forti ligatura, & tunc tonſus fuit: quo facto excitauit eum à ſomno,& tentans rumpere vincula nequit,quòd videtes principes Philiſthinorum, qui iacebant in inſidiis, irruerunt ſuper eum,& tenuerunt illum. Iſta poſitio ſatis rationabilis erat,& tamen quia ſi fuiſſet videtur,ꝙ litera deſcripſiſſet. Rationabilius videtur dicendũ,quòd nõ fuerit:ſed fuit modus,quòd Dalila credidit certiſſime, quòd Samſon nũc verum locutus fuerat,ideo dum Dalila eũ tondebat, latuerũt ipſi in inſidiis, ne dum tonderetur Samſon fortaſſis euigilaret,& videns eos coram ſe inſurgeret in illos,& occideret: ſed poſtquam fuerunt tonſi capilli Samſonis ſecuri Philiſthini, quod effugere non poſſet,circundederunt eũ,atque tenuerunt. *Qui de ſomno conſurgens.* Scil. euigilans,& tamen non ſurgens de gremio Dalilæ.*Dixit in animo ſuo: egrediar ſicut ante feci.*Id eſt ſibi Samſon adhuc in gremio Dalilæ dixit intra ſe: egrediar.Nam vidit Philiſthinos in circuitu, & putauit quòd poſſet effugere manus illorum. *Et me excutiam.* Scilicet de medio eorũ: nam nondum tenebant eum, ſed erãt in circuitu eius ad tenendũ illum.*Neſciẽs quod dominus receſſiſſet ab eo.* Id eſt iſta dicebat Sãſon neſciens,quòd Deus receſſerat ab eo, ſcilicet auferendo ei vires:nam erant iſtæ vires ſupernaturales,& quamdiu manebant in eo,dicebatur Deus manere cum illo: cum autem vires perierunt receſſit Deus ab illo: vires tamen perierunt quando capilli tonſi fuerunt, ideo tunc Deus vere receſſit à F
Samſone.Ex hoc patet,ꝙ iſtę vires non erant in Samſone,ſicut qualitas quædã,vel accidens membrorum ſuorum infixum illis,quia tunc ſenſiſſet Samſon corpus ſuum immutatum per carentiam priſtinarum virium: & tamen neſciebat, an perdidiſſet illas. *Sicut ante feci.*Scilicet ſicut prius ſe excuſſerat ter de vinculis rumpẽdo illa, ita nunc excuteret de manu Philiſthinorum, qui erant in circuitu eius.

Quem cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim, eruerunt oculos eius,& duxerunt Gazam vinctum catenis,& clauſum in carcere molere fecerunt. Iamque capilli eius renaſci cœperant,& Principes Philiſthinorũ conuenerunt, in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur, & dicentes: Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras. Quod etiam populus videns, laudabat Deum ſuum, eademque dicebat: Tradidit Deus noſter aduerſarium noſtrum in manus noſtras, qui deleuit terram noſtram, & occidit plurimos. Lætanteſque per conuiuia,ſumptis iam epulis,præceperunt vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere, ludebat ante eos. Feceruntque eum ſtare inter duas columnas.

E

Doct. ſolidior reſp ad quæſit.

Quę vires erãt in Sãſone.

A *Samsonis comprehensio eiusdem ac deluſio*

Quem cũ comprehẽdiſſent. Hic ponitur Samſonis cõprehenſio. Et diuiditur in tres parts. Primo ponitur Samſonis incarceratio, ſecundo eius deluſio: tertio eius mors, & conſumatio. Secunda ibi. *Iamque capilli.* Tertia ibi. *Qui dixit puero.* Circa primum dicitur. *Quem cum comprehendiſſent Philiſthiim.* Scilicet poſtquam detonſum eum circumdederunt iniecerunt manus in eum, & tenuerunt. *Statim eruerunt oculos eius.* Scilicet antequam recederent de eodem loco eruerunt oculos illius, & ſic duxerunt eum vinctum. *Et duxerunt Gazam.* Ad iſtam ciuitatem potius quam ad aliam duxerunt eum, quia forte iſta erat celebrior omnibus vrbibus Philiſthinorum. Vel quia iſta erat propinquior loco illi, in quo captus eſt Samſon. Vel quia ibi erat Deus Dagon Deus maximus Philiſthinorum, cui Philiſthini attribuebant victorias ſuas, & in honorem eius duxerũt eum ad vrbem illam: quod patet, quia poſtea conuenit populus magnus Philiſthinorũ in Gazam, & omnes principes Philiſthinorum, & immolabant magnificas hoſtias Deo Dagon ſuo pro captione Samſonis infra in litera. Vel forte, quia Samſon deliquerat in vrbe Gaza, ſcilicet portas eius duxerat in montem, præcedenti cap. duxerunt eum illuc, vt ibi puniretur. *Et vinctum catenis.* Id eſt vinxerũt eum catenis, & tenebant in carcere ad gloriam victoriæ ſuæ, vt cum veniret dies ſolennitatis eorum facerent eum ludere coram ſe. *Et clauſum in carcere molere fecerunt.* Id eſt cum eſſet Samſon vir fortis, faciebant quod intra carcerem ſtaret trahens molam aſinariam atque ſeruiret ſic Philiſthinis. Vel forte erat mola parua, quæ ab homine mouetur ad molendum, iſtud autem fit in terra Philiſthinorum, & terra Chanaan, & Ægypti, quia eſt terra aquarum inops, & non ſunt artificia molendi in fluminibus, ſed brachio hominibus far ad molam teritur. Vel ſit artificium magnarum molarum, quæ ab aſinis volauntur, & conſuetæ ſunt iſtæ molæ aſinariæ in terra illa. Vnde Chriſtus dixit Matth. 18. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt: expedit vt expendatur mola aſinaria collo eius, & proiiciatur in profundum maris. Conſuetum etiam erat, quod captiui, qui tenebantur in carcere haberent ibi molas, & catenati molerent, ſic patet Exod. 11. cum dicitur: Morietur omne primogenitum in terra Ægyptia primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quę eſt ad molam. Et Exod. 12. ponitur iſtud, & dicitur: Percuſſit dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & ſic ancilla, quæ erat ad molam erat illa, quæ erat in carcere. Ex quo patet, quod captiui in terra illa in carceribus cogebantur molere, & ſic factum eſt de Samſone. Rabbi Salomon, & & aliqui Hebræi, & Nicolaus dicunt, quod Philiſthini ducebant vxores ſuas, & filias ad Samſonem, vt cognoſceret eas, & inde proles fortiſſimas ſicut Samſon gigneretur, & hoc erat molere. Sed iſtud non ſtat: primò quia dicitur, quod vinctum catenis cogerunt molere, & tamen ad iſtud opus cognoſcendi fœminas Philiſthinorum, non eſſet vinctus catenis. Item non eſt veriſimile, quod Philiſthini eſſent tam turpiſſimi, vt filias, vel vxores per inhoneſtatem copulæ ſubiicere vellent hoſti: potiſſime cum eum valde odiſſent. Item & efficacius non erat hoc credibile, quia non poterant nunc credere Philiſthini, quod filij nati de Samſone eſſent fortes, ſicut ipſe, quia ſi Samſon haberet vires naturaliter credere poſſent, quòd vires Samſonis deriuari poſſent in filios, Samſon tamẽ habebat vires ſupernaturaliter, & ſic credebant Philiſthini: ſicut declaratum fuit ſupra, ideo non crederent, quod deriuari poterant in poſteros per ſeminis deriuationem. Item quod maius eſt, ſi Samſon nunc haberet vires, ſiue illæ naturaliter, ſiue ſupernaturaliter eſſent, poterant Philiſthini cogitare, quod deriuarentur vires eius in poſteros, nunc autem viribus carebat, vt ipſi videbant, & effectus erat ita infirmus, ſicut alius homo, ideo non eſt vllatenus veriſimile, quod darent ei aliquam fœminam ad cognoſcendum, ſed ſolum cogebant eum ad molendum ſicut aſinum. O admiranda calamitas Samſonis: ô populi Iudaici grauiſſima infœlicitas, & opprobrium. Fortiſſimus ille virorum, atque toti ſeculo ſtupendus ipſoque nomine terribilis Samſon, qui leones ſæuiſſimos facile manus ictu domuerat, magnos hoſtilis exercitus cuneos fundens, mandi-

B

Hebræorum opinio, & Nicolai ridicula

C

Apoſtrophat in Samſonem.

tam omnibus ſæculis ſtragem egerat, & quod admirabilius eſt, tanta felicitate, vt facilius ſibi agere quam nobis cogitare foret. O nimis plangẽde vir, imò virorum flos, qui omnes viribus ſuperans ſola prudentia caruiſti, & miſerabilis mulierculæ pulchritudine tractus, & fallacibus lachrymis deceptus in extremam decidiſti ſortem: ita vt cunctorum, quos legerim miſerior factus, turpiter ad hoſtibus vtroque priuatus lumine, in æternum totius populi Hebræorum opprobrium, ad molam aſinariam molere cogereris. Nec ſatis hoc fuit in te amaræ inſæuienti fortunæ: imo & diuinæ vltioni, niſi vt inſanus effectus vani, & turpiſſimi ſcurræ typum gerẽs, coram hoſtili caterua in tui deluſione ludere cogereris. Quis enim ſufficienter tantam calamitatem lugere queat? imo quis digne cogitare valeat? ſubito in te ſummâ infimis coæquata ſunt. Arbitror autem Dei noſtri iſta eſſe prodigia, qui, & ſuperbientium hominum in ampliſſimo robore maximam infœlicitatem ponentium, aut per hoc ſeipſis fruentium poſitionem elidat, & ipſum qui cunctis mortalibus robore præſtantior fuit, amara & ignobili calamitate confecit, vt diſcat quilibet domino noſtro colla ſubiicere, & ſoli Trinitati ſeruire, corporalibus dotibus non curatis. Nec huic diſſimilis cæteris infelicitas. Nam & cæteros, quos aut maxima potententia, aut excellentiſſima pulchritudo, aut admiranda totius corporis agilitas, aut pecuniarum numeroſa poſſeſſio, aut ſapientiæ nimia celſitudo claros effecit, dura excidia confecerunt.

D

Samſon totius populi Hebræorũ æternũ opprobrium.

E

Quare Philiſthini Sanſonem mox captiuum oculis priuarunt.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR, quare Philiſthini Samſonem mox captiuatum oculis priuauerũt. Reſpondendum, quod Philiſthini forte timuerunt, quod ſicut perditis capillis Samſon vires perdiderat, ita renaſcentibus illis recuperaret vires, & quia tunc poſſet eis nocere valde, ſi videret rumpens vincula, & occidens quoſcunque vellet in terra Philiſtinorum, & rediret tunc in terram ſuam, abſtulerunt ei oculos, quia dato quod redirent vires paucos poſſet lędere, etiam ſi vellet: imo nulli nocere auderet, quia non videns non poſſet effugere manus eorum. Aliter & melius dicendum, quod non putauerunt Philiſthini, quod renaſcentibus capillis, redirent vires Samſonis, quia alioquin non permiſiſſent creſcere capillos eius, & permiſerunt, vt patet infra: ſed putabant, quod cum Deus dediſſet ei vires, & nunc iratus ei eſſet, quod nunquam iam ei vires donaret: quia tamen Samſon manens in paucitate viriũ, ſi videret poſſet multa agere, & fugere: eruerunt oculos eius, ne quidquam mali agere auderet, nec effugere poſſet.

F

Quare Deus permiſit Samſonem iudicem Hebræorum cadere in Philiſthinorum manus.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR vlterius, quare Deus permiſit Samſonem iudicem Hebræorum, quem ipſe ad iſtud opus conſecrauerat, cadere in manus Philiſthinorum. Reſpondendum, quod ad hoc fuerunt duplicia demerita, ſcilicet ipſius Samſonis, & populi Iſrael. De Samſonis demeritis apparet, quod aliquando in victoriis, quas habebat contra Philiſthinos, non putabat Deum prędidere, ſed ipſe tanquam viribus ſuis gloriabatur. Sic dicunt fuiſſe in victoria, quando fugauit exercitum Philiſthinorum, & occidit mille viros. Et ob hoc, vt cognoſceret magnitudinem Dei, & ab eo prouenire omne bonum, dedit ſitim magnam in eo, ita vt laſſaretur ad mortem, & timeret cadere in manus Philiſthinorum, & tunc vexatione coactus ad dominum conuerſus eſt, dicens: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, & victoriam, & heu ſiti morior, incidamque in manus Philiſthinorum prędcedenti cap. Hoc tenet Ioſephus quinto antiquitatum, dicens: Samſon ergo plus quam oportebat exultans, non Dei operationem credebat, ſed viribus abſcribebat, eo quod per maxillam alij hoſtium cęſi ſunt, & alij fugati ſunt,

A *Samsonis crimina. Peccata populi in hanc calamitatem Samsonē tradiderūt dupliciter*

sed irruit in eum sitis dura, & tunc cognouit Dei virtutem. Alia autem fuerunt maiora Samsonis crimina, quòd ardenter amabat Philisthinas mulieres, eisque fruebatur illicito coitu, nec coniugem quærebat Israeliditis. Nec tamen dico de prima muliere Thamnatea, quam in vxorem accepit, quia ad illam Deus eum inclinauit, sed de aliis, quam meretricio amore dilexit tam in Gaza, quam in valle Thoret, vt patet supra in litera. Item peccata populi traxerunt Samsonē in istam calamitatem, & hoc dupliciter, scilicet directe, & indirecte. Directe quidem quia pro malis operibus Israelitarum, qui erant subditi Samsonis vita Samsonis deprauabatur, & pœnæ ei à domino infligebantur: nam sicut pro peccato populi Deus facit interdum regnare hypocritam, vt patet Iob 34. cap. ita & principem bonum interdum Deus deserit, & infortinanti fiunt actus eius propter peccata populi. Sic fuit de Dauid, qui erat bonus rex, & tamen propter peccata populi ipse permissus est cadere in peccatum numerandi populum. Sic dicitur 2. Reg. 24. scilicet. Addidit furor domini irasci contra Israel: mouitque Dauid in eis dicentem: vade numera Israel, & Iuda. Vnde Gregorius ait in moralibus, quod secundum merita subditorum disponuntur actus pastorum: peccabant autem Israelitæ nunc coram domino, quia non recedebant ab idololatria, & quia cōmunicabant cum Chananæis in matrimoniis, & in aliis à lege vetitis, ideo punitus est Samson in illis, quia permissus est peccare propter peccata eorum, & consequenter punitus propter illos.

B Secundò punitus est Samson propter Israelitas indirecte, scilicet vt non proficeret illis. Nam Samson breui tempore, scilicet vnius anni, vel quasi totam terram Philisthinorum pauore concusserat, & occidebat quos volebat: vnde si mānsisset paulo maiori tempore apud Israelitas, deleuisset Philisthinos, nec solum liberasset Israelitas de iugo Philisthinorū, sed etiam Philisthinos Israelitarum subiecisset seruituti. Hoc autem non erat placitum coram Deo propter peccata Israelitarum, qui non merebantur talia bona, ideo tradidit Deus virum hūc fortissimum manibus hostium, ne prodesse posset populo indignissimo Iudæorum.

Quare Deus permisit Samsonem oculis priuari.

Qvæstio XXXVII.

Qværetvr vlterius, quare Deus permisit Samsonē oculis priuari. Respondendum, quòd Deus punire volebat Samsonem pro peccatis suis, vt supra declaratum est, & quia Deos quandoque ad ostensionem magnę iustitię punit hominem per ea, per quæ peccauit, vt patet Sapientiæ 11. scilicet. Per quæ quis peccat, per hæc torquetur: voluit punire Samsonem, sicut peccauerat: fuit autem peccatum Samsonis graue in amore mulierum Philisthinarum: & hoc quia

C placebant nimis oculis eius: sicut dicitur supra 14. ideo illi oculi, quibus nimis placuerunt mulieres inordinate, Dei iustitia ordinante eruti sunt.

Quare Samson solus inter iudices Israel permissus est cadere in manus hostium, & apud eos mori.

Qvæstio XXXVIII.

Qværetvr vlterius, quare Samson solus inter iudices Israel permissus est cadere in manus hostiū, & mori apud eos: nam nullus alius de iudicibus captus fuit ab hostibus, nec mortuus est in terra eorum, sed potius omnes triūphauerunt de hostibus. Respondendum, quod istud factum est propter multa. Primò quia omnes alij iudices erant viri boni, prudentes, timentes Deum, & tenentes legem illius. Samson autem erat iuuenis, & stultus: nam nōdum viginti annos egerat quando mortuus est vt declaratum est præcedenti capitul. & cum viribus excelleret omnes homines superbiebat, & dominabantur in eo passiones iueniles, in quibus Deum offendebat amando intemperate mulieres Philisthinas. Debuit ergo à Deo puniri iste, & non cæteri iudices, qui recte viuebat. Secūdum erat propter peccata Israelitarum: nam quando alij iudices veniebant super populum cessabant Israelitæ à peccatis, & colebant dominū tempore illius iudicis, vt patet supra 2. & illo mortuo cōuertebantur ad idola: ideo dum viueret iudex non infligebat Deus malum iudici, nec Israelitis, sed omnes hostes tacebāt: nunc autem propter peccata Israelitarum ipsi non liberati sunt per Samsonem, sed quamquam esset fortissimus iudicum, tempore eius seruierūt Israelitæ Philisthinis, & eo moriente manserunt in seruitute, quod non contigerat tempore aliorum iudicum, ita & ipse pro peccatis illorū habuit occasionem moriendi in manibus hostium, quod non contigerat aliis iudicibus. Tertium est, quia Samson erat fortissimus, & si vixisset deleuisset Philisthinos, quos Deus deleri nolebat: tam exigētibus demeritis Israelitarū, quam ad exercitandum Israelitas cum eis, vt patet supra 3. capit. ideo debuit hunc morte veloci consumere, ne hostes deleret: aliis autem iudicibus non fuerant datæ aliquæ vires specialiter, quæ essent semper manentes, ideo licet Deus semel per eos expulisset hostes de terra, non audebant ipsi vlterius in hostes insurgere, nisi prius hostes è contrario insurgerent. Et sic licet multo tempore viuerent, non poterant delere Philisthinos, aut subiicere eos in seruitutem, sicut facturus erat Samson, nisi breui morte confectus foret, ideo non oportuit, quod alij iudices ita cito morerentur, aut manibus hostium traderentur.

D

Quare Philisthini effossis oculis Samsoni non illico eum occiderunt.

E

Qvæstio XXXIX.

Qværetvr vlterius, quare Philisthini cum accepissent Samsonem, & eruissent oculos eius, non occiderūt illico eum. Respondendum, quòd fuit duplex causa. Vna ex parte Philisthinorum. Et alia ex parte Dei. Ex parte Philisthinorum fuit desiderium perfectæ vindictæ: nam cum Sāson tantum illusisset eis, quod ipse solus compelleret in fugam totum exercitum Philisthinorum, & inuitis eis introiuisset, & exiuisset de vrbe Gaza, atque in humeris portasset fores vrbis vsque ad montem, non reputabant completam vindictam, si eum occiderent, velut in bello: ideo conati sunt accipere eum viuentem ad illudendum ei in terra sua, cogendo eum molere: etiam tanquam insanum excæcatum coram se ludere faciendum: & postea si vellent morte turpissima afficiendum. Et ob hoc quamquam qotuissent eum occidere fraudulenter, antequam vires perderet iugulando eum dormientem sæpe in gremio Dalilæ, vel ex occultis sagitta eum percutiendo, noluerunt, sed conati sunt inquirere quo modo Samson poterat carere viribus, vt cū captum tenerent. Secunda causa, & efficacior fuit ex parte Dei, qui mouit Philisthinos, vt desiderarent capere Samsonem viuētem: nam licet Deus vellet Samsonem mori, tamen nolebat eum capi inutiliter à Philisthinis, sed quod per captionē suam maiora damna Philisthinis inferret, qnam viuens non captus intulerat. Nam postea cōcutiens domum occidit tria millia virorum, & ipse pariter mortuus est: & dicitur, quòd plures ibi occidit quam viuens occiderat: & quia si Philisthini occidissent eum mox, vt ceperunt, nō feciisset istam vltionem in Philisthinos: inclinauit ergo Deus Philisthinos, vt non occiderent eum, licet ipsi non putabant, quod ad malū suum eum viuentem custodirent.

F

An peccauerunt Philisthini capientes per insidias Samsonem in domo Dalilæ, & orbantes eum.

Qvæstio XL.

Qværetvr vlterius, an peccauerunt Philisthini capientes Samsonem in domo Dalilæ, & orbantes eum. Aliquis dicet, quod sic, quia Philisthini per fraudes processerunt contra Samsonem latentes intra cubiculum Dalilæ, & sic tenuerunt eum. Respondendum, quod non peccauerunt Philisthini, quia ipsi habebant iustum bellum contra Samsonem, qui terram eorum iniuste vastabat, vt declaratū est cap. præcedenti. Hosti autem quodcunque licet in hostem, dum tamen veritatem interpositam ex pacto non fallat. Quòd autem licuerit eis orbare Samsonem oculis, &

A

cogere ad molam, & ad quæcunque turpissima officia, notum est, cum liceat occidere eum non determinato modo: quia hostibus non est lex posita, sed quidquid volũt, & possunt hoc lex est: nam de iure gentium istud est. Sed solum est dubium, quia per insidias fecerunt. Dicendum, quod nec etiam peccauerunt in hoc, quia insidiæ vocantur respectu illius, qui se non tenetur obseruare: sicut viuentibus in eadem politia, vel sub eodem iure istud est, quod nullus se debeat ab alio obseruare, eo quod si quid vnus habet contra alium, iure diffinitur: & ob hoc si inter istos quis alium non aspicientem percusserit, ex insidiis agere dicitur. In hostibus autem nõ stat istud, quia lex hostis est nocere hosti quantũcunque, & qualitercunque potuerit: & cum istud cognitum sit, non potest quis reputare insidias illas, quas scit de iure sibi posse poni, sed vtens iure suo non peccat: ideo Philisthini percutientes, & capientes Samsonem insidiosè non peccauerunt. Nam Deus iussit Israelitis ponere insidias, quando pugnabant contra vrbem Hai, vt patet Iosue 8. ca. Ideo diffinitum est, quod in bello iusto licitum est vti insidiis, & quibuscunque cautelis. Sed obiiciet aliquis, quod licitum est cuique vti iure suo, dum tamẽ bono animo vtatur. Nam vti iure suo mala intentione peccatũ est. Respondendum, quod Philisthini bona intentione iure suo vtebantur contra Samsonem: nam agere ad occidendum non est agere mala intentione, cum hoc liceat hosti contra hostem.

Lex hostis est hosti nocere.

B

An Dalila peccauit tradendo Samsonem manibus Philisthinorum.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR vlterius, an Dalila peccauit tradendo Sãsonem manibus Philisthinorum. Aliquis dicet, quod non, quia erat ipsa hostis, & licebat ei agere contra Samsonẽ quidquid licebat fieri contra hostem. Nam ita tenentur fœminæ ad procurandum patriæ incolumnitatem, quantum eis possibile est, sicut viri: sed Philisthinis licebat capere Samsonem per insidias, & occidere, ideo etiam liceret Dalilæ. Respondendum est, quod Dalila peccauit grauiter Samsonem tradendo manibus Philisthinorum: quia ipsa tenebatur ei obseruare legem amantis: quia Samson diligebat eam valde, & confidebat illi: & ipsa ostendebat se maxime diligere Samsonem, quia alias non confessus fuisset Samson ei, sed fallere legem amoris non pronunciando Samsoni peccatum erat. Nam cum talia ostenderet Dalila Samsoni, poterat rationabiliter conqueri Samson de illa, si præuaricaretur legem amoris. Sic enim diffinit Arist. 8. Ethicorum, cum agit de querelis amicorum. Quia quidam diligunt alios amore honesto, & putant se ab eis simili amore diligi: cum autem inciderit eis inopia rerum, amici qui putabantur diligere propter honestum, & diligebant propter vtile, recedunt ab amicitia, & alij conqueruntur. Respondet Aristoteles, quod si ille, qui amabat propter vtile, simulabat se amare propter honestum, & postea amicum calamitosum relinquat, habet amicus ius querelę. Si autem alius amans propter vtile, non fingebat se amare propter honestum, sed apparebat quod amaret propter vtile, non habet ius querelæ amicus, sed sibi imputet, qui insipiens erat: ita de Dalila & Samsone: nam Dalila ostẽdebat valde, quod diligeret Samsonem toto animo, & sic petebat ab eo diligi, cum dixit: Quomodo dicis, quod ames me, cum animus tuus non sit mecum? supra in litera. Et tamen non diceret ista Dalila Samsoni, nisi ipsa ostenderet ei, quod ipsum æqualiter diligebat. Etiam ostendit hoc ipsa: nam cum Samson nollet ei indicare robur suum, defecit spiritus eius, atque lassata est: & ista erant signa amãtis. Hæc omnia fefellit Dalila cum secrete moliretur insidias contra eum, ideo peccauit. Item patet, quod Dalila non tradiderit Samsonem vtens iure suo, scilicet desiderio conseruandi patriam, sed illecta desiderio pecuniarum: nam antequam Philisthini pecuniam promitterent Dalilæ, non intẽdit offendere Samsonem: promissis autem pecuniis, conata est hoc efficere, & sic amore lucri egit contra fidem amantũ. Sed obiicitur, quod Iudith egit simile: nam ipsa confugit ad Holofernem tanquam petens saluari, & mentita est in multis, vt patet Iudith 10. & 11. & 12. ca. & occidit postea Holofernem, & tamen dicitur de ipsa, quod non peccauit, sed potius in catalogo sanctarum fœminarum collocatur. Respondendum, quod Iudith, & Dalila non fuerunt similes. Primò quia Dalila à principio diligebat Samsonem, & seruabat ad eum fidem, vt amantem: postea autem pecuniis corrupta legem violauit. Iudith autem nunquam dilexit Holofernem, sed abominata est & iuit ad illum animo occidendi cũ. Secundò differebat, quia Dalila ostendit Samsoni, quod diligeret eum, & adhærebat ei, vt amanti, tenebatque eum in gremio suo, & alias illecebras procurabat illi. Iudith autem non ostendit se diligere Holofernem, sed potius refugiebat ab eo, & nolebat comedere de cibis eius, nec dormire intra cameram eius, vt patet Iudith 11. & 12. ideo Holofernes non debebat suspicari se diligi ab illa, nec confidere illi cum ipsa nihil tale ostenderet, & sic Iudith nõ fefellit Holofernem, sed potius ipse deceptus est pulchritudine eius: Iudith 10. & 11. Dalila autem rebus istis, & obsequiis amantem Samsonem fefellit. Tertio differebant, quia Iudith venit contra Holofernem mota iusta causa, scilicet ad defensionem populi sui, & præmissa oratione ad Deum, & ieiunio, vt patet à cap. 7. vsque ad 11. & Deus misii spiritũ in corde eius ad faciendum hæc: Dalila autem non fuit mota à Deo, nec aliqua iusta causa, sed sola lucri cupiditate amantem hostilibus manibus tradidit: solum autem fuit culpabile in Iudith mẽdacium: nam multa mendacia dixit coram Holoferne, sed omnia ista susceperunt dispẽsationem à Deo, quia iusta causa mouebat Iudith: & Deus eam ad faciendum hoc impulerat. Dalila autem nullo modo est excusabilis, quia in opere suo nihil honestum intercidit, per quod inhonestas cæterorum temperetur. *Iamque capillis eius.* Hic ponitur secundum huius partis, scilicet Samsonis illusio, quia ad complementum victoriæ suæ volebant vti Samsone in ludis in festiuitate victoriæ Samsonis, & dicitur. *Iamque capilli eius renasci cœperant.* Scilicet quando facta sunt, quæ sequuntur hic cœperant renasci capilli Samsonis. Ex hoc patet, quod modico tempore mansit Samson in terra Philisthinorum postquam captus est. Quod patet ex duobus. Primò quia quando Samson captus est tonsi fuerunt capilli eius, & tunc irruerunt in eum Philisthini, & tamen hic dicitur, quod facta sunt ista cõuiuia, quæ sequuntur in quibus mortuus est Samson, quando cœperant renasci capilli Samsonis, & tamen ad hoc quod renascerentur, modicũ tempus oportebat quod fuisset, forte non vnius mensis integri. Secundum est, quia die illa cõuenerunt Philisthini ad faciendum sacrificia pro victoria contra Samsonem, vt patet infra, & tamen non est verisimile, quod multis diebus post captionem Samsonis differrent Philisthini immolare hostias pro victoria: & dicitur de capillis renascentibus ad significandum, quod iam Samson habebat fortitudinem, eo quod capilli renascebantur. Non est autem sensus, quod capilli conferrent vires Samsoni, vel in ipsis capillis manerent vires, sed Deus dabat vires, & per recessum eorum Samson carebat viribus, vt patet supra in litera. Sed quia Deus dabat vires Samsoni quamdiu seruabat regulam Nazaræorum, & perdendo capillos, regulam transgressus est, & Deus recessit ab eo, & cessauerunt vires: cum autem captus à Philisthinis mansit in carcere cœperunt crescere capilli, & tunc verisimile est, quod Samson ad se reuersus pœnitentiam egerit & seruauerit regulam Nazaræorum, & sic Deus daret ei vires renascentibus capillis: vnde non fit mentio de capillis, quasi ipsi vires darẽt: sed quia Deus dabat vires quando illi redibant, & istud erat per accidens. *Et principes Philisthinorum conuenerunt in vnum.* Isti erant quinque satrapæ, vel reges Philisthinorum, qui dominabantur toti terræ Philisthinorum distinctæ per quinque metropoles. *Vt immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo.* Id est voluerunt ad reuerentiam victoriæ de Samsone immolare hostias magnificas, id est magnorum sumptuum, quia sic expetebat ad reges pro tanta victoria habita agere: isti principes conuenerunt ad hoc, quia ad ipsos pertinebat disponere de omnibus, quæ facere debebant Philisthini, & ipsi venerunt ad vrbem Gazæ, & cum eis populus ad festum immolationis: iste Dagon erat vnus de diis Philisthinorum, vt immediate dicetur. *Et epularentur.* Id est fecerent sacrificium, & ipsi comederent, erat ista consuetudo Gentilium, quod facerẽt sacrificia diis suis, & de carnibus sacrificiorum comederent: imò

C

D

E

F

Amico tũ tura.

Iudith, & Dalila inuicẽ comparantur

Samsonis illusio.

Gentilium cõsuetudo in sacrificijs

A

imò quod plus erat comedebant adipes sacrificiorum, & bibebant vinum libaminum, quorum vtrũque apud Hebræos erat prohibitum. De hoc Deuteronom. 32. Surgant, & opitulentur eis, & in necessitate eos protegant: & ante hoc. Vbi sunt dij eorum in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedebant adipes, & hibebant vinum libaminum? Sic etiam Iudæis erat consuetudo, quòd quando facerent festiuitates magnas, vt coronationes regum, offerrent Deo sacrificia pacifica, & de illis comedebant ipsi, quia quædam pars erat, quæ proueniebat in ius offerentium: sic patet in coronatione Saulis 1. Regum 11. & in coronatione Adoniæ 3. Regum primo. Et Deus hoc iubebat fieri in festiuitatibus magnis, quibus conueniebant Israelitæ ad sanctuarium, vt coram domino epularentur, vt patet Deuteronom. decimo secundo, & decimo quarto, & sextodecimo capitulis.

Quare nunc Philisthini immolabant victimas dijs, & epulabantur.

Qvæstio XLII.

Qværetvr, quare nunc Philisthini immolabant victimas diis, & epulabantur. Respondendum, quod ad honorem victoriæ Samsonis faciebant, quia ipsum vicerant contra quem nunquam putabant se prævalituros: sed crediderant, quod ipse potius destrueret terram eorum cum faceret contra eos magnifica gesta, & inaudita à seculis, ideo tanto nunc magis debuerunt gaudere, quanto victoria celebrior erat, & ob hoc omnes quinque reges Philisthinorum conuenerunt in vnum, & populus cum eis ad istam solennitatem. Item non solum dicitur, quòd immolauerunt victimas, sed etiã quod illæ victimæ erant magnificæ, & hoc quia victoria erat magnifica. Sed aliquis dicet, quod rationabile erat Philisthinos epulari, & gaudere: sed non apparet quare deberent immolare victimas. Respondendum, quod Philisthini credebant, quòd dij sui adiuuabant eos in bellis, & dabant eis istam victoriam, ideo ad laudem eorum faciebãt sacrificia. Patet hoc ex verbis eorum: nam cum essent in sacrificiis, & conuiuiis, dicebãt: Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras, vt patet infra. Sic etiam fuit semper opinio apud Philisthinos, quod quascunque victorias obtinerent de gentibus aliis, obtinebãt fauore Deorum suorum: vnde quando pugnantes contra Israel cœperunt arcam Dei in bello, posuerunt eam in templo Dagon, quasi ipse Dagon cepisset eam 1. Regum 5. Item quando pugnantes occiderunt Saulem, & filios eius, pręciderunt caput Saulis, vt ostenderetur in omnibus templis idolorum Philisthinorum, vt patet 1. Regum vltimo, & 1. Paralip. 10. cap. ita

C

ergo nunc putauerunt, quòd adiuuissent eos dij sui, & fecerunt sacrificia magnifica in gratiarum actiones pro tanto beneficio, & tamen secundum veritatem non poterant isti dij adiuuare eos, quia non erant nisi lapides mortui, & ligna: imò potius impediebant, quia Deus verus impediebat Philisthinos propter cultum idolorum, & quia victoriam, quæ à Deo vero erat, simulacris ascribebant. Ista etiam erat opinio omnium Gentilium, quod dij sui adiuuarent eos, & quod pugnarent singuli dij pro cultoribus suis: sicut declarat Augustl. de Ciuit. Dei lib. 3. & Virgilius 10. Æneidos, & Ouidius in multis locis.

Quare potius Philisthini sacrificarunt nunc Deo Dagon, quam alteri Deo.

Qvæstio XLIII.

Qværetvr vlterius, quare potius Philisthini sacrificauerunt nunc Dagon, quam alteri Deo in gratiarum actionem pro beneficio suscepto. Aliquis dicet, quod non habebant alium Deum Philisthini, ideo huic attribuebant omnes victorias suas, & consequenter ei offerebant omnia sacrificia. Sed dicendum, quod non stat, quia Philisthini habebant multos alios Deos, vt patet 1. Regum vltimo. Cum dicitur, quòd caput Saulis portatum est per templa idolorũ. Vnde erant apud Philisthinos alij dij famosi, quorum vnus erat Astaroth, & huic ascripserunt victoriam, quam obtinuerunt contra Israelitas, quando occiderunt Saulem, & filios eius, vt patet allegato c. nam in templo illius posuerunt arma Saulis: in quo significabant, quod virtute illius obtenta fuerant illa arma de manu hostium: Erat etiam Deus Beelzebub famosissimus apud Philisthinos, & potissime in arte diuinandi, sicut apud Græcos, & Latinos, & quasi cæteras gentes erat Apollo Delphicus, ad quem pro reuelatione occultorum recurrebatur. Erat autem Beelzebub in vrbe Acharon, quæ erat vna de metropolibus Philisthinorum, & concurrebant Philisthini ad illum Deum pro inquisitione super dubiis. Similiter etiam Israelitæ, & aliæ gentes propinque mittebant ad illum Deum. Vnde Ochocias rex Israel ægrotans misit ad consulendum Beelzebub Deum Acharon, an consurgeret de infirmitate sua 4. Regum primo. Erat etiam Dagon apud Philisthinos, qui erat Deus famosus, vt patet ex hoc, quòd ei obtulerunt magnificas victimas.

D

Beelzebub apud Philisthinos erat, sicut Apollo Delphicus apud Græcos & latinos.

Cum multi alij dij etiam famosi essent apud Philisthæos cur potius Dagoni, quam alteri sacrificarunt.

Qvæstio XLIV.

Qværetvr, ergo tunc vlterius, cum inter Philisthinos essent multi dij famosi ad minus tres, scilicet Beelzebub, Astaroth, & Dagon, quare potius sacrificauerũt Dagon, quam alteri Deo. Aliquis dicet, quòd hoc fecerunt, quia alij erant dij particulares alicuius terrę Philisthinorum, & tamen Dagon erat Deus generalis omnium Philisthinorum, & hoc colligitur ex litera, quia dicitur, quòd conuenerunt vt immolarent victimas magnificas Deo suo Dagon, & sic respectu omnium quinque regum Philisthinorum vocatur Deus suus Dagon. Sed dicendum, quod istud nõ stat, quia potius erat Deus communis terræ Philisthinorum Astaroth quam Dagon, vt patet primo Parali. 10. cum dicitur, quòd arma Saulis consecrauerunt in fano, Dei sui, & caput effixerunt in templo Dagon, & sic alius vocatur Deus generalis respectu Philisthinorum, & non Dagon, scilicet ille, cui consecrata sunt arma, & ille erat Astaroth, vt patet primo Regum 31. cap. Dicendum ergo, quòd in terra Philisthinorum erant multi dij, sed famosi erãt soli tres, scilicet Astaroth, Dagon, & Beelzebub: sed non debuerunt tunc victimæ consecrari Beelzebub, quia iste erat Deus famosus in responsione ad abscondita, sed non in operat one bellorum: sicut alij Gentiles credebant Martem potentissimum Deum bellorum, & tamen Apollinem Delphicum tenebant, vt eminentiorem in respondendo: vnde de toto orbe confluebant ad eum pro responsis, & quia nunc immolabatur pro bello, debuit immolari Dagon, vel Astaroth: non tamen obtulerunt Philisthini Astaroth, sed Dagon, quia potentiorem Deum, & honorabiliorem reputabant Dagon. Sic patet quando ducta est arca Dei capta de bello: nam posita est in templo Dagon, & non in templo Astaroth, primo Regũ quinto capitulo. Item in bello contra Saulem, quando ipse occisus est, principaliter fuit honoratus Deus Dagon: nam caput Saulis præcisum fuit, & affixum templo Dagon, vt patet primo Paralip. decimo, nunc quoque tanquam honorabilissimum reputantes Dagon ei immolauerũt. Sed obiicietur, quòd cum pugna contra Saulem fuerit de famosissimis, quare ascripta fuit victoria illius Deo Astaroth, cui consecrata sunt arma, & non Dagon. Respõdendum, quòd principalius fuit ibi honoratus Dagon quam Astaroth, quia in templo Dagon fuit positum caput, & in templo Astaroth arma, vt patet primo Paralip. decimo capitu. & tamen caput magis principalius est quam arma, quia tamen erant multa insignia victoriæ, posuerunt quædam in templo vnius Dei, & quædam in templo alterius. Vel aliter dici posset, quòd cũ isti dij reputarentur apud Philisthinos potentes ad bella, aliquando commendabant vnum bellum vni Deo, & aliquando alreri, sicut nos habentes plures sanctos apud Deum, vti intercessores, aliquando commendamus vni res nostras agendas, & aliquãdo alteri. Et quia super facto Samsonis forte Philisthini deuouerant se Deo suo Dagon, cum obtinuis-

E

Dect. resp. ad quæst.

F

sent,

A

sent,ei soli hostias celebrauerunt. *Dicentes:tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.* Id est Deus noster Dagon fecit hoc,ideo offerebant ei.

Quomodo Philisthini poterant credere, quod Deus suus Dagon poterat eis dare Samsonem in manus.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR, quomodo Philisthini poterant credere quòd Deus suus Dagon poterat eis dare Samsonem in manus: nam ipsi viderant, quod quando arca posita fuit in templo Dagon,cecidit prima nocte Dagon ad pedes arcę adorans eam , & cum fuisset in locum suum restitutus secunda nocte repertus est in terra fractis pedibus,& brachiis, & capite, & erat truncus, vt patet primo Regum 15.capit. & cognouerunt Philisthini istud factum esse à Deo Israel, vnde clamantes fecerunt inde arcam educi,eodem capitu.& sic ducebatur per terram Philisthinorum, & percutiebat omnes vrbes. Respondendum, quod Philisthini poterant hoc intelligere dupliciter. Vno modo credentes,quòd Dagon Deus suus non poterat resistere Deo Hebræorum: nunc tamen prævaluit contra Samsonem , eo quòd Deus Hebræorum erat iratus,& noluit adiuuare Samsonem, sic poterant colligere ex captione arcæ primo Regem 4. Nam arca ducta in castra non liberauit Israelitas,nec liberauit seipsam,ne caperetur in manibus Philisthinorum, & tamen postquam ducta est in terram Philisthinorum, & à nullo de cultoribus suis conseruabatur,aut adiuuabatur,prævaluit contra Deos Philisthinorum, & contra ipsos Philisthinos : nam Dagon Deum eorum truncauit, & omnes ciuitates eorum percussit plaga pessima, quousque de vrbe eiiceretur. Alio modo poterant intelligere Philisthini, sicut erat communis opinio Gentilium,quòd dij variabantur, quantum ad maiorem potentiam,& minorem per tempora: scilicet quod Deus , qui vno tempore obtinuerat contra alium Deum alio tempore succumberet, sicut accidit in hominibus. Et istud erat, quia putabant imò asserebant Deos suos etiã ipsum Iouem Deorum maximum fatali dispositioni esse subiectos , & ista fata siue ad bonum, siue ad malum de eis esse inuariabilia. Sic introducit Ouidius loquentem Iouem ad Venerẽ de dispositione fatali dominante sibi in 9. Metamorph. Ideo quamquam Deus Hebræorum vno tempore prævaluisset contra Deos Philisthinorum, putabant quod alio tempore dij sui prævalerent contra Deum Israel , & sic forte putauerunt, quod in captione Samsonis prævaluit Dagon Deus Philisthinorum contra Deum Israel.

B

Quomodo poterant Philisthini arbitrari, quod Deus suus tradiderat Samsonem in manus eorum.

C

QVÆSTIO XLVI.

VLTERIVS quæritur, quomodo poterant Philisthini arbitrari , quod Deus suus tradiderat Samsonem in manus eorum, quia sciebant , quòd quamdiu Samson habuit vires, non poterant ei repugnare, aut saltem stare coram eo, & cum caruit viribus tenuerunt eum: & tamen manifestum erat eis, quòd Samson non habebat vires à Deo illorum Dagon, sed à Deo Israel, quia ipse dixit , quod erat Nazaræus domini de vtero matris suæ , & quamdiu haberet capillos manerent in eo vires, & cum careret capillis , simul viribus careret. Et hoc repererunt verum Philisthini : vnde quando totondit eum Dalila cessauerunt vires illius , ideo potius debebant dicere, quod Deus Israelitarum tradiderat eum in manus ipsorum quam Dagon. Aliquis dicet, quod Philisthini agebant festum Dagon, quia erat Deus ipsorum, licet non dedisset eis Samsonem in manus. Sed hoc non stat, quia ipsi dicebant,quod tradidit Deus Samsonem in manus suas, & dicebant de Dagon, cum ei actualiter immolarent. Dicendum ergo, quod non potest hic colorari factum Philisthinorum, quia ipsi videbant, quod Deus suus non dederat eis Samsonem in manus, & tamen affectus eos nimis perturbabat,vt opinarentur contra ea,quæ erant notissima.Vel aliter dici potest, quod non dubitabant principes Philisthinorum traditum Samsonem in manus eorum à Deo Israel, nec passio eos perturbabat ad contraria. Credendum tamẽ, quia Deus Israel non erat Deus eorum , noluerunt laudare eum,sed Deum suum Dagon. *Quod & populus videns laudabat Deum suum.* Id est istam laudem primo dederunt quinque satrapæ, deinde totus populus aspiciens quomodo laudarent illi,etiam ipsi laudabant variis laudibus Deum suum,scilicet Dagon,qui erat Deus communis Philisthinorum.*Eademque dicebat.* Scilicet quæ dixerant principes, & tamen addebant aliquid, & variabant, vt patet in litera. *Tradidit Deus.* Scilicet Dagon. *In manus nostras aduersarium nostrum.* Samsonem solum vocabant aduersarium,& non Israelitas,quia in toto Israel nullus repugnabat Philisthinis,nisi Samson: imò alij adiuuabant Philisthinos contra Samsonem , quia ligauerunt eum,& vinctum duxerunt ad Philisthinos,vt præcedent.capit. & interim Israelitæ soluebant tributa Philisthinis sicut prius. *Qui deleuit terram nostram.* Scilicet cremando segetes, vineas, & oliueta, quando misit vulpes ardentes per terram Philisthinorum, præcedenti capitulo. *Et occidit plurimos.* Primo occidit triginta viros apud Aschalonem , supra decimo quarto,deinde fecit plagam magnam, quãdo capta est vxor, & data alteri viro,nam tanta plaga fuit,quod Philisthiim stupescentes femur cruri imponebãt:deinde occidit mille,quãdo ligatus positus fuit coram exercitu Philisthinorum à viris Iuda. *Lætantesque per conuiuia.* Scilicet erant Philisthini in palatio magni Dagon,&ibi discumbebant ad comedendum de sacrificiis:erant autem distincti per conuiuia,id est per diuersas mensas.*Sumptis iam epulis.* Scilicet dum sumerent epulas laudabant Deos suos, & comedebant , & tunc non erat opus vocari Samsonem ad ludendum, quia attenti cibo nõ possent attẽdere ad ludos Samsonis. Finitis autem epulis fecerunt vocari Samsonem,quia tunc expediebat ludere : sic fecit populus quando coluit vitulum absente Moyse pro lege: nam comedebant coram vitulo,deinde surgebant ad ludendum,vt patet Exod.32.scilicet: Sedit populus manducare,& surrexerunt ludere.*Præceperunt vt vocaretur Samson.* Erat Samson vinctus in carcere,& molens, vt patet supra : nunc autem eductus est inde. *Vt luderet ante eos.* Id est faceret insanias ad vilificandum eum.

D

E

Ad quid Philisthini fecerunt, quod Samson luderet ante illos.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR ad quid Philisthini fecerunt,quod Samson luderet ante illos.

Respondendum, quòd erat ad solatium ipsorum : nam dum Samson erat liber conturbauerat totam prouinciam Philisthinorum: nunc autem videntes eum coram se,ita vilificatum,vt etiam cogeretur ludere sicut insanus,delectarentur de magnitudine victoriæ. Etiam erat istud ad satiandum iram suam in Samsonem,nam sicut hostes saturantur de hostibus quando eis magnas pœnas infligunt, ita nunc magna opprobria infligentes hosti, qui nimis gloriari solebat, saturabantur pęna eius plus quam si eum corporaliter excruciarent. Etiam gaudebant Philisthini, quia cum Samson cæcus esset,& moueretur, aliquando impingebat in vnam columnam, & aliquando in aliam , & cum percuteretur ridebant Philisthini. Vnde iusserunt eum inter duas columnas poni. Item istud multum faciebat ad solennitatem,quã tunc Philisthini celebrabant,quia gratias agebant Deo suo de captione Samsonis, & cum ipse præsens esset,& luderet, esset plena lætitiæ: sic enim quando Romani dabant alicui triumphum venienti de bello, princeps hostium dicebatur post currum triumphantis ligatus, vt conspecto illo cerneretur magnitudo victoriæ. *Qui eductus de carcere ludebat ante eos.* Scilicet faciebat aliquos ludos, sicut insanus impingendo in columnas,& potissime cum Samson esset cæcus,& fortis lędebatur fortiter impingendo in parietibus. Sicut dicit Aristoteles Ethicorum 6. in fine, quòd corpori cæco fortiter moto cõtingit fortius percuti, quam infirmo. Sic habentibus naturales virtutes, si non habeant prudentiam directricem,contingit magis errare,quam non habentes virtutem naturalẽ.

F

A Sciendum autem, quod grauiſſimum erat Samſoni ludere coram Philiſthinis, quia in hoc duplicabatur dolor ſuus, cum videret feſtum iſtud fieri ad ſolennitatem captionis ſuę, & ipſe, vt magis illuderetur ad ludendum ducebatur. Vnde Samſon, cum eſſet vir animoſus potius ſuſtinuiſſet mori, quam quod luderet coram Philiſthinis, ſed luſit, vt haberet locum agendi, quod volebat: ſcilicet occidendi Philiſthinos ſimul in domo, & quia ſi ipſe non luderet putarent Philiſthini, quod aliquid mali agere intenderet, & occiderent eum antequam quidquam ageret: vt ergo haberet locum vindictæ voluit ſuſtinere iſtud opprobrium. *Feceruntque eum ſtare inter duas columnas.* Iſtę duæ columnæ erant magnæ, quibus tota domus tenebatur, & erant coniunctæ, intantum quod Samſon poterat eas brachiis complecti. Poſuerunt autem eum ibi Philiſthin, forte vt impingeret in illas, vel vt ibi videretur ludens.

Quare Samſon ductus ad columnas non concuſſit illas priuſquam luderet.

QVÆSTIO. XLIII.

QVÆRETVR, cum Samſon poſſet concutere columnas, & proſternere domum occidens Philiſthinos, & B quod non luderet, ſcilicet quod iſtud ageret mox, vt ductus eſt ad columnas, quare non egit: quia melius erat ſibi, ſcilicet quod non vilificaretur ludendo, & quod haberet intentum ſuum. Reſpondendum, quod Samſon voluit ludere prius magno tempore coram Philiſthinis, quam hoc faceret, & hoc quia volebat ipſe occidere omnes Philiſthinos, ſi potuiſſet, & quia antequam ipſe luderet Philiſthini non erant omnes congregati in templo illo occideret paucos: ſi autem ipſe luderet conuenirent omnes ad videndum ludos, tam vt viderent eum quam vt viderent ludos, & tunc poterat occidere multos Philiſthinos, & ſic fecit. Nam cum magna hora luſiſſet, tanquam feſſus petiuit à puero dirigente eum, vt duceret eum, ad reclinandum ſuper duas columnas, quibus domus imminebat, & tunc diruit domum.

Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas, & paululum requieſcam. Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto, & ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon. At ille inuocato domino, ait: Domine Deus meus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram leua tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſisque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante viuus occiderat. Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: iudicauit q; Iſrael viginti annis.

Qui dixit puero. Hic ponitur tertium, & vltimum huius partis, ſcilicet Samſonis mors, & conſumatio, quia occidit ſe pariter cum Philiſthinis. *Qui dixit puero regenti greſſus ſuos.* Erat Samſon orbatus vtroque oculo, & dirigebatur à quodam puero, cui dixit, quod applicaret eum ad columnas. *Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus.* Id eſt duc me ad columnas, quibus imminet omnis domus, id eſt ſuper quas fundata eſt tota domus: nam omnis nō poteſt hic accipi proprie pro partibus ſubiectiuis, ſed pro integralibus ſumitur, ſicut totus. Sciebat autem Samſon, quod domus illa innitebatur ſuper duas columnas, quia forte hoc viderat aliquando quando erat in pace cum Philiſthinis, quia tunc poterat ſæpe introire in domum illam, & cernere modum ædificij: erat autem domus valde magna, & vt ibi multa gens capi poſſet, atque pulcher locus eſſet erat artificioſè tota domus poſita ſuper columnas duas, quas volebat Samſon concutere, vt domus tota caderet. *vt recliner ſuper eas, & paululum requieſcam.* Iam Samſon magna hora luſerat, & fingebat ſe feſſum eſſe, petebatque ſe paululum reclinari, vt reſumeret vires *Domus autem plena erat virorum ac mulierum.* Erat domus iſta templum Dagon, & quia die illa celebratur feſtum pro captione Samſonis, & magnificæ victimæ: conuenerat totus populus in domum, eratque plena vſque ad ſummum virorum, & mulierum. *Eratque ibi omnes Principes Philiſthinorum.* Scilicet quinque Satrapæ, vel reges, qui Samſonem cœperant, & oculis priuauerant: fit autem mentio de iſtis ad ſignificandum magnitudinem cædis, quam nunc exercuit Samſon, cum occiderit ſimul omnes reges Philiſthinorum, qui proponderabant ad magnitudinem victoriæ pluſquam decem millia popularium: ſicut dixit populus ad Dauid: tu vnus pro decem millibus computaris 2. Regum 18. *Ac de tecto, & ſolario circiter tria millia.* Id eſt domus iſta erat plena viris non ſolum in ſolario, ſed etiam in tecto. Erat domus iſta plana in parte ſuperiori, erantque ibi ambulacra, ſicut conſuetudo eſt fieri domus in tota terra Chanaan. Et ſic etiam in quibuſdam partibus Hiſpaniæ, & ſuper tectum eſt locus ad ſolatium potiuſquam intra domum, & erant feneſtræ ſic diſpoſitæ, vt illi, qui erant ſupra domum, ſcilicet in tecto viderent quidquid fieret infra in ſolario, id eſt in parte infima domus, & ſic erant reſpicientes ad ludos Samſonis viri, & mulieres tam in tecto quam in parte inferiori domus. Accipitur autem ſolarium dupliciter. Vno modo vocantur ſolaria loca diſcooperta, & patentia ſoli, cum non habeant tegumentum, & ſic accipitur 1. Regum 9. cum dicitur, quod Samuel fecit lectum Sauli in ſolario. Aliquando ſolarium dicitur pars inferior domus, quæ eſt opera, & ſic accipitur hic: nam cum domus immineret columnis, operta erat: etiam quia in tecto aliqui erant. Primo modo vocatur ſolarium à ſole. Secūdo vocatur ſolarium à ſolo, id eſt pauimento, & diſtinguitur contra tectum. *Vtriuſque ſexus.* Quia tam viri, quam mulieres ad videndum ludos conuenerant: imò fœminæ potius conueniunt ad iſta ſpectacula, quæ non ſolum veniunt, vt videant, ſed magis, vt videantur. Sic dicit Ouidius libro primo de arte amandi, quod.

Ad ſpectaculum veniunt, vt ſpectentur ibidem:
Iſte locus caſti damna pudoris habet.

At ille inuocato Deo ait:

Domine Deus. Voluit Samſon nunc diruere domum ad occidendum Philiſthæos, & ad hoc inuocauit Deum, vt adiuuaret eum.

Quare Samſon inuocauit hic Deum ad proſternendum domum.

QVÆSTIO XLIX.

QVÆRETVR, quare Samſon inuocauit hic Deum ad poſternendum domum, quia quando aliis vicibus faciebat opera fortitudinis, non inuocabat Deum. Reſponderi poſſet ſecundum poſitionem Ioſephi 5. lib. Antiquitatū, quod Samſon aliis vicibus ſuperbiebat de fortitudine ſua, cum ageret geſta magnifica, & nunc forte crederet ſe traditum in manus hoſtium pro his exceſſibus: ideo dolens de præterito errore, vocauit nunc dominum, cum conaretur agere opus fortitudinis. Aliter, & melius dici debet, quod in aliis vicibus Samſon ſciebat ſe habere vires, & ob hoc cōfidens de robore, non curabat Deum inuocare, nunc autem perdiderat iam robur, & licet Deus reſtituiſſet ei illud renaſcentibus capillis: tamen ipſe neſciebat, ideo petiuit à Deo, quod daret ei fortitudinem priſtinam. Item dato, quod ſciret fortitudinem ſibi reſtitutam, quia iam poſtquam captus fuerat, & perdiderat vires non exercuerat aliquod opus magnæ fortitudinis, fuit nunc magis dubius de operatione, & inuocauit Deum. *Domine Deus memento mei.* Scilicet tu oblitus fuiſti mei, quando permiſiſti me manibus hoſtium

D E F

C

ſup. 14. & 15. 23. q. 5. c. ſi non li. et. et c. reos, & de diuor. ca. gaudemus.

Samſonis mors, & conſummatio.

capi,

A capi,& non dediſti mihi fortitudinem, & toto iſto tempore, quo ſeruio in carcere,& mola obliuiſceris mei: recordare ergo iam mei. Dicitur Deus alicuius recordari, vel obliuiſci improprie,quia neutrum horum in Deo eſt. De obliuione patet, quia qui obliuiſcitur deſinit ſcire : Deus autem non deſinit aliquid ſcire. Etiam non recordatur, quia recordatio eſt de illo, quod aliquando ſub obliuione fuit, ſed Deus nihil vnquam ſub obliuione habet, cum omnia ſint preſentia oculis eius, ergo non recordatur: ſed dicitur recordari, quando bene facit,& obluiſci, quando deſerit hominem in calamitatibus. Ex hoc autem patet, quod Samſonem pœnituit de peccatis præteritis: quia iſta ſunt verba hominis cognoſcentis peccatum ſuum,& pœnam pro peccato,&tamen nondum de miſericordia Dei diffidentis, & iſtud requiritur ad veram contritionem. *Et redde nunc priſtinam mihi fortitudinem Deus meus.* Scilicet ego quõdam habui fortitudinem magnam ad operandum fortia , & illam exigentibus peccatis perdidi oro ergo domine Deus, vt illã mihi reſtituas. In hoc patet rectum iudicium Samſonis : nam nõ credebat fortitudinem ſuam à ſe eſſe, ſed à Deo , ideo ad eum pro illa deprecabatur. *Vt vlciſcar me de hoſtibus meis.* Scilicet occidendo eos nunc: nam ſi haberet priſtinam fortitudinem , poſſet domũ diruere, & conſequeretur vltionem.

B *An Samſon peccauit deſiderando vltionem in Philiſthinis, & cur potius petiuit vindictam de orbatione oculorum, quam de alijs iniurijs.*

Qvæstio L.

Qværetvr, an Samſon peccauerit deſiderando vltionem. Reſpondendũ,quod aliqui volunt,quod peccauerit,eo quod vindicta à nullo deſideranda eſt,cum Deus dixerit: mihi vindictam, & ego retribuam,Deutero.32.& ad Rom.12.cap. Dicendum, quod non peccauit Samſon, ſed potius meruit deſiderando iſtam vindictam, quia iſta vindicta cedebat in honorem Dei, eo quod Samſon videbat laudare Deos Philiſthinorum de captione Samſonis , tanquam ipſi tradidiſſent Samſonem in manus Philiſthinorum , & in hoc dedecus erat Deo Hebræorũ, quia putabant Philiſthini (ſaltem multi de illis) quod Deus Iſraelitarum non potuiſſet defendere Samſonem de manibus Deorum ſuorum , & iſtam iniuriam volebat Samſon, vindicare ſimul cum iniuria ſua. Item Iſraelitæ,qui volebant exercere vindictam in Chananæos, laudabantur valde, & potiſſime cõtra Philiſthinos, qui erant ſæuiſſimi inter hoſtes Hebræorum : vnde Dauid pugnans contra Philiſthinos, dictus eſt præliari bella domini, vt patet 1.Reg.18.& 25.c. ita nunc Samſon volens vltionẽ de Philiſthinis,qui erant hoſtes Dei,dicebatur agere bellum Dei,& non peccabat. Cum autem obiicitur , quod vindicta

C non eſt appetenda,reſpondendum, quod inter illos, qui cõmunicant in eadem politia,vel in diuerſis, dum tamen non ſint hoſtes,illicitum eſt deſiderium vindictæ, & tamen inter hoſtes vbi iuſtum bellũ eſt,poteſt deſiderari vindicta, & hoc potiſſime quando iniuria eſt contra Deum, vel contra rempublicam,quia tunc nõ ſolum licet appetere vindictam, ſed obligamur proſequi illam, quantum poſſumus, illud autem intelligitur de iniuria nobis ſolis illata,quæ nec ad Deũ, nec ad rempublicam pertinet in Hebræo habetur.*Redde mihi fortitudinem ſola hac vice.* Vbi nos dicimus redde mihi fortitudinem priſtinam , & ad idem poteſt reduci: tamen litera Hebraica intendit,quod hac vice ſola daret Deus fortitudinem Samſoni,eo quod hac vice moriturus erat, ſi Philiſthinos occideret. *Vt pro amißione duorum luminum vnam vltionem recipiã.* Ideſt vt pro iniuria orbationis duorum oculorum,non dentur mihi duæ vltiones,ſed vnica: quaſi dicat,parũ peto,quia non peto multas vltiones,ſed vnicam,licet iniuria mihi illata multiplex ſit.Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi exponunt, quod recipiam vnam vltionem pro vno oculo eruto,& pro alio oculo recipiam vitam æternam. Sed non conſonat literæ: Etiam ridiculum eſt: Tenendus eſt, ideo ſenſus, quem facit litera ſcilicet pro vtroque oculo vnam haberet vindictam.

D *Quare Samſon potius petierit pro oculorum orbatione vindictam quam pro alijs.*

Qvæstio LI.

Qværetvr, cum Samſon peteret hic vindictam in ſatisfactionem iniuriarũ inflictarum, & haberet Samſon multas alias iniurias præter orbationẽ oculorum: quare potius petiit pro orbatione oculorum quam pro aliis. Reſpondendum, quod Samſon ſuſceperat alias iniurias , quæ grauiores deberent reputari,quam oculorum euulſio : nam vilior Samſon effectus erat , cum molere ad molam aſinariam coactus eſt, quam cum oculi ei eruti ſunt : quia iſtud ſolum eſt pœnale : illud autem & opprobrium, & dedecus immenſum eſt. Item vilius fuit in Samſone, quod tanquam inſanus coram Philiſthinis ludere coactus eſt: Samſon tamẽ non reputabat iſtas iniurias ad aliquid, quia omnes poſſent remedium ſuſcipere ſi oculi eruti ei non fuiſſent: nam cum capilli eius creſcere inceperunt,redierunt vires priſtinæ Samſoni,& poterat tunc frangere vincula, & occidere Philiſthinos,quotquot vellet,&recedere in terram ſuam:quia tamen orbatus erat,etiam ſi redirent vires,non poterat aliquid horum agere: ſola ergo oculorũ effoſſio ei pœnalis, & iniurioſa reputata eſt , & de hac petebat vindictam occidendo Philiſthinos,qui erant in templo Dagon. *Et apprehendens ambas columnas,quibus innitebatur domus.* Iſtæ columnæ erant coniunctæ, ita vt Samſon poſſet illas complecti, & hoc quia tota ædificij congeries congregabatur in locum vnum,& ibi erant ambæ columnæ: iſtud autem erat ad pulchritudinem ædificij, ne domus occuparetur præ multitudine columnarum. *Alteramque earum dextra, & alteram leua tenens.* Licet iſtæ columnæ eſſent ſatis coniunctæ: tamen quia groſſæ erant,non poterat Samſon concludere ambas intra brachia, ſed ſolum tangebat aliqualiter vnam dextra,& alteram ſiniſtra , & ſic proſtrauit illas. In hoc autem apparuit etiam magna fortitudo Samſonis,quia columnæ illæ , quibus tanta domus innitebatur,in qua capiebantur tria millia virorum,valde groſſæ eſſent,& tamen leuiter tangendo illas concuſſit, & proſtrauit. *Aut: moriatur anima mea cum Philiſthijm.* Iſtud dixit Samſon clamando, vt terreret omnes, quia in iſto verbo videbatur ſibi victor,& dominus illorum,& in hoc ſaltem vindicabat ſe,qui ſtatim cum eis moriturus erat,& dixit. *Moriatur anima mea.* Id eſt moriar ego, quia accipitur anima pro perſona,vt patet in multis locis ſcripturæ , ſcilicet, ſeptuaginta animæ egreſſæ ſunt de femore Iacob: Geneſ. quadrageſimo ſexto,& Exod.primo.Etiam dicitur Leuit.ſecundo,&quarto,& quinto. Anima, quæ peccauerit, offerat tale ſacrificiũ: Et tamen hic neceſſe eſt accipi pro homine, & non pro ſpiritu,nec pro vita. Et ſenſus eſt, ego volo mori,vt moriantur Philiſthini. *Concuſſisq; fortiter columnis, cecidit domus.* His ſolis duabus columnis innitebatur. *Super omnes principes.* Scilicet ſuper quinque reges. *Et cæteram multitudinẽ,quæ ibi erat.* Quia ibi erant viri,& fœminæ , & parunli reſpiciendo ludentem Samſonem. *Multoq; plures occidit moriens.* Id eſt nunc proſternendo domum, quando & ipſe mortuus eſt. *Quam ante viuẽs occiderat.* Ex hoc apparet, quod Samſon non occiderat tria millia virorum de Philiſthinis in bellis, quæ contra eos egerat,quia nunc ſolum occidit quaſi tria millia, vt patet ſupra in litera.

E *Quare Samſon voluit nunc occidere Philiſthinos, & mori cum eis.*

Qvæstio. LII.

Qværetvr, quare Samſon voluit nunc occidere Philiſthinos,& mori cum eis. Reſpondendum, quod ſi nõ fuerant oculi eruti Samſoni , cum nũc vires reſtitutæ eſſent, tregiſſet vincula,& occidiſſet multos de Philiſthinis , ſicut cum viri Iuda duxerunt vinctum Samſonem contra Philiſthinos: nam ipſe ruptis vinculis fudit exercitum,& interfecit mille præcedenti capitulo: ſed nunc erat orbatus, & non poterat redire in terram ſuam : vnde oportebat eum ma-

F nere

A

nare ſemper in terra Philiſthinorum: ſed hoc erat graue Sāſoni, quia recordabatur vitæ ſuæ præteritæ, cum ipſe effugabat ſolus omnes Philiſthinos: nunc illis ſubiectus turpiter ad molam aſinariam molere cogebatur. Vnde hæc recolens tædebat eum viuere: cum in ſenectute amara moriturus foret, melius ſibi erat aliquod magnificum agens mori, quam in ſenectute ingloriam ſuſtinere mortem. Item Samſon iam efficiebatur fortis, & doleret nimis ſe habere fortitudinem, quia ſolebat perſequi Philiſthinos, & nunc illam fieri prorſus inutilem. Item ſuccenſus fuit iracundia, quia coactus eſt ludere, imo ludificari ad gloriam Philiſthinorum, & audiebat laudes, quas dijs ſuis Philiſthini impendebant pro captione eius. Etiam audiebat applauſus populi congratulantis de captione ipſius,& irridentis eum:hęc enim morte duriora erant. Vnde animoſus vir potius mortem eligere debebat. Item ſuccenſus fuit maxime ad hoc magnitudine vindictæ, quia nunquam poterat ei occurrere maior vindicta quam tunc,cum ſciret ibi adeſſe omnes reges Philiſthinorum, & populum magnum:ſatis ergo erat digna cōmutatio ex parte Samſonis,vt ipſe moreretur, vt omnes reges Philiſthinorū, ſimul occiderentur ab ipſo: grata ergo dies Samſoni fuit iſta, & mors eligibilis.

B

An quid Deus volebat Samſonem mori occidendo Philiſthinos.

QVÆSTIO LIII.

VLTERIVS quæritur, ad quid Deus volebat, quòd Samſon moreretur occidendo Philiſthinos. Reſpondendum, quòd Deus voluit hoc principaliter ad gloriam ſuam: nam Deus nolebat eruere Samſonem de manibus Philiſthinorum, nec reſtituere ei viſum, quia tunc occideret omnes Philiſthinos, quod Deus nolebat ex cauſa dicta ſupra, & cum inter eos moriturus foret voluit, quòd moreretur tunc, quando cederet ad gloriam Dei. Philiſthini, enim iſti, qui conuenerant ad templum Dagon,intulerant Deo iniuriam, dicentes, quod Dagon tradiderat Samſonem in manus eorum, in quo detrahebant Deo debitum honorem, pro quo Deus ſolet iraſci. Et amplius,quia innuebant,quod dij Philiſthinorum præualuerāt contra Deum Iſrael ſubijciendo Samſonem Philiſthinis, & in hoc magis præiudicabatur Deo: quod ipſe voluit vindicare faciens,quod omnes illi, qui Deum Philiſthinorum tunc laudauerant in præiudicium Dei veriſſimi, eo vindicante interirent: ſic faciebat Deus in Sannacherib,& Nabuchodonoſor: nam Deus dedit iſtis vires ad ſubijciendum ſibi Iudæos, & alias gentes: & iſti aſcripſerunt ſibi, & putabant, quòd poſſent præualere contra Deum Iſrael: ideo contra quemlibet eorum pro hoc

C

Deus exercuit vltionem. De Sennacherib patet Iſaia 10.& 4. Regum decimo nono cap. De Nabuchodonoſor patet Abacuc primo capitulo. Secundo permiſit hoc Deus propter Samſonem quia melius erat Samſoni nunc mori, quam viuere: quia ipſe erat in vita grauiſſima ex cauſis aſſignatis præcedenti quæſtione: ideo precioſior ei erat mors glorioſa, quam ignobilis vita: præſertim cum hæc quantumcunque difficilis, morte miſerabili conficienda foret. Item quia forte Philiſthini diſpoſuerant, quod finito iſto feſto occiderent Samſonem amariſſima morte ad gloriam feſtiuitatis: nam ſic erat conſuetudo Romanis, quando alicui dabant triumphum, quòd princeps hoſtium ligatus ductus apud currum triumphantis iugularetur, dum fieret illa ſolennitas apud Capitolium. Sic enim quando Tito,& Veſpaſiano datus eſt triumphus pro bello contra Iudæos, Simon, qui fuit dux Iudæorum ſeditioſorum iugulatus eſt: ſic ait Ioſephus in libro de bello Iudaico. Melius ergo erat morte leui moriens multos hoſtium occidere quam poſtea inultum atrociter mori. Tertium fuit propter vtilitatem Iſraelitarum: nam licet Iſraelitæ in peccato permanētes indigni eſſent tali liberatione, tamen Deus ei aliqualem liberationem cōferebat: ſicut viuente Samſone aliqualem alleuiationem per ipſum ſentiebant, nunc etiam quandam liberationem partialem ſentirent. Credendum eſt enim,quod cum nunc omnes reges Philiſthinorum atque optimates ſimul mortui fuerint,& multi de populo,quòd Iſraelitæ videntes ſe pares Philiſthinis nollent illis totum tributum,quod ſolebāt præſtare,prompti effecti ad totaliter rebellandum, quod Philiſthini videntes remitterent eis partem magnam tributorum, quantam vellent Iſraelitæ, & ſic pauliſper ſeruitus illa ablata eſt. Si autem Samſon ſic mortuus non fuiſſet, non profuiſſet Iſraelitis ad aliqualem liberationem,ideo ſic Deus voluit illum mori.

D

An peccauit Samſon occidendo ſe cum Philiſthinis.

QVÆSTIO LIIII.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerit Samſon occidendo ſe cum Philiſtinis. Aliquis dicet, quod peccauit, quia nulli licet ſe occidere,cum non liceat occidere alterum: ergo Samſon ſponte ſe occidens peccauit. Item Samſon videtur ſe occidiſſe ne pateretur magnam iugulationem, & ne occideretur ab hoſtibus. Saul tamen occidit ſe ſic, & iniuſte egit,vt declaratur 1.Regum cap. 31. ergo etiam Samſon peccauit. Reſpondendum, quod Samſon non peccauit ſe occidendo. Primò patet, quia non egit Samſon iſtud ex aliquo malo deſiderio, ſed inuocando Deum ad occidendum Philiſthinos: qui autem mala intendit agere non inuocat Deū, vt adiutorem ad illa, niſi omnino ſit inſipiens,quia Deus nō diligit iniquitatem. Item ſi Samſonem occidere ſeipſum, malum fuiſſet, cum ad hoc indigeret fortitudine miraculoſa,quam prius habere conſueuerat,& petiuiſſet illam à Deo, non conceſſiſſet ei Deus,& tamen conceſſit,& ſic alios,& ſeipſum occidit, ergo non peccauit. Item Deus videtur mouiſſe Samſonem ad hoc, quia quando Samſon agebat aliqua opera roboris, prius quam viribus careret incitabatur à Deo,cum dicatur quòd irruebat in eum ſpiritus domini: ita ergo cum egerit opus magnæ fortitudinis, credendum eſt, quòd à Deo motus fuerit, & ſic non peccaret. Item patet hoc,quia Samſon inuocauit Deum, vt daret ſibi fortitudinem, dubitans an haberet fortitudinem, & poſtea concuſſit columnas: ergo videtur, quòd facta oratione aliquem motum ſenſerit, alioquin non aggrederetur illud opus fortiſſimum,neſciens an haberet vires. Item videtur,quòd Samſon motus fuerit zelo Dei,quia ipſe vidit,quod principes Philiſthinorum laudabant Dagon Deum ſuum, tanquam ipſe tradidiſſet Samſonem in manus eorum, in quo erat offenſa Dei veri cuius minuebatur honor, motus autem hoc zelo voluit occidere omnes Philiſthinos illos, & quod ipſe pariter cum illis moreretur. Item Samſon ad hoc dedicatus erat à Deo,vt occideret Philiſthinos,ideo quod illos occidendo ſe occideret, non erat peccatum. Item Samſon non proprie eſt occiſor ſuiipſius, quia ille eſt occiſor ſuiipſius,qui ſibi inijcit manus, & ſe occidere intendit: Samſon autem nō iniecit manus ſibi, nec voluit ſe occidere,ſed ſolum proſtrauit domum ſuper Philiſthinos,& illos intendebat ſolum occidere, & ſi ipſe potuiſſet ſe liberare, liberaſſet: occidendo tamen illos, non poterat euadere, cum eſſent intra domum cadentem, & ob hoc dixit: moriatur anima mea cum Philiſthiim. Velle tamen, quòd ipſe moreretur, vt omnes alij morerentur, licuit ei ex diſpenſatione Dei,quia ipſe conſecratus erat ad nocendum Philiſthinis,& iam non poſſet mortem euadere inter Philiſthinos: fuit ergo ex diſpenſatione Dei,quòd eligeret iſtam mortem glorioſorum Deo, & ſibi leuiorem,& Iſraelitis vtiliorem,vt declaratum eſt prę-

E

cedenti quæſtione. Item omnes Sancti Doctores tenent, quòd Samſon non peccauerit ex diſpēſatione, & motu Dei, ſic tenet Auguſtinus primo de Ciuitate Dei. Et cauſa huius eſt præcipua, quia proprie in morte egit opus magis magnificum,& admirandum quam ſemper,dum vixerat, cum dicatur hic, quòd multo plures moriens occidit, quam prius niſi motu Dei, & illa,quæ fiunt à Deo mouente, licita ſunt: ideo licuit Samſoni aliis, & ſibi mortem infligere. Quòd tamen talia non faceret ſine Deo, apparet: quia etiam ad alia opera valde parua, vt ad occidendum triginta viros apud Aſchalonem irruit in eum ſpiritus domini: ergo à fortiori ad hoc irrueret. De his patet ſupra decimo quarto, & præ-

F

Cuiuſdam rationes in diuerſum 1. Rat. 2. Rat.

ceden-

cedenti capitulo. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd regulariter nulli licet seipsum occidere, & tamen interdum licet alicui ex dispensatione, & sic fuit in Samsone, vt declaratum fuit supra. Vnde dicendum, quòd Samson occidendo se isto modo, non solum non peccauit, sed etiam meruit, quia ad laudem Dei, & vtilitatem populi Israelis subiit istam mortem, vt occideret hostes Dei, & Israelitarum. Aliter post dici, quòd non vocatur Samson proprie occisor suiipsius, quia ipse non intendit directe se occidere, nec sibi manus iniecit, sed occidendo Philisthinos ipse pariter interiit: sed solum videbatur increpandus Samson, si in aliquo vellemus eum increpare, quòd ipse manifesto periculo, vt hostes occideret se exposuit, & istud valde minus est, quam se occidere, ideo minori excusatione tollitur: nam etiam si directe se occidere voluisset, erat opus dispensabile, sicut refert Augustinus primo de Ciuitate Dei, de quibusdam Virginibus, quæ ne virginitatis damna à barbaris paterentur sibi manus ad se occidendum intulerunt, & de illis credidit, quòd spiritu Dei motæ egerint, & saluæ sint: à fortiori ergo de Samsone, qui sibi manum non ingerebat. Ad secundam dicendum, quòd de Samsone, & Saule non est simile, quia de Samsone multa habentur, per quæ patet ipsum à Deo fuisse motum ad hoc: nam orationem ad istum permisit. De Saule aũt nihil tale est. Item Samson non occidit seipsum, sed occidẽdo alios ipse quoque cecidit: Saul verò sibi iniecit manus: nam super gladium suum corruit, 1. Regum vltimo, & primò Paralipomeno decimo capit. Item Samson egit hoc ad magnam vtilitatem populi, quia mortẽs occidit plurimos, & si tunc non mortuus fuisset, oportebat eum mori manibus hostium, & infructuosè: ideo iuste potuit moueri: sed non fuit sic de Saule, quia siue occideretur ab hostibus, siue ipse se occideret, nihil magis vtilitatis pro populo Dei consecuturus erat sic quam aliter, ideo Saul peccauit, & nõ Samson. Cum autem dicitur, quòd Samson occidit se, vt non pateretur ignominiam ab hostibus, & ne occideretur ab illis, sicut Saul. Dicendum quòd Saul voluit euitare duo per mortem, quam sibi intulit. Primum fuit quòd non illuderetur à Philisthinis, si eum viuentem inuenirent: secundum fuit vt non infligerentur ei duri cruciatus: Samson autem non intendit aliquid istorum, sed solum occidere hostes congregatos. Verum est autem quòd faciendo hoc euadebat illa duo, scilicet mortem ab hostibus sibi infligendam, & ludificationem quotidianam: ipse tamen non motus fuit propter hoc, sed ad occidendum hostes. In opere autem considerandum est id, quòd intenditur, & non id quod accidentaliter consequitur: Samson ergo non peccauit, & Saul sic. *Descendentes autem fratres eius.* Aliqui putant, quod accipiantur hic fratres pro filiis patris sui, & matris: sed magis videtur quòd accipiatur pro cognatione propinquissima: si tamen velis dicere quòd erant fratres, dices quod erãt maiores Samsone, scilicet quilibet minor 18. vel 19. anno, quia Samson non erat annorum 20. completorum, quando mortuus est, vt declaratum est præced. ca. hoc patet quia ante Samsonem pater suus & mater gignere non poterant, quia erat mater sterilis, vt patet supra decimo tertio, ideo quotquot illi essent, necessariò nati essent post Samsonem. *Et vniuersa cognatio.* Scilicet tota familia vel tota tribus Dan, de qua erat Samson descenderunt ad honorem Samsonis, vt acciperent corpus eius de terra Philisthinorum. *Tulerunt corpus eius.* Quòd erat cum aliis corporibus Philisthinorum sub domo ruente sepultum mole domus cadentis.

troirent in terram eorum. Sed dicendum quòd istud non stat. Primò quia non est verisimile, quòd ausi fuerint Israelitæ sic irrumpere in terram Philisthinorum: nam ad hoc vt introirent illuc, oportebat quòd congregarentur omnes Israelitæ; & erat adhuc dubium, an auderent ire illuc quanto magis nunc, quia pauci iuerunt pro cadauere Samsonis, scilicet fratres eius, & cognatio sola, & isti nõ auderent pugnare contra Philisthinos. Secundò patet, quia si Israelitæ nunc violenter introissent in terram Philisthinorum ad capiendũ corpus Samsonis, oportebat, quòd rebellarent omnino Philisthinis non soluentes tributum, nec manentes eis subiecti, & tamen manserũt, vt declaratum est supra 13. Anni 40. quibus seruierunt Israelitæ Philisthinis, non consummati sunt in morte Samsonis, sed postea viuente Heli summo sacerdote: ergo tributa soluerunt mortuo Samsone sicut prius, licet illa fortassis aliqualiter fuerunt diminuta, vt supra declaratũ fuit. Et sic non rebellarent Philisthinis Israelitæ introeundo violenter in terram eorum pro cadauere Samsonis. Al quis autem dicet quòd sine bello factũ est hoc, scilicet quòd cognatio Samsonis secrete introiuit per noctem in vrbem Gazam terræ Philisthinorum, & acceperunt inde cadauer Samsonis, sicut mortuo Saule, & filiis eius in bello, & suspẽsis cadaueribus eorum in muro Bethsan, viri Iabes Galaad per noctem introierunt in terram Philisthinorum, & acceperunt inde cadauera atque sepelierunt in terra sua in nemore Iabes, 1. Regum 31. & 1. Paral. 10. Sed dicendum quòd non stat similitudo, quia corpora Saulis, & filiorum suorum erant suspensa in muro Bethsan, & Israelitæ accedentes nocte non sentientibus Philisthinis cęperunt illa. Nunc tamen nõ erat de Samsone sic, quia corpus eius erat sub templo ruẽte, & ad inquirendam illud oportebat euertere totam molem cadẽtis, quod forte erat opus multorum dierum: & postea debebant distinguere illud à cæteris corporibus Philisthinorum, quia erant ibi quasi tria millia, vt supra dictum est, ideo non poterat hoc fieri furando per noctem, sicut factũ est de Saule, & filiis eius. Dicendum igitur, quòd solũ descendit in terram Philisthinorum cognatio Samsonis ad accipiendũ corpus illius, & sine bello acceperunt. Sed tunc dices, quomodo stat hoc. Respondendum quòd Philisthini habebant pacem cum Israelitis, quia Israelitæ soluebant illis tributum, & toto hoc tempore præterito Samson solus faciebat bellum Philisthinis. Cæteri autem Israelitę quiescebant, & soluebant tributum: vnde quantacunque mala faceret Samson Philisthinis non pugnabant Philisthini cum Israelitis, nec repetebãt ea ab illis: ita nunc manebat pax, & securi potuerunt introire omnes de cognatione Samsonis in terram Philisthinorũ, quia nullus illorum adiuuabat Samsonem in omnibus his: petiuerunt ergo corpus Samsonis, & receperunt illud à Philisthinis. Sed adhuc dices, cum tanta mala exercuisset Samson in Philisthinos quomodo volebant corpus eius dare Israelitis, quia potius vellent in eo exercere abominanda, vt saltem sic satiarentur. Respondendũ, quòd forte Philisthini putauerunt, quòd Israelitæ indignati nimis ob hoc insurgerent contra eos, & quia nunc erant Philisthini valde afflicti, cum omnes reges sui mortui essent, non ausi sunt contendere, & sponte donauerunt corpus Samsonis cognatis eius. *Et seperunt inter Saraa, & Esthaol.* Istæ sunt duæ ciuitates in sorte Dan, inter quas habitabat pater Samsonis, & ibi elegit sepulturam, supra 13. ca. *In sepulchro patris sui Manue.* Iam erat mortuus Manue, & in sepulchro eius Samson sepultus fuit, quia erat sic consuetudo Hebræis, vt filij, & tota cognatio sepeliretur in sepulchris patrum, vt patet de Abraham, Isaac, & Iacob, & de tribus vxoribus eorum: nam omnes in eodem sepulchro in agro Hebron in sepulti sunt: Gene. 49. cap. *Iudicauitq; Israel viginti annis.* Quomodo computandi sint isti viginti anni declaratum est præced. cap. in fine, vixit autem Samson 19. annis fere: & ceperunt isti viginti anni computari ante natiuitatem, & conceptionem suam, scilicet à morte Abdon præcedentis iudicis. De quo habetur supra duodecimo capit. in fine.

Quomodo cognatio Samsonis potuit eius corpus de terra Philisthinorum ducere.

QVÆSTIO LV.

QVÆRETVR, quomodo cognati Samsonis potuerunt corpus eius ducere de terra Philisthinorum. Aliquis dicet, quòd nunc Israelitæ impetu facto in Philisthinos violẽter abstraxerunt corpus Samsonis de terra eorum: & hoc est verisimile, quia mortui nunc fuerant omnes reges Philisthinorum, & alij principes per Samsonem, ideo Israelitæ remiserunt cor ad repugnandum Philisthinis, & confidenter in-

A

Chronica temporalium euentuum sub Samsone.

QVÆSTIO LVI.

Tempore Abdon regnauit Aeneas in Italia.

CHRONICA euentuum temporalium Samsonis. Capta fuerat Troia sub Abesan anno suo tertio, vt supra duodecimo, declaratum est: postea sub Abdon cœpit regnare Æneas in Italia, qui venerat de excidio Troianorum per longa marium pericula, & exactis bellis regnauit in Italia pauco tempore, scilicet annis tribus. Tempore autem Samsonis huius, de quo hactenus dictum fuit, filius Æneæ Ascanius, quem Troiæ genuerat suscepit regnum: nam Aeneas duos filios habuit, vnum in vrbe Troiana ante bella Græcorum, scilicet Ascanium de Creusa vxore, quam cum secum portare vellent in ipso exitu de Troia perdidit, vt patet in secundo libro Æneidos per Vtrgilium: deinde in Italia aliam suscepit vxorem nomine Lauiniam filiam regis Latinorum, ex qua filium suscepit nomine Syluiũ Posthumũ, qui Posthumus dictus est, eo quod moriẽte Ænea vxor habebat in vtero filium, qui postea in lucem editus est. Iste Ascanius primogenitus Æneæ suscepit regnum moriente patre. Tempore Samsonis regnauit annis triginta septem, post quem posthumus Syluius frater eius regnum suscepit: Ascanius autem ciuitatem Albanorum condidit, quæ est super Tyberim, & fecit eam caput regni. Fuit autem Alba multis annis ante Romam conditã, quia alba tempore Samsonis, Roma vero tempore Achaz regis Iuda, vel vt alij volunt tempore Ezechiæ: quod fuit tempus quasi annorum quadringentorum quinquaginta. Hoc etiam tempore Samsonis Vlisses rediens de bello Troiano multa pericula in mari sustinuit: nam per viginti annos errauit. De quo Ouidius 13. & 14. Metamorpho. tunc venit ad Circem filiam solis, quæ socios eius mutauit in varias species pecorum: ipse vero prudenter se à Circe abstinens mutari non potuit. Nec istud fabulosum, sed rei veritate constat, vt patet per Augustinum decimo octauo de Ciuitate Dei. Nam artibus quibusdam ista fiebant, quæ & nunc apud quosdam fiunt: non tamen poterat mutare vere homines in pecora, sed quãtum ad quasdam apparentias, & operationes. De hoc Boetius de consolatione libro 4. Metrom. quod incipit. Vela Naricij ducis. Accessit etiam Vlysses ad syrenes canoras: de quibus Ouidius decimo quarto Metamorphoseos. Tandem in Hispaniam veniens labores suos consummauit, & ibi ciuitatem famosam condidit quæ vsque ad hodiernum diem extat inclita, quam de suo nomine Vlisibonam, vel Vlissiponam, id est positionem, vel sedem Vlissis appellauit, vt ait Isidorus decimo septimo Etymologiarum. Item anno trigesimo primo, ante mortem Samsonis, scilicet anno septimo sub Ahialon secundum computationem Pauli Orosij primo de Ormeste mundi: & ante Romam conditam annis 480. facta sunt, quæ sequuntur, & tamen secundum computationem aliorum debet hoc poni tempore illo, quo Israelitæ fuerunt sine iudice 18. annis antequam acciperetur Iephte in iudicem, de quo supra 10. cap. vel tempore Iair. Et ista diuersitas est, quia Paulus Orosius ponit bellum Troianum tardius quam cæteri effectum fuisse. Quicquid autem sit, istud accidit ante principium belli Troiani, & raptum Helenæ annis 50. Nam secundum quod computat Orosius, istud quod hic dicitur, fuit anno ante vrbem conditam, quadragesimo octuagesimo, & bellum Troianum, & raptus Helenę fuit ante vrbem conditam anno quadringentesimo tricesimo. Tunc enim Vosoges rex Ægypti Meridiem, & Septentrionem diuisas pene toto orbe ac pelago plagas, aut miscere bello, aut regno iungere studens, Scythis primum bellum indixit missis prius legatis, qui hostibus parendi leges dicerent: atque Scythæ legatis respondẽt, stolide opulentissimũ regem aduersus inopes sumpsisse bellum: quod timendum magis ipsi versa vice fuerit, propter incertos belli euentus nonnulla præsentia & manifesta damna. Porro sibi non spectandum, dum ad se veniatur, sed vltro prædæ obuiam ituros: nec mora: nam dicta factis consequuntur. Primũ ipsum Vosogem regem territum refugere in regnum cogunt: destitutum vero exercitum inuadunt: omnemque bellum apparatum capescunt: vniuersam quoque Ægyptum depopulauissent, nisi Nili paludibus impediti repellerentur. Inde continuo reuersi perdomitam infinitis cædibus Asiam vectigalem, id est tributariam fecere: vbi per quindecim annos sine pace commorati tandem vxorem flagitatione reuocantur denunciantium, nisi redeant, sobolem se à finitimis quę situras. Medio autem tempore apud Scythas duo regij iuuenes Plinius, & Stolopetius per factionem optimatum domo pulsi ingentem iuuentutem secum traxere, in Cappadociæ Ponticæ ora iuxta amnem Termodontem consederunt campis Temistriis siue Creuisariis sibi subiectis: ibi diu finitimam regionem depopulantes conspiratione finitimorum per insidias trucidantur. Horum vxores exilio ac viduitatæ permotæ arma sumunt, & vt omnibus æqualis ex simili conditione animus fieret, viros, qui superfuerant interficiũt atque accensæ in hostem sanguine suu, vltionem cæsorum maritorum finitimorum excidio consequuntur. Tunc pace armis quæsita externos concubitus metuentes, natos masculos mox necant: fœminas autem studiose nutriunt exustis infantularum dextris mãmillis, ne sagittarum iactus impedirentur: vnde Amazones Græce, id est sine mãmilla dictæ sunt, quia mazoin in Græco mãmillam notat. Harum duę fuerunt reginæ Marpesia, & lampeto, quæ agmine diuiso in duas partes curam belli, & domus custodiam vicissim sortiebantur. Igitur cum Europæ maximam partem domuissent, Asiæ vero aliquantis ciuitatibus captis ipsæque Ephesum, & alias ciuitates condidissent, præcipuam exercitus sui partem onustam opulentissima præda ad domum reuocant: reliquæ ad tuendum Asiæ imperium relictæ, cum Marpesia regina occursu hostium trucidantur. Huius locum Sinope filia eius cœpit, quæ singularis virtutis gloriam perpetua virginitate cumulauit. Hac fama exteras gentes tanta admiratio, & formidio inuaserat, vt Hercules quoque cum iussus esset à domino suo rege Euristeo exhibere arma reginæ, quasi adineuitabile periculum destinatus vniuersam Græciæ electam, ac nobilem iuuentutem præparauit, nec tamen contentus examine virium, vti ex improuiso aggredi, & inspiratus circumuenire maluerit. Dæ tunc sorores regno præerant Antiope, & Oretia. Hercules mari aduectus incautas, inermesque, & pacis incuria desides oppressit: intet cæsas captasque, quam plurimas duæ sorores Antiopæ Menalipe ab Hercule, Hyppolyte à Theseo retentæ sunt: sed Theseus Hyppolytem in matrimonium duxit. Hercules Menalipem sorori reddidit, & arma reginæ precio redemptionis accepit. Post Oretiam Panthasilea regno potita est, cuius Troiano bello clarissima inter viros documenta virtutis accipimus, hoc Paulus Orosius primo de Ormesta mundi. Sunt autem istæ fœminæ Amazonæ de terra Scytharum, quæ vsque hodie, vt quibusdam placet, in illo cultu, & viuendi modo manent ad extremitatem septentrionis habitantes in finibus Europæ circa Græciam, & Phrygiam, vbi Troia ciuitas fuit.

Vlisbona ab Vlisse cõdita est, & in ea sepultus.

Syluius Aeneæ & Laviniæ filius.

Vlissis tempore Samsonis errabat per maria.

B

C

D

Amazonum imperium oritur.

Amazones quare sic vocentur.

E

Hercules Amazonũ domitor.

Extãt hoc tempore vt quidã volunt Amazones.

F

CAPVT XVII.

EVIT eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri suæ: Mille & centum argenteos, quos separaueras, & super quibus me audiente iurabaueras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respõdit: Benedictus filius meus Domino. Reddidit ergo eos matri suæ. Quæ dixerat ei: Consecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argẽteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile, atque conflatile. Quod fuit in domo Michæ. Qui ædiculam quoque in ea Deo seperauit, & fecit Ephot, & Theraphim, id est vestem sacerdotalem, & idola.

Fuit eo tempore. Descripta fuit supra historia temporis iudicum, hic describitur historia quorundam illius temporis casuum. Fuerunt autem tres euentus tempore iudicum.

Primus

A

Primus fuit de idolo Michæ. Secundus fuit de concubina Leuitæ, & pugna contra Beniamitas. Tertius fuit casus de factis Ruth. De secundo agitur infra decimo nono capitu l. & vsque ad finem huius libri. Tertius autem habetur in libro Ruth, qui est quædam pars libri huius decisa per apocopen ab Hebræis, vt ait Ieronymus in prologo Galeato super libros Regum. Quod autem pertineat ad librum Iudicum patet, quia in diebus vnius iudicis eius facta narratur historia, vt patet in principio libri Ruth, scilicet: Fuit in diebus vnus iudicis. De primo autem casu agitur dupliciter, quia primò ponitur de ipso idolo Michæ. Ad aliud idolum interseritur historia de captione vrbis Lais, quæ alio nomine vocatur Lesendan. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur idoli Michæ fabricatio: secundò idoli expoliatio sequ. cap. Prima in duas, quia primò ponitur idoli constitutio: secundò circa illud facta abusio ibi. *Impleuitque vnius filiorum.*

An isti tres casus, qui ponuntur hic, scilicet de idolo Michæ, & vrbe Lais, & vxore Leuitæ fuerunt ante tempus iudicum.

QVÆSTIO I.

B *Nicol. respon. ad quæsitum.*

QVÆRETVR circa primum de continuatione huius ad præcedentia, an sit continuus ordo vel sit aliqua mutatio facta: & an fuerint facta ista immediatè post illa. Respondendum, quòd circa hoc est multiplex dissensio. Nicolaus dicit quòd expositores nostri cõmuniter tenent, quòd fuit casus de idolo Michæ immediatè post mortem Iosue antequam iudicaret Hothoniel, qui fuit primus iudex. Et hoc probant, quia dicitur hic quòd isto tempore non erat rex in Israel, sed quilibet quod rectum sibi videbatur faciebat: & tamen postquam cœperunt esse iudices, illi castigauissent hoc factum, si accidisset, & non faceret tunc quilibet quod vellet, quia illi exercebant potestatem super populum: ideo attribuendum est tempori, quo mansit terra sine rectore post mortem Iosue antequam primus iudex, scilicet Hotoniel surgeret. Sed dicit Nicolaus, quod istud non tenet, sed poterat istud accidere tempore iudicum, quia licèt dicatur, quòd non erat in Israel rex, non tollitur, quòd non esset iudex, quia potestas regum, & iudicum non erat similis, eo quòd iudices habebant, potestatẽ solùm per modum cuiusdam directionis, & non propriè vt vtentes potestate. Ideo refert opinionem quidam Hebræorum dicens, quòd accidit istud tempore Hothonielis primi iudicis. Et inducunt ad hoc rationem: quia supra secundo capitu. Iosue vltimo dicitur, quod seruierunt domino Israelitæ cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo tempore fuerunt post eum, & isti fuerunt vsq; ad Hothonielem: ergo viuente Hothoniele factum est. Sed dicendum, quòd ista positio non stat: & non bene Nicolaus improbat positonem nostrorum expositorum, quasi tenendo positionem Hebræorum: nam cùm dicit quòd licèt non esset rex in Israel quando ista fiebant, & tamen benè poterat esse iudex, non stat. Nam si solùm diceretur in litera, quòd in diebus illis non erat rex in Israel: posset quidem stare ista responsio, sed dicitur, quòd non erat rex in Israel, sed quilibet quod sibi rectum videbatur, faciebat: in quo non solum excluditur esse regem, sed etiam esse rectorem aliquem, qui posset ista corrigere: nam dato quòd esset alius, qui posset corrigere ista vitia, nõ oportebat, quòd esset rex, nec regem non esse, faceret aliquem defectum. Cùm autem dicit Nicolaus quòd iudices non habebant potestatem corrigendi, hoc falsum est, quia potestas iudicum, & regum non differebat, nisi quantum ad ea, quæ habentur primo Regum octauo, vbi ponitur ius regis imponendo tributa, & accipiendo aliquid de bonis Israelitarum, & illud non poterant iudices: & tamen poterant conuocare populum, & corrigere vitia, alioquin daretur politia inordinatissima inter Hebræos, cum nullus esset potẽs prohibere malos puniendo. Etiam patet hoc, quia iudices erant principes populi, vt patet de Iephte supra vndecimo. Item patet quòd possent corrigere vitia, quia supra secundo dicitur, quòd tempore, quo mortuus erat iudex, Israelitæ declinabant ad idola, cùm alius iudex surgebat, toto tempore illius Israelitæ colebant dominum. Istud autem non accidisset semper, nisi iudex haberet potestatem ad corripiendũ idolatras. Item patet, quòd non fuerit tempore alicuius iudicis, quia ista clausula ponitur infra ad aliquid signandum, scilicet quòd in diebus illis non erat rex: & tamen si accipiatur rex proprie pro rege, & non generaliter ad regem, & quemcunque rectorem, erit litera omnino superflua. Quod patet, quia manifestum erat, quòd in tempore isto non erat in Israel aliquis rex, quia non fuerunt reges in Israel vsque ad Saulem, de quo habetur in libro 1. Regum, ista autem, quæ habentur in libro isto fuerunt facta tempore Iudicum, cùm nondum reges vlli erant: ergo superfluum erat dici hic, quòd non erat rex in Israel, sed necesse est, quòd accipiatur rex pro iudice, aut quocunque rectore. Item cùm volunt Iudæi, quòd fuerit istud tempore Hothonielis, & nõ tempore medio inter mortem Iosue, & tempora Hothonielis, incõueniens est, quia hoc volunt eo quòd inter hæc tempora non coluerunt Israelitæ Idola. Sed falsum est, quia antequã constitueretur Hothoniel in iudicem coluerunt Israelitæ idola, & ob hoc traditi sunt in manus Chusanrasathain regis Syriæ, de quo supra secundo, & tertio cap. ergo tunc potuerunt esse quæ narrantur de idolo Michæ. Item non stat quod dicunt, quia tempore Hothonielis acciderit: nam toto tempore suo Israelitæ coluerunt dominum: ista quippe erat regula, quòd quando moriebatur aliquis iudex, declinabant Israelitæ ad idola peius quàm prius & cùm nouus iudex surgeret tempore illius colebant semper dominũ, vt patet supra secundo: ergo tempore Hothonielis non fieret. Alij volunt, quòd acciderit istud de idolo Michę tempore, quo mortuus est Samson, scilicet aliquanto tempore post: & hoc tenet Rabbi Dauid Kimhi. Cuius motiuum esse potest ex continuatione literæ, quia continuatur ista litera præcedenti, & nunquã recedendum est ab ordine literæ sine necessitate. Item patet, quia dicitur hic in principio literę: Fuit eo tempore in monte Ephraim vir nomine Michas. Oportet autem quòd referatur istud relatiuum ad præcedentia, & debet referri ad immediata secundum regulam grammaticæ, alioquin fieret relatio incerta, sed ante hoc dictum fuit de Samsone, ideo dicit quòd fuit post Samsonẽ. Item dicit Rabbi Dauid Kimhi, quòd inter Samsonem, & Heli summũ sacerdotem fuerunt tempora media, in quibus accidit istud de idolo Michę. Et ad hoc inducit, quòd necesse sit computari aliquot annos intermedios, alioquin intercideret summa particularis annorum ad summam, quæ ponitur tertio Regum sexto capit. De qua sæpe dictum est. Sed dicendum est quòd ista positio non stat, quia necesse est, quòd fuerit istud factum multo tempore ante Samsonem, quod patet primò, quia istud idolum Michæ, & captio vrbis Lais à filijs Dan fuit quasi eodem tempore, eo quòd filij Dan venientes per domum Michæ rapuerunt inde idolum, & duxerunt illud in Lais vrbem, quam cœperunt, & dicitur sequenti capit. quòd posuerunt Ionathan filium Gerson filij Moysi in sacerdotem, & filios eius: & tamen manifestum est quòd nepos Moysi non poterat esse post mortem Samsonis, quod patet quia Gerson filius Moysi genitus fuit ante exitum de Ægypto, vt patet Exodi 2. & 3. & 4. capit. & tamen ab exitu de Ægypto vsque huc fluxerunt anni plusquam trecenti octoginta, secundùm computationem, secundùm quã fecit Iephte supra 11. quòd à tempore, quo Israelitę acceperunt terram Galaad de manu Amorrhæorum vsque ad tempus suum, erant trecenti anni, & tamen illud fuit anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, vt declaratum est Numeri vigesimo & vigesimo primo. Nam omnia, quæ facta sunt à cap. 20. Numeri vsque ad finem fuerunt anno 40. ab exitu de Ægypto, & sic sunt centum quadraginta anni quibus addantur anni sex Iephte, & septem anni Abesan, & decem anni Ahialon, & octo anni Abdon supra 12. & 20. anni Samsonis, qui simul faciunt annos quinquaginta vnum, & sic sunt anni trecenti nonaginta vnus à natiuitate Gẽrson filij Moysi vsque nunc. Gigneret autem ipse filium ad plus anno septuagesimo, & tunc manebunt anni trecenti viginti vnus, quos iam ageret Ionatham filius Gerson quando institueretur sacerdos. Sed istud est falsissimum: quia illo tempore nullus homo quasi accedebat ad annum centesimum, ideo necesse est, quòd fuerit ante mortem Samsonis istud plusquam per ducẽtos quinquaginta annos. Item patet hoc, quia istud de idolo Michæ, &

C *Refellitur superior opinio.*

D

E

Rabbi Dauid Kimhi opinio ac eius rationes in diuersum.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Rabbi Dauid reprobatur

F

A quod habetur infra decimo nono de concubina Leuitæ, facta sunt eodem tempore: cùm dicatur hic, quod tempore idoli Michæ non erat rex in Israel, sed quilibet quòd rectum sibi videbatur, faciebat: & infra decimo nono, & vigesimo dicitur, etiam quòd non erat tunc rex in Israel, sed quilibet quòd rectum sibi videbatur, faciebat: ergo eodem tempore fuerunt: & tamẽ quando factum est illud de concubina Leuitæ non erat capta Ierusalem, vt patet infra vigesimo, quia dixit puer Leuitæ ad eum, quòd declinaret in Ierusalem, & ille respondit, quòd non declinaret illuc, quia erat ciuitas alienorum scil. Iebusæorum: ergo nondum erat capta, & tamen Ierusalem fuit capta pauco tempore post mortẽ Iosue viuente Caleb, vt patet supra 1. cap. ergo ante tempus illud fuit. Item patet etiam, quia isto tempore erat sacerdos Dei in Silo Phinees filius Eleazari filij Aaron, vt patet infra vigesimo, & tunc pugnabant Israelitæ contra Gabaa pro concubina Leuitæ: ergo pauco tempore erat istud post mortẽ Iosue. patet consequentia, quia Eleazar summus sacerdos filius Aaron mortuus est quando morruus fuit Iosue, vt patet Iosue vltimo, & successit Phinees filius eius in summo sacerdotio, vt patet primo Paralip. quarto, & septimo cap. & ipse sepeliuit patrem suum Eleazar, Iosue vltimo. Si autem iste esset sacerdos tempore Samsonis, & postea quando fierent ea, quæ habentur infra decimo nono, & vigesimo, esset plurimum
B quàm trecentorum, & octoginta annorum. Quod patet, quia in vltimo anno, quo Israelitæ steterunt in deserto, scilicet 40. anno ab exitu de Ægypto, Phinees occidit Zambri principem tribus Simeon coeuntem cum Madianitide: Numeri vigesimo quinto, & Deus promisit ei summum sacerdotium in sempiternum: & sic esset vir plusquam 25. annorum ad hoc, quòd esset animosus, & zelans pro Deo ad faciendum hæc. Etiam quia eodem anno ipse fuit dux cum Iosue contra Madianitas: Numeri decimo tertio, & tamen nõ daretur ei ducatus belli, nisi esset vir maturus, scilicet plusquam 25. annorum, subtrahuntur ergo anni quindecim ad complendum 40. dicemus, quòd ad minus natus est Phinees anno 15. post introitum in desertum, vel exitum de Ægypto: sed ab exitu de Ægypto vsque ad mortem Samsonis fuerunt anni trecenti nonaginta vnus, & inductum est sequendo computationẽ Iephe supra in isto dubio: ergo erant trecenti septuaginta quinque anni ad minus à natiuitate Phinees vsque nunc: sed tanto tempore non poterat viuere Phinees, cùm rari viuerent vltra centum annos: ergo fuit ante hoc plusquam ducentis octoginta annis istud factum. Ex prædictis rationibus declarantur duo. Primum est, quòd non fuerunt ista de idolo Michæ, nec de cõcubina Leuitæ post mortem Samsonis: & istud manifestè inducitur ex omnibus rationibus positis. Secunda est, quòd fuerit factum istud pauco tempore post mortem Iosue, & ante mortem Caleb: nam ista facta sunt antequam caperetur Ierusalem de manu Iebusæorum, vt dicebatur supra, Ierusalem tamen capta est paupulo post mortem Iosue viuente Caleb, vt patet supra primo cap. Et tunc nondum erat institutus, iudex: nam viuente Caleb, non fuit Hothoniel iudex: quia Hothoniel erat frater minor Caleb, qui acceperat filiam Caleb in vxorem, vt patet Iosue decimo quinto, & supra primo cap. & erat tunc Caleb princeps belli, & maioris auctoritatis, vt colligitur ex allegatis capitulis, ideo tunc nequaquam esset Hothoniel iudex, sed si aliquis deberet esse iudex potissime esset Caleb. Nam Caleb existente duce belli erat Hothoniel quasi persona priuata. vnde dixit Caleb: qui percusserit Cariathsepher dabo ei Axam filiam meam. Et dicitur quod cœpit eam Hothoniel frater Caleb minor præallegatis capit. ergo mortuus erat Caleb, quando Hothoniel factus est iudex: nam dicitur supra secundo, quòd Israelitæ seruierunt domino toto tempore, quo vixit Iosue, & seniores, qui post eum longo vixerunt tempore: vnus autem, & præcipuus de illis senioribus fuit Caleb, vt eodem cap. declaratũ est: & tamen ante mortem Caleb erat capta Ierusalem: ergo ante mortem eius fuit idolum Michæ, & casus de Leuita, de quo infra 19. & consequenter fuerunt hæc ante tempora Hothonielis primi iudicis, scil. inter mortem Iosue, & constitutionẽ Hothonielis in iudicem, quando nullus adhuc erat iudex. Alij probant alio modo cõclusionem istam. Primò quia dicitur hic, quòd non erat tunc rex in Israel, sed quilibet quod sibi rectum videbatur faciebat: & accipitur rex pro omnibus iudicibus, vt supra declaratum est: ergo non erat tunc aliquis, & sic erat ante constitutionẽ iudicum, & consequenter inter Iosue, & Hothonielem. Item dicitur sequenti. cap. quòd fuit idolum Michæ in tribu Dan toto tempore, quo tabernaculum domini fuit in Silo: & tamen si fuit factum illud idolum postquam Hothoniel cępit iudicare, non fuit toto tempore, quo mansit tabernaculum in Silo, quia ante hoc positum fuerat ibi tabernaculum: ergo inter Iosue, & Hothonielem fuit istud idolum fabricatum. Respondendum quòd non concluditur. Ad primum dicendum, quòd concludit, quòd quando fuit factum istud idolum, non erat tunc aliquis iudex, aut rex actualiter iudicans, vel præsidens, & tamen non concludit, quòd ante hoc non fuerint aliqui iudices: imò stante illa litera poterat esse, quòd accidisset istud post mortem Samsonis. Primum istorum patet, quia iudices non succedebãt sibi, ita quod mortuo vno illico succederet alius, sed erant aliqua tempora media, vt patet supra 3. & 4. & 10. & ibidem declaratum est. Et quanquam præcessissent aliqui iudi- E
ces, poterat in tempore medio inter iudicẽ & iudicem fieri, quod hic dicitur de idolo Michæ, & de concubina Leuitæ: & tunc verum esset, quòd nullus erat, qui posset illud castigare, sed quilibet faceret, quòd sibi rectum videretur. Et hoc patet magis, quia quandocunq; aliquis iudex præerat Israelitæ colebant dominum, & mortuo illo declinabant ad idola, vt habetur supra secundo capit. & sic factum fuit istorũ quodlibet, ita fieret idolum Michæ. Secundum patet quia inter Samsonis mortem, & iudicaturã Heli fluxerunt aliqua tempora, vt fiebat in alijs iudicibus, & in illis temporibus poterant euenire hæc. Secundum argumentum non tenet propter duo. Primum quia cùm dicitur, quòd idolum Michæ mansit in tribu Dan toto tempore, quo mansit sanctuarium domini in Silo: non est sensus quòd mansit à principio, quando mansit sanctuarium in Silo: sed est sensus quando desijt esset sanctuarium in Silo, desijt idolum Michę de tribu Dan: vel non prius cessauit idolum Michæ de tribu Dan, quàm tabernaculum domini de Silo: ideo dato quòd fuisset factum idolum Michę tempore Samsonis, esset verum istud. Secundum inconueniens est, quia hoc dato oporteret quòd poneremus fuisse positum idolum Michæ tempore Iosue in sorte Dan. Sed istud est falsum propter duo: Primò quia nullus concedit, quòd tempore Iosue talia fierent, eo quòd ipse talia asperrime corrigeret, cum voluerit pugnare contra duas tribus, & dimidiam: quia fecerunt altare apud Iordanem, Iosue vigesimo secundo capitu. Secundum est, quia dicitur hic quòd tunc nullus rex erat in Israel, sed quilibet, quod sibi rectum videbatur faciebat: & tamen tempore Iosue non faciebat quilibet quod sibi rectum videbatur, cùm ipse corrigeret ad vnguẽ peccata, & potissime idololatriam. Tertium addi potest, quia quando ista facta sunt, tribus Dan habebat sortem: & tamen nondum habebat possessionem illius, & cæterę tribus habebant sortes, & possidebant illas, vt patet sequenti capi. in principio. & tamen quando positũ est tabernaculum in Silo, nondum habebant tribus Israelis sortes, quas possiderent: imò nondũ distincta erat terra per sortem, vt patet Iosue decimo octauo, vbi dicitur, quòd cõuenerunt Israelitæ in Silo, & posuerunt ibi arcam domini, & sanctuarium, & inde miserunt viros ad considerandum totam terram, & describendam eam, & post paucum tempus redierunt tunc descripta terra, & tunc positæ fuerunt sortes pro omnibus tribubus. Ergo nondum erant sortes tribubus singulis, quando sanctuarium fuit positum in Silo, & consequenter non positũ fuit idolum Michę in sorte Dan in Lais: quando fuit locatum sanctuariũ in Silo, sed aliquanto tempore post. Tenendum est ergo quod supra dicebatur, & rationes illæ, quæ ibi à nobis adductæ sunt. Hoc idem tenet Iosephus quinto Antiquitatum, ponens Historiam de idolo Michæ: & de vxore Leuitæ. Immediatè post mortem Iosue, & ante Hothonielem, cùm plurimum peccasset Israel coram domino, & tradidisset eos dominus in manus Chananæorũ, qui abstulerunt inde Aschalonem, & Acharon, & multas vrbes in campestribus, & ipsos Danitas ita expulsos in montes confugere compulerunt. Eo tempore fuit vir de monte Ephraim nomine Michas & cætera, sicut continentur hic, ista historia tangitur supra primo capit. vbi agitur de arctatione

D

Falsum est idolum tẽpore Iosue positum fuisse in sorte Dan.

F

Opin. dect. penes hoc.

Ex allatis rationibus duo enucleantur.

C

Refelluntur aliorũ argumenta

tribus

tribus Dan, quã Chananæi arctauerunt in montibus. Idem tenet historia scholastica, quæ Iosephum sequitur. Ad rationes incontrarium Rabbi Dauid Kimhi respondendum est. Ad primam, cùm dicebatur de continuatione literæ: dicendum quòd sæpe sacra scriptura vtitur anticipatione, & recapitulatione, sicut patet in multis locis, & verũ est, quòd nunquam est recedendum ab ordine literæ, nisi ex causa manifesta, quæ cogat: & tamen hic est talis, vt probatum fuit supra. Ad secundum dicendum, quòd istud relatiuum: fuit eo tempore: non refertur ad immediata, sed refertur ad omnia, quæ continentur in toto isto libro: quasi dicetur, quòd dum fiebant ea, quæ narrata sunt in isto libro supra, accidit quod dicitur hic de idolo Michæ, & verum est quòd rationabilius erat referri ad immediata de Samsonis morte si litera toleraret, tamen non potest stare, quia vt probatum est necessario fuit ante Samsonem. Ad tertiam rationem dicendum, quòd non fuit inter Samsonem & Heli, cùm probatũ fuerit, quòd fuit ante Samsonem: & cum dicitur quòd inter Samsonem & Heli fuerunt tempora intermedia, nihil differt, quia dato quòd in illis esse potuerit, ita quod fieret in tempore, quo nullus iudex erat, tamen non fuit tunc factum, vt declaratum est.

A *Ad primam rationẽ Kimhi in contrarium.*

Ad 2 rationem.

Ad 3. rationem.

Quare hi tres casus fuerint scripti in Iudicum libro.

B

QVÆSTIO II.

VLTERIVS quæretur, cùm isti tres casus, scilicet, de idolo Michæ, & de concubina Leuitæ, & de Ruth: non fuerint tempore Iudicum, quare fuerint scripti in Iudicum libro. Respondendum quòd sacra scriptura voluit describere hos casus, quia vtile erat eos describi: nam sacra scriptura est ad instruendum hominem in moribus, vt Deum colat, & perueniat ad vitam æternam. Eruditio autem in moribus multiplex est, quia aliquando fit ponendo regulas, quas homo tenere debet in operando, sicut est in libris legalibus Moysi, & in doctrinalibus, scilicet, in libris Salomonis, in quibus documenta moralia multa traduntur. Aliquando autem erudimur enarrando bona gesta virorum, & malorum peccata, quibus instruimur ad bona sequendum, & mala cognita fugiendum. Aliquando autem erudimur enarrando præmia bonorum, & pœnas, quæ à Deo malis tribuuntur: quia homines potissimè sensuales, & adhuc animales iuxta Apostolum, ignorantes quæ Dei sunt, his maximè ad bonum, vel ad malum dicuntur, ideo scriptura sacra sicut eguit libris legalibus ad ponendum regulas morum: ita eguit libris historicis ad describendum prosperitatẽ Deo inhærentium, & calamitatem peccantium: & ista est causa in generali introductionis historiarum in sacra scriptura. Particulares autem causæ sunt aliæ. Et quia peccatum quod maximè vitandum erat in lege Dei, erat idololatria, & pœna maxima pro hoc dabatur: ponitur hic de idolo Michæ, vt postea infra ponatur de pœna, quæ secuta est occasione huius idoli: nam cædes illa magna, quę facta est infra 20. occasione huius dicitur facta, vt declarabitur ibidem, de Ruth autem positus fuit casus propter Dauid ad enarrandum genealogiam Dauid, qui natus est de Ruth Moabitide. Quo dato oportuit quod isti tres casus ponerentur in libro isto iudicum, vel in libro Regũ, vel in aliquo libro per se extra istos duos: non fuerunt autẽ positi in libro Regũ, quia liber Regũ fuit post omnia hæc longo tẽpore, & nõ fuit conueniens interseri ibi, nec poni in principio. Etiam noluit scriptura per se facere librum de his, cùm aliquo modo pertinẽt ad librũ Iudicum, ideo posuit in libro Iudicum. Liber quoque Ruth extremitas istius libri erat, sed Hebræi ab antiquo illam particulam à cæteris secuerunt libellum per se facientes.

Condition in moribus est multiplex.

C *Peccatum maximè vitandũ in lege Dei.*

Quare enarratio istorum euentuum in fine huius libri sit posita.

QVÆSTIO III.

VLTERIVS quæretur, cùm isti euentus non fuerint exactis iudicibus, sed antequam inciperent, vt declaratum est: quare posita fuit enarratio istorum casuum in fine libri huius. Respondendum est, quòd à principio omnes isti tres casus positi fuerunt in fine libri huius, scilicet de idolo, & cõcubina, & quia Ruth videbatur esse post mortẽ Samsonis, vt communiter tenetur, fuit finis libri huius conueniens: quia id quod est in fine fuit extremum omnium, quæ habentur in hoc libro secundum ordinem naturalem & fuit conueniens principium ad id quod habetur in principio libri Regum. Respondendum quòd si scriptura voluisset tenere ordinem naturalem in narrando, de bebat ponere ista quinto capit. quæ habentur vsque ad finem huius libri, scilicet de idolo, & concubina in principio libri huius post primum cap. quia ibi fuerunt: & enarratis eis sequeretur historia 3. cap. & de Hotoniele, & deinde esset persecutio vsque ad mortem Samsonis secundùm quod habetur in litera. Et post illam poneretur hic tota historia Ruth: & in illa consummaretur liber iste. Scriptura tamen noluit tenere ordinem naturalem, sed artificalem: qui magis conuenit enarrandis rebus, vt competentius, & integralius, atque manifestius quælibet res enarretur. Si autem fuisset iste ordo, perturbaretur intentio libri huius, quia liber iste erat de iudicibus, & principalis historia sua de actibus iudicum esse debebat: si autem posita fuissent omnia hæc isto ordine, prius venissemus ad medietatem libri, quam quidquam de iudicibus diceretur. Voluit ergo scriptura tenere ordinem artificialem. Posuit omnes istos casus in fine libri, & in fine omnium casuum Ruth, nisi quia Hebræi de extremitate huius libri historiam Ruth abscinderunt.

D

Scriptura non tenuit ordinẽ naturalem in scribendo librũ Iudicũ, sed ordinem artificialem.

E

Cur non agitur in isto libro de omnibus iudicibus, sed quibusdam in libris Regum, sicut de Heli, & Samuele.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR vlterius, cùm iste sit liber Iudicum, cur non fuit hic posita historia omnium iudicum: nam post Samsonem fuerunt duo iudices, scilicet Heli summus sacerdos, de quo dicitur 1. Regum 4. quòd iudicauit Israel. 40. annis, & post Heli fuit Samuel, de quo dicitur 1. Reg. 12. quòd Deus misit Israelitis iudices, qui liberarent eos: & computatur ibi Samuel. Aliquis dicet, quòd Samuel, qui fuit vltimus iudicum scripsit istum librum Iudicum, & quia de factis suis scribere non poterat, cùm historia sit semper de rebus gestis, omisit gesta sua, quorum causa iudicum finem fecit in Samsone. Sed dicendum, quòd non hoc stat, quia staret istud si fortè Samuel solùm gesta sua omisisset ponere hic: omisit tamen ponere gesta Heli summi sacerdotis, ideo alia causa fuit. Item Samuel poterat scribere gesta sua, quia licet non posset describere omnia gesta vitæ suæ: fuit autem ipse iudex quousque filij sui fuerunt constituti iudices ab ipso in senectute 1. Regum 8. Vel verius quousq; fuit constitutus Saul in regem 1. Reg. 10. Nam incipiente tempore regum, cessauit tempus iudicum, & postea vixit Samuel magno tempore ferè annis 20. ideo poterat scribere gesta illa, quod autem postea vixerit patet, quia de morte sua ponitur primo Reg. 25. & gesta iudicaturæ suæ solùm fuerunt vsque ad 10. cap. 1. Reg. Aliquis dicet, quòd omisit Samuel gesta istorum duorum, vt essent principia libri Regum: nam cùm in libris Regum ponatur historia de regibus, debet poni aliquid, vt prologus, scilicet vnde fuit origo regum: & quia historia Samuelis, & Heli fuit quasi quidam prologus ad historiam Regum eo quòd Samuel reges duos primos Israelitarum vnxit, debuit dimitti hic, & poni in principio libri primi Regum. Ista ratio erat multum conueniens, quia sic fit in principio huius libri. Ponuntur enim duo capit. tanquam prologus ad historiam Iudicum, & incipit historia in 3. capit. sic etiam in alijs libris fit, tamen non conuenit ista ratio ad præsens, quia istud teneret, si Samuel, qui scripsit librum Iudicum, scripsisset librum primum Regum, quia tunc, vt cõuenienter ordinaretur historia omitteret aliquid de iudicibus, & poneret in principio libri primi Regum: tamen non scripsit Samuel aliquid de primo libro Regum, vt declarabitur supra tertium librum Regum in prologo auctoris, qui prẽmittitur operi. Dicendum ergo, quòd Samuel omisit istas duas historias, scilicet suam, & Heli, quia de se ipso non intendebat, quia ipse intendebat dimittere suam, cùm esset ipse scriptor libri, & quia historia Heli summi sacerdotis erat simul cum historia Samuelis, cùm fuerit natus

F

Cuiusdam respon. ad quæsitum.

Doct. respon. ad quæsit.

A Samuel sub Heli, & ministrauerit coram eo, nec poterat vna enarrari sine alia, vt colligitur primo Reg. à principio vsque ad finem 4. capit. in quibus ponitur historia Heli: ideo omisit vtranque historiam. Ieremias autem, qui scripsit libros 4. Regum, incepit vbi omiserat Samuel in libro Iudicum, & quia hic fuit historia in Samsone, post quem illico fuit Heli, cœpit liber Regum in historia Heli, & Samuelis. *Fuit eo tempore vir quidam.* Non referas ad mortem Samsonis, de qua dictum est supra immediatè, sed refertur ad totum librum istum, scilicet quòd dum fierent ea, quæ scripta sunt, scilicet, aliqua eorum factum est hoc, quòd dicitur de idolo Michæ: & debet intelligi pro illis, quæ habentur supra primo, quia dum fierent illa, scilicet viuente Caleb, factum est hoc.

Quomodo potuit esse hoc tempore illo, scilicet post mortem Iosue.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo potuit esse tempore illo, quia dicitur Iosue vltimo & supra 2. quòd seruierunt Israelitæ domino toto tempore Iosue, & seniorum, qui longo post vixerunt tempore: & vnus de illis senioribus fuit Caleb, ergo viuente illo non fieret. Respondebitur quòd licet post mortem Iosue seruierint Israelitæ domino, tamen inter B mortem Iosue & cõstitutionem Hothonielis in principem, Israelitæ coluerunt idola, ideo factus est Hothoniel iudex, supra tertio capit. Respondendum quod si diceremus accidisse istud inter mortem Iosue constitutionem Hothonielis in iudicem, & non adderetur aliquid aliud, satis staret, quod tempore illo, quo peccauerunt Israelitæ paulo ante constitutionem Hothonielis, & paulo post mortem Caleb: & tunc staret vtrunque, scilicet quòd tempore seniorum, qui fuerunt post Iosue non coluerunt Israelitæ idola: & tamen oportet dicere quod fuerit istud ante mortem Caleb, cùm fuerit ante captam Ierusalem de manu Iebusæorum, vt patet infra 19. & tamen ante mortem Hothonielis capta est supra primo: ergo eo viuente factum est idolum. Concedendum est: & quando dicitur, quòd tempore seniorum, qui longo tempore post Iosue fuerunt, coluerunt Israelitæ semper Deum. Dicendum est tamen quòd hoc intelligitur publicè, scilicet quòd totus populus non declinabat post idola, aut faciebat publicè templa sicut alijs temporibus fiebant, & tamen in secreto aliqui colebant idola: sic fuit de idolo Michę, quia in secreto tenuit ille istud in domo sua, & ibi tenebat sacerdotem. Cùm autem obijcitur, quòd postea idolum istud positum est publicè in vrbe Lais, & manebat ibi, colebaturque à stirpe Dan. Dicendum quòd illud quod dicitur supra 2. intelligitur, quòd vt communiter non colebantur idola, & tamen aliqui colebant: & sic magna pars tribus Dan habitans in Lais tenebat ibi idolum, & colebat illud: & istud non potuit castigare Caleb, quia non erat iudex, nec princeps, & reuerentia eius non abstinuerunt ab hoc scelere filij Dan, quia cito postquam factum fuit hoc fiebat, quia ciuitas Lais erat separata nimis ab habitatione cæterorũ Israelitarum: cùm dicatur sequenti capitulo, quòd ista ciuitas erat procul à Sidon, & cum nullo hominum habebat communicationem: ideo licèt cæteri Israelitæ colerent Deum isti colebant idola quia erant separati, & censebantur omnes Israelitæ colere Deum. Item patet iste modus loquendi: nam supra 2. dicitur, quòd quando moriebatur aliquis iudex, Israelitæ declinabãt ad idola, & cùm alius incipiebat declinabant ad colendum dominum, ita quòd non colerent idola, & tamen manifestũ est, quòd toto tempore, quo iudices manserunt, fuit idolum Michæ in terra Israel, cùm dicatur sequenti cap. quòd fuit in Lais toto tempore, quo fuit tabernaculum domini in Silo: sic autem nunc quanquam viri de tribu Dan colerent idolum illud tempore seniorum, qui fuerunt post Iosue, dibebatur totus Israel colere Deum. *Vir quidam de monte Ephraim.* Id est habitans in monte Ephraim: & sic erat iste Michas de tribu Ephraim. *Nomine Michas.* Iste vocatur Michas sine .e. & propheta Micheas vocatur per .e. istud seruat litera nostra, in Hebræo autem aliquando seruatur differentia, aliquando non: nam ille, qui est propheta vocatur semper Michea in Hebræo, & iste vocatur hic aliquando Michas, siue Micha: & aliquando Micheas, sicut propheta. *Quid dixit matri suæ.* Considerandum est pro expositione huius, quòd mater Michæ non erat bene fidelis Deo, sed adhærebat idolis, habebatque argenti mille, & centum siclos, siue argenteos, quos consecrauerat ad faciendum vnum idolum: Michas autem furatus est matri suæ argenteos istos forte intendens eam impedire ab idololatria, vel ex alia causa: tunc mater Michæ diligenter quærens argenteos, anxiabatur, & maledixit habentem. Post quòd Michas ne incideret in maledictionem reuelauit matri, quòd ipse teneret Argenteos, & hoc totum debet subintelligi, eo quòd colligitur ex litera.

An mater Michæ fuerit Dalila, quæ seduxit Samsonem.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR de ista matre Michæ, quæ erat. Aliqui dicunt quòd erat Dalila, cuius rationem assignant, quia hic dicitur quòd separauerat mille, & centum argenteos, & tamen Dalilæ dati sunt mille centum argentei præcedenti cap. Sed dicendum quòd istud non stat. Primò quia, vt probatum est, istud accidit ante tempora iudicum, & tamen Dalila tempore Samsonis fuit, vt patet præcedenti cap. Secundo quia fundamentum istud nullum est, quia volunt hoc innuentes quòd argentei Dalilæ fuerint solùm mille, & centum argentei. Sed falsum est, quia fuerunt quinque millia, & quingenti, quod patet quia præcedenti cap. principes Philisthinorum venientes ad Dalilam dixerunt ei: dabimus tibi singuli mille, & centũ siclos, & principes erant quinque, scilicet quinque satrapæ Philisthinorum, siue reges vt patet Iosue decimo tertio, & primo Regum sexto cap. ideo non erat Dalila. Tertium est, quia ista mater Michæ erat Hebræa, cùm dicatur Michas esse de monte Ephraim, id est de tribu Ephraim: Dalila tamen erat de stirpe Philisthinorum, vt declaratum fuit præcedenti cap. quia aliàs non ausi fuissent venire ad eam satrapæ Philisthinorum, quia potius credere deberent quòd traderet eos in manus Samsonis, quam Samsonem in manus eorum, si Hebræa forêt. Ideo non erat ista Dalila sed aliqua alia mulier, quæ fuit prius plusquam ducentis quinquaginta annis. *Mille centum argenteos quos separaueras tibi.* Scilicet separauerat eos mater Michæ à reliqua pecunia sua, vt de his fieret idolum. Hebræi volunt accipere argenteos, id est siclos, eo quòd sicli erant moneta argentea, & erat vsitata inter Israelitas. Sed potius videtur, quòd fuerit moneta maioris valoris, & ponderis, eo quòd infra dicitur, quòd de ducentis argenteis factum est idolum: & tamen de ducentis siclis fieret valde paruum idolum: si tamen velis tenere, quòd essent sicli non recuso. In Hebræo habetur. *Argentum quod ablatum fuerat tibi.* Vbi nos dicimus, quos tibi separaueras, & signat litera nostra quòd mater Michæ separauerat ad faciendum idolum, litera Hebræa signat quòd furto ablatum fuerat argentum matri Michæ. Sed dicendum quod litera Hebraica signat id quod nostra, quia secundum proprietatem Hebraicam signat litera argentum, quod separatum fuerat tibi, id est, quod separatum fuerat à te, scilicet quòd tu illud separaueras tibi, & reddit cum litera nostra. *Super quibus me audiente iurasti.* Id est iurasti, quòd volebas illud ad consecrandum Deo. Vel iuraueras, id est adiuraueras dicendo, oro Deum, quòd quicunque habet argumentum istud si mihi non reddiderit amara conficiatur morte, & iste sensus consonat magis cum litera Hebraica, quæ habet. *Super quo maledixisti, & etiam dixisti in auribus meis.* Id est maledixisti habentem si non redderet tibi illud, & dixisti in auribus meis. Id est istam maledictionem dixisti coram me, & istud signat litera nostra, scilicet, me audiente iuraueras, id est maledixeras. *Ecce ego habeo.* Id est ego inueni, vel accepi. *Et apud me sunt.* Id est nulli dedi, nec expendi, sed retineo apud me: istud publicauit Michas, quia timuit maledictionem matris super se venturam.

D

E

F

C *Obiectio.* *Responsio.*

Quomodo respondet ad quæstionem.

Dicit respondet ad quæstionem.

Hebraorum opinio de siclis.

Opinio dicit.

Cùm mater Michæ vellet argenteos ad faciendum idolum, an peccaret qui abſtuliſſet vel abſconderet, ne fieret idolum: & an impediens male agere, benè agat ſemper.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, cum iſta mulier vellet iſtos argenteos ad faciendum idolum, quod ipſa miſeſtauerat, & iſtud eſſet malum: ſi peccaret qui acciperet, & abſconderet illos, vel nollet reddere ei. Aliquis dicet, quòd non, imò quòd mereretur, quia ipſa volebat malum facere, & ſubtrahendo iſtos argenteos, tolleretur ei occaſio faciendi malum: prohibere autem à malo bonum eſt. Item ſi quis vellet alium occidere, & aliquis abſcõderet ei gladium, & nollet reddere toto tempore, quo erat iratus, non peccabat, imò merebatur, niſi fortè ſubtraheret ei arma pro defenſione ſua, pro iuſto bello: ita erat hic, quia tollebatur occaſio faciendi malum, ideo non erat peccatum.

Prima ratio.

Secunda ratio.

reſp. ad quæſtiũ

Reſpondendum, quòd qui acciperet iſtam pecuniam: aut acciperet pro ſe ad retinendum, vel animo dandi eam domino ſuo aliquo tempore: ſi primo modo, peccatum erat: quia licèt iſta mulier iuſtè merebatur perdere dominium iſtorum argenteorum, eo quòd in turpi, & nefanda re expendere volelebat: tamen qui acciperet, non poterat rem iſtã ſuam efficere ad hoc, quòd iuſtè poſſideret: ſicut in præſcriptione longi temporis, quæ eſt cùm mala fide, ille contra quem præſcribitur, meretur perdere dominium rei, eo quòd longo tempore negligens eſt: qui tamen præſcribit, nõ meretur acquirere, nec poteſt iuſtè rem ſuam efficere, eo quòd habet malam fidem, & quod eſt contra conſcientiam ædificat ad gehennam, ideo debet res reſtitui domino quanquam mereatur perdere illam: ita hic licèt meretur mater Michæ perdere argenteos, tamen non habebat aliquis iuſtam cauſam retinendi: ideo teneretur quicunque haberet illos, reſtituere. Si autem qui acciperet, vellet tenere aliquanto tempore, & poſtea reſtituere, non ſufficiebat ad id, quod ipſe volebat, quia poſtea poterat facere idolum, ſicut nunc fecit mater Michæ redditis ſibi argenteis. Inſuper qui ſic accipiebat rem alienam, domino inuito & reclamante accipiebat, & non habebat aliquam cauſam ſufficientem ad faciendum, ideo peccabat. Nec obſtat, quòd ſciretur, quòd volebat de illis pecunijs idolum facere, quia etiam ſi ſciam, quòd aliquis vult dare pecuniam ad vſuram, non poſſum accipere illam furtim ad tempus, vel pro ſemper ne ille det. Ad primam rationem in cõtrarium, cùm dicitur, quòd impediens male agere bene agit, ſed ſic erat hic. Reſpondendum quòd impedire male agere eſt bene agere, quando prohibendo, vel impediendo nõ tranſgreditur quis metas poteſtatis ſuę: vtputa ſi quis non iudex, vt mala efficaciter prohibeat, incipiat exercere auctoritatem iudicis, peccat & grauiter punietur de crimine concuſſionis: alioquin daretur cuilibet poteſtas corrigendi alterum, non ſolùm monendo, ſed etiam realiter aliquid agendo: & iſtud eſſet introducere inextricabilia ſcandala, & turbare totam politiam, nec eſſet aliquid cõtra leges tam periculoſum: ideo debet quilibet contentus eſſe terminis poteſtatis ſuæ, ſcilicet quòd cùm viderit aliquem velle peccare, moneat eum, vel dicat iudici potenti prohibere realiter, ipſe tamen realiter non prohibeat aliquid efficiendo, niſi in crimine, quod fortaſſis eſt in damnum alterius inuentum: vtpote ſi quis velit alium occidere, & ſit propinquus actui: ſubtrahere autem pecuniam, ne male expendatur, pertinet ad potentiam iudicis, ideo ſi quis alius hoc tentauerit, peccat mortaliter, & ſecundum legem humanam agetur contra eum, vt contra furem. Ad ſecundum dicendum, quòd ſi quis in furore eſt, & depoſuerit penes me gladium, & repetat in furore, non teneor illi dare, eo quòd poterit ſe occidere, vel aliquem alium: ſic etiam ſi quis iratus, & non inſanus depoſuit penes me gladium & petat, quando video manifeſte quòd eſt iracundus, & vult percutere aliquem iniuſtè, poſſum retinere gladium. Secus autem eſt ſi ille habeat gladium, & velit aliquem percutere, & ego clam ſurripiam ne aliquem percutiat, quia iſtud eſt maius, quia non reddere depoſitum in caſu, eſt quaſi elidere petentem per modum exceptionis: accipere autem ab eo, qui habet ne percutiat alium eſt directè agere, vel habere iuriſdictionem. Facilius autem eſt, quod competat alicui exceptio, quàm actio: & maxime quia iſta non ſolùm, vt actio, ſed magis, vt iuriſdictio, ſcil. quia propria auctoritate aliquid fit, ideo ſi quis alicui non inſano quanquam irato volenti aliquem percutere ſurripiat gladiũ, teneat per aliquot dies, illo nolente, videtur peccare, vel vt ſi ei violenter excutiat de manu. Secus autem eſt in furioſo quia cùm quis viderit furioſum inſanum, ſiue tenentem gladium, licitè poteſt ei accipere reclamanti, nec fit ei iniuria, eo quòd neſcit ille gladio vti: & veriſimile eſt, quòd ſemel alium tranſuerteret: iratus autem, qui non eſt inſanus poteſt vti gladio ſapienter, & quanquam videatur aliquid velle facere poteſt contrariũ timore ductus, vel prudentia in contrarium inclinante, ideo eripere ei gladium violenter, vel clam, videtur eſſe peccatum. Poteſt tamen quilibet impedire volentem peccare, vt ſi quis velit alium occidere, poſſum, & debeo adiuuare eum, qui inuaditur ad defenſionem: & tunc licet mihi accipere violenter gladium de manu alterius, quia tunc non ago vt exercens actum iuriſdictionis prohibendo, ſed actum perſonæ priuatæ defendendo.

Ad 1. Reſponſionem ſuperius

Ad 2. rationẽ

An mater Michæ maledicendo acceptorem argenteorum ſuorum, peccauit.

QVÆSTIO VIII.

VLTERIVS quæretur, an iſta mater Michæ maledicendo acceptorem argenteorum ſuorum peccauerit, & an maledictio poſſet ligare furem iſtum. Reſpondendum, quòd mater Michæ peccabat dupliciter. Primò quia maledicebat pro re illicita: nam qui acceperat hanc pecuniam peccauerat, vt ſupra dictum eſt: & tamen aliquo modo adiuuabat eam ad non peccandum diſturbando ab opere, ideo potius debuiſſet benedicere facienti hoc. Secundò peccabat, quia dato quòd fuiſſet res ita licita, vtpote grauaretur mater Michæ, & non impediretur ad peccandum, nõ debebat maledicere, quia maledictio vetita eſt, niſi his, qui præſunt iuriſdictioni: & in aliquibus caſibus poſſunt maledictionem in pœnam infligere: alijs verò, ſcil. perſonis priuatis rarò licèt maledicere. De quo plenè declaratũ eſt ſupra nono cap. Sed caſus matris Michæ non ponitur inter illos, in quibus licet maledicere, ergo peccabat maledicendo. Ad ſecundum dicendum, quòd licèt mater Michæ peccaret maledicendo, tamen capiens pecuniam iſtam poterat ligari, quia capiens peccabat, vt ſupra dictum eſt. Et ad inferendum pœnam alicui, Deus non aduertit an ille, qui contra aliquem petit, dignè petat: ſed an contra quem petitur mereatur maledici: ſicut iudices non reſpiciunt an accuſator bono animo petat vel accuſet, ſed an accuſatio iuſta ſit, quia tunc condemnabitur accuſatus. Vnde ſi quis petat mala venire ſuper aliquem, qui meretur illa, licèt petens petendo peccet, Deus inducet mala, quia meretur iſte contra quem petitur, & tamen inducet mala ſuper petentem, quia iniuſtè petit. Ita hic mater Michæ iniuſtè maledicebat, & tamen filius eius Michas, vel quicunq; alius raptor merebatur maledici, ideo Deus ſuper vtroſq; maledictionem induceret, & pœnam. *Cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino.* Id eſt benedicatur à Domino, quia timens maledictionem, & quaſi obediens ei reſtituit pecuniã. *Reddidit ergo eos matri ſuæ.* Scilicet iſtos mille, & centum argenteos, non quidem realiter reſtituit, ſed ſe ad reſtituendum parauit: nam infra habetur, quòd reſtituit, quia tamen, qui præſto eſt cum ſacculo ad reſtituendum, & ſolùm dependet à receptore, an velit immediatè recipere dicitur iam reſtituiſſe. In Hebræo habetur ſupra. *Ecce argentũ meum accepi ego.* Vbi dicit litera noſtra. Ecce ego habeo, & apud me ſunt: ſed liteta Hebraica ſignat magis, quòd Michas induſtriosè acceperit, dum dicat accepi, & noſtra dicit habeo. Item Hebræus habet. *Reddidit mille, & centum argenteos matri.* Vbi litera noſtra dicit: reddidit eos matri ſuæ, & idem eſt. *Quæ dixerat ei: Conſecraui, & voui argentum iſtud Domino.* Conſecrare eſt aliquid Deo dedicare ſeparando ab humanis vſibus. Vouere eſt obligare ſe ad firmiter faciendum id, quod propoſuit. Accipitur autem hic Deus pro dæmone: nam

A

Deo vero non fiunt idola, cùm ipſe vetuerit Exod. 20. & Deut. 4. & 5. c. *Vt de manu mea ſuſcipiat filius meus.* Id eſt volo, vt ſemel mihi reſtituat filius meus, nè cadat in maledictionē: deinde ego reddam ei ad faciendū iſta, & tunc poterit licitè accipere. In Hebræo habetur. *Sanctificans ſanctificauit de manu meæ filio meo.* Scil. vt filius meus faciat de illo idolum, & de manu mea, id eſt, vt filius meus ſumat illud de manu mea ad faciendum, & idem ſignat quod litera noſtra. *Et faciat ſculptile, & conflatile.* Id eſt, faciat idolum ſculptile, & conflatile. Aliqui putant ſculptile, & conflatile eſſe vnum idolum. Alij autem putant eſſe duo. Nam ſculptile dicitur à ſculpendo, quia dolatur, & cauatur, atque percutitur, & peecutiendo limatur, & recipit debitam figurationem. Conflatile vocatur, quia per conflationē fit, ſcil. opere fuſorio, cùm conflatur metallum, & liquidum fluit in vacuam imaginē cuius recipit ſimilitudinē, & volunt quidam quoddam idolorū iſtorum factum eſſe per conflationem ſolam, & aliud per ſolam ſculpturā opere productili, vel malleatorio, ſicut candelabrū, & omnia, quæ facta ſunt de auro, & argento in tabernaculo Domini, fuerunt productilia, & non opere fuſorio, vt patet Exo. 25. c. Qui autem ponunt ſic habent fundamentum ex litera, quæ dicit iſta tanquā duo diſtincta, ſcil. faciat ſculptile, atq; cōflatile. Item ſeq. capit. viri de tribu Dan dixerunt: noſtis, quòd in domibus iſtis ſit Ephod, & Theraphim, & ſculptile, atq; conflatile: & poſuerunt illa tanquam duo. Qui autem ponunt iſtud fuiſſe vnicum idolum debent dicere, quòd fuit factum dupliciter, ſcil. quòd primo argentū conflatū eſt in igne, & incidit opere fuſorio in formam idoli, & ibi recipit figuram: poſtea verò, vt magis limatum eſſet fuit percuſſionibus ſculptū, vt aptius eſſet, & lucidius nullaq; rugoſitas, aut diſconuenientia partium maneret in eo. Et iſtud ſecundum eſt verum: Quod patet, quia dicitur infra, quòd mater Michæ dedit argentario ducentos argenteos, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ: ſi tamē eſſent iſta duo idola, diceretur: quæ fuerunt in domo Michæ. Item dicitur immediatè: Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit: ſi tamen eſſent duo ſculptile, & conflatile, diceretur: Qui ædiculam eis ſeparauit. Item patet, quia licèt cōmuniter ponatur idolū, & ſculptile: ſolùm tamen aliquando ponitur ſculptile ſolum ad ſignificandū, quòd idem ſit, vt ſequ. cap. dicitur, quòd poſuerunt in vrbe Lais ſculptile, & ſacerdotes. Item dicitur ibidem, quòd manſit idolū Michæ in vrbe Lais toto tempore, quo fuit tabernaculū Domini in Silo: ſi tamen fuiſſent duo, nominarētur tanquā duo diſtincta. Sed obijcitur, q̄ Michas clamauit ad viros Dan, dicens: Deos meos, quos mihi feci tuliſtis: ita ſequ. cap. ergo erant duo. Reſponderi poteſt dupliciter. Vno modo, quòd ibi accipiuntur dij non pro ſculptili, atq; conflatili, quæ eſſent duo, ſed pro ſculptili, & Teraphim: nam Theraphim differebat à ſculptili, vt infra declarabitur. Alio modo poteſt dici, quòd vocat omnes Deos ſuos vnum Deum, quia iſte eſt modus loquendi Hebræus, quòd ponatur interdū plurale pro ſingulari: ſic patet Exod. 32. cap. ſcil. Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de Ægypto, & tamen manifeſtum eſt, quòd ibi vnicus erat Deus fabricatus, ſcil. vitulus. Ita hic de vnico ſculptili dicetur pluraliter dij. In Hebræo dicitur. *Ad faciendum idolum, & metallum.* Eſt enim hic quædam dictio, quam Hebræi communiter exponunt pro metallo, & tamen eſſet ſenſus iſte valde inconueniens: quia nihil eſt dictu facere idolum, & metallū. Dicunt autē quidam, quòd vocatur idolū quantum ad partes puras, & vocatur metallū quantū ad partes impuras. Sed etiā iſtud non ſtat, quia infra dicitur, quòd dedit argentario ducentos argenteos, vt faceret ex eis ſculptile, atq; conflatile, & ponitur ibi ſecundū Hebræos id, quod hic, ſcil. & metallum, & tamen argentei illi non poterant dari ad faciendū idolū purum, & impurum: quia aut erant iſti argentei de argento puro, aut non. Si erant de puro argento, non poterant ipſi dari ad faciendum idolū purum, & partim impurum, quia de puro non fit niſi purum. Si autem erant argentei impuri nō poterant dari ad faciendum idolum purum: ideo nō ſtat iſte modus loquendi, ſed accipitur illa dictio neceſſariò pro aliqua liquefactione, ſecundū quam metalla cōponuntur in figuram ſimulachri, & ſimilis modus loquendi eſt Exo. 32. c. Nam ibi dicit litera noſtra, vitulum conflatilem: dicitur in Hebræo: vitulum, & metallum, & eadem dictio ponitur vbi nos dicimus opere fuſorio. *Et tunc tradam illud tibi.* Iſtud dixit mater filio ſcil. redde mihi argentum, quòd habes, quod ego voui ad faciendum ſculptile, & cùm reddideris ego tibi reddam, vt iuſtè de manu mea accipias. *Reddidit ergo matri ſuæ.* Id eſt nunc reſtituit Michas matri argenteos, quia prius licèt eſſet paratus ad reſtituendum, tamen nondū reſtituerat. *Quæ tulit ducentos argenteos, & dedit illos argentario.* Dicitur, quòd dedit argētario, & prius dicebatur, quòd volebat mater Michæ tradere ei ad faciendū idolum. Hoc fuit, quia fortè Michas noluit iſtud facere, horrendo idololatriam. Sed falſum eſt, quia infra ponitur, quomodo ipſe coluerit iſtud idolum, & fecerit vnum de filijs ſuis ſacerdotem. Sed fortè noluit ſumere laborem faciendi, & tradidit argentario mater eius.

Varię opiniones penes ſculptile, & conflatile.

B

C

Improbatio opinionis de idolo.

D

Quomodo dicit, quòd dedit ducentos ſiclos argentario.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo dicit, quòd dedit ducentos ſiclos argētario, quia ſupra dixerat mater Michæ, quòd conſecrauerat argentum iſtud Domino, ſcil. mille, & centū ſiclos, & nunc ſolùm dedit ducentos. Reſpondit Rabbi Dauid Kimhi, quòd iſtos ducentos dedit mater Michæ argentario in mercedem pro fabricatione, & alios nongentos ſuperſtites tradidit ad faciendū ex eis idolum. Sed iſtud nō ſtat, quia dicitur in litera, quòd tulit iſtos ducentos argenteos, & dedit argentario, vt faceret ex eis ſculptile: ergo non dabantur iſti pro mercede, ſed in materiam operis. Dicendum ergo, quòd mater Michæ conſecrauerat Deo omnes iſtos mille & centū argenteos: tamen non expendit omnes in idolo, ſed ducentos expendit in fabricando illud: alios autem in faciendo Ephod, & Theraphim, & veſtes cæteras ſacerdotales, & ædiculam Deo, & cætera, quæ pertinebant ad cultū idoli illius, & quocunq; modo poterat expendi iſta pecunia conſecrata idolo, dum tamen expenderetur in cultu idoli.

E

An peccaſſet mater Michæ poſtquam vouit iſtud argentum idolo, ſi non dediſſet.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, an peccaſſet mater Michæ poſtquam vouit iſtud argentum idolo, ſi non dediſſet. Reſpondendum, quòd vota ſunt triplicia: quædam ſunt manifeſtè de bono, quædam de manifeſtè malo, & quædam de dubio. Prima vota ſunt indiſtinctè tenenda, & obligamur ad illa ſoluenda, & citò: alioquin reputatur nobis in peccatum, Deut. 23. c. De votis dubijs, ſcil. quæ poſſunt habere bonum, vel malum euentum, reſpiciendus eſt ipſe euentus, & ſi benè eueniat, ſeruanda ſunt: ſi autem malè, non ſunt tenenda: ſic patet in voto Iephte, qui vouit offerre domino quidquid primò egrederetur ei obuiam de domo ſua redeunti de bello in pace. Poterat iſtud votū habere bonum euentū, ſi aliquid exiuiſſet in occurſum, quod eſſet animal immolaticiū: poterat habere malū euentum, ſi occurreret res non immolaticia, vt homo, vel canis: ſi primum accideret, ſeruare debebat votum: ſi ſecundū, non debebat ſeruare illud. Et quia accidit in malam partem, ſcil. quia occurrit ei filia ſua, quæ non erat animal immolaticium, non debebat ſeruare, & quia ſeruauit, fuit ſtultus in vouendo, & impius reddendo, vt ait Ieronymus. Vota autem, quæ ſunt manifeſtè de malis, vt colere idolum, vel fornicari, non ſunt tenenda, quia nec ſunt vota, cum Deus non acceptet talia, quæ ſunt contra eum. Non tamen cauſatur obligatio ex ſtigulatione, niſi acceptet ille, cui aliquid ſtipulamur, & quia manifeſtum eſt, quòd Deus non acceptat mala, quæ promittimus propter duo. Primò, quia mala ſunt, & dato, quòd poſſent mala eſſe in fauorem Dei, non acceptaret illa, quia mala ſunt, cùm ipſe iuſtus ſit, & oderit iniquitatem. Secundum eſt, quia nemo acceptat ſponte, quod contra ſe eſt, & tamen mala directè repugnant Deo, ideo quanquā aliquis velit ſe obligare per votum ad aliquod malū faciendum, impoſſibile eſt, quòd obligetur: tale autem erat iſtud votum de faciendo idolum de argento. Ideo dicendum, quòd complendo votum iſtud, peccabat mortaliter mater Michæ, quia iſtud malum erat, & per votum non poterat effici licitum. Etiam peccabat vouendo, & hoc dupliciter: primò, quia ad malum ſe obligare

F

Duplici de cauſa Deus non acceptat mala à nobis promiſſa.

A volebat, disponendo se ad illud. Secundò, quia ad hoc Deo vouebat illud tanquam Deo acceptum esset, sed putare Deo acceptum esse, quod malum erat est malè de Deo opinari, quòd peccatum est: si autem non putaret Deo acceptum, sed repugnare, & tamẽ voueret illud magis peccabat volens facere, ꝙ Deus nolebat. Dicendũ ergo, quòd mater Michę peccauerat faciendo istud votũ, & tamen nõ debebat cõplere, nec peccabat, si cõpleret sed solũ dolere debebat, ꝙ malũ vouisset. *Vt faceret ex eis sculptile, atque conflatile.* Id est, vt faceret vnum idolum, quod erat per conflacturã factum, scil. opere fusorio. Deinde erat sculptum ad magis decorandum illud, vt supra declaratum est. *Quod fuit in domo Michæ.* Id est facto idolo suscepit illud in domo sua Michas, & tenuit illud: fecitque sibi sacerdotes, vt patet infra. *Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit.* Id est Michas separauit in domo sua ædiculam, scil. in quadam parte domus suæ constituit locum priuatum sequestratum ab operibus cæteris, & ibi constituit Deum illum, vt locus esset sacer, & honorabilis non deditus occupationibus prophanis. *Et fecit Ephod, atque Theraphim.* Id est postquam fecit idolum fecit etiam Ephod, & Theraphim in honorem idoli. *Vestem sacerdotalem, & idola.* Ista expositio ponitur à translatore nostro, & non est in Hebræo, sed posuit noster scriptor ad interpretationem nominum Hebraicorum. Vocauit autem Ephod vestem sacerdotalem: vocauit autem Theraphim idola: est enim nomen pluralis numeri significans idola.

B

Quod erat Ephod quod hic fieri iubebatur.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quòd erat Ephod, quòd iubebatur hic fieri, & quod factum est à Micha pro illo sculptili. Respondendum, quòd Ephod signat vestem pertinentem ad cultum ministrorum Dei. Accipitur autem Ephod tripliciter. Primò modo pro quodam ornamento summi sacerdotis, quod erat factum de filis multorum colorum, scil. de purpura, & cocco, & hyacintho, & auro, & bysso retorta, & pendebat solùm super partem anteriorem vsque ad zonam, & ad partem posteriorem vsque ad zonam: habebatque duos lapides onychinos super humeros sacerdotis, in quorum quolibet erant scripta sex nomina filiorum Israel: de cuius fabricatione patet Exod. 28. Alio modo accipitur Ephod pro quadã veste alba, in qua nihil aliud & erat, erat illa vestis de lino simplici, vocaturque Ephod, licebatq; portare illam Leuitis: quod patet, quia Samuel erat Leuita, & tamen induebatur Ephod 1. Reg. 2. scil. puer Samuel ministrabat Domino coram Heli accinctus lineo Ephod: & istud Ephod faciebat ei mater sua, vt dicitur 1. Reg. cap. 2. nam dicebatur ibidem, quòd tunicam paruam faciebat ei mater sua. Tertiò modo accipitur Ephod pro quadã veste linea, qua vtebantur sacerdotes siue ministrarent ante altare, siue non, & indueantur hac veste extra sanctuarium, quam aliqui putant esse bandem cum illa, qua vtebantur Leuitæ, quod etiam non recuso. De hac habetur 1. Reg. 22. nam octoginta quinque viros indutos Ephod lineo occidit Doeg coram Saule, omnes isti erant sacerdotes, vt patet ibidem: & vnus erat summus sacerdos. Hic autem dicendum, quòd non accipitur Ephod pro ornamento summi sacerdotis, quia illud solùm non erat ad administrationẽ aliquam eo quòd nõ erat vestis, sed quædam pars ornamenti. Et apparet magis, quia litera nostra exposuit Ephod, id est vestem sacerdotalem: vestis autem denominat id, quod totum corpus ambit: ideo dicendum, quòd Ephod accipiatur pro Ephod summi sacerdotis: ita quod per Ephod intelliguntur omnes aliæ vestes, vel ornamenta Pontificis, vel accipitur Ephod pro aliqua alia veste sacra, in qua ministrandum erat coram illo idolo, & indueretur illa Sacerdos, siue illa esset, sicut Ephod Leuitarum, & Sacerdotum minorum, siue non.

C

Quæ sunt Theraphim.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlterius, quæ sunt Theraphim. Respondendum, quòd secundum quosdam Hebræos, & Nicolaum Theraphim erant quoddam caput pueri primogeniti occisi dæmoni immolati, & conditum erat pigmentis varijs, nè computresceret, sub cuius lingua erat lamina quædam aurea, in qua erat scriptum nomen cuiusdam idoli, & respondebatur per illud caput ad quæsita. Sed ista positio non multum stat, quia Theraphim denominat aliquid quod fabricatur, cũ dicatur hic, quòd fecit sibi Ephod, & Theraphim. Sed tale caput non est aliquid de fabricatis, ideo erit aliquid aliud. Alij dicunt, quòd Theraphim erat quoddam instrumentum astrologum, scilicet chilindrus, vel astrolabium ad inquirendum aliquid per planetas. Sic tangit Rabbi Dauid Kimhi, & Aben Ezra. Sed ista positio est irrationabilis, quia ponebatur hic Theraphim tanquam aliquid pertinens ad cultũ idoli, cum dicatur quòd fecit Theraphim, & Ephod: Chilindrus tamen, & Astrolabium pertinent ad impositionem astrologam: sic etiam dicebat Rabbi Abraham Aben Ezra, quòd in rationalis plicatura ponebatur lamina facta, sicut Astrolabium, quod improbatum fuit Exodi vigesimo octauo. Item Theraphim pertinet ad diuinationem, vt videtur hic innui, & sequenti capitulo, & temen Chilindrus, Astrolabium non sunt ad aliquid inueniendum de his, sed ad inuestigationem horarum, & altitudinem, & ortus, & occasus planetarum, & similia, quæ multum differunt ab opere diuinationis. Alij volunt, quòd Theraphim esset imago facta in certo tempore ad recipiendum cœlestem influentiam, & hoc vult Aben Ezra. Sed istud etiam non multum applicatur proposito, cum hic agatur de cultu idoli. Etiam, quia tales imagines fiunt in longo tempore, cum magno labore, & scientificata inuestigatione: sed de isto viro dicitur, quòd fecit sibi Ephod, & Theraphim, quasi aliquid leue egisset: etiam, quia iste non erat vir peritus, sed simplex secundum conditionem temporis illius, ideo non erat talis imago Theraphim sed aliquid aliud. Dicendum autem, quòd Theraphim signat statuam quandam magnam factam de quacunque re ad humanam effigiem. Hoc patet primo Regum decimo nono cùm dicitur de Michol, quòd cùm venirent apparitores Saulis, vt raperent Dauid, simulauit eum languere, & dicitur in Hebræo, quòd posuit in lecto Theraphim, & in litera nostra dicitur, quòd posuit statuam: certum est autem, quòd ibi non ponebatur Astrolabium, nec Chilindrus, quia ista faciebant ad exprimendam imaginem Dauid dormientis, & languentis quam volebat exprimere Michol: vt patet ibidem. Nec etiam potest accipi pro capite pueri sic occisi, vt dicebatur supra, quia non occurreret Michol habere tale caput in domo, & si haberet non oporteret, quòd poneret in lecto, quia per aliquid aliud melius exprimeretur effigies Dauid, quàm per talem imaginẽ. Item nõ potest accipi ibi pro imagine facta ad recipiendã virtutẽ quia talem nõ haberet Michol quia istud pertinebat ad superstitionem. Dauid autem non permitteret, quòd vxor sua aliquid tale haberet, cùm esset vir valde deicola. Etiam, quia dato, quòd Michol vellet habere talem statuam, fortè non occurreret ei, quia rari scirent imagines tales facere. Sed oportet, quòd accipiatur ibi Theraphim pro quacunque statua potente exprimere humanam effigiem, & sic faciliter potuit Michol habere Theraphim ad ponendum in lecto loco Dauid. Sic autem accepit hic Ieronymus exponendo: nam cùm prius dixisset, quòd fecit Ephod, & Theraphim, exposuit, id est, vestem sacerdotalem, & idola: fortè autem erat istud idolum factum de ligno, vel de alia mareria. Quod autem primò fecit erat de argento, & illud vocatur sculptile, atque conflatile: & sic haberet duo idola Michas: sic etiã accipitur Gen. 13. vbi dixit Labam: cur furatus es Deos meos? Et iterũ ibidem, quòd Rachel furata est idola patris sui Labam: nam ibi ponitur in Hebræo Theraphim, & accipitur manifestè pro illis idolis, quæ colebat Labam. Fortè potest dici, quòd erat istud aliquod idolũ factum ad inquirendum per illud aliqua secreta, sed prius dictum melius est. In Hebręo dicitur. *Viro Mcihæ ipsi domus Dei.* Vbi nos dicimus ædiculam quoque separauit in ea, & idem est, scilicet, quòd vir Michas habuit domum Dei. id est habebat quandam ędiculam separatam in domo sua ad ponendum illum Deum.

D

Aliorũ resp. ad quæsitũ Improbatur.

Aliorũ resp ad quæsitũ

E

Doct. respon. ad quæsitum.

F

A *Infr. 8 & 21.* *Impleuit q̃ vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos. In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Fuit quoque alter Adoleſcens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius : erat q̃ ipſe Leuites, & habitabat ibi. Egreſſus q̃ de ciuitate Bethlehem, peregrinari voluit vbicunque ſibi commodum reperiſſet. Cumque veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domo Michæ : interrogatus eſt ab eo vnde veniſſet. Qui reſpondit : Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado, vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe proſpexero. Dixitque Michas : Mane apud me inquit, & eſto mihi parens ac ſacerdos : daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria. Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filijs. Impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe, nunc ſcio, dicens : Quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis ſacerdotem.*

Penes idolum facta abuſio. B *Impleuitque.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet circa Idolum facta abuſio, & diuiditur in duas ſecundum quod fuit duplex abuſio circa iſtud idolum. Prima fuit, quòd conſtituit Michas Sacerdotem, qui non erat de tribu Leui. Fuit ſecunda, quia fecit ſacerdotem alium, qui fuit de tribu Leui, ſed non fuit de ſtirpe Aaron, ibidem. *Fuit quoque alter.* Circa primum dicitur. *Impleuit q̃ vnius filiorum ſuorum manum.* Id eſt conſecrauit. Et pertinet iſtud ad cæremonias, quæ fiebant, vt aliquis fieret ſacerdos : ſic accipitur Exod. 29. & Leuit. 8. nam vbi dicit litera noſtra : poſtquam initiaueris, id eſt conſecraueris manus eorum : dicitur in Hebræo : poſtquam compleueris manus eorum. Fiebat autem iſta completio per hoc, quòd aliquæ cœremoniæ fiebant in manibus alicuius, vt eſſent ſacræ, ſicut ſacerdotibus noſtris quando ordinantur vnguntur manus : ſic etiam manus ſacerdotum veteris teſtamenti conſecrabantur, quia tingebantur ſanguine : Exodi 29. & Leuit. 8. cap. & vocatur iſta ſanctificatio impletio, ſcil. quia complentur circa manus omnes cœremoniæ debitæ ad hoc, quòd fieret ſacerdos. Sic accipitur 3. Reg. 13. ſcilicet, quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. Erat autem illa impletio, vel conſecratio alterius modi, ſcil. quia accipiebat, qui volebat effici ſacerdos aliquod animal immolatitium, & offerebat illud Idolis, & faciendo cœremonias circa iſtam hoſtiam efficiebatur ſacerdos. Sic patet in 2. Paralipom. cap. 13. vbi rex Abia repetiuit verba ſupra dicta in 3. Reg. cap. 13. & dixit : Quicunque venerit, & incitauerit manum ſuam in tauro, & in bobus, & in arietibus ſeptem fit ſacerdos eorum, qui non ſunt dij. Ita nunc credendum eſt, quòd Michas traderet filio ſuo animalia aliqua ad immolandum, & per hoc manus eius erat completa. Sciendum, quòd iſte filius Michæ eſſet primogenitus eius, quia conſuetum erat apud antiquos, quòd primogenitis darentur ſacerdotia : tanquam ipſi præferrentur cæteris dignitate. *Et factus eſt ei ſacerdos.* Id eſt, accepit illum in ſacerdotem, vt miniſtraret idolo illi. Et quanquã quilibet poſſet effici ſacerdos, erat tamen maior honor idolo, quòd haberet ſacerdotem determinatum, qui eſſet ei dedicatus.

C *An Michas peccauit faciendo ſacerdotem non de Leuitis.*

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, an Michas peccauerit faciendo ſacerdotem non de Leuitis, ſed de filijs ſuis, qui erat de ſtirpe Ephraim, & an puniri debebat pœna tranſgreſſorum illius legis, quæ eſt de miniſtratione ſacerdotali Num. 3. Aliquis dicet, quòd ſic, quia Num. 3. & 18. cap. dicitur de ſacerdotio, quòd erat commiſſum ſolis filijs Aaron, & ſi quis extraneus accederet ad miniſtrandum, occideretur. Item patet in Core, & ducentis & quinquaginta ſocijs eius, qui conati ſunt vſurpare ſacerdotium Aaron, & combuſti ſunt à Domino coram altari, Num. 16. Item rex Ozias conatus eſt offerre coram domino thus, & percuſſus eſt lepra in fronte, vt patet 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. cap. Reſpondendum eſt, quòd Michas peccabat inſtituendo ſacerdotem idolo, & pœnam mortis merebatur pro idololatria, & filius eius peccabat, & eodem modo merebatur lapidari tanquam idolatra, Deuteron. 17. tamen non peccabat ex hoc, quòd non inſtituebat de filijs Aaron, & inſtituebat de ſtirpe ſua, quia illa lex de ſacrificijs, quòd ſolis filijs Aaron liceret ſacrificare, & exercere opera ſacerdotij, intelligitur de miniſtratione ſacerdotali, quæ fiebat coram Deo, & in ſanctuario : ſed iſta erat miniſtratio ſacerdotalis facta idolo, ideo non incidebant in illam legem, quia non priuabant filios Aaron iure ſuo. Etiam non agebant contra diuinam electionem : nam Deus elegerat ſibi Aaronitas reprobando cœteros, comminando, quòd ſi quis de cæteris auderet accedere ad miniſterium ſacerdotij iraſceretur Deus, & percuteret multitudinem, vt patet Numeri 1. & 18. cap. ſimile eſt, quòd ſiquis vouerit Deo aliquid licitum, & non reddiderit, peccauit : & tamen ſi vouerit aliquid illicitum, ſi non reddiderit non incidet in pœnam non ſoluentium vota, vel ſi ſoluerit non magis peccabit ſoluendo in tempore promiſſo, quàm extra illud, eo quòd non erat obligatio votorum, niſi in licitis, in illicitis autem non erat obligatio : ſic Deus voluit in ſacerdotio ſuo ſeruari regulam, quòd ſoli filij Aaron eſſent ſacerdotes, eo q̃ iſtud erat licitũ : ſacerdotium autem idolorũ erat illicitum : & quicunq; fieret ſacerdos idolorum peccaret : ergo non magis ſi efficeretur ſacerdos de filijs Aaron, quam de alijs, quia vbi nunquam contingit benè agere, contra facere non inducit obligationem aliquam : ſed obligatio ad pœnam eſt in illo, quod in aliquo caſu benè fit, & alio caſu non benè fit, ſi non ſeruetur modus ille, qui impoſitus eſt, peccatum erit. *In diebus illis non erat rex in Iſrael.* Id eſt nullus erat rector, vel iudex potens punire delinquentes, & coercere reliquos ad benè agendum. Et non accipitur rex propriè hic pro rege, quòd friuolum eſſet hoc dici : nam manifeſtum eſt, quòd tempore iſto nullus adhuc fuerat rex, quia in iſto libro ſolùm deſcribuntur geſta iudicum, & ea quæ temporibus illorum acciderunt, & tunc nondum reges fuerant. Item dicitur, & quilibet quod ſibi rectum videbatur faciebat, quaſi dicat, quòd hoc contingeret ex defectu regis, & tamen non ſolùm exiſtente rege, ſed exiſtente quolibet alio iudice, vel rectore nõ faceret quilibet quod ſibi rectum videbatur : ergo non ſolùm non erat tunc rex, ſed etiam nullus iudex, vel rector erat : hoc autem verum eſt, quia facta ſunt iſta inter mortem Ioſue, & conſtitutionem Othonielis in iudicem, vt declaratum fuit ſupra. *Sed vnuſquiſque, quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.* Id eſt, qui volebat malè agere, malè agebat, & qui benè, agebat bonũ, nec erat aliquis prohibens ſic agere. Iſtud dicitur propter idolum Michæ, de quo hic recitatur : quaſi dicat, ſi aliquis fuiſſet illo tempore potens corrigere delinquentes, non auſus fuiſſet Michas fabricare idolum, & conſtituere ſacerdotem : quia tamen nullus erat potens hoc facere, qui volebat facere idola, faciebat, & erat impunitus. F

An peccatum erat, quòd quilibet faceret quod ſibi rectum videbatur tempore iſto.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, an peccatum erat, quòd quilibet faceret, quod ſibi rectum videbatur. Aliquis dicet, quòd non : quia tempore Moyſi in deſerto faciebat quilibet Iſraelitarum, quod volebat, vt patet Deut. 13. & tamen non videbantur peccare, quia ſi malè agerent non permitteret eos Moyſes ſic agere, qui tunc habebat ducatum populi, & durè corrigebat, puniebatque delinquentes, vt patet Exodi 32. cap. in immolatione vituli, & tamen permittebat Moyſes illa fieri, & ipſe dixit, quòd quilibet faciebat quod ſibi rectũ videtur, ergo non erat peccatum. Reſpondendum, quòd facere quemlibet quod ſibi rectũ videtur, contingit dupliciter. Vno modo, quia non eſt aliqua lex obligans, & determinans ad certum modum, ſed poteſt quilibet determinare ſibi modũ in actione ſua. Alio modo fit quidem obligatio ad certum modum agentis : tamen ex defectu principis cogentis ad obſeruationem legis, quilibet facit quod vult, non

A obseruans legem. De primo modo dicendum, quòd non est peccatum quemlibet facere quod sibi rectum videtur, quia nulla actio vocatur peccatum, nisi inquantum est præuaricatio alicuius legis ad quam tenemur. Cùm autem non est lex, nec peccatum est. Istum modum loquendi ponit Apostolus ad Rom. septimo. Secundò modo agere, quòd sibi rectum videtur, peccatum est: eo quòd contra legem est. De primo patet exemplum tempore Moysi: nam licèt lex data esset in deserto, non obligabat Israelitas, dum manerent in deserto, sed postquam introirent in terram Chanaan: sic patet Deuteronomij decimosecundo, cùm dixit Moyses, quòd in deserto quilibet faciebat quod sibi rectum videbatur: & hoc, quia nondum venerant ad requiem, & possessionem Domini: sed postquam transirent Iordanem, & possiderent pacificè terram non formidantes aduersarios, qui erant in circuitu, non debebant sic facere, sed obseruare ea, quæ in lege scripta erant, sicut ibi subduntur exempla: non peccabant autem Israelitæ in deserto tempore Moysi facientes quodcunque vellent: ideo Moyses non poterat coercere eos. De secundo patet exemplum hic, & sequenti capitulo, de idolo Michæ, & præuaricatione filiorum Dan: & infra decimonono, de abusione facta contra concubinam Leuitæ, quia in quolibet horum dicitur, quòd non erat in Israel rex, id est rector aliquis tunc, qui posset coercere delinquentes ad bonum faciendum, & hoc peccatum erat, quia lex induxerat obligationem ad faciendum sic, vel sic.

B

Quomodo ponit idolum Michæ fieri post mortem Iosue, dum viueret Caleb.

QVÆSTIO XV.

VLTERIVS quæretur, quomodo potuit istud de idolo Michæ fieri post mortem Iosue dum viueret Caleb, quia dicitur Iosue vlti. & supra 2. quòd seruierunt Israelitæ Domino omnibus diebus Iosue, & seniorum, qui longo post eum fuerunt tempore, sed Caleb fuit vnus de istis senioribus, & præcipuus, vt declaratum est supra 2. eo quod tempore Iosue Caleb erant valde magnæ auctoritatis, & erant ambo quasi socij, vt colligitur Iosue 14. cap. ergo tempore eius non potuit istud fieri. Aliquis fortè diceret, quòd factũ est post mortem Iosue, & Caleb, & ante constitutionem Othonielis in iudicem eo tempore, quo Israelitæ declinauerunt ad idola, & dominatus est eis rex Mesopotamiæ, vt patet supra 3. capit. Sed non stat, quia probatum est supra, quòd ante mortem Caleb factum est istud, quia Caleb erat viuens quando capta est Ierusalem, & erat dux, vt patet supra 1. & tamen non erat capta Ierusalem quando fiebant hæc, & ea, quæ habentur infra 19. Sed vocabatur tunc Ierusalem ciuitas alienorum, infra 19. cap. ergo nondum mortuus erat Caleb. Respondendum, quòd idolum Michę factum est viuente Caleb, & cum dicitur, quòd seruierunt Israelitæ domino tempore Iosue, & seniorum, qui post eum fuerunt; Dicendum, quòd istud intelligitur de manifesto, & tamen occultè aliqui habebant idola, & sic habuit Michas idolum istud in domo sua, in qua separauit ei ædiculam, & tenebat ibi sacerdotem. Aliter potest dici, quòd illud intelligitur de toto populo, scil. quòd totus populus non declinabat ad idola simul tempore Iosue, aut Caleb, sicut postea in temporibus illis, quibus non habebant iudices, omnes colebant idola, vel quasi omnes, vt colligitur supra 3. & 4. & 6. & 10. Nunc autem tempore Caleb, licèt iste vir Michas declinauerit ad idola non declinabant alij; ideo isto declinante adhuc dicebatur, quòd Israelitæ seruiebant domino, quia vnus non ponebatur quasi in numerum cum toto populo ad hoc, quòd faceret negari propositionem vniuersalem, quæ aliàs de populo deberet affirmari.

C *Dott. resp. ad quæsitũ*

Quomodo dicitur, quòd non erat rex in Israel, sed quilibet faciebat quod sibi rectum videbatur, & cætera.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, vlterius, quomodo dicitur, quòd non erat rex in Israel, sed quilibet faciebat quod sibi rectum videbatur, cùm esset nunc Caleb, qui poterat coercere ab idololatria. Etiam semper erant iudices illi septuaginta, qui vocabantur domus cõsilij, qui manserunt semper post mortem, vt declaratum est Num. 11. cap. Deut. 17. cap. & isti poterant punire de quolibet crimine. Respondendum, quòd fuit factum istud peccatum, & alia, quæ infra habentur, scil. de filijs Dan, & concubina Leuitæ, quia non erat aliquis potens punire delinquentes, sicut tangitur in his tribus cap. & si fuisset aliquis potens punire, non fuissent ita faciliter incitati ad peccandum Israelitæ, sicut nunc incitati fuerunt. De Caleb patet, quia ipse erat vir reuerendus valde in populo, qui multa posset verbo suo persuadere populo ad hoc, quòd faceret ea, vel vitaret: & tamen non habebat potestatem ordinariam aliquam super populum, quia nec Deus ipsum dedit in principem, sicut dedit Iosue, vt patet Num. 27. Nec etiam populus cõmuni consensu illum elegit, sicut erat in alijs iudicibus, vt communiter: ideo si quis vellet inuerecundè peccare, non poterat eum coercere Caleb, & quia totus populus erubescat reuerendam personam Caleb cùm ipse hortaretur eos ad tenendã legem, verecundabantur contrarium agere. Michas tamen, & mater sua non erubuerunt reuerentiam Caleb: ideo fecerunt istud idolum, & Caleb nõ potuit punire illos. Cùm autem obijcitur de septuaginta iudicibus, quia erant domus consilij, dicendum quòd isti tunc erant, & tamen non poterant corrigere ista vita, & propter eos non formidabant peccantes: nam licèt isti de iure haberent potestatem ad puniendum de quolibet vitio, tamen de facto non erat potestas eorum magna, eo quod ipsi nõ erant homines potentes temporaliter, ita quod nolentes obedire iuri possent temporaliter coercere: reges autem erant homines potentes, quòd siue iussè, siue iniussè poterant punire quos vellent. Iudices etiã potẽtes valde erant in populo, quia totus populus susceperat eos in principes, sicut factum est de Iephte supra 11. & poterant temporaliter super quemlibet de populo: vnde quando volebant, conuocabant totũ populũ, & omnes cõueniebant. Hos autẽ timebant peccantes, & quia tunc nulli istorũ erant, fiebant omnes abusiones, quæ habẽtur in his tribus cap. hoc autẽ patet infra 19. de excessu contra concubinã Leuitæ: nam dicitur tunc, quòd non erat rex in Israel, & habetur ibi, quòd Leuita petens emendationem, vel vindictã criminis, misit frusta duodecim carniũ vxoris suæ per omnes duodecim tribus Israel, vt omnes vellent vindicare istud: si tamen habuissent tunc Israelitæ iudicẽ, non misisset Leuita partes per omnes tribus, sed ad iudicem, quia ipse congregaret populũ, & faceret vindictam. Item, quia dicitur infra 19. In communi decernite quid facto opus sit: istud dicebant Israelitæ inter se, scil. quòd ipsi sententiarent: si tamẽ fuisset tunc iudex ad ipsum pertineret determinatio de omnibus his, & ipse iuberet populo: non existente autem iudice non curatũ est de septuaginta iudicibus domus consilij tanquã ipsi nullam potestatẽ haberent, sed dotũ factum ad populũ remissum est, & populus sententiauit, & non iudices: non ergo timebant Israelitæ peccare propter septuaginta iudices domus consilij, dum nõ esset rex, vel iudex, qui esset princeps populi, & sic factũ est in his tribus delictis, de quibus in his tribus cap. *Fuit quoque alter.* Hic ponitur secunda abusio, quia nõ contentus Michas, quòd haberet sacerdotẽ de filijs suis voluit habere sacerdotẽ de filijs Leui. Et dicitur. *Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Iudæ.* Iste factus fuit sacerdos in domo Michæ, vt patet infra, & dicitur, quòd fuit alter adolescẽs ad differentiã primi adolescẽtis: nam Michas fecit vnum de filijs suis sacerdotẽ: nunc alterum adolescentem de Bethlehem fecit sacerdotem. Et dicitur de Bethlehem Iudæ ad differentiam, quia Bethlehem alia est in sorte Zabulon, vt patet Iosue 19. ideo, vt communiter ponitur Bethlehẽ cum determinatione, vt patet Matth. 2. & Mich. 5. In Hebræo habetur. *Fuit puer de Bethlehem.* Sed litera nostra addidit alter, vt nõ putaretur idem esse, de quo ante dicebatur. *Et iste ex cognatione eius.* Aliqui intelligunt ex cognatione eius, id est Michæ, & ob hoc Michas eum iussè petit gratis in sacerdotem: sic exponit Historia Scholastica. Sed ista expositio non stat, quia fundatur super æquiuocatione literæ nostrę: nam potest referri dictio (eius) ad Michã, vel ad Bethlehem & retulit Historia Scholastica ad Micham, & tamẽ in Hebræo dicitur aliter, scilicet de cognatione Iudæ: ideo non

D E F

A

poteſt referri ad Micham, ſed ad Bethlehē, vt dicatur, quòd erat Leuita iſte de cognatione Bethlehem, & iſtud idem eſt, quòd de cognatione Iudæ, quia Bethlehem erat in tribu Iudæ, & in cognatione Bethlehem erat cognatio Iudæ. Vel poſſumus referre ad Iudā cum dicatur, quòd erat de cognatione eius, id eſt, Iudæ, quia dictum fuerat ſupra, quòd iſte iuuenis erat de Bethlehē Iudę de cognatione eius, id eſt Iudę.

Quomodo poterat eſſe, quòd iſte iuuenis eſſet de cognatione Iudæ, & quòd eſſet Leuita.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, quomodo poterat eſſe, quòd iſte iuuenis eſſet de cognatione Iudæ, & quod eſſet Leuita, ſicut infra dicitur, quia tribus Iuda, & Leui erant duæ tribus diſtinctæ, & incommixtæ, Reſpondet Rabbi Salomon, & Nicolaus, quòd iſte iuuenis erat Leuita ex parte patris: ideo propriè erat de ſtirpe Leuitarum, quia non dicitur aliquis pertinere ad ſtirpem matris, ſed patris: erat tamen ex parte matris de tribu Iuda, quia Leuitæ accipiebāt aliquando vxores de alijs tribubus: & ſic erat iſte iuuenis Leuita, & de tribu, vel cognatione Iuda. Sed dicit Rabbi Dauid Kimbi, q̄ iſte modus ponendi non conuenit ſcripturæ, quia ſcriptura ſemper vocat cognationem alicuius cognationem patris, & non matris ſuæ. Et hoc verum eſt, in tantum, quòd Chriſtus, qui nullo modo pertinebat ad Ioſeph, cū nō eſſet de ſemine eius, non fuit computatus per ſtirpem, & lineam matris, ad quam totaliter pertinebat, ſed per lineam Ioſeph, ad quem nequaquam pertinebat: & hoc vt deſcribendo genealogiam Saluatoris ſeruaretur modus deſcribendi genealogias in lege. Dicit ergo Rabbi Dauid Kimhi, quod vocatus eſt ille Leuita de tribu Iuda, non quòd eſſet de illa tribu, ſed quia fecit talia qualia Manaſſes, qui erat de tribu Iuda: nam Manaſſes filius Ezechiæ fuit valde idolatra, vt patet 4. Regum 21. cap. & ſic fuit iſte Leuita, qui cùm eſſet miniſter Dei, factus eſt miniſter idoli. Sed iſtud eſt valde alienum, quòd aliquis vocetur de progenie alterius ex hoc, quòd habet aliquam ſimilitudinem ad illum, quia iſtud poterat conſentiri, cùm ſcriptura loquitur reprehenſorie, & mortaliter, ſicut in Prophetis: ſicut patet Ezech 16. vbi dominus ad Ieruſalem ait: radix tua, & generatio tua de terra Chananæa, pater tuus Ammorrhæus, & mater tua Cethæa, & tamen manifeſtum eſt, quòd habitatores Ieruſalem non erant de ſtirpe Ammorrhęorum, vel Cethæorum: ſed de ſtirpe Iacob: ſed dicitur illud per imitationem: hiſtoria tamen non tenet iſtum modum loquendi, ſed ſimplicem veritatem enarrat: & ob hoc quanquam ſæpe in Prophetis ponantur metaphoræ, & parabolæ, tamen in hiſtoria nunquam ponuntur, niſi quando introducitur aliquis loquens, quia ponerentur tunc verba illius, ſicut ille dixit, ſiue metaphorica ſint, ſiue parabolica, ſic patet ſupra 9. vbi ponitur parabola de arboribus vngentibus regem. Et hoc, quia Ioathā filius Gedeonis propoſuerat illam parabolam Sichimitis. Sed hic eſt hiſtoria, nec introducit verba alicuius: ſed ipſe ſcriptor hiſtoriæ loquitur à ſe, ideo oportet, quòd intelligitur ad literam id, quòd dicitur, & non ſecundum aliquam metaphoram. Item dato, quòd vellemus ampliare hiſtoricam locutionem ad metaphoras, tamen non erat conueniens modus loquendi, quòd vocaretur de ſtirpe Iudæ propter Manaſſe, quia Manaſſes nondum natus fuerat quando liber iſte ſcriptus eſt per Samuelem, nec fuit vſque ad magnum tempus poſtea, ſcilicet circa finem regum Iuda: ideo non ſcriberet Samuel de illo, ſed magis ad imitationem alicuius, qui præteriuiſſet. Item Samuel adhuc neſciebat, an Manaſſe futurus eſſet, & an idolatra eſſet, ideo non poterat dicere Leuitam iſtum eſſe de tribu Iuda propter idololatriā Manaſſe, cui ſimilabatur. Item dato, quòd velis proteruire, dicens, quòd Samuel, quia erat Propheta ſpiritu prophetico cognouit futurum Manaſſe idolatram magnum, adhuc non ſtat, quia ipſe ſcribebat librum iſtum, vt legeretur, & illi, qui legerent neſcirent de Manaſſe, quòd futurus eſſet idolatra, & ob hoc vocari deberet Leuita iſte de tribu Iudæ, & ſic cùm legerent hoc putarent Samuelem falſa ſcripſiſſe: ea tamen, quæ ſcripta ſunt non fuerunt ſcripta propter ſcriptores, ſed ad vtilitatem legentium, iuxta illud: Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram vtilitatem, vel conſolationem ſcripta ſunt. Ideo Samuel nihil tale ſcriberet. Si propter imitationem idololatriæ deberet vocari Leuita iſte de tribu Iuda, vocaretur de tribu illa, quæ magis peccauiſſet in idololatria, ſed nulla tribus fuerat, quæ hactenus magis peccaſſet in idololatria, quā tribus Simeon, vt declaratum eſt Num. 25. cap. ergo debuiſſet vocari de tribu Simeon. Dicendum ergo, quòd iſte Leuita vocatus eſt de cognatione Iudæ, quia erat de cognatione Leuitarum, qui erant in ſorte Iudæ: nam Leuitæ, & ſacerdotes erant diſperſi per tribus alias, habitantes in ciuitatibus aliarum tribuū, & ſic habitabant multi Leuitatæ in Bethlehem, & quia Leuita iſte erat de cognatione Leuitarum ſortis Iudæ, dicebatur de cognatione Iudæ per modū decertatum loquendi, qui ſæpe eſt apud Hebræos. Vel poteſt dici, quòd iſte erat de cognatione Iudæ, quia mater ſua erat de tribu Iudæ. Hoc enim ſatis veriſimile eſt, quia cùm iſte Leuita eſſet de Bethlehem, & Bethlehem erat ciuitas filiorum Iudæ, quòd ibi paaer eius acceperit vxorem de filiabus Iudæ, & genitus fuerit iſte Leuita, & quanquam non ſit modus loquendi ſcripturæ per matrem iſtud eſt verum, vt communiter: interdum tamen habet quoſdam modos loquendi ſpeciales. Aliter etiam dici poteſt, & melius, ſcil. quòd verum eſt, quòd ſcriptura nunquā nominat aliquem per cognationem matris, & patris quando nominat vnam cognationem ſolam: & tamen quando vult nominare duas, nominabit eum per cognationē matris, & patris: ita eſt hic, quia iſte Leuita nominatur per duas cognationes: nam inquantū vocatur Leuita principaliter intelligitur, q̄ progenies ſua principalis, ſcil. paterna erat de Leuitis. Cùm autē poſtea nominatur de cognatione Iudæ, intelligitur ſecundaria progenies, ſcil. materna. Si autem poneretur vnica progenies, vtpotè, quòd diceretur: Fuit vir vnus de Bethlehem de ſtirpe, vel cognatione Iudæ, neceſſario intelligetur de ſtirpe patris. *Erat q̄ ipſe Leuites.* Scilicet de tribu Leui, quia ſuus pater erat de ſtirpe Leuitarum. *Habitabat q̄ ibi.* Id eſt habitabat in Bethlehem, ſcil. pater ſuus ibi habitauerat, & ipſe ibi habitabat: ſed nunc peregrinabatur ad inquirendum vtilitatem ſuam.

Rabbi Salom. & Lyranus refellun tur.

Rabbi Dauid impugnatur

B

C

D

Doct. reſp. ad quæſtū

E

F

Quomodo poterat iſte Leuita habitare in ſorte Iuda in vrbe Bethlehem.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, quomodo poterat iſte Leuita habitate in ſorte Iudæ in vrbe Bethlehem. Et videtur, quòd non poſſet, pro quo præſupponendum quòd Leuitæ non acceperunt ſortem aliquam per ſe in terra, ſicut & aliæ tribus, ſed tota terra diuiſa eſt duodecim tribubus excluſis Leuitis: poſtea de qualibet tribu datæ ſunt vrbes ſacerdotibus, & Leuitis, vt patet Num. 35. & Ioſue 21. cap. & tamen computando vrbes, quæ datæ ſunt de tribu Iuda, non ponitur ibi Bethlehem: ideo non poterat ibi habitare Leuita. Patet hoc Ioſue 21. & 1. Paralipom. 6. vbi ponuntur ciuitates tam Sacerdotum, quàm Leuitarum. Item patet, quia in ſorte Iudæ datæ ſunt ciuitares ſolis ſacerdotibus. Leuitis autem datæ ſunt vrbes in alijs ſortibus tribuum, vt patet Ioſue 21. & 1. Paralip. 6. cap. Iſte autem iuuenis erat Leuita, & non ſacerdos, ideo non poterat habitare in Bethlehem, aut in aliqua ciuitate ſortis Iudæ. Reſpondendum, quòd iſte iuuenis erat Leuita, & non ſacerdos, ita quod vocaretur Leuita non ſolum à genere, ſed etiam ab officio, & habitabat in Bethlehem, quia ita potuiſſet habitare in quacunq; vrbe Iſrael, vbi benè ſibi reperiret eſſe, ſicut patet ipſo, quia dicitur, quòd habitabat in Bethlehē, & tamē tunc habitabat peregrinus apud Michā, & ibat ad quemcunq; locū reperiret ſibi bonū eſſe, ita licèt Bethlehem non eſſet ſibi determinatus locus ad habitandū, poterat ibi habitare. Ad primum in contrarium dicendum, quòd Bethlehem non erat de ciuitatibus, quæ determinatæ erant Leuitis, aut ſacerdotibus in tribu Iudæ, nec habitabat ibi iſtæ Leuita tanquam eſſet ciuitas Leuitarum, ſed morabatur ibi peregrinando, qui bonum ſibi eſſe videbat in vrbe hac, & ita poterat habitare in quacunq; alia vrbe totius Iſrael, vbi bonum ſibi reperiret eſſe. Ad ſecundum dicendum, quòd in tribu Iuda ſolūm fuerant aſſignatæ vrbes pro Sacerdotibus, & non pro Leuitis, ideo nō poterant habitare

A Leuitæ in ſorte Iudæ tanquam in vrbibus ſuis: poterant tamen habitare ibi, vt in aliquo loco peregrini, & ſic habitabant multi Leuitæ ibi, & in alijs locis, quæ non fuerunt aſſignata Leuitis, aut Sacerdotibus: ſic faciebat nunc iſte Leuita, quando venit ad domum Michæ. Sic etiam quando poſtea venit in Lais: nam neuter locus iſtorũ fuerat aſſignatus ſacerdotibus, aut Leuitis. Aliter poterat dici, quòd iſte erat ſacerdos quanquam vocetur Leuita, eo quòd omnis ſacerdos erat Leuita, ſed non è contrario, qnia Leuita interdum ſignat genus, & interdum officium. Primo modo omnes de ſtirpe Leui vocantur Leuitæ, & ſic cum Aaronitæ, qui erant de ſtirpe Leui, eſſent ſacerdotes, oporteret quod ſacerdotes eſſent Leuitæ. Secundo modo accipiebantur Leuitę pro miniſterio quodam quod erat minus ſacerdotio: & iſto modo erant Sacerdotes, & Leuitæ diſtincti. Cùm autem dicitur de iſto, quòd erat Leuita, poteſt intelligi, quòd Leuita dicat genus, & non officium, & poterit eſſe ſic ſacerdos. Sed quia tenetur communiter, quòd iſte eſſet Leuita ſimplex, tenenda eſt ſolutio prior. Etiam dato, quòd ponamus eum ſacerdotẽ, non ſoluitur inconueniens pluſquam ponendo eum Leuitam, eo quod in Bethlehem non competebat alicui, ſiue Sacerdoti, ſiue Leuitæ habitare tanquam in propria vrbe, ſed peregrinando, & ſi teneamus pro peregrinatione non ſolùm competet ſacerdotibus, ſed etiã Leuitis habitare in quocunque loco peregrinando. *Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem.* Fortè non reperiebat ſufficientem victum, & volebat alibi inquirere. *Peregrinari voluit vbicunque ſibi commodum reperiſſet.* Id eſt voluit manere in quacunque vrbe, vel loco, in quo reperiret ſibi vtilius eſſe, quàm in Bethlehem.

An liceret iſti Leuitæ peregrinari extra ciuitatem ſuam.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, an liceret iſti Leuitę peregrinari extra ciuitatẽ ſuam Bethlehem. Aliquis dicet, quòd non, quia Leuitis erant aſſignatæ vrbes, in quibus morari deberent: Ioſue 21. & 1. Paralip. 6. Si tamen liceret eis peregrinari vbicunque vellent, fruſtra aſſignarentur eis loca ad habitandũ: ergo videtur, quòd obligabantur manere in locis. Reſpondendum eſt, quòd ſacerdotibus, & Leuitis licebat peregrinari per quamcunque partem Iſraelis vellent: & hoc apparet in iſto Leuita, qui peregrinabatur, vbi ſibi vtile eſſe proſpiceret, & tamen ſcriptura non vituperat eum de hoc. Aliquis dicet, quòd non ſtat exemplum de Leuita, quia iſte peccauit valde cùm factus eſt Sacerdos Idoli, ideo ſicut in illo peccauit, ita concedetur, quòd peccauit manendo in peregrinatione apud Micham. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia quanquam Leuita iſte peccauerit poſtea cùm factus eſt
C Sacerdos Michæ, tamen quando ipſe exiuit de Bethlehem non ibat cum propoſito faciendi iſtud, ſed accidit ſibi hoc facere, vt patet in litera. Nam ipſe faciebat iter, & intendebat tranſire vlterius, & veniens in domum Michæ ſolicitatus eſt ab eo, vt maneret ibi, & tamen à principio peregrinabatur, ergo antequam malum faceret peregrinabatur, & conſequenter peregrinari non erat ei peccatum. Item patet efficacius, quia Deuter. 18. dicitur: Quòd quicunq; Leuita vellet de vrbe patrum ſuorum venire ad vrbem, in qua erat ſanctuarium domini, poterat ibi ſemper manere, & debebat ſuſcipere portionẽ, quam ſuſcipiebant reſidentes, & minſtrantes: quibus competebat ſorte illo tempore miniſtrare, & tamen iſtud erat peregrinari: ergo licitum erat ſacerdoti, & Leuitæ peregrinari. Item Deut. 12. & 16. & in multis locis dicitur, quòd quando Iſraelitæ facerent conuiuia magna de ſacrificijs, vel darent partes decimarum, quæ competebant pauperibus, deberẽt vocare Leuitas, quia erant intra portas ſuas, id eſt intra portas vrbium ſuarum: ſi tamen non eſſet licitum peregrinari Leuitis, non poſſent habitare intra portas vrbium Iſraelitarum, qui Iſraelitæ habitarent in vrbibus ſuis, & ſacerdotes, & Leuitæ in vrbibus ſibi aſſignatis, & ibi nulli Iſraelitę de alijs tribubus habitarent: ergo ad hoc, quòd habitarent Leuitæ intra portas vrbiũ Iſraelitarum, oportet, quòd poſſent peregrinari manẽdo in vrbibus, in quibus habitabant alij Iſraelitæ, quæ non erant aſſignatæ Leuitis. Item patet, quia Nu. 15. dicitur, quòd quando Iſraelitæ coquerent panes, vel facerent pulmenta, darent Leuitis primitias panis coctorum, & ciborum: ſi tamen manerent Leuitæ in alijs vrbibus, non poſſent Iſraelitæ hoc complere, cùm qualibet vice ſua, qua coquerent panes, tenerentur dare primitias illorum; ideo oportet, quòd in ciuitate qualibet eſſent Liuitę aliqui, quibus darentur iſtę primitiæ, & tamen iſti neceſſariò habitarent peregrinando, quia ciuitates aſſignatæ Leuitis, & Sacerdotibus non erant illæ, in quibus habitabant Iſraelitæ de alijs tribubus. Item patet Deut. 14. vbi dicitur de decima tertij anni quã qlibet Iſraelita debebat facere, & tũc pupilli, & Leuitæ, & viduæ, & cæteri peregrini, qui intra portas vrbium iſtorum eſſent, debebant venire ad comedendũ de his, ergo in qualibet vrbe Iſraelis licebat habitare Leuitis. Ad rationem in contrarium dicendũ, quòd aſſignatio vrbiũ facta Sacerdotibus, & Leuitis fuit facta in fauorem ipſorum, ideo non debebat retorqueri in eorum præiudiciũ, quia iſtud eſt contra regulam iuris, quia id, quod ob alienius fauorem introductum eſt, in eius fauorem debeat redundare: & tamen erat magnũ præiudiciũ ſacerdotum, & Leuitarum, ſi interdum non potentes ſuſtentari in locis ſuis, nõ poſſent declinare ad alia loca, in quibus ſuſtentarentur: fauor autem, ad quem introducta ſunt loca Leuitarum: erat quia ſi non darentur eis loca aliqua, nec in ſortem, nec aliàs: alij Iſraelitæ fortè non ſuſciperent eos in ſuis vrbibus ad hoc, quia alerent ibi pecora ſua, vel communicarent bonis, quæ pertinebant
B E ad ciuitates ſuas, cùm ipſi nullam partem haberent inter reliquos Iſraelitas: ergo non interdictum eſt eis, cùm opus eſſet peregrinari, quia etiam non interdicebatur cæteris Iſraelitis quanquã haberent vrbes aſſignatas ſibi ſecundũ cognationes ſuas. Patet hoc de Elimelech viro Noemi, qui tempore famis peregrinatus eſt recedens de vrbe Bethlehem. Ruth 1. cap. Item patet Deut. 14. vbi prẽter Leuitas ponuntur adhuc peregrini, quibus communicandæ erant partes decimarum, quod neceſſe eſt intelligi tam de peregrinis, id eſt conuerſis ad Iudaiſmũ, quàm de peregrinis, id eſt, diſcurrentibus per loca aliena ad ſuſtentationem vitæ. Item patet hoc Deut. 23. vbi dicitur, quòd ſeruus confugiens ad aliquem poterat habitare in quocunque loco vellet, & intelligitur de ſeruis tam Hebræis, quàm conuerſis, & potius de Hebræis: ergo licebat eis peregrinari. Item patet hoc Leuitici vigeſimo quinto, ſcilicet: Si attenuatus fuerit frater tuus, & ſuſceperis eum quaſi peregrinum: ergo licebat quaſi peregrinum eſſe.

Quare Leuitæ peregrinabantur per diuerſa loca Iſrael potius, quàm viri de alijs tribubus.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, quare Leuitæ peregrinabantur. Reſpondendum, quòd Leuitæ erant pauperes valde, F & non habentes vnde ſuſtentarentur inquirebant. Pro quo conſideranda ſunt duo. Primum eſt, quòd Sacerdotibus, & Leuitis datæ erant ciuitates ad habitandum, in quibus non habitabant aliqui Iſraelitæ de laicis, ſcil. quia de qualibet tribu dabantur eis certæ vrbes, & in illis habitabant ipſi ſoli Leuitæ habentes ſolas ciuitates, & ſuburbana ad alenda pecora, & non habebant agros, atque vineas. Secundum eſt, quòd Leuitæ, & ſacerdotes habebant determinatum victum, ſcil. ſacerdotes habebant omnia ſacrificia, & primitias, & oblationes, & redemptiones primogenitorum tam in hominibus, quàm in pecoribus, & quædam alia iura, de quibus habetur plenè Num. 18. c. Leuitæ autem, qui non erant in gradu ſacerdotali habebant ſolùm decimas Iſraelitarum in victum, & diuidebant eas inter ſe, & de his decimam partem dabant ſummo ſacerdoti: Num. 18. c. ſummus ſacerdos habebat decimam decimæ Leuitarum, & inſuper partem cum ſacerdotibus minoribus de iuribus eorum. His viſis ſciendum, q̃ iura Leuitarum erant minora pro Leuitis quàm iura ſacerdotũ pro ſacerdotibus, & quia Leuitæ erãt valde multi, & continuo multiplicabantur, efficiebantur valde pauperes, & ad releuandum iſtam paupertatẽ non habebant agros, & vineas in quibus ſe exercerent, & de agricultura acquirerent aliquid ad vitam, ſed cùm datæ ſunt ciuitates ſacerdotibus, & Leuitis, data ſunt ſolùm corpora vrbium, & ſuburbana certorum paſſuum in circuitu, in quibus paſcerent Leuitæ

greges

A *Quomodo dabantur Sacerdotibus, & Leuitis vrbes apud Israelitas.*

greges suos, & tamen non dabantur eis ciuitates cum territorijs suis, vt possent ibi vineas plantare, & agros colere, sicut dabantur alijs Israelitis vrbes, vt patet Num. 35. & Iosue 13. & 21. & ob hoc cùm Leuitæ multiplicabantur, non poterant intra vrbes suas sustentari de redditibus suis, & ob hoc cogebantur peregrinari per vrbes aliorũ Israelitarum, & ibi exercentes aliqua officia sustentabantur, scil. erudientes pueros in literis, vel facientes alia ministeria similia, & ibi poterant aliqualiter sustentari: suscipiebant etiã ibi primitias de cibis Israelitarum, quando coquebant panes in clibano, Nu. 15. etiã suscipiebant per modũ eleëmosynæ de decima tertij anni, quam cogebatur quilibet de Israelitis facere quolibet tertio anno, & Leuitæ manentes in vrbe qualibet principabant de decima illa. Etiam quando Israelitæ illarũ vrbium ibant ad sacrificandũ domino in locum sanctuarij ducebant secum Leuitas istos, & inuitabant eos, Deut. 12. & 16. etiam impendebant eis Israelitæ alia genera eleëmosynarũ. Istam paupertatẽ magnam Israelitarũ prædixit Deus, & admonuit valde Israelitas, vt benefacerent eis, quia nullam partem possessionis habebant: Deuter. 12. & 14. & 16. & sic recedebant Leuitæ de vrbibus sibi assignatis à principio, & ibant ad alias vbi melius sustentarentur, & si ibi non reperiebant benè sibi esse, ibant ad alias vrbes, & sic discurrebant quocunq; volebant: sic patet de isto Leuita, qui habitabat in vrbe Bethlehem, quę nõ erat ciuitas sibi assignata à principio, cùm Bethlehem non esset de ciuitatibua assignatis sacerdotibus, & Leuitis: Iosue 21. & 1. Paral. 6. cap. Sed patres sui à multis temporibus habitabant peregrini in Bethlehem. Nunc autem ipse videns non sibi sufficere victum ibi, discurrebat ad alias vrbes vbicunq; sibi commodum esse reperisset. *Cumque veniret in montem Ephraim.* Id est in vnam de ciuitatibus montis Ephraim, in qua morabatur Michas. *Iter faciens.* Scilicet ipse nõ veniebat cum intentione manendi in domo Michæ, quia nesciebat, an posset ibi aliquod bonum acquirere sibi: sed ibat iter faciens, & cum intentione transeundi vlterius. *Et declinasset parumper in domum Michæ.* Id est declinauit ad manendum aliquod diebus ad recreandũ volens vlterius transire. *Interrogatus est ab eo vnde venis.* Cùm hospitaretur in domo sua, voluit scire ab eo, quis esset, & quid inquireret. *Qui respondit: Leuita sum de Bethlehem Iuda.* Istud non quæsiuerat Michas, sed Leuita volens expressius respondere ad quæstionem: proposuit id, per quod melius intelligeretur, scil. quòd erat Leuita de Bethlehem, id est, natus in Bethlehẽ, & qui ibi hactenus moratus fuerat. *Et vado, vt habitem vbi potuero.* Id est inquiro habitationẽ, in qua possim conuenienter manere. *Et vtile mihi esse prospexero.* Id est manebo vbi inuenero, quòd est mihi vtilitas manere. In Hebræo est ista litera breuior, & dicitur solùm. *Vado vt habitem vbi inuenero.* Id est vbi inuenero inesse vtile: eadem sententia est, sed litera nostra est expressior. *Dixitq; Michas mane apud me.* Id est in domo mea. *Et esto mihi parens.* Id est sis pater meus. Istud dixit Michas ad alliciendum iuuenem, vt maneret, id est dicendo, quòd haberet eum in patrem honorando eum, vt patrem. *Ac sacerdos.* Id est sis mihi sacerdos in idolo, quod cõstitui. *Daboq; tibi per annos singulos decem argenteos.* Aliqui putant esse siclos, & tamen videtur, q̃ sit moneta ista maioris valoris, quia vnus aries valebat duos siclos, aut plus Leu. 5. verisimile est ergo, quòd daret ei Michas pro anno plusquam valorem quinque arietum super alia, quæ exprimuntur hic. In Hebræo dicitur. *Dabo tibi pro quolibet diebus decem argenteos.* Est autem modus valde improprius loquendi, & accipitur dies pro anno. Sciendum tamen, quòd dies absolutè apud Hebræos non accipitur pro anno, sed dies pluraliter, & quando ponitur sine determinatione aliqua numeri, vtpotè, quòd non dicatur pro tot diebus, nec ponatur aliud adiectiuum, significat annum, & sic accipitur hic pro anno tanquam iamin quod est pluralis numeri signaret singulariter annum. *Ac vestrem duplicem.* Scilicet duas vestes simul, scil. tunicam, & diploidem. Alio modo accipitur duplex vestis quando datur quidquid necessarium est ad vestitum in principio anni, & deinde in medio anni datur iterũ plenus vestitus. Primò modo accipitur hic, scil. vestis duplex, id est vna inuestitura quolibet anno, & tamen illa inuestitura cõtinet duas vestes simul. Sic accipitur Prou. 31. scil. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Et tamen ibi non potest accipi vestis duplex, scil. vna in vna parte anni, & alia in alia parte, quia istud nihil ageret ad propositum, cùm ibi signetur, quòd domesticę mulieres fortes nõ timent frigus, quia habent multas vestes. Istud autem est, quia habent illas simul, alioquin nihil potius esset vestitus simplicibus, quàm duplicibus: & hoc patet ex litera Hebraica, in qua dicitur. *Et precium pannorum.* Id est dabo tibi quolibet anno precium pannorum, scil. vnam inuestituram, vel tantũ quantum valent vestes pro quolibet anno necessariæ, & tamen litera Chaldaica posuit vestem duplicem: ideo sic posuit litera nostra. *Et quæ ad victum necessaria sunt.* Id est etiam dabo tibi totam sustentationẽ in cibo. *Acquieuit, & mansit apud hominem.* Id est videns iuuenis esse modum conuenientẽ sibi ad viuendũ consensit habitare cum Micha, & mansit cum illo. In Hebræo habetur. *Ambulauit & mansit apud hominem.* Et ponitur ambulauit pro assensit, id est, quòd ambulauit Leuita ad voluntatẽ Michæ. *Fuitq; illi quasi vnus de filijs.* Id est, dilexit illum sicut filios suos, & ita gerebat, & curabat de illo sicut de filijs suis, quia valde concupiuerat habere sacerdotẽ de stirpe Leui, & putabat propter eum multa bona sibi euentura, vt patet infra. In Hebræo dicitur. *Fuitq; puer quasi vnus de filijs.* Id est fuit Leuita, qui erat puer, vel adolescens quasi vnus de filijs Michæ. *Impleuitque Michas manum eius.* Id est fecit circa eum cæremonias quasdam ad hoc, quòd esset sacerdos: & istud erat implere manus, id est consecrare illas: quod fiebat dando ei aliqua animalia, quæ immolaret, & faceret in illis cæremonias sacerdotales sacrificando, vt supra dictum est. *Et habuit apud se puerum sacerdotem.* Id est tenuit Leuita illum adolescentem apud se in sacerdotem, vt faceret cæremonias coram idolo suo. *Nunc scio dicens, quòd bene mihi faciet Deus habenti Leuitici generis sacerdotem.* Id est, nunc scio certissimè, quòd Deus me prosperabit in omnibus, quia habeo sacerdotem apud me de Leuitis: & intelligitur quòd habebat sacerdotem Leuitici generis: non quòd ille esset sacerdos inter Leuitas, quia simplex Leuita erat, sed quia iste fecerat eum sacerdotem, & erat de stirpe Leui.

B

C

D

E

F

Quare iste putauit quòd benefaceret ei Deus nunc, cùm haberet sacerdotem de genere Leui.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR, quare iste putauit, quòd benefaceret ei Deus nunc cùm haberet sacerdotem de genere Leui. Respondendum, quòd erat posita lex, quòd soli de tribu Leui ministrarent Deo: Leuitæ in minori ministerio, Aaronitæ, qui erant sacerdotes in maiori ministerio, & quicunque alius ministrare contenderet moreretur, & quòd Deus irasceretur contra eum: Num. 1. & 3. & 18. Nunc autem iste Michas fecerat vnum de filijs suis sacerdotem, vt patet supra, & quia ipse erat de tribu Ephraim putauit, quòd Deus irasceretur ei, & infortunaret actus suos: postea suscepit Leuitã in sacerdotem, & amouit filium suum à sacerdotio: & credidit quòd cùm nunc haberet sacerdotem secundùm legem, quòd Deus benefaceret ei. Sed dicẽ quid proderat Michæ, quòd haberet sacerdotem de filijs Leui potius quàm quòd non? quia illud intelligebatur in sacerdotio, per quod Deo vero ministrabatur, quia illud debebat esse in solis filijs Aaron, ad sacrificandum tamen idolis nihil potius erat, quòd esset sacerdos de Aaronitis, quã de quibuscunque: quia vtroque modo peccabatur. Item, quomodo poterat Michas intelligere, quòd Deus benefaceret ei, cùm ipse Deum offenderet faciendo sacrificia idolo per istum sacerdotem Leuitam. Respondendum quòd Michas Secundùm opinionem gentium forte putauit, quòd istud idolum haberet virtutem ad benefaciendũ ei, vel nocendum: & quia Deus Israel elegerat sibi tribum Leui, vt illa ministraret coram eo, putauit Michas, quòd isti homines essent excellentiores cæteris ad ministrandum: & quòd sic acceptarent alij potius Leuitas in sacerdotes, quam viros aliarum tribuum: & ob hoc dixit q̃ sciebat nunc, q̃ Deus, scil. Deus ille, cui fecerat idolũ, benefaceret ei, quia habebat sacerdotem de Leuitis, scil. quia iste Deus nunc magis placaretur, cùm Leuita ei ministraret, quã cùm aliquis alius ministraret. Aliter potest dici, quòd Michas colebat Deũ Israel, sed in hoc errabat, quia faciebat idolum

A

sibi ad significandum Deum Israel, & coram illo faciebat sacrificia, tanquam faceret coram Deo vero: & quia Deus iusserat in lege, quòd sacerdotes de genere Leuitarũ ministrarent ei, putauit quòd prius offendisset eum, cùm filius suus ministrabat in sacerdotio, & nunc cùm haberet sacerdotem de Leuitis, credidit quòd obseruabat regulã legis, & ob hoc, quòd Deus verus placaretur ei, & benefaceret sibi: & iste modus accipiendi est satis conueniens. Sed huic videtur repugnare quod habetur sequẽti ca. cùm dixit Michas: Deos meos quos mihi feci, tulistis. Si tamen haberet illud solùm, vt simulachrum Dei Israëlis, non diceret; Deos meos tulistis: sed simulachrum Dei mei, ideo videbitur potiùs dicẽdum, quòd putaret simulachrum illud esse Deum suum, & posse sibi benefacere, & nocere, & ab illo expectabat bonũ: hoc patet sequenti cap. cùm dicitur: Deos meos, quos mihi feci tulistis, & sacerdotem, & omnia q̃ habeo, scil. quòd omnia bona tollebant tollendo sacerdotem, & idolum: si tamen putaret idolũ non esse Deum, sed simulachrum, nõ tantum doleret. In Hebræo habetur: *Nunc scio, quia benefecit mihi Dominus.* Sed est mutatio temporis, quia benefacere de futuro erat, & non de præterito, quia tunc accipiebat nouiter sacerdotem, & nondum benefecerat ei Deus, postquam acceperat sacerdotem, quia ista dicebat quando accipiebat sacerdotem.

Caput XVIII.

B

IN diebus illis non erat rex in Israël, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsq; ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat. Miserunt ergo filij Dan stirpis & familiæ suæ quinq; viros fortissimos de Saraa & Esthaol vt explorarent terram, & diligenter inspicerent. Dixerunt q; eis: Ite & considerate terram. Qui cùm pergentes venissent in montem Ephraim, & intrassent domum Michæ, requieuerunt ibi: & agnoscentes vocem adolescentis Leuitæ, vtentes q; illius diuersorio, dixerũt ad eum: Quis te huc adduxit? Quid hic agis? Quam ob causam huc venire voluisti? Qui respondit eis. Hæc, & hæc præstitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos. Rogauerunt autem eum, vt consuleret Dominum, & scire possent an prospero itinere pergerent, & res haberet effectum. Qui respondit eis: Ite cum pace. Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis. Euntes igitur quinq; viri venerunt Lais, viderunt q; populum habitantem in ea absq; vllo timore iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, nullo eis penitus resistente, magnarum q; opum, & procul à Sidone, at q; à cunctis hominibus separatum. Reuersiq; ad fratres suos in Saraa, & Esthaol, & quid egissent sciscitantibus responderunt: Surgite & eamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam, & vberẽ. Nolite negligere, nolite cessare: eamus & possideamus eam, nullus erit labor: intrabimus ad securos in regionẽ latissimã: tradet q; nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum, quæ gignuntur in terra.

Sup. 17. Infr. 21

Nu. 13.

In diebus illis. Descripto in præcedentibus de idoli fabricatione, hic agitur de idololatriæ spoliatione. Et diuiditur in quatuor partes. Primò ponitur spoliandi occasio: secundò spoliantium occupatio, ibi. *Profecti igitur.* Tertiò spoliati cõquestio, ibi. *Qui cùm pergerent.* Quartò idoli ablati abusio, ibi. *Posueruntq; ibi sculptile.*

An hic sit aliqua ordinis mutatio, & an hoc factum sit illicò post præcedentia.

Quæstio I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta ordine continuato ad præcedentia, vel sit ordo mutatus. Et an sit factum istud mox post præcedentia, vel interiecto magno tempore.

D

Ad primum dicendum, quòd aut volumus comparare istud ad omnia, quæ habentur suprà in libro isto, aut solùm ad ea, quæ immediatè posita sunt cap. præced. Si primo modo, dicendum, quòd non est ordo continuus, quia sicut declaratum est præced. cap. omnia, quæ habentur vsq; ad finem libri huius, fuerunt facta post mortem Iosue, & ante constitutionem Othonielis in iudicem. Si secundo modo, dicendum, quòd ista habent cõtinuatum ordinem ad ea, quæ sunt præcedenti cap. quia illa fuerunt ante hęc, cùm ibi dicatur de fabricatione idoli Michæ, & conductione sacerdotis: hic autem agitur de ablatione vtriusque, ideo necesse est fuisse istud post illa.

Ad secundum dicendum, quòd non apparet quantum tempus interciderit inter hæc: sed satis apparet, quòd fuerit paucum tempus inter hæc, quia illum met sacerdotem, quem cõduxit Michas, abstulerunt ei viri Dan. Etiam, quia in principio capituli huius dicitur: In diebus illis, scilicet in diebus, in quibus factum fuit idolum, fuit factum quod sequitur pauco tempore intercidente. *In diebus illis non erat rex in Israël.* Scilicet in diebus, in quibus factum est, quod sequitur hic de captione vrbis Lais, & de ablatione idoli Michæ, de quibus in hoc capitulo, non erat rex in Israël, id est nec erat rex, nec aliquis iudex, aut rector. In Hebræo dicitur: *Et in diebus illis.* In isto significatur maior continuatio temporis, scil. quòd quasi simul facta fuerint, quæ habentur præcedenti capitulo, & quæ habentur hic.

E

Quare dicitur, quòd non erat rex in diebus illis.

Quæstio II.

QVÆRETVR, quare dicitur, quòd non erat rex in diebus illis?

Respondendum, quòd aliquis dicet istud fuisse propter illa, quæ sequuntur de captione vrbis Lais, scilicet, quia tribus Dan quærebat possessionem, & ad capiendum iuit vrbem Lais, & nulla tribus adiuuit eam, sed soli viri de tribu hac iuerunt illuc. Si tamen esset aliquis rex, vel princeps in Israël, ad illum principaliùs pertinuisset pugnare contra vrbem Lais, quàm ad tribum Dan, & ille iussisset alijs viris Israël ire ad pugnandum contra illam vrbem, quia tamen non erat aliquis princeps, qui posset ista facere, pugnauit tribus Dan pro seipsa. Et hoc videtur significari in litera, cùm dicitur: In diebus illis non erat rex in Israël, & tribus Dan quærebat sibi possessionem. Sed dicendum, quòd istud non stat, quia dato, quòd esset rex, vel iudex in Israël, tribus Dan sola debebat pugnare ad acquirendum sibi possessionem, & non debebat adiuuari ab alijs de iure.

C

Pro quo sciendum, quòd viuente Iosue, cùm nondum erat pars terræ Chanaan acquisita, nec esset tota terra per sortes diuisa, pertinebat pugna ad omnes Israëlitas: eo quòd id quod acquirebatur tunc de manu hostium, & quod acquirendum erat, non magis erat vnius tribus, quàm alterius, sed pertinebat simul ius ad omnes tribus pro indiuiso. Cùm autem terra diuisa est per sortes, Iosue decimooctauo: cœpit distinctè pertinere quælibet pars ad quamlibet tribum, cui assignata est, & ex eo tempore incubuit onus pugnandi cuilibet tribui contra hostes, qui erant in sorte sua, tanquam ageret iam pro re sua: & vna tribus non tenebatur adiuuare aliã ad pugnandum contra hostes, qui erant in sorte illius, sed ex conuentione adiuuabat vna tribus aliam. Sic patet suprà 1. vbi post mortem Iosue tribus Iuda voluit pugnare contra hostes suos, & vocauit tribum Simeon, dicens: Ascende mecum & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in sortem tuam: si tamen teneretur vna tribus adiuuare alterã, non fecisset tale pactum tribus Iuda cum tribu Simeon. Ideo sic esset de tribu Dan, quòd siue esset rex tunc, siue quicunque iudex, non teneretur alia tribus adiuuare tribum Dan, sed ipsi soli pugnarent contra Lais.

F

Dicendum ergo, quòd ponitur hic, quòd non erat tunc rex in Israël, id est non erat aliquis, qui posset punire delicta, quæ hic enarrantur, & ob hoc erat audacia ad committendum illa. Sunt autem hic duo delicta. Primum est de violenta

Doc. respon ad quæsitum.

A ablatione idoli, & aliarum rerum de domo Michæ. Secundum erat, quia idolum illud constitutum est in Lais, vt publicè adoraretur, & erat ibi peius, quàm in domo Michæ, vbi particulariter colebatur: & tamen non fuit, qui tunc ista puniret, aut prohiberet, quia non erat rex, vel iudex in Israël. Et etiam ponitur maximè pro audacia faciendi, quia sciētes filij Dan, quòd nemo posset eos punire, aggressi sunt hoc.

Quando erat hoc cùm dicatur, quòd non erat tunc rex in Israël.

Qvæstio III.

Qværetvr vlteriùs, quando erat istud, cùm dicatur, quòd non erat tunc rex in Israël?

Respondendum est, quòd istud factum est in eisdem diebus, in quibus id quod habetur præcedenti cap. Sed illud factum est inter mortem Iosue, & constitutionem Othonielis in iudicem, ideo ipso tempore factum est hoc: & rationes ad probandum hoc, sumptæ fuerunt partim ex hoc capitulo: erat igitur istud viuente Caleb non multo tempore post mortem Iosue. Sed dicetur, quomodo potuit istud fieri tempore Caleb? Respondendum, sicut dictum est præcēd. cap. quòd Caleb erat vir honorabilis, & magnæ auctoritatis in populo, & tamen nullam potestatem habebat ordinariam in populo
B ex commissione Dei, aut electione populi, ideo non poterat punire delicta, sed solùm propter auctoritatem suam multi arcebantur à sceleribus: & quia isti viri de tribu Dan erant inuerecundi, & irreuerentes, contempta auctoritate Caleb, aggressi sunt ista scelera.

Sed adhuc diceretur, quomodo stat, quòd tempore Caleb istud factum fuerit, quia Iosue vlt. & suprà 2. dicitur, quòd seruierunt Israëlitæ Domino tempore Iosue, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & tamē de his senioribus fuit præcipuus Caleb, vt declaratum est suprà 2.

Respondendum, quòd tempore Caleb factum est, vt declaratum fuit præced. cap. tamen, quia reliqui de Israël colebant Deum, quanquam habitatores Lais colerent idola, dicebatur Israël colere Deum. Simile patet: nam tempore omnium iudicum dicitur, quòd Israëlitę conuertebantur, & colebant Dominum, & tamen tempore omnium iudicum māsit idolum Michæ in vrbe Lais, & colebatur, scil. quamdiu fuit arca Domini in Silo, & istud fuit tempore Heli summi sacerdotis, quia tunc capta est arca, 1. Reg. cap. 4. Et tamen non obstante, quòd isti colerent idolum, dicebatur totus Israël colere Deum. Aliter potest dici, quòd isti viri Dei erant valdè separati à reliquo Israël, cùm dicatur infrà in litera, quòd viri Lais erant procul à Sidone, & cum nullo homine habebant communicationem, & sic Israëlitæ nō poterant istos sic propriè punire propter paruam communicationem cum eis. Et
C iam cùm viderentur quasi separati ab Israël propter eorum idololatriam, non dicebantur Israëlitę idololatrare. Aliter potest dici, & melius, quòd fortè istud fuit circa mortem Caleb, cùm iam Israëlitæ incipiebant paulisper declinare ad idololatriam. *Et tribus Dan quærebat possessionem sibi.* Id est, quærebat loca sortis suæ ad habitandum, quia nondum acquisiuerat illa. *Vt habitaret in ea.* Scilicet, quia nondum habebat conueniētem, & sufficientem locum ad habitandum. *Vsq; ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperant.* Id est, vsq; ad tempus istud, quo ceperunt vrbem Lais, non acceperunt possessionem, scilicet sufficientem, licèt aliquid tenerent de sorte sua in qua habitabant.

Quomodo stet, quòd filij Dan nondum accepissent possessionem inter cæteras tribus, cùm aliæ tribus accepissent viuente Iosue.

Qvæstio IIII.

Qværetvr, quomodo stet, quòd filij Dan nondum accepissent possessionem inter cæteras tribus, quia viuente Iosue accepit sortem: nam positæ fuerunt sortes in Silo, & cecidit vna de sortibus, scilicet vltima tribui Dan, & describuntur loca sortis suæ Iosue 19. iam tamen erat mortuus Iosue, ergo acceperant possessionem.

Respondendum, quòd filij Dan acceperunt sortem cum D
cæteris tribubus tempore Iosue, & tamen possessionem sortis nondum acceperant, quia tenebatur ab hostibus terra, & dicitur inter cæteras tribus, quasi cæteræ tribus accepissent iam possessionem, & tribus Dan non accepisset.

Pro quo sciendum, quòd ius sortis omnibus tribubus simul datum est, quādo positæ fuerunt sortes coram Domino in Silo pro omnibus tribubus, & tamen possessio non fuit omnibus data æqualiter, & nulli quasi integraliter, quia diuisa est tota terra Chanaan per sortes, & tñ adhuc magna pars manebat accipienda Iosue 13. & sup. 3. & accidit in quibusdam sortibus esse ferè totam terram captam de manu hostium: in alijs verò erat parua pars capta, & reliquum tenebatur ab illis, & sic fuit de sorte Dan, quæ pro maiori parte tenebatur ab hostibus, ideo Danitæ non poterant accipere possessionem competentem sibi. Alię autem tribus habebant maiores partes sortium suarum liberatas de manu hostium, ideo dicebātur habere possessionem, & tribus Dan non.

Sciendum tamē, quòd tribus Dan à principio habuit paruam partem possessionis suæ, & tamen postea habuit minorem, quia hostes habitantes in parte illa oppresserunt illos, & fuit istud aliquanto tempore post mortem Iosue, quando cō fortati fuerunt Amorrhæi super filios Dan, & hoc tangitur suprà primo capitulo, scilicet: Arctauitq; Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora descenderent, habitauitque in monte Hares in Hailon, & Salabin. De E
hoc dicit latiùs Iosephus quinto Antiquitatum, quòd post mortem Iosue, cùm Israëlitæ bellorum studia reliquissent, & ad terræ opera se dedissent, Chananæi eos contemnentes, nec aliquid ab eis pati credentes, suum collegerunt exercitum, firmam habentes spem quasi Hebræos affligerent, & de cætero ciuitates licenter inhabitarent: currusque faciebant, & exercitabantur armis. Quædam vrbes Israëlis eis assentiebant, & de tribu Iuda Aschalonem, & Acharon abstulerunt, & multas in campestribus constitutas, & ipsos Danitas in montana fugere compulerunt, nec paululum eis locum in campestribus relinquentes, & dum illi, nec ad bellandum essent idonei, nec ad habitandum sufficientia haberent loca, miserunt quinque viros ad loca Mediterranea. Et sic introducitur historia quæ habetur hic, quomodo missi sunt quinque viri ad explorandum locum habitationis: & illi transierunt per domum Michæ, & facta sunt, quæ habentur hic.

Miserunt igitur filij Dan stirpis & familiæ suæ quinque viros. Scilicet videntes, quòd non haberent locum, in quo habitarent consilium inierunt quid agerent, & miserunt quinque viros ad explorandum aliquem locum, in quo possent habitare, & dicitur stirpis, & familiæ suæ ex superabundanti, quia stirpis, signat tribum, familia autem signat diuisiones quasdam minores, quæ sunt immediatè sub tribu, vt patet Iosue septimo, & Numerorum vigesimosexto capitulis. Hic autem solùm accipitur vtrumque pro tribu, quia non fuit aliqua pars spe- F
cialis tribus, quæ mitteret istos exploratores, sed tota tribus. Vel aliter posset dici, quòd quædam pars filiorum Dan habebat possessionem, & alia non: & illi qui non habebant possessionem, miserunt viros quinque ad explorandum loca, in quibus possent habitare, & miserunt illos de tribu sua, & familia sua.

Sed aliter, & melius dicendum est, quòd tota tribus Dan accepit consilium de mittendo exploratores, & misit illos: ponitur tamen de tribu, & familia sua, quia in tribu Dan erat aliquid speciale, scilicet, quia tribus, & familia conuertebantur, eo quòd in illa tribu solùm erat vna familia, vt patet Numerorum vigesimosexto, & quicunque erat in tribu Dan, erat in illa familia Dan: & sic erant isti quinque viri de stirpe, id est tribu, & familia Dan. In Hebræo habetur: *Quia non cecidit ipsi vsq; ad diem ipsum in medio tribuum Israëlis hæreditas.* Vbi nos dicimus vsque ad illum diem inter cæteras tribus sortem non acceperat, & eadem sententia est.

Viros fortissimos de Saraa, & Esthaol. Id est, isti quinque viri, qui missi sunt de tribu Dan, erant fortissimi, vt auderent se opponere laboribus, & periculis: & propter fortitudinem non tenerentur ab hostibus. Et dicitur, quòd erant de Saraa, & Esthaol, quæ erant duæ ciuitates in sorte Dan: & istas possidebant tunc filij Dan. Patet hoc Iosue decimonono, vbi ponuntur istæ in sorte Dan. Inter istas autem ciuitates vixit,

habita-

habitauit,& ſepultus fuit Samſon, vt patet ſuprà 13. & 16. capitulis.In Hebræo habetur hic plus quàm in Latino,quia dicitur, quòd miſerunt quinque viros de tribu, & familia, & parte ipſorum : & Hieronymus non curauit transferre, quia ſuperabundat quantum ad ſenſum.

Vt explorarent terram. Scilicet, vt viderent quis locus eſſet, in quo poſſent conuenienter habitare, & contra quem poſſent faciliter pugnare.

Quomodo filij Dan mittebant hos viros ad explorandum terram ad habitandum.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo filij Dan mittebant iſtos viros ad explorandum terram ad habitandum, quia videtur, quòd non liceret hoc eis, quia aut mittebant eos extra terram Chanaan ad aliam gentem, aut ad ſortem alterius tribus : quantum ad aliquam partem, quæ tenetur ab hoſtibus, aut ad aliquam partem terræ ſortis ſuæ, quæ nondum erat capta. Non primo modo,quia non licebat Iſraëlitis pugnare contra gentes,quæ eſſent extra terram Chanaan ad capiendum terram ipſarum,vt in illa habitarent, quia Deus limitauerat Iſraëlitis terram ſuam,quam habitarent, Numerorum 34.ſcilicet,quòd cùm introirent in terram Chanaan, terminaretur illa finibus, qui ibi diſtribuuntur, quaſi dicat, quòd non licebat eis pugnare contra gentes finitimas ad acquirendum aliquid de terra ipſorum,ſed quòd ſolùm manerent intra terminos,quos Deus præfigebat, alioquin fruſtrà erat aſſignari terminos terræ habitandæ ab Iſraëlitis, ſed quòd ipſi acquirerent quantam poſſent. Etiam, quia filij Dan videntes ſe fouere iniuſtum bellum contra gentes illas, non auderent pugnare,putantes,quòd Deus non adiuuaret eos.Item, ſi auderent pugnare contra gentes extra terram Chanaan, à fortiori auderent pugnare contra Chananæos,eo quòd ſciebant, quòd cõtra Chananæos Deus faueret eis,cùm ipſe iuſſiſſet pugnari contra illos, contra gentes autem extraneas nõ faueret. Secundum non ſtat, ſcilicet, quòd pugnare vellent filij Dan ad accipiendum aliqua loca ſortium aliarũ tribuum quæ tenerentur adhuc ab hoſtibus, quia iſtud nõ licebat eis: nam cùm cuilibet tribui aſſignata eſſet ſors ſua,ad ipſam pertinebat excludere hoſtes de illa,& habitare in ea:ſi autem alia tribus conaretur vſurpare hoc, poterat tribus illa iuſtè pugnare contra iſtam,quia auferebat iſti ius ſuum : ideo non auderent hoc facere filij Dan, quia tunc cæteræ tribus Iſraëlis pugnarent contra eos, ſicut contra perturbantes pacem totius regni mouendo bella iniuſta.Si autem dicatur tertio modo,non videtur ſtare, quia Amorrhæi arctabant filios Dan, vt patet ſuprà 1. & audebant Danitæ pugnare contra eos, vt ait Ioſephus 5.Antiquitatum.

Reſpondendum, quòd miſerunt filij Dan exploratores per ſortem ſuam per terram illam, quæ non erat capta, vt inquirerent,ſi erant aliqua loca, contra quæ ſine magno labore pugnare poſſent,& obtinere illa. Et hoc apparet, quia venerunt iſti viri in Lais : & poſtea pugnauerunt contra eam,& ceperunt.Erat autem Lais de ſorte Dan,vt patet Ioſue 19.vbi in numero ciuitatũ tribus Dan ponitur Lais, vel Leſen, quæ eadem ciuitas eſt. Cùm autem obijcitur : quare non pugnabant filij Dan contra hoſtes, qui erant in ſorte ſua. Dicendum,quòd ſors Dan erat ſatis magna,& Danitę valdè parum de ea acceperant, & neſciebant, quæ loca eſſent in ſorte ſua, vel cuius conditionis, & quia hoſtes, qui erant in circuitu illius partis,quam ipſi tenebant, erant fortiſſimi, & exercitati ad bella, & cauentes vigilanter ne Iſraëlitæ contra eos inſurgerent, ideo deſperabant Danitæ ſe poſſe prævalere contra iſtos, & ob hoc voluerunt ſcire, an in alijs partibus ſortis ſuæ procul inde diſtantibus eſſet aliquis populus non tantùm inſtructus ad bella, vel vigilãs ad cuſtodiam ſuam, vt contra illum pugnarent: & perrexerunt iſti quinque viri luſtrantes ſortem Dan,& in extremitate eius ad Aquilonem inuenerũt viros vrbis Lais;quæ ciuitas ſecura erat non accedens ad bellum,eo quòd nullus impugnabat eos,& contra hos perrexerunt,atque ceperuntvrbem.

Et diligenter inſpicerent. Scilicet,quæ terra eſſet conuenientior habitationi,& facilior ad capiendum.

Condixerunt ꝙ eis, ite & conſiderate terram. Id eſt, omnes de tribu Dan de communi conſenſu dixerunt iſtis iuuenibus,ite ad conſiderandum:nam condicere eſt cõuenire, vel ſimul dicere.*Qui cùm pergentes veniſſent in montem Ephraim.* Id eſt, venerunt iſti iuuenes de ſorte Dan in terram Ephraim : non enim erat illis via recta per montem Ephraim, ſed ipſi intendebant ire ad extremitatem ſortis ſuæ, & quia non poterant per eam ire impedientibus hoſtibus, faciebant circuitum per terram aliarum tribuum Iſraël, vnde venerunt in montem Ephraim.*Et intraſſent in domum Michæ,requieuerunt ibi.* Iſte Michas erat vir diues valdè,& habẽs domos magnas, ideo ſuſcipiebat peregrinos. ſic ſuſceperat Leuitam cùm peregrinaretur,vt dicitur præcedent.cap.Nunc etiam ſuſcepit iſtos viros quinque, & patet quod eſſet diues, quia ipſe habebat ſacerdotem,cui dabat ſalarium per ſingulos annos, vt in ſacerdotio miniſtraret apud eum,& talia propinare, & materia ſacrificij quotidie magnorum ſumptuum erat.*Et agnoſcentes vocem adoleſcentis Leuitæ.* Id eſt viderunt iuuenem illum,& cognouerunt in voce,quòd non eſſet de ſtirpe Ephraim.

Quomodo cognouerunt iſti quinq; viri in voce Leuitam.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quomodo cognouerunt iſti quinq; viri in voce Leuitam?

Reſpondendum, quòd apud Iſraëlitas erat vnicum idioma, & tamen aliter illud pronunciabatur in quibuſdam partibus Iſraël,quàm in alijs:ſicut in regno Caſtellæ ferè idem idioma eſt, & tamen illud variè valdè profertur, ita vt faciat cognoſcere de qua regione Caſtellanorum quiſque ſit, cùm vocem eius audiuerimus. Et ſic iſti viri videntes Leuitam nõ eſſe de tribu Ephraim, quia non loquebatur ſicut Ephraitæ, quæſiuerunt vnde eſſet, vel quid ibi ageret. Vel fortè etiam lingua Leuitarum erat cognita in Iſraël inter cæteros modos proferendi,& cùm audiuiſſent iſti viri vocem eius cognouerunt eum eſſe Leuitam, ideo mirati ſunt quid ibi ageret, & quæſiuerunt.Vel dicendum aliter quòd cognouerunt Leuitam non eſſe de tribu Ephraim per hoc,quòd non erat bleſus ſicut Ephraitæ.Ipſi enim ſoli inter cęteros Iſraëlitas erant bleſi, & quaſdam literas non benè exprimebant, ſicut patet ſuprà 12. tempore Iephte,quando Ephraitæ ad Iordanem nõ poterãt dicere ſchebboleth,ſed ſebboleth,& cogniti per hoc quòd Ephratęi eſſent, illicò iugulabantur.

Vtentesq; illius diuerſorio. Id eſt illi quinque iuuenes vſi ſunt diuerſorio Leuitæ illius manentes in illo, & deponentes ibi ſarcinulas ſuas.Et eſt ſenſus,quòd Leuita in domo Michæ habebat quandam ædiculam, in qua ipſe manebat ſequeſtratus à cæteris de familia Michæ. Et vocatur diuerſorium à diuertendo, quia erat pars illa ſeparata à reliqua domo, quæ erat communis,& quia erat Leuita iſte peregrinus ſicut illi quinque viri,gauiſi ſunt videntes eum, & acceſſerũt vt manerent in ædicula eius. In Hebræo dicitur:*Acceſſerunt illùc, vel propius receſſerũt illùc.* Scilicet,quòd receſſerunt ab vna parte domus, & acceſſerunt ad aliam : hoc ſignificat litera noſtra ponens diuerſorium, ſcilicet ad quod aliqui diuertunt recedentes ab alijs partibus.

Dixerunt ad eum:quis te huc adduxit? Id eſt cùm tu non ſis Ephratæus ſed Leuita, quis te adduxit ad terram iſtam tam impertinentem tibi. *Quid hic agis ?* Id eſt, quod officium hic habes,quaſi dicat, non potes hoc conueniens officium habere hic:nam tu es Leuita : ſed hic apud Micham non poteris habere adminiſtrationes Leuiticas.

Quam ob cauſam huc venire voluiſti? Id eſt,quam vtilitatem putabas te hic habiturum,vt mouereris ad veniendũ huc,quaſi dicat,neſcimus quę vtilitas tibi hic eſſe poſſit?Iſtud dicebant viri quinque, quia neſciebant quòd Michas haberet ſculptile, & Theraphim, & quòd iſte miniſtraret vt ſacerdos ad recipiendum ſalarium.In Hebræo dicitur:*Quid tibi hic?* vbi nos dicimus:*Quam ob cauſam venire voluiſti?* Et eſt ſenſus,quod bonum putaſti eſſe tibi futurum hic, vt eſſet tibi cauſa ad veniendum? *Qui reſpondit eis, hæc & hæc præſtitit mihi Michas.* Iam viri iſti quinque cognouerant iſtum eſſe Leuitam, ideo ipſe non reſpondit eis, quòd eſſet Leuita, ſicut reſponderat Michæ,præced.cap.

A

Nec etiam ipsi quæsiuerunt quis esset, quia dicitur, quòd cognouerunt vocem eius, sed solùm quæsiuerunt de causa manendi, & de officio, & ad hoc respondit dicens: hæc & hæc præstitit mihi Michas, id est præstitit mihi vestem duplicem, & decem argenteos per singulos annos, & omnia ad victum necessaria. In Hebræo dicitur: *Sicut hoc, & sicut hoc fecit mihi Michas.* Et eadem sententia est: nam referebat eis per hæc omnia, quæ dederat ei Michas. *Et me mercede conduxit, vt sim ei sacerdos.* Id est dedit mihi tale, & tale in mercedem, vt essem sacerdos eius.

An peccauit Michas conducendo Leuitam pro officio diuino, & è contra. Et an liceat facere diuinum officium pro mercede.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, an peccauerit Michas conducendo mercede istum Leuitam, vt esset sacerdos, & an peccauerit Leuita?

Respondendum, quòd hic non est aduertendum ad hoc, quòd iste Leuita conduceretur ad ministrandum idolo: nam cùm istud esset simpliciter illicitum, & peccabat Michas inducendo Leuitam ad ministrandum, siue conductus ministraret, siue gratis. Etiam Leuita peccabat ministrando quacunque intentione ministraret. Sed dicatur, quòd non peccaret Leuita, nec Michas in ministratione, vtpotè, si esset ministratio licita, non peccaret ex hoc, quòd mercede conductus egit. Dicendum, quòd si propriè esset cõductio Leuitæ, ita vt ipse ministrationem illam venderet pro pecunia, quasi arbitrans, quòd ministratio tantum, aut tantum valebat, tunc erat Simonia ex parte vtriusque, & graue peccatum. Si autem Leuita non venderet administrationem illam, sed peteret sibi prouideri, & maneret apud Micham ministrando qualiter Michas vellet, & ad hoc sub nomine promissionis ista daret Michas, neuter peccabat, quia licitum est etiam sacerdotibus nostris, qui non sunt obligati ad officium aliàs locare operas suas.

B

Notandum.

Vnde sciendum est, quòd qui sacerdos est, & non incumbit ei cura, vel necessitas celebrandi, potest mercede conductus manere apud aliquem, & quòd oret pro ipso celebrando quotidie, vel totiens in hebdomada, & licitum est taxare pretium pro sustentatione totius anni, & si vnus abundantiorem victum, quàm alius tribuerit, non acceptare conuentionem huius, & acceptare conuentionem alterius: & tamen non licet sacerdoti pro vna Missa taxare pretium, aut plus petere, quàm offeratur pro quatuor, vel quinque. Secùs autem cùm conuenitur pro totius anni, vel dimidij anni mansione apud aliquem, vt celebret pro eo, quia in vno casu taxatur victus, & in alio taxatur pretium Missæ, quod est illicitum. Item quando sacerdos locat operas suas, vt pro aliquo celebret, vel officium dicat, potest licitè non acceptare paruam oblationem, & acceptare conuentionem alterius, qui maiora offert: dum tamen non habetur intentio ad lucrum: vtpotè aliquis sacerdos est, cui non incumbit necessitas celebrandi, vel manendi in aliqua Ecclesia determinata, & non habet aliàs commodè vnde viuat, potest locare operas suas annuas, & si quis dederit ei mille pro anno, vt celebret: licet ei recusare, & suscipere ab alio duo millia: habendo intentionẽ, quòd per mille non conuenienter sustentatur, & per duo millia sustentabitur competenter. Vel dato, quòd per mille sufficienter sustentabitur, tamen sufficientiùs sustentabitur per duo millia: non tamen debet habere intentionem ad lucrum, scilicet quòd suscipiendo mille haberet sufficientem victum, & tamen non superlucraretur residuum. Habendo autem duo millia superlucrabitur residuum, & ditabitur, quia quantum ad hoc consideratur lucrum in spirituali, & Simonia est: cõsiderare tamen solam sustentationem in eo, cui aliàs non incumbit ex officio hoc facere, nunquam est Simonia: si tamen aliquis sacerdos locaturus operas suas per annum inueniret mille ab vno, & inde posset sufficienter sustentari, & peteret ab alio duo millia, non vt residui quid lucraretur, sed solùm, vt abundantius, & delicatius sustentaretur, non erit simonia, licèt esset turpe desiderium, & peccaret in alio peccato, sed non in simonia.

C

Nota de sacerdote locante operas suas.

Simonia quõ cõmittitur locando operas.

Et si arguatur, quòd non solùm in lucro causatur simonia, sed etiam in rebus pertinentibus ad cibos si exigantur.

D

Respondeandum, quòd hoc verum est, quando quis aliter tenetur facere nõ conferendo pastum, nec aliquid ad cibum, sicut ordinator ad ordinandum, & conferens beneficium ad conferendum alicui, & ministrans sacramenta ad ministrandum: nam isti in nullo casu possunt locare operas suas. Sed casus suprà positus est de illo, qui potest locare eas ad celebrandum, siue ad dicendum diuinũ officium, quia sicut licet huic locare operas: ita liceret ei quasdam conditiones locationis. In Hebræo habetur: *Conduxit me, & sum ei sacerdos.* Sed ad idẽ redit vtrumque. *Rogauerunt eum, vt consuleret Dominum.* Scilicet pro eis, quia procedebant in via, & desiderabant cognoscere quid eis futurum esset. *Et scire possent si prospero itinere pergerent.* Scilicet, si isti quinque viri haberent gaudium in via non inueniendo aduersantes, & quod omnia eis ad placitum seruirent. *Et res haberet effectum.* Id est res, quam intendebant haberet effectum, scilicet si inuenirent terram, de qua possent annunciare contribulibus suis, quòd possent eam capere bello ad habitandum. Istæ erant duæ quæstiones distinctæ. Prima pertinebat solùm ad istos quinque viros, scilicet, an haberent prosperum iter inueniendo omnia necessaria, & nõ haberent aliquem aduersantem. Secunda pertinebat ad totam tribum Dan, scilicet, an res intenta haberet effectum, scilicet quòd terram inuenirent quam capere possent, & super vtroque consuluerunt.

E

Quomodo isti viri petierunt ab isto Leuita, vt consuleret pro eis Dominum.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo isti viri petiuerunt ab isto Leuita, vt consuleret pro eis Dominum, quia ad Leuitas non pertinebat consulere Dominum. Aliquis dicet, quòd iste erat sacerdos, & non Leuita simplex, ideo potuit consulere Dominum.

Respondendum, quòd non stat, quia preced. cap. declaratum est, quòd erat Leuita simplex, & sic est communis positio. Sed adhuc dato quòd esset sacerdos, non proficiebat ad hoc, quia ipse non erat sacerdos magnus, qui vnicus erat in toto Israël, sed esset de minoribus: minores tamen non consulebant Dominum, quia fiebat consultatio in vestibus Pontificalibus, quibus solus summus sacerdos induebatur. Respondendum, quòd putauerunt viri isti, quòd Leuita posset pro eis cõsulere Dominum, eo quòd habebat vestes, in quibus posset consultare Dominum, scilicet Ephod: nam in Ephod erat Rationale, in quo erat iudicium filiorum Israël: vnde dicitur de Aaron Exodi vigesimooctauo, quòd portaret semper iudicium filiorum Israël in pectore suo, scilicet, quia portabat semper Ephod, & Rationale, & quando consulendus erat Dominus, applicabatur Ephod sacerdoti, & in præsentia illius respondebat Deus. Sic patet primo Regum vigesimotertio, cùm applicito Ephod per Abiathar bis consuluit Dauid Dominum de viris Ceilæ. Et iterum primo Regum trigesimo applicito Ephod consuluit de Amalechitarum latrunculis, an caperet eos: sed Leuita iste habebat Ephod, vt patet præcedenti capitulo, cùm dicitur, quòd fecit Michas Ephod, & Theraphim: & ista erant ad ministrationem Leuitæ. Isti autem quinque viri sciebant, quòd Leuita haberet Ephod, quia cùm essent in illius diuersorio, vt patet suprà, & loquerentur familiariter valdè cum Leuita, declarauit eis quid haberet, & quid ageret, ideo putauerunt, quòd posset pro eis consulere Dominum in Ephod. Vel fortè erat ibi Theraphim, quod secundùm quosdam erat ad inuestigandum aliquid per illud, ideo per illud saltem petiuerunt, quòd Leuita consuleret magis Dominum pro eis. Primo tamen magis credendum est: ideo isti viri magis reputauerunt Ephod, quàm cætera, quæ habebat Michas: vnde quando iterum isti quinque viri cum alijs sexcentis viris de eadem tribu venerunt ad domum Michæ, dixerunt isti ad cæteros: nostis quòd in domibus istis sit Ephod, & Theraphim, sculptile, atque conflatile. Præposuerunt enim Ephod tanquam illud melius esset cæteris, & istud solùm, quia propter consultationem Domini reputabant illud vtilius. In Hebræo habetur:

F

A betur: *Consule Dominum, sciamus an proficiat via nostra.* Sed litera nostra superaddit exponendo, quia proficere viam contingit dupliciter. Vel quantum ad ipsos, vel quantum ad illos, qui mittebant eos. Primo modo proficiebat eis via, si nullus eis aduersaretur, & inuenirent omnia necessaria. Secundo modo proficiebat si consequerentur effectum quantum ad illud pro quo mittebantur. De primo dixit litera nostra: si prospero itinere pergerent. De secundo dixit, an res haberet effectum. *Qui respondit eis: ite cum pace.* Id est ite securi non formidantes aliquid aduersum. *Dominus respicit viam vestram.* Id est Deus miseretur super vos, & dirigit vos. Accipitur istud ex modo loquendi communi.

Respicere Dei multiplex est

Pro quo sciendum, quòd si accipiatur respicere, id est totaliter aduertere, Deus nihil respicit, quia incorporeus est, & oculos nō habet, licèt Scriptura loquatur de Deo interdum, vt de habente oculos, & manus, & omnia lineamenta: si autem accipiatur respicere intellectualiter, id est considerare, vel cognoscere, nihil est quod non consideret, & respiciat semper Deus, quia cùm intra ipsum omnia, vt in speculo reluceant, omnia simul, & semper necessariò cognoscet: & isto modo dicitur ad Hebr. 4. quòd omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, scilicet considerando, quia nihil effugit intellectum eius, sicut intellectum nostrum. Alio modo accipitur respicere in Deo, scilicet, quòd Deus respiciat homines, siue ad puniendum, siue ad bonum conferendum. Et hoc modo

B omnes Deus semper respicit, quia prouidentia eius super omnia semper vigilat. De hoc dicitur Prouerb. 15. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos, scilicet ad puniendum malos, & benefaciendum bonis. Alio modo accipitur respicere pro conuertere vultum gratum, & placatum cum intentione benefaciendi, sic dicitur Psalm. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, scilicet: Benè respicit eos ad benefaciendum, & aduertit, vt audiat preces eorum, & compleat. Sic etiam Moyses cùm laudaret terram Chanaan, quam Israëlitæ susceperuri erant, ait Deut. 11. Terra, quam ingredieris possidendam non est sicut Ægyptus, sed montuosa est, & campestris de cœlo spectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius. Et intelligitur, quòd Deus semper respicit eam ad benefaciendum ipsi: Leuita autem non accepit hic in aliquo de primis modis, qa de illis manifestum erat quòd Deus respiceret iter istorum virorum, sed accepit vltimo modo, scil. quòd Deus respiciebat iter suum ad prosperandum illud. *Et iter quo pergitis.* Ista duo possunt esse idem replicando sententiam, vel possunt accipi pro duobus, scilicet via pro intentione, ad quam ibant, & iter quo pergebant pro successu rerum in itinere, & vtrumq; erat prosperum, scilicet respicit viam vestram, id est complebit intentionem vestram dando vobis locum, in quo possitis habitare, & respicit iter quo pergitis, scilicet, quia dabit vo-

C bis in itinerando sufficientiam rerum, & non habebitis aliquem hostem.

Quomodo Leuita ille potuit prædicere viris illis hæc, quæ postea visa sunt.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo Leuita ille potuit prædicere viris illis ista, quæ postea vera apparuerunt?

Respondendum, quòd fortè iste Leuita non habuit aliquam responsionem à Deo, sed finxit, quòd habuerat responsionem de prosperitate itineris eorum, quia si verum esset quod diceret, benè factum esset. Si autem non, poterat se excusare, quia propter peccata eorum Deus peruerterat bonum quod intendebat eis conferre, sicut generaliter accidit in alijs Dei promissionibus, quæ intelliguntur cum conditione. Vel si fortè iste Leuita respondit sic, vt placeret illis viris in præsenti, quia dato, quòd mentiretur, nō putabat, quòd postea erubesceret, quia non credebat, quòd vltra fortè visurus esset viros illos. Vel fortè dixit eis istam responsionem, q̄ poterat sumi ambiguè, scilicet Deus respicit viam vestram, quia poterat esse respicere in malum, vel in bonum ad benefaciendum, vel delendum. Sic respondebat Apollo Delphicus ambigua responsa, in quibus vtranque partem conditionis possemus interpretari, & quodcunque illorum eueniret, iudicaremus eum vera dixisse, sicut illud: Aio te Pyrrhum Romanos vincere posse, quia poterat referri ad vtrumque. De quo Augustinus 3. de ciuitate Dei: sic iterum respondit, Crœsus Alim transgressus perdet maxima regna, & poterat accipi perdet, id est destruet, vel perdet, id est amittet. Aliter potest dici, quòd iste Leuita non consuluit à Deo vero respōsum, sed à dæmonibus in Theraphim, & sculptile, & per illos habuit istud responsum. Vel potest dici, quòd Leuit habens Ephod summi sacerdotis, applicuit sibi secundùm formam, qua consulebant summi sacerdotes, & ob reuerentiā Ephod Deus sibi respondit.

Sed tunc obijcietur, si consuluit iste Leuita dęmones, quo modo habuit vera responsa: nam sic res fuit postea, vt iste Leuita prænunciauit.

Respondendum, quòd hoc poterat esse dupliciter. Vno modo peraccidēs, scil. quòd sicut poterāt idola falsum dicere, ita poterant verū dicere, & accidit, quòd verū dicerent. Alio modo potest dici, quòd vera occulta dicunt ex præsumptione, scilicet perspicacitate ingenij, & antiquitate multa cognoscunt, quæ nobis occultata sunt, & cùm de illis quęrimus, sciunt multa respondere. De hoc ponit multa exempla beatus Antonius Eremita loquens ad discipulos suos de fallacijs dæmonum: & habentur in vita eius, quam diligenter scripsit beatus Hieronymus.

Adhuc alius modus addi potest ex permissione Dei, scil. quòd Deus permittat multas veritates per dæmones reuelari: sic factum est per Apollinem Delphicum, de quo miranda responsa habentur in historijs: & circa omnia ferè verum respondebat. Cessauerunt autē responsa eius paulo ante Christi Passionem, vt ait Paulus Orosius 5. de Ormesta Mundi. Sic fortè permitteret hic, quòd responderent istis dæmonia verum, & istud erat in pœnam ipsorum, quia per hoc allicerentur magis ad istas superstitiones, & sic peccarent, & consequenter magis punirentur: ideo peccata hominum interdum merentur responsa bona, & vera: & ista redundent in malum eorum: & sic habetur Ezech. 14. scil. Iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit, id est secundùm quod interrogans meretur sibi responderi, ita Deus re-

An per Ephod respōderet Deus etiā nō sacerdotibus.

spondebit per Prophetam, vel diuinatorem. Si autem dicatur quòd Deus verus respondit hic per Ephod, arguretur quòd non debebat fieri responsio: eo quòd iste non erat summus sacerdos, ad quem pertineret respondere, & consulere per Ephod. Item cùm iste esset sacerdos idolorum, & vteretur illo Ephod ad cultum idoli, quomodo Deus responderet?

Dicendum, quòd Deus sæpè respondet benè non ad bonum, sed ad malum nostrum, sicut suprà dicebatur, ita fortè hic propter iniquitatem quærentium, qui ab idololatra inquirebant, & iniquitatem Leuitæ, qui idolis seruiebat, Deus responderet verum, & placens, & sic ipsi magis illa quærerent. Vel fortè fecit Deus ex clementia, quia Deus miseretur bonis, & malis, pluens super bonos & malos, faciensq; oriri solē suum super iustos & peccatores, Matth. 5. c.

Ad primam rationem contra hanc partem, dicendum, q̄ quamquam indui Ephod solùm pertineret ad summum Sacerdotem, tamen fortè si aliquis alius indueretur, Deus responderet per illum consulentem, sicut per summum Sacerdotem, licèt induendo has vestes peccaret.

Ad 1. rōnem.

Ad secundum dicendum, quòd licèt esset Leuita malus, quia tamen indutus fuit tunc vestibus Dei institutis ab eo ad consulendum, respondit. *Euntes ita q̄, quinque viri venerunt Lais.* Ista ciuitas est, quæ vocatur Lesen, & postea vocata est Lesendan, Iosue 19. cap. Dicendum, quòd aliqui putant istam ciuitatem esse, quæ vocatur Lachis. Sed istud non stat, quia Lachis est in sorte Iudæ, Iosue 15. ista autē Lais est in sorte Dan, vt patet hic, & colligitur Iosue 19. Item Lachis fuit capta per Iosue, & occisus est rex eius, de quo Iosue 10. cap. Lais autem, de qua hic, post mortem Iosue capta est à filijs Dan. Item patet ex modo scribendi: nam in Hebræo scribitur Laquis pro ciuitate, quam nos vocamus Lachis, & pro ista, de qua hic scribitur Lais, & interdum Laisa, vt patet in hoc capitulo apud Hebræos. Sciendum etiam, quòd ista ciuitas est ad caput Iordanis, vbi nascitur, & est ad extremitatem Septentrionalem terrę Chanaan, & vocata est postea Paneas. Sic vocat eam Solinus in Polyhistor. Postea autem tempore Saluatoris vo-

De ciuitate Lais.

A cata est Cæsarea Philippi, à Cæsare & à Philippo, qui erat vnus de Herodis progenie, & apud hanc prædicauit Christus discipulis suis. De hoc Matth. 16. de hac vrbe dictum est Iosue 19. cap. *Viderunt q; populum habitantem in ea absq; vllo timore.* Ingressi sunt isti viri quinque in vrbem Lais fingentes se non esse Israëlitas, sed de alijs gentibus, & non aduerterunt ad eos ciues vrbis, ideo potuerunt isti videre ciuitatem, & conditionem ciuium. Fortè autem isti ostenderunt se operatores alicuius artificij, & ibi victum de eo quærere, & sic poterant manere in vrbe aliquot diebus, & cognoscerent quidquid vellent in vrbe, & modum capiendi eam. Dicitur autem, quòd viri huius vrbis non timebant, quia erant procul ab Israëlitis, & nunquam illuc aliqui peruenerant ad pugnandum, nec credebãt peruenturos, quia magna terra erat in medio. Cum alijs autem gentibus non pugnabant, quia nulla communicatio erat eis cum aliqua gente, ideo pauca bella eis esse poterant. *Iuxta Sidoniorum consuetudinem.* Id est, viri Lais erant sine timore, sicut consuetum erat Sidonijs, qui nullos timebant hostes, & opulentissimi erant. Dicit Rabbi Dauid Kimhi, quòd Sidonij, & viri Lais non ierant in terram Chanaan, ideo Israëlitæ non poterant pugnare contra eos, & consequenter non timebant.

An verum sit, quòd Sidonij, & viri Lais non essent de terra Chanaan, quæ Israëlitis ceciderat in sortem.

B

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, an verum sit, quòd Sidonij, & viri Lais non essent de terra Chanaan, quæ ceciderat Israëlitis in sortes. Et an propter hoc non timerent.

Respondendum, quòd tam Lais, quàm ciuitas Sidonis erat de terra Chanaan: de ciuitate Lais patet, quia Iosue 19. ponitur cum ciuitatibus, quæ ceciderunt in sortem filijs Dan. Item patet, quia aliàs non ausi fuissent Danitæ pugnare ad capiendum vrbem illam, ex rationibus suprà assignatis in quadam quæstione hoc capitulo. Item patet, quia dicitur, quòd erat Lais in terra Roob, infrà in litera: & tamen terra Roob erat in terra Chanaan, vt patet Num. 13. & 34. vbi Emath, quę est in fine terræ Roob, ponitur terminus terræ Chanaan. De Sidone patet, quòd esset in terra Chanaan, quia Sidon, & Tyrus sunt in Occidentali parte terræ Chanaan apud mare, & tamen ex parte Occidentis non habebant Israëlitæ aliquẽ terminum, nisi mare Mediterraneum, Num. 34. ergo & Tyrus, & Sidon cadebant intra terram Chanaan: & sic quando ponuntur Iosue 19. in sorte Aser tanquam termini, debet intelligi, quòd sint termini intrinseci, quia sic sæpè ponitur in limitatione aliarum tribuum, vt declaratum est Iosue 15. cap. & sic Tyrus & Sidon erunt intra sortem Aser in extremitate eius apud mare Mediterraneum. Item patet hoc, quia Matth. 15. dicitur, quòd Christus egressus est ad prædicandũ in partes Tyri, & Sidonis, & mulier Chananæa de finibus illis egressa, clamauit ad eum: ergo Chananæi erant in Tyro, & Sidone. Cùm autem quæritur, an ob hoc erant securi, cùm dictum sit, quòd isti erant Chananæi: dicendum, quod non, sed erant securi, quia erant separati à Iudæis, & non timebant eos. Etiam, quia nulla alia gens per circuitum infestabat eos: sic dicit litera Chaldaica, quòd non erat aliquis, qui pugnaret contra eos: sic etiam in litera apparet, cùm dicitur: securum, & quietum nullo eis penitùs resistente, & à cunctis hominibus separatum.

C *Situs Sidonis & Tyri*

Rabbi Salomõ impugnatur.

Sciendum, quòd Rabbi Salomon dicit de ista ciuitate, quòd vocatur Lesen, non quòd esset nomen ciuitatis Lesen, sed quia inuenerunt in ciuitate ista quendam lapidem nomine Lesen, in quo repererunt scriptum, quòd ista ciuitas futura esset habitatio filiorum Dan. Est autem Lesen nomen lapidis: nam inter lapides duodecim, qui portabantur in Rationali, ponitur Lesen, & est primus in tertio ordine, vbi nos habemus ligurium: Hebræi autem nescientes nomina illorum lapidum in vulgari, nec cognoscentes eos, vocant illum lapidem linguam bouis, cùm sit ligurius. Ista autem fictitia sunt. Sed dicendum, quòd ista ciuitas erat Binomia, sicut aliæ ciuitates Multinomiæ, vt Hebron, & Ierusalem. *Securum, & quietum.* Securi dicuntur, quia nullos hostium insultus formidabãt, vt cõtra eos se munirent. Quieti dicũtur, quia non parabant pugnam contra aliquem gentem, ita vt armarent exercitum, vel essent soliciti circa opera bellica. D

Nullo eis penitùs resistente. Id est nullo pugnante contra eos. Melius enim diceretur pugnante, vel insurgente, quàm resistente, quia non esse resistentem significat, quòd tanta erat potentia virorum Lais, quòd nullus poterat se obijcere eis in bello, sed cedebant: non tamen significat priuationem omnium bellorum: hic tamen vult litera significare, nec Laisenos pugnare contra aliquam gentem, nec aliquam gentem contra Laisenos, cùm dicatur de eis, quòd erant quieti, & securi.

Magnarum opum. Id est populus Lais erat valdè opulentus, & istud erat quod alliceret Israëlitas ad pugnandum contra Laisenos, vt obtinerent diuitias eorum. Vnde Aristot. 3. Politicorum dicit, quòd ciuitates, quæ propria politia viuunt, nõ debent esse eminenter diuites, nec etiam valdè pauperes. Nam si fuerint valdè pauperes, nõ poterunt resistere aliquibus hostibus, quia propter inopiam nõ habebunt necessaria ad bellum, & peribunt. Si autem fuerint valdè diuites, omnes aliæ ciuitates coniurabunt contra eas ad rapiendam tantam diuitiarum copiam. Cùm autem ciuitas fuit mediocris in opibus, vtrumque istorum malorum euadet: nam non poterit quælibet ciuitas faciliter eam impugnare, cùm propter mediocres diuitias possit habere apparatus bellicos. Rursus nulla ciuitas, vel gens mouebitur nimis contra eam ex desiderio, quia non est eminens lucrum capiendo vrbem. Laisen E autem magnitudine opum inopes Danitas mouit ad bellum. In Hebræo dicitur: *Populum quietum, & cõfidentem, & non habentem verecundiam in aliqua re earum, quæ sunt in terra.* Et idẽ significat quod litera nostra: nam confidens idem est quod securus, qui nulla mala sibi futura suspicatur, aut timet non erubescens super aliqua re earum, quæ in terra sunt, quia opulentus est in omnibus, ideo à nullo petit, quia abundat: & ob hoc non verecundatur petendo, litera autem nostra secũdùm cõsuetudinem latinam expressius posuit. *Et procul à Sidone.* Scilicet distabat à Sidonijs, quanquam haberet consuetudinem Sidoniorum habitando securè, & in magna opulentia, & dicitur hoc ad significandum, quòd facilius ciuitas capi posset: nam si esset iuxta Sidonem, cùm esset ciuitas potẽtissima, mitteret citò adiutorium Laisenis, & nõ caperentur ab Hebræis, quia tamen longè habitabant prius Israëlitæ caperent vrbem, quàm scirent hoc Sidonij. *Atq; à cunctis hominibus separatum.* Scilicet ciuitas illa distabat ab omni alia habitatione hominum, quia illa terra tunc erat adhuc malè habitata, quia paucitas gentium sufficiebat ad se diffundendum per totam terræ magnitudinem: postea autem manentibus Iudæis in terra, cœpit terra illa aliqualiter populari. De hoc dicit Iosephus 5. Antiquitatum, scil. loca autem circa Sidonem, & Archæos, & Amathæos, & Arithæos tunc inculta erant, & tamẽ ciuitas Lais erat de terra Amorrhæorum, scilicet circa vrbem Emath, & à qua vocantur Amathæi. Quod patet, quia erant in regione Roob, vt patet infrà in litera, & tamen terra Roob habebat ciuitatem Emath, vt colligitur Num. 13. & 34. ca. & sic confinia Lais erant depopulata. Istud autem proderat Laisenis ad vnum, scilicet, quòd rara bella haberent, eo quòd cum paucis communicabant: bella tamen oriuntur propter iniustas communicationes, vt communiter, scil. quia isti volunt vsurpare, quæ sunt illorum, vel è contrario. Vbi autem nulla communicatio est, vix potest accidere bellum: & ob hoc erant isti quieti, & securi. Erat tamẽ nociuum ad alterũ, quia si accideret interdum bellum insurgere cõtra Laisenos, non habebant aliquos adiutores. Et isto modo dicitur hic, q; erãt procul ab hominibus omnibus, scilicet, quia dato, quòd Israëlitæ pugnarent contra eos, non poterant habere adiutores: vnde magis incitarentur sic Danitę ad pugnandum contra eos, quàm aliàs. In Hebræo aliter habetur, nam vbi nos dicimus: Nullo penitùs resistente. Dicitur in Hebræo: *Nullo hæreditante regnum.* Et significatur, quòd paruus erat hæres regni, vt posuit litera Chaldaica, & ob hoc, quòd possent faciliter capere terram, tanquã nullus esset defensor propter paruitatem hęredis regni, & vbi nos dicimus à cunctis hominibus separatum, in Hebræo dicitur: *Et nihil eis cum homine est.* Id est, nullam communicationem habent cum aliquibus hominibus. Et idem significat litera nostra, scilicet, quòd propter defectum communicationis nullus posset adiu-

Litera in Hebræo.

Ioseph. lib. 5. ca. F

uare

A uare eos. *Reuerſiq́, ad fratres ſuos in Saraa, & Eſthaol.* Scilicet viderunt conuenientem locum iſtum eſſe ad habitandum, & facilem ad capiendum: ideo noluerunt morari nimis, ſed illicò regreſſi ſunt ad nunciandum fratribus ſuis, vt irent ad capiendum locum illum. Et dicitur, quod venerunt in Saraa, & Eſthaol, quia in iſtis ciuitatibus, & apud illas habitabat tota tribus Dan, eo quod paucam terram habebāt nunc, & tamen habebant nunc adhuc alias ciuitates, ſcilicet Hailon, & Salabin: nam quando plus fuerunt coarctati filij Dan ab Amorrhæis in montibus, vt non deſcenderent ad plana tenuerunt Hailon, & Salabin, vt patet ſuprà 1. Sed aliquis dicet, quod Saraa, & Eſthaol vocantur alijs nominibus Salabin & Hailon, & ſic tempore quo coarctati ſunt tenebant iſtas duas ciuitates, & non plures. Sed dicendum, quod non ſtat, quia Saraa, & Eſthaol differunt à Salabin, & Hailon: nam iſtæ quatuor ciuitates ſunt in tribu Dan, vt patet Exodi decimo nono cap.

Et quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt. Id eſt, reſponderunt omnia, quæ acciderant eis in itinere in domo Michæ, & in reliquo itinere, & poſteà quid viderunt in vrbe Lais.

Surgite, & aſcendamus ad eos. Id eſt, ad pugnandum contra Laiſenos. Poſtquàm enarrauerunt conditionem, & laudes terræ, admonuerunt contribules ſuos ire ad capiēdum eam, dicentes: Surgite eamus, quaſi dicat: non eſt nobis morādum cùm tale bonum inuenerimus. *Vidimus enim terram valdè opulentam, & vberem.* Vocatur opulenta, quia ciues vrbis illius erant valdè diuites in poſſeſſionibus, & pecunijs. Vocatur vber, id eſt, fertilis, quia erat terra multorum fructuum, ſcilicet, quod pauca ſeminando multi fructus proueniebant, & ſic in omnibus alijs rebus, quæ fructus producunt. Vel ipſamet terra vocatur opulenta, quia latiſſima erat, & habebat multa genera poſſeſſionum, de quibus homines aliquid acquirere poſſent: vocatur vber, id eſt fertilis, vt dictum eſt.

B *Nolite negligere.* Scilicet ire ad eam, quaſi dicat: magna negligentia eſſet cùm tantum bonum reperiremus, & faciliter poſſimus obtinere illud, non ire ad obtinendum. *Nolite ceſſare.* Scilicet ab incœpto, quaſi dicat: eundo ad inquirendum terram, & videndo conditionem eius iam magnam partem laboris impendimus, ideo ſi nunc non iremus ceſſaremus ab incœpto opere. In Hebræo dicitur. *Et vos tacentes*, vbi nos dicimus: Nolite negligere. Dicitur tacens eſſe ille, qui nihil agit: ita eſt, qui negligit, quia cùm bonū videat, ceſſat à procurando illud, quaſi non videat. Et dicitur. *Nolite pigritari, vel non pigritemini*, vbi nos dicimus: Nolite ceſſare: & idem eſt, quia piger opera incœpta relinquit.

Eamus & poſſideamus eam. Id eſt, non eamus ad pugnādum, ſed ad poſſidendum, quaſi dicat: tam paruus labor erit, quod non erit ire ad pugnandum, ſed ad poſſidendum, ſicut poſſidere nullius laboris eſt, pugnare autem eſt magni laboris.

C *Nullus erit labor.* Scilicet obtinendo terram non laborabimus, quia gens ſecura eſt non ſuſpicans bellum, & à nullo hominum adiutoriū expectans, & poterit faciliter capi. Iſtud dicebāt quinq; viri ad incitādum alios, vt irent, quia cæteris videbatur durum ire ad pugnandum, & pigritabantur in hoc, & dicendo, quòd nullus eſſet labor capiendo terram incitabant eos aliqualiter. In Hebræo dicitur. *Non pigritemini ad veniendum ad hæreditandum terram.* Eadem ſententia eſt in litera noſtra, & planior ſecundùm conſuetudinem Latinam.

Intrabimus ad ſecuros. Id eſt, erit nobis paruus labor in pugna, quia intrabimus ad pugnandum contra homines ſecuros, & inopinatos, atq; ignaros belli diurnitate pacis, & ſic faciliùs præualebimus contra eos. *In regionem latiſſimam.* Iſtud eſt incitatiuū ad eundum, ſcil. quod erat regio latiſſima, & per hoc Danitæ capientes vnam vrbē non ſolùm viderentur capiſſe vnam vrbem, ſed multas, quia erat regio latiſſima ad habitandum, & ad colendum. Hoc autem erat opus filijs Dan, qui non habebant nunc locum habitandi. In Hebræo dicit. *Et quando veneritis venietis ad populum confidentem, & terram amplam manibus, vel locis.* Eadem ſententia eſt, quia venire ad populum confidentem, eſt venire ad ſecurum, ideo dicit litera noſtra: intrabimus ad ſecuros. Terra ampla manib⁹ idem eſt quod terra latiſſima. Nam manus vocatur locus. Sic accipitur Pſalmo 103. ſcilicet: *Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus: illic rept ilia, quorum non eſt numerus.* Vocatur ſpacioſum manibus, id eſt, locis. *Tradet nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria.* Id eſt, ſi iuerimus Dominus tradet nobis vrbem illam, in qua non eſt defectus alicuius rei, & ob hoc cū magna diligentia attendendum erat, quòd irent illuc. Dixerunt autem iſti viri: tradet nobis Dominus locum, ſcilicet, quia Leuita conſuluerat Dominum pro hoc, & reſponderat eis: Dominus reſpicit viam veſtram, id eſt, proſperabit eam, & quia totum iter fuerat proſperum crediderunt iſti viri, quòd etiam conſequeretur effectum res, quam intendebant. *Eorum quæ gignuntur in terra.* Iſta eſt modificatio dicti, ſcilicet, quod nullius rei inopia erat eorum, quæ gignuntur in terra, vt per hoc non innuatur, quod eſt ibi copia marinarum rerum, & mercationum: nam licèt mare non multum inde diſtaret, & potuiſſent Laiſeni exercere negotiationes: tamen nihil horum faciebant, cùm dicatur ſuprà in litera quod non habebant communicationes cum aliquo homine, habebant tamen copiam, ſine penuria eorum, quæ gignuntur in terra, quia regio erat feraciſſima.

D

Profecti igitur ſunt de cognatione Dan de Saraa, & Eſthaol ſexcenti viri accincti armis bellicis, aſcendentesq́, manſerunt in Cariathiarim Iudæ, qui locus ex eo tempore caſtrorum Dan nomen accepit, & eſt poſt tergum Cariathiarim. Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cumq́, veniſſent ad domum Michæ, dixerunt quinque viri, qui prius miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus iſtis ſit Ephod, Theraphim, & ſculptile, atque conflatile. Videte quid vobis placeat: & cùm paululùm declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ, ſalutauerunt q́, eum verbis pacificis: ſexcenti autem viri ita vt erant armati, ſtabant ante oſtium. At illi qui ingreſſi fuerant domum iuuenis, ſculptile, & Ephod, & Theraphim atque conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus. Tulerunt igitur qui intrauerant ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos: Quid facitis? Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum, veniq́, nobiſcum, vt habeamus te patrem ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis ſacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu, & familia in Iſrael? Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.

E

Profecti ſunt. Hic ponitur ſecundum huius cap. ſcilicet ſpoliantium occupatio, ſcilicet quomodo viri de tribu Dan, qui ſpoliauerunt idololatriam domus Michæ verſabantur circa ipſam ſpoliationem: & dicitur. *Profecti igitur ſunt de cognatione Dan.* Scilicet videntes filij Dan quòd egerent terra ad habitandum, & viri quinque, qui iuerant in Lais rectè ſuaderent, conſenſerunt ire illuc ad pugnandum, & capiendum. *De Saraa, & Eſthaol.* Alia loca habebat tunc tribus Dan licèt pauca, & tamen de his ſolis iuerunt viri qui ceperunt Lais.

F

Sexcenti viri accincti armis bellicis. Non iuerunt plures viri, quia crediderunt, quod ad capiendam vrbem ſufficiebant iſti, cùm Laiſeni eſſent ſecuri, & deſides, & bellorum inexperti diuturnitate pacis.

Aſcendentesq́, manſerunt in Cariathiarim Iudæ. Id eſt, aſcenderunt de Saraa, & Eſthaol, vt irent in Lais, & māſerunt in Cariathiarim, non quidem quòd ibi ſemper manerent, quia illicò inde recedentes venerunt in monte Ephraim. Sed dicitur quod manſerunt ibi, quia fecerunt ibi vnam manſionem pernoctantes ibi, & poſteà receſſerunt. Eſt autem Cariathiarim quedā ciuitas in ſorte Iudę, & interpretatur ciuitas ſiluarum. Eſt autem iſta vna de ciuitatibus quatuor Gabaonitarū qui deceperunt Iſraelitas, vt patet Ioſue 9. & poſteà cecidit in ſorte Iudæ, Ioſue 15. & non eſt intelligendum, quòd intrauerint vrbem ad manendum, ſed manſerunt extra circa vrbem, quia fortè viri vrbis timētes armatam multitudinem

Cariathiarim qd ſit.

A non permiſerunt eos introire in vrbem,& patet hoc ex litera ſequenti. *Qui locus ex eo tempore caſtrorum Dan nomen accepit.* Id eſt, poſtquàm venerunt illi ſexcenti viri armati apud Cariathiarim vocatus eſt locus ille, in quo mãſerunt foris apud vrbem caſtra Dan,id eſt locus caſtrorum. *Et eſt poſt tergum Cariathiarim.* Scilicet locus,qui vocatur caſtrorum Dan eſt poſt Cariathiarim, quia non introierunt in vrbẽ ex cauſa dicta, ſed mãſerunt in campo,&campus, in quo caſtrametati ſunt, vocatur caſtrorum Dan. *Inde tranſierunt in montem Ephraim.* Scilicet ad terram montis Ephraim, quæ tota vocatur mons Ephraim : nam vbicunque fit mentio de ſorte Ephraim vocatur mons Ephraim, vt patet Ioſue 17.& 20.& 21.& in alijs locis.

Quare in tranſitu filiorum Dan ad vrbem Lais fit mentio de his duabus manſionibus Cariathiarim,& monte Ephraim.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quare in trãſitu filiorum Dan ad vrbem Lais fit mentio de his duabus manſionibus,ſcilcet apud Cariathiarim,& in monte Ephraim.

Aliquis dicet, quod fit mentio de his duabus mãſionibus, quia inter Saraa, & Eſthaol non fecerunt plures manſiones quàm iſtas duas. Sed iſtud non ſtat, quia tunc à monte Ephraim vſque Lais ſolùm eſſet vna dieta, ſed iſtud eſt falſum, quia ciuitas Lais erat in extremitate ſeptentrionali terræ Iſrael procul à communicatione omniũ hominum:mons autem Ephraim magis ad Meridiem quàm ad Septentrionẽ terræ illius,cùm inter extremitatem Meridianam terrę Chanaan, & ſortem Ephraim ſolùm intercideret latitudo ſortis Iudæ & Beniamin. Cæteræ autem ſortes erant magis aquilonares quàm ſors Ephraim, vt declaratum eſt Ioſue 16.& 18. Aliquis autem dicet, quod poſita ſunt iſta duo loca manſionum, quia fortè in his duobus locis fecerunt filij Dan aliqua notabilia,quæ non ſunt ſcripta. Sed etiam iſtud non eſt rationabiliter dictum, quia non proderat dicere locum famoſum,cùm neſciatur quomodo, vel propter quid ſit famoſus: potiſſimè,quia in litera apparet contrarium.

Dicendum igitur quod ponuntur iſta duo loca manſionum,quamquàm alia multa fuerint: eo quod iſta duo fuerũt famoſa,& famoſitas apparet ex litera:nã cùm veniſſent apud vrbem Cariathiarim, & fixiſſent ibi caſtra, & vocatus eſt ille locus ſemper caſtra Dan : & quia iſtud nomen erat commune inter Iſraelitas,vt ſciretur cauſa nominis,dictum eſt quod caſtrametati fuerunt ibi filij Dan, & vt ſciatur quod propter hoc ponitur quod filij Dan manſerunt ibi, ſubditur, quod ille locus poſteà vocatus eſt ſemper caſtrorum Dan. De monte Ephraim dicendum, quod ponitur iſta manſio propter C domum Michæ, de qua rapuerunt viri iſti idolum, propter quod introducitur principaliter iſta hiſtoria: & qa aliæ manſiones non habuerunt aliquid notabile, iſtas duas deſcripſit ſolùm ſcriptura ſacra.

De ſit domus Michæ.

Cumq; veniſſent ad domum Michæ. Id eſt apud illam:erat enim domus Michæ in monte Ephraim:& non erat in aliqua vrbe murata,ſed in vico quodam,vbi paucę domus erant,ideo nõ potuit congregare Michas adiutores contra viros, qui prædati fuerant omnia bona eius. *Dixerunt quinq; viri.* Iſti quinque viri veniebant nunc cum ſexcentis, vt dirigerent eos in via,& inſtruerent circa captionem vrbis edocentes quando, & per quam partem deberent inuadere vrbem. *Qui prius miſſi fuerunt ad conſiderandam terram Lais.* Iſti venerunt per domum Michæ: & viderant ibi idolum, & Ephod, & reliquos apparatus idololatriæ: & moti ſunt ad rapiendum, ideo dixerunt alijs viris,quòd raperent illa. *Cæteris fratribus ſuis.* Scilicet ſexcentis viris, quia iſti quinq; erant de numero ſexcentorum. *Noſtis quòd in domibus iſtis ſit Ephod.* Id eſt ſciatis,quod in domo Michæ quam demonſtrabant ad oculum ſit Ephod. Poteſt accipi Ephod pro ornamento ſummi ſacerdotis, dum tamen ſubinetlligantur alia ornamenta ad hoc quòd ſit veſtis completa. Vel quòd eſſet aliqua veſtis, quæ vocaretur Ephod, & ſic expoſuit litera noſtra, præcedenti cap. ſcilicet quod Michas fecit Theraphim, & Ephod,id eſt,idola,& veſtem ſacerdotalem : ſatis tamen credendum eſt,quòd eſſet

Ephod qd ſit

ibi Ephod tale, quale erat ſummi ſacerdotis ad conſulẽdum Dominum. *Et Theraphim.* Quid ſit Theraphim declaratũ eſt præcedenti cap. & eſt quædam ſtatua. *Sculptile atq; conflatile.* Id eſt vnum idolum argenteum, quod erat conflatile, id eſt, factum opere conflatorio in igne, & poſteà opere fuſorio,& erat ſculptile, quia ſculpebatur:nam limabatur ad hoc quòd eſſet pulchrum,& ſplendens. D

Videte quid vobis placeat. Id eſt quid vobis placet agere ſuper hoc,ſcilicet vel accipere,vel dimittere. In Hebræo habetur. *Scitote quid faciatis.* Id eſt, deliberate quid debeatis facere. *Et cùm paululum declinaſſent.* Scilicet à via,quia ibant recto itinere non cum intentione manendi in domo Michæ ſed tranſeundi:& cũ deliberaſſent apud ſe capere idola, & omnes apparatus culturæ, declinauerunt modicum à via ad domum Leuitæ, in qua erant idola. *Litera Hebræa.* *Ingreſſi ſunt domum adoleſcentis.* Erat domus Michæ apud viam : & domus Leuitæ erat apud domum Michæ, quia dederat Michas Leuitæ domum apud ſe,quæ vocatur ſupra diuerſorium Leuitæ: & in iſtud ingreſſi ſunt nunc quinque viri, qui priùs ſteterant ibidem cum Leuita,manſeruntque ſexcenti viri foris expectantes quid agerent quinque qui intrauerant.

Qui erat in domo Michæ. Id eſt, Leuita erat in domo Michæ, id eſt,manebat cum eo in familia illius, quia comedebat, & manebat apud eum. *Salutauerunt q; eum verbis pacificis.* Id eſt, quinque viri ſalutauerunt Leuitam verbis pacificis, id eſt, dicentes,pax tibi ſit. Vel,*Verbis pacificis.* Id eſt,quamuis veniſſent ad prædandum,non venerunt tanquàm tumultuoſi,aut vim facientes, ſed vultu quieto, & verbis pacificis loquebantur.In Hebræo dicitur. *Interrogauerunt eum pro pace.* Quod idem eſt. Vel poteſt intelligi,quod interrogauerunt pro pace, id eſt, an eſſet in pace,ſcilicet ſi erat ſanus,& erant cuncta proſpera,quod erat eſſe in pace. E

Sexcenti autem viri, ita vt erãt armati, ſtabant ante oſtium. Id eſt,omnes ſexcenti viri armati, qui ibant in Lais erant cũ armis ſuis apud oſtium : vt ſi fortè Leuita nollet venire,& dare Ephod,& idola,ipſi intrarent,& raperent. Vel ſi aliquis veniret volens eruere iſtam de manu quinq; virorum, qui ingreſſi fuerant domum Leuitę:iſti defenderent illos,ſicut poſteà factum eſt veniente Micha ad petẽdum hæc. In Hebræo dicitur. *Sexcenti viri,ita vt erant armati,ſtabant ante portã portæ, vel ante portã ciuitatis,quæ erat filiorum Dan.* Iſtud ſuperabundat in Hebræo quantum ad ſenſum, ſicut multotiens ponuntur aliqua ſuperflua in voce ex conditione idiomatis, & alia diminuta : Nam ſi dicamus, ſtabant ante portam ciuitatis,falſa eſt litera,quia ibi non erat ciuitas,ſed paucę domus,qa quinque viri dixerũt ad reliquos: noſtis,quòd in domibus iſtis ſit Ephod. Si autem dicatur ante portam portæ eſt ſuperfluum, ideo litera noſtra ſolùm dixit,ſtabant ante portam. *At illi qui ingreſſi fuerant domum iuuenis.* Scilicet viri quinque, qui prius ſteterunt in domo Leuitæ, & ſciebant vbi eſſet Ephod, & alij apparatus idoli. *Sculptile,& Ephod,& Theraphim,atque conflatile tollere nitebantur.* Scilicet nolente Leuita volebant tollere:nam Leuita à principio diſſentiebat, quia videbatur ei malum, quòd illi furarentur totum bonum Domini ſui Michæ. Etiam quia redundabat hoc in damnum ſuum : nam ipſe habebat victum, & omnia neceſſaria miniſtrando idolo,ſi autem nunc tolleretur idolum,& apparatus ſui non haberet Leuita vnde cibos acquireret. *Et ſacerdos ſtabat ante oſtium.* Scilicet impediendo ne quinque viri egrederentur, & ducerent iſta ornamenta omnia. In Hebræo eſt litera iſta abundantior, ſcilicet. *Et aſcenderunt quinque viri, qui iuerant ad explorandum terram venerunt illuc, & tulerunt idolum, & Ephod.* Et quantum ad hæc declaratur magis in Hebræo, quàm in litera noſtra, ſcilicet quòd iſti viri,qui introierunt ſiue aſcenderunt in domum Leuitæ erant,qui iuerãt in Lais, & deinde dicitur in Hebræo. *Sacerdos ſtabat ante portam portæ,vel portam ciuitatis.* Sed etiam hic litera noſtra ſubticuit, quia iſta videbatur ſuperfluitas literæ ex conditione idiomatis. *Sexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus.* Sexcenti viri armati,qui erant fortiſſimi, expectabant quinque viros, qui ingreſſi fuerunt domum Leuitæ : & hoc haud procul, id eſt non procul,quia Haud eſt aduerbium negandi,ſed quod erant iſti ſexcenti viri circa domum Leuitæ ne quinque viri, qui ingreſſi fuerãt aliquod malum pati poſſent ab aliquibus, qui adiuuarent Leuitam. F

A

Tulerunt igitur, qui intrauerant sculptile. Scilicet quinque viri, qui intrauerũt ad Leuitam nihil dicendo Leuitæ arripuerunt sculptile, & per hoc intelligitur Teraphim, & Ephod, & reliquos apparatus. *Quibus dixit sacerdos, quid facitis.* Miratus est Leuita ille, qui vocatur sacerdos Michæ, qa putauit quòd isti viri nihil mali facerent cùm iterum ad eum intrauissent, quando ibant in Lais, & steterunt cum eo pacificè, & consuluit tunc pro eis: nunc etiam ingredientes salutauerunt eum verbis pacificis, & illicò arripuerunt Ephod, & sculptile. *Qui responderunt: tace.* Quasi dicat, non oportet te clamare, quia si clamaueris, occideris. *Pone digitum super os tuum.* Istud dixerunt ad significandum quòd deberet tacere, quia signum tacendi est superponere digitum ori. Sic patet Ecclesiast. 5. cap. scilicet: Si est tibi intellectus responde proximo tuo, sin autem sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. In Hebræo dicitur. *Pone manum.* Litera nostra dixit digitum, quia fortè consuetudo erat ponendi digitum, & non manum: & tamen Ecclesiast. 5. dicitur, sit manus tua super os tuum, sed hoc non differt. *Veniq; nobiscum, vt habeamus te in patrem, & sacerdotem.* Prius suaserunt ei tacere incutiendo timore: nunc autem suadebant inducendo ad amorem, scilicet veni nobiscum, id est, noueris, quod vadimus in vrbẽ Lais, veni nobiscum, & ibi meliùs eris quàm hic: & habebimus te in sacerdotem, & in patrem. Dicitur autem, & in patrem, quia sacerdotes erant magnæ auctoritatis apud antiquos, & honorabantur plus quàm alij homines, sicut patres à filijs: ita enim dixerat Michas isti Leuitæ quando venit ad eum, scilicet mane apud me, & esto mihi parens atque sacerdos.

Tacēdi signũ.

B

Quomodo moti sunt viri Dan ad accipiendum Ephod & idola de domo Michæ,

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quomodo, vel propter quid moti sunt viri Dan ad accipiendum Ephod, & idola de domo Michæ.

Respondendum, quod quinque viri, qui priùs venerant in domum Michæ, dixerunt cæteris sexcentis viris quando steterunt apud domum Michæ, quod erat in domibus illis Ephod, & Theraphim, & quòd deliberarent an vellent accipere, & deliberauerunt quod sic: Motiuum autem fuit, quia quinque viri quando steterunt in domo Michæ petiuerunt à Leuita quòd consuleret pro eis Dominum, & consuluit atque respõsum est prosperam esse viam illorum, & illi quinque viri ita postea esse inuenerunt: ideo desiderauerunt valdè habere illa, per quæ Deus consulebatur: & quia putauerunt quod tam Ephod, quàm sculptile & Theraphim faciebant aliquid ad consultationem hanc, voluerunt omnia hæc rapere. Et fuit motiuum, quia ipsi indigebant valdè hoc ad consulendum Dominum super bellis, quæ eis ingruebant & super statu patriæ, & super multis alijs, cùm nunc noui incolæ in terram illam venirent.

C

Ad quid volebant ducere secum Leuitam.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlteriùs, ad quid volebant ducere secum Leuitam: nam ipsi poterant habere multos alios sacerdotes, vel Leuitas qui consulerent Dominum habito Ephod quod ipsi portabant.

Respondendum, quod filij Dan experti fuerant, quod iste sacerdos responderat eis verum quando ibant in Lais, & dubitabant an fortè inuenire possent alium, per quem Deus responderet vellet, sicut respondebat per illum: quia putabatur à popularibus hoc pertinere ad quandam sanctitatem ipsius, per quem respondebatur, & non faciliter reperiebantur viri, per quos Deus dignaretur respondere. Vel fortè, quia sacerdos ille nouerat artem inquirendi in Ephod, & Theraphim illo, atque sculptile: & putabant Danitæ quod hoc nesciebant alij, ideo voluerunt hunc habere secum. Etiam quia fortè aliquid deerat ornamentis illis, quòd non possent habere Danitæ nisi daret eis Leuita, & quia si nollet ire cum eis non daret eis illud, petiuerunt vt irent cum illis. Vel fortè quia si non iret illuc Leuita, Danitæ nescirent modum portandi Ephod, & idola, & timebant quod propter ignorantiam eorum periclitarentur aliqui, eo quòd tangebant sacra, vel periret virtus sacrorum: vt ergo sacerdos portaret illa, putauerunt necessarium esse ducere sacerdotem.

D

Quid tibi melius est, vt sis sacerdos in domo vnius viri, aut in vna tribu, & familia in Israel? Quasi dicat non hortamur te facere nisi quod tibi bonum est, quia meliùs atq; honorabiliùs valdè tibi est, quòd sis sacerdos totius vnius tribus, scil. tribus Dan, quàm quòd sis sacerdos vnius viri, scilicet Michæ, quia maiorem honorem, & ampliora lucra consequeris. *Quod cum audisset acquieuit sermonibus eorum.* Vidit enim quod rationabiliter loquebantur ad vtilitatem eius, ideo assensit ire cum eis. *Et tulit Ephod.* Scilicet ipsemet Leuita tulit, quia dum ista essent sacra non decebat tangi illa, nisi sacris manibus. Erat Ephod vestis, vel ornamentum pontificis. *Et idola.* Scilicet Theraphim, quæ litera nostra exponit esse idola, & patet, quia præcedenti cap. dicitur, fecit Ephod, & Theraphim: & exponit litera nostra dicens, id est, vestem sacerdotalem, & & idola. *Atq; sculptile.* Scilicet idolum argenteum, quod vocatur sculptile, atque conflatile. Et ex hoc patet, quòd sculptile, & conflatile sit vnum idolum, quia alioquin exprimeretur, quòd tulisset sculptile, & conflatile. *Et cum eis profectus est.* Scilicet recessit de domo Michæ, vt iret cum eis in Lais ad manendum ibi.

E

Quomodo viri Dan voluerunt accipere idola, quod est idololatræ.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quomodo viri Dan voluerunt accipere idola ista, quia per hoc efficiebantur idololatræ ferendo illa secum ad colendũ, & consulẽdum Dominũ per illa.

Responderi potest multipliciter: vno modo, quòd aliqui de viris istis simplices existentes non crederent se peccare, quia non ferebant idola damnata, sed aliquid quod pertinebat ad cultum Dei, & hoc colligebant, quia hic erat Ephod, quod erat ornamentum quod Deus iusserat fieri pro Aaron, & erat sacrum. Secundò quia Deus responderat veritatem per illud Ephod Leuitæ, ideo res sacra esset, quia idola nescirent respondere.

Aliter potest dici, quod dato quòd Israelitæ scirent istam esse idololatriam, non multum curarent: quia consequebantur inde vtilitatem, scil. quod responsum habebant ad dubia per illud Ephod, & Theraphim: pro quacunque autem vtilitate, quam scirent Israelitæ se consecuturos Ieuiter deserebant Deum, simile patet Ierem. 44. cùm dixerunt vxores Israelitarum, quòd non audirent verbum Domini ex ore Ieremiæ ad hoc quòd colerent eum, & non colerent reginam cœli, quia quando colebant Deum patiebantur famem, & gladium, & quando colebãt reginam cœli, saturati erant panibus, & benè eis erat.

Aliter etiã dici potest, quod dato quòd Israelitæ non consequerentur aliquam vtilitatem colendo idola, inclinabãtur ad colendum ea, & colebãt: imò dato, quòd mala paterentur permanebant in cultu idolorum vsquequò peruenirent ad extremum malorum, quia tunc clamabant ad Dominum, vt erueret eos de angustijs, vt patet suprà 3. & 4. & 6. & 10. c. ideo non erat mirandum, si nunc inclinarentur Danitæ ad colendum idola, quæ viderant in domo Michæ.

F

An peccauerunt Danitæ tollentes idola Michæ eo inuito.

QVÆSTIO XV.

VLTERIVS quæretur, an peccauerunt Danitæ tollentes idola Michæ eo inuito.

Aliquis dicet quod non peccabant, quia tollebant Danitæ ipsi Michę occasionem peccandi in cultu idolorum, ideo non peccabant, sed potiùs merebantur.

Respondendum, quod peccauerunt Danitæ dupliciter. Primò. quia abstulerunt alienum. Secundò, quia abusi sunt illo. De primo patet, quia ista idola erant Michæ, & non licebat

A

cebat istis auferre alienum pro se, licèt alius peccaret in eo. Secundò peccabāt,& grauiùs, quia tollebant ista idola,vt ipsi adorarent ea, & facerent in illis id quod fiebat in domo Michæ,scilicet consulere Dominum,& sacrificare: nam posteà posuerunt in Lais,& mansit ibi cultura istorum magno tempore. Cùm autem arguitur,quod merebātur,quia impediebant Micham peccare.

Dicendum,quod non agebant hac intentione,vt nō peccaret Michas,sed potius, vt ipsi facerent peiora, quàm faciebat Michas,si tamen abstulissent Michæ idola,& sacerdotem non intentione abutendi eis, sed tollēdi Michæ occasionem peccandi,& delerent idola non peccarent. Et dicendum est, quod non est omninò de idolis istis sicut de pecunia, quam mater Michæ consecrauerat idolo, quia licèt illa pecunia ad ad malum disponeretur , tamen adhuc poterat de ipsa fieri bonum quandiù non erat factum idolum de ea. Etiam illa pecunia,quandiù manebat pecunia, non erat materia offendendi Deum: tamen determinata idolo non poterant conuerti,nisi ad malum,& erat id in quo Deus maximè offendebatur:ideo licebat cuilibet accipere idolum quod alius fabricasset,& cōfringere illud atque exurere, & in hoc colebatur valdè Deus. Vnde si isti viri sexcenti moti zelo Dei abstulissent Ephod,& sculptile, & quicqd erat in domo Michæ pertinens ad idololatriam, & combussissent, valdè acceptauisset Deus hoc:ipsi autem acceperunt idola ista ad maiora mala,quàm vteretur eis Michas.

B

An licuisset his viris sexcentis Micham occidere, quia erat idololatra.

Qvæstio XVI.

Qværetvr vlteriùs, an licuisset istis viris sexcētis occidere Micham, quia erat idololatra,si zelo Dei accenderentur.

Respondendum, quòd pœna idololatrarū erat quòd lapidarentur à toto populo, Deute.13.c.& 19.& erat per modū sententiæ condemnatio facienda:nam Deut.13.dicitur,quod Ille,qui sciret aliquos idololatras,non debebat eos occultare, sed manus sua deberet esse prius super illos,deinde totus populus debebat lapidare eos. Semper istud intelligitur per modum testis,quia lex iubebat, quòd testes de aliquo crimine lapidarent prius,& deinde reliqui de populo,vt patet Deute. 19. filij tamen Dan non erant iudices ad condemnandum aliquem de idololatria, ideo videtur quod non poterant condemnare Micham. In contrarium videtur quod poterant facere propria auctoritate, quia sic Phinees occidit Zambri principem tribus Simeonis coeuntem cum Madianitide, & facientem sacrificia idolis, & Deus placatus est populo, promisitq; ex hoc sacerdotium sempiternum Phinees,& semini eius,Numer.25. Sic etiam Mathathias pater Machabæorum auctoritate propria occidit illum,qui offerebat idolo sacrificium,vt patet primo Machab.secundo cap. Et etiam iste laudatus est.

In contrariū 1.ratio.

C

Pœna semper debet infligi per iudicem.

Respondendum est, quod in omnibus criminibus pœna per iudicem imponenda erat secundùm omnem legem, & etiam secundùm legem Mosaicā: quia aliàs sequeretur deordinatio: crimen autem idololatriæ erat de criminibus exceptis, in quo minùs requirebatur iudiciarius ordo quàm in cæteris,& tamen requirebatur,nam Deute.17.dicitur, quòd quando denunciaretur de aliquo crimen idololatriæ, vel de aliqua ciuitate,debebat inquiri diligenter an factum fuisset.

Inquirere est actꝰ iudicis.

Inquirere tamen est actus iudicis, & non personæ priuatæ. Item dicitur,quòd si inueneris abominationem factam, educes virū ac mulierem ad portā ciuitatis, & lapidibus obruent: & tamē educere ad portā ciuitatis,vt lapidaretur à populo est ordo iudiciarius. Item dicitur:In ore duorū,vel triū testium lapidabitur,id est,duobus vel tribus ferentibus contra se testimoniū:& tamen testes non producuntur,nisi cùm exercetur forus iudicialis,ergo ad occidendum aliquem idololatram,necessarius erat iudex. Item dicitur ibidem:nemo interficietur vno contra se dicente testimonium: ergo non solùm requirebatur ordo iudiciarius, sed etiam in certa forma. Item dicitur, quod manus testium lapidabit eum priùs deinde reliquus populus: & tamen est ordo iudiciarius,quia persona priuata testes non recipit, nec facit quòd testes lapident idololatram, deinde reliquus populus: ergo tenebatur forma iudicij in hoc. Constat autem quod isti sexcēti viri de tribu Dan non erant iudices Israelis, ideo non licebat eis indistinctè occidere Micham pro idololatra. Sciendum,quod isti poterant propria auctoritate rapere idola, & cremare illa sicut iubebat Dominus fieri apud hostes,Deuter.7.& in hoc præstabant Deo obsequium: & tamen non licebat eis occidere Micham, sed debebant denunciare iudicibus septuaginta,qui erant domus consilij, & si illi non occiderent, poterant isti viri occidere Micham impunè vel quilibet alius de Israel,qui istud denunciaret.Et ratio huius est, quia propter magnitudinem crim nis huius cùm crimen deduceretur ad iudices, & probata notorietate illi nollent procedere,aut nō auderent,efficiebantur iudices illi, qui denunciabant, ne tale crimen maneret impunitum.Et istud colligitur Deute. 13. cùm dicitur, quòd si vxor, aut filius, vel filia diceret alicui,qꝫ iret ad colendū deos alienos,quòd non deberet oculus istius parcere,aut misereri ad occultandum crimen, sed statim interficeret eū, & sic videtur quòd si iudices nollent condemnare idololatrā,iste deberet eum interficere,quia Deus dabat isti potestatem in hoc casu propter immanitatem huius sceleris,per quod lex Dei maximè destruebatur.

D

Resp. ad 1.rationem in contrariū.

Et in hoc casu intelligitur factum Phinees: nam ipse non erat iudex,nec tenuit ordinem iudiciarium,quia tamen peccatum erat notorium & in oculis iudicis, scilicet Moysi fiebat,& iudex erat quasi attonitus, nec audebat punire,insurrexit Phinees in defectum, & occidit vtrosque fornicantes, qui etiam idololatriam exercebant prius.

E

Ad 2.

Sic etiam intelligitur quod inducitur de Mathathia patre Machabęorum,quia ille qui immolauit venit publicè ad immolandum idolo:& cùm nullus auderet eum punire,ipse zelo commotus surrexit,& trucidauit eum. Etiam potest dici, quod in Mathathia non fuit aliquid valdè speciale, quia ipse erat iudex cùm esset summus sacerdos erat princeps iudicū de domo consilij, & ei attribuitur omnis potestas,Deute.17. ita quòd qui mandato eius non obediret morerctur morte.

Dicendum tamen, quod in alijs criminibus non erat sic, quia dato quòd Michas adulteratus fuisset, vel occidisset, & denunciatum fuisset hoc iudici atque plenè probatum,& iudex nollet punire, non licebat alicui auctoritate propria punire,secùs autem hic propter immanitatē criminis: nam reliqua crimina licèt conturbent pacem publicam, nō sunt ita directè contra totam legem Dei , & in offensam eius sicut idololatria. In Hebræo dicitur.*Si melius est tibi.* Vbi nos dicimus:quid tibi est melius,vt sis sacerdos, &c. & idem est. Et dicitur.*Et venit in medio populi.* Vbi nos dicimus,cum eis profectus est. Et est eadem sententia in omnibus, quia dicere: quid meliùs est,vel si meliùs est:solùm differt per modum interrogandi,& dicere,placuit cordi sacerdotis, & assensis sermonibus eorum, idem est, quia nunc aliquis assentit sermonibus alterius,quando placet cordi eius,quod dicitur. *Et profectus est cum eis.* Id est,cum sexcentis viris, vel ambulauit in medio populi:idem est, quia illi sexcenti vocantur populus, quia multi erant.

Litera in Hebræo.

F

Qui cùm pergerent, & ante se ire fecissent paruulos ac iumenta, & omne quod erat pretiosum, iamq; à domo Michæ essent procul, viri habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt, & post tergum clamare cœperunt. Qui cùm respexissent,dixerunt ad Micham. Quid tibi vis? Cur clamas? Qui respondit:Deos meos,quos mihi feci,tulistis,& sacerdotem,& omnia, quæ habeo, & dicitis, quid tibi est? Dixeruntq; filij Dan. Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipse cum omni domo tua pereas. Et sic capto itinere perrexerunt. Videns autem Micha,quòd fortiores se essent,reuersus est in domum suam. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem,& quæ suprà diximus: veneruntq; in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij, vrbemq; incendio tradiderunt, nullo penitùs ferente præsidium, eo quòd procul habitarēt à Si-

A

done, & cùm nullo hominum haberent quicquam societatis ac negotij. Erat autem ciuitas sita in regione Roob. Quam rursum extruentes habitauerunt in ea: vocato nomine ciuitatis Dan, *iuxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur Posuerunt q; sibi sculptile, & Ionatham filiũ Gersan filij Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan vsque ad diem captiuitatis suæ. Mansit q; apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.*

Supra 17. & 19. inf.

Qui cùm pergerent. Hic ponitur tertium huius cap. scilicet spoliati conquestio: nã Michas valdè clamauit, & doluit pro spoliatione idolorum suorum, & dicitur. *Qui cùm pergerent.* Scilicet sexcenti viri cum Leuita portantes idola Michæ. *Et ante se ire fecissent paruulos.* Scilicet antequã ipsi recederent de domo Michæ fecerunt quòd tota substãtia eorum præcederet eos: istud autem fecerunt, quia putauerunt, quòd fortè aliquis vellet pugnare contra eos pro idolis defendendo illa, & meliùs expugnarent expediti existentes quàm habentes inter se paruulos, & greges. *Paruulos ac iumenta.* Quia portabant isti sexcenti viri secum paruulos, & iumenta: nam cùm annunciatum est eis de vrbe Lais, quod erat optima tellus, & ad capiendum facillima, quasi iam securi quòd possent eam obtinere, duxerunt secum omnia sua ad habitandum in ea, & ista omnia præcedebant nunc eos ambulantes. Vel posset etiam dici, quod consuetudo erat antiquorum, quando pugnaturi erant, ducere secum totam domum suam, scilicet vxorem, & filios, & quicquid meliùs possidebant, vt incitati amore istorum pugnarent acriter, & non putarent propter quemuis sinistrum casum fugiendum esse, quia nihil boni supererat ad quid fugere possent relictis in bello, & captiuitate chara vxore, & dulcibus filijs: & tota domestica substantia. Sic fecit Darius, quando pugnauit contra Alexandrum: nam matrem, vxorem, & filias in bellũ duxit, & omnes Gazas suas, vt ait Gualterus Alexandr. libro 2. & fortè isti sic faciebant. Sed primum verisimilius est: nam sic dixerunt viri quinque qui iuerant ad explorandum terram: Surgite eamus, & possideamus terram, quasi dicat, non pugnemus, sed possideamus.

B

Consuetudo antiquorũ, cùm ad bellum pergerent.

Et omne quod pretiosum erat. Scilicet omnes alias res alicuius pretij, quas secum ferebant ante se posuerunt, vt præcederẽt in via. In Hebræo habetur. *Et respexerunt, & ambulauerunt, & posuerunt familiam, & iumenta, vel pecora & honorem coram ipsis.* Nam vbi nos dicimus: qui cùm pergerent, Hebræus dicit: respexerunt, & ambulauerunt, scilicet respexerũt, ne aliquid de rebus suis retrò maneret, & tunc ambulauerunt. Et dicitur, quod posuerunt familiam, & pecora, vbi nos dicimus, paruulos, & iumenta: quia paruuli sunt ipsa familia, licèt videatur, quòd litera Hebraica magis compleat hic sensum, quàm litera nostra, quia nomine familiæ continetur vxor. Et tamen manifestum est, quod isti viri ferebant secum vxores, cùm omnia sua secum portarent ad habitandum in Lais, vnde meliùs diceretur familia quàm paruuli: & dicitur in Hebræo, & honorem, vbi nos dicimus omne quod pretiosum erat: & in hoc litera nostra valdè explanauit, quia non potest intelligi, quòd ferrent honorem coram se: sed idioma istud per impropriętatem, vocat honorem rem pretiosam, vel alicuius valoris. *Iamq; à domo Michæ erant procul.* Scilicet recesserant aliquantulum à domo Michæ viri Dan ferentes idola Michæ, & ipse nesciebat, eo quod non audierat clamare sacerdotem pro raptu illorum, & illa non erant in domo Michæ, sed in diuersorio Leuitæ.

C

Viri qui habitabant in domo Michæ conclamantes secuti sunt. Id est, viderunt istud aliqui viri de domo Michæ, & nunciauerunt ei, qui cũ ipsis egressus est ad viros Dan, vt darent ei idola sua. In Hebræo dicitur. *Et viri, qui erant in domibus, quæ erant cum domo Michæ.* Id est viri, qui erant habitãtes in quibusdam domibus, quæ erant apud domum Michæ, & de istis dixit litera nostra, qui erant in domo Michæ, id est, de familia eius, quia erat Michas vir valdè diues, & habebat multos vernaculos, & mercenarios, atque famulantes, & isti morabantur in domibus coniunctis domui eius, & omnes erant domus Michæ: sic dicitur de Leuita suprà in litera, quòd haberet quoddam diuersorium, scilicet quãdam domum separatam à domo Michæ, & tamen ipse erat de familia Michæ. *Et post tergum clamare cœperunt.* Scilicet, sexcẽti viri Dan præcedebãt, & Michas cum viris suis cœperunt clamare post tergum illorum, quòd expectarent, vel fortè quòd non benè fecerant tollentes deos Michæ. *Qui cùm respexissent, dixerunt ad Micham: quid tibi vis?* Scilicet, cùm iam vocib⁹ Danitas inquietaret Michas, & prope illos esset, conuerterũt illi faciem ad Micham, dicentes: quid tibi vis? id est cur sic insane clamas? Ista fuit responsio sua, quia Danitæ videbant se superiores viribus Micha, ideo contempserunt eum quamquàm iustè clamantem. *Cur clamas?* Quasi dicat, stultus es clamando fortiter pro nulla re. *Qui respondit: deos meos quos mihi feci, tulistis.* Ecce quàm impudicè Michas, & insipienter locutus est: nam si dij erant, non erant facti: vel si facti erant, non erant dij: cur ergo stolidè sic loqueris, nesciens quid expostcas? rectè enim frustrà clamanti tibi obijcere potest turba Danitarum nullos Deos suscepisse: si ergo aliquid petis, simulacra pete, & incommunicabile Dei nomen simulachro non communices. Præsertim cùm in verbis tuis contradictionem apertissimam innuas, dicens, deos à te factos ablatos fuisse. Dixit autem Michas: Deos meos, quia erant plures, scilicet vnum sculptile, atque conflatile, quod de argento fabricauerat, & Theraphim siue idola alia de ligno, aut alia materia fabricata. Vel potest accipi pro vno Deo, & tamen per modum loquendi Hebraicum vocatur vnus Deus, dij. Sic patet Exod. 32. cap. scilicet. Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de Ægypto: & tamen istud dicebant de vno vitulo conflatili vnico, *Et sacerdotem.* Dolebat etiam Michas pro sacerdote, quia cùm ipse esset diues, poterat facere alia idola, & Ephod: tamen dubitabat an alium talem Leuitam inueniret, per quem responsa certa à Deo haberet. Putabat autem Michas quòd sacerdos violenter trahebatur, & tamen spontè ibat, vt patet suprà, desiderio maioris honoris, & lucri. *Et omnia, quæ habeo.* Scilicet ablatis istis non habeo alia bona: multa alia bona maioris valoris habebat Michas: reputabat tamen omnia bona sua esse in idolis illis, & sacerdote: quia credebat per illa augmentandam fore nimis substantiam suam: sic patet præcedenti cap. cùm dixit Michas: nunc scio quod benè mihi faciet Deus habenti sacerdotem Leuitici generis. Vel dicebat ista ad expressionem doloris, quia querulosi solent magnificare iniuriam ad satisfaciendum dolori. *Et dicitis, quid tibi est.* Quasi dicat, satis irrationabiliter istud dicitis, cùm omnia bona tuleritis, & sciatis quòd habeam causam iustissimam clamandi, & conquerendi. *Dixerunt q; filij Dan.* Scilicet sexcenti viri armati. *Cave, ne vltrà loquaris ad nos.* Scilicet clamãndo super hac re, vel inferendo contumeliosa verba. *Et veniant viri ad te animo concitati.* Id est, si locutus fueris super hac re, venient contra te viri concitati animo, id est, irati nimis, & non miserebuntur tibi. *Et ipse cum omni domo tua pereas.* Scilicet si irruunt in te viri concitati, non solùm occident te, sed etiam omnes qui tecum sunt: & deinde omnes, qui sunt in domo tua, & omnia tollent: In Hebræo dicitur. *Et colligas animam tuam, & animam domus tuæ.* Id est, occideris tu, vel facies quòd occidaris tu, & tota familia tua. Colligere enim animam est mori. Sic autem est consuetũ dici quod aliquis collectus est ad patres suos, id est mortuus est. Sic accipitur Nume. 20. vbi litera nostra dicit: Pergat Aaron, dicitur in Hebræo, colligitur Aaron, & Numer. 27. cùm dicitur de Moyse: Ibis ad populum tuum, sicut iuit Aaron frater tuus, dicitur in Hebræo: colligeris ad populum tuum, sicut collectus est Aaron. Sic etiam in multis alijs locis: vocatur autem hic anima domus Michæ, id est anima familiæ, qa familia occidenda erat, & non domus: sed est modus Hebraicus Barbarus. *Et sic cœpto itinere perrexerunt.* Scilicet, postquàm responderunt istud, perrexerunt itinere suo, quia Michas timens non clamauit ampliùs, nec ipsi plura responderunt. *Videns autem Michas, quòd fortiores se essent.* Scilicet quia erant sexcenti viri armati, & ipse paucos famulos secum habebat non ausus est pugnare cõtra eos. *Reuersus est in domũ suam.* Scilicet, timens quòd si plus clamaret occideretur: ex hoc patet quod Michas non habitabat in aliqua vrbe, sed in aliquo viculo in agro, quia aliàs potuisset cibo de contribulibus suis congregare multos contra viros Dan, quia illi cùm haberent

D

E

F

Colligere animã] id est

A greges,& iumenta, & paruulos ante se ferret, non poterant multum procedere,& sic cito consequerentur eos Ephraitę, tamen nullos habuit adiutores, nisi paucos viros, qui erāt in domo sua, ideo videtur, quod non erat ibi ciuitas. *Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem.* Scilicet isti sexcenti viri armati. In Hebræo dicitur: *Ipsi tulerunt sacerdotem.* Et accipitur pro sexcentis:litera autem nostra ad magis explanandum posuit, quòd erant isti sexcenti, ne putaretur ad alios referri: *Et quæ suprà diximus.* Scilicet tulerunt sculptile,& conflatile,Theraphim, atque Ephod, &cætera, quæ pertinebant ad cultum idoli, & fuerunt in domo Michæ. *Veneruntq; in Lais ad populum quiescentem atq; securum.* Scilicet, non putabant Laiseni aliquod bellum posse contra se insurgere, quia erant procul ab omnibus hominibus constituti: vnde quamquàm venissent quinque viri alienigenæ de Danitis prius ad vrbem, nō suspicati fuerunt illos exploratores esse, sed securi manebāt. Et dicuntur isti securi, id est, non timentes aliquem contra se insurrecturum. Et vocantur quiescentes, quia ipsi contra nullum moliebantur bellum, ita vt haberent curam exercendorum armorum.

Et percusserunt eos in ore gladij. Scilicet,non se potuerunt defendere Laiseni,quia erant pauci:& quod maius erat,inercitati ad bellum erant,vnde faciliter potuerunt Danitæ percutere eos.*Vrbemq; incendio tradiderunt.* Scilicet cremauerūt omnia ædificia eius.

Nullo penitùs ferente præsidium. Id est,quando cremabāt vrbem non adiuuit quisquam Laisenos contra Danitas: nam faciliter adiutorio habito potuissent Laiseni repellere Danitas,cùm essent pauci Danitæ, scilicet solùm sexcenti viri, vt patet in litera:& tamen nullus adiuuit eos.*Eo quòd procul habitarent à Sidone.* Dicitur hic de Sidone specialiter, quia fortè ista ciuitas erat de terra Sidoniorum. Vel erat subiecta Sidoni,& ob hoc defensio eius pertinebat ad Sidonios: quia tamen longè erat à Sidone,non potuerunt cognoscere aduentum Israelitarum Sidonij, vt venirent in occursum eis antequàm vrbem caperent.

Et cum nullo hominum haberent quicquam societatis ac negotij. Id est,dato, quòd aliæ gentes de finitimis cognouissent bellum insurgere contra Laisenos, non iuissent ad auxiliandum eis, quia non habebant causam faciendi hoc, scilicet,quia Laiseni non habebant societatem cum alia gente de compugnando. Habent enim ciuitates interdum compositionem inter se de compugnando, id est,de adiuuando ad bella, quæ insurgunt contra illas: & per hoc est amicitia quædam largè dicta inter vrbes: de quo Aristot.8.& 9. Ethicorum. Etiam non habebant negotium, id est, negotiationem cum aliqua gente: quia si Laiseni communicarent negotiationibus cum aliquibus ciuitatibus finitimis: quia ex negotiationibus ditantur vrbes, & prouidetur in alterutrum necessitatibus eorum:est per hoc eis magna vtilitas. Et dato quòd nulla alia fœdera essent, omnes ciuitates finitimorum veniissent ad auxiliandum eis,ne perderent vtilitatem, quam consequebantur communicando Laisenis: sed nec societatem de compugnando,nec vllam negotiationem communem exercebant Laiseni cum alijs finitimis vrbibus, ideo etiam si aliæ ciuitates cognouissent obsidionem Laisenorum, non tuliissent eis adiutorium. Causa autem quare non communicabant Laiseni cum aliqua ciuitate finitimorum, erat copia omnium rerum in vrbe illa,ita quòd non opus esset ab extrancis quicquam petere, & sicut dixerunt suprà quinque viri, scilicet, tradet nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria eorum,quæ gignuntur in terra.

B

C

Quomodo Deus adiuuit Danitas contra Laisenos ad capiendum hanc vrbem, cùm essent idololatræ, & qualiter Deus se vindicat de inimicis suis cum inimicis suis.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRERTVR, quomodo Deus adiuuit Danitas cōtra Laisenos ad capiendum istam vrbem, & occidēdum illos,cùm Danitæ essent peccatores valdè, habentes secū idolum Michæ,& educentes illud adorandum.

Respondendum est, quod filij Dan erant peccatores,& Laiseni etiam, voluitque Deus punire peccata Laisenorum per Danitas,quamquàm isti essent peccatores: sic enim sæpè fecit de Sennacherib & Nabuchodonosor,qui valdè superbi erant,& peccatores: & tamen Deus adiuuit contra Israelitas ad occidendum,& prædandum. De Sennacherib patet Isaiæ 10.scilicet. Ad populum fallacem eum mittam, & de gente furoris mei mandabo illi, vt diripiat prædam, & auferat spolia:& auferat inculcationem,& cætera:isse tamen Sennacherib erat superbus nimis contra Deum, vt patet eo.c. ergo interdum adiuuat Deus peccatores contra peccatores ad perdendum illos:sic etiam fuit de Nabuchodonosor, qui superbiebat contra Deum, vt patet Abacuc 1. & tamen Deus dabat ei fortitudinem magnam ad vastandum Hebræos, & alias gentes,vt patet ibidem:Domine in iudicium posuisti eū, & fortem,vt corriperes fundasti eum. Patet etiam hoc Isa,5. & 7.vbi ponitur quomodo Deus cor dabat Nabuchodonosor ad bellum contra Israel, & dabat ei fortitudinem, & viris suis,& equis suis. Sed tamen dicetur: cùm vterque sint peccatores,& pœna digni:cur potiùs Deus adiuuabat vnum contra alterum quàm è contrario.

D

De se vindicat de inimicis suis cū inimicis suis seu de peccatoribus sic vt nullū malum remaneat impunitū

Respondendum ad hoc, quod Deus dat pœnam pro malis,& non dat citò pœnam, vt quisque peccauit, sed limitat cuique tempus ad pœnitendum, ita vt non moriatur, iuxta illud Isa.30.ideo expectat nos Deus,vt misereatur nostri. Cū autem nondum completum est tempus, quod ad pœnitentiam concessum est, nō permittit Deus venire exterminium super peccatorem:& quamquàm continuè,peccet nō dicuntur completa peccata illius, id est non est impletum tempus, in quo dabatur locus ad pœnitendum, vel concedebatur locus ad impunè pro tunc peccandum. Sic patet Genes.15.vbi Deus promisit Abrahæ totam terrā Amorrhæorum, & aliarum septem gentium dare in hæreditatem: & ad hoc quòd realiter traderet,oporteret quòd excluderentur inde Amorrhæi:sed non erant excludendi illi, nisi pro peccatis, vt patet Leuit. 18. & quia nondum erat completum tempus datum Amorrhæis ad pœnitendum,& ad impunè peccandum,non tradidit Deus immediatè terram Abrahæ, vt possideret. Et subiunxit causam huius eodem cap.scilicet. Necdum enim sunt completæ iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Quasi dicat: non do tibi possessionem terræ occidendo eos,quia non sunt completæ iniquitates Amorrhæorum, licèt peccatores non sint. Considerandum vlteriùs, quod quando aliquis est peccator, & nondum completum est tempus eius, permittit Deus eum viuere, & non patitur eum occidi ab aliquo: & hoc tempore vtitur illo tanquàm instrumento suo ad puniendum peccatores, quorum peccata consummata sunt, & cùm consummata fuerunt peccata istorum,alij rursus accipient potestatem puniēdi eos: sic fuit de Amorrhæis,quorum non erant peccata completa tempore Abrahæ,& completa erant tempore Iosue:ideo tunc Deus tradebat eos vulnerandos in conspectu Iosue, quasi oues: licèt essent valdè multi sicut arena maris, Iosue 11. cap. deinde Israelitæ peccauerunt magno tempore, & quotidiè Deus monebat eos,& cùm non acquiescerent,tradidit illos in manus Assyriorum, quia tunc peccata illorum completa sunt, vt patet quarto Regum 17. Iterum Sennaccherib rex Assyriorum tribum Iuda, & Beniamin affligebat, & ipse erat peccator & in ira Dei; quia tamen non erat completum tempus visitationis suæ, dabat ei potestatem contra Israel. Sed paululùm post consummata sunt peccata Assyriorum, & data est potestas Babylonijs contra illos, licèt erant peccatores,& deleuerunt eos, & ciuitatem nobilissimam eorum Niniuen, vt patet Naum 2.& 3. Post hoc Babylonij peccatores acceperunt à Deo potestatem, vt captiuarent tribum Iuda, & Beniamin, quorum peccata erant consummata, vt patet Isa.5.& 7.& Abacuc primo. Et tamen post modicum completis iniquitatibus Babyloniorum Deus dedit Persis, & Medis potestatem contra eos,& deleuerunt ipsos, vt patet Abacuc 2. & 3. & Dan.5. & susceperunt principatum Persæ, & Medi, qui etiam peccatores erant: & completo tempore eorum Græcis data est potestas contra eos tempore Alexandri magni,& deleuerunt eos, de quo Danielis 8. scilicet de hirco, qui erat rex Græcorum,vt ibi patet. Postea cùm Græci valdè peccatores essent, data potestate Romanis à Deo deleti sunt,vt colligitur ex statua,quam vidit Nabuchodonosor:

E

Regum varia mutatio.

F

& expo-

A & exposuit Daniel, vt patet Daniel. 3. Ipsi quoque Romani peccatores grauissimi erant, & mutuis bellis perierunt, vt ex eadem statua colligitur: cuius pars pedum quædam erat ferrea, & quædam erat fictilis: testa tamen ferro non benè glutinatur: & sic fuit regnum Romanorũ, quod propter mutuas dissensiones deletum est.

Sũma Dei sapientia etiam malis benè vtitur.

Ecce summa Dei sapientia, quæ omnibus etiam malis benè vtitur, quãdiù eos viuere permittit: & ita per eos prouidentiæ suæ diffinitiones exequitur, sicut si optimi ministri essent. Istum modum loquendi assignatum sequuntur valdè Prophetæ: vnde sępè dicunt de gentibus, contra quas malum prænunciant, quod venit tempus earum, completa sunt peccata ipsarum, & appropinquauerint dies visitationis. Sic autem fuit in proposito, quia Laiseni erant peccatores ex multis diebus, & consummata erant iam peccata eorum: & ob hoc quamquàm Danitæ essent peccatores, tradidit eis Deus potestatem contra Laisenos, imò & excitauit ipsos contra eos: peccata autem Danitarum nõdum erant completa, cùm tunc inciperent: quia nouiter acceperãt statuam, & reliquos apparatus idololatriæ de domo Michæ: ideo Deus non puniuit eos nunc, sed reseruauit ad tempus quo punirentur peccata eorum iam consummata: & istud fuit tempore captiuitatis. Aliquando autem cõtingit, quod Deus dans spacium pœnitendi multis peccatoribus adueniente tempore vtrorumque commouet quosdam contra alios, & tunc simul pereunt. iSc fuit de bello, quod fecerunt Israelitæ, scilicet vndecim tribus contra tribum Beniamin, infrà 20. ca. nam omnes tribus Israelitarum peccauerant Deo in idololatria, & cùm esset bellum omnibus vndecim tribubus contra solam tribum Beniamin, & cùm fouerant vndecim tribus iustum bellum, corruerunt de ipsis prima die 23. millia virorum, & secunda die ceciderunt 18. millia, infrà 20. cap, & tamen non merebantur malum aliquod quantum ad istam rem, pro qua pugnabant: sed quia tempus peccatorum veterum consummatum erat: deinde tertia die ceciderunt ferè omnes viri de tribu Beniamin præter sexcentos viros, eodem cap. & sic vtriusque partis tempus punitionis aduenerat: ideo quidam ab alijs, & è contrario puniti sunt: in Laisenis autem, & Danitis non contingit sic, quia peccata vtrorumq; non fuerunt completa, ideo puniti Laiseni per Danitas, & non è contrario, quamquàm vtrique peccatores essent.

B

Aliter potest dici, quòd licèt Danitæ nõ mererentur, quòd Deus permitteret Laisenos cadere in manus ipsorum, sed potiùs è contrario, tamen ex benignitate fecit hoc, vt impleret pactum suum de dando terram Israelitis, quã tenebant Chananæi: nam ipse promiserat quòd traderet terram in manus eorum, Iosue 13. dicens: Ego sum, qui delebo eos à facie Israelis. De hoc Deut. 8. dicitur: Ne fortè dicas in corde tuo, fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed recorderis Domini Dei tui, quia ipse vires tibi prębuit, vt impleret pactum suum, quod iurauerat. Idem patet Ezech. 20. scilicet. Et scies, quia ego Dominus cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, nec secundùm scelera vestra pessima: Prima tamen responsio conuenientior est.

C

Quare filij Dan combusserunt ciuitatem Lais.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare filij Dan combusserunt ciuitatem Lais.

Aliquis respondebit, quod cremauerunt eam, quia subiecerũt anathemati atque combusta est, Iosue 6. sic etiam ciuitas Hai cremata est: & posita fuit sub anathemate, factaq; est tumulus sempiternus.

Sed dicendum, quod hoc non stat, quia quando aliqua ciuitas subijciebatur anathemati, nunquàm postea poterat habitari: sic patet de Iericho, de qua dictum est: Maledictus, qui ædificauerit muros Iericho, Iosue sexto. Etiam de vrbe Hai, in qua fuit tam graue anathema, dictum est, quod cremata est, factaque fuit tumulus sempiternus, scilicet vt nunquàm habitaretur, sed esset semper in sepulchrum. Sic etiam erat de alijs ciuitatibus suppositis anathemati pro idololatria, Deute. decimotertio cap. Filij tamen Dan ibant ad pugnandum contra Laisenos, vt acquirerent ciuitatem ad habitandum, cùm nõ haberent alibi locum habitationis, & si cremarent eam subijcientes anathemati, nõ haberent locum ad habitandum, ideo non cremauerunt. Et hoc potissimè, cùm dicatur in litera, quod habitauerũt in ea. Alij dicunt, quod cremauerunt eam ad delendum eam omninò, & diruẽdum muros eius: & construendum eam in alio loco non multum distanti, vbi fortè meliùs sita foret. Et hoc aliqui imponunt historiæ scholasticæ, in qua dicitur: vrbem succenderunt, & extruxerunt sibi ciuitatem nõ procul à Libano, & iuxta fontes Iordanis circa magnum campũ Sidonis in regione Roob. Sed dicendum, quòd non stat, quia in litera dicitur: quã rursum extruentes habitauerunt in ea: ergo in eodem loco, & eadem ciuitas mansit. Alij dicerent, quod Danitæ destruxerunt vrbem ad ampliandũ eam, quia prius erat parua ciuitas, & cùm ipsi multi essent, scilicet non solùm sexcenti, qui nũc armati veniebant, sed etiam multi alij de tribu Dan, qui non habebant locum habitandi, & venirent nunc capta Lais ad habitandum ibi, eguerunt magna ciuitate ad habitandum. Sed istud non stat propter duo. Primò, quia si vellent ciuitatem diruere, vt ampliarent eam destruerent muros eius solùm, & non destruerent domos, quæ prius erant, vt haberent eas ad habitandum. Etiam, quia caperent ibi diuitias multas, quas aliter habere non poterant si cremarent vrbem. Secunda est, quia dato quòd ciuitatem maiorem facere vellent, non destruerent murum priorem, sed circundarent ei alium murum exterius relicto magno spacio in medio ad habitandum: & sic non oporteret, quòd ciuitatem destruerẽt, & postea construerent.

D

E

Resp. duplex Doct. ad quæsitum.

Dicẽdum ergo aliter, & hoc dupliciter. Vno modo, quod Danitæ cœperunt pugnare cõtra Laisenos, qui fortè resistebant defendentes se intra muros, nec potuerunt capi, quousque Danitæ ruperunt aliquas partes murorum, per quas introierunt, & tunc confugerunt Laiseni ad defendendum se in domibus, & quia non poterant sic pugnare contra eos, Danitæ succẽderunt vrbem, & sic cremati sunt Laiseni cum domibus suis: nec succẽderunt Israelitę vrbem tanquàm hoc desiderarent, quia potiùs dolebant, cùm ex hoc sequeretur, quòd carerent præda, sed quia aliter non poterant capere viros vrbis, nisi succenderent domos eorum. Aliter potest dici: quod Laiseni pugnauerunt in campo contra Danitas, & occiderunt plurimos, & tunc illi, qui residui erant confugerunt ad vrbem, & secuti sunt Danitæ eos. Ingressis autem Laisenis domos suas non ausi sunt introire Danitæ, & tunc succenderunt domos: & cremauerunt tam domos quàm habitatores. Primo modo dicetur, quod extruxerunt vrbem Danitæ, scilicet rupturas, quas fecerunt in muro. Secundò modo dicetur quòd extruxerunt vrbem, id est domos, quas combusserant, quæ vocantur vrbs. Sed contra primum modum dicetur, quod litera dicit quod percusserunt Laisenos in ore gladij, & postea succenderunt vrbem.

F

Respondendum, quod ordo est mutatus, quia prius succenderunt vrbem, deinde occiderunt viros, quia confugerũt Laiseni, & cùm viderunt vrbẽ succẽsam, egressi sunt obuiam Danitis, & tunc fuit bellum, & occiderunt multos in ore gladij. Vel si velis, quòd sit ordo rectus, dicetur quòd prius pugnauerũt contra Laisenos occidentes multos irrupta vrbe, & postea putantes multos latere in domibus, ne ab eis trucidarentur introeuntes in domos, succenderunt domos, vt eodem incendio vrbs, & incolæ finirentur. Et modus iste primus magis est verus, & tunc dicendum est, quod denuò construxerunt vrbem, scilicet quia irruperant murum per multas partes: & quia ædificia domorum ceciderant, quæ etiam ipsi simul construxerunt.

Roob qd sit.

Erat autem ciuitas sita in regione Roob. Est autem Roob quædam prouincia in fine terræ Chanaan ad partem Septentrionalem, in qua erat ciuitas quædam nomine Emath, Num. 13. & illa ponitur tanquàm terminus in latere Septentrionali, vt patet Nume. 34. cap.

Quam rursus extruentes habitauerunt in ea. Id est, iam destruxerant magnam partem muri bellando, & postea cremauerunt vrbem, deinde, obtenta victoria, extruxerunt partes dirutas vrbis. *Vocato nomine ciuitatis Dan.* Cùm essent victores, noluerunt priscinũ nomen manere vrbi, sed de nouo nomen imposuerũt, vt cognosceretur, quod ipsi non acceperãt ciui-

A

tatem à prædeceſſoribus per ſucceſſionem ſed bello, ideo nihil illorum tenere volebant: nec etiam locorum nomina. *Iuxta vocabulum patris ſui.* Nam pater iſtorum vocabatur Dan, & in honorem patris ſui, & ipſorũ, vt cognoſceretur, quod illa ciuitas obtenta fuerat de manu hoſtium per filios Dan, vocata eſt Dan. *Quem genuerat Iſrael.* Id eſt, Iacob genuerat illum: nam fuit vnus de duodecim filijs eius, ſcil. ex ancilla Rachel, quæ vocabatur Bala, vt patet Gen. 30. ca. & ponitur iſta clauſula, vt non putetur, quod iſte erat alius vir, qui non erat de ſtirpe Iſrael. *Quæ prius Lais dicebatur.* Id eſt, antequàm eam caperent Iſraelitæ vocabatur Lais ab antiquis incolis.

Nomina & ſituſ ciuitatis

Conſiderãdum, quod iſta ciuitas habet multa nomina: nã aliquando vocatur Lais, vt in iſto cap. aliquando Leſen, vt patet Ioſue 19. aliquando Dan ſolùm, vt primo Regum tertio, & ſecundo Reg. decimoſeptimo, & 24. & aliquando Leſendan, tanquàm ſit vna dictio, vt patet Ioſue 19. communiter tamen vocatur Dan.

Sciendum autem, quod hæc ciuitas erat vltima in omnibus ciuitatibus Iſraelitarum à parte aquilonari, vnde quando ſcriptura vult nominare duo extrema terræ Iſraelis, ſcilicet meridianum, & aquilonare nominat Dan, & Berſabee, vt patet 1. Reg. 3. vbi dicitur, quod audiuit omnis Iſrael à Dan vſq; Berſabee, & ſic in multis alijs locis: nam Berſabee eſt quidam locus valdè meridianus in ipſo meridiano latere terræ Chanaan: vnde erat de Gerara, quę ponitnr vnus de terminis terræ Chanaan, Gen. 10. Cap. *Poſueruntq; ibi.* Hic ponitur quartum huius cap. ſcil. idololatriæ abuſio: nam poſtquàm ſpoliauerunt Micham idolis ſuis, duxerunt illa in Lais, & ibi colebãt illa, & dicitur. *Poſueruntq; ibi ſculptile,* Scilicet, poſuerunt ibi ſculptile argenteum, quod vocabatur conflatile, & cum eo Theraphim, & Ephod, & omnia, quæ portabant pertinentia ad idololatriã poſuerunt, ſcilicet ibi in magna veneratione, quia fortè conſtituerunt aliquod templum venerandum, & ibi erat idolum: & totus populus confluebat illuc ad orationem, & ad ſacrificia, & ſolennitates. *Et Ionatham filium Gerſam, filij Moyſi.* Scilicet iſtum fecerunt eſſe ſacerdotem, & poſteriores eius idola colentes: quia iſte Ionathas erat Leuita, quem habebat Michas, & quem tulerant Danitæ. Et ſatis rationabile eſt, quia cùm duxiſſent eum tanquàm ſcientẽ conſulere Dominum, & vera prædicere, nõ mutarent eum pro alio ſacerdote, de quo neſcirent, an ſcirent Deum conſulere, ſicut iſte, & an Deus dignaretur reſpondere per eum, ſicut per iſtum. Ex hoc autem apparet, quod iſtud fuit factum modico tempore poſt mortem Ioſue: quia iſte ſacerdos erat nepos Moyſi, & tamen Gerſam filius Moyſi, cuius filius erat iſte Ionathas, natus fuerat ante exitum Iſraelitarum de Ægypto, vt colligitur Exo. 3. & 4. & 18. & tamẽ ab exitu de Ægypto vſque ad principium principatus Hothonielis, qui fuit primus iudex poſt mortem Ioſue fluxerunt anni quaſi 80. ſcilicet quadraginta annis ab exitu de Ægypto vſque ad introitum in terram Chanaan, & alij 40. vſq; ad mortem Hothonielis: nam ſub 40. annis Hothonielis, qui ponuntur ſuprà 3. comprehenduntur omnes anni, quibus præfuit Ioſue, & qui fuerunt inter mortem Ioſue & inſtitutionem Hothonielis in iudicem, vt eodem cap. declaratum eſt: fuerunt anni, quibus præfuit Hothoniel valdè pauci. Vnde apud mortem Hothonielis parùm reſtabat ad complendum 80. annos ab exitu de Ægypto: & ſic oportet, quòd eſſet ante mortẽ Hothonielis iſtud idolum, quia alioquin non poſſet Ionathas nepos Moyſi eſſe ſacerdos illius.

B

C

Conſiderandum vlteriùs, quod in Hebræo ponitur litera ſicut apud nos, ſcilicet quod Ionatham filium Gerſam filij Moyſi poſuerunt ſacerdotem. Hebræi autem ad tollendum verecundiam Moyſi, ſcilicet, quòd cùm ipſe fuerit doctor legis, & lator, & tãta ſeueritate vetuerit idololatriam, nepotes ſui illam exercerẽt, mutauerunt nomen: quia, ſcil. vbi dicitur Moyſi, & ponitur in Hebræo Moſe mutauerunt, & dixerunt Manaſſe. Mutatio autem eſt facilis, quia ſolùm debet addi vna litera, ſcilicet Nun, quod eſt noſtram & mutantur punctа, quæ non ſunt deſcripta ſcripturæ, & quia non auſi fuerunt corrumpere textum poſuerunt extra textum, ſcilicet, quod in omnibus Biblijs ponitur in loco iſto intra textum Moſe: & extra in margine è directo ponitur Manaſſe. Iſtud autem dicunt factum ad imitationem, ſcilicet, quia Manaſſe, qui fuit de tribu Iuda filius Ezechiæ regis fuit magnus idololatra, & quia iſte Ionathas ſimilis factus fuit ei, cũ eſſet nepos Moyſi degenerans à tanta legis ſeueritate, & rectitudine morum, non meruit vocari filius Moyſi, ſed Manaſſe: & tamen ex hoc nõ negant eum fuiſſe nepotem Moyſi. Ad veritatẽ tamen voluiſſent Hebræi tegere dedecus Moyſi ne dehonorarent gentem ſuam, ſed non auſi ſunt corrumpere veritatem literæ, & poſuerunt potiùs Manaſſe quàm aliquod aliud nomen idololatræ: non quidem, quòd non fuerit alius maior idololatra quàm Manaſſes, quia alij peiores fuerunt vel ſaltem æquales, ſed quia nomen Manaſſe magis concordabat nomini Moſe, & facilior erat mutatio in Hebræo quàm ad aliud nomen aliquod.

D

Ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan. Id eſt, poſt mortem Ionatham fuerũt filij eius ſacerdotes in tribu Dan in Lais per ſucceſſionem vſquequò ablatum eſt inde idolum. Sciendum autem quod Ionathas, & filij eius non erant de progenie ſacerdotum, ſed ſimplicium Leuitarum, quia ſoli Aaronitæ erant ſacerdotes: filij autem Moyſi non erant Aaronitæ, ideo erant ſimplices Leuitæ. Sic dicitur 1. Paralip. 23. c. quòd filij Moyſi hominis Dei connumerati ſunt in tribu Leui, id eſt, non habuerunt dignitatem aliquam magnam, ſed ſolùm fuerunt Leuitæ. *Vſq; ad diem captiuitatis ſuæ.* Id eſt vſque ad diem quo captiuata eſt tribus Dan.

De Ionatha, & filijs eius.

Vſq; ad quod tempus manſit idolum hoc, & ſacerdotium filiorum Moyſi in tribu Dan.

E

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, nunc vſque ad quod tempus manſit idolum iſtud: & ſacerdotium filiorum Moyſi in tribu Dan.

Aliqui dicunt, quod manſit vſq; ad captiuitatem omnium tribuũ vndecim per Aſſyrios, quando ductæ ſunt in Medos inter fluuium Gozan & Hailam 4. Reg. 17. Iſtud tenet Rabbi Salomon, iſtud etiam aliqualiter tenet Nicolaus.

In contrarium tenet Rabbi Dauid Kimhi, quòd fuerit ſolùm idolum in tribu Dan, vſquequò mãſit tabernaculum Domini in Silo, & capta eſt arca per Philiſthinos.

Notandum de captiuitate ter. ſi per 1a. 1. ratio. 2 vna parte ſimi. qua ſi 1.

Sciendum autem quod Hieronymus tenet ſuper Paralip. quod ſolùm manſit idolum iſtud in Dan vſq; ad captionem arcæ, & tunc vocatur captiuitas, quia captiuata eſt arca. Pro vtraq; parte poteſt argui. Quòd autem manſerit ſolum, dum fuit arca Domini in Silo, apparet ſic, quia litera dicit, quod mãſit idolũ Michæ apud eos omni tempore, quo fuit domus Domini in Silo, ſi tamen manſiſſet vlteriùs videretur ad nihil poſita iſta clauſula. Item non eſt veriſimile, quòd poſſet manere tanto tempore in Dan iſtud idolum, quia poſtea venerunt viri valdè deicolæ, ſicut Samuel, qui fuit valdè zelator legis, & ipſe auferret idola. Nam 1. Reg. 7. dicitur, quòd ipſe hortatus fuerit Iſraelitas, vt proijcerent idola de medio ſui, ad hoc quòd Deus adiuuaret eos contra Philiſthinos: & tunc proiecerunt omnia idola de medio ſui: ergo iſtud idolum Michæ fuit tunc proiectum de vrbe Lais, vel erat proiectum ante hoc. Etiam fuit poſt hoc Dauid vir valdè deicola, qui reduxit omnes Iſraelitas ad colendum Dominum Deum, & ipſe redarguet prædeceſſores ſuos, quòd non requiſiuiſſent diligenter Dominum in diebus ſuis, vt patet 1. Paralipom. 13. cap. iſte dominabatur toti Iſraeli ad voluntatem ſuam, ideo non erat veriſimile, quòd permitteret manere idolum in tribu Dan. Alij autem, qui voluerint tenere cõtrariam opinionem, dicent ſcilicet, quod non potuit eſſe iſta duratio ſolùm vſque ad tempus, quo manſit domus Dei in Silo. Primò, quia dicitur, quod manſit vſq; ad diem captiuitatis, ſed inter Iſraelitas non vocantur niſi duæ captiuitates, ſcilicet ſub Salmanaſar, & ſub Nabuchodonoſor: vna quantum ad tribus decem, & alia quantum ad duas: captio autem arcæ nũquàm vocatur in Scriptura captiuitas, nec etiam eſt de more ſcribentium aut loquentiũ vocare illam captiuitatem, quia nullus de Iſraelitis tunc captiuatus eſt, ſed ſola arca, vt colligitur 1. Reg. 4. cap.

F

Aliorũ reſp. ad q̃ſtum pro alia parte. 1. ratio.

Item ſecundò patet, quod dato quòd vellet aliquis largiſſimè accipere captiuitatem pro captione arcæ, adhuc nõ ſtat, quia dicitur hic. vſq; ad diem captiuitatis ſuæ: & non poteſt hoc intelligi, niſi de tribu Dan, & non de captione arcæ: cùm dicatur, quod manſerunt iſti ſacerdotes in tribu Dan vſq; ad

diem

A

diem captiuitatis suæ,ergo non intelligitur de captiuitate arcæ,sed de captiuitate per Salmanasar, quia tunc captiuata est tribus Dan cum alijs tribubus Israel, ductaq; est in Assyrios, & fuit tunc idolum inde translatum,& sacerdotes.

Item non videtur aliqua causa ad dicendum,quod amoto tabernaculo de Silo amoueretur idolum de Lais, quia captiuatio arcæ nihil faciebat ad tribum Dan,& tamen in captiuitate p Salmanasar stat ratio manifesta, scil.quòd Assyrij prædantes Israelitas,& transferentes eos de terra acciperent idolum illud , quia erat argenteum, vel saltem aliqui ipsorum Danitarum acciperẽt idolum, & absconditè portarent secũ, quia magni valoris erat.Respondendum,videtur quod neutra istarum sit vera positio, quia vtraque patitur inconuenientia,sicut patet arguendo contra eas.

Dott. resp. ad ãsium

Sed dicendum, quod illud idolum , & sacerdotes manserunt in ciuitate Lais solùm ante mortẽ Samuelis, & ante principium regum Israel. Et patet, quia Samuel scripsit librum istum, & dicit quod mansit ibi idolum vsq; ad diem captiuitatis solùm temporibus præcedentibus eum , alioquin moriente Samuele adhuc maneret idolum in Lais, & non potuisset dicere Samuel, quod mansit vsq; ad diem captiuitatis. Captiuitas autem decem tribuum sub Salmanasar fuit multis annis post Samuelem,ideo non potest intelligi hoc de captiuitate illa,sed de captiuitate alia, quæ fuerit ante mortem Samuelis. Et dicendum , quod fuit ista captiuitas postquàm arca Domini capta est, & cessauit esse in Silo , scil. quod aliæ

B

gentes de conuicinis pugnauerunt contra habitatores Lais de tribu Dan,& captiuos eos duxerunt , atque tulerunt inde idolum,& omnes apparatus eius, & reliquam prædam vrbis: & ex illo die cessauit esse in Dan , posteà autem factis bellis recuperauit tribus Dan vrbem Lais:nunquàm tamen posteà habuit idolũ Michæ.Sed aliqs dicet,quod istud non est verisimile,quia non est scriptum. Respondendũ,quod istud motiuum nullum est , quia multa facta sunt, quæ non scribunt: sicut sæpè dicitur in libris Regum,& Paralip.in quibus fit remissio ad alios libros pro chronicis illorũ temporum, & non habentur illi libri apud nos. Etiam alia gesta sunt, quæ scriptura non intendebat scribere: na scriptura in libris Regum intendebat scribere bella regum:aliqua tamen erãt tunc bella populorum vicissim,vel aliquorum Israelitarum cõtra extraneos non pugnante ibi rege Israel,nec Iuda:& illa non describuntur in libris Regum , quamquàm essent cõtemporanea:& sic patet de quibusdam bellis particularibus quorundam Hebræorum,quæ ponuntur 1.Paralip.4.& 5. ita esset de filijs Dan tempore Samuelis , quòd ipsi pugnarent contra finitimas gentes, cùm essent in fine regni Israel : & illæ gentes præualentes contra Danitas captiuarent eos, & idolũ suum, posteà autem intercidente tempore reliqui de tribu Dan expellerent alienos de vrbe Lais. Similiter erat in alijs tribubus,

C

quæ erant finitimæ hostibus,scil.in tribu Iuda,quæ erat coniuncta Philisthinis:nam prius viri Iuda ceperunt vrbem Gazam,& Ascalonem, & Accaron de terra Philisthinorum,suprà 1.cap. Deinde Philisthini post paucum tempus pugnantes contra Iudam acceperunt istas vrbes de Israel. Nam tempore Samsonis Ascalon erat de terra Philisthinorum,& Samson descendit illuc ad occidendum triginta viros,suprà 14. Etiam Gaza erat de terra Philisthinorum , quia de illa duxit Samson portas,suprà 16. Iterum viri Iudæ recuperauerunt istas vrbes de manu Philisthinorum tempore Samuelis,1.Regum 7,& etiam iterum redierunt ad manus Philisthinorum, & sic alterabant vices. Ita ergo fieret de vrbe Dan,quæ esset in extremis regni Israelis. Item patet, quòd non manserit illud idolum in Dan vsque ad captiuitatem per Salmanasar: nam rex Ieroboam posuit duos vitulos aureos in extremitatibus Israel: scilicet vnum in Bethel , & alterũ in Dan.3.Reg. 13.si tamen fuisset idolum Michæ in vrbe eo tempore: non oportuisset ibi poni vitulum aurenm , sed iuberetur , quòd irent Israelitæ ad adorandum in Dan , ergo non erat idolum illud ibi tempore Ieroboam , qui tamen fuit multo tempore ante captiuitatem per Assyrios.

Obiectio resp.

Quo argumenta positionis cõtraria fiãt pro ista.

Ista positio est valdè conueniens , & non patitur aliquod inconueniens. Quod patet , nam si accipiantur argumenta primæ partis probantia,quod fuit ista captiuitas,quando captiuata est arca,ista adiuuant hanc positionem: nam in argumenta,licèt adducãtur ad probandũ hoc:non probant istud, sed solùm,qbòd non fuerit captiuitas,de qua dicitur tempore Salmanasar. De primo patet,scilicet quòd fuerit idolum Michæ in Dan toto tempore,quo fuit domus Domini in Silo,quia non est arguendum ex hoc, quòd non fuerit maiori tempore : sed dicitur istud , quia Samuel, qui scripsit librum istum,fuit quãdo domus Domini desijt esse in Silo, & translata est in Nobe ciuitate , quia pauco tempore post hoc viuente ipso fuit captiuatus populus vrbis Dan:& idolũ dicit, quod mãsit toto tempore illo Dan,quia mansio domus Domini in Silo,fuit aliquid notabile , & manente domo Dei in Nobe,fuit captiuitas Danitarum. Secundum argumentum de Dauid,& alijs viris,qui non permitterent idololatriã,valdè confortat istam positionem : nam nullo modo verisimile est,quòd tempore suo tantum scelus mansisset publicè in Israel,potissimè cùm ipse erat rex potentissimus, qui poterat hoc facere. Etiã erat vir valdè deicola, qui zelabat nimis cultum Dei, nam Deus de ipso dixit : Inueni virum secundùm cor meum,1.Reg.13. Etiam vixit in regno magno tempore, scilicet 40.annis,2.Regum 5.& 3.Reg.2.c. in quibus poterat sufficienter eliminare omnem idololatriam de Israel. Ad rationes probantes , quòd fuerit captiuitas ista per Salmanasar facta,respondendum.

D

Respõs. ad argumenta 2. positiõis. Ad 1.

E

Ad 2.

Ad primum dicendum,quod verum est,quod captio arcę non vocatur captiuitas, & tamen captiuatio Danitarum à finitimis,vt declaratum fuit,suprà vocatur captiuitas.

Ad secundum eodem modo dicendum , quod verum est, quod erat captiuatio ipsorum Danitarum,& non arcæ,& tamen non erat captiuitas per Salmanasar.Cùm autem dicitur quod sacra Scriptura vocat solùm captiuitates duas , scil.sub Salmanasar,& sub Nabuchodonosor.

Dicendum , quod intelligitur istud de captiuitatibus generalibus,quibus captiuabatur totum vnum regnum:ista tamen intelligitur de captiuitatibus particularibus, quibus captiuabatur gens vnius vrbis irruentibus hostibus . sicut sæpè factum est in Ascalone , & Accaron,& Gaza, quæ aliquando capiebantur à Philisthinis,& aliquando ab Israelitis,vt suprà declaratum est.

Ad 3.

Ad tertiam rationem quando dicitur , quod non erat aliquod motiuum ad tollendum idolum de vrbe Dan,quando fuit captiuatio arcæ facta per Philisthinos. Dicendum,quod ista ratio solùm probat,quòd non intelligatur de captiuatione arcæ,& tamen non concludit quòd intelligatur de captiuatione facta per Assyrios.

Defensio 2. positionis & respõsio pro argumẽto contra ipsam.

Sed dicendum,quod est captiuatio medij temporis , quæ assignata fuit suprà , & tunc magnũ motiuum erat ad tollendum idolum,quia gens , quæ prædabatur vrbem, & ducebat Danitas captiuos,acciperet idolum argenteum , & quicquid precioſum in vrbe inueniret. Sed adhuc aliquis poterit proteruire contra istam positionem , dicens quòd poterit stare, quòd fuerit captiuitas ista , quæ facta est sub Salmanasar : & poterit respondere ad rationẽ efficaciſſimã huius partis,cùm dicebatur quod iste liber scriptus fuit à Samuele,ideo necesse est,quòd fuerit ipsa captiuitas ante mortẽ eius : aliquis dicet, quod erat Samuel Propheta , & poterat prænoscere captiuitatem,quæ futura erat sub Salmanasar,& describeret eam.

F

Sed dicendũ,quod hoc non stat propter duo. Primò,quia Samuel,licèt esset Propheta,hic tamen non descripsisset pertinens ad prophetiam,sed ad historiam: & tamẽ dicere de captiuitate , quæ futura erat post multos annos, erat propheticum. Secundò patet , quia si intendisset Samuel historiæ intermiscere aliquid propheticum , saltem pronunciasset illud modo prophetico,scil.de futuro,dicens : & manebit idolum Michæ,& sacerdotes in tribu Dan vsq; ad captiuitatem suã: & tamen dixit,mansit,ergo historicum est, & iam transierat. Item patet, quia scriptura sacra est non propter loquentem, sed propter legentem,vel audientem : si autem scripsisset sic Samuel per modum prophetiæ,nullus intellexisset : imò putaretur esse falsum,quia crederetur esse fictitium, ideo oportet quòd intelligatur historicè. Sed adhuc obijcietur contra vnam solutionem suprà datam , scilicet quia dato,quòd loqueretur propheticè de futuro,posset loqui de præterito,dicens:mansit. Sic patet per Isai53.c.vbi de Messia prophetatur, & loquitur sæpè Propheta de præterito , quasi esset iam præteritum:& tamen nemo dubitat illud fuisse futurum , quando loquebatur Isaias.

A *Aliquãdo Prophetæ mutãt tẽpora in dicẽdo.*

Reſpondendum,quod aliquando Prophetę mutant tempora ex multis cauſis, quas deſcribere non eſt præſentis ſpeculationis,& tamẽ ibi non eſt cauſa erroris,quia ea,quæ Prophetæ annunciãt,ſemper accipiuntur tanquã futura,niſi manifeſtè apparet ex narratione eorũ,quòd ſint pręterita.In hiſtorijs autem eſt magna ratio dubitandi,cùm putari debeant omnia ibi dicta, accipienda fore hiſtoricè:ideo ſi interponatur aliquid propheticum, oportet quòd enuncietur modo prophetico,ſcil.de futuro,& tamen hic eſt de præterito,ideo neceſſe eſt accipi hiſtoricè pro captiuatione præterita tempore Samuelis. Sed adhuc arguetur efficaciùs contra iſtã poſitionem, dicendo, quod iſta verba,ſcil.quod manſit ibi vſq; ad captiuitatem,non ſint verba ſcripta à Samuele, ſed poſteà Eſdras quando reparauit totam Bibliothecam combuſtam à Chaldæis addiderit ipſa verba,& ipſe potuit addere,cùm iam tempore ſuo tranſierat captiuitas ſub Salmanaſar, & poterat ipſe ſcire veritatem de præterito.

Dicendum, quod iſta ratio non ſtat propter duo. Primò,quia non eſt concedendum, quòd addiderit quicquam Eſdras ad libros, quos tranſtulit, quia tunc non vocaretur tranſlator,ſed ſcriptor principalis. Etiam, quia nullus auderet quicquam addere ad libros legis, vel ſacros per modum textus, quia hoc vetitum eſt Deuterono.4. & Apocalip.cap. vltimo. Secundò ſtat iſta poſitio, quia dato quòd concedamus, quòd Eſdras potuerit iſtud apponere, & quòd apposuerit aliquis in alijs libris Scripturæ : tamen aſſerendo, quòd appoſuerit iſtud , non poterimus ſoluere alia tria inB conuenientia manentia.Primum eſt,quia dicitur,quod manſit idolum Michæ quandiù fuit domus Domini in Silo:quia hoc non videtur ad aliquid vtile , quia etiam manſiſſet hoc modo toto tempore, quo manſit domus Domini in Nobe, & deinde in Gabaon , & poſteà magno tempore in templo Salomonis. Etiam non poterit reſpondere vllatenùs ad ſecundum, ſcilicet non auferret illud Dauid. Etiam non poterit reſponderi ad tertium de vitulo aureo poſito in Dan per Ieroboam,quia ſi ibi tunc maneret idolum, quod ab antiquo adorabatur,non oportebat poni aliud idolum: poſitio tamen illa,quę ſoluit vnum inconueniens,& non poteſt ſoluere multa alia, falſa eſt:quia verò nihil diſſonat, quod verũ ſit,vt patet 1.Ethico.ideo tenenda eſt poſitio,quam nunc firmauimus,quia illa veriſſima eſt.

Manſitq; apud eos. Id eſt,in ciuitate Lais apud Danitas idolum Michæ , ſcilicet ſculptile, & conflatile argenteum, & Theraphim,& Ephod.

Omni tempore quo fuit domus Domini in Silo. Non eſt intelligendum,quòd fuerit ibi à principio , quando cœpit eſſe domus Domini in Silo,quia iſtud fuit tempore Ioſue, quando totus Iſrael congregatus eſt cum eo in Silo, expoſuerunt ibi C tabernaculum Domini : & tamen tunc nõ erat poſitum idolum iſtud in Dan. De hoc Ioſue 18.& patet iſtud,quia quando fuit poſita domus Domini in Silo , non erant diuiſæ ſortes omnibus Iſraelitis , quia de Silo miſit Ioſue viros qui deſcriberent terram,& facerent ſortes, redeuntibus illis poſitæ fuerunt ſortes in Silo,& nondum erat terra poſſeſſa prælegato cap. & tamen tempore, quo iuerunt Danitæ in Lais ad capiendum eam , aliæ tribus Iſraelis tenebant poſſeſſiones ſuas,vt patet in principio huius ca. Etiam quia dicitur,quòd iſti tranſierunt per Cariathiarim , quæ erat ciuitas filiorum Iudæ, & quod venerunt ad Micham,qui habitabat in monte Ephraim.Etiam dicitur præcedenti cap.puod Leuita ille habitabat in Bethlehem,ergo priùsfuit tabernaculum poſitum in Silo,quàm filij Dan ponerent iſtud idolũ in Lais,ſed intelligitur, quod fuit ibi omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo , ſcicet quod non priùs deſijt eſſe in Dan idolum illud, quàm domus Domini in Silo. Et patet hoc,quia captiuatio Danitarum de vrbe Lais fuit aliquanto tempore poſt captiuationem arcæ,& poſtquàm receſſiit domus Dei de Silo.

In diebus illis non erat rex in Iſrael. Scilicet non erat rex , nec aliquis rector. Iſtud non debet referri ad præcedentia, quia iam datum fuit in principio huius hiſtoriæ , quod non erat rex in Iſrael,& ſuperabundaret repetitio iſta, ſed debet referri ad ſequentia de Leuita,quæ ſunt ſequenti cap.

Quare dicitur quod non erat rex in Iſrael.

Qvæstio XX.

D

QVÆRETVR , quarè dicitur , quod non erat rex in Iſrael.

Reſpondendum,quod debet exponi , ſicut ſuprà in litera,& præcedenti cap.ſcilicet quod tempore , quo fiebant hæc,quæ habentur ſequenti cap.nõ erat aliquis rex aut princeps in Iſrael , qui corriperet, aut puniret peccata , quæ facta ſunt hic:nam contra Leuitam , de quo ſequenti cap.fuerunt perpetrata ſceleſtiſſima : nam voluerunt viri Gabaa abuti eo ſodomiticè , deinde vix quieſcentes oblata concubina eius ceſſauerunt à petitione ipſius , quam tamen tanta libidine improbè vexauerunt , quod eam expirare coegerunt: quod factum ſceleſtum fuit nimis exhorrendum: nam dixerunt Iſraelitæ , quòd nũquàm tale fuerit auditum in Iſrael ex die, quo patres eorum aſcenderant de Ægypto , vt patet ſequenti cap. & ad hoc puniendum non erat aliquis rex aut iudex in Iſrael.

Cùm in Iſrael fuerint vltores huius criminis,quare dicitur, quod non erat rex in Iſrael.

Qvæstio XXI.

E

QVÆRERTVR vlteriùs , cùm in Iſraelitis fuerint aliqui vltores huius criminis, & vlti ſunt illud infrà 20.c.quare dicitur,quod non erat rex in Iſrael.

Reſpondendum , quod poteſt dici propter multa.Primò, quia iudex,vel rex non erat principaliter ad puniendum ſcelera,ſed magis,vt timore eius cauerent ſubditi à perpetratione horum:& quia nunc non erat aliquis iudex, vel rex , licèt fuerit,qui corrigeret: tamẽ nullus fuit cuius timore ceſſauerint,nam auſi fuerunt viri Gabaa nũc committere iſtud crimen : ſi autem fuiſſent aliqui principes in populo , non auſi fuiſſent viri Gabaa talia committere timentes punitionem. Secundò dicitur hoc,quòd licèt fuerit iſtud peccatum punitum per alias tribus , tamen non erant aliæ tribus poſitæ regulariter ad corripiendum peccantes , ſed rex, vel iudex:& nunc fuit per accidens , ꝙ mouerentur omnes tribus ad vindicandum iſtud ſcelus , qa non vindicabant alia , ſicut patet de ſcelere Michæ fabricando idolum,præcedenti cap. Item ſcelus Danitarum non fuit punitum,de quo in iſto cap. Et hoc quia non erat tunc iudex aliquis in Iſrael, ideo etiam conuenienter dici debuit hic, quod non erat iudex , aut rex in Iſrael.Item iſta non fuit pœna inflicta pro peccato iudicialiter,ſed magis fuit vtrorumque pœna:quia illi qui voluerunt punire ſcelus magis puniti ſunt:nã plures mortui ſunt de alijs tribubus quàm de Beniamin , de quo erant peccatores viri Gabaa,vt patet infrà 20.cap. ideo debuit dici , quod F non erat rex in Iſrael

Caput XIX.

EVIT quidam vir Leuites habitans in in latere montis Ephraim,qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum , & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem , mãſitq; apud eum quatuor menſibus : ſecutuſq; eſt eam vir ſuus volens ei reconciliari,atq; blandiri, & ſecum reducere,habens in comitatu puerum, & duos aſinos. Quare ſuſcepit eum,& introduxit in domum patris ſui. Quod cùm audiſſet ſocer eius, eumq; vidiſſet occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem. Manſitq; gener in domo ſoceri tribus diebus comedens cum eo, & bibens familiariter.

*Fuit quidam.*In præcepentibus deſcripto caſu de idolo Michæ,hic conſequenter ponitur ſecundus caſus de concubina Leuitæ. Et diuiditur in tres. Primò ponitur ſceleris perpe-

tratio.

A tratio. Secundò patratorum vastatio, sequenti cap. Tertiò patratorum vastatorum restitutio, infrà 21. Primò in tres. Prima ponitur occasio peccati. Secundò modus perpetrandi, ibi. *Epulantibus illis.* Tertiò manifestatio facti, ibi. *Mane facto.*

Nunquid hæc fuerint facta post præcedentia, & quo tempore.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta post præcedentia, & quo tempore fuerint.

Respondendum est, quod necesse est ista, quæ habẽtur hic accidisse ante mortem Caleb post mortem Iosue, & ante institutionem Hothonielis, qui fuit prius iudex Israel. Quod patet, quia quãdo ista facta sunt, Ierusalem nondum erat capta de manu Iebusæorum: nam dicitur infrà in litera, quod occumbente Sole venit Leuita apud Ierusalẽ, sed dixit, quod nolebat introire in illam, quia erat ciuitas gentis alienæ: & tamen ciuitas ista capta fuit viuẽte Caleb, vt patet suprà 1. cap. ergo nondum mortuus fuerat: & tamen ipso viuente non erat institutus Hothoniel in iudicem, sed aliquanto tempore post institutus est, vt declaratum fuit præcedenti cap. & suprà 19. Ampliùs dicendum, quod ista facta fuerunt quasi in eodem tempore, in quo præcedentia: nam præcedentia in duobus cap. facta sunt tempore, quo non erat iudex in Israel, vt dicitur in vtrisque cap. de isto etiam dicitur, quod non erat tunc rex in Israel: ergo oportet, quòd facta fuerint, quasi simul: nam non est tempus, de quo dicatur, quod non erat rex in Israel, nisi de tempore, quod fuit inter mortẽ Iosue, & constitutionem Hothonielis in iudicem. Si autem aliquis dicat, quod potuit fieri alio tempore, scil. inter quæcunq; tempora duorum iudicum: nã inter iudicem & iudicem, vt cõmuniter intercidebat tempus aliquod, vt declaratum est suprà 3.

Dicendum, quod nõ stat, quia istud de Leuita fuit factum necessariò ante mortem Caleb, vt nunc declaratum est. Alia etiam duo, quæ habentur in duobus præcedentibus cap. facta sunt ante mortem Caleb, vel saltem ante constitutionem Hothonielis in iudicem, vt in eisdem cap. declaratũ est: ideo omnia hæc quasi contemporanea sunt. Sed tunc stat dubium primũ, dato quòd sint quasi contemporanea, quod fuit priùs inter hæc, nunquid istud, vel præcedentia.

Dicendum, quod inter ea, quæ habentur suprà 17. & præcedenti cap. satis patet ordo, quòd sit continuatus, quia priùs fuit fabricatio idoli in domo Michę quã raptus eius per Danitas, & tamẽ de hoc nõ apparet ordinis ratio ex litera. Dicendum tamen, quòd istud fuerit post præcedentia de idolo Michæ, quia nunquàm recedendũ est ab ordine literæ sine causa necessaria apparente: sed hic non apparet aliqua causa quare dicamus istum non fuisse ordinem literæ: ideo dicendum, quòd ista fuerint post præcedentia.

Ad quid fuit positus iste casus hic de concubina Leuitæ, & an decuit.

QVÆSTIO II.

VLTERIVS quæretur, ad quid fuit positus iste casus hic de concubina Leuitæ, & an decuit.

Respondendum, quod fuit conueniens poni istum casum in libro isto, quia fuit contemporaneus his, quæ in isto libro enarrantur: nam sicut casus de idolo Michæ, & de raptu per Danitas fuit tempore Caleb paulò ante institutionem primi iudicis Israel, ita casus de concubina Leuitæ fuit viuente Caleb, vt declaratum fuit præcedenti quæst. ideo non fuit aliquis liber, ad quem ita conueniret, sicut isti.

Causa autem quare descriptus est, fuit quia fuit valdè famosus: nam occasione sceleris perpetrati in Gabaa oẽs tribus Israel inter se pugnauerũt in acie, & occubuerunt plura, quã septuaginta millia virorum, vel quasi, vt colligitur sequenti cap. talia autem non permittũtur à scriptura, præsertim cùm iste casus fuerit generalis, scilicet quia accidit istud bellum omnibus tribubus Israel.

D Alia causa est, quia Scriptura sacra intendit enarrare pœnas peccantium, & prosperitates benè operantium, vt his consideratis nos Deo per bona opera appropinquare curemus, & quia hic fuit magna calamitas ex parte omnium Israelitarum, quia omnes peccauerant, fuit valdè conueniens, quòd casus iste describeretur. Alia causa est, quia iste casus fuit mirabilis: nam hic visum est contra consuetudinem bellorum, vel saltem contra Dei iustitiam, quod illi, qui fouebant iustã litem, & iusto animo pugnabant, & valdè plures atque potentiores erant, primò succubuerunt, & plures de ipsis ceciderunt quàm de illis, qui peccauerant: illi tamen pauciores, & minùs potentes erant: vt ergo consideremus diuinum opus Dei subtiliter iudicantis in his, dignum fuit, quòd ista describerentur. Considerandum autem circa primum huius, quod occasio peccati fuit hic, quia vxor Leuitæ recedens ab eo reconciliata est illi, & reducens eam vir hospitatus est in Gabaa, vbi erant viri pessimi, & luxuriosi turpissimi, qui vxorem Leuitæ improba libidine occiderunt. Circa quod ponuntur tria. Primò ponitur vxoris recedentis reconciliatio. Secundò reconciliatæ reductio ibi. *Die autem quarto.* Tertiò in Gabaa hospitatio ibi. *Occubuit eis Sol.* Circa primum dicitur. *Fuit quidam vir Leuites.* Iste cui accidit casus de concubina Leuites fuit. *Notandum.*

An fuerit Leuites de quo dictum est, quod erat cum Micha. E

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, an iste fuerit Leuites, de quo dictum est præcedenti cap. & suprà 17.

Aliquis dicet, quod sic, quia eodem tempore fuit istud, & illa, quæ habentur in duobus cap. præcedentibus: & sic potuit eidem Leuitæ contingere vtrunque.

Respondendum, quod non fuit idem Leuita, quia Leuita, de quo dicitur in duobus cap. præcedentibus fuit de origine Leuitarum Bethlehem, suprà 17. iste autem fuit de monte Ephraim, infrà in litera: vxor autẽ sua solùm fuit de Bethlehem: & ipse iuit ad eam in Bethlehem, vt reconciliaret eam sibi. Item non potest stare, quia istud accidit post ea, quæ habentur præcedenti cap. vt suprà declaratum est: & tamen post illa non potuit Leuitæ illi, de quo præcedenti capit. accidere istud, quod habetur hic, quia Leuita ille iuit in Lais cum Danitis, & mansit ibi semper, vt sacerdos eorum, & filij eius post eum: & tamen iste Leuita, de quo hic, habitabat in monte Ephraim eo tempore, quo accidit ei istud, vt colligitur hic: ergo non erat idem Leuita. Sed duo Leuitæ fuerũt, quorum vnus fuit de stirpe Leuitarum Bethlehem, & alter de Leuitis, qui erant in sorte Ephraim.

C *Habitans in latere montis Ephraim.* Id est, habitans in aliqua ciuitate, quæ erat in latere montis Ephraim. Vocatur autem mons Ephraim terra sortis Ephraim vbicunque nominetur, eo quod terra illa montuosa erat, & in tribu Ephraim habebant Leuitæ assignatas vrbes sicut in alijs tribubus, vt patet Iosue 21. & 1. Paral. 6. cap. Vel fortè habitabat peregrinus in aliquo loco terræ Ephraim, sicut declaratum fuit suprà 17. de alio Leuita, qui erat de Bethlehem, & tamen peregrè habitabat ibi ipse, & cognatio sua. *Qui cepit vxorem.* Scilicet legitimo matrimonio copulatam, ideo pto violatione pudoris eius poterat plura agere quàm si esset concubina, ad quam nullum est fœdus. In Hebræo dicitur. *Qui accepit fœminam concubinam.* In quo signabat quod erat sine fœdere matrimoniali. F

An hæc fœmina esset concubina Leuitæ, vel vxor legitima. Et de differentia vxorum, & concubinarum in veteri Testamento.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR circa istam fœminam, an esset concubina vel legitima vxor.

Respondendum, quod hic discordat litera nostra ab Hebræa, & litera nostra inter scipsam.

De primo patet, quia litera nostra vocat hic istam vxorem, quod importat vinculum matrimoniale, alioquin non voca-

A vocabitur vxor,ſed concubina, vel focaria,vel alio modo, & nomine. In Hebræo autem dicitur ,quod erat fœmina concubina. Secundum patet, quia litera noſtra vocat hic iſtam vxorem,& poſteà vocat eam concubinam , vt patet infrà in litera,ſcil.habeo filiam virginem, & iſte homo habet concubinam. Tertium patet,quia litera Hebraica interdum vocat iſtam fœminam concubinam , & interdum vxorem , & ſæpè appellat patrem mulieris huius ſocerum Leuitæ:& tamen nõ vocatur ſocer,niſi ad generum:gener autem eſt,qui filiam alterius matrimonialiter tenet.Vbi autem matrimonium non eſt,non vocantur iſta nomina affinitatum , ſcil.gener , & ſocer,nurus,& ſocrus.

Dicendum,quod cùm litera vtrobique,id eſt,in Hebręo, & in latino interdum appellet iſtam vxorem,& interdũ concubinam, oportet eligi alterum nomen iſtorum,quia ſecundùm veritatem non poteſt ſtare vtrunque. Ad hoc dici debet , quod iſta erat verè vxor, ſcilicet per legitimum conſenſum de præſenti , qui facit matrimonium inter perſonas ad hoc habiles etiam deficientibus omnibus alijs: ita quod Leuita iſte licitè coniungebatur illi fœminæ , quòd non faceret ſi eſſet concubina. Sed in modo aſſignandi quomodo erat vxor eſt difficultas.

Liranꝰ impugnatur

Nicolaus dicit , quod vocatur concubina à concubando, & hoc modo quælibet legitima vxor concubina eſt. Sed iſte modus non eſt frequentatus in ſcriptura , quia tunc indifferenter quælibet vxores vocarentur concubinæ , ſed non ſuſcipitur,ideo tenendus eſt alius modus. Aliter poteſt dici ſecundùm quoſdam , quod in ſcriptura vocantur vxores principales ſemper vxores,& vxores minùs principales vocantur interdum vxores,& interdum concubinæ.Sic patet in Abraham:nam habuit Sarai in vxorem , quã primò habuit, & erat cognata ſua:ideo iſta vocata eſt ſemper vxor , & non concubina:habuit etiam Agar,& Ceturam, & ſuſcepit filios de eis. De Agar autem dicitur Gen.16. quod accepit illã Abraham in vxorem : & de Cetura dicitur Gen.25. quod accepit eam Abraham in vxorem:& rurſus de vtraque harũ dicitur,quod ſeparauit Abraham,dum viueret filios concubinarum à filio ſuo Iſaac,& dedit filio ſuo Iſaac hæreditatem ſuam : filijs autem concubinarum largitus eſt munera. Et vocantur ibi filij concubinarum filij Agar,& Ceturæ,vt colligitur ibi manifeſtè in litera:ſed hoc erat,quia Sara erat principalis vxor , aliæ autem erant minùs principales.

B

Sed iſta poſitio licèt vera ſit,tamen non applicatur ad præſens , quia iſtud tenet in illo, qui multas vxores habet,quarũ vna eſt magis principalis,quę vocatur vxor indiſtinctè,&alię vocantur interdum vxores, & interdum concubinæ : ſed de iſto Leuita non legitur,quòd haberet niſi iſtam,& ſatis appareret , quia aliàs non iuiſſet ſuſpirans poſt eam in Bethlehem, potiſſimè cùm ipſa violaſſet legem tori , & tamen vocatur vxor,& concubina:ergo alius modus dandus eſt.

C *Doct. reſp.*

Aliter ergo dicendum , quod inter Hebræos ab antiquo ſicut inter gentes cæteras , ſemper fuit cõſuetudo,quòd matrimonium verum contraheretur per conſenſum de præſenti,& affectionem coniugalem , ſed differebat, quia quaſdam mulieres ſuſcipiebant cum conſenſu iſto , & quibuſdam donis,quæ ipſi vocant caduſſin , id eſt , ſanctificationes,ſcilicet quod dando illa munera fœminæ ſanctificat illam pro ſe, & traditio iſtorum donorum confirmat matrimonium :aliæ autem erant , quæ accipiebantur per conſenſum de præſenti,& tractabantur affectu coniugali:& tamen non tradebantur eis munera illa,quæ vocantur caduſſin : & de iſtis dicunt, quod non erant vxores firmiſſimæ, ſed poterant vocari concubinæ,licèt interdum vocarentur vxores.

Conſiderandum autem quod Hebræi, licèt moderni nũc neſciant, tamen conſuetudo illius temporis erat hæc, quòd quando mulier, & vir quam accipere debebat in matrimonium erant æqualis ſtatus, vel quaſi:non accipiebatur in vxorem,niſi datis donis illis, quæ vocantur caduſſin, & hoc quia iſta munera pertinebant ad honorem quendam, & ſolennitatem contractus.Secundò,quia faciebat matrimonium eſſe firmius,quàm aliàs. Tertiò,quia vxor ſic accepta non poterat vocari concubina, ſed ſemper vxor, quæ autem aliter accipiebatur, poterat interdum vocari vxor, & interdum concubina. Quartum erat,quia filij illius mulieris,quæ cum donis ſiue caduſſin accipiebantur habebant maius ius in hæreditate paterna,quàm filij aliarum quæ non erant ſic acceptæ. D Omnia iſta quatuor poſſunt apparere in Abraham reſpectu Saræ,& aliarum duarum vxorum: nã Sara erat æqualis Abrahæ in nobilitate generis.Nam erat filia fratris ſui Nachor, vt tenetur communiter , ſcilicet quod erat egreſſa filia Nachor Gen.11.vel ſaltem vocabatur filia patris filia Abrahę:nam ipſe dixit,filia patris mei eſt,ſed nõ matris meæ, Gen.20.cap.ideo non acciperet eam,quia nõ daretur ei ſine omni honore nuptiali : & ad hunc honorem pertinebant dona illarum arrharum,vel caduſſin,ideo acciperet eam cum illis : de Agar non fuit ſic,quia ipſa erat ancilla Saræ , Gen.16. ideo acciperet eã Abraham quomodo vellet,ſiue in concubinam, ſiue in vxorem:accepit autem in vxorem affectu matrimoniali , vt coitus eſſet licitus,& proles legitima: tamen non ſubarrhauit eã dando ſibi caduſſin. Et hoc vt non faceret eam æqualem Saræ,quæ erat domina eius : nam ſemper manſit Agar vt ancilla Saræ, quãquàm effecta eſſet vxor Abrahæ,Gen 16. nam dixit Abraham : Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea,vt libet.Sic etiam fuit de Cetura, quam Abraham poſtremò accepit in vxorem : nam ipſa fuit de humili genere , ſcilicet de Chananæis:& non ſubarrhauit eam Abraham,vt non æquaret primæ vxori,quæ erat de cognatione ſua. Etiam vt non æquaret filios illius filio ſuo Iſaac,in quo extendẽdum,& benedicendum erat ſemen Abrahæ : & ob hoc potuerunt vocari iſtæ concubinæ,& vxores viciſſim.Sara autem nunquàm potuit vocari niſi vxor.Primum iſtorum quatuor patet,quia ſubarrhatio , & quæcunque aliæ cæremoniæ adhibeantur in E contractu matrimonij , vt in alijs contractibus, faciunt illa ſolenniora : nam iſtud eſt generale , quod illud eſt ſolennius quod pluribus cæremonijs innititur : illud verò , quod nullam habet cæremoniam , ſed qualitercunque fieri poteſt, non dicitur habere aliquam ſolennitatem. Secundum patet,quia ipſi Hebræi putabant difficilius valdè fore repudiare vxorem acceptam cum ſubarrhatione quàm ſine illis. Interdum etiam dicunt quod matrimonium , in quo non interuenerant ſubarrhationes , ſiue caduſſin poterat diſſolui ſine repudio , ſcilicet volente vxore etiam non volente viro, tanquàm non eſſet totale vinculum cauſatum : & ſic excuſant aliqui Hebræi matrimonium factum inter Dauid & Merob filiam Saulis : nam ipſa poſteà data eſt Hadrieli Molathitæ in vxorem antequàm acciperet eam Dauid. De quo primo Regum 18.& dicunt , quod non peccauit Saul faciendo hoc, quia non dederat Dauid caduſſin ipſi Merob, vel non fuerant legitimè tradita caduſſin , & ſic non tenuerat deſponſatio , iſtud ſecundum non apparuit in Abraham reſpectu vxorum ſuarum , quia nullam earũ repudiauerat , tamen faciliùs , & rationabilùs poterat repudiare Agar, & Cethuram , quàm Saram. Etiam patet hoc ex verbis Saræ ad Abraham,nam dixit ei : Eijce ancillam & filium eius, Geneſ. vigeſimoprimo , & tamen ſi tam firmum eſſet matrimonium cum Agar ſicut cum Sara,non diceret Sara iſtud.

Conſiderandum autem,quòd iſtud non poſſet exemplificari in matrimonium noſtri temporis , eo quòd illa vel ſimpliciter ſunt rata,ita quòd nullo modo patiantur diuortium, vel non ſunt matrimonia : tempore Abrahæ autem,& in veteri Teſtamento nullum matrimonium erat totaliter ratum, quia poterat ſuſcipere repudium, ideo poterat eſſe vnum matrimonium altero firmius. Et ſic erat conſuetũ, quòd matrimoniũ factum cum ſubarrhatione eſſet firmius,q̃ ſine ſubarrhatione:& iſtud tribuebat ius abundãtiùs vni vxori ad virũ, quàm alteri. Tertium erat , quòd vxor accepta cum ſubarrhatione nunquàm vocabatur concubina: quod patet in Sara:nam nunquàm in tota ſacra Scriptura vocabatur concubina Abrahæ. Aliæ duæ, ſcil.Agar,& Cetura interdũ vxores, & interdum concubinæ appellãtur,vt declaratum eſt.Quartum erat de maiori iure filiorum:nam filij mulieris ſubarrhatæ habebant maius ius in bonis paternis tanquã hæredes:alij autem minus habebant de iure, ſcil. quantum eis pater conceſſiſſet.Patet hoc,quia Sara dixit Gen.21. Eijce ancillam , & filium eius : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Si tamen fuiſſent filij Agar tanti iuris ad Abraham , ſicut filij Saræ,quæ vxor ſubarrhata,non dixiſſet Sara erat non hæres erit,&c.

F

Item patet hoc, quia Abraham dedit hæreditatem ſuã totam Iſaac , filijs autem Agar , & Ceturæ dedit ſolùm munera

quædam,

A quædam, Geneſ. 25. c. ſi tamen æquale ius haberent illi filij in bonis eius, cùm eſsẽt omnes legitimi, peccaret Abraham exhæredando omnes alios, potiſſimè cùm multi eſſent, quia de Cetura ſuſcepit ſex, Gen. 25. & inſtituendo hæredem ſolum Iſaac, & tamen licitè fecit: ergo non habebant tantum ius filij Agar, & Ceturæ ad bona Abrahæ ſicut Iſaac filius Saræ: imò dato quòd plus diligeret Abraham Iſaac, non poterat eum conſtituere hæredem vniuerſorum, ſed ſolùm poterat ei dare duplicem partem quàm cuilibet aliorum fratrum ſuorum: ſic patet Deut. 21. cap.

Reſponſio aliquorũ. Sed aliquis reſpondebit ad hæc. Ad primum, quia Agar erat ancilla, ideo filius eius non erat ſucceſſurus in aliqua parte hæreditatis paternæ. Item competebat Iſaac, quòd ipſe eſſet ſucceſſor Abrahæ in ſolidum, quia in eo debebat vocari ſemen Abrahæ. Et hoc ex determinatione Dei, ideo licèt aliàs eſſet æquale ius ſuccedendi patri Iſmaheli & Iſaac, ex hoc nõ poteſt ſuccedere Iſmahel quantum ad aliquam partem. Sed iſtud non ſtat.

Solutio rõnum Ad primam rationem dicendum, quòd licèt propter conditionem ſeruitutis maternæ non deberet ſuccedere Iſmahel ſicut Iſaac: & hoc voluit Sara cùm dixit: non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac: tamen nõ tenet iſta ſolutio quãtum ad filios Ceturæ, quia Cetura non erat ancilla: & tamen filij eius non ſucceſſerunt Abrahæ ſicut Iſaac, ſed dedit eis q̃dam munera, vt patet Gen. 25. & non fuerunt melioris condi

B tionis, quàm Iſmahel, qui erat filius ancillæ.

Secunda ratio non ſtat, quia quanquam Deus elegiſſet Iſaac, vt vocaretur in eo ſemen, & nomen progeniei Abrahæ, tamen hoc neſciebat Sara, quia Deus nondum illud dixerat, ſed cùm contriſtaretur Abraham, eo quòd Sara vellet eijcere Agar, & filium eius, dixit Deus: omnia quæ dixit tibi Sara audi vocem eius, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Etiam Sara non mouebatur ex hac parte, ſed ſolùm quia Iſmahel erat filius ancillæ. Vnde dixit: Non erit hęres filius ancillę cum filio meo Iſaac, Geneſ. 21. ca. Sed obijcitur contra ſecundam probationem, ſcil. quòd Abraham non dedit æqualem hęreditatem filijs omnibus, Gen. 25. Et dicetur, quòd iam Abraham nouerat, quòd poſteritas ſua denominanda erat per Iſaac: & ob hoc volebat eum cõſtituere hæredem vniuerſorum, cùm aliàs non poſſet. Patet hoc, quia iam Deus ei dixerat in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Item quod allegatur, ſcil. quòd deberet ſolùm Iſaac accipere duplicem partem ad alios, ſi vellet accipi vt primogenitus ad Abraham: & dicetur, quòd iſtud tenuit poſtquam data eſt lex Moyſi, ſed antè non tenebat, cùm ſcripta fuerit iſta lex, Deut. 21. c. & Abraham fuerit plus quã 450. annis ante hoc: nam vt patet ad Gal. 3. c. lex confirmata eſt annis 430. poſt factam promiſſionem Abrahæ.

Obiectio contra ſecundã poſitionem. 1. ratio *2. ratio*

Reſpondendum, quòd non ſtant iſtæ rationes; ad primã dicendum, quòd licèt Abraham haberet iuſtam cauſam ex Dei electione inſtituere Iſaac hæredem vniuerſalem, & cæteris filijs ſolùm largiri munera, tamen ipſis non conſtabat de hoc iure, & conquererentur valdè, & litigarent contra Iſaac, vt præriperent ei omnia bona, & tamen non litigauerunt cũ ipſo: ergo apparet quòd aliquod ius manifeſtum erat ſecundùm conſuetudinem temporis illius, propter quod putabãt illi iuſtè Iſaac conſtitutum hæredem vniuerſorum. Et iſtud erat, quia mater ſua fuerat accepta in vxorem cum ſubarrhatione: & Agar & Cetura ſine ſubarrhatione, ex quo nullum ius ipſi habebant ad bona patris ſui.

C *Reſponſio ad 1. rõnem.*

Ad 2. rõnem. Ad ſecundum dicendum, quòd confirmatio non probabat, niſi reſpectu filiorum Ceturæ, quia Iſaac non fuit primogenitus Abrahæ, ſed potius Iſmahel, ideo ſi cæteris paribus erant Iſmahel & Iſaac pares in iure ſuccedendi, proueniret duplicitas hæreditatis ipſi Iſmaheli propter primogenitur̃: ſed falſum eſt, ideo ex hac parte non ſtat argumentum: & tamen dato quòd Iſaac eſſet primogenitus, non debebat ſortiri ex iure communi niſi duplicitatem ſortis in hæreditate paterna. Et quando dicitur, quòd illa lex non ſtabat tempore Abrahæ, dicendum, quòd licèt fuit data poſtea Moyſi in Deuter. tamen ante hoc obſeruabatur à multis populis terræ: & ſic fuit de multis alijs legibus iudicialibus, quas dedit Deus Hebræis: nam ante dationẽ ſeruabantur à populis terræ. Quod autem iſta ſeruaretur, patet hoc in Iacob: nam q̃ benedixit filijs ſuis, Gen. 49. dixit Ruben: Rubẽ primogenit⁹ m⁹us, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, id eſt quòd ad primogenitum pertinebat eſſe maiorem in ſucceſſione paterna. Hoc patet manifeſtius 1. Paral. 5. ſcilicet, Ruben fuit primogenitus Iſraël, ſed cùm violaſſet Torum patris ſui, data ſunt primogenita eius Ioſeph, & filijs, & non eſt ille reputatus in primogenitum: & tamen filij Ioſeph non habuerunt aliquid ſpeciale inter cæteros, niſi quòd habuerunt duas ſortes, cùm quilibet de alijs filijs Iacob haberet vnicam: ergo ius primogenitur̃ quod habetur Deut. 21. ſcilicet, quòd haberet primogenitus duplum ad quemlibet fratrem ſuum, fuit ſeruatum tempore Iacob, quòd fuit multo tempore ante dationem legis: & ſic fuit tempore Abrahæ.

D

Conſiderandum autem quòd Iacob habuit quatuor vxores, duas principales, ſcilicet Liam, & Rachelẽ, & duas minus principales, ſcil. Balam & Zelpham ancillas iſtarum, Geneſ. 30. Et tamẽ nunquam vocatæ ſunt iſtæ duæ cõcubinæ, licèt eſſent minus principales, ſed ſemper vxores: etiam filij earum non acceperunt minus de hæreditate Iacob, ſcilicet de terra Chanaan ei promiſſa, quàm cęteri filij, quia quilibet ſuſcepit vnam ſortem ſolam præter Ioſeph, qui ſuſcepit duas, quia data ſunt ei primogenita Ruben. Iſtud autem fuit, quia licèt Bala, & Zelpha eſſent minus principales vxores Iacob, tamen habebant ſubarrhationem, ſiue data ſunt eis caduſſin in deſponſatione: & ſic licèt communiter teneatur, quòd ad hoc quòd aliqua vxor in lege veteri vocetur concubina, ſufficiat, quòd ſit vxor minus principalis; tamen non ſufficit ſolùm hoc, quia quædam accipitur cum caduſſin; & iſta habet quatuor priuilegia, quæ poſita fuerunt ſuprà, & alia accipitur ſine ſubarrhatione, & illa caret illis.

Notandum de quatuor vxoribus Iacob.

E

Conſiderandum autem, quòd iſte modus loquendi eſt in iure humano, & apud ſanctos patres, quòd illa, quæ cum ſolennitatibus traducitur, vocetur vxor, quæ autem affectu coniugali accipitur: & tamen ſine dotatione, ſubarrhatione, & ſolennitatibus vocetur concubina, & tamen licitè teneatur: ſic habetur in decretis 33. diſtinct. c. 1. cùm dicitur: Concubina hic intelligitur, quę ceſſantibus legalibus inſtrumentis vnica eſt, & coniugali affectu aſciſcitur, hanc coniugem fecit affectus, concubinam lex nominat: Sic etiam in Concilio Toletano diffinitum eſt, & habetur diſtin. 34. c. is qui, ſcilicet, ſi quis non habuit vxorem, & pro vxore concubinã habet, vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ ſit contẽtus. Ecce vbi licitam facit coniunctionem cum concubina: & tamen falſum eſſet, niſi eſſet verè vxor. Item Iſidorus de diſtantia veteris, & noui teſtamenti, & habetur eadem diſtinct. cap. Chriſtiano. ait Chriſtiano, non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi vnam tantùm, aut vxorem, aut certè loco vxoris, ſi vxor deeſt, concubinam. Ecce quare licitum eſt habere concubinam, id eſt vxorem non ſolenniter ductam, vnde gloſ. ibidem dicit concubinam eſſe mulierem non ſolenniter ductam: & tamen mutuus conſenſus interuenerit, quia aliam concubinam habere non licet, vt patet 32. quæſtio. 4. cap. nemo. & vocatur præcipuè concubina, quę minoris ſtatus eſt, & non quòd ad eam accipiendam fieri oporteat ſubarrhationem, & donationem, & ſolennitates magnas: & hoc modo, quod non ſufficit ad ducendum vxorem, ſufficit ad ducendum legitimam concubinam. Et hoc eſt quod ſenſit Iſidorus in cap. Chriſtiano, nunc allegato, ſcilicet, dum vxor deeſt, loco vxoris poteſt haberi concubina: ergo defectus, vel impotentia complendi aliquid, facit differentiam inter vxorem & concubinam hoc modo. Iſtud erat vnum quod faciebat differentiam inter Saram, & Agar, atque Ceturam, quia Sara erat æqualis in genere & diuitijs Abrahæ, & non poterat duci, quia ipſe non conſentiret ſine his ſolennitatibus, ſcilicet ſubarrhationum, & reliquorum. Agar autem, & Cetura erant pauperes, & quomodocunque Abraham vellet eas ducere conſentirent. Iſte modus quaſi loquendi eſt in legibus humanis: nam cum vir, & vxor ſunt imparis ſtatus exiſtente maioritate ex parte viri, lex non dicit matrimonium, ſed concubinatum, & ipſam non vxorem, ſed concubinam vocat, niſi dotalia inſtrumenta interueniant, vt C. de nuptijs imparilibus, §. immò. & ff. de donationibus, l. donationes. Cùm autem ſunt pares in ſtatu, dato quòd non interuenerint inſtrumenta dotalia, lex vocat vxorem, vt ff. de ritu nuptiarum, l. in liberæ. & ſic inſtrumenta dotalia in imparibus faciunt vocari vxorem, quibus

Modus loquẽdi iuris antiqui, de quo latius dixit auctor 1. reg. 8. cap.

F

Sara erat æqualis in genere & diuitijs Abraha.

A deficientibus vocatur concubina: & apud Hebræos caduſſin ſiue ſubarrhationes erant loco huius totalis inſtrumenti, ideo cui non dabantur caduſſin vocari poterat concubina. Sic fuit de Agar & Cetura.

Nunc dicendum eſt ſic de vxore Leuitæ, quia illa vocatur vxor, quia licitè tenebatur affectu coniugali, & quia non dederat ei caduſſin, ſed ſimpliciter acceperat, quia fortè erat minoris ſtatus, quàm ipſe, vocatur concubina. Et ſecundùm iſtum modum reſpondendi tolles multas difficultates, quę in alijs locis reperies.

De Bethlehem Iuda. Vocatur Bethlehem Iuda cum additione ad differentiam alterius Bethlehem, quæ erat in ſorte Zabulon, vt patet Ioſue 19.

Quæ reliquit eum. Scilicet dupliciter quantum ad legem tori, quia alteri viro copulata eſt adulterando: etiam quia receſſit ab eo. Patet hoc ex litera Hebraica, quæ dicit: *Et adulterata fuit ſuper ipſum concubina ſua.* Id eſt præter ipſum accepit alium virum ad coitum. Et accipitur ſuper pro præter: ex hoc etiam patet, quòd non erat concubina ſimpliciter, quia ſi eſſet concubina etiam ſi commiſceretur alteri, non diceretur adultera, quia nulla lege ei tenebātur: ideo erat vxor ducta ſine ſolennitatibus: & iſta tenebatur ſeruare viro fidem, ſicut ſi cum ſolennitatibus ducta foret.

Et reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem. Scilicet habitabat Leuita in latere montis Ephraim, & ibi erat vxor ei cohabitās, & inde receſſit in Bethlehem: cauſa receſſus fuit timor, B quia fornicata fuerat, & putauit quòd occideret eam vir.

Manſitq; quatuor menſibus apud eum. Scilicet in illis quatuor menſibus Leuita non requiſiuit eam eundo pro illa. Ioſeph. lib. 5. Antiquitatum vult, quòd vxor Leuitæ non fornicata fuerit, ſed propter diſcordias receſſerit à viro ſuo, & hoc videtur tenere litera noſtra, quia noluit dicere, quòd mulier fornicata eſt, ſicut dicit litera Hebræa: ſed dicit quòd reliquit eum, & reuerſa eſt in Bethlehem. Vnde ait Ioſephus. Vir Leuita de populo, qui erat ſortis Ephraim, & ibidem habitabat, de Bethlehem duxit vxorem: hic autem locus eſt tribus Iudę. cumque vehementer amaret coniugem, & eius pulchritudine victus afficeretur, quando ab illa non ſimiliter amabatur, & ille propterea paſſione amoris vreretur, lites frequēter inter eos eueniebant. Ad vltimum verò mulier his grauata relinquens virum, abijt ad parentes menſe quarto. Vehementerque grauè ferens vir per amorem venit ad ſoceros, ſolutisque litibus, placatus eſt circa eam.

Secutusq; eſt eam vir ſuus. Scilicet poſt quatuor menſes, cùm ipſa nō rediret, vir ſuus illùc iuit, quia fortè expectauit, quòd ipſa pœniteret, & rediret ad eum, vel parentes illius reducerent eam. In Hebræo dicitur: *Manſitq; ibi diebus quatuor menſibus.* Vbi nos dicimus quatuor menſibus ſolùm: & fuit poſitū diebus ex ſuperabundāti. Eſt tamen vt exponens expoſitum intranſitiuè, ſcil. ſtetit ibi diebus aliquot, qui ſunt 4. menſes.

C *Intētio Ioſephi penes literam.* *Volens ei reconciliari.* Iſta litera demonſtrat intentionem Ioſephi, ſcil. quòd non receſſerat iſta mulier propter adulterium, ſed propter iurgia quotidiana, ideo vir volebat reconciliari ei, tanquam offendiſſet eam iurgijs vehementibus & irrationabilibus. *Atq; blandiri.* Scilicet loquēdo ei verba blanda, qualia ſunt verba amatorum. Sic dicitur Geneſ. 34. de Sichem, qui diligebat nimis Dinam filiam Iacob, quam defloraverat, ipſaq; triſtis erat. Et dicitur: Triſtem blanditijs deliniuit: Eſſent autem iſtæ blanditiæ promittendo, quòd nunquam amplius iurgaretur cum illa, ſed diligeret vt animam ſuam, & alia tenera verba amantium, quę ſolent generare teneros affectus, ideoq; blanditiæ appellantur. Iſtud procedit exponendo literam ad intentionem Ioſephi, & literæ noſtræ, quæ volunt eam non fuiſſe fornicatam. Sed exponendo ſecundùm literam Hebraicam: dicendum quòd vir offenſus fuerat adulterio vxoris, quia tamen pulchritudine vincebatur, cogebatur diligere eam: & tener affectus amoris feros iracundiæ iuſtiſſimæ compeſcebat, & penitus domabat motus. Sic ait Seneca tragœdia quarta, cuius nomen eſt Hippolytus. carmine 3. in fine, quòd amor omnes paſſiones etiam ferociſſimas ceſſare facit, & ei obediunt: vnde cùm mulier debuiſſet veniam petere, vir domitus magnitudine amoris tanquam bos ductus ad victimam vxorē precabatur pro reconciliatione, blādiebaturq; ei tanquam ipſe illam offendiſſet: multa enim ſimilia legimus, & vidimus, de quibus nō oportet dilatare ſermonem. Sic patet Eſdræ 2. cap. 4. vbi inducitur exemplum de fortitudine mulieris, quomodo ipſa viros domet. *Et ſecum reducere.* Tam intensè diligebat Leuita ille vxorem ſuam, quòd ſine illa difficilem putabat ſe ſuſtinere vitam. *Habens in comitatu puerum.* Scilicet ad ſeruiendum ſibi, & vxori ſuę cùm reduceret eam. *Et duos aſinos.* Scilicet vnum ad equitaturam vxoris, & alium pro ſe, vel ad deportationem neceſſariorū in via. Quod patet, quia quando venit in Gabaa, dixit ſe portare omnia neceſſaria, tam pro ſe, quàm pro aſinis, & nulla re indigere niſi hoſpitio. *Quæ ſuſcepit eum.* Scilicet gratis: nam licèt prius receſſiſſet ab eo irata, quia tamen videbat nunc eum ad ſe venientem benignum gauiſa eſt, & hoc quocunque modo accipiatur, quòd mulier receſſerit: nam ſi dicatur quòd ipſa receſſerit timore mortis propter adulterium, nunc vidit virum benignè ad ſe venientem, & gauiſa eſt, quia per hoc remittebat ei mortem. Si verò dicatur, quòd receſſerat propter iurgia, & rigorem viri, nunc videbat eum deſiderantem reconciliari ei, & blandientem, ideo recepit eum. *Et introduxit in domum patris ſui.* Scilicet, quia ipſa vidit eum primò venientem, & fecit introire in domum patris ad manēdum. *Quod cùm vidiſſet ſocer eius.* Scilicet, quòd filia ſua introducebat virū ſuum Leuitam in domum. In Hebræo dicitur: *Quod cùm vidiſſet pater puellæ.* Et ſic litera noſtra ſignat, quòd iſta puella erat vxor Leuitæ, quia vocat patrem puellę ſocerum Leuitæ. Litera autem Hebraica ſignificat non eſſe vxorem, vel ſaltem non ſignificat illud, licèt non ſignet contrarium, cùm dicat, quod cū vidiſſet pater puellæ: & tamen hoc nihil agit, quia infrà poſtea vocat eum ſocerum, & puellam vxorem Leuitæ: ſed variat modum loquendi ex cauſa ſuprà aſſignata. *Cumq; vidiſſet.* Scilicet vidiſſet Leuitam introeuntem in domum. *Occurrit ei lętus.* Iſtud fuit gaudium propter reconciliationem viri ad vxorem: nam ſiue receſſiſſet puella propter adulterium, ſiue propter iurgia, cùm nunc videret virum ſibi reconciliari, erat gaudium. *Et amplexatus eſt hominem.* Scilicet, præ gaudio amplexatus eſt illum. E

An licuerit iſti Leuitæ accipere vxorem de Bethlehem. Et quo modo licebat viris de vna tribu accipere vxorem de alia tribu.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR circa hoc, an licuerit iſti Leuitæ accipere vxorem de Bethlehem?

Aliquis dicet, quod non: quia Deus iuſſerat, quòd viri acciperent fœminas de tribubus ſuis in vxores, & mulieres acciperent viros de tribubus, & familijs ſuis, Num. 36. cap. ergo Leuita nō poterat accipere vxorem, niſi de ſtirpe Leui: Bethlehem tamen erat ciuitas de ſorte Iudæ, vt hic dicitur: & ſic acciperet vxorem de progenie Iudæ.

Reſponderi poſſet ad hoc, quòd Leuita iſte accepit vxorē de ſtirpe ſua, ſcilicet Leuitarum, & quando dicitur, quòd erat de Bethlehem, non obſtat, quia in Bethlehem habitabant Leuitæ, & alicuius illorum poterat eſſe iſta puella filia. Patet hoc de Leuita, qui venit in domum Michæ: nam ille erat Leuita de Bethlehem, ſuprà 17. & ſic multi alij habitarent ibi. Sed iſta reſponſio non eſt neceſſaria, quia præſupponeretur, quòd Leuitæ non poſſent accipere vxores, niſi de tribu Leui: ſed falſum eſt, quia Leuitæ accipiebant vxores de quibuſcunque tribubus. F

Pro quo ſciendum, quòd in Leuitis erat ſpecialius, quàm in cæteris viris Iſraël: nam lex de accipiendo vxores de eiſdē tribubus fuit data propter impermixtionem poſſeſſionum, quia ſi commiſcerētur fœminæ & viri diuerſarum tribuum, neceſſe erat hæreditates de vna tribu tranſire in alteram per ſucceſſionem filiorum: ſicut patet exemplum, quòd poſuerunt filij Manaſſe contra filias Salphaad, ſcilicet, quòd ipſæ ſucceſſerant patri ſuo in defectum filiorum: & ſi nuberēt viris alterius tribus, filij illarum ſuccederent in hæreditate materna, & quia filius eſt de tribu, & cognatione patris, & non denominatur de cognatione matris, potiſſimè in veteri teſtamento, vbi ſeruabantur valdè iura primogenituræ, illa parś hæreditatis matris, q̄ fuerat de tribu Manaſſe, trāſiret ad tribum illam, de qua eſſent viri, cum quibus cōtraherent: & ſic permiſcerentur ſortes, quæ à principio diſtinctæ fuerant: &

A *Leuita poterat vxores ducere de qua libet tribu Israel, tamen non succedebat tales vxores patribus suis.*

ob hoc data est lex dicta, Num.36. cap. In Leuitis autem non stabat hoc, quia Leuitæ nullam hæreditatem habebant inter cæteros Israëlitas, Numerorum 18.& Deut.18. Et sic non essent causa perturbationis sortium: quod patet, quia aut Leuita acciperet vxorem de tribu non Leuitica, aut vir non Leuita acciperet vxorem de filiabus Leuitarum. Si secundo modo non erat aliqua confusio, quia filia Leuitæ non poterat succedere, eo quòd erat fœmina. Etiam dato quòd in casu posset succedere, non habebant Leuitæ aliquid immobile, in quo possent eis succedere posteri sui: ideo licèt filij huius mulieris pertinerent ad tribum illam, de qua erat vir suus, non fiebat confusio sortium, eo quòd nihil de sorte Leuitarum transibat ad aliam tribum propter fœminam, cùm Leuitæ nihil immobile haberent, quod posset transire ad alias tribus: ideo expresè erat permissum, quòd filia sacerdotis, vel Leuitæ posset accipi in vxorem à quolibet de populo. Sic patet Leuitici vigesimosecundo, scilicet: Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his, quæ sanctificata sunt, & primitijs non vescetur, quasi dicat, si nubet alicui non de populo, sed de sacerdotibus, vel Leuitis, poterat comedere de sanctificatis. Rationes horum ibi declaratæ sunt. Si autem Leuita acciperet in vxorem aliquam de alijs tribubus, non sequebatur aliqua confusio sortium, quia accipiebant tales mulieres, quæ non haberent speciem succedendi patribus, & tunc filij earum erant de stirpe Leuitarum, & nihil transibat de alia tribu ad tribum Leuitarum propter mulierem illam. Si autem contingeret, quòd mulier accepta à Leuita aliquo modo esset succedens patri in hæreditate, vtpotè deficientibus filijs, videbatur tunc dubium, scilicet, quia filij huius mulieris accipere debebant id, quod prouenerat matri, & ipsi essent Leuitæ propter patrem, & sic Leuitæ haberent sortem.

B

Dicendum, quòd cùm sic contingeret, non debebat mulier illa succedere, eo quòd filij sui erant inhabiles ad aliquid possidendum immobile, ideo redibat hæreditas ad patruos, vel ad alios propinquos patris, velut si non staret filia secundùm ordinem, qui ponitur Num. 27. cap. & secundùm hoc multi de Leuitis, & Sacerdotibus accipiebant vxores de alijs tribubus. Nam Ioiada summus sacerdos accepit in vxorem Iosabam filiam regis Ioram 4.Reg.c.11. De reliquis autem Israëlitis erat alia lex: nam iubebatur, quòd quilibet acciperet vxorē de tribu sua, & quælibet mulier acciperet virum de tribu & familia sua, Num.36. quod Nicolaus, & quidā alij intelligunt de mulieribus, quæ succedebāt in hæreditate paterna.

De successione hereditatū secūdum Nicol.

Pro quo considerandum, quòd in veteri testamento mulieres non succedebant patribus, sed soli masculi, vnde dato quòd quis haberet triginta filias, & vnicum filium, ille erat heres vniuersorum immobilium. Cùm autem deficiebant filij succedebant filiæ. De filijs autem erat generale, quòd siue multi, siue pauci essent, quilibet succedebat secundùm partes æquales, præter primogenitum, qui sortiebatur duplum ad quemlibet aliorum fratrum. Hoc patet Numerorum 27. iuncto Deuter.21. Dicunt ergo isti, quòd filiæ quando succedere debebant patri, non poterant nubere viris aliarum tribuum, quia in illis erat casus legis, vt in filiabus Salphaad, quæ succedebant patri, & propter hoc lex data est ne commiscerentur sortes: cùm autem fœmina erat non successura patri, vtpotè stantibus liberis maribus dicunt, quòd poterat accipere virum de alia stirpe, quia ibi non sequebatur confusio sortium.

C

Sed dicendum, quòd ista regula erat generalis, quantum ad omnes viros, & fœminas aliarum tribuum, qualitercunque se haberent, sicut patet Numerorum 36.& ibi probatum est. Et ratio huius est, quia licèt ratio legis fuerit, vt non permiscerentur sortes; tamen oportet, quòd teneatur lex tam in illis, de quibus manifestum est, quòd succedere debēt, quàm in alijs, de quibus est dubium: nam mulier erat, quæ non posset in aliquo casu dato succedere, vtpotè aliquis genuit filios, & filias, iam apparet de filiabus, quæ non debent succedere propter liberos mares. Si ergo immediatè liceret illis accipere viros de alijs tribubus, contingeret interdum, quòd fratres illarum morerentur sine liberis ante mortem patris, & manebat successio filiabus, & iam essent traditæ alijs viris: ex quo sequebatur necessariò, quòd permutarentur hæreditates sortium. Item dato casu fortiori, scilicet, quòd quis haberet filios, & filias, & morereturtur succederentque filij: deinde illi morerentur non susceptis liberis, veniebat hæreditas ad sorores: vel dato quòd isti succedentes patri gignerent filios, & morerentur ipsi, & patres eorum, manebat successio sororibus, tanquam si isti nunquam habuissent liberos: ergo licèt mulier non videretur successura patri, semper pendebat in dubium, an succedere posset aliquo casu dato, quousque moreretur: ideo propter istud dubium fuit lex generalis ad omnes viros & fœminas, quia quælibet fœmina poterat applicari ad casum legis, scilicet ne transiret hæreditas ad illam tribum. Sed aliquis obijciet, quòd sicut Leuitæ accipiebant interdum coniuges, quibus eueniebat quòd succedere deberent patribus, & tunc successio conuertebatur ad proximos de familia illa, & non succedebant istæ mulieres, nec filij earum: ita fieret in viris aliarum tribuum, qui acciperent mulieres, quas contingeret succedere patribus, quia tunc cōuerti potest successio ad proximos illius tribus.

D

Dicendum, quòd non est simile de Leuitis, & de alijs, quia filij Leuitarum, eo quòd erant filij Leuitarum, erant prohibiti succedere, & priuati omni iure possidendi rem aliquam immobilem: quamquam ergo non succederent in parte illa hæreditatis, quæ aliàs proueniebat matri, non fiebat eis grauamen: filij tamen aliorum virorum poterant possidere, & succedere debebant de iure patribus, & etiam matribus si aliquid haberent. Quòd ergo nunc mater haberet aliquid, in quo non posset succedere filius, qui aliàs non erat priuatus iure succedendi, videbatur valdè grauatorium, ideo Leuitis licuit accipere vxores de quacunque tribu: alijs autem viris non licuit, sicut declaratum est Numerorum 36. ca. Cùm autem contrarium aliquando reperiatur, est dispensatio in quibusdam, sicut in regibus, vtpotè quando Dauid accepit Michol filiam Saulis in vxorem, & in quibusdam erat peccatum. Nam nec oportet omnia excusare, cùm videamus quædam pessimè facta: & sic vir iste Leuita potuit licitè accipere vxorem de Bethlehem, licèt non esset de stirpe Leuitarum.

E

Si mulier alicuius in veteri testamento adulteraretur, an poterat vir suus reconciliare eam sibi, vel tenebatur subire pœnam legis.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlteriùs, si peccasset mulier istius Leuitæ adulterando, si poterat ei reconciliari vir, ita vt non occideretur.

Aliquis dicet, quòd non poterat, quia Numerorum 35. dicitur: Quòd reus mortis pro nullo pretio dimitteretur, sed statim occideretur, ita ergo precibus, vel alia occasione, non posset remitti ei mors, & tamen mortis rea erat mulier, quæ fornicabatur; ergo non poterat ei remitti, sed tenebatur iudex eam occidere.

F

Respondendum, quòd aut erat crimē manifestum, quod probari posset, & sciebatur ab aliquibus de populo, aut solus vir cognouerat hoc. Si secundo modo dicendum, quòd non tenebatur eam accusare, sed poterat ei remittere, quia vindicta legis in fauorem viri erat introducta, & non peccabat remittendo peccatum, sed potius merebatur, quia lex non obligabat virum ad accusandum eam, sed dabat ei potestatē ad hoc. Potest autem quilibet renunciare iuri suo, quando in fauorem eius solius introductum est.

Nec obstant ad hoc casus speciales, quia ibi in fauorem aliorum introductum est ius, & non ipsorum qui volunt renunciare, & non possunt. Si autem adulterium esset publicū, vel notorium, aut qualitercunque probabile, quilibet de populo poterat accusare, quia erat crimen publicum, ad cuius accusationem quilibet de populo admittitur.

Cur Christus nō condemnauit mulierem adulteram.

Dicendum tamen, quòd si nullus accusaret adulteram, dato quòd notum esset iudici per notorietatem facti aliquam adulteratam, iudex non poterat eam condemnare. Sic patet Ioan.8. vbi præsentata est Christo mulier capta in fornicatione, & accusabatur coram eo, & cùm accusatores insisterent, ipse condemnabat eam directè, dicens: Qui sine peccato vestrùm est, primum lapidem mittat in eam. Postea autem illis recedētibus, & per hoc desistentibus ab accusatione

Chri-

A Christus eam non condemnauit, sed potius absoluit, dicens: Mulier quis te accusat? & illa, nemo Domine. Tunc Christus dixit: nec ego te condemnabo, quasi dicat, si continuauissent in accusatione tua aduersarij, oportuisset te condemnari: qa tamen ipsi destiterunt, nec ego debeo contra te procedere: & tamen ibi erat peccatum notum Christo, non vt Deo, sed vt iudici, quia dixit mulieri: vade, & amplius noli peccare. Etiam quia prius dixerat: Qui sine peccato vestrûm est, primum lapidem mittat in eam: & tamen istam condemnationem iudicialiter non tulisset, nisi constitisset euidenter per confessionem mulieris, vel per testes adulterium perpetratum. A fortiori ergo nondum cœpto negotio iudicialiter, dato quòd iudex sciret mulierem adulteratam, nõ poterat eam condemnare.

Sciendum tamen, quòd si iudex volebat esse tanquam vnus de populo, cui competeret accusatio, & prosecutio criminis publici, deposita auctoritate iudicis, poterat esse vt accusator, & si produceret sufficientes testes coram alio iudice, qui cognoscere posset, obtinebat condemnationem contra adulteram: sic patet de duobus senibus, qui accusauerunt Susannam. Nam illi erant iudices, & tamen ipsi processerunt vt accusatores, vt patet Dan. 13.

Sciendum etiam, quòd viro non accusante vxorem adulteram, quilibet de populo poterat accusare, quia erat adulterium de criminibus publicis, cuius prosecutio pertinet ad
B quemlibet de populo: sic patet de illa muliere quæ ducta est ad Christum, Ioan. 8. nam multi processerunt accusantes eã: & tamen non esset quilibet vir eius. Etiam nullus accusauit eam vt vir suus, sed vt extraneus: nam dixerunt: Magister hæc mulier deprehensa est modo in adulterio. Etiam quia si aliquis istorum vir fuisset mulieris illius, non accusasset eam coram Christo, quia illa accusatio erat solùm ad tentandum: sed coram iudicibus suis, qui poterant condemnare ad mortem. Item patet in duobus senioribus accusantibus Susannam de adulterio: quia neuter illorum erat vir Susannæ, vt patet Daniel. 13. Sciendum tamẽ, quòd prosecutio istius criminis pertinebat ad quemlibet, & tamen si vir remitteret, cessabãt omnes accusationes aliorum, eo quòd ei iniuria illata fuerat, sic patet in criminibus publicis, scilicet in adulterio, homicidio, & similibus.

Sed obijcietur, quòd etiam viro nolente accusaretur vxor de adulterio ab alijs, vt patet de Susanna: nam dicitur quòd vir suus Ioachim dolebat nimis, & erubescebat, quòd talia dicerentur de Susanna, & tamen duo seniores populi (non obstante hoc) accusabant eam.

Respondendum, quòd licèt Ioachim non accusaret Susannam, quia ipse nesciebat crimen, & dolebat si aliquid tale factum fuisset, tamen non repugnabat senioribus accusantibus, eo quòd si vxor perpetrauerat adulterium, ipse ex hoc esset infamatus, & ob hoc nollet eam retinere, & sic procedebat accusatio seniorum: si tamen prohibuisset accusationẽ
C vir Susannæ, nulla accusatio susciperetur contra eam. Sic erat hic de vxore Leuitæ, quòd si ipse vellet ei remittere & reconciliari, siue crimen esset notorium, siue qualecunque, non poterat quisquam eam accusare. *Mansitq; gener in domo soceri diebus tribus.* Istis tribus diebus mansit in gaudio reconciliationis factæ, & non petebat quòd dimitteretur recedere, sed immediatè post hoc petijt dimitti. In Hebræo dicitur: *Mansit vir in domo soceri.* Et non dicitur gener: sed idem est, quia si vocatur vnus ipsorum socer, necessariò vocabitur alter gener, quia ista relatiua sunt. *Comedens cum eo, & bibens familiariter.* scilicet comedebant, & bibebant cum magna familiaritate, & lætitia de reconciliatione facta.

Die autem quarto de nocte consurgens proficisci voluit. Quem tenuit socer, & ait ad eum: Gusta prius pusillum panis, & confortato stomachum, & sic proficisceris. Sederuntq; simul ac comederunt, & biberunt. Dixitq; pater puellæ ad generum suum: Quæso te, vt hodie hic maneas, pariterq; lætemur. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixè eum socer tenuit, & apud se fecit manere. Mane autem facto parabat Leuites iter. Cui socer rursum: Obsecro, inquit, vt paululum cibi capias, & assumptis viribus donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul: surrexitq; adolescens cum vxore sua, & puero. Cui rursum locutus est socer: Considera, quòd dies ad occasum decliuior sit, & propinquet ad vesperum. Mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem: & cras proficisceris, vt vadas in domum tuam. Noluit gener acquiescere sermonibus eius: sed statim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ierusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam. Iamque aderant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem. Dixitq; puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad vrbem Iebusæorum, & maneamus in ea. Cui respondit Dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filijs Israël, sed transibo vsque Gabaa, & cùm illuc peruenero, manebimus in ea, aut certè in vrbe Rama. Transierunt ergo Iebus, & cœptum carpebant iter. D

1. Reg. 11.

Die autem quarto. Hic ponitur secundum huius partis, scilicet vxoris reconciliatę reductio. Et dicitur: *Die autem quarto de nocte consurgens.* Visum est satis fuisse ad gaudium reconciliationis mansisse tribus diebus in domo soceri, nunc die quarto redire parabat ad propria, & ob hoc surrexit de nocte, scilicet vt pararet ea quæ ad iter erant necessaria, & diluculo recederent, ne moraretur aliqua parte diei apud socerum. *Vxoris reconciliatæ reductio.*

Proficisci voluit. Id est, incœpit se parare ad iter. *Quem tenuit socer.* Scilicet, sermonibus suasorijs orans, ne recederet. *Et ait ad eum, gusta prius paululum panis.* Nomine panis intelligitur quicquid comedi potest: nam & mel intelligitur appellatione panis, vt patet primo Regum decimoquarto, de Ionatha, qui comedit me, & incidit in periurium siue pœnam patris. Et tamen pater dixerat: Maledictus, qui comederit panem vsque ad vesperum. Etiam est modus iste loquendi vrbanus, quia aliqui volentes laudare res suas, dicunt se alicui daturos panem, & aquam: & inuitant eum ad multos cibos. *Et confortato stomachum.* Scilicet, stomachus confortatur sumpto cibo, quia tunc habet, quid digerat: cùm verò nihil est, oportet quòd humidum radicale consumatur agente calore stomachi. Competit autem pani potissimè confortare: sic habetur Psalm. 103. scilicet: Panis cor hominis confirmet. Similiter locutus fuit Abraham tribus angelis venientibus ad eum, Genesis 18. scilicet: Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, & sic transibitis. *Et sic proficiscere.* Id est postquam comederis proficiscaris. Vel sic proficiscere, scilicet, confortato stomacho, & non ieiuno. *Sederuntq; simul, & comederunt atq; biberunt.* Intentio soceri erat detinere generum aliquot diebus, quia gaudebat videns eum apud filiam, & ob hoc quærebat occasionem detinendi eum, & sic sedit cum eo ad comedendum. E

Dixitq; pater puellæ ad generum suum. Iterum patet hic, quòd erat ista puella vxor, quia nunc vocatur Leuita gener, quod non stat, nisi pater puellæ sit socer, cùm ista sint correlatiua. *Quæso, vt hodie hic maneatis.* Id est rogo, quòd non curetis hodie recedere, sed quiescamus vacantes delicijs. *Pariterq; lætemur.* Scilicet comedendo, & bibendo, & colloquendo, & videndo. nam amici inuicem valdè gaudent de mutua visione, & collocutione: quia iste est actus eorum, scilicet conuiuere, vt patet 9. Ethic. conuiuere autem magis accipitur in collocutione, quàm in ciborum cõmunicatione: vnde ait Philosophus, vbi suprà: Conuiuere est mente, & verbo participare, & non quemadmodum animalia in eodem pasci. *Atq; ille consurgens cœpit proficisci.* Scilicet finito cibo: nam non federat ad cibum animo manendi die illa apud socerum, sed recedendi: nam sic socer dixerat: stans autem socer in mensa, orauit, vt gener maneret ibi die illa, & ille non acquiescens surrexit de mensa, vt progrederetur. & dicitur quòd cœpit velle proficisci, quia cœpit iterum disponere sarcinulas suas ad recedendum. Vel cœpit ostendere animum recedentis. *Et nihilominus eum obnixè tenuit socer.* Id est non obstante, quòd Leuita conaretur recedere tenuit eum obnixè, id est instanter, vel cum magnis precibus socer. *Et apud se fecit manere.* Scilicet, vicit eum precibus, & tenuit die illo, scilicet quarto. *Mane autem facto.* Scilicet in die sequenti, qui erat dies quintus. In Hebræo dicitur: F

Die

A *Die quinto.* Vbi nos dicimus, mane facto: & idem est, quia istud mane erat diei quinti, cùm pateat suprà ex litera, quòd mansisset diebus quatuor Leuita apud socerum suum. *Parabat Leuites iter.* Scilicet disponendo sarcinulas, vt pergeret. *Cui socer rursum.* Id est iterum dixit hoc, scilicet, quia die quarto præcedenti hoc idem fecerat. In Hebræo dicitur: *Cui pater puellæ rursum.* Sed idem est, quia aliquando vocatur socer, & aliquando vocatur pater puellæ: erat tamen verè socer, vt declaratum est. *Oro te, inquit, vt paululum cibi accipias.* Verba soceri signabant, quòd Leuita comederet modicum ad itinerandum, & tamen intendebat tenere eum, sicut præcedenti die.

Et assumptis viribus, donec increscat dies. Id est, assumendo cibum assumas vires, & recreeris, donec increscat dies, id est elabatur aliquanta pars diei. Dicitur autem dies increscere, cùm labitur, quia sol surgit, & tendit ad maiorem altitudinem vsque ad meridiem. *Postea proficiscaris.* Scilicet, postquam transierit aliquanta pars diei, & modicum quieueris. *Comederunt ergo simul.* Intendebat eum socer allicere per simultanea gaudia, ideo comedebat cum eo, & congaudebat, vt ille commanere desideraret. *Surrexit adolescens.* Scilicet, surrexit de mensa. Vocatur Leuita adolescens, quia adhuc ætate iuuenis erat. *Vt pergeret cum vxore sua, & puero.* Erat iam sibi molestum tamdiu manere, quia manendo apud socerum familiaria negotia dimittebat. Et dicitur cum vxore, & puero, B quia nullum alium comitatum habebat: vnde suprà dictum est, quòd Leuita habebat in comitatu suo vnum puerum, & duos asinos. *Cui rursum locutus est socer.* Volebat iterum eum detinere, quia gaudebat videndo filiam. In Hebræo dicitur: *Cum concubina sua, & puero.* Vbi nos dicimus cum vxore: sed aliquando vocatur concubina, & aliquando vxor, vt suprà dictum est.

Considera quòd dies ad occasum decliuior est. Id est considera, quòd sol declinat ad Occidentem, & modica pars diei superest ad iter, ideo inutile est proficisci hodie. Vocatur autem dies hoc ipse sol, qui aliquando eleuatur, & aliquando deprimitur per circulum suum. Nam aliàs propriè sumendo diem non est verum, quòd inclinetur, quia dies tempus quoddam est, & non mouetur ascendendo, nec descendendo.

Vespera, quæ pars sit diei.

Et approximat ad vesperam. Id est ad tardam horam diei. Vocatur vespera propriè quædam pars temporis ante occasum solis, & tamen largius accipiendo vocatur vespera totum tempus postquam sol incipit declinare à circulo Meridiano, *Mane apud me hodie.* In hoc patet, quòd socer superintendebat tenere Leuitam: nam aliàs non dixisset ei suprà, quòd maneret, donec increscceret dies: quia ista erat occasio non recedendi. Et dicitur: etiam hodie, sicut mansisti heri, quia te detinui, etiam mane hodie. *Et duc lætum diem.* Id est, habebis diem lætum, quiescendo mecum in colloquijs, & cibis. *Et cras proficisceris, vt vadas in domum tuam.* Id est, iam cras non te tenebo, & poteris liberè in domum tuam ire. In Hebræo dicitur: *Ecce* C *descendit, vel sedit dies: dormi hic, & quiescat cor tuum, & antelucabis cras ad iter vestrum, & ambulaueris ad tentorium tuum.* Eadem sententia est, quæ in litera nostra, & tamen litera nostra ponit eam in quibusdam verbis magis extensam, & politam: ecce descendit vel sedit dies, vbi nos dicimus: Considera quòd dies ad occasum decliuior sit. Quod autem litera nostra dixit: & propinquat ad vesperam, fuit ad explanationem, & nõ ad necessitatem. dormi hic, dicit litera nostra: mane apud me hodie, & est planior: quia dicendo: dormi hic. non nisi noctem signat superesse, dicendo: mane hic hodie. designat superesse saltem aliquam partem diei: quiescat cor tuum: dicit: produc lætum diem, & est litera nostra planior. Et antelucabis ad iter vestrum. & etiam cùm dicitur: ambulabitis ad tentorium tuum, est turbata, & barbara locutio. Vocatur domus tentorium, quia multi Israëlitarum illo tempore in tentorijs morabantur. *Noluit gener acquiescere sermonibus eius.* Erat enim valdè solicitus pro negotijs suis familiaribus, & putabat sic se detinendum quotidie à socero. *Sed statim perrexit.* Scilicet facto prandio, quanquam declinasset dies valdè ad occasum. *Et venit contra Iebus, quæ altero nomine vocabatur Ierusalem.* Illo tempore quãdo Leuita transiuit per illam Iebus vocabatur, quia tenebatur à Iebusæis. De nominibus multis huius, scilicet Solyma, Luza, Bethel, Ierosolyma, Iebus, Elia, vrbs sacra, Ierusalem, declaratum est Gen. 12. & 28. & ibi vide etiam mutationem istorum nominum.

Sciendum, quòd Ierusalem distat à Bethlehem, de qua recedebat Leuita, quia Bethlehem est magis Meridiana, quàm Ierusalem: nam Bethlehem est in sorte Iudæ, & Ierusalem est in sorte Beniamin, & tamen sors Iudæ est in latere Meridiano terræ Chanaan, Iosue 15. cap. & quia ibat Leuita iste ad ciuitatem suam, quæ erat in sorte Ephraim, vt patet suprà, erat iter per Ierusalem, eo quòd Ierusalem erat magis Meridiana, quàm ciuitas Leuitæ, cùm sors Ephraim esset magis Aquilonaris, quàm sors Beniamin, vt declaratum est Iosue 15. & 18. & nunc Leuita procedebat à Meridie versus Septentrionem. *Ducens secum duos asinos onustos.* Scilicet, ducebat in asinis illis necessaria ad iter, sicut patet infrà, & fortè socer donauerat ei aliquid quod portaret, cùm apud eum quieuisset quatuor diebus, & sic erant asini onusti. *Et concubinam.* Hic litera nostra vocat concubinam, cùm communiter vocet eam vxorẽ: sed ratio mutationis suprà assignata est. *Iamq; aderant iuxta Iebus.* Id est iuxta Ierusalem, scilicet quia apud eam transituri erant, cùm esset iter rectum per illam. *Et dies mutabatur in noctem.* Scilicet, quia incipiebat sol intrare sub horizonte. Vel erat propè, & ibi sunt confinia diei, & noctis. Et dicitur vnum mutari in alterum: est autem modus loquendi iste vulgaris: nam dies non mutatur in noctem, cùm non possit fieri conuersio in his, quæ non habent materiam, sed fiebat nox ex die, id est post diem, quia in his quæ transmutantur propriè postquam fuit vnum est alterum, ita cùm desinente die sit nox, dicitur mutari dies in noctem: non tamen totaliter sol occubuerat, vel erat in horizonte, sed erat prope, ita vt iam esset tempus declinandi ad hospitium. Nam infrà dicitur, quòd occubuit sol eis apud Gabaa. In Hebræo dicitur: *Dies descendit nimis.* Id est sol valdè inclinatus fuit, scil. quia erat iam apud horizontem, vel prope. Et accipitur dies pro sole, vt suprà dictũ est. *Dixitq; puer ad dominum suum.* Accipitur puer pro conditione famulatus, & non pro ætate. Et isto modo cõsueuimus vulgariter loqui dicentes hunc esse puerum illius, licèt sit senex, dum sit famulus eius. *Veni obsecro, declinemus ad vrbem Iebusæorum.* Id est declinemus ad manendum ista nocte in Ierusalem, quæ erat vrbs Iebusæorum, id est nunc tenebatur à Iebusæis. Ex hoc patet quod suprà dicebatur, scilicet, quòd factum fuerit istud ante mortem Caleb, & institutionem Othonielis in iudicem: nam Ierusalem capta est de manu gentilium tempore Caleb, vt patet suprà 1. cap. *Et maneamus in ea.* Scilicet hospitemur hac nocte. *Cui respondit dominus: non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filijs Israel.* Scilicet nõ ingrediar oppidum Iebusæorum, quia non sunt isti Israëlitæ.

An peccasset Leuita si introisset ad hospitandum inter Iebusæos in Ierusalem.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, an peccauisset Leuita si introisset ad hospitandum inter Iebusæos in Ierusalem? F

Aliquis dicet, quòd sic: quia vetita erat Israëlitis omnis communicatio cum Chananæis, vt patet Exod. 34. & Deut. 7. & cùm manere in Ierusalem, erat communicare Chananæis, quia viri loci illius erant de stirpe Iebusæorum, qui erant Chananæi. Item Leuita dixit: Non ingrediar oppidum gentis alienæ: & sic vitauit illos solùm ex hoc, quòd erant alieni respectu Israëlitarum, ideo peccatum erat manere cum illis, alioquin non vitasset illos, inquantum alienos, sed ex alia ratione.

Respondendum, quòd non peccasset Leuita si iuisset ad hospitandum inter Iebusæos in Ierusalem, quia Israëlitis nõ erat vetita communicatio Chananæorum, nisi quantum ad amicitias magnas contrahendas, scilicet communicando in comedendo, & bibendo, quia tunc poterat Israëlita ire ad comedendum cum amico suo Chananæo, & ille daret ei cibos consecratos idolo, Exod. 34. & istud fieret in peccatum Israëlitis. Item vetabatur contractio fœderum matrimonialium: nam sic filij Iudæorum essent de stirpe Chananæorum, & è contrario, & filij Chananæorum accipientes filias Iudæorum conuerterent eas ad idola, & viri Iudæi accipientes vxores Chananæas blanditijs illarum traherentur ad colenda idola, sic patet Exod. 34. & Deuter. 7. etiam vetabantur fœdera pacis inter eos, Numer. 33. quia tunc fieret hoc

A

Israëlitis in ruinam, & mala, quæ Deus cogitauerat facere Chananæis, faceret Israëlitis, vt patet ibidem, & Iosue 23. & suprà 2.cap.quòd tamen aliquando Israëlitæ manerent apud Chananæos,vel transirent per terram eorum, vel comederēt inter eos, non erat vetitum in lege, quia tunc misisset Iosue duos exploratores in Iericho, quia illi necessario communicaturi erant cum Chananæis.

Ideo dicendum, quòd si aliquo tempore esset pax inter Israëlitas,& Chananæos ex aliqua causa necessaria, quòd Israëlitæ poterant communicare Chananæis accipiendo ab illis necessaria, & commutando, sicut fit in negotiationibus, dum tamen matrimonia, & amicitiæ magnæ non contraherentur ex hoc:sic autem erat de Leuita,quia ipse solùm declinaturus erat ad manendum vna nocte in Ierusalem, & non intenderet ibi contrahere amicitias, nec matrimonium,nec etiam comedere de cibis Iebusæorum, quia ipse ducebat necessaria sibi, vt infrà dixit hospiti suo in Gabaa: licebat ergo sibi declinare in Ierusalem.

Ad rō nem 1. in diuersū.

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd ibi non vetatur omnis communicatio Israëlitarum ad Chananæos,sed solùm in matrimonijs, & fœderibus amicitiarū, & ista non erat contracturus Leuita in Ierusalem, licèt ibi maneret vna nocte.

Ad 2. rōnem.

B

Ad secundam rationem dicendum, quòd non euitauit Leuita ire in Ierusalem ad manendum, quasi peccatum esset manere in Ierusalem illa nocte, sed quia timuit:nam cùm esset gens aliena,timuit quòd aliquid mali sibi, vel vxori suæ irrogare possent,maximè cùm per noctem ad eos declinarent: de viris autem Israëlitis non tantùm timebat, eo quòd erant omnes de eadem stirpe & lege, & ritu communicandi, ideo essent in alterutrum benigniores. *Sed transibo vsque Gabaa.* Ista est quædam ciuitas parua de sorte Beniamin,de qua fuit Saul qui fuit primus rex Israël: vnde ipse semper morabatur in Gabaa,vt patet 1.Regum 10.& 11.& 13.atque 14.& 22.cap. Ex hoc patet,quòd Gabaa est satis propè Ierusalem: nam iam erat quasi nox, cùm dicat litera, quòd mutabatur dies in noctem,& tamen volebat recedere Leuita de Ierusalem in Gabaa.Etiam quia dicitur infrà,quòd occubuit eis sol apud Gabaa,& sic fortè distat per leucam,vel minus. In Hebræo dicitur:*Transibimus in Gabaa.* Sed idem est. *Et cùm illùc peruenero manebimus in ea.*Scilicet,ea ciuitas Israëlitarum,& ibi poterimus manere confidenter. *Aut fortè in vrbe Rama.* Prope Gabaa est vrbs Rama, quam aliqui Ramatha vocant, vt patet in libro de Situ terræ sanctæ, vbi ponuntur distincta: etiam distantia istarum à Ierusalem ponitur diuersa: nam Rama distat milliaribus quatuor à Ierusalem, & Ramatha distat 16. milliarijs: & hoc est conueniens. Nam quamquam sol multum declinaret, quando venit Leuita in Ierusalem, poterat partim per diem,partim per noctem venire in Rama,quæ distabat quatuor milliarijs, id est duabus Leucis: & tamen in Ramatha,quæ scil.16.milliarijs,id est leucis octo distabat,ire nō poterat ad manendum illa nocte.

De situ Gabaa

C

Sciendum etiam, quòd Rama magis distabat à Ierusalem quàm Gabaa,ideo dixit Leuita quòd irent in Gabaa, vel saltem in Rama,id est si non reciperentur in Gabaa, quia fortè essent valuæ vrbis seratæ, reciperentur in Rama, quæ fortè non habebat muros,& poterant introire omni tempore.Sciendum quòd Samuel non erat de Rama, qnæ distabat 4.milliarijs à Ierusalem, sed de Ramatha, quæ distabat 16.ideo pater suus dicitur de Ramathain 1.Regum.1.vel de Ramatha,1. Regum 2.& Samuel dicebatur morari in Ramatha,1.Regum 7.In Hebræo dicitur:*Et dixit puero suo,accedamus ad vnum de locis,& dormiemus in eis,vel saltem in Rama.* Et est sensus,quòd accederent ad Gabaa, qui vocatur vnus de locis, & dormirent in eis,id est in Gabaa, ponitur plurale pro singulari:nam poterant dormire simul in multis locis, vel saltem in Rama, id est,si nō potuero dormire in Gabaa, saltem dormiam in Rama.*Transierunt igitur Iebus.* Scilicet, quia apud eam trāsierunt. *Et cœptum carpebant iter.*Id est,prosequebantur iter, quod acceperant ad veniendum in locum suum.

Samuel erat de Ramatha

Occubuit q; eis sol iuxta Gabaa, quæ est in tribu Beniamin, diuerterunt q; ad eam vt manerent ibi. Quò cū intrassent,sedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio. Et ecce apparuit homo senex reuertens de Agro,& de opere suo vesperi, qui & ipse de mōte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filij Iemini. Eleuatis q; oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea ciuitatis,& dixit ad eum: Vnde venis,& quò vadis? Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Iuda,& pergimus ad locum nostrum,qui est in latere montis Ephraim,vnde ieramus in Bethlehem. Et nunc vadimus ad domum Dei, nullus q; sub tectum suum nos vult recipere,habentes paleas,& fœnum in asinorum pabulum,& panem,ac vinum in meos,& ancillæ tuæ vsus,& pueri,qui mecum est:nulla re indigemus, nisi hospitio. Cui respondit senex: Pax tecum sit,ego præbebo omnia,quæ necessaria sunt:tantùm quæso ne in platea maneas. Introduxit q; eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit, ac postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.

D

*Occubuit q; eis sol iuxta Gabaa.*Hic ponitur tertium, scilicet hospitatio, sed antequam venirent in Gabaa, nam iam erat valdè sero cùm recesserunt de Ierusalem, & mutabatur dies in noctem. *Quæ est in tribu Beniamin.* Id est, ista ciuitas Gabaa, ad quam veniebāt, est in tribu Beniamin. & etiam Ierusalem apud quam transierant,& Rama erant in tribu Beniamin, vt patet Iosue 18.

Vxoris recō. i. latatho spitatio.

E

Quare dicitur, quòd erat ista Gabaa in tribu Beniamin.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quare dicicitur, quòd erat ista Gabaa in tribu Beniamin. Aliquis dicet, quod dicitur ad differentiā illius:vocatur ista GabaaBeniamin.Sic dicitur Bethlehem Iudæ cum connotatione,suprà 17.& suprà in litera, & Matt. 2.& Mich. 5. eo quòd erat alia Bethlehem in tribu Zabulon, Iosue 19.Sed dicendum,quòd non reperitur alia ciuitas,quæ vocatur Gabaa in terra tota Israël, vt patet in descriptione sortium Iosue à cap. 15. vsque ad 20. Etiam legendo alia loca sacræ Scripturæ non legitur, quòd fuerit alia Gabaa. Dicendum tamen,quòd est Gabaon,& Gabaa,quæ sunt duæ ciuitates,& vtraq; est in sorte Beniamin, Iosue 18.cap.

F

Respondendum, quòd ista dictio potest hic poni propter duo: Primò ad significandum infamiam tribus Beniamin, quia fuit perpetratum tantum scelus in ista vrbe, quantum non fuit patratum in aliqua de vrbibus Israëlitarum: & faciendā sit sæpè mentio infrà de Gabaa, præmittitur quæ Gabaa sit ista,vel in qua tribu: quia non solùm ad distinguenda diuersa loca eiusdem nominis,oportet poni connotationem tribus,scilicet,quòd est de tali,vel tali tribu: sed ad explanandum de qua tribu sit,quia aliàs in quibusdam non cognosceretur.Vocata est autem nunc ista ciuitas Gabaa Beniamin ad infamiam, & postea vocata est Gabaa Saulis ad honorem, vt patet secundo Regum 21. Et istud nomen mansit ei semper apud omnes posteros, vt patet per Iosephum libro de bello Iudaico.Secunda est, quia potest vocari Gabaa Beniamin ad differentiam Gabaa aliarum tribuum, non quidem,quòd in aliqua aliarum tribuum esset aliqua ciuitas,aut villa,quæ vocaretur Gabaa:sed quia Gabaa in Hebræo aliquando est nomen commune, & aliquando proprium, quando est commune significat collem, licèt Hebræi moderni exponant pro valle:tamen Iosephus 6.Antiquitatum exponit pro colle. Et istum modum exponendi sequitur Ieronymus. Quando est nomen proprium, accipitur pro vrbe, quæ est in tribu Beniamin,ideo fuit conueniens poni Gabaa Beniamin, vt intelligarur, quòd pro ciuitate dicitur illa, & non pro colle aliquo: nam sicut istud nomen collis apud nos accipitur,vt appellatiuum:ita Gabaa accipitur apud Hebræos:& aliquando litera nostra ponit Gabaa sicut in Hebræo: licèt non accipiatur pro nomine proprio, sed pro colle. sic patet 1. Regum 7. vbi dicitur,quòd venerunt viri de Cariathiarim, & reduxerunt arcā Domini, intuleruntq; eam in domum Aminadab in Gabaa.Sic etiā ponitur 2.Reg.6.ca.vbi sæpè dicitur, quòd

tule-

A tulerunt arcam de domo Aminadab, qui habitabat in Cariathiarim: & ibi fuit arca: ſed quia habitabat Aminadab in quodam colle illius vrbis, dicitur, quod erat arca in Gabaa, quæ ſignat collem. Iſtud patet euidenter 1. Paralip. 13. & ponitur ibi eadem hiſtoria, quæ dicitur 1. Reg. 7. & magis 2. Regum 6. & dicitur, quod voluit Dauid ducere arcam Dei de Cariathiarim: & poſtea ſequitur, quod aſcendit Dauid, & omnes viri ad collem Cariathiarim, vt auferret arcam Dei inde: & ponitur, Gabaa Cariathiarim, vbi nos dicimus: collem Cariathiarim. Et poſtea ſequitur, quod ibi aſſumptum eſt plauſtrum nouum de domo Aminadab, in quo poſita eſt arca: & ſic Aminadab morabatur in Gabaa Cariathiarim, id eſt, colle, vt ibi dicitur & exponitur in litera: ergo Gabaa non poteſt accipi 1. Reg. 7. & 2. Reg. 6. vbi ponitur omnino iſta hiſtoria pro ciuitate, ſed pro colle, quæ erat in Cariathiarim: ad differentiam ergo Gabaa, quando ſumitur pro colle, dictum eſt quod erat Gabaa Beniamin, quia tunc manifeſtum eſt, quod accipitur pro ciuitate quadam. *Diuerteruntque ad eam.* Scilicet, quia ipſa erat iuxta viam: hoc modo omnes, quæ ſunt in itineribus iuxta viam, vocantur diuerſoria, quæ facta ſunt ad diuertendum, id eſt, ad quieſcendum ibi. Sic accipitur Geneſ. 42. ſcilicet, aperto vnius ſacco, vt darent pabula iumento in diuerſorio, ſcilicet, in domo facta ad hoſpitandum. Sic etiam accipitur Exod. 4. ſcilicet, Cumque eſſent in diuerſorio, id eſt, in hoſpitio. *Vt manerent ibi.* Scilicet,
B illa nocte ſolum, & recederent mane in viam ſuam. *Quo cum intraſſent, ſedebant in platea ciuitatis.* Iuerunt iſti ad plateam, quia forte hoſpitia erant in platea, ſicut in quibuſdam locis eſſe conſueuit, quod omnia diuerſoria, vel receptacula hoſpitum ſint in platea, eo quod ibi eſt locus communior. Etiam propter venalia, quibus egent diuertentes ad hoſpitia, quæ facilius ibi inueniuntur. *Et nullus eos recipere volebat hoſpitio.* Scilicet, quæſiuerunt à multis, & nullus volebat recipere eos gratis, aut data pecunia.

Quare nullus recipere volebat iſtos hoſpitio in Gabaa.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quare nullus recipere volebat iſtos hoſpitio. Reſpondent quidam, vt Nicolaus, quod viri ciuitatis huius erant viri inutiles, & malefactores: tales autem non ſolent habere vbi recipiant hoſpites. Sed iſtud non multum ſtat: quia licet iſtud teneat de quibuſdam, tamen non eſt veriſimile quod in vrbe illa nullus eſſet, qui recipere poſſet iſtos, non habendo locum ad recipiendum. Et quod peregrinus quidam de monte Ephraim ibi habitans poſſet recipere eos. Dicendum ergo aliter, ſcilicet, quod nullus recipere volebat eos, quia forte gens illius loci erat valde immiſericors, non habens viſcera charitatis: & ob hoc erant
C circa peregrinos valde crudeles. Et iſtud ſignatur, cum dicitur infra, quod viri ciuitatis huius erant filij Belial, ſcilicet, ſine iugo, & bonitate aliqua. Alia cauſa eſſe poteſt, quia forte in tempore illo erat conſuetudo, quod peregrini reciperentur gratis, & nemo pecuniam pro hoſpitio reciperet: ſed vel non reciperet peregrinos, vel eos gratis ſuſciperet. Etiam quod peregrinis fierent magna ſolatia dando eis cibos & omnia neceſſaria: & quia viri ciuitatis illius nolebant iſta erogare circa Leuitam, & coniugem ſuam, nolebant eum recipere hoſpitio. Hoc autem ſignificauit Leuita in verbis ſuis loquens ad virum, qui erat peregrinus ibi de Ephraim, dicens: nullus nos ſub tectum ſuum vult recipere habentes paleas, & fœnum in aſinorum pabulum, & panem ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri, qui mecum eſt, nulla re indigemus niſi hoſpitio: & iſtud dicebat ad oſtendendum, quod facilius deberet eis dare hoſpitium, eo quod nulla alia res eis tribuenda erat, niſi hoſpitium. Alioquin ſi dicas, quod tam hoſpitium quam alia neceſſaria debebant emere hoſpites, non faceret vllo modo ad propoſitum iſtud: ſed nulla re indigemus niſi hoſpitio, ergo iſta dari conſueuerant hoſpitibus, & viri loci qui erant immiſericordes, & auari, vt non darent iſta, noluerunt recipere illos. Iſta cauſa videtur valde rationabilis. Aliter dici poteſt, quod viri loci illius erant viri Belial, & intendebant abuti homine illo ſuſcepto, & vxore ſua: & ob hoc nolebant quod introiret in domum alicuius, ſed maneret in platea, vt poſſent liberius abuti illo iuxta deſiderium ſuum. Sed iſta cauſa licet aliqualiter ſtet conſiderata nequitia, quam poſtea exercuerunt viri iſti: tamen non eſt ſatis veriſimile, quod cum Leuita per ſingulas domos peteret hoſpitium, omnes declinarent in hanc ſententiam, quod manerent in platea. Aliter poteſt dici, quod viri ciuitatis huius erant nequiſſimi circa vitium ſodomiticum, & cum venirent aliqui hoſpites opprimebant eos, omnes autem de ciuitate hoc nouerant, ideo putabat quilibet, quod ſi daret hoſpitium illis viris, quod venirent per noctem alij viri vrbis, & infringerent domum, facerentque multas violentias, & damna ad abutendum Leuita, & puero, & vt non paterentur iſta, quilibet refugiebat dare hoſpitium iſtis viris. Aliter poteſt dici, quod faciebant hoc, quia erat conſuetu- 3. reſp.
do, quod quilibet præſtaret ſecuritatem hoſpitibus ſuis poſtquam conueniebant ad domum illius. Sed dixit Loth ad viros Sodomitas qui conuenerant ad domum ſuam, vt abuterentur angelis, quos putabant viros, ſcilicet, habeo duas filias virgines, quæ nondum cognouerunt viros: adducam eas ad vos, & abutimini eis, vt placet, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, qui ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei: Geneſ. 19. & quia nullus vir de Gabaa putabat, quod poſſet dare ſecuritatem Leuitæ iſti, & vxori propter libidinem improbam virorum vrbis: nolebant eos recipere, ne viderentur ipſi rei facta ſecuritate hoſpitij: omnes iſtæ cauſæ rationabiles
E ſunt, ſed melior eſt illa, quæ ſupra ponebatur, ſcilicet, quia non recipiebant illos, vt non darent eis gratis neceſſaria. *Et ecce apparuit homo ſenex reuertens de agro.* Scilicet, expectabant Leuita, & vxor ſua, ſi viderent aliquem, qui eos reciperet hoſpitio illa nocte, & tunc apparuit homo ſenex, qui poſtea eos ſuſcepit. *De opere ſuo veſperi.* Id eſt, reuertebatur ad veſperam de laborando in agro: nam erat iſtud poſt Solis occaſum. Quod patet, quia occubuit Sol prius quam Leuita intraret in vrbem Gabaa, vt patet ſupra in litera. *Qui, & ipſe erat de monte Ephraim.* Id eſt, etiam iſte ſenex erat de monte Ephraim, ſcilicet, de tribu Ephraim, & ſorte. Et dicitur etiam, quia Leuita erat de monte Ephraim, vt ſupra dictum fuit, & etiam iſte ſenex: & iſta fuit cauſa quare ſuſcepit eos. *Et peregrinus habitabat in Gabaa.* Scilicet, venerat de monte Ephraim, vbi erat origo ſua, & habitabat in Gabaa, quia melius ſibi ibi eſſe videbat.

An licebat peregrinari Iudæis tranſeundo ad habitandum de ſorte vnius tribus in aliam.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, an licebat peregrinari iſti viro de monte Ephraim, nec quæritur hic de Leuita, quia ipſe non peregrinabatur, licet veniret de Bethlehem: nam peregrinari non eſt peregre proficiſci: ſed peregrinus manere in aliquo
F loco, ſed de viro, qui recepit iſtum Leuitam hoſpitio. Aliquis dicet, quod ſic, quia declaratum eſt ſupra decimo ſeptimo, quod licebat Leuitæ illi peregrinari: ergo etiam liceret iſti viro. Sed contra hoc arguetur, quod non ſit ſimile, quia Leuitis erat permiſſum peregrinari propter cauſas aſſignatas ibi, ſcilicet, quia Leuitæ in locis ſuæ originis non poterant exercere agriculturam: quia non habebant agros, aut vineas, vt patet Numeri trigeſimo quinto, & ob hoc erant pauperes, & permittebatur eis diſcurrere per alias vrbes ad acquirendum victum: ſed de laicis non erat ſic: quia ſinguli illorum habebant poſſeſſiones, nec poterat eſſe inter Iſraelitas aliquis, qui non haberet bona immobilia, ſcilicet, agros, & vineas, & ſimilia: ideo non liceret eis peregrinari, ſed colere ſua. Dicendum eſt quod verum eſt, quoſlibet laicos de Iſraelitis habere bona immobilia, nec poterat eſſe aliquis quantumcunque pauper qui non haberet poſſeſſionem. Quod patet, quia à principio introitus Iſraelitarum in terram Chanaan fuit diuiſa terra per omnes, ita quod nullus ſine poſſeſſione immobili eſt relictus: poſtea autem non poterat aliquis vendere poſſeſſionem ſuam, nec donare, nec poterat perdere ex præſcriptione, aut alio modo, vt declaratum Leuit. 25. & ſi vendebatur aliquãdo poſſeſſio redibat ad venditorem ſaltem in anno Iubilæi etiam nullo pretio dato, eodem capit. ideo ſic impoſſibile erat aliquem etiam pauperri-

Nicol. reſp. ad quæſit.

Doct. reſp. ad quæſit

2. reſp.

A

mum manere ſine poſſeſſione, niſi forte ad tempus: nunc autem quia poteſt quilibet vendere poſſeſſionem ſuam, niſi in illis, quæ ſunt iure primogenituræ fit aliter. Et ſic non habebant cauſam peregrinandi talem laici ſicut Leuitæ. Dicendum tamen, quod etiam laicis licebat peregrinari, quod patet Deut. 14. vbi dicitur, quod Leuitis, & pupillis, & peregrinis, daretur decima tertij anni, & ibi neceſſe eſt accipi peregrinos pro laicis cum diſtinguantur contra Leuitas. Item ſæpe dicimus Iſraelitas peregrinatos, vt Elimelech propter famem declinauit de Bethlehem in terram Moab: Ruth primo cap. Etiam Dominus dixit, quod reciperentur aduenæ, & peregrini, Exod. 22. & Deuter. 10. & accipitur pro illis, qui de locis ſuorum originum ibant ad habitandum ad alia loca, quia ibi non erant tam diuites, & potentes ſicut in terra ſua eſſe poſſent, vbi habebant cognatos. Dicendum etiam, quod ratio peregrinandi erat in laicis, quia interdum efficiebantur pauperes in terra ſua non habentes conuenientem opportunitatem ad acquirendum victum, & in alio loco habebant vel poſſent conuenientius acquirere, & tunc peregrinabantur: ſic faciebat nunc ſenex iſte de monte Ephraim. *Homines autem regionis illius erant filij Gemini.* Id eſt, homines ciuitatis Gabaa, & aliarum ciuitatum finitimarum erant de ſtirpe Gemini, id eſt, Beniamin: nam Gabaa, & Rama, & Ieruſalem, & alia finitima loca erant in ſorte Beniamin, vt patet Ioſue 18. cap. Sciendum autem, quod non eſt Gemini genitiuus huius nominis Geminus, ſed eſt nomen Hebræum, quod apud Hebræos dicitur Iemini, & interpretatur dextrarius deriuatus à dextra. Iamin ſignificat manum: & ſic vocatur Beniamin filius dextræ, Geneſ. 35. vnde ſicut in Hebræo dicitur Iamin: ita dicitur Iemini, & ambo pertinent ad Beniamin. Et cum litera noſtra deberet dicere Iamin, dixit aliquando Gemini, quia non eſt talis modus proferendi apud latinos ſicut apud Hebræos. *Eleuatiſque oculis vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis.* Id eſt, vidit Leuitam ſedentem in platea, & coniugem, & puerum: atque ſarcinulas quas ferebat de domo ſoceri: nam neceſſaria ad victum in itinere ſecum ferebat. *Et dixit ad eum: vnde venis, & quo vadis?* Quia vidit eum ex habitu ſuo eſſe peregrinum, voluit quærere iſta, vt forte diceret ei aliqua nouiter geſta ſi acciderant in terra, de qua veniebat. *Qui reſpondit ei: profecti ſumus de Bethlehem Iuda.* Reſpondit de quæſtione, ſicut quæſiuerat ſenex, & dixit, quod veniebat de Bethlehem. In Hebræo dicitur. *Hebræi nos de Bethlehem Iuda.* Id eſt, nos ſumus Hebræi de origine Bethlehem. Sed iſtud falſum erat, niſi quantũ ad vxorem Leuitæ, quę erat de ipſo loco. Sed dicẽdum, ꝙ non accipitur Hebræi pro Hebræis. Nam vbi nos dicimus Hebræus, dicitur in Hebræo Heuer, & pluraliter Heurim. Et ſic ponitur hic Heurim, & non ſignificat Hebrẽos, ſed tranſeuntes, ſcilicet, tranſeuntes nos de Bethlehem, quod patet, quia Heuer eſt æquiuocum: nam aliquando accipitur pro Hebræo: & aliquando pro trans: ſic accipitur Ioſue 24. vbi dicit litera noſtra: trans fluuium habitauerunt patres veſtri, & ponitur ibi Heuer pro trans. Vnde Rabbi Abraham Abenezra ſuper Exod. cap. 21. dicit, quod vocantur Iſraelitæ Hebrẽi de Heuer, id eſt, trans, quia habitauerunt trans fluuium, & ſic accipitur hic Heurim de Heuer pro trans, & non pro Hebræo: & ſignificat tranſeuntes. Et tunc conſonat litera noſtra dicens: profecti ſumus de Bethlehem, vel tranſeuntes nos de Bethlehem. Item patet hoc ex litera: nam ſi acciperetur ibi Hebræi proprie, ita quod diceretur Hebrẽi nos de Bethlehem, non conſonaret reſponſio Leuitæ quæſtioni ſenis, cum ipſe quæreret vnde veniebat, & reſponderet, quod erat Hebræus de Bethlehem. Item implicat contradictionem in verbis, quia immediate dicitur, & peregrinus ad locum noſtrum: quomodo autem dicerent ſe pergere ad locum ſuum ſi vocarent ſe Hebræos de Bethlehem. Ideo debet accipi, vt dictum eſt, & pro tranſeuntibus. *Et pergimus ad locum noſtrum.* Id eſt, ad locum, de quo ſumus oriundi, quia Leuita, & puer erant oriundi de loco illo, mulier autem non. Vel dicitur ad locum noſtrum, id eſt, ad locum, in quo habitamus: & tunc verum erat tam pro ipſo quam pro muliere, quod erat locus ſuus in monte Ephraim. *Qui eſt in latere montis Ephraim.* Scilicet, locus noſter eſt in latere ſortis Ephraim: nã terra ſortis Ephraim erat mõtuoſa, & in latere vno montis habitabat Leuita iſte. *Vnde ieramus in Bethlehem.* Id eſt, de mõte Ephraim ieramus in Bethlehem. Volebat ſignare Leuita, quod ipſe & vxor ſua, & puer iuerant in Bethlehem, ſicut nunc ſimul veniebant.

B

Beniamin quare dicatur filius dextræ

C

D

Quomodo Leuita dixit hoc, quod erat mendacium, & an peccauit.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quomodo Leuita dixit iſtud, quod erat mendacium, & an peccauerit.

Reſpondendum, quod Leuita verum dicebat, & tamen falſa volebat ſignificare, ſed non peccabat.

Primum probatur, quia vxor ſua primo iuerat Bethlehem, quando fugit ab eo: & poſtea elapſis quatuor menſibus ipſe, & puer iuerant illuc: ideo verum erat, quod iuerant in Bethlehem, licet non iuerant ſimul ſicut nunc veniebant.

Secundum patet, quia Leuita dicebat iſtud volens ſignificare, quod iuerant ſimul ſicut nunc veniebant, & hoc vt non declararet ſuam miſeriam, vel ſecretum, ſcilicet, quomodo fugerat ab eo vxor, & ipſe inſecutus fuerat illam.

Tertium patet, quia licitum eſt alicui taliter loqui, quod veritatem occultet: dum tamen non exprimat falſitatem. Etiam quod aliquis velit facere, quod alij falſe intelligant verba ſua, dum tamen ipſe falſa non dicat. Hoc patet in Samuele, qui ibat in Bethlehem ad vngendum Dauid: & quia timebat, quod Saul ſciret hoc, & occideret eum: tulit vitulum de mandato Dei, & cum interrogaretur à viris Bethlehem ad quid veniret dixit: ad immolandum Domino veni, & manifeſtum eſt, quod illi quærebant quæ erat intentio principalis veniendi in Bethlehem: tamen Samuel reſpondit occultando illam dicens quod veniebat ad ſacrificandum, cum iſta eſſet intentio minus principalis ſolum, vt occultaret, quod principaliter intendebat: & ita poterat reſpondere, quod veniebat ad comedendum, vel bibendum ſi intendebat comedere, vel bibere in Bethlehem. Sic Leuita iſte protulit verum, & voluit, quod falſe verba ſua intelligerẽtur, ſicut voluit Samuel, quod intelligerẽtur falſe ſua verba, ſcilicet, quod principalis intentio eius veniendi in Bethlehem erat ad ſacrificãdum, quia alioquin iſta reſponſio nulla erat, eo quod ſcito, quod venerat ad ſacrificandum minus principaliter, adhuc ſemper quærerent de principali intentione aduentus: & ſic cogeretur mentiri vel declarare ſecretũ, ideo oportuit, quod proferret illa verba cum intentione, quod Bethlehemitæ nõ bene intelligerent illa. De hoc patet 1. Reg. 16. quod autem non peccauerit Samuel in hoc patet, quia Deus dedit ei induſtriam hãc, & tamen Deus non inſtruit hominem ad peccandum, de hoc magis declarabitur eodem cap. Sed dicetur quare Leuita ſe ponebat in hac fictione, cum non eſſet neceſſaria. Reſpondendum, quod Leuita volebat reſpondere illi ſeni, qui quærebat ab eo de omnibus, quæ quæſiuerat, vt redderet eum ſibi benignum: & forte vellet eos colligere intra domum ſuam: vt ergo reſponderet vnde veniebant neceſſe erat, quod diceretur de Bethlehem: & quod iuerant illuc de monte Ephraim, de quo erant, ſignando quod ſimul iuerant, vel exponerent aliquid de facto ſuo, & iſtud recuſabat Leuita, quia non expediebat extraneis ſecreta pandere: ideo locutus fuit ſic ſub ambiguo, & fictione. *Et vadimus ad domum Dei.* Scilicet, in Silo: nam ibi erat tunc domus Dei, & fuerat ex tempore Ioſue, quando totus Iſrael fixit ibi tabernaculum, Ioſue 18. vſque ad tempus Heli ſummi ſacerdotis quando arca capta eſt 1. Reg. 4. nam pauco tempore poſt totum tabernaculum motum eſt de Silo, & poſitum fuit in vrbe Nobe. Nam tẽpore Saulis, qui paulo poſt fuit erat ibi Sanctuarium, vt patet 1. Reg. 21. & 22. cap. poterat autem iſte Leuita ire ad domum Dei ad miniſtrandum, quia ex tempore Moyſi Leuitæ miniſtrabant in Sanctuario certo tempore, & finito illo recedebant de loco Sanctuarij ad vrbes ſuas, vt patet Deut. 18. ca. Vel forte poterat ire ex deuotione, ſicut conſueuerunt homines peregrinari ad viſitãdas quaſdam Eccleſias ex deuotione. Dixit autem Leuita, quod ibat ad domum Dei forte, vt inclinaretur ſenex ille ad dandum hoſpitium, quia peregrinantibus ad Eccleſias propter cauſam honeſtam, quam proſequuntur ſolent fieri opera maioris charitatis. Sed dicetur, quomodo Leuita dixit ſupra, vadimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim: & nunc

Licitum eſt quandoque veritatem occultare. dũ tamen falſum non dicatur.

E

F

dixit,

A dixit, quod ibant ad domum Dei. Dicendum, quod intelligitur, quod vltimus terminus, quem intendebant, erat locus suus in monte Ephraim: & tamen prius quam illuc irent volebant ire in domum Dei in Silo. *Nullusq; nos sub tectum suum vult recipere.* Quasi dicat, tam crudeles sunt in hac vrbe, quod etiam sub tectum suum non vult aliquis nos recipere, cum nihil aliud petamus. *Habentes paleas, & fœnum in asinorum pabulum.* Id est, non habent excusationem aliquam ad non recipiendum nos: quia nihil nobis dare deberent nisi tectum, quia nos habemus omnia necessaria tam pro nobis, quam pro asinis. Et hoc patet, quod consuetudo erat, quod quicunque hospites reciperet peregrinos prouideret eis de necessariis, dum apud se manebant, & quia erat quibusdam difficultas prouidere in his omnibus, vel quidam ex tenacitate hoc facere nolebant, multotiens aliqui non faciliter reperiebant hospitia: & ad istam intentionem dixit nunc Leuita, quod habebat omnia necessaria, vt nemo excusaretur ei dare hospitium occasione horum: alioquin verba sua erant impertinentia. Vbi nos dicimus fœnum. Hebræi dicunt hordeum: sed forte illud nomen potest varie accipi. Sed melius dicendum est, quod accipiatur pro hordeo. Quod patet Genes. 42. vbi dicitur de filiis Iacob ferentibus cibos de Ægypto, quod vnus aperuit saccum, vt daret pabulum asino, &
B ibi ponitur illud nomen quod ponitur hic. Sed manifestum est, quod sacco non portabatur fœnum, sed triticum, vel hordeum. Etiam quod illud, quod erat in saccis, portabant de Ægypto filij Iacob. Nam in illo sacco, quod aperuit vnus illorum, inuenit pecuniam, quam dederat pro frumento: & istam iusserat reponi Ioseph: manifestum est, quod de Ægypto non portarent fœnum, sed triticum aut hordeum. *Et panem, ac vinum.* Per hoc intelligit certa victualia, quæ portari solent per viam. *In meos, & ancillæ tuæ vsus.* Id est, quantum sufficiat mihi, & vxori meæ, quæ est ancilla tua. Istud dicebat Leuita ex magna vrbanitate, vt blandis verbis suaderet seni ad dandum sibi hospitium vocando se seruum illius: & vxorem suam ancillam eius. *Et pueri, qui mecum est.* Quia ducebat secum in via famulum, & pro omnibus erat abūdanter. *Nulla re indigemus nisi hospitio.* Quasi dicat, parua res est, qua egemus, scilicet, hospitium, quod præbere paruum est. *Cui respondit senex: pax tecum sit.* Modus salutandi est. Nam sic communiter dicitur in libris istis historicis, quod salutauit aliquis aliū verbis pacificis, id est, dixit ei: pax tibi, vt præcedenti cap. *Ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt.* Scilicet, tam hospitium quam alimentum tibi, & asinis. *Tantum quæso ne in platea maneas.* Id est, solum rogo te, ne maneas hac nocte in platea ista: ecce enim hactenus Leuita orabat, vt susciperet eum aliquis in domum suam, nunc versa vice senex precabatur eum, quod vellet ire in domum suam.

C *Quare senex iste voluit dare hospitium isti Leuitæ: & adeo motus fuit ex affectione, quod oraret ne maneret in platea.*

Qvæstio XII.

Qværetvr, quare senex iste voluit dare hospitium isti Leuitæ, & in tantum motus fuit ad eum ex affectione, quod oraret, ne maneret in platea. Respondendum, quod hoc erat propter tria. Primum erat quod iste Leuita erat peregrinus, & senex erat misericors, & cum videret eum ab omnibus derelictum, condoluit ei, voluitq; pietatis opera exhibere. Secundum erat, & forte efficacius, quia iste Leuita erat de terra illius senis: nam senex de monte Ephraim, & similiter Lauita, vt patet supra in litera de vtroque. Solent autem compatriotæ cum se cognoscunt mutuo in terra aliena, inuicem sibi auxiliari valde prę desiderio originis, & naturalis patriæ. Et hoc valde moueret senem: & ad istum finem credendum est, quod litera posuerit hic, quod iste senex erat de monte Ephraim, alioquin non videretur ad aliquid pertinere. Tertium est, quia senex timuit, quod si manerent in platea, viri illius vrbis, qui erant pessimi, venirent nocte, & abuterentur viro, & fœmina. Cum autem irent in domum eius, forte non scirent vbi hospitati erant: & non inuenientes eos in platea cessarent à concepta insania. Vel dato, quod scirent hospitium eorum, forte erubescerent, aut reuererentur propter hospitium, in quo erant: quia magna pœna erat inferendi vim domui alterius, vel hospitibus manentibus ibi: vt ergo euaderēt hæc, voluit eos ducere in domum suam. Et dicendum, quod licet aliæ duæ præcedentes essent causæ, quare vellet eos recipere in domum, tamen causa quare oraret, ne manerent in platea solum fuit, ne venientes viri vrbis abuterentur eis nocte. *Introduxitque eum in domum suam.* Scilicet, Leuitam, & vxorem, & puerum. *Et pabulum asinis præbuit.* Licet vir Leuita haberet necessaria pro se, & asinis sicut supra dixerat, tamen nec permisit hospes, quod ipse aliquid expēderet, sed ipse omnia necessaria præbuit, sicut supra dixerat: ego præbebo omnia necessaria, tantum ne in platea maneas. *At postquam lauerunt pedes.* Scilicet, quando introiuerunt in hospitium, primum quod fecerunt fuit, quod lauerūt pedes.

D

Quare lauerunt pedes isti recepti in hospitium senis, & de consuetudine terræ Chanaan.

Qvæstio XIII.

Qværetvr, quare lauerunt pedes isti recepti in hospitium senis. Respondendum, quod in terra Chanaan in qua istud erat consuetudo, quod cum hospites introibant in hospitium lauabant pedes, deinde vacabant conuiuiis. Sic patet Genes. 18. cum dixit Abraham ad tres angelos, qui venerant ad eum: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquę, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore: simile patet Gen. 24. de Eliezer seruo Abrahæ, qui iuit in Mesopotamiam ad quærendum vxorem pro Isaac: & dicitur, quod Laban frater Rebeccæ dedit paleas, & fœnum, & aquam ad lauandum pedes camelorum, & virorum qui venerant cum eo, scilicet, cū Eliezer, & postea sequitur, quod fecerunt conuiuium. Etiam quando aliquis inuitabatur ab alio, prius ablucbantur pedes eius quam comederet. Sic patet Luc. 7. vbi redarguēdo Pharisæum inuitantem eum Christus dixit: Introiui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Si tamen non esset cōsuetudo, quod omnibus inuitatis daretur aqua ad lauandum pedes, Christus non increpuisset sic Pharisæum. Item quando aliquis veniebat de itinere, mox lauabat pedes: sic dixit Dauid Vriæ: vade in domum tuam, & laua pedes tuos, scilicet, quia tunc nouiter veniebat de bello 2. Reg. 11. capit. etiam consuetudo Chananęorum omnium erat sæpe lauare corpora. Istud vero erat ad refrigerationem, quia terra illa calida est, cum sit partim in tertio, & partim in quarto climate, & ex hoc est pulnerulenta, cum calor desiccet, & dissoluat, & puluis ille cadens in cruribus, & pedibus itinerantium exurit, & desiccat valde, ideo consuetum erat, & valde rationabiliter, quod venientes de itinere mox lauarēt pedes: istud pertinebat ad recipientes eos in hospitio: quia illico eis aquam apponebant: vtebantur etiam aliis refrigeratiuis, scilicet, quia vngebant capita sua oleo: sic patet de Dauid, qui vnctus est oleo, quando mortuus est filius eius 2. Reg. 12. cap. Sic etiam dixit Ioab ad mulierem Thecuitem: lugere te simula, & non vngaris oleo, & induere veste lugubri, vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugēs mortuum, quasi dicat, quod ad omnes competebat vngere caput oleo, nisi ad lugentes mortuum in signum mœroris. Sic etiam erat consuetudo tempore Christi, quod qui læti erant vngerent capita sua oleo: ideo vt illi, qui ieiunabant non viderentur hominibus ieiunantes ad modum hypocritarum, iussit quod vngerent caput oleo, quando ieiunarent, & induerentur habitu læto: Matth. 6. Quod autem vngerentur ad lætitiam, & refrigerationem, patet Psalm. 44. scilicet, quia vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ: cum igitur esset ista consuetudo terræ Chanaan, senex iste illico dedit aquam Leuitæ, & familiæ suæ ad lauandum pedes. *Recepit eos in conuiuium.* Scilicet, apposuit mensam, & comederunt iam loti: nam ante lotionem pedum non erat solitum, quod comederent hospites.

E

F

Illis epulantibus, & post laborem itineris cibo, & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius filij Belial, id est, absque iugo, & circundantes domum

A

De pe. dist. 1. post ca. recusatus in ver. Belial.

Gen. 19

senis, fores pulsare cœperunt clamantes ad Dominum domus, atq; dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo. Egressus q; est ad eos senex, & ait. Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestrā libidinem compleatis: tantum obsecro ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernēs homo eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam. Qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. At mulier recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, vbi manebat Dominus suus & ibi corruit,

Illis autem epulantibus. Hic ponitur secundum principale huius cap. scilicet, modus perpetrandi, & continet ordinem, quo factum est, & dicitur. *Illis autem epulantibus.* Scilicet, Leuita, & vxore sua cum sene hospite suo. *Et post laborem itineris.* Scilicet, quia venerant de Bethlehem illa die, & sero inde recesserant. *Cibo ac potu reficientibus corpora.* Scilicet, vacantibus recreationi, & recreatio est in cibo, & potu, vt sic restauretur, quod perierat de humido nutrimentali, & apponatur aliud

B

consumendum. *Venerunt viri ciuitatis illius.* Scilicet, ad ianuam senis, obseruauerunt enim quando iam quieti vacarent, & tunc possent eos conuenientius capere. Etiam fecerunt hoc, quia voluerunt venire per tenebras, quia ista melius fiunt in tenebris, quam in luce, cum mala sint, & tamen non multum erubescebant viri Gabaa ista facere, quia publice faciebant, cum multi venirent. Vel forte omnes, cum dicatur absolute: viri ciuitatis. *Filij Belial, id est, absque iugo.* Scilicet, isti viri, qui veniebant ad opprimendum, erant viri Belial, id est, indomiti, quia non domabantur iugo rationis, nec legis: nam talia operari non pertinet ad habentes passiones humanas, sed bestiales, vt patet septimo Ethicor. & desiderium ad libidinem Sodomiticam non est malitia, sed bestialitas, vt patet ibidem. Et ponitur hic expositio nominis, scilicet, absque iugo, quæ non est in Hebræo, sed translator noster posuit, vt intelligeremus, quid significat nomen Hebræum hic positum. Multi autem nostrum non multa intelligentes putant Belial esse nomen dæmonis. Sed falsum est: nam si istud nomen, indomitus, non est nomen dæmonis, nec etiam erit istud nomen Belial, cum idem significet. Idem de Satan: quia est nomen Hebræum, & significat aduersarium. Nec valet si dicas, quod Christus vocauit dæmonem Satan: Matth. 4. quia ibi non vocauit eum sic, quasi nomen eius esset Satan, sed quia aduersabatur ei. Satan in Hebræo vocatur quilibet aduersarius, quod patet, quia si Satan esset nomen diaboli, non dixisset Christus Petro Satan, sed dixit vade retro me

C

Satan, quia scandalum mihi es. *Et circundantes domum senis.* Hoc faciebant ne forte sentiens Leuita eos pulsantes ad portam dum frangerent ostium, ipse rupta domo per aliquam partem euaderet cum vxore sua. *Fores pulsare cœperunt.* Primo petiuerunt sine violentia, quod daretur eis vir ille Leuita, & non frangebant portas, quia magna pœna erat, si quis frangeret portam alterius: sed si nollet senex dare Leuitam, fores fracturi erant. *Clamantes ad dominum domus.* Scilicet, ad senem: non enim erubescebant isti viliſſimi verba impudica clamando proferre: quia sicut non erubescebant publice hoc facere, nec etiam erubescebant illud dicere. *Educ virum, qui ingressus est domum tuam.* Scilicet, Leuitam. Non nominauerunt puerum, nec vxorem Leuitæ.

Belial quid signi ficat.

Satan quid signi ficat.

An viri Gabaa petebant Leuitam ab abutendum eo, vel vxorem eius, & si erant Sodomitæ quare eum petebant, cum haberent alios in vrbe.

Qvæstio XIV.

Qværetvr, quid volebant nunc viri Gabaa: nunquid Leuitam ad abutendum, vel vxorem eius. Quidam dicunt, quod volebant vxorem eius, sed litera videtur esse in contrarium.

Respondendum, quod Ioseph̃us quinto Antiquitatum tenuit, quod viri isti petebant vxorem Leuitæ. Idem etiam Nicolaus videtur aliqualiter velle: nam Ioseph. ait: Viri Gabaa petebant vxorem Leuitæ, quam nollens pro pietate dare hospes, & tenere exhortans non valuit, sed tandem filiam suam dabat, ne pateretur vxor Leuitæ: sed non curantes arripuerunt vxorem Leuitæ, & tota nocte ludificauerunt eam: in aurora ipsa ingressa est domum, sed quia turpia passa est non audens virum aspicere, præ rubore lecto incubuit: animamque reliquit. Vir arbitratus eam graui sopore detineri, nihil mali metuens excitare eam tentabat consolari, quia raptorum non se voluntate spontanea præbuisset iniuriis tandem defuncta est. Item patet hoc, quia Leuita quæsitus, quid audisset in Gabaa, dixit quod cum esset in domo hospitis sui, venientes viri ciuitatis volebant eum interficere: ergo non volebant abuti illo. Item patet, quia si eum voluissent habere ad abutendum, quando daretur vxor Leuitæ non contentarentur, sicut viri Sodomitæ petentes duos angelos, qui erant in domo Loth ad abutendum eis: nam quamquam Loth dixerit, quod daret eis duas filias suas virgines, non consenserunt, sed semper petiuerunt viros, & volebant frangere portas, Genes. 19. cap. & tamen data istis vxore Leuitæ quieuerunt. In contrarium tamen est litera: nam dicitur infra, quod dixerunt viri Gabaa, educ virum, qui ingressus est ad te, vt abutamur eo. Item patet ex verbis senis offerentis filiam suam virginem, & vxorem Leuitæ, ne viri Gabaa cognoscerent Leuitam. Si tamen vxorem Leuitæ vellent viri Gabaa, non cōcederet eis senex maiora, scilicet, filiam suam, & vxorem Leuitæ. Item quia dixit: non operemini hoc scelus contra naturam in virum: ergo sic eum cognoscere volebant. Ad rationem Ioseph̃i in contrarium dicendum, quod non multum est obediendum ei, quando ex textu scripturæ apparet contrarium sibi, sicut apparet hic. Ad secundum dicendum, quod vir voluit honestare verba sua, nollens dicere, quod volebant eum cognoscere, quia erat turpiloquium, sed quod volebant eum occidere, quod erat honestius verbum. Vel aliter volebant viri Gabaa occidere istum, scilicet, cognoscendo eum, & vexando: nam sicut vxorem suam incredibili libidine vexantes occiderunt, ita & ipsum vexando libidine occidissent si daretur eis locus. Item quod istud significetur per verbum manifestum est, quia certum est, quod viri Gabaa non veniebant ad occidendum Leuitam, cum nullam causam mortis haberent contra ipsum. Etiam quia ex verbis eorum apparebat, quod nollent occidere, sed ponitur occidere pro abuti. Si tamen aliquis vellet tenere contrarium, debet dicere ad auctoritates literæ, quod verum est viros Gabaa petiuisse Leuitam ad cognoscendum eum, tamen non intendebant cognoscere illum, sed ista dicebant, vt moueretur ad dandum vxorem suam pro se: verius tamen est, quod vere vellent abuti Leuita: alioquin cum diceret senex, quod daret eis duas mulieres, scilicet, filiam suam, & vxorem

F

Leuitæ assentirent, & dicerent se velle hoc. Et tamen dicitur infra, quod nolebant acquiescere sermonibus eius. Cum autem obiicitur, quod si voluissent Leuitam non contentarentur accipiendo vxorem. Dicendum, quod intentio virorum Gabaa erat abuti Leuita, & non vxore sua, & ob hoc cum senex dixit, quod daret eis filiam suam, & vxorem Leuitæ non assenserunt, & tamen postea quando eduxit ad eos vxorem Leuitæ, forte moti fuerunt pulchritudine eius, & tenuerunt eam non aduertentes ad Leuitam.

D

Nicol & Ioseph resp. ad quæst.

2. ratio

3. ratio

E

Resp ad rationes Ioseph.

Ad primam.

Ad secundā

An in ciuitate Gabaa essent viri Sodomitæ passiue, cum quibus viri alij turpitudinem operarentur, & si sic quare cum tanta importunitate Leuitam petebant.

Qvæstio XV.

Qværetvr vlterius, si isti viri erant Sodomitæ, & volebant cognoscere Leuitam, quare cum tanta importunitate eum petebant? nunquid cum exercerent ipsi omnes execrandam turpitudinem, non erant in ciuitate multi, in quo turpitudinem inuicem operarentur? Respondendum, quod forte viri Gabaa erant Sodomitæ actiue, & non passiue nam contingit ex influentia cœli quibusdam innasci cupidinem ad cognoscendum viros Sodomitice, & quod

A

nullo modo ipſi cognoſcantur, ſed deteſtantur hoc tãquam extremum malorum,& quaſi mortem. Etiam quidam deteſtantur fęminas,& volunt cognoſcere viros,& in iſtis eſt fortis appetitus ad Sodomitice agendum, & nullo modo ſubiiciendũ. Alij ſunt,in quibus dominatur appetitus ad ſe ſubiiciendum,& nunquam agendum in virum, ſed in fœminam, ſicut in quibuſdam fœminis etiam ineſt immenſum deſiderium ad libidinem.Alij autem ſunt de conditione virili,quæ cognoſci à viris omnino refugiunt,ſed ipſæ fricare fœminas agendo loco virorum volũt.Iſta omnino ex diuerſitate figuræ natiuitatis eueniunt ſecundum partes cęli, ad quod nimis habitudo trium planetarum confert, ſcilicet, Saturni, Martis, Veneris. De quo forte dicetur ſuper primum cap.ad Romanos. Et ex hac cauſa forte nullus de viris vrbis Gabaa pati vellet, ſed peregrinos vexarent, vt paterentur. Alia cauſa, & rationabilior videtur, ſcilicet, Leuita iſte erat extraneus, & inſolitus,& ea quæ inſolita ſunt valde mouent:ſic accidit habentibus coniuges, quod interdum pulchras habentes vxores propter aſſuetudinem interdum quarundam mulierum turpium petant concubitus. Sic & viris Gabaa vitium peſſimum aſſuetum in alterutrum erat, ideo ad extraneos efficacius mouebantur. Sic fuit de viris Sodomorũ: nam ipſi in alterutrum turpitudinẽ operabantur,vt manifeſtum eſt: tamẽ cum duo angeli in ſpecie virorũ intrauerunt domum Loth, omnes viri ciuitatis vallauerunt domum,vt abuterentur eis: quia inſoliti erant, & mouebant inſolita illos pluſquam aſſueta:ſicut dicit Salomon:aquas furtiuas dulciores eſſe,& cibum aſconditum ſuauiorem. Et intelligitur de cognitione carnali ad mulierem inſolitam,& non licitam.Simile de viro iudicandum in illis,qui turpitudinem hanc exercent.

Diuerſa inclinationes ad luxuriam

B

Quare non petierunt viri ciuitatis Gabaa etiam puerum Leuitæ ad abutendum.

QVÆSTIO XVI.

VLTERIVS quæretur,quare non petiuerunt viri ciuitatis Gabaa etiam puerum Leuitæ abutendum.

Reſpondendum, quod forte viri iſti non viderant puerum Leuitæ, quando erat Leuita in platea, vt ſi declinauerat puer ad aliquid emendum pro domino ſuo, vel expediendũ, & ſic etiam nunc non videntes eum non peterent niſi Leuitam, quem viderant. Aliter poteſt dici, quod forte fecerunt hoc ex pulchritudine Leuitæ.Nam qui hac infanda turpitudine laborant, ita feruntur inſanienti deſiderio in pulchros viros, ſicut viri communiter in pulchras fœminas, & forte iſta fuit vna de cauſis quare viri ciuitatis incitati ſunt potius ad hunc Leuitam,quam in alterutrũ:ſic enim viri Sodomitę videtes duos angelos ingreſſos vrbem in ſpecie pulchrorum virorum,in tantum exarſerunt in eos,quod tota ciuitas à ſene vſq; ad puerum conuenerunt ad domum Loth, Gen. 19. cap.puer autem Leuitæ forte erat turpis forma, ideo non incitati ſunt in ipſum,nec petiuerunt ad libidinem. Vel forte ſi daretur eis Leuita, etiam faciliter intendebant habere puerum. *Vt abutamur eo.* Turpiter locuti ſunt, ſed turpius agere intendebant: ex quo patet, quod iſtud peccatum non erat nouum in ciuitate Gabaa, quia tunc non locuti fuiſſent tam impudice. Etiam non conueniſſent omnes viri tam inuerecunde ad cognoſcendũ vnum, quia in alterum erubeſcerent propter infandum eſſe, & inſolitum: ſed non erubeſcebant clamare illud tanquam licitum, & conſenſu publico approbatum, ideo frequentatum erat.*Egreſſuſq; eſt ad eos ſenex.* Voluit ſenex verbis blandis lenire inſaniam virorum Gabaa,ſed ſic libidine inſaniebant, quod impoſſibile erat verbis extingui,ſed dum magis prohiberetur, quod deſiderabant,potius exardeſcerent. Intelligendum eſt autem, quod ſenex faceret claudi portam ipſo ingrediente ne irrumperent omnes viri vrbis in domum, & tenerẽt Leuitam: ſic fecit Loth, quando egreſſus eſt ad placandum viros Sodomorum inſanientes in angelos, ſcilicet,quod clauſit poſt tergum ſuum: Gen.19.ca. *Nolite fratres,nolite facere malum hoc.* Blande loquebatur,vt aut illi miſericordia, aut verecundia mouerentur, ſed neutrum fuit,cum inſaniens dominaretur libido.*Habeo filiam virginem.* Volebat placare ſenex viros iſtos promittẽdo eis dare filiam ſuam, & vxorem Leuitæ: non quidem intentione dandi, ſed vt ſic viri Gabaa mollirentur, & ceſſarent à petitioni viri, & poſtea erubeſcerent,nec etiam vellent iſtas mulieres: nam in ſe redeuntes viderent etiam iſtud eſſe malum, & deteſtarentur illud. Si autem non cõſentirent ſimpliciter dimittere virum, & illas ſaltem,proferret eis illas duas, vt dimitterent virum: nominauit autem homo iſte puellam virginem, quia harum concubitus magis allicere ſolent, & inſenſati carnis amatores earum concubitus ſummam fęlicitatem putant, de quo nihil ſpeculandum eſt, an iure fulciatur eorum deſiderium, vel in ſola inani opinione conſiſtat. *Et hic homo habet concubinam.* Scilicet,habet vxorem,quæ concubina vocatur, & forte ſenex iſte vocaret eam concubinam pro nunc, quia magis licitum vocabulum erat iſtud, vt illi acceptarent illam pro viro accipere, quam nominando eam vxorem. *Educam eas ad vos,vt humilietis eas.* Id eſt,dabo eas vobis,vt libere faciatis quid vultis in eis: Humiliare fœminam eſt cognoſcere illam illicite, quia per hoc cadit ab honore ſuo, & valore, & potiſſime conuenit hoc virginibus: quia ſi cognoſcantur ab aliquibus illicite, poſtea cadunt omnino ab honore, & rari eas volunt in vxores accipere:ſic dicitur Exod.21. de illo,qui cognouit famulam, quod non poteſt vendere eam, qui humiliauit. Etiam Deuter.21.captiua,quæ in bello capta eſt poterat vendi,& tamen ſi cognoſcat eam Dominus, non poterit vendere,& ſubiicitur cauſa, ſcilicet,quia humiliauit eam, & quia vna harum erat virgo dixit, vt humilietis eas. *Et veſtram libidinem compleatis.* Id eſt, vt expleatis in eis libidinem, qua ardetis in virum. Et hoc quantum libuerit vſq; ad complementum. *Tantum obſecro ne ſcelus iſtud contra naturam operemini in virum.* Id eſt, ſolum rogo ne exerceatis hoc opus nefandum contra virum, & quidquid aliud vultis, ſiue in filia mea,ſiue in vxore huius viri libenter concedo.

D

Humiliare fœminam quid ſit.

E

An peccabat vir iſte offerendo filiam ſuam, & vxorem Leuitæ viris Gabaa ad exercendum libidinem, ne abuterentur Leuita, & an magis iſte ſenex peccauit,quam Loth.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, an peccabat vir iſte offerendo filiam ſuam, & vxorem alterius viris Gabaa ad exercendum libidinem ne exercerent eam in virum. Aliquis dicet, quod non:quia mouebatur pietate quadam,ſcilicet,ne vir tantum dedecus pateretur. Item quia volebat euitare maius malum: nam vbi duo mala ſunt pertranſimus paruum permittendo, vt euitemus maius malum: ſicut qui non poteſt merces liberare, & ſeipſum: liberat ſeipſum proiiciendo merces ad exonerandum nauem, vt patet 1.quæſt.7.cap. diſpenſationes rerum. Item patet hoc ex facto Loth: nam Loth erat vir ſanctus,quem ſcriptura laudat, & ponitur in Catalogo Sanctorum ad Hebræos 11. & Beatus Petrus in Canonica ſecunda laudat eum, dicens liberatum de libidine,& violentia Sodomorum,& quod maius eſt Deus eum approbauit, vt iuſtum, & fecit exire de ciuitate peritura vocantibus eum angelis: Geneſ. 19. capitulo, ipſe tamen fecit ſimile, dicens quod daret duas filias ſuas virgines Sodomitis, vt non cognoſcerent viros, ergo etiam liceret iſti viro agere,dando filiam ſuam, & concubinam Leuitæ.

Cuiuſdã rationes in diuersũ. 1. ratio 2. ratio

F

Reſpondendum, quod non licebat huic viro,& peccabat mortaliter faciendo. Nam pro nulla re debemus Deum offendere: ſed cum iſte homo traderet filiam ſuam, & concubinam Leuitæ viris Gabaa offendebat Deum,quia iſtud malum erat: ergo non licebat. Item non ſolum offendebat Deum,ſed etiam proximum:nam traderet filiam ſuam, quæ non deſiderabat illam libidinem, in quo grauabat eam, quia inducebat ad peccandum: etiam quia humiliabat eam auferendo honorem ſuum: etiam faciebat iniuriam vxori Leuitæ, & ponebat eam in mortis periculo, ſicut poſtea factum eſt. Quod ſatis poterat cognoſci, cum multi viri, vel omnes de ciuitate venirent, quod illi mulierem vnam libidine vexantes occiderent,& ſic non ſolumm peccabat in lenocinio, ſed etiam in homicidio. Item quia quilibet debet diligere potius animam ſuam,quam alterius, quod autem Leuita cognoſceretur, non poteramus dare, niſi quod peccaret ipſe, quod tamen ſenex daret filiam ſuam cognoſcendam,& vxo-

Reſp. ad quæſitum.

A rem Leuitę, peccabat ipſemet ſenex: ergo debebat potius eligere, quod peccaret Leuita, & moreretur quam quod ipſe hoc faceret. Item confirmatur hoc, quia aut faciebat hoc ſenex ad euitandam pœnam Leuitæ, vel culpam: pęna quidem duplex eſſe poterat, ſcilicet, mors, quæ ſequeretur ex magna vexatione, ſicut ſecuta eſt in muliere, vel dedecus immenſum: ſed pro his non debebat ſenex peccare, quia quodlibet peccatum quantumcunque paruum, quod ſit mortale, eſt peius omni pœna etiam infernali: ideo potius erat pœna eligenda quam culpa. Poterat autem eſſe culpa in Leuita, vt ſi ipſe ſponte cognoſceretur: ſed adhuc potius debebat ſenex pati, quod peccaret Leuita ſic, quam quod ipſe peccaret, cum deberet potius animam ſuam, quam alterius diligere. Item male faciebat ſenex, quia quod Leuita cognoſceretur erat inuoluntarium, cum ipſe hoc valde refugeret, & timeret. In hac autem pœnali turpitudine non erat dignum tolerare, ſicut in aliis, de quo infra dicetur. Quod autem ſenex daret filiam ſuam, vel cõcubinam Leuitæ erat voluntarium, ideo eſſet peccatum, & ſic ipſe volebat peccare ne Leuita pateretur pœnam: ſed iſta commutatio erat valde iniuſta, quia etiam pro ſeipſo non deberet aliquis talem commutationem facere. Peccauit ergo ſenex promittẽdo, & poſtea magis exequendo. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quod agere aliquid ex pietate laudabile eſt: dum tamen prætextu pietatis turpe non committatur: nam talis, vbi turpe committitur, non eſt pietas, ſed impietas. Iſtud autem eſt, quia quidam dicunt tenere modum in faciendo id, quod bonum eſt, ſed cum aliud ſit bonum ex genere, putant licere per omnem modum, & in hoc errant, quia non ſunt bona, quæ non tenent aliquam veritatem: nam diligere parentes bonum, & ſecundum ſeipſum laudabile eſt: tamen in hoc contingit error, vt ponit Ariſt. exemplum 7. Ethic. de Niobe, quæ propter filios contra Deos locuta eſt. Idem dicit de Philopatore, quod tantum diligebat patres, quod deſipere videbatur. Ita hic velle per omnem modum exhibere pietatis opus Leuitæ peccatum erat. Ad ſecundam rationem cum dicitur, quod vbi ſunt duo mala, licet accipere minus, vt euitemus maius. Dicendum, quod illud intelligitur de malis temporalibus, in quibus prudentia eſt euitare maiora, tolerando minora: ſed in peccatis non recipitur compenſatio, & patet iſtud ex exemplo dato de proiiciendo merces in mare, quia ſiue ſaluare vitam: ſiue merces, vel vtrumque perdere præter peccatum eſt, ſed lucra, aut damna corporalia hæc ſunt. Ad tertiam rationem, quando dicebatur quod Loth iſtud fecit, qui erat vir ſanctus, & ponitur in Catalogo Sanctorum. Reſponderi poſſet ad hoc, quod dato quod aliquis peccauerit, non ſequitur, quod non ſit ſanctus aliquando, & è conuerſo, non ſequitur iſte eſt ſanctus ergo nunquam peccauit, quia ſanctus aliquis fit per hoc, quod finit in bono, & actibus laudabilibus, ſed ante hoc potuit facere peſſima. Sic

C patet de Paulo, qui de perſecutore factus eſt vas electionis. Et de Cypriano, qui de nefando hæretico factus eſt vir ſanctus, & martyr laudabilis, atque fidei zelantiſſimus. Idem in illis quos Apoſtolus ponit in Catalogo Sanctorum patet. Nam ipſe ponit Iephte, Samſonem, Gedeonem, & alios, ad Hebr. 11. & tamen manifeſtum eſt, quod peccauit Iephte occidendo filiam, & Samſon multotiens peccauit cum mulieribus Philiſthinis, vt declaratum eſt ſupra de vtroque. De Iephte, ſupra 11. & de Samſone ſupra 16. cap. & ſic Loth potuit poni in Catalogo Sanctorum, & quod peccauerit promittẽdo filias ſuas tradere Sodomitis. Sed iſta ſolutio licet conueniat aliis tamen videtur, non applicari ad propoſitum: quia Loth non ſolum fuit aliquo tempore bonus, ſed etiam nunc quando fecit iſtud, bonus erat. Quod patet, quia Deus dixerat Abrahæ: Geneſ. 18. ca. quod non occideret in vrbe Sodomorum iuſtum, cum impio, ſed ſolum impios, & ob hoc ſaluatus eſt Loth: ſi tamen peccauiſſet volendo tradere filias ſuas Sodomitis efficeretur iniuſtus, & iam nõ liberaret eum Deus de deletione Sodomorum. Item confirmatur hoc 2. Pet. cap. 2. cum dicitur: Iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria à luxurioſa conuerſatione eripuit, ergo tunc iuſtus erat. Ad hoc reſponderi poteſt dupliciter. Vno modo, quod Loth non peccauit dicendo illud Sodomitis, quia dixit ad quandam perturbationem animi, cum ſe videret in tanta anguſtia, perturbatio autem excuſat peccatum, quia peccatum ex deliberatione eſſe debet: quia peccatum, ideo eſt peccatum, quia eſt voluntarium, ſed indeliberata nõ ſunt voluntaria, ergo etiam non erunt peccata. Aliter poteſt dici, quod Loth diceret iſta ſine perturbatione volens ſic efficere, vt angeli liberarentur, & quod peccauerit in hoc: tamen non ob hoc vocatus eſt iniuſtus, nec ceſſauit liberatio eius, quod patet, quia Loth dicebatur iuſtus comparatione Sodomorum, & quia ipſe nunquam peccauerat in hoc realiter, nec verbo impudico, nec ſaltem oculo, ita quod deciperetur oculus eius in aliquo: ergo iuſtiſſimus erat in hoc. Patet iſtud 2. Pet. cap. 2. ſcilicet. Iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria, a luxurioſa conuerſatione eripuit: aſpectu enim, & auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant, ergo vocauit eum ſcriptura iuſtum, quamquam peccauerit in hoc, cum ſolum ageretur ibi de vitio Sodomitico. Item quamquam peccaſſet in hoc Loth, nõ erat iuſtum, quod periret in vrbe Sodomorum, ſed quod liberaretur, quia illa pœna inflicta fuit pro peccato carnis, in quo Loth erat mundiſſimus, ideo licet pro peccatis ſuis aliqua pœna puniendus foret, non tamen illa, qua puniebãtur ſcelerati. De Loth in hoc an peccauerit Auguſtinus in libro quæſtionum ſuper Gen. & habetur in Decretis diſt. 14. cap. quod ait, vbi dicit: Quoniam proſtituere volebat duas filias hac compenſatione, vt viri hoſpites eius nihil tale à Sodomitis paterentur, vtrum admittenda ſit cõpenſatio flagitiorum, vel quorumcunq; peccatorum, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat, an potius perturbationi Loth, non conſilio tribuendum fuerit. Si quis fuerit, qui hoc dixerit merito inquireretur, & nimirum periculoſiſſime admittitur hæc compenſatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti in tanto malo permotæ, nullo modo imitandus eſt. Hic autem locus erat ad quęrendum ſi debet aliquis facere maius malum mortale, ne incidat in minus mortale. Secundo an debet aliquis pro alio peccare mortaliter, vt alius non peccet in maiori peccato mortali. Tertio an aliquis debeat peccare venialiter, vt aliquis euitet peccatum mortale. Quarto an poſſet interdum quis eſſe perplexus inter duo mala ad faciendum vnum, vel aliud: ſed iſta conuenientius tractabuntur ſuper cap. tertio: Epiſtola ad Roman. vbi eſt proprius locus.

Ad primã rationem in diuerſũ.

Ad 2. ration.

Ad 3. ration.

1. Obiectio.

Duplex eſſ.

Quis peccauerit magis Loth, vel iſte ſenex, quia ambo ſimilia verba ſunt locuti.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlterius, quis peccauit magis, an Loth, vel iſte ſenex, quia ambo ſimilia verba locuti ſunt. Reſpondendum eſt, quod Loth dupliciter exiſtimare poſſumus: nam ſi dicamus, quod fecit illud præ turbatione, ſubito loquendo verba illa præ turbatione mentis neſciens quid

F diceret, non peccauit ſaltem mortaliter. Si autem dicamus, quod egit deliberate peccauit mortaliter: tunc autem dicet aliquis de ſene, quod ita poterat dici, an egit perturbatus, vel deliberate. Sed dicendum, quod non ſtabit in ſene iſta diſtinctio, quia manifeſtum eſt, quod egit deliberate: nam perturbatio eſt in illis, quæ ſubito agimus, cum autem aliqua operatio magno tempore durat, non dicitur fieri animo turbato, ſed deliberato: licet verum ſit, quod anguſtia rerum euenientium inducunt hominem ad deliberandum id, quod alias non eſſet deliberaturus. Loth autem cum ſolum protulit verba illa, & nihil tradiderit executioni, potuit dicere illa verba animo turbato, & poſtea ad ſe rediens doleret, quod dixiſſet, ſenex tamen exiens ad viros dixit iſta, & hortatus eſt, quod acceptarent conditionem iſtam, & poſtea ingreſſus domum eduxit vxorem Leuitæ, & tradidit viris vrbis: ergo non agebat turbatus, ſed deliberatus. In quo cõſiderandum, quod non vocatur aliquis turbatus quotieſcunque ira in aliquo ſuccenditur, & agit aliquid quod alias non eſſet acturus, ſi non iraſceretur: quia ſic nunquam peccaret aliquis mortaliter per iram, cum ira quamdiu manet, faciat perturbationẽ mentis. Sed vocatur perturbatus ille, qui ſubitis venientibus paſſionibus, non ſolum ad aliquid agendum incitatur, & diſponitur, ſed etiã intellectus ſuus ſtupidus redditur, quaſi nihil iudicans: & tunc homo ſubito agit aliquid valde malũ.

De turbato.

Et

A Et quantum ad hunc modum contingit aliquem hominem sapientem, & prudentem subito agere aliquid magnæ insipientiæ, & hoc quia pro illo modico tempore actus intellectus ligatus est, & est homo attonitus: sicut qui subito videt super se hostem, & ad hunc ad capiendum arma, non habet animum, non quidem solo timore, sed quia intellectus passione tanta adueniente est ligatus: & tunc quidquid homo agit, vitio caret: sed istud valde modicum est temporis, vnde iste resumptis viribus capiat arma, & pugnet ferociter contra hostes, quamquam ex grauissima ira agat, non dicitur agere ex perturbatione, & istud non poterat assignari in sene. In Loth autem, licet non multum assignari posset tamen conuenientius, quàm in sene assignabitur. Ideo concessa hac distinctione, dicendum quòd peccauerit grauius senex iste quàm Loth, eo quod ille peccauit solùm venialiter ex perturbatione: iste autem peccauit mortaliter, quia deliberatè egit. Si autem dicamus, quod Loth egerit ex deliberatione, & peccauerit mortaliter, adhuc dicendum, quòd peccauit grauius senex quàm Loth, quia Loth solum locutus est, & executioni non tradidit, iste autem senex locutus est, & fecit. Sed dicet aliquis, quod Loth non executus est, quia non susceperunt communicationem eius Sodomitæ, & si voluissent libenter exequeretur, & sic non minuebatur peccatum. Iste autem senex executus est, quia acceptauerunt hoc viri vrbis. Sed dicendum, quod non stat. Primò quia dato, quòd acceptassent conditionem Loth Sodomitæ, nescimus quid ipse feciisset, quia fortè postea respuissent, & non daret. De viro autem isto sumus certi, quod fecerit, ideo isti maior culpa est asscribenda. Secundò non stat ista ratio, quia senex iste non fuit executus conditionem istam, tanquam consentientibus viris vrbis, sed eis nolentibus: nam dicitur in litera, quòd cũ diceret se daturum filiam suam virginem, & concubinam Leuitæ, noluerunt viri acquiescere sermonibus eius, & tamen ipsis non assentientibus eduxit senex vxorem Leuitæ, & tunc acceperunt eam. Ad hoc ergo, quod tantum peccaret Loth, sicut iste senex, oportebat, quòd licet Sodomitæ non assentirent conditioni suæ, quòd ipse eduxisset filias suas ad eos, vt forte sic contenti relinquerent viros, & tamen non fecit: ideo manifestè dicendũ est, quòd magis peccauit senex iste.

Docto. respon. ad quæ situm.

Cuiusdam respon. ad quæ situm.

B Impro. 1. Rat. 2. Rat.

Quid egisset Loth, si oblatis virginibus Sodomitis illi pactioni consensissent.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlterius, incidentaliter de Loth, cùm ipse dixit se daturum duas filias suas Sodomitis, ne agerent malum viris, si assensissent huic conditioni Sodomitæ, quid egisset Loth.

Respondendum, quòd licet videretur grauissimum Loth C dare filias virgines, & præcipuè desponsatas libidini totius populi: tamen ipse dare voluisset, ne viri, qui ad eum ingressi fuerant malum paterentur, & tamen angeli non permisissent hoc, sed sicut percusserunt cæcitate omnes Sodomitas, quando volebant effringere fores perseuerantes in sua nequitia, ita tunc percussissent, vt non auderent ingredi, vel accedere ad domum, vel irrogassent eis aliam pœnam ad placitum ipsorum, ita vt fugerent à domo Loth, & tunc ipsi angeli manifestarent se Loth, quod erant angeli, & q̃ defenderent eum, & filias suas, & quod non traderet eas Sodomitis.

Cur angeli non percusserunt prius Sodomitas cæcitate, quam Loth coactus amaritudine cordis promitteret dare duas filias.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, cùm angeli postea percusserint Sodomitas cæcitate, ne accederent ad ostium domus: cur à principio hoc non fecerunt prius quàm Loth, coactus amaritudine cordis, & perturbatione promitteret dare duas filias, vt dimitterent viros? Respondendum, quòd fecerunt hoc angeli propter duo. Primùm fuit, vt ostenderetur benignitas Loth erga hospites: nam tantum ad eos afficiebatur, quòd etiam filias suas patiebatur illudi, ne ipsi quidquam inhonestum paterentur, & licet istud non fieret ex rectitudine rationis, quia tamen affectione bona, & simplici fiebat erat quodammodo præmiandum in illo, licet non esset in aliis ad contrahendum iam scientibus hoc. Secundum & præcipuum fuit, quia Deus volebat condemnare Sodomitas, & licet ille sciret hoc peccatum eorum manifestè, quia in omni loco oculi sui contemplantur bonos, & malos, Proue. 15. tamen vt daret nobis formam non præcipitandi sententiam, sed agendi omnia secundum ordinem iuris, & cum plenissima probatione, misit angelos suos Sodomam, quasi inquisituros de hoc crimine, vt patet Gen. 18. scilicet, Descendam, & videbo, an clamorem, qui venit ad me, opere perpetrauerint, an non: vt sciant, quod etiam fuerit factum ad intentionem dandi nobis formam in iudiciis. Patet extra de accusat. c. qualiter, & quando, & in Decretis 2. q. 1. cap. Deus omnipotens, ergo angeli isti, qui veniebant tanquam inquisitores criminis, vt patet Ge. 18. voluerunt habere probationem efficacissimam de hoc scelere, ideo non solùm susceperunt, quòd tota ciuitas à sene vsq; ad puerum conuenisset ad portas Loth petens educi viros, vt abuterentur eis: sed etiam expectauerunt probationem aliam ad indicandum sæuientem rabiem libidinis in viris, scilicet quòd oblatis eis puellis virginibus & speciosis, contemnerent accedere ad eas, vt iuuenibus commiscerentur, & ista erat efficacissima probatio: ista autem nõ poterat haberi, nisi Loth filias suas offerret Sodomitis ad euitandum scelus in viris: ideo angeli tamdiu tacuerunt dissimulantes se esse angelos, quo istud fieret: quo facto, & non consentientibus Sodomitis, percusserunt eos cæcitate, in quo se angelos ostenderunt. Et ista ratio est melior, & magis necessaria quàm prima.

D

E

F

Qualiter peccavit iste senex dando vxorem Leuitæ viris Gabaa, & etiam ipsa.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, qualiter peccauit iste senex dando vxorem Leuitæ viris Gabaa. Respondendum, quod ipse peccauit dupliciter. Primò directè contra Deum, quia potius debuerat pati, quod violenter cognoscerentur Leuita & vxor eius, & filia sua, & quicunque alii, quam quod ipse traderet vxorem Leuitæ illis, quia cætera erant pœnalia, & non culpabilia cùm essent inuoluntaria. Istud autẽ erat spontaneum, ideo erat peccatum. Secundo peccabant contra vxorem Leuitæ. Et istud erat dupliciter. Primò inducendo eam ad peccandum: nam forte ipsa erat libidinosa, & gauderet, quod daretur ei occasio explendi libidinem, sicut dicit Iuuenalis in satyra quædam de Messalina vxore Imperatoris, quod per noctem mutato habitu introibat in lupanaria, vt ibi ab hominibus cognosceretur, & sic suam libidinem expleret: sed dicit concludens, quod lassata viris, sed non satiata, recessit, & hoc sæpe faciebat. Ita ergo poterat esse de ista muliere Leuitę, quod esset feruida nimis, & gauderet in hoc, & tunc dans ei occasionem ad peccandum peccabat. Item dato, quòd à principio non gauderet, postea experta delectationem, gauderet quòd tradita fuisset illis viris, & hoc induceret in ea senex: ergo peccaret. Secũdo peccabat senex, quia erat causa mortis illius: nam ex hoc mortua est illa, vt patet infra, nec etiam istud fuit per accidens, quia satis poterat credere senex iste, quòd mulier moritura esset, aut pateretur periculum, cum libido omnium virorum de Ciuitate explenda foret in ea, ideo peccabat, vt homicida.

An mulier ista peccaret, cùm subiecta est libidini omnium virorum Gabaa.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlterius, an mulier ista peccaret, cùm subiecta est libidini omnium virorum Gabaa. Respondendum, quia si ipsa non volens violẽter capta fuisset à viris vrbis, & cognita, atq; sic moreretur, nõ peccabat: imò erat martyr, & meretebatur nimis. Et dicendum, quod si vexata fuisset libidine, & tamen non mortua, & in hoc nõ consensisset,

A esset valde laudabilis, & mereretur nimis apud ecclesiam triumphantem. Sic patet de beata Lucia, quam cum præses iuberet duci ad lupanar, vt recederet ab ea spiritus Sanctus ait: si inuitam me ad lupanar duci feceris: castitas mihi duplicabitur ad coronam, & sic suo modo in ista fœmina fieret. Si autem moreretur dicendum, quòd esset martyr, & inter martyres computanda: nam si viuens passio illa esset laudabilis in ea: necesse erat, quòd morientem martyrem efficeret: nam omnis pœna, quæ meritoriè toleratur, cùm in ea quisque decesserit, cùm pro nomine Dei, & iustitia moriatur, martyr est.

An indistinctè mulier ista peccauerit.

Qvæstio XXIII.

Qværetvr nunc indistinctè, an mulier ista peccauerit. Respondendum, quod peccauit valde, & tamen non tantum quantum si sponte vt adultera se tradidisset alieno viro: nam sicut culpa Loth volentis tradere filias suas Sodomitis minueretur, quia volebat eas tradere ne hospites paterentur: ita & istius mulieris culpa: nam ipsa non omnino spontanea erat, sed vt vir suus non pateretur ista, quæ in eo contra naturam essent voluit ipsa pati, quod in ea non contra naturam erat, licèt inhonestum esset, & tamen non
B debuisset hoc facere iubente sene, aut viro mandante vel orante: quia in per se malis nulli assentiendum est, quantæcunque auctoritatis. Etiam dato, quòd scirèt, quod vir suus cognoscendus erat violenter, & ipsa, & omnes quotquot in domo erant, non debebat hoc pati, quia quod violenter omnes cognoscerentur erat pati, & non erat peccatum, cp autem ipsa iret, vt cognosceretur ne vir suus cognosceretur, erat agere, ideo erat peccatum. Dicendum tamen, quòd si non attenderemus Deum vltorẽ, & iustitiam eius positam in cordibus nostris secundum humanam rectitudinem: videbatur bonũ, & laudabile, quòd mulier illa videns necesse esse, quod aut vir suus pateretur contra naturam, aut ipsa ludificaretur à viris vrbis illius, quòd ipsa ludificaretur, quamquam laudabilius erat secundum humanam legem, quòd ambo potius morerentur, quàm hæc tolerarent: sed dato, quòd oporteret alterum istorum fieri, melius erat, cp ipsa permitteret se ludificari: dico semper attendendo humanam rectitudinem semota Dei lege, quia secundum illam quid expediat, dictũ est.

Cur senex iste eduxit vxorem Leuitæ, si viri Gabaa nolebant eam.

Qvæstio XXIV.

C Qværetvr vlterius, cùm dicerent viri vrbis, quòd nolebant cognoscere concubinam Leuitæ, & filiam senis, sed ipsum Leuitam, cur eduxit senex vxorem Leuitæ ad eos. Respondendum, quòd licèt senex peccauerit contra Deum faciendo hoc, vt supra dictum est, tamen vsus est quadam prudentia humana: videbat enim, quòd viri vrbis insaniebant, & fracturi erant fores domus, nec posset ipse resistere illis, & tunc fortè cognoscerent Leuitam, & vxorem, & filiam senis, & omnes, qui in domo erant, quòd esset grauissimum, sicut dixerunt viri Sodomitæ ad Loth: teipsum magis affligemus: Gen. 19. quia ipse nolebat eis dare duos iuuenes, qui introierant in domum eius, sed filias: dixerunt quod affligerent eum, cognoscendo illum, & vexando libidine: ita nunc facerent fortè viri Gabaa isti seni, & omnibus, qui in domo eius erant, vt ergo euitaret hoc eduxit vxorem Leuitę ad viros, putans quod licet non suscepissent conditionem, videntes eam mouerentur in illam, & cessarent ab impetitione Leuitæ. Et ratio huius erat, quia quando non consentiebant, non videbant coram se vxorem Leuitæ, nec filiam virginẽ senis, & ob hoc mouebantur magis ad Leuitam de quo primo conceperant, licèt nullum viderent, & quia quando delectabile est in præsentia nimis mouet secundum quòd Aristi, Eth. 2. in fine dicit dans regulam, quod nunquam aliquis iudicet de ipso delectabili in præsentia eius, an debeat illud fugere, vel prosequi: quia semper allicietur ad iudicandum, qnod sequatur, & ponit exemplum de eo, quòd patiebãtur Troiani ad Helenam: nam petentibus Græcis, quod daretur Helena, & non pugnarent: veniebant seniores ad consilium, iudicabantque omnes illam reddendam, ne esset origo bellorum: deinde adducebatur Helena in medium, & omnes conspicientes decorẽ eius rursum iudicabant illam non reddendam, sed quod potius omnes bello morerentur, & quia illa in consilium sæpius adducebatur, prævaluit sententia, cp non redderetur, & sic bella surrexerunt, & Troia excisa est. Sic nunc viri vrbis intendebant non recipere vxorem Leuitæ, nec puellam virginem, sed Leuitam: visa tamen vxore Leuitæ, quæ magnæ pulchritudinis erat, tanta in eam libidine insanierunt, quòd absorpti nihil amplius petierunt. D

An peccanit in hoc Leuita, quòd vxor sua adulterata fuit cum viris Gabaa.

Qvæstio XXV.

Qværetvr vlterius, an peccauit in hoc Leuita, quod vxor sua adulterata fuit cum viris Gabaa. Respondendum, quòd si violenter capta fuisset, nec ipsa peccasset, nec Leuita, quia inuoluntarium non causat peccatum. Nunc tamen dicendum, quod peccauit, quia certum est, quòd vxor sua non exiret ad hoc, quòd ludificaretur, nisi ipso consentiente, cùm esset in aspectu eius, imò videtur, quod ipse precaretur, quòd ipsa toleraret hoc, ne tantum ipse dehonestaretur. Sed quòd ipse oraret, quòd ipsa peccaret, aut daret ei auctoritatem ad hoc, peccatum erat: imò magis videretur peccare ipse quàm illa, cùm consilio eius, & auctoritate ipsa faceret. Interdum autem consulentes magis puniuntur, quã operans ipsum malum: sic patet in decretis 86. dist. c. tanta nequitia, potissimè, quia hic interueniret consilium, & auctoritas, & preces, quæ valde augerent delictum. Sed adhuc dicendum, quod dato, quod vir non peccasset, nec præcepisset, nec consuluisset vxori hoc facere, sed solum non prohiberet eam volentem peccare, peccabat mortaliter, quia vir peccat mortaliter permittendo vxorem fornicari, sed potius debebat se exponere cuicunq; periculo quàm quod permittet vxori suæ ire ad viros alios, qui ludificarent eam. E

An senex peccaret magis dando vxorem Leuitæ viris Gabaa, quam filiam suam, vel è contrario.

Qvæstio XXVI.

Qværetvr vlterius, an senex peccaret magis educendo filiam suam ad hoc, quòd cognosceretur à viris Gabaa, quàm educendo vxorem Leuitæ, vel è contrario. Dicendum quòd faciendo, quodcunque istorum peccabat senex: nam siue vxorem Leuitæ, siue filiam educeret, dabat operam malo in tribus, scilicet contra Deum, & inducendo ipsam, quam educeret ad peccandũ, & exponendo eam morti, vt supra declaratum est, in quadam quæstione. Dicendum tamen, quod magis peccaret educendo filiam, quam vxorem Leuitæ. Et hoc in duobus. Primò quia quanto aliquis efficacius mouet alium ad peccandum, tantum magis peccat, sed senex efficacius moueret filiam suam, quam vxorem Leuitę: ergo magis peccaret educendo filiam suam, quàm vxorẽ Leuitæ: patet minor, quia vxor Leuitæ non egrediebatur, quia iubebat ei hoc senex, cùm non teneretur ei obedire de iure, aut de facto, sed egrediebatur illa, quia iubebat, aut precabatur Leuita, vel quia ipsa volebat hoc pati, vt erueret virũ suũ: filia autem senis non egrederetur ad mandatum Leuitæ, nec ad preces, aut consilium eius, nec ad eruendum eum: sed si egrederetur esset hoc iussu patris, ideo ipse esset causa efficacior in filia ad peccãdum quam in vxore Leuitæ: nam in filia sua esset sicut iubens, & compellens peccare, in vxore autem Leuitæ esset, sicut fauens peccanti: sed manifestum est, quod ista nimis differunt in grauitate peccati. Secundum erat, quia ille magis peccat, qui magis agit contra ordinẽ charitatis, cũ tota rectitudo actionis sit in ordine charitatis, & tota prævaricatio est in violatione ordinis charitatis. Sed senex magis ageret contra charitatem filiam suam ducendo ad ludificandum, quàm ducendo vxorem Leuitæ: ergo magis sic quam aliter peccabat. Istud patet, quia secundum ordinem F

In duobus erat magis peccatũ educere filiam quam vxorẽ Leuitæ

dile-

A dilectionis tenetur aliquis velle plura bona temporalia pro vno quàm pro alio,& ſicut eſt de bonis temporalibus, ita eſt de æternis, nam ſicut teneor alicui velle plura bona temporalia,quam alteri: ita teneor velle potius, quod ille habet vitam æternã,quàm alius,& velle potius, quòd ille caueat peccata,quam alius. Sed manifeſtum eſt, quòd ſecundum ordinem charitatis magis tenetur pater filiis ſuis, quam alicui alteri, niſi iſte habeat patrem & matrem, quia tunc potius deberet diligere patrem & matrem,quam filios,licet natura inclinet ad contrarium. Ratio tamen, & obligatio hoc dictat, & ſtatuit: ergo iſte ſenex debebat magis diligere filiam ſuam quàm vxorem Leuitæ, & conſequenter debebat conari potius ad euitandum mala illius quam vxoris Leuitæ: poterat autem puella incurrere hic mala temporalia duo, ſcilicet infamiam grauiſſimam, & mortem, vel debilitationem maximam membrorum: malum autem ſpirituale erat vnum,ſcilicet peccare mortaliter. Quodlibet autem iſtorum magis tenebatur ipſe cauere in filia ſua,quam in extranea, ideo exponendo eam his magis peccabat, quam exponendo vxorem Leuitæ.

Quare ſenex non eduxit vxorem Leuitæ,& eius filiam,vt abuterentur eis viri Gabaa.

B

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlterius,quare ſenex non eduxit vxorem Leuitæ,& filiam ſuam,vt abuterentur eis viri Gabaa ſicut dixerat,ne Leuita abuterentur. Dicendum, quòd ſenex cognoſcens inſaniam virorum vrbis, timuit valde, quod omnes de domo violenter cognoſcerent, niſi libidini ſuæ ſatisfieret,& ob hoc promiſit primò filiam,& vxorem Leuitæ, vt ceſſarent à petitione Leuitæ, voluerat tamen ſi potuiſſet eos verbis placare, vt nihil peterent,& cùm vidit, quòd non aſſentirent verbis eduxit ad eos ſolum vxorem Leuitæ, vt ſi fortè illam ſolam habentes contentarentur, & non fieret tantum malum: cùm autem eduxit illam, tantum exarſerunt in eam omnes viri Gabaa, quod non recordati ſunt aliquid vltra petere,ſcilicet nec filiam ſenis,nec Leuitam. Si tamen illa non contentarentur adhuc petentes filiam ſenis ipſe dediſſet illam,vt non irrumperent domum,& omnibus violentiam inferrent. Si autem poſtea Leuitam peterent, ibi ſenex ageret quidquid poſſet.

Si ſenex in anguſtia poneretur,quòd aut filiam ſuam,aut Leuitam, traderet viris Gabaa, quem illorum potius tradere deberet.

QVÆSTIO XXVIII.

C QVÆRETVR vlterius, ſi ſenex poneretur in anguſtia, quod aut filiam ſuam, aut Leuitam traderet viris Gabaa,quem illorum potius tradere deberet. Reſpondendum, quod aut quæritur de eo, quòd ſenex facere debebat, aut de eo,quod ipſe faceret. Si quæratur de ſecundo,dicendũ quod indubitanter ſenex daret filiam, ne Leuita pateretur. Quod patet,quia cùm peteretur Leuita, dixit ſenex, quod daret filiam ſuam,& vxorem Leuitæ ne cognoſcerent Leuitam: ergo à fortiori daret filiam ſuam ſolam, ne cognoſceretur Leuita. Si autem quæratur de eo,quod facere deberet. Dicendum,quod nullum facere debebat: quia ſiue filiam daret,ſiue Leuitam mortaliter peccabat: ſicut ſupra demonſtratum eſt, quando dicebatur, quod peccauit dando vxorem Leuitæ, vnde potius pati debebat, quòd omnes violenter cognoſcerentur, quam quod ipſe aliquem tribueret cognoſcendũ. Si tamen dicatur: ponamus quòd ſenex vellet dare aliquem de his duobus,ne ſequeretur totalis deſtructio omnium,quẽ dando minus peccaret. Dicendum, quod minus peccaret dando filiam,quam dando Leuitam. Sed aliquis dicet,quod magis peccaret dando filiam ex duabus rationibus poſitis quæſt.26. Dicendum,quod in hoc conſiderandum eſt,quod in poteſtate ſenis eſſet dare, quem vellet iſtorum, & non acciperent viri vrbis, niſi quem ſenex daret. Etiam quòd ipſi æqualiter obedirent ei ad ſe tradendum illudendos. Eſt ſenſus, quòd ſicut ſuaſione patris filia traderetur, ita ſuaſione eius traderetur Leuita, & non eſſet facilior ad ſe tradendũ, vel aſſentiendum ſuaſioni vnusquàm alius. Et tunc dico, quod magis peccaret tradendo Leuitam,quam filiam. Et ratio huius eſt, quia ipſe ſenex peccabat inducendo quemcunque iſtorum ad peccandum, & tamen magis peccaret inducendo Leuitam, quia peccatum eius maius erat, quia peccatum contra naturam: peccatum autem puellæ eſſet ſolum ſtuprum. Si autem non eſſet vterque ei æqualiter ſuaſibilis, ſed ad hoc,quod Leuita traderetur, modicum ſuadere debebat,eo quod Leuita erat in poteſtate ſua,& ad educendum filiam debebat multum ſuadere,eo quod ipſa erat in poteſtate patris, & ſi faceret,eſſet hoc propter eum, peccaret magis educendo filiam, quia præſtabat tunc directiorem cauſam ad peccandum ei, quàm ſi educeret Leuitam. Alias tamen dicendum ſimpliciter, quòd magis peccatum erat educere Leuitam. Ad rationes poſitas in præcedenti quæſtione patet reſponſio. Ad primam dicendum, quod non præſtabat maiorem cauſam peccandi filiæ quàm Leuitæ, vt patet ex caſu poſito, ſcilicet, quod ambo eſſent æqualiter ſuaſibiles, & dato quod aliqualiter eſſet magis ſuaſibilis Leuita, quam puella, maius peccatũ erat in Leuita, quia magnitudo peccati,quòd Leuita facturus erat,prẽponderabat ad perſuaſibilitatem. Ad ſecundam rationem dicendum, quod quamquam magis teneatur quis filio ſuo, vel patri quam extraneis, & tamen caſus eſt, in quo potius tenebor extraneo etiam infideli quam patri, vt ſi pater egeat, & tamen non ſit in articulo mortis, quamuis ei non ſtatim ſuccurratur, & extraneus egeat, ita quod niſi ſuccurratur ei, illico morietur: dicendum quod potius ſuccurrendum eſt extraneo, ſi vtrique ſuccurri non poteſt: ſic detetminatur auctoritatibus ſanctorum, & eſt glo. in decretis 30.diſt.c.1.& 86.diſt.c.nouitatis, ſimiliter eſt de euitando malo ſpirituali alio temporali: nam ſi quis vellet occidere extraneum iniuſtè, quem ego poſſum defendere, & alius vult offendere patrem meum leuiſſima offenſa, & non poſſum vtriq; ſimul ſuccurrere, potius debeo liberare eum, qui ad mortem periclitatur: ita ergo de malo ſpirituali. Si aliquis extraneus debet peccare mortaliter & grauiſſimè, niſi aliquis meus filius peccet mortaliter, & leuiter: quam quòd alius grauiſſime peccet, vt quidam volunt. Sed etiam nec iſtud ego approbo, cùm quodlibet mortale peccatum quantumcunq; paruum faciat reum hominem morte ęterna. Nec etiam iſtud exemplum applicatur ad propoſitum, quia in iſto caſu ego nihil efficio, ſed ſenex efficere debebat in caſu propoſito, ſiue ad peccatum filiæ ſuæ, ſiue ad peccatum Leuitæ: ideo detur caſus, quod quis debeat impellere ad peccandum proximum ſuum, potius peccabit impellendo aliquem extraneum ad valde magnum peccatum,quam impellendo filium,vel patrem ad valde paruum peccatum. Et ratio eſt, quia hic non attenditur quantum peccet ille, quem ego ad peccandum impello, ſed quantum peccem ego, qui eum impello. Cùm autem impello aliquem ad malum, dupliciter pecco: primò quia ego malum intendo: ſecundò quia noceo ei quem impello. Et ex his duobus peccatum meum eſt magnum, vel paruum. Cùm autem impello fratrem meum, vel patrem meum ad peccandum, pecco nimis quantum ad hoc, quòd alicui noceo, ſed non multum quantum ad hoc, quòd malum intendo. Cùm autem impello extraneum ad graue peccatum pecco nimis quantum ad malum, quod intendo,ſed modicum,quantum ad illum cui noceo. Et tamen dicendum, quod adhuc in iſta æquiuocatione magis peccat, qui impellit extraneum ad grauiter peccandum: quam filiũ, vel patrem ad paruum peccatum. Et hoc propter duo. Primò quia malum intentum,quod eſt magnum, præponderat nocumenti magnitudini. Secundò quia cum impello extraneum ad peccandum grauiter,pecco grauiter dupliciter. Primò quia ego intendo graue malum. Secundo quia ego grauiter noceo ei,quem ad tam graue malum impello. Cum autem impello filium,vel patrem ad leuiter peccandum pecco, grauiter vno modo tantùm, ſcilicet inquantum ago contra charitatem, qua ei teneor bona velle, ideo primum peccatũ maius erit: ſic erat in ſene,ſic impellente filiam ad ſtuprum, vel Leuitam ad peccatum Sodomiticũ:
ergo magis peccaret educendo
Leuitam.

D E F

Qui aliquem ad malum impellit dupliciter peccat.

Qui impellit extraneũ ad peccandũ grauiter peccat dupliciter.

Si filia senis educeretur, vt ludificaretur à viris Gabaa, an peccaret ipsa.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlterius, si filia senis educeretur, vt ludificaretur à viris Gabaa, an peccaret. Respondendum, quòd si violenter abstraheretur à patre, vel Leuita, aut viris vrbis, non peccaret, qui non ageret, sed patiebatur: si tamen ipsa egrederetur, sicut egressa est vxor Leuitæ, scilicet ad mãdatum patris sui, vel preces, vel consilium, vel pietate Leuitę, ne ipse cognosceretur, peccaret, quia sponte malum agebat: vnde potius pati debebat, quòd omnes alij paterentur, quidquid pati possent, quàm quod ipsa sponte traderet se ludificandam, vt illos liberaret. Sed dicetur, quid si puella sciret certissimè, quòd non poterat euadere, quin cognosceretur sponte, vel violenter, & si ipsa traderet se nunc sponte cognoscendam, quod nullus vim pateretur, & quod si ipsa non se traderet necesse erat ipsam violari, & patrem suum, & Leuitam, & omnes, qui in domo erant, & ipsa magis sic affligeretur, quàm aliàs. Dicendum, quòd adhuc in isto casu, non debebat puella sponte egredi, vt cognosceretur, quia potius debat tolerare omnia mala, quam malo consentire, quidquid autem ipsa postea pateretur, & omnes quotquot in domo erant, pœnale erat. Si autem egrederetur nunc, vt cognosceretur, erat culpa, quia spontanea: ideo melius erat subiicere se omnibus pœnis, quàm vni culpæ.

Si pater iuberet huic puellæ egredi, vt liberarentur omnes, qui in domo erant, an tenebatur egredi, & an perderet aureolam.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR vlterius, si pater iuberet huic puellæ egredi, vt liberarentur omnes, qui erant in domo, an tenebatur egredi. Aliquis dicet quod non, quia dictum fuit supra quod non tenebatur vxor Leuitæ egredi, vt cognosceretur Leuita iubente, vel orante: ergo consimiliter erit de patre respectu filiæ. Dicetur ad hoc, quod non stat: nam magis tenetur obedire filia patri, quàm vxor viro: nam inter virum & vxorem est iustum politicum, sed inter patrem, & filiũ, vel filiam non est iustum simpliciter, quousque sit pelicon, id est emancipatus, vt patet Ethic. 5. & sic quidquid iusserit pater filio non emancipato facere tenebitur: sed non erat sic de vxore & viro, quia non tenebitur vxor facere quid iusserit vir, etiam si illud non sit contra honestum. Dicendum tamen non obstante hoc, quòd filia senis non tenebatur egredi, vt cognosceretur, quamquam hoc iuberet senex, quia istud erat peccatum, & in peccatis non tenetur quis alteri obedire. Nam obedire oportet Deo plusquam hominibus, Act. 4. & tamẽ Deus peccata odit, ideo si quis iubet cuilibet male agere non tenebitur, & non solum si iusserit pater filio, sed etiam si iusserit Dominus seruo, in quo est maxima obligatio obediendi, quia nullum omnino ius est inter dominum & seruum, sed sicut homini ad possessionem suam 5. Ethic. eo quòd seruus est ens simpliciter alterius, vt patet primo Politico. quia quantum ad ea, quæ concernunt mandatum Dei, ei sumus magis subiecti quàm cuiquam, & quia in hoc vertebatur peccatum, non debebat filia obedire patri, imò si prætextu obediẽtiæ hoc faceret, peccaret mortaliter: sed etiam si sciret, quod pater eam traheret inuitam ad viros ludificandã non debebat permittere, sed resistere quantum posset. Et si ab eo, vel à quocunque robustiore se traheretur, iam non esset peccatũ suũ, sed trahẽtis, & hoc debebat potius expectare.

An virgo rapta à viris vrbis, vt ludificaretur virginitatis aureolam amitteret.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlterius, dato quod ista puella traheretur à patre, vel raperetur à viris vrbis, vt ludificaretur: an perderet aureolam virginitatis. In quo considerandum aureolam esse quoddam speciale insignium, quod in vita æterna datur specialibus modis merendi, scilicet omnes, qui iustè viuunt cum decesserint vitam æternam assequũtur, & pro hoc, quod bene vixerunt datur eis in retributionẽ visio Dei, quæ eos beatos efficit replendo omnibus bonis, & in hoc nõ differt qualiter vixerit dum tamen bene vixerit, & quia commune bonum, & maximum est beatorum ipsa Dei visio, vocare tolemus ipsam præmium essentiale, scilicet quia sicut ea, quæ substantialia sunt omnibus insunt, non condistinguendo conditiones indiuiduorum, ita præmium visionis Dei omnibus, qui in Christo moriuntur confertur. Præter hæc autem, quòd est bene viuere, & bene mori, est quidam modus specialis bene viuendi, scilicet quòd quidam sic bene viuant, & alii aliter, & tunc in istis reperiuntur aliqui modi viuendi speciales valde excellentes, & illis datur præter visionem Dei in vita æterna quoddam superadditum bonum. Sunt autem isti modi viuendi, viuere in virginitate, mori pto Christo, viuere docendo Christi religionem, & eam scriptis elucidando, ideo his tribus, sc. virginibus, martyribus, & doctoribus datur in vita æterna quoddam fœlicitatis insignium: & istud vocatur aureola. Vocatur etiam præmium accidentale. Et hoc propter duo: primò ex ratione supra assignata, scilicet, quòd ea, quæ sunt communia vocantur essentialia, sicut ea, quæ sunt essentialia in generibus, vel speciebus sunt communia, quæ autem sunt accidentalia sunt propria, quia huic accidit istud, & illi alterum, ideo cùm ista insignia virginum, doctorum, & martyrum eis insunt, & nulli alij communicentur, dicentur esse accidentalia præmia. Alia ratio huius nominis est, quia ad consequẽdum vitam æternam quædam sunt necessaria, & quædam sunt accidentalia, vel supererogationis, & istud est ex parte meriti: ita ergo necesse est distingui ex parte præmij, scilicet, quòd illa, quæ dantur in vita æterna pro merito necessario ad salutem, dicantur pertinere ad præmium essentiale, quæ verò respondent supererogationis merito, vocantur pertinere ad præmium accidentale, & quia viuere in charitate est necessarium ad habendum vitam æternam omnibus in charitate viuentibus, & morientibus, sic datur præmium substantiale. Est autem supererogationis, vel accidentale ad vitam æternam in virginitate manere, & martyrem, vel doctorem esse, ideo qui sic vixerint habebunt præmium supererogationis, vel accidentale, quod vocatur aureola. Non tamen existimet aliquis, quod cuique faciendi aliquid supererogationis detur aureola, sed solum concedimus virginibus, martyribus, & doctoribus. Nam licet verum sit, quòd cuilibet supererogãti in operando supererogetur aliquid in præmio, iuxta illud Luc. 10. cap. scilicet quidquid supererogaueris ego veniens reddam tibi: tamen non vocamus omnes istos habendos aureolas, sed solum illos, qui aliquod speciale meruerunt supererogando, & huiusmodi sunt virgines, doctores, & martyres. Nec vocamus doctores eos, qui gradum magisterii, aut doctoratus acceperunt, quia gradus est tanquam habitus. Laus autem nostra, & meritum non est in habitibus, sed in actibus: ideo illi soli recipiunt istam aureolam, qui docuerunt ea, quæ ad rectitudinem morum pertinent, & principaliter ad veritatem fidei: & hoc siue libros sacræ scripturæ explanando, siue actualiter verbum Dei seminando, siue legendo, & alios ad prædicandum instruendo, & principaliter, qui scribendo libros sacræ scripturæ eam elucidãt. Vnde de istis dicitur Eccl. 24. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, scilicet speciale præmium in vita æterna. Nunc autem ad propositum accedendo dicendum, quòd ista puella quomodocunq; duceretur violenter, si postea sponte ab aliquo non cognosceretur, siue tunc moreretur, siue magno tempore superuiueret, non perderet aureolam, quia virtus, & ea, quæ ad virtutẽ sunt non sunt talia, quæ possint alicui inuito auferri. Et in hoc differunt à bonis fortunæ, quæ raptorum violentia auferuntur. Virginitas autem virtus est: ergo non poterat auferri per violentiam virorum Gabaa. De aureola est eodem modo dicendum, quia aureola consequitur necessario ad virginitatem: sed in ista puella non poterat perire virginitas ex violentia illata ab istis, ergo nec Deus auferret ei aureolam. Sed aliquis dicet, quod periret virginitatis aureola, quia in virginitate est specialius, quã in aliis virtutibus, quia in cæteris virtus semel perdita potest recuperari, & nõ iustus potest effici

Virginib. doctorib. & martyribus datur aureola.

Non omnib. facientibus aliquid supererogationis datur aureola.

Qui doctores aureolam merentur.

Aureola necessario cõsequitur virginitatem.

A

effici iustus : sed qui semel virginitatem perdit non potest recuperare postea,etiam si nimis fleat:ergo ita esset hic,quòd quamquam cæterę virtutes non possint auferri inuitis,quòd inferatur virginitatis aureo!a. Dicendum, quòd in virginitate est speciale, quàm in aliis,scilicet, quòd postquam perit non potest redire, eo quòd virginitatis est voluntas incorruptionis, qui autem semel spontaneè corruptionem suscepit, non potest redire ad esse incorruptum , in perdendo tamen virginitatem non est secus,quàm in aliis virtutibus,sed sicut virtus voluntariè accipitur,ita voluntariè perit, & sic cum ista puella esset virgo , & non consentiret cognosci à viris à Gabaa,quamquam violenter cognosceretur,nõ poterat perire virginitas,& consequenter non periret aureola,quæ necessariò consequitur ad virginitatem.

An Leuita liceret dare vxorem suam, ne aliquis cognosceretur, vel ne ipse cognosceretur.

QVÆSTIO XXXII.

Cuiusdam rationes indiuersum. 1 Ratio

QVÆRETVR vlterius, dato quòd Leuita videret nullo modo posse euadere, quin ipse cognosceretur, vel traderet vxorem suam cognoscendam, quid debebat agere, an liceret ei dare vxorem suam , ne aliquis cognosceretur. Aliquis dicet,quòd sic, quia magis tenebatur diligere s. Leuita, quam vxorem suam : ergo poterat eam tradere cognoscendam,ne ipse cognosceretur. Item maius peccatũ erat , quòd cognosceretur vir,quàm fœmina,ergo poterat ipse dare fœminã, ne ipse cognosceretur,& peccaret minus, quàm alias. Respondendum , quòd si daretur iste casus , Leuita debebat agere quantum posset, ne cognosceretur ipse, aut vxor sua. Si autem non posset, inuitus potius debebat pati , quòd vterque cognosceretur,quàm quòd traderet vxorẽ , eo quòd si traderet vxorem agebat aliquid spõte, & illud malum erat. Si autem cognosceretur inuitus ipse, & vxor sua erat pęna.& non peccatum , cùm esset violentum : omnis autem pœna quantacunque sit minoris mali est , quàm culpa , etiam si sit parua : ideo subire debemus quantamcunq; pœnam , etiam si sit magni doloris , vt non incidamus in aliquas culpas. Ad primam rationem in contrarium , dicendum , quòd quamquam magis diligeret se , quam vxorem suam , non debebat eam sponte tradere adulterandam,quia in hoc peccabat mortaliter,& non debet aliquis peccare mortaliter, etiam pro euitanda morte temporali : vnde poterat Leuita velle potius, quòd cognosceretur vxor sua, quam ipse , & tamen non debebat eam tradere cognoscendam , vt ipse non cognosceretur. Et est simile : si ego sim innocens,& sciam , quòd necessario est me occidi iniustè,vel alium socium meum innocentem,ego potius debeo velle , quòd ille moriatur , quam ego, & tamen non debeo tradere eum occidendum , vt ego non occidar. Sic etiam si dicatur mihi,tu occideris,nisi istum hominem occidas,& ego scio certissimè , quòd occidar nisi illũ occido non possum eum occidere,quia occidere illũ est agere malum , quòd autem ego occidar, est pœna. Si ergo proponerentur duæ pęnæ, sc.quòd oportebat violenter cognosci Leuitam, vel vxorem suam , debebat potius velle Leuita, quod cognosceretur vxor sua , quam ipse. Sic etiam proponerentur duæ culpæ,sc.quod Leuita deberet peccare mortaliter,vel ꝙ vxor sua peccaret mortaliter,potius debebat velle ꝙ ipsa peccaret,quam ipse, quamquam iste casus non est admittẽdus:& procedunt ista,quia debet se potius diligere quilibet,quam alium,& tamen in casu dato,sc.quòd Leuita traderet vxorem suam cognoscendam , ne ipse cognosceretur, comparatur culpa pœnæ,& semper præponderat culpa,ideo non poterat eam tradere cognoscendam quod erat culpa,vt euitaret pœnam,sc.ne ipse cognosceretur. Ad secundam rationem dicendum , quòd virum cognosci , aut fœminam si vterque inuitus cognosceretur , nullum peccatum erat , sed pœna. Si autẽ ambo sponte cognoscerentur , maius peccatũ erat virum cognosci,quam fęminam:si aũt alter eorum spõte cognosceretur , & alter inuitus, qui sponte cognosceretur solus peccaret:nunc aũt erat vir cognoscẽdus inuitus,& si traderet cognoscendam vxorem,ne ipse cognosceretur , tradebat eam sponte, ideo maius peccatum erat , quòd traderet eam, quam quod ipse violenter cognosceretur.

Ad primã rationem in diuersum

A 2. rationem in diuersum

B

C

Quid deberent agere Leuita,& senex,si viderent,quòd viri Gabaa instabant , quòd eis daretur Leuita,vel aliquis alius.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR vlterius , quid deberent agere Leuita , & senex,si viderent,quod viri Gabaa instabant, quòd daretur eis Leuita , vel aliquis de domo , siue aliqua mulier , & viderent,quòd si non traderetur eis ille,quem peterẽt,quod oportebat omnes, qui in domo erant violenter cognosci.

Respondẽdum,quòd debebant se supponere diuinæ prouidentiæ , sc. orando confidenter , quòd eos de tali periculo erueret, & certissime Deus exaudisset , quia hic non petebatur principaliter aliquod bonũ temporale, sed honestas morum,quæ ad Dei cultum pertinet : & non est dubium , quin Deus misisset adiutores angelos suos,sicut quando hostes circundederunt Eliseum,& petiuit auxilium , apparueruntque plures angeli Dei armati, & currus ignei, & equi 4.Reg.6.c. Vel saltem terreret omnes viros Gabaa faciens , vt recederẽt de domo senis, sicut Deus incutit pauorem, cui vult , vt colligitur Exo.23. scilicet: Terrorem meum mittam in præcursum vestrum. Et magis patet hoc Leui.26.cap. Vel forte percuteret eos cœcitate,sicut percussit viros Sodomitas ante domum Loth,ita vt non inuenirent portam Gen.19.multisque modis aliis poterat hoc facere. Deinde debebant se exponere ad resistendum viris vrbis , & si possent occidere aliquos, quod occiderent , & saltem quòd potius se permitterent occidi,quam quòd se subiicerent eis,& si omnino violenter caperentur,& cognoscerentur erat quædam pœna à Deo eis infl:cta,& tamen non erat peccatũ. Sed non credo,quòd Deus talem pœnam permitteret aliquem pati , qui eum inuocaret auxiliatorem. Peccauerunt ergo omnnes,scilicet tam senex, quàm Leuita,& vxor Leuitæ, qui tradiderunt vxorem Leuitæ cognoscendam, vt ipsi euaderent.

D

E

An licuisset illis,qui erant in domo senis se occidere , ne cognoscerentur à viris vrbis.

QVÆSTIO XXXIV.

QVÆRETVR, an licuisset illis, qui erant in domo senis se occidere,ne cognoscerentur à viris vrbis. Aliquis dicet, quod sic, quia melius erat mori , quam pati talia, quæ erant inhonestissima,& contra bonos mores : mori autem solum erat pœna ideo melius erat se occidere. Item Augustinus refert primo de Ciuitate Dei,de quibusdam sacris virginibus , quæ ne violentia barbarorum violarentur seipsas occiderunt, & dicit eas saluas fore : ita ergo isti,& à fortiori poterant seipsos occidere, quia grauius erat quod isti passuri erant , quàm quod illæ, quia illæ paterentur stuprum , isti autem paterentur vitium contra naturam. Respondendum, quòd non licebat istis viris,& mulieribus se occidere , ne cognoscerentur ab istis viris.Et ratio sæpe supra posita est: nam quòd isti violenter cognoscerentur,erat pœna, & non culpa quòd autem seipsos occiderent , quia erat voluntarium erat culpa,sed culpa semper est peior,quàm pœna. Et dato,quod aliquis non considerando , quod cognosci Sodomiticè esset peccatum,sed solùm,quòd erat quædam pœna,potiùs eligeret mortem, quam sic cognosci : tamen quòd ipsemet mortem pro illa causa sibi inferat,peccatum est, nec potest excusari : ideo si occidendo aduersarios volentes eos cognoscere, morerentur,vel defendendo se occiderentur, erat valde licitum , cum istud esset pœna , quòd tamen ipsi sibiipsis mortem inferrent culpa erat. Ad primam rationem in contrariũ dicendum , quòd melius est aliquem mori , quam pati se cognosci Sodomiticè , quia vtrumque pœna est , & minor pœna est mors : tamen quòd aliquis se occidat peius est , quàm quòd Sodomiticè cognoscatur , cum istud sit culpa , & istud pœna : ergo potius debet pati cognosci violenter , quàm se sponte occidere. Ad secundam dicẽdum,quòd illæ virgines, de quibus loquitur Augustinus , habuerunt hoc ex speciali priuilegio,scilicet,quia Deus incitauit illas ad se occidendũ : q. aũt hꝰ Deo incitante,culpa caret.Sic fuit de Sãsone, qui se

F

Cuiusdam rationes in diuersũ: 1.Rati.

Respon. ad quæsitum.

Ad primã rationem in diuersũ.

Ad secundã rationem.

cum

A cum aliis occidit, quia tamē Deus incitauit eum ad hoc, nullus ei culpam aſcribit. Regulariter tamen non licet, quòd aliquis ſeipſum occidat. Nec dicat aliquis, quòd à Deo moueatur ad ſe occidendum, quia habet deſiderium ſe occidendi, vt euadat aliquid inhoneſtum, quia multum debet aliquis probare de incitatione illa, an ſit à Deo. Nec debet cito credere, potiſſimè in re tam ardua, ſicut eſt ſeipſum occidere: ſic dicit Beatus Ioan. in Canonica prima cap. 4. ſcilicet: Nolite adhuc credere omni ſpiritui, ſed probate, an ex Deo ſit: qui autem leui motu ſe occidit, putans ſe moueri à Deo, niſi nimis hoc attenderit, & certiſſimis documentis compererit ſe moueri à Deo, peccat mortaliter. Ideo Eccleſia diffinit de quolibet, qui ſe occidit, quod non ſit communicandum ei in morte, ſci. quod non recipiatur in ſepulchris fidelium, & non ſolùm ſi ſe occidat, vt euadat aliquam inhoneſtatem, vt ſi aliqua virgo Deo dicata ſe occiderit, ne patiatur defloratio nem. Nam hæc iudicatur damnata, & nō recipietur ad ſepulchra fidelium. Sic patet extra de ſepul. c. ex parte parentum. vbi dicitur de quadam puella, quę cum ſuper quendam pontem ſuperaretur à gartionibus, vt traderetur cuidam viro defloranda, inſiliit in flumen, & extincta eſt. Et reſpondetur, quòd ſi ſponte ſe de ponte deiecit, ne caperetur careat Eccleſiaſtica ſepultura: ſi autem putans ſe euadere caſu incidit in fluuium, ſ peliatur: nulli ergo hominum licet ſe occidere, niſi ſpecialiſſimo motu Dei, quod rariſſimè accidit: &

B ſi aliquando acciderit, adhuc Eccleſia iudicabit eum damnatum, & priuat à ſepultura, quouſque conſtet, quòd Deo mouente egerit. Nunc autem ſi alia dubia oriantur circa factum virorum Gabaa poteris illa ſoluere, ſicut ſupra colligendo ex dictis. *Nolebant acquieſcere ſermonibus eius.* Scilicet, quando ſenex exiuit extra domum, dicens, quod daret eis filiam virginem, & vxorem Leuitę: nolebant conſentire verbis iſtis, quia nimis inclinabantur ad libidinem Sodomiticam: poſtea tamen eductam fęminam ad ſe ſuſceperunt non petentes Leuitam ex cauſis ſupra aſſignatis: ita enim fecerunt Sodomitæ Gen. 19. c. *Quod cernens homo.* Id eſt cùm vidit Leuita, quòd non conſentiebant, eduxit ad nos concubinam ſuam, ſc. vxorem, vt ſi fortè accipientes eam contentarentur. *Eduxit ad eos concubinam ſuam.* Non intelligas, quòd Leuita exierit domū ad tradendum concubinam ſuam viris Gabaa, quia tunc ipſi cæpiſſent tam eum, quàm concubinam, ſed intelligas, quòd ſenex eduxit, & tradidit eis illam: dicitur tamen, quòd Leuita hoc fecit, quia tradidit eam ſeni educendam de domo, & tradendam viris vrbis: nam ipſe nequaquam auderet exire. Et ſic dicitur agere, qui iubet aliquid fieri, vel cuius nomine fit. *Et eis tradidit illudendam.* Scilicet, poſuit in poteſtate ſua, vt abuteretur ea ad placitum ſuum. *Quæ cum tota nocte abuſi eſſent.* Dicuntur abuti, quia illicitè eam cognoſcebant, cùm eſſet vxor aliena. Etiam, quia iſta cognitio erat potius ludificando: quā coitus virilis. Vel magis proprie dicuntur abuti ea, quia

C non cognoſcebant eam modo naturali, vt fœminam, ſed in poſterioribus extra vas debitum, & iſtud erat vitium Sodomiticum, ſicut ſi virum cognoſcerent. Et iſta fuit vna de cauſis, quare accipientes fœminam non petierunt virum, quia poterant abuti illa Sodomiticè, vt viro, & ad iſtam intentionem tradebatur mulier ludificanda. Nam aliàs diceretur, q tradebatur cognoſcenda. Sed tunc ludificatur quando extra debitum cognoſcitur ordinem, ſcilic. extra vas conſuetum. Item videtur intellexiſſe Loth quando volebat tradere duas filias ſuas Sodomitis, ne cognoſcerent viros, ſcilic. adducam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut placuerit, ſci. ſiue modo fœmineo in vaſe naturali, ſiue alias. Et ita credendum eſt fuiſſe hic. *Dimiſerunt eam mane.* Tota nocte non ceſſauerunt eam cognoſcere, quia fortè erant ibi omnes viri vrbis: ex tanta autem fatigatione mulier confracta, cito mortua fuit, vt patet infra in mane autem dimiſerunt eam tanquam expleta libidine ſua, quia per lucem non erat tempus vacandi illi impudicitiæ. Vel fortè, quia credebant mulierem iam ſemimortuam. *At mulier recedentibus tenebris.* Scilicet, quando viri vrbis dimiſerunt eam mane facto, & recedebant tenebræ nocturnæ receſſit de loco, in quo cognita fuerat à viris: nam ipſi accipientes eam de domo ſenis duxerunt ad aliquod diuerſorium propinquum illi domui, & ibi cognoſcebant eam & inde rediit ad portam domus ſenis, & dicuntur recedere tenebræ oriente crepuſculo. Sunt autem duo crepuſcula, ſc. matutinum, & veſpertinum, & quodlibet illorum eſt durationis æqualis ad alterum, ſcilic. per horam, & quintam partem horæ ſecundum Ptolomæum: licèt ſecundum quòd probauit Alacem. 7. lib. Perſpectiuæ ſuo libello de Crepuſculis ſuſpenditur lumen in nubibus, & facit crepuſculus pluſquā per horam, & quartam partem horæ, ſcilicet decem & nouem gradibus antequam ſol perueniat ad horizontem orientis, & dum ſol pertranſit iſtos 19. gradus eſt hora, & quarta pars, & aliquid mo ſicum inſuper: idem autem eſt de crepuſculo veſpertino, ſcilicet quod durat poſtquam ſol deſcenderit ſub horizontem per gradus 19. veniente autem iſto crepuſculo viri vrbis dimiſerunt mulierem ſemimortuam. *Venit ad oſtium domus vbi manebat dominus eius.* Id eſt venit ad portam ſenis in cuius domo manebat dominus huius mulieris, ſcilicet Leuita, quia erat vir eius. *Et ibi corruit.* Scilicet mortua: nam tantum erat laſſata, & confracta membra eius, quòd neceſſe habuit expirare.

Mane facto ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam. Et ecce concubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus. Cui ille, putans eam quieſcere, loquebatur: Surge, vt ambulemus. Quia nihil reſpondēte, intelligens quòd erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſq; eſt in domum ſuam. Quam cùm eſſet ingreſſus arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſtra concidēs miſit in omnes terminos Iſrael. Quod cum vidiſſent ſinguli conclamabant. Nunquam res talis facta eſt in Iſrael, ex eo die, quo aſcenderunt patres noſtri de Aegypto, vſque in præſens tempus. Ferte ſententiam, & in commune decernite, quid facto opus ſit.

Mane facto. Hic ponitur tertium principale huius capituli. ſcilicet, manifeſtatio facti, quia Leuita manifeſtauit toti Iſrael hanc horrendam iniuriam ſibi factam in Gabaa. Et dicitur. *Mane facto ſurrexit homo.* Id eſt oriente ſole, vel paulo ante ſurrexit Leuita, qui volebat continuare iter ſolum. *Et aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam.* Id eſt egrediebatur domum ad explendum iter ſuum, ſcilicet, vt veniret in locum ſuum: in aurora autem auſus fuit aperire portam, quia credidit, quòd iam viri vrbis non inſidiarentur ei ad portam, cū dies eſſet, & illi exercebant per noctem iſtas nequitias.

Quare Leuita non aperuit oſtium concubinæ ſuæ venienti ad oſtium domus in mane.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR, quare Leuita non aperuit oſtium concubinæ ſuæ venienti ad oſtium domus in mane. Aliquis dicet, quòd non auſus eſt, quia timuit, quòd viri vrbis inſidiarentur ad occidendum eum, vel ad tenendum, & cognoſcendum: & ſic permiſit concubinam manere ad portam vſque mane. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia Leuita non timeret aperire vxori venienti cùm ipſa diceret receſſiſſe omnes viros de loco illo. Item nō ſtat, quia tunc diceretur quod pulſaſſet ad oſtium, ſed non dicitur, ſed ſolùm, quòd corruit. Ideo dicendum, quòd puella Leuitę vxor redibat ad domum Leuitæ, vt reciperetur ibi, & erat ſemimortua, & cum acceſſit ad portam Leuitæ corruit in terram deficiens viribus, & ibi mortua eſt, nec potuit clamare, vt aperiretur ei, quia defecerant in ea omnes vires cùm eſſet in limine mortis: alioquin non erat veriſimile, quòd ipſa non clamaſſet ad oſtium, & non aperuiſſet ei Leuita, cùm ipſa veniret intentione intrandi in domum, quia dicitur, quòd recedentibus tenebris venit ad portam domus, & tamen dicitur, quòd corruit. Et iſta fuit cauſa, vt non clamaret: maximè, quia dicitur hic, quòd iacebat ad oſtium ſparſis in limine manibus. Sed iſtud pertinet ad mortuos, qui inordinatè membra tenent ſicut accidit eos morientes tenere. Ioſephus tamen 5. Antiquitatum aliter dicit, ſc. quod mulier Leuitæ tota nocte ludificata in aurora ingreſſa eſt in domum, ſed quia turpia paſſa eſt non audens virum reſpicere pro rubore lecto incubuit, animam-

que

A que relinquit: quam arbitratus vir graui ſopore detineri, nihil mali metuens excitare eam tendebat, & conſolari, quia raptorum non voluntate ſpontanea ſe præbuiſſet iniurijs, tandem defunctam agnouit. Sed iſta litera Ioſephi multum differt à veritate literæ cùm dicat, quòd ipſa ingreſſa eſt domum in aurora, quia tam litera noſtra, quam Hebræa dicit, quòd corruit ante portam. Item dicit, quòd incubuit lecto præ rubore: litera tamen dicit, quòd iacebat ante portam ſparſis manibus in limine. Quòd autem dicit, quòd tentabat eam excitare, & conſolari eſſet ſatis veriſimile, ſi intraſſet domum, & incubuiſſet lecto, ſicut præſupponit Ioſephus. Sed quia hoc falſum eſt. Etiam ſatis eſt falſum, quod ſequitur in verbis eius: poſuit tamen cauſa decorandi hiſtoriam. Vel fortè, quia putauit Ioſephus ſic interpretandam eſſe literam Hebraicam, quæ interdum in modo loquendi multum aliena eſt à proprietate. *Et ecce concubina eius iacebat ante oſtium.* Id eſt tũc vidit primò concubinam ſuam, quia fortè putauit, quòd ipſa non eſſet ibi, nec reuerteretur ad eum, ſed tenerent illam viri Gabaa ad abutendum ea: vnde ipſe intendebat recedere non inquirendo eam. Quod patet, quia dicitur, quod aperuit oſtium, vt cæptam expleret viam: quaſi dicat, quòd egrediebatur iam de domo paratus ad viam, & tamen vxorem nondum receperat, nec ſciebat vbi erat: ergo non intendebat inquirere eam: quia alioquin diceretur, quòd aperiebat oſtium, vt inquireret vxorem ſuam, & non vt cœptam

B expleret viam. *Sparſis in limine manibus.* Id eſt, brachia eius erant extenta per terram ante limen domus: iſtud autem oſtendebat eam mortuam, quia alioquin corpus ſuum collectum haberet, ſicut viuentes habent quando iacent: maximè tempore frigoris, ſicut tamen erat in aurora. *Cui ille putans eam quieſcere loquebatur.* Id eſt putabat vir, quòd mulier laſſata viribus nunc præ inſomnietate, & laſſitudine dormiret: ideo loquebatur ad eam, tanquam ad viuentem. *Surge & ambulemus.* Scilicet, non expedit hic morari: non enim increpabat eam Leuita, ſed magis compariebatur, quia ſciebat, quòd ipſe eam tradidiſſet, & ipſa inuita ſuſtinuiſſet hoc. *Qua non reſpondente, intelligens quòd erat mortua.* Scilicet clamauit ad eam forti voce, & quia nihil reſpondit putauit eam mortuã: & fortè quia tetigit eam, & non euigilauit. *Tulit eam.* Scilicet eleuauit de terra. *Et impoſuit aſino.* Vt portaretur, quia iam ſeipſam portare, vel ferre non poterat. In Hebræo non habetur intelligens, quòd eſſet mortua, ſed ſolum dicitur: qua nõ reſpondente tulit eam, & impoſuit aſino. *Reuerſus eſt in domũ ſuam.* Id eſt in monte Ephraim, de quo erat oriundus. Intendebat enim prius ire ad domum Dei in Silo, vt dixit ſeni, & deinde ire in domum ſuam, quia tamen accidit ei hoc, non iuit in domum Dei, ſed in domum ſuam. *Quam cum eſſet ingreſſus arripuit gladium.* Id eſt, cùm ingreſſus eſt in domũ ſuam diuiſit vxorem ſuam, & prius noluit facere. *Et cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes concidens.* Id eſt, diuiſit cadauer

C vxoris per duodecim partes ad mittendum in duodecim tribubus Iſrael, & ibat quælibet pars cum oſſibus ſuis: iſtud autem fecit, vt viderentur membra humana, quia ſi tollerentur oſſa à carnibus non maneret effigies humani corporis: oportebat tamen ad id quod intendebat Leuita, quòd apparent membra humana. *Miſit in omnes terminos Iſrael.* Scilicet in duodecim tribus, quia alias nõ oportebat diuidi in 12. partes.

An Leuita diuiſerit vxorem ſuam viuentem, vel mortuam, & quare diuiſit eam in partes duodecim.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR circa hoc, an Leuita diuiſerit vxorem ſuam viuentem, vel mortuam. Reſpondendum, quòd hoc dubium non mouetur tanquam ambiguum ſit, an mortua eſſet, cùm litera noſtra manifeſtè dicat, quòd erat mortua. Sed mouetur propter Hebræos, qui dubitant an mortua erat. Et motiuum ſui dubij eſt, quia in litera ſua non dicitur intelligens, quòd eſſet mortua, ſicut in litera noſtra. Reſpondendum, quòd ſatis colligitur ex litera, quòd erat mortua, dato quòd auferatur illa particula, quæ in litera noſtra ponitur. Nam ſupra dicitur, quòd venit concubina Leuitæ ad oſtium, & corruit. Si autem ipſa viuens eſſet non corruiſſet. Item ſi eſſet viuens iſta mulier clamaſſet ad portam, vt aperiretur ei. Quod patet, quia ipſa veniebat intentione intrandi domum, cùm dicatur in litera, quòd recedẽtibus tenebris. venit ad oſtium domus, in qua erat Dominus eius: & tamen non clamauit, ſed manſit ibi vſquequo exiuit Leuita, & inuenit eam iacentem: ergo erat mortua. Potiſſimè coniungendo hoc præcedenti ſc. quia dicitur, quod corruit: nam ſi non diceretur illud, dato quod non clamaret, nõ concluderetur, quòd mortua eſſet, ſed veniebat intentione intrandi, & non clamauit, ſed corruit. Quod autem non clamauit patet, quia alioquin Leuita aperuiſſet ei. Etiam dato, quòd non aperuiſſet, ſaltem ſciret eam iacere ad portam, & tamen etiam hoc neſciebat. Item, quia dicitur, quòd in aurora erat iſta mulier iacens ſparſis in limine manibus, & tamen modus talis non pertinet ad viuentes, ſed ad mortuos vulnere, vel alias, quorum membra indiſpoſita iacent, ſicut accidit eos mori. Item, quia dicitur, quòd Leuita locutus eſt ei, & non reſpondit, & impoſuit eam aſino: ſi tamen viuens eſſet euigilaſſet cùm imponeretur aſino. Item, quia dicitur, quòd diuiſit eam in duodecim partes: ſed manifeſtum eſt, quòd ipſe non committeret tantum ſcelus, quòd viuẽte occideret, ſed ſi viuere, poterat non permitteret eam mori, & tunc diuideret in partes duodecim non committendo impietatem. Item patet magis ſequenti capitulo, quia dicitur, quòd cùm interrogaretur Leuita, reſpondit: vxorem meam incredibili libidinis furore vexantes, tandem morrua eſt, E quam arreptam in fruſtra concidi. Dicendum ergo manifeſte apparere ex litera, quòd mulier mortua erat, quando diuiſit eam Leuita in partes, & quando accepit eam de oſtio domus ſenis mortua erat: & ob hoc Ieronymus poſuit in litera noſtra intelligens, quòd eſſet mortua, quia illa clauſula colligitur ex aliis particulis literæ.

D

Quare concidit Leuitam vxorem in partes, vt mitteret per tribus Iſrael.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlterius, quare occidit Leuita vxorem in partes, vt mitteret per tribus Iſrael: nam ſufficiebat, quòd mitteret ad dicendum iniuriam grauiſſimam ſibi factam. Reſpondendum, quòd Leuita fecit hoc ad valde mouendum Iſraelitas ad vindictam huius ſceleris, & quia ſi ſolis verbis miſiſſet ad dicendum, fortè non efficaciter mouerentur, quia ardua res erat punire viros omnes vnius ciuitatis, ideo miſit membra mulieris occiſæ, quia illa nimis mouerẽt: omnes enim videntes membra ſecta mulieris occiſæ horrerent facinus iſtud, & commouerentur viſcera eorum. Et ſic factum eſt, quia omnes clamauerunt, quòd nunquam tandum facinus fuerat in Iſrael ex die, quo aſcenderant de Ægypto. Eſt autem iſte modus immutandi efficax apud quoſcunque homines tam ſapientes, quam inſipientes, ſed potiſſimè apud inſipientes: nam ſapientes diſtinguentes magnitudinẽ flagitij, etiam non viſis caruibus mulieris mortuæ mouerẽtur ad vltionem ſceleris: inſipientes autem miuus mouentur verbis, quia non tantum iudicant de magnitudine criminũ, ideo iſta oſtenſio partium mulieris occiſæ fuit valde conueniens eis. Item, quia iſtud non ſolũ oſtendebat iniuriam grauiſſimam factam mulieri mortuæ, ſed etiam miſeriam Leuitæ, qui tantum dolebat, quòd vxorem in partes duodecim ſecuit ad oſtendendam magnitudinem doloris: & iſtud etiã incitatiuum erat ad magis vindicandum iſtud ſcelus. Simile autem fecit Saul: nam cum ſciret ſe regem nouum, & adhuc ruſticum non timeri, nec reputari ad Iſraelitis: velletq; conuocare eos ad eundum ad bellum contra Ammonitas, diuiſit boues duos in fruſtra, & miſit per omnes terminos Iſraelis, dicens, qui non egreſſus fuerit ad bellum cum Saule, & Samuele, ſic fiet bobus eius: & tunc inuaſit timor omnes Iſraelitas, & congregati ſunt quaſi vir vnus, vt patet 1. Reg. 11. Et ſi non miſiſſet fruſtra boum per nuncios, non moti fuiſſent Iſraelitæ: nam non credebant regem ſuum eſſe virum animoſum, & factuum vltionem in tranſgreſſores, & ſic quam quam non eſſet idem in vtriſque, tamen vtrobiq; mittebantur partes animalis mortui, ſcilicet boum occiſorum, & mulieris occiſæ ad magis mouendũ, quàm mouerent ſola verba.

F

A

An peccauit Leuita diuidens vxorem ſuam in fruſta.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerit Leuita diuidens vxorem ſuam in fruſta. Aliquis dicet, quòd non, quia non faciebat ei iniuriam cum mortua eſſet, & mortuus non recipit honorem, nec inhonorationem: ergo non peccaret Leuita, quia non faceret iniuſtum.

Sed dicendum, quòd iſta ratio non ſtat, quia licèt mortuus non ſentiat mala, quæ ei facimus, quia non eſt ens, licet anima ſua & corpus ſuum ſint entia, tamen iniuriam ei facere poſſumus, & dedecus inferre, & honorem. Sic patet primo Ethicorum, vbi dicitur, quòd ex fortunis, & infortunis pronepotum, & amicorum prouenit aliquid mortuis, licet non tale, & tantum, quòd fœlices poſſit efficere infœlices, vel eis, qui non ſunt fœlices poſſit afferre beatitudinem.

1. Rat.

2. Rat.

Item 5. Ethic. dicitur, quod quædam inhonoratio adeſt ſeipſum corrumpenti, id eſt, occidens ſeipſum recipit à lege quandam pœnam dehonorationis, ſcilicet, non ſepeliri, vel quòd per terram trahatur, & ſimilia: lex tamen non faceret iſta, niſi eſſet pœna, & ſic pœna dehonoratio quædam erit. Item dato quòd morientibus nihil proueniat de bonis, aut malis, quæ facimus ad honorandum, vel dehonorandum eos, tamen ſaltem cognatis mortuorum prouenit honor, vel dedecus ex his, quæ circa mortuos fiunt, ideo illis ſaltem fiet iniuria faciendo aliquid tale circa mortuos, ſed cuicunque iniuria fiat, peccatum eſt: ergo peccaret Leuita diuidendo in fruſta cadauer vxoris ſuæ. Item ſi nullum dedecus efficeretur mortuis, lex non puniret violantes ſepulchra, ſed magna pœna eſt violatorum ſepulchri, vt patet in legibus humanis digeſtis de ſepulchro violato per totum. Et hoc prouenit pro tanto, quia cadauera mortuorum in honore habenda ſunt: ergo peccabat Leuita. Item his ceſſantibus videbatur quędam inhumanitas ſecari membra vxoris ſuæ occiſæ: nam licet non ſentiat, tamen cum adhuc cadauer illud humanam retineat effigiem, impium videtur illud violare ferro ſecando in partes. Reſpondendum, quòd Leuita iſte non peccauit ſecando cadauer in partes.

3. Rat. Quomodo mortui dehonorari poſſint.

B

Pro quo ſciendum, quòd licet corpus humanum poſt mortem non ſit pars hominis, imò nec ſit corpus humanum, nec illud quòd prius erat: quia non manet forma, per quam conſtituebatur in ſpecie humana, vt eſſet pars ſpeciei humanæ: tamen quia adhuc manet in cadauere expreſſa humana imago, eſt nobis cauendum ab aliquo nocumento, & dehonoratione illius, non propter illud, ſed propter honorem carnis noſtræ, cum qua illa communicat in figura. & aliquando communicauit in veritate naturæ. Etiam propter honorem eius, cuius illud cadauer aliquando fuit pars. Nam ſicut mortuo patre ſi quis filiis eius noceat, videtur offendere patrem quamquam ipſe non ſit iam pater iſtorum, cùm non ſit ens: ſed ſolùm, quia fuit aliquando pater iſtorum, videtur nnnc offendi in illis: ita quamquam iſtud cadauer non ſit nunc pars alicuius hominis, quia tamen aliquando fuit corpus humanum, & pars alicuius hominis, videtur offendi ille, cuius fuit, ſi aliquid fuit circa cadauer, quod alias in viuente fieri non liceret. Idem patet in corporibus ſanctorum: nam iſta corpora, quæ relinquuntur, non ſunt verè illa, quæ fuerunt olim corpora ſanctorum, quia deſierunt eſſe eadem in ſpecie per formam recedentem, & tamen honorem magnum exhibemus eis, quia aliquando fuerunt corpora ſanctorum, licèt nunc non ſint propter receſſum formæ. Sicut ergo ſe habet honor ſanctorum ad honorem aliorum virorum, ita ſe debet habere honor exhibitus corporibus ſanctorum ad honorem exhibitum cadaueribus aliorum hominum. Nam ſicut non ſunt tantum honorandi alii homines, ſicut ſancti, ita nec eorum cadauera, ſicut cadauera ſanctorum, ſed proportionalitate ſe habeant. Et tamen cadauera ſanctorum honorantur quodam valde magno honore, ergo corpora aliorum hominum erunt honoranda quodam honore, licet paruo: ſecare tamen cadauera, & agere de eis, ſicut ageremus de cadaueribus aſinorum, dedecus eſt: ergo peccatum erit, quia fit contra honorem, quem impendere tenebamur his cadaueribus.

De humano corpore poſt mortẽ.

C

Dicendum tamen quòd cum iſta cadauera ſecantur in in partes ex cauſa aliqua rationali, non eſt dedecus morienti, aut viuis, nec peccatum, quia talia fierent interdum in viuis ſine peccato, vt ſi quis ægrotaret, poterant ei interdum quædam partes corporis ſecari, & amputari à reliquo corpore, vel aperiri ad ſalutem corporis: ergo ſi ſubſit in mortuis aliqua cauſa ad hoc faciendum non erit illicitum: ſimiliter aliqui viuentes propter ſcelera ſecantur in partes, vel aperiuntur viſcera eorum, aut fiunt alia opera, quæ videntur magnæ crudelitatis, ita & morienti interdum fient aliqua ſimilia propter ſcelera, vtpote ſi quis ſeipſum occidit, caret ſepultura, & per terram trahitur cadauer eius. De hoc 5. Ethic. ſcilicet. Inhonoratio adeſt ſeipſum corrumpenti. Etiam ſi quis moriatur in aliis ſceleribus, Eccleſia eum mortuum excommunicat, vel excommunicatum oſtendit, & denegat illi ſepulturam, nec pro illo orat, aut honores aliquos impendit funeri: in quo magnum dedecus eſt. Quod autem nunc ſubeſſet cauſa ad diuidendum cadauer iſtius mulieris apparet in duobus.

D

Primò ex deſiderio vindicandi iſtud ſcelus, quia ſi ipſa nõ fuiſſet diuiſa, & miſſa per terminos Iſrael, non fuiſſent efficaciter moti Iſraelitæ, ſicut moti fuerunt ad vindicãdum iſtud ſcelus, vt ante præcedenti quæſtione decleratum eſt. Sed vindicari iſtud ſcelus erat valde bonum: ergo etiam ſecari in partes illam mulierem mortuam erat bonum. Secundo patet, quia ipſimet mulieri erat bonum, quia principale malum fuerat hic illatum mulieri, quæ ludificata turpiſſime fuerat, & mortua, ideo honor erat ei, quòd diuideretur, & per hoc daretur ei magna vltio deiendo totam tribum Beniamin propter eam. Ad rationes in contrarium dicendum, quòd bene concludunt, quòd aliquod dedecus, vel honor poſſit exhiberi mortuis, & poſſit peccari contra illos: & tamen, quia hic habebat cauſſam iuſtiſſimam Leuita ad faciendum hoc, non peccauit, alioquin peccaſſet.

In duobus erat cauſa ad diuidendum cadauer huius mulieris.

E

Reſpondet ad rationes in contrarium.

Quomodo miſit Leuita partes cadaueris conciſi in omnes tribus Iſrael.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo miſit Leuita partes cadaueris conciſi in omnes tribus Iſrael: nam ſi vellet mittere ad omnes tribus non oportebat, quòd faceret duodecim partes, ſed vndecim, quia tribus Beniamin erat rea huius ſceleris, & illa nollet vindicare ſcelus, ſed potius reſiſteret vindicare volentibns, ſicut factum eſt. Aliquis dicet, quòd non miſit in omnes tribus Iſrael, quia non dicitur in litera, quòd miſſa fuerint membra mulieris ad omnes tribus, ſed ſolùm in omnes terminos Iſrael. Sed dicendum, quod idem ſignificatur per omnes terminos Iſrael, quod per omnes tribus. Quod magis aperitur ſequenti cap. cum dicitur: Miſi partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtræ. Sed termini poſſeſſionum vocantur termini ſortium, & ſortes erãt duodecim, ſicut erant tribus duodecim. Item, quia ſi non mitteret partes iſtas ad duodecim tribus, non mitteret ſpecialiter duodecim partes, ſed plures, aut pauciores: ſed miſit duodecim: ergo attendit numerum tribuum, & hoc tenendum eſt, quòd ad tribus duodecim miſerit. Sed tunc manet dubium, quomodo miſerit partes ad duodecim tribus, quia tribus Bẽiamin non poterat hic computari cùm non eſſet ipſa actura contra criminoſos, ſed potius defenſura. Reſpondebit aliquis, quòd computantur hic Leuitæ, vt vna tribus. Nam licèt Leuitæ non eſſent tribus ad accipiendum poſſeſſionem: tamen in aliis, quæ pertinebant ad quædam ſpiritualia computabantur Leuitę, vt vna tribus, vt declaratum eſt Deut. 27. & ibi patet in litera, vbi ponitur Leui, vt vna de tribubus. Idem patet Apocalip. 7. cap. & quia vindicare crimen iſtud infandum erat quoddam ſpirituale pertinebat ad Leuitas, ſicut ad alias tribus, imò pluſquam ad alias. Nam quando Iſraelitæ peccauerunt adorando vitulum, Moyſes, volens vlciſci ſcelus, dixit: Qui Domini eſt iungatur mihi. Et dicitur, quòd conuenerunt ad eum omnes filij Leui, & illi ſoli occiderunt viginti tria millia peccatorum, vt patet Exod. 32. cap. ita ergo nunc ad eos pertineret vindicare iſtud delictum. Itẽ pertinebat ad eos ex cauſa cognationis, quia iſta infamia, &

F

offenſa

A offensa fuerat inflicta viro Leuitæ: ergo Leuitę potius, quàm cæteri dolere debebant, & armari ad vindictam. Respondendum, quòd ad Leuitas non fuit missa aliqua pars. Quod patet, quia Leuitæ non habitabant in aliqua vna parte terræ Israel congregati, sicut aliqua de tribubus, sed erant dispersi per omnes partes Israel, vt patet Num. 35. & Iosue 21. Item patet, quia dicitur in litera sequenti capitulo, quòd misit iste Leuita partes per omnes terminos possessiones Israelitarum, id est, pro qualibet possessione Israelitarum vnam partem. Sed Leuitæ non habebant aliquam possessionem, Num. 18. & Deut. 18. ergo non missa fuit pars aliqua ad eos. Item non oportebat mitti aliquid ad Leuitas, quia cùm Leuitæ essent dispersi per omnes tribus Israel, cùm mitteretur vna pars ad quamlibet tribum, illa quoque videbatur missa ad Leuitas eiusdem tribus. Dici potest ergo dupliciter in hoc. Vno modo, quòd missæ fuerunt duodecim partes ad duodecim tribus, & quòd ad Beniamin missa est pars quædam: & hoc propter duo. Primò, quia non erant omnes rei huius criminis in sorte Beniamin, sed soli viri vrbis Gabaa, & fortè alii mouerentur immanitate sceleris ad puniendum illos, & tradendum in manus omnium Israelitarum, vt punirentur: sed postea accidit, quòd nollent suos puniri contribules, & restiterunt cæteris tribubus. Secundum fuit, quia dato, quòd Leuita putaret, quòd viri Beniamin potius resisterent, quàm adiuuarent ad puniendum scelus: tamen debuit mitti aliqua

B pars mulieris occisæ, ne ipsi viderenrur contemni, vel reputari tanquam hostes, ante quam ipsi se declararent: quia ostendendo eos esse hostes priusquam ipsi se ostenderent, offendebant eos, & dabant motiuum, vt se quasi rationabiliter hostes demonstrarent. Aliter dici poterat, quòd non fuit missa pars aliqua ad Beniamin, & tamen prȩter illam fuerunt missæ duodecim partes ad duodecim tribus, & hoc, quia tribus Manasse diuisa erat in duas partes, quarum vna erat ad orientem Iordanis cum tribu Ruben & Gad in terra Galaad, & alia erat in occidentali terra ad Iordanem cum aliis nouem tribubus: & ne aliqua pars istarum contemneretur, misit duodecim partes ad duodecim tribus, scilicet, quia ista tribus Manasse diuisa erat: vtraque autem istarum duarum positionum est satis rationabilis. *Quod cum vidissent singuli conclamabant.* Id est cùm viderent membra mulieris occisæ singuli Israelitæ, & audirent causam quare sic fuerat diuisa, clamabant. *Nunquam res talis facta est in Israel.* Id est nunquam fuit tam graue peccatum in Israel, ideo puniendum est grauissimè nunc, ne alij ad similia capiant audendi exemplum. *Ex die quo ascenderunt patres nostri de Aegypto vsque ad præsens tempus.* Paucum tempus erat, quo Israelitæ ascenderant de Ægypto, scilicet nondum octuaginta anni, quia ab exitu de Ægypto vsq; ad introitum in terram Chanaan fuerunt anni quadraginta, & ex tunc vsque nunc nondum fluxerant anni quadraginta, quia consummati fuerunt quadraginta in

C morte Othonielis, qui dicitur iudicasse quadraginta annis, & computatur sub eo totum tempus Iosue, vt declaratum est supra tertio, & tamen nondum erat constitutus Othoniel in iudicem, vt declaratum est in principio capituli huius: & sic nondum fluxerant octuaginta anni ab exitu de Ægypto. Et non dicitur: ex quo ascenderunt patres sui de Ægypto tanquam prius accidisset, sed aliquid grauius, vel æque graue, quia prius Israelitæ non erant vt populus, cùm essent in captiuitate Ægyptiorum: sed dicitur hoc tanquam significent se dicere de exordio huius populi, vt si dicerent, nunquam tale aliquid fuit, ex quo cœpit esse Israel. Sed dicet aliquis, quòd fuit aliquid grauius antequam Israelitæ ascenderent de Ægypto, scilicet in vrbibus Sodomorum: nam ibi Sodomitæ conati sunt cognoscere duos viros, qui introierant in domum Loth, & secuta est magna plaga super omnes quatuor ciuitates Sodomorum.

Dicendum, quòd non referebant Israelitæ ad hoc propter duo. Primum, quia dixerunt: nunquam accidit, vel factum est tale in Israel ex die, quo ascenderunt patres nostri nostri de Ægypto: ergo prius accidit in Israel, quam ascenderent de Ægypto. Sed falsum, quia illud quòd factum fuit in Sodomitis non fuit in Israel, quia Sodomitæ non pertinebant ad populum Israel, sed erat populus de stirpe Amorrhæorum. Secundum est, quia non solum fuit illud antequam ascenderent Israelitæ de Ægypto, sed etiam antequam intrarent in Ægyptum, imò prius quam esset aliquis de Israelitis natus præter Abraham. Nam Isaac non erat natus, quando subuersa est Sodoma. Sed vno anno ante natiuitatem eius subuersa est. Quod patet, quia angeli, qui ibant ad subuertendum Sodomam, ipsa die, qua illuc peruenerunt, comederunt cum Abraham, & dixerunt, quòd sequenti anno illo eodem tempore Sara haberet filium, & vocaretur nomen eius Isaac. Genesis decimo octauo, & sequitur ibidem in capitulo decimo nono, quomodo illi angeli iuerunt Sodomam, & destruxerunt eam, ideo debuisset dici, quòd antequam esset Israel, factum fuit aliquid tale, & tamen ex eo tempore quo cȩpit esse populus Israel non fuit simile factum. *Ferte sententiam, & in commune decernite.* Istud dicebant Israelitæ inter se dolentes de tali facto, & nolentes prætərire crimen inultum, scilicet ferte sententiam quid debeamus facere super tali facto, & decernite in commune, id est omnes de Israel decernite, vt omnibus consentientibus sententia feratur, & omnibus prosequentibus executioni tradatur. *Quid facto opus sit.* Id est quid opus sit fieri super tali facto. In Hebræo habetur. *Ponite vobis, super ipsa consiliamini, & loquimini.* Scilicet, ponite vobis curam super hac re, & consiliamini mutuo, vel deliberate penes vos, & loquimini, id est proferatis sententiam, quam conceperitis. Eadem sententia est hic, & in Hebræo, sed litera nostra est manifestior, & quasi expositio Hebrææ literæ.

D

E

CAPVT XX.

EGressi itaque sunt omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi vir vnus, de Dan, vsque Bersabee, & terra Galaad ad Dominum in Maspha: omnes quoque anguli populorum, & cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt quadraginta millia peditum pugnatorum. Nec latuit filios Beniamin, quòd ascendissent filij Israel in Maspha. Interrogatusq; Leuita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset, respondit: Veni in Gabaa Beniamin cũ vxore mea, illucque diuerti: & ecce homines ciuitatis illius circundederunt nocte domum, in qua manebam volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. Quam arreptam in frusta concidi, missique partes in omnes terminos possessionis vestræ, quia nunquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israel. Adestis omnes filij Israel, decernite quid facere debeatis. Stansque omnis populus, & quasi vnius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum, sed hoc contra Gabaa in commune faciemus. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Israel, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & possimis pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro scelere, quod meretur. Conuenitque vniuersus Israel ad ciuitatem, quasi homo vnus eadem mente, vnoque consilio.

F

Egressi sunt. Descriptio in præcedentibus de sceleris patratione, hic consequenter subditur de patratorum vastatione, scilicet, quia omnes, qui hoc ausi sunt perierunt. Et diuiditur in quatuor, quia primò facti veritas inquiritur. Secundò iustitiæ æquitas requiritur, ibidem. *Et miserunt nuncios.* Tertio iniquitas defenditur, ibidem. *Qui noluerunt.* Quartò iniustè inuaditur, ibidem. *Virorum quoque Israel.*

An hic sit ordinis mutatio : & an immediatè facta hæc fuerunt.

Qvæstio I.

Qværetvr, an ea, quæ habentur hic, habeant continuatum ordinem ad præcedentiam, & an fuerint facta immediatè post illa, vel aliquanto tempore post. Respondendum, quod ordo continuus est, quia præcedenti capitulo ponitur peccatum virorum Gabaa, hic ponitur bellum quod factum fuit hic contra illos pro hoc scelere, & quomodo perierunt: & istud necesse est esse post illa. Ad secundum dicendum, quòd non fuit aliqua mora inter præcedentia & ista, sed est continuata narratio, quia præcedenti capitulo dicitur, quòd omnes Israelitæ videntes membra mulieris mortuæ, & audientes causam, dicebant, quòd nunquam tale acciderat in Israel, & quòd consiliarentur super illo: hic autem dicitur, quomodo consiliati sunt super hoc, & quid fecerunt. *Egressi sunt itaque omnes filij Israel.* Scilicet, egressi sunt de locis suis ad veniendum in Maspha: & ibi iudicarent quid super hoc fieri deberet: & vocantur hic omnes filii Israel omnes de vndecim tribubus. Nam tribus Beniamin non venit ad istam congregationem, sed fuit obuia ad resistendum cæteris fratribus suis volentibus vlcisci istud scelus. *Et pariter congregati quasi vir vnus.* Scilicet, congregati sunt in Maspha: nam omnes desiderabant punire istud scelus, quasi vir vnus, scilicet, quia sicut vir vnus quocunque vadit totus vadit, & non potest vna pars eius manere hic, & alia ibi: ita totus Israel cõgregatus est in Maspha, scilicet, non manentibus aliquibus in locis suis. Et est hyperbolica locutio: nam non fuerunt congregati omnes viri de vndecim tribubus: multi enim manserunt in locis suis, quia tamen magna pars iuit, dicuntur omnes iuisse. Et sic sæpe loquitur scriptura, vt Genes. 41. c. Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas: & tamen manifestum est, quòd non veniebant omnes. Vel dicitur quasi vir vnus, id est sicut vir vnus faciliter mouetur ad eundum ad aliquem locum, ita faciliter moti fuerunt omnes Israelitæ ad veniendum in Maspha. *De Dan vsque Bersabee.* Hic signatur, quòd de tota terra Israel venerunt in Maspha, & ponuntur extremitates eius, sci. Dan, & Bersabee, & terra Galaad: est enim Dan ciuitas quædam in extremitate meridiana terræ Israel, & est apud Gerarã, quæ est terra Philisthinorum, Gen. 21. & 26. est autem Gerara extremitas meridiana terræ Chanaan, Gen. 10. c. ideo quando vult significare scriptura duas extremitates, sc. meridianam, & aquilonarem, ponit ista duo loca. Vnde sæpe ponuntur. Terminus autem Orientalis terræ Israelitarum erat mare rubrum, terminus verò occidentalis erat mare mediterraneum, quod vocatur mare Philisthinorum. Istud patet Exo. 23. c. hic autem ponuntur solùm 3. termini, sc. Dan, & Bersabee, & terra Galaad, quæ erat terminus Orientalis. Nam terra Galaad est ad orientem Iordanis, sc. in terra duorum regum Amorrhæorum: terminus autem occidentalis non ponitur hic: sed sub intelligitur. *Ad Dominum in Maspha.* Id est conuenerunt omnes isti viri in Maspha coram Domino, vt ibi deliberarent quid facere deberent super hoc.

Quomodo Israelitæ congregati sunt in Maspha, cùm nullus esset iudex, aut Dominus, qui vocaret eos.

Qvæstio II.

Qværetvr, quomodo Israelitæ congregati sunt in Maspha, quia nullus iudex, aut Dominus erat, qui conuocaret eos. Nam istud factum est ante mortem Caleb, & tunc nondum substitutus fuerat in iudicem Othoniel, qui fuit primus iudex, vt supra præcedenti capitulo declaratum est. Etiam nondum conuenerant inter se Israelitæ, quòd ad aliquem locum conuenirent, cùm nondum habuissent colloquium aliquod, & consilium simul: nam postquam steterunt simul in Maspha faciliter poterant diffinire, vbi postea congregarentur: nam congregati sunt in Silo post Maspha, sed ante Maspha nondum conuenerant. Dicendum, quòd ordo ad hoc faciendum fuit, quòd quando Leuita misit partes vxoris suæ occisæ per omnes tribus Israel, desiderauerunt punire istud scelus, & ad hoc volebant habere consilium simul, vt omnes deliberarent, & omnes exequerentur, vt dictum fuit præcedenti cap. sc. ferte sententiam, & in commune decernite quid facto opus sit. Et credendum est, quòd tunc aliqua tribus præcipua, vt tribus Iuda rescriberet omnibus non tanquam imperans, sed tanquam exhortans, vt conuenirent omnes in vno loco, sc. in Maspha: & ibi iudicarent quid facere deberent super hoc, & tunc sponte omnes tribus conuenerunt ad hoc, & de hoc dicitur in litera, q̃ omnes filij Israel egressi sũt quasi vir vnus, & venerũt in Maspha.

Quare Israelitæ venerunt in Maspha.

Qvæstio III.

Qværetvr vlterius, quare venerunt in Maspha. Aliquis dicet, quòd hoc fuit, quia erat ibi sanctuarium, & melius istud ibi fieret, quam alibi. Hoc autem patet, quia dicitur in litera, quòd congregati sunt ad Dominum in Maspha. Congregari autem ad Dominum est congregari ad sanctuarium, in quo erat Deus, si alibi non dicitur Deus esse specialiter. Item patet hoc, quia Samuel immolauit Domino sacrificium in Maspha, & conuocauit illuc populum, vt patet 1. Reg. 7. & tamen sacrificium non fiebat, nisi in loco, in quo erat sanctuarium Leu. 17. ergo in Maspha erat sanctuarium. Dicendum, quod non erat sanctuarium in Maspha hoc tempore quo istud factũ est. Quod patet, quia sanctuarium fuit positum in Silo viuente Iosue, & mansit ibi vsq; ad mortem Heli summi sacerdotis, vt colligitur 1. Regum. 4. sed tempus, quo fiebat istud, erat post mortem Iosue, & ante principatum Heli; imò ante omnes iudices: ergo erat domus Domini in Silo. Item patet hoc, quia infra in litera, & sequenti capitulo dicitur, quòd hoc tempore erat arca Domini, & domus eius in Silo, & illuc postea conuenerunt Israelitæ ad sacerdotem Phinees, ergo non erat in Maspha. Ad primam rationem in contrarium, dicendum, quòd licèt dicãtur Israelitæ venisse coram Domino in Maspha, non sequitur, quòd ibi esset sanctuarium Domini. Nam iste modus loquendi scripturæ est, quòd quandocunque congregarentur Israelitæ ad faciendum aliquid bonum, quod ad Deum pertinebat dicebantur esse coram Domino, licet essent extra locum sanctuarij, & hoc, quia etiam si duo homines conueniunt ad aliquod opus, in quo Deus inuocatur, vel ad Deum pertinet, dicuntur esse coram Deo. Sic patet 1. Reg. 23. vbi erant soli Dauid & Ionathas in deserto Ziph, & iniebant fœdus, & dicebantur esse coram Domino, sc. quia fœdus confirmabatur per inuocationem Dei: similis modus loquendi est in nouo testam. Mat. 18. sc. Vbicunque fuerint duo, vel tres in nomine meo, in medio eorum sum. Ad secundum cùm dicitur, q̃ Samuel immolauit in Maspha, ergo erat sanctuariũ ibi. Responderi potest dupliciter. Vno modo, quòd concedendo consequentiam, & concedens nihil ad propositum: nam dato, quod diceretur, quod tempore quo Samuel obtulit sacrificium in Maspha, erat ibi sanctuarium, non sequitur, quòd nunc erat: nam sanctuariũ stetit in Silo vsque ad mortẽ Heli summi sacerdotis: Samuel autem fecit sacrificium in Maspha multo tempore post mortem Heli, & tunc poterat esse sanctuarium in Maspha: nunc tamen necesse erat, quòd esset in Silo. Aliter potest dici, quod non tenet consequentia, scil. Samuel immolauit in Maspha, ergo ibi erat sanctuarium nam Samuel immolabat vbicunque volebat, scili. in Ramatha vrbe sua, & in Galgala, & in Maspha, & quibuscunque aliis vrbibus: & tamen nemo dicet in omnibus his vrbibus fuisse sanctuarium tempore Samuelis. Item illicitum erat constitui altaria præter altare Dei, quod erat in sanctuario, vt patet Ios. 22. cap. & tamen Samuel offerebat sacrificium, & constituit altare in Silo Ramatha 1. Reg. 7. cap. Dicendum autem, quod non solum nunc, sed etiam nunquam fuit sanctuarium Domini in Maspha. Sed voluerunt nunc congregari Israelitæ ibi, sicut congregari debebant in aliqua alia ciuitate. Est autem Maspha in terra Galaad ciuitas ad orientalem partem Iordanis, supra 12. & creditur esse in sorte dimidiæ tribus Manasse. In ista ciuitate habitauit Iephte Galaadites iudex Israel, & ibi sepultus est, vt patet supra 11. & 12. ca. *Omnesq; anguli populorum.* Id est conuenerunt in Maspha in

congre-

1. Rati.

2. Rat.

Ad primã rationem indiuersũ.

Ad secundã rationem.

congregatione iſta omnes anguli populorum, id eſt, viri de omnibus angulis populorum, ſc. de omnibus extremitatibus ſc. de parte meridiana, & aquilonari, ocidentali, & orientali, licèt non omnes conuenerint, qui erant in his angulis. Nam ſoli quadraginta millia virorum conuenerunt, vt patet in litera: & hoc de vndecim tribubus, & tamen manifeſtum eſt, quod non erat iſta ſaltem quarta pars ſummæ illarum vndecim tribuum. Nam cùm Dauid computauit iſtas tribus tẽpore ſuo, ſola tribus Iuda habuit quingenta millia virorum, vt patet 2. Reg. 24. Etiam, quia computando ſummam virorum bellatorum iſtarum tribuum in computatione illa, quæ fuit in deſerto, fuerunt valde plures: Num. 1. & 26. Ideo dicendum, quòd ſolum venerunt nunc quidam de omnibus tribubus, & quamquam non fuerit aliqua tribus de vndecim tribubus, de qua aliqui non venerint, nec fuerit aliquis locus de omnibus locis tribuum vndecim, de quo non venirent aliqui, pauci tamen veniebant. De Beniamin autem congregati ſunt quotquot poterant congregari, ſc. 25. millia, vt infra patet. Sed dicendum eſt, quod iſtud procedit ex intentione quorundam putantium, quod ſolum venerint 40. millia, & tamen venerunt quadringenta millia, vt patet in Hebrẽo, & in omnibus Bibliis correctis, & ſic modica pars de vndecim tribubus manebat in domibus. *Et cunctæ tribus Iſrael.* ſcil. vndecim tribus. Nam tribus Beniamin non venit ad iſtam congregationem, & ob hoc cæterę tribus conuenientes miſerunt nuncios ad Beniamin infra in litera. *In Eccleſiam populi conuenerunt.* Id eſt, congregati ſunt, & fecerunt Eccleſiam, id eſt congregationẽ, vel conſilium. Proprie enim Eccleſia vocatur multitudo congregata, Vnde dicit Ariſt. 2. Poli. c. de Politia Calcedoniorum, ꝙquædam Politiæ ſunt, quæ Eccleſiam non faciunt, id eſt, non cõgregant multitudinem ad conſiliũ. *Quadraginta millia peditum.* Noluerunt plures aſcendere, quia non oportebat plures aſcendere, quia nunc ibant ad capiendum deliberationem, & non ad pugnandum: & ad hoc ſufficiebant 40. millia, ſicut millies millia. Sed etiam nunc dicendum, quod iuerũt plurimi de vndecim tribubus, ſed iſti, procedunt ex errore corruptæ literæ. *Peditum pugnatorum.* Id eſt iſti omnes erant pedites parati ad pugnam: nam inter Iſraelitas non erant aliqui pugnantes pugna equeſtri, nec in curribus, ſed omnes pedites erant tam ex parte vndecim tribuũ, quam ex parte Beniamin. *Nec latuit filios Beniamin, quòd aſcendiſſent filij Iſrael in Maſpha.* Id eſt quamqnam feciſſent aliqualiter ſecretè Iſraelitæ, non latuit filios Beniamin quomodo congregati ſunt Iſraelitæ de vndecim tribubus, & deliberauerunt, & parauerunt ſe contra filios Beniamin, ita filij Beniamin parauerunt ſe contra vndecim tribus.

Quomodo congregati non fuerunt Iſraelitæ nunc in Silo.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, quare non congregati fuerunt Iſraelitæ nunc in Silo, ſicut congregati fuerunt poſtea. Et videtur, quòd ibi deberent congregari, quia ibi poterant conſulere Dominum, cum eſſet ibi arca Dei, & ſummus ſacerdos Phinees, qui conſuleret, vt patet infra: vnde poſtea ibi conſuluerunt Iſraelitæ Dominum: in Maſpha autem non poterant conſulere, quia non erat ibi ſanctuarium, nec ſacerdos magnus, nec aliquid quod pertineret ad conſulendum Dominum. Reſpondendum, quòd Iſraelitæ nõ congregati ſunt in Silo, quia non erat eis opus conuenire ibi. Nam nunc non conueniebant ad hoc, quòd pugnarent cõtra Beniamin, ſed ad mittendum nuncios, vt Beniamitæ traderent viros peccatores, vt fieret de eis iuſtitiæ complementum, & ob hoc non oportebat conſuli Dominum: ſed in Silo erat conuentus neceſſarius ſolùm ad conſulendum Dominum: poſtea autẽ cùm viri Beniamin deliberauerunt non dare noxios ad puniendum, conuenerunt in Silo: & ibi conſuluerunt Dominum ſuper bello. Item cauſa non conueniendi in Silo fortè fuit, quia Iſraelitæ de vndecim tribubus voluerunt conuentum ſuum eſſe ignotum viris Beniamin quouſq; mitterent ad eos nuncios, vt non pararent ſe ad pugnam, & ad male reſpondendum: ſi tamen conuenirent in Silo cognoſcerent, hoc faciliter viri Beniamin, eo ꝙ Silo erat in ſorte Ephraim, & ſors Ephraim erat ad latus Beniamin, conuenerunt autem in Maſpha, quia Maſpha erat ad Orientalem parrem Iordanis in terra duorum regum Amorrhæorũ, quæ eſt terra Galaad; & erat ſatis diſtans illa ciuitas à ſorte Beniamin, & ibi poterat magis occultari, quàm in Silo conuẽtus iſtarum tribuum, & tamen non potuit omnino occultari, quia conuentus quadraginta millium virorum non poteſt ſatis occultè fieri. Et quòd voluerint vndecim tribus, quod filii Beniamin hoc ignorarent apparet ex his vrrbis, ſc. nec latuit filios Beniamin: nam ſi non haberent vndecim tribus intentionem, quòd hoc lateret filios Beniamin, fruſtra diceretur, quòd nõ latuit filios Beniamin. *Interrogatuſq; Leuita.* Hic veritas facti inquiritur: nam ante hoc Leuita miſerat membra vxoris ſuę interfectæ per omnes tribus Iſrael, & propoſuerat querelam cõtra viros Gabaa: viri tamen Iſrael neſciebant ordinem rei. Etiam non conſtabat eis an verum hoc eſſet, & quia non decebat tantam rem inchoari, niſi conſtito de veritate, quæſiuerunt à Leuita de ordine rei. Expediebat enim, quòd prius Iſraelitę cognoſcerent per certitudinem veritatem rei, quàm aliquid agerent: & hoc, quia aliàs molirẽtur bella iniuſtè fortè contra Beniamin, ſi non eſſet tale peccatum, quale Leuita proclamabat: & iſtud erat periculoſum: quia Deus induceret pugnam ſuper caput illorum, quia iniuſtum foueret bellum. Item, quia faciendo hæc multa expenderent quod erat nociuum. Item, quia, quòd ſaltem mitterent Iſraelitæ ad admonendum filios Beniamin, ſi crimen non erat verum erat offenſio facta filiis Beniamin. *Maritus mulieris interfectæ.* Ex hoc etiam patet, quòd erat vxor ſua, & non concubina, & etiam ipſe vocat eam vxorem, & non concubinam. Et ratio huius eſt ad grauandum factum. Nam ſi fuiſſet iſta mulier concubina Leuitæ, & non vxor, non haberet tantum ius Leuita ad agendum pro illuſione, & morte eius, quia nullo vinculo ad eam pertinebat: quia tamen erat vxor competebat ei magnum ius: tum quia ſibimet erat magna iniuria, quia vxor ſua violata, & occiſa fuerat, tum quia pro ipſa vxoris offenſa, eo quòd erat coniunctiſſima perſona, poterat agere, & competebat ei magnum ius; quod non fieret ſi eſſet concubina, quia tunc perſona modicum coniuncta erat. Et dicitur: Mulieris interfectæ, ſc. in libidine, & non à Leuita. *Quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet.* Id eſt, quæſiuerunt de ordine, quia forte non dubitabant quin commiſſum eſſet. Nam nullatenus erat veriſimile, quòd Leuita vxorem diuidens in fruſta mitteret per omnes partes Iſrael, niſi paſſa fuiſſet iſtud à viris Gabaa, vel ab aliis: ordinem tamen neſciebant, ideo quæſiuerunt de illo. Nicolaus dicit, quòd Leuita iſte non ſolum nunc retulit factũ, ſed etiam probauit, & adhibuit in teſtem puerum, qui cum eo erat, & ſenem in cuius domo hoſpitatus fuerat in Gabaa, & familiã illius, qui ſuper hoc depoſuerunt: litera autem nihil tangit de hoc: ſed potius videtur innuere, quòd Iſraelitæ habebant pro conſtanti patratum fuiſſe ſcelus, ſed ſolum dubitabant de ordine. Si tamen volueris tenere, quòd fecit probationem per teſtes, non obſiſto. *Reſpondit.* Iſte maritus mulieris occiſæ venit cũ cæteris Iſraelitis in Maſpha: & ibi aſtantibus omnibus interrogatus eſt. *Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea.* Scilicet, veni vſque Gabaa, & ducebam mecum vxorem meam. Et vocat eam iam vxorem, & nunquam concubinam ex cauſa iam dicta. *Illucq; diuerti.* Id eſt, declinaui ad eam ad manendum ibi per noctem: nam iter faciebam. Sed dices quare non facit mentionem de puero? Reſpondendum, quòd Leuita ſolum voluit reſpondere tangens ſubſtantialia facti, & quia nihil de iſto facto pertinebat ad puerum, qui tunc veniebat cum Leuita, & vxore ſua, non retulit quicquam de puero. *Et ecce homines ciuitatis illius circundederunt nocte domum.* Scilicet, per diem nihil fecerunt: nam in platea manebat cum vxore ſua, & nullus eum tenuit: poſtea verò cum per noctem declinauit in domum ſenis circundederunt eam, quia per diem nolebant viri illi facere hanc turpitudinem. Sic enim Sodomorum viri fecerunt: nam ipſi inſaniebant in hac libidine pluſquam omnes homines, & tamen cùm viderunt viros duos introeuntes vrbem, illico non tenuerunt eos, ſed per noctem vallauerunt domum Loth: Gen. 19. ca. *In qua manebam.* Iſta erat domus ſenis viri Ephraitæ, qui erat peregrinus in Gabaa. Nam nullus alius voluit recipere in domo Leuitam, præcedenti c. *Volentes me occidere.* Iſtud dixit Leuita ad honeſtandum verba ſua, quia nolebant eum viri Gabaa ad occidendum, ſed ad abutendum eo: vnde

D

Facti veritas inquiritur.

Nicol. opinio.

Docto. ſententia.

E

F

A ita dixerunt: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo. Etiam, quia isti, qui astabant bene intelligebãt quòd vellet Leuita significare, quòd conarentur eum cognoscere, & tamen id ad pulchrius loquendum sic dixit. Vel est sensus: volebant me occidere, scilicet vexantes me tanta libidine, quod morerer, sicut fecerunt vxori meæ, quæ periit libidine attrita. *Et vxorem meam incredibili libidinis furore vexantes.* Non dicit hic quomodo ipse coactus fuerit dare vxorem ne ipse cognosceretur: satis tamen credendum est, quod dixerit, licet scriptura quædam breuiter enarret, & dixit incredibili furore libidinis, quia per totam noctem non dederunt ei requiem cognoscentes eam vsque ad auroram, cùm recesserunt tenebræ, vt patet præceden. cap. quasi dicat: non erat credibile, quòd tantus furor, id est offensio libidinis esse poterat, nisi experientia compertus fuisset. *Denique mortua est.* Id est tantum eam vexauerũt libidine, quod fractis membris, & deficientibus viribus mortua est: nam ante portam eam mortuam mane surgens reperit. *Quam arreptam in frusta concidi*, id est postquam vidi eam mortuam concidi eam in frusta: non tamen immediate, vt eam mortuam sciuit diuisit eam: non enim auderet hoc facere in Gabaa: nam si viri vrbis hoc scirent, occidissent etiam ipsum Leuitam, ne posset conqueri de illis. Sed duxit eam mortuam in domum suam, & ibi concidit eam in frusta, vt dicitur præcedenti c. *Misique partes.* Id est duodecim partes, vt præceden. cap. *In omnes terminos possessionis vestræ.* Scilicet, in duodecim tribus, siue duodecim sortes, accipiendo istas duodecim tribus, sicut declaratum est præcedenti capit. siue quod sit vna illarum Beniamin, siue quod Manasse diuisus fuerit in duas tribus, & habuerit duas partes. *Quia nunquam tantum nefas.* Ista est causa motiua quare Leuita misit partes in omnes tribus Israel, scilicet, quia nunquam fuerat tantum nefas in Israel. Istud potest dupliciter referri. Vno modo, quòd quia nunquam fuerat tantum ac tale nefas in Israel, sed nunc erat nouum: ita debebat fieri noua ostensio, & querela pro illo. Et istud erat, quòd mulier quam libidinosi viri vexantes occiderant, ad indicandum facinus eorum diuisa mitteretur per omnes partes Israel. Alio modo potest referri, quòd misit partes per omnes tribus Israel, scilicet, quia nunquam fuerat tantum facinus in Israel, ideo quamquam nunquam omnes tribus Israel motæ fuissent ad vindicandum aliquod facinus, nunc moueri debebant: quia nunquam aliquod tantum fuerat. *Et tam grande piaculum.* Eadem sententia est. Signat piaculum quatuor, scilicet, culpam, peccatum, absolutionem, remediũ. Et dicitur à pio, pias, quod est mundare: & ob hoc magis cõuenit ablutioni, quam aliis significationibus. Etiam vocatur peccatum piaculum, quia debet piari, id est, emundari. Hic autem pro peccato magno accipitur sicut facinus, vel flagitium. *Factum est in Israel.* Id est ex eo tempore, quo Israel cepit esse, non factum est in eo tantum peccatum. Iste dixit melius, quam illi, qui dixerunt, quòd non fuerat tale factum in Israel ex quo Israelitæ ascenderant de Ægypto præcedenti capit. *Adestis omnes filij Israel.* Scilicet omnes Israelitæ de vndecim tribubus adestis, ideo non oportet, quòd differatis sententiam super hoc, quasi expectantes consilium aliorum, quia omnes estis hic. Et dicuntur adesse omnes non personaliter, sed in plenitudine potestatis, quia isti gerebant vicem omnium Israelitarum, cùm conueniissent loco omnium, qui manebant in vrbibus. *Decernite quid facere debeatis.* Scilicet, quia non decet, quòd istud factum relinquatis sub silentio præterire. *Stansq; omnis populus.* Scilicet, isti quadringenta millia stabant, quia nullus eorum sedebat, sed omnes stabant audientes Leuitam enarrantem factum. *Quasi vnius hominis sermone respondit.* Scilicet, ita concorditer responderunt, quamquam essent quadringenta millia, quasi si vnus vir responderet: quasi dicat: si vnus vir responderet non posset varia respondere, quia vnus erat: ita omnes isti quadringenta millia eandem vocem protulerunt.

B

Leuita quare miserit partes in omnem Israel.

Piaculũ quatuor signat.

C

Quare Leuita hanc querimoniam proposuit toti Israel, & non alicui iudici Israel.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quare Leuita istam querimoniam proposuit toti Israel, & nõ alicui Domino, vel iudici Israel. Respondendum, quòd tempore, quo factum est hoc, non erat rex in Israel, nec Iudex: nam fuit istud factum post mortem Iosue, & ante constitutionem Othonielis in iudicem, qui fuit primus iudex, vt declaratum fuit præcedenti ca. ideo ad nullum iudicem, vel Dominum magnum in Israel recurrit, qui posset, aut deberet istud punire. Sed dicetur: quare non recurrit ad septuaginta iudices, qui erant in domo consilii, ad quos spectabat iudicare de omnibus causis Israelitarum, tam ciuilibus, quam criminalibus, inter quos erat iudex potentissimus, scilicet summus sacerdos, qui in omnibus diffiniebat, & nullo modo erat ab eo appellandũ, sed quicunque non obediret sententiæ eius, moriebatur: Deut. 17. tempore autem hoc erat summus sacerdos Phinees, infra in litera: ergo ad ipsum tanquam ad supremum iudicem recurrere debuerat iste Leuita. Respondẽdum, quòd non recurrit Leuita ad domum consilij, nec ad sacerdotem magnum, quia licet de iure ad istos pertineret iudicare in omnibus causis, & punire delinquentes: tamen de facto non possent punire viros Gabaa, cùm pro eis tota tribus Beniamin pugnaret: sed proposuit querelam suam omnibus tribubus Israel, quia istę erant, quæ poterant exhibere ei iustitiæ complementũ. Dicendum autem, quod adhuc alia videtur intentio fuisse Leuitæ proclamantis ad totum Israel, scilicet, quia licet ad iudicem proclamare deberet, quia tamen fuit hic delictum speciale, quale nunquam fuerat in Israel, voluit ipse proclamare ad totum Israel, qualis proclamatio nunquam facta fuerat: nec etiam de iure aliquid tale erat, sed omnes proclamationes fiebant ad iudices. Ista positio patet ex verbis Leuitæ, supra, nam dixit, quam arreptam in frusta concidi, misiq; partes in omnes terminos Israel, quia nunquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israel, scilicet ex hoc, quòd nunquam aliquod tale acciderat, ego feci talem proclationem, qualis nunquam fuerat.

D

Intentio Leuitæ proclamãtis ad totum Israel.

E

An poterant istæ vndecim tribus Israelis indicere istud bellum contra viros Beniamin pro vltione istius criminis Sodomiæ.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlterius, an poterant istæ omnes tribus Israelis indicere bellum contra viros Beniamin, si non traderent viros occidendos. Aliquis dicet, quòd non, quia contra extraneos de alio regno poterant istæ vndecim tribus indicere bella iusta subsistente causa, eo quòd non esset istis & illis iudex communis, qui ius faceret vtrique parti: inter tribus tamen vndecim & tribum Beniamin erat iudex communis, quia summus sacerdos erat iudex super totum Israel, & si quis obedire nollet, moreretur Deuteron. 17. ergo non poterant vndecim tribus indicere bellum tribui Beniamin. Respondendum, quòd penes totum populum non erat iurisdictio, ita vt posset populus, vel pars populi iudicare in causis: sed istud expectabat ad iudicem. Et nunquam vacabat iudex, quia semper summus sacerdos erat maximus iudicum, ad quem ista expectabant, & mortuo vno immediatè erat alius cùm veniret iure hæreditario ad filios, vel alios propinquos, ita vt nunquam iurisdictio deuolueretur ad plebem: ideo in hoc casu summus sacerdos debebat iudicare condemnando reos. Sciendum tamen, quòd iudice negligente, potissimè in his, quæ pertinebant ad religionem fidei deuoluebatur potestas ad populum, ita vt posset punire delinquentes, scilicet colentes idola, & similes. Nunc autem in casu virorum Gabaa, dicendum, quòd cùm contra Leuitam facta fuisset magna offensa, ad iudicem pertinebat condemnatio virorum Gabaa, qui peccauerant: & iste iudex erat Phinees summus sacerdos, & si ipse posset sententiam suam executioni tradere, mandaret eam exequi cuicunq; vellet si autem non posset mandaret toti populo; & si nollent illi, contra quos executio fieri debebat, obedire, poterat indicere bellum eis in modum pœnæ, & istud bellum ageret populus tanquam executor datus à iudice: nunc autem si populus non expectata sententia iudicis, nisi in casu quo negligens ipse esset procederet ad condemnandum viros Gabaa, & sententiandum contra eos, peccaret. Dicendum tamen, quòd cùm nunc totus populus conuenit, scilicet, de vndecim

F

tribu-

A tribubus, & habebant in parte sua Phinees summum sacerdotem, qui erat iudex, credendum est, quod de consensu, & decreto illius hæc agerent, & quod maius est non solum decretum iudicis voluerunt ad pugnandum contra viros Gabaa, sed etiam Dei sententiam: nam consuluerunt eum, & respondit, quod pugnare deberent, vt patet in litera: id tamen quod Deo iubente fit, licitum est. Ad rationem in contrarium dicendum, quod ratio bene concludit, quod vndecim tribus non poterant mouere bellum contra Beniamin sine auctoritate iudicis, cum haberent iudicem communem: & sic dico, quod mouerunt vndecim tribus bellum filiis Beniamin sacerdote decernente, & postea Deo iubente. Si autem velis concludere, quod ex eo, quod habebant iudicem communem, nequaquam licebat eis mouere bellum in alterutrum, sed iudex debebat condemnare, & exequi. Respondendum, quod diffinire condemnando, vel absoluendo est actus iudicis, & tamen exequi non est semper actus eius, sed illius, cui ipse mandauerit, & quia non poterat iudex hic per se exequi, demandauit executionem vndecim tribubus Israel: & quia filij Beniamin noluerunt parere sententiæ, indictum fuit bellum contra eos, & hoc executus est populus.

An vndecim tribus tenerentur congregari ad pugnandum contra tribum Beniamin pro istius sceleris
B *patratione.*

Qvæstio VII.

Qværetvr vlterius, an vndecim tribus tenerentur congregari ad pugnandum contra tribum Beniamin pro istius sceleris patratione. Respondendum, quod punitio omnium peccatorum directe pertinebat ad iudicem in vet. test. sicut nūc: eo quod debebat in omnibus criminibus seruari ordo iudicialis: nam crimē idololatriæ erat id, quod magis horrendum erat, & in quo magis fauebatur punitoribus contra peccatores, sicut leges humanæ fauent accusatoribus, & testibus contra accusatos in crimine læsæ maiestatis, & in hæresi, & simonia, & quibusdam exceptis criminibus: & tamen adhuc in cultu idolorum seruandus erat ordo iudicialis contra illum, qui accusabatur, vel de quo denunciabatur crimen, vt colligitur Deut. 13. & 17. cap. Dicendum tamen, quod in duobus casibus deuoluebatur potestas puniēdi scelera ad populum. Primus erat, quando iudex erat negligens in puniendo, vel forte fauebat peccantibus: tunc populus punire debebat peccatores. Daretur alioquin, quod manerent crimina magna impunita, scilicet, cultus idolorum, & similia: & tamen si fieret, Deus percuteret populum negligentem punire crimen. Et hoc, quia Deus volebat deuolui iurisdictionem ad illum. Secundus casus est ex mandato iudicis: nam interdum iudex non poterat executioni tradere sententiam, quia potens erat peccator, vel forte multi erant: & tunc debebat conuocare populum ad executionem sententiæ. Sic autem erat in crimine cultus idolorum, scilicet, si in aliqua ciuitate essent cultores idolorum. Nam debebat ciuitas illa deleri cum omnibus, quæ in ea erant: & quia istud non poterat facere iudex, pertinebat ad totum populum. Vnde in talibus executionibus Deus loquitur ad totum populum quod exequatur, vt colligitur Deuteronomij decimo tertio: sic enim factum est quando duæ tribus & dimidia fecerunt altare magnum apud Iordanem: nam tunc decem tribus, siue nouem & dimidia reliquæ conuocatæ sunt, & parauerunt se ad pugnandum contra duas & dimidiam, vt patet Iosue 22. & pugnauissent, nisi quia duæ tribus & dimidia legitime satisfecerunt: nunc ergo si Phinees summus sacerdos forte fauens Beniamitis nollet sententiare contra eos, vel esset negligens in faciendo proposita querela Leuitæ, tenebantur congregari totus populus ad puniendum istud delictum. Idem etiam si iudex non potens per se punire, conuocasset eos. Quod autem aliquando teneretur populus peccata punire, patet Leuitici vigesimo, vbi dicitur, quod si quis de filiis Israel daret de semine suo idolo Moloch, populus terræ lapidaret eum: & deinde dicitur, quod si populus terræ negligens, & quasi paruipendens imperium meum dimiserit hominem illum, & cætera: non tamen dicitur aliquis

In duobus casibus deuoluebatur potestas puniendi scelera ad populū. Primus.

C negligere, aut contemnere imperium Dei, nisi quando teneturad id, quod Deus iubet: sed Deus non iubebat ibi, nisi punire dantem idolo Moloch de semine suo: ergo pertinebat ad populum punitio istius: & sic erat in isto crimine, ita in omnibus aliis, quæ militarent directe contra legem Dei, vel in magnum scandalum totius populi; quia deuoluebatur potestas puniendi ad populum, & sic erat in isto casu, quia erat nefandissimum scelus, ideo quocunque modo iudex non puniret, siue nolens, siue negligens, siue non potens, tenebatur populus punire viros Beniamin. D

Quare vndecim tribus parauerunt se ad pugnandum contra tribum Beniamin, & accesserunt ad pugnandum contra viros Gabaa priusquam admonerent eos.

Qvæstio VIII.

Qværetvr vlterius, quare vndecim tribus parauerunt se ad pugnam contra tribum Beniamin, & iuerunt contra ciuitatem Gabaa priusquam admonerent illos, quod obedirent sententiæ iudicis dando omnes viros Gabaa ad mortem: nam hic dicitur, quod pugnarent contra Gabaa, donec redderent eis, quod merebantur. Et postea sequitur, quod miserunt ad viros Beniamin nuncios, vt traderet viros Gabaa. Respondendum, quod si vndecim tribus bellum inferrent contra viros Beniamin, siue contra viros Gabaa antequam admonerēt eos, vt traderētur rei ad exequendum sententiam in eis, peccarent, quia indicerent bellum iniustum: ideo vndecim tribus primo præmonuerunt Beniamitas ad dandum viros Gabaa, & nondum pugnabant: & cum noluerunt parauerunt se ad pugnam, & petiuerunt an deberent pugnare consulentes Dominum: si tamen antequam præmonerent vellent pugnare, iam deliberassent de pugnando. Sed falsum est, quia postquam Beniamitæ non consenserunt tradere viros Gabaa ascenderunt vndecim tribus in domum Domini in Silo, & consuluerunt Dominum an deberent pugnare contra Beniamin, & responsum est, quod sic: ergo prius non solum non ibant ad pugnandum contra Gabaa, sed etiam nondum deliberauerant an deberent pugnare. Sed obiicietur, quia postquam Leuita locutus est, totus populus respondit, quod non recederent in domos suas singuli quousq; pugnantes redderent viris Gabaa, quod meruerant, & tamen nondum monuerant eos. Respondendum, quod in hoc non deliberabant pugnare contra Beniamin, sed solum dicebant, quod facerent iustitiæ complementum Leuitæ. Hoc autem fieri poterat si viri Beniamin sine bello traderent viros Gabaa, & tunc non pugnarent vndecim tribus contra Beniamin, & forte si non daret eos Beniamin sine bello, pugnarent contra Beniamin, & sic in generali diffiniebant quid acturi essent: tamen in particulari non sententiabant quid agerent, scilicet, quod pugnarent, cum nondum scirent quid agere vellent Beniamitæ. Sed adhuc obiicietur, quia dixerunt viri Israel, quod eligeretur vnus de decem, & decem de centum ad ducendum necessaria exercitui, & reliqui pugnarent contra Gabaa. Respondendum, quod etiam istud non dixerunt viri Israel, nisi sub conditione, scilicet, quod si Beniamitæ tradunt nobis viros Gabaa non pugnabimus, nec oportebit poni aliquem ordinem exercitus: si autē noluerint pugnabimus, & ordinabimus ducentes necessaria exercitui. Sed adhuc obiicietur, quod intēdebant pugnare, quia conuenerunt omnes filij Israel ad Gabaa, sicut erant, scilicet, quadringēta millia: & tamen istud ad pugnam pertinebat. Respondendum, quod licet iuerunt in Gabaa, non iuerunt ad pugnandum, sed ad commouendum viros Beniamin, vt traderēt eis viros Gabaa: quod patet, quia cum venerunt apud Gabaa, miserunt nūcios ad omnem tribum Beniamin, vt darent eis viros Gabaa. Sed tunc dicetur: ad quid veniebat totus exercitus quadringentorum millium virorū ad Gabaa, quia poterant mittere aliter nuncios, & nō iret frustra illuc totus exercitus. Dicendū, quod conueniens erat, quod illuc iret: nam aut viri Gabaa traderentur à toto Beniamin ad faciendum executionem in eis, aut non: si non traderentur poterat exercitus iste inchoare pugnam contra Gabaa, vel inde conscenderent reliqui in Silo ad consulendum Dominum, aut deberent pugnare, & tunc pugnarent. E

F

A Si autem traderentur viri Gabaa ad faciẽdum executionem in eis, tunc erat neceſſarius tantus exercitus ad faciendũ executionem contra vnam vrbem bellicoſam, ſcilicet, vt occiderent omnes, qui in ea erant. Aliter poteſt dici, quod viri Iſrael intendebant in omni caſu pugnare contra Gabaa, ſiue viri Beniamin traderent viros vrbis illius ad executionem iuſtitiæ, ſiue non: nam ſi non traderent, manifeſtum erat, quod bello res agenda erat. Si autem traderent eos, adhuc viri Gabaa vellent ſe defendere contra totum Iſrael, ne omnes occiderentur, & cum alias occidendi eſſent, potius volebant bello perire, quam ſubiicere ſe executioni iuſtitiæ: nam ibi acrior eſſet mors, quam illa, quam quis agendo, & patiendo tolerat. Etiam, quia pugnando contra totum Iſrael forte aliqui eorum poterant euadere, & ſubiiciendo ſe iuſtitiæ nullus euaderet, & tunc pugnare debebat congregatio vndecim tribuum contra Gabaa, & ſic animo pugnandi appropinquabat ad eam totus exercitus. Sed obiicietur, quia poſtea admonuerunt, vt traderentur eis viri Gabaa, & tamen ſi deliberaſſent pugnare contra eos ad omnem caſum, fruſtra eſſet admonitio. Item poſtquam non conceſſerunt Beniamitæ tradere viros Gabaa ad executionem iuſtitię, vndecim tribus conſuluerunt Dominum, an deberent pugnare, ergo prius nõ deliberauerant, quod pugnarent. Reſpondendum, quod iam deliberauerant pugnare contra Gabaa ad omnem caſum, & quando præmonuerunt, quod darentur eis viri Gabaa non monuerunt, vt ſcirent an pugnare deberent, an nõ: ſed ſolum an deberent pugnare contra viros totius Beniamin, vel non: nam ſi conſentirent tradere eis viros Gabaa, pugnare debebant contra ſolos viros Gabaa. Si autem nollent pugnare debebant contra Gabaa, & totam tribum Beniamin. Ad ſecundum dicendum, quod non conſuluerunt Iſraelitæ Dominum, an deberent pugnare contra filios Beniamin: ſed quis deberet eſſe princeps in bello cõtra filios Beniamin, tanquam firmum haberent, quod deberent pugnare contra filios Beniamin: poſtea autem cum victi fuerunt Iſraelitę à filiis Beniamin, conſuluerunt an deberent nunc pugnare. Et iſtud iam, non faciebant niſi ex timore, quia putabant, quod ſemper eos traderet Deus in manus filiorum Beniamin: tamen à principio deliberauerant pugnare contra Beniamin. Et iſta poſitio ſecunda verior eſt, ſcilicet, quod in omni caſu pugnare contra Gabaa deliberaſſent: ſed non contra Beniamin, & ob hoc deſcendebant in Gabaa omnes de exercitu. *Non recedemus in tabernacula noſtra.* In hoc promiſerunt Leuitæ exhibere iuſtitiæ complementum, dicentes, quod non recederent in tabernacula ſua quouſque vindicarent iſtud delictum: & ſic factum eſt, quia licet fuerit grauitas vindicando illud, tamen non receſſerunt de bello quouſque deleuerunt Gabaa, & totam tribum Beniamin. *Nec ſuam quiſquam intrabit domum.* Iſtud erat magis: nam quod non recederent in tabernacula, erat quod non fieret caſtrorum generalis diſſolutio, ita vt ceſſaret bellum: & tamen ſi extendi deberet bellum aliquanto tempore, forte daretur quibuſdam licentia eundi, & redeundi in domos ſuas. Nunc tamen dicitur, quod etiam nullus iret in domum ſuam: in quo ſignatur magnus feruor explendi factum iſtud. Iſtud autem intelligitur de illis, qui pugnaturi erant, ſecus de illis, qui portarent neceſſaria exercitui, quia illi poterant ire in domos ſuas, non quidem intentione manendi, nec quieſcendi, ſed ſi contingeret ire pro cibariis exercitus ad locum, in quo domus ſua erat, poterat cui hoc contingeret intrare domum ſuam. *Sed hoc contra Gabaa in commune faciemus.* Id eſt, non vna tribus, vel familia, ſed omnes in commune, id eſt, ad communionem aggregati de vndecim tribubus pugnabimus, & exercitui prouidebimus. *Decem viri eligantur de centum ex omnibus tribubus Iſrael.* Volebant omnes iſti congregati pugnare contra Gabaa, & quia exercitus non poteſt manere ſine magna prouiſione neceſſariorum, oportebat, quod aſſignarentur aliqui, qui exercitui neceſſaria comportarent, ideo prius quam pugnarent, hic aſſignauerunt pugnatores, & portatores neceſſariorum ad exercitum: & dicitur, quod eligantur decem viri de centum, ſcilicet, qui ſint prompti, & induſtrioſi ad faciendum iſtud. *Et centum de mille, & mille de decem millibus.* Scilicet, decima pars virorum ſepararetur ad ducendum neceſſaria exercitui, & vt alij, qui ſeparati eſſent ad pugnandum, pugnarent.

Obiectio. 1. ratio. 2. ratio

Reſp. Ad pri mã. rationem in diuerſũ.

B

Ad rationem ſecundam.

C

An portatores neceſſariorum ad exercitum eſſent de iſtis quadraginta millibus, qui conuenerant nunc in Maſpha.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR de iſtis, qui ſeparabantur ad ducendum neceſſaria exercitui, an eſſent de quadraginta millibus, qui conuenerant nunc in Maſpha, vt patet ſupra, vel de aliis, qui non venerant ad congregationem illam. Aliquis dicet, quod eſſent de illis millibus congregatis in Maſpha, & ſic ſepararentur de illis quatuor millia, cum dicatur, quod decem de centum, & cẽtum de mllle. Nam ſi acciperentur iſti comportatores de aliis, qui manebãt in vrbibus, eſſent valde magni numeri: nam omnes tribus vndecim haberent pluſquam millies millia virorum pugnatorum, cum tribus Iuda ſemel computata inuenta eſſet habere quingenta milli 1, 2. Reg. 24. Vel ſaltem eſſent in quodam magno numero, vtpote quingentorum millium cum acciperetur decima pars iſtorum ad comportandos cibos eſſent plus, quam 50. millia cõportantes neceſſaria, & ſic eſſent valde plures comportatores ciborum, quam pugnatores, quod ſatis videtur inordinatũ. Reſpondendum videtur, quod iſti viri non aſſumpti fuerunt de 40. millibus pugnatorum, qui cõuenerant in Maſpha. Nam tunc ſequerentur inconuenientia. Primum, quia diminueretur valde numerus bellatorum: nam manerent ſoli triginta ſex millia, & nollent Iſraelitæ, quia tunc parum ſuperarent exercitũ Beniamin, & non auderent ſic pugnare cõtra Beniamitas cũ pugnarent amaro animo, & pauci de ipſis pugnarent, & remanerent multi de Iſraelitis. Item, quia iſtud facerent Iſraelitæ, ſi haberent paucitatem prouidẽtium eis, quia tollerent aliquam partem exercitus, vt cõportaret illa cibos: habebant tamen multitudinẽ magnam in vrbibus, quæ poſſet ducere cibos: ideo non eſt dicendum, quod de ſeipſis acciperent portitores ciborum. Secundum inconueniens eſt, quia eſt cõtra literam: nam infra quando computantur bellatores de parte Beniamin, & de parte aliarum tribuum: dicitur, quod erant de Iſraelitis 40. millia virorum pugnatorũ: ergo non fuerant de eis ſeparati comportatores neceſſariorũ pro exercitu. Cum autem obiicitur, quod eſſent valde multi comportatores ciborum: dicendum, quod hoc non multum oberat, quia dum plures eſſent melius prouiderẽt exercitui, & poſſent pugnatores melius vacare bello. Aliter etiam dici poteſt, quod dato, quod nũc dixerint Iſraelitæ: eligantur decem de centum, & centum de mille: non ſic poſtea fecerint, ſed acceperant tot comportatores ciborum, quot neceſſarij viſi erant. Sed dicendum, quod iſti, qui quærunt hoc tam in arguendo, quam in reſpondendo falſum præſupponunt, ſcilicet, quod erant quadraginta millia: nam erant quadringenta millia: & de illis accepti ſunt quadraginta millia ad comportanda neceſſaria, & non ſequitur aliquid inconueniens, quod ſequebatur poſitis ſolũ quadraginta millibus, de quibus infra dicetur plenius in quadam quęſtione. *Vt comportent exercitui cibaria.* Scilicet, ne defectu ciborum langueſcat animus, & vires bellatorum, & ne cogatur diſſolui exercitus vrgente inopia. *Et poſſimus pugnantes contra Gabaa Beniamin reddere ei pro ſcelere quod meretur.* Id eſt, ſic habentes neceſſaria manebimus in exercitu, & poterimus reddere viris Gabaa, quod merentur, ſcilicet, occidere omnes illos, quia hoc merebantur cum feciſſent tantum ſcelus, & omnes conueniſſent ad illud. *Conuenitque vniuerſus Iſrael ad ciuitatem.* Scilicet, omnes iſti quadringenta millia pugnatorum conuenerunt ad vrbem Gabaa, & vocantur iſti omnis Iſrael, quia multi erant. Vel, quia erant congregati de omnibus tribubus. Nam licet eſſent quadringenta millia, adhuc plures eſſent in vndecim tribubus, & forte pluſquam millies millia. Et dicitur, quod conuenerunt ad ciuitatem non nominando eam, quia intelligitur de Gabaa, eo quod de ea dicebatur immediate. Etiam quia in his omnibus fit ſermo de ea, & venerunt ad pugnandum, quia quocunque modo eueniret pugnaturi erant contra Gabaa, vt ſupra declaratum eſt. *Quaſi vnus homo.* Scilicet, quod habuerunt vnam intentionem licet multi eſſent, ſicut vnus homo non poteſt varia velle: & declaratur mox in litera, ſcilicet. *Eadem mente vnoque conſilio.* Id eſt, omnes habebant vnam intentio-

D

E

Deter quæſt.

F

nem,

A nem, ſcilicet, quod delerentur viri Gabaa, & quilibet intendebat ponere ſe cuiq; aduerſitati, vt perirent omnes illi: nam ſupra 21. dicitur, quod omnes reſponderunt, quaſi ſermone vnius hominis, quod nõ recederent in tabernacula ſua quouſque redderent viris Gabaa, quod pro ſcelere merebantur.

Et miſerunt nuncios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent. Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarũt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſrael. Qui noluerũt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire mandatum, ſed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſrael dimicarent. Inuentiq; ſunt 25. millia de Beniamin educentium gladium: præter habitatores Gabaa, qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra, vt dextra præliantes, & ſic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoq; poſſent percutere, & nequaquam in alteram partẽ ictus lapidis deferretur. Virorum quoq; Iſrael abſq; filiis Beniamin inuẽta ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam. Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo, conſuluerunt q; Dominum, at q; dixerunt. Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit dux veſter. Statimq; filij Iſrael ſurgentes mane caſtrametati ſunt iuxta Gabaa. Et inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, vrbem oppugnare cœperunt. Egreſſiq; filij Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Iſrael die illo viginti duo millia virorum. Rurſum filij Iſrael, & fortitudine, & numero confidentes in eodem loco, in quo prius certauerant aciem direxerunt, ita tamen vt prius aſcenderent, & flerent coram Domino vſque ad noctem: conſulerent q; eum, & dicerent: Debemus vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres noſtros, an non? Quibus ille reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen. Cumq; filij Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent, eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tãta in illos cæde bachati ſunt, vt decẽ, & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.

Et miſerunt. Hic ponitur ſecundum huius ca. in quo iuſtitiæ ęquitas requiritur, ſcilicet, quia primo miſerunt nuncios ad Beniamin, vt traderent malefactores eis, quam pugnarẽt contra eos, vel viros Gabaa. Et dicitur. *Miſerunt nũcios ad omnem tribum Beniamin.* Scilicet, per omnes ciuitates ſortis Beniamin miſerunt Iſraelitę nuncios. Vel dicitur ad omnem tribum Beniamin, id eſt, ad totum Beniamin congregatum in vnum: nam ſicut conuenerant Iſraelitæ ad deliberandũ quid agerent contra viros Gabaa, ita totus Beniamin conuenit ad deliberandum an deberẽt defendere viros Gabaa, & fuit ordo, quod poſtquam viri Gabaa viderunt ſe peccaſſe contra Leuitam, & ſciuerunt, quod ille querelam propoſuerat corã toto Iſrael, ipſi viderunt, quod contra eos pugna ordinanda foret, ideo recurrerunt ad totam tribum Beniamin, quia erãt contribules eorum, vt adiuuarent eos: & tunc illi conuenerunt ad deliberandum quid facerent, & Iſraelitæ ſcientes illos congregatos miſerunt ad eos nuncios. Et ſic dicũtur miſiſſe ad omnem Beniamin, & diceretur melius ad totũ Beniamin. *Qui dicerent: cur tantum nefas in vobis repertum eſt?* Iſta erant verba reprehenſoria, & inclinantia ad dandum viros Gabaa, qui valde peccauerũt. Et dicitur, repertum eſt in vobis, id eſt, in tribu veſtra tantum nefas: quaſi dicat, in nulla alia triba repertum eſt, ideo debetis excutere de vobis talia membra putrida, vt non maneat tanta labes ſceleris in Iſrael. *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt.* Id eſt, tradite eos, vt moriantur. Iſtud poterat dupliciter intelligi. Vno modo, quod traderent eos, id eſt, ipſi Beniamitæ pugnarent contra eos, & traderent eos in manus reliqui Iſraelis, vt eos occiderent. Vel aliter tradite eos, id eſt, permittite nobis pugnare contra illos, ſcilicet, quod non defendatis eos, & dicitur, quod perpetrarunt flagitium: quia proprie flagitium eſt contra naturam, ſicut iſti fecerunt. *Vt moriantur, & auferatur malum de Iſrael.* Id eſt, occidentur pro peccato ſuo: nam peccauerant dupliciter, primo in adulterio, ſecundo in violatione vxoris alterius: & vtrumque eorum per ſe mortem merebatur. De adulterio etiam ſi voluntarium eſſet, patet Leuit. 20. De violentia patet Deuter. 22. cap. & ſic auferretur malum de Iſrael, id eſt, malum culpæ, quia quamdiu manet aliquod peccatum impunitum, manet aliquid inordinatum: eſſe autem aliquid deordinatum contra rationem eſt. Etiam vocatur malum, id eſt, nociuum, quia ſi relinqueretur tale facinus impunitum, Deus iraſceretur contra totum Iſrael, quia negligentes erant in puniendo, & immitteret plagam aliquam. Nam quod non corrigitur fouetur, & approbatur, ſed qui malum approbat, quod corrigere poſſet, peccat: vt ergo non mitteret Deus plagam aliquam ſuper Iſrael debebant corrigere iſtud peccatum, ſic patet in iniuria facta contra Gabaonitas per Saulem. Nam, quia populus non caſtigauit hoc, vel non inſtigauit Dauid ad caſtigandum, miſit Deus famem ſuper totum Iſrael tribus annis, 2. Reg. 21. & cum vindicata eſt iniuria, ceſſauit fames. Sic autem ſequeretur hic fames, vel alia plaga, niſi punirentur peccantes, & quia puniendo illos tolleretur, quod Deus non percuteret Iſraelitas ſuper hoc, tollebatur malum de Iſrael & ſic quando Deus iubet punire aliquem delinquentem dicit: Et auferes malum de Iſrael, Deuteron. 13. & 17. & 21. & 22. & in multis aliis locis.

Quod non corrigitur fouetur, & approbatur.

An Iſraelitæ poterant propria auctoritate pugnare contra viros Gabaa ad executionem iuſtitiæ.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, an Iſraelitæ poterant propria auctoritate pugnare contra viros Gabaa ad executionem iuſtitiæ, vel tenebantur petere conſenſum Beniamitarum, ſicut petiuerunt. Aliquis dicet, quod non tenebantur, quia vndecim tribus agebant hic auctoritate iudicis, ſcilicet, ſummi ſacerdotis, vt ſupra declaratum, & cum competeret eis iam de iure iſta executio, non oportebat, quod admonerent aliquem, vt permitteret eos exequi, vel quod requirerent aliquem ad hoc, quod exequeretur.

Reſpondendum, quod Iſraelitæ poterant hic auctoritate iudicis, ſcilicet, ſummi ſacerdotis exequi contra viros Gabaa non petendo conſenſum virorum Beniamin. Sed nunc petiuerunt, quod traderent eis viris Gabaa, non quidem quaſi non liceret eis exequi, ſed quia volebant ſcire an exequendo ſententiam iſtam deberent pugnare contra totum Beniamin, an contra ſolos viros Gabaa: nam ſi non conſentirent viri Beniamin erat pugnandum contra totum Beniamin: ſi autẽ conſentirent erat pugnandum ſolum contra viros Gabaa. Aliter autem erat pugnandum contra vnam tribum, quam contra vnam vrbem: & vt ſe præmunirent, hoc inquiſiuerunt. Etiam monuerunt viros Beniamin, quia intendebant vitare bellum in quantum poterant, & quia forte viri Beniamin facerent tradi omnes viros Gabaa ſine bello in manus Iſraelitarum, admonuerunt, vt traderent, & tunc viri Beniamin poterant dicere, quod ipſi traderent viros Gabaa ſine bello, ita vt non deleretur vrbs, ſed viri. Vel ſaltem darent licentiam Iſraelitis, quod pugnarent contra viros Gabaa qualitercunque vellent. *Qui noluerunt.* Hic ponitur tertium huius cap. in quo iniquitas defenditur, ſcilicet, quia viri Beniamin quamquam ſcirent deliquiſſe viros Gabaa noluerunt tradere eos Iſraelitis, ſed oppoſuerunt ſe pro illis ad mortem. Et dicitur. *Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorũ Iſrael audire mandatum.* Id eſt, noluerunt conſentire iuſtiæ monitioni illorum. Poteſt etiam vocari mandatum, quia iudicis ſententia erat cõtra viros Gabaa, & auctoritate eius poterat mandari omnibus viris Beniamin, ꝙ traderent viros Gabaa in manus Iſrael, vel ſaltem quod non impedirẽt Iſraelitas pugnaturos contra Gabaa. Et dicitur: Fratrum ſuorum, quia filij Beniamin erãt fratres aliorũ Iſraelitarum, eo quod omnes Iſraelitæ deſcendebant ab eodem patre, ſcilicet, à Iacob.

A

Sed ex cunctis vrbibus, quæ suæ sortis erant, conuenerunt in Gabaa. Scilicet, sciuerunt filij Beniamin, quod Israelitæ pugnaturi essent contra Gabaa, ideo ipsi omnes conuenerunt in Gabaa, vt ibi resisterent Israelitis venientibus. *Vt illis ferrent auxilium.* Scilicet, viri Gabaa erant fratres cæterorum Beniamitarum, ideo voluerunt eis præstare auxilium contra totum Israel. *Et contra vniuersum Israel populum dimicarent.* Scilicet, venerunt animo dimicandi contra totum Israel. Nam sciebant impossibile esse euitari bellum: nam reliqui Israelitæ non desisterent pugnare contra Gabaa propter totam tribum Beniamin adiuuantem eos, quia vndecim tribus non timerent vnam: & dicitur, contra vniuersum populum Israel: quasi dicat, non solum contra quadringenta millia pugnatorum, qui congregati erant: sed etiam si conuenirent omnes alij, qui manebant in vrbibus vndecim tribuum, quia etiam hoc cognitum erat eis, scilicet, quod si non possent quadringenta millia virorum congregatorum pugnare, & prævalere contra Beniamin, quod congregarentur cæteri de vndecim tribubus, qui in vrbibus manebant.

An viri Beniamin peccarunt faciendo bellum contra reliquum Israel.

Qvæstio XI.

B

Cuiusdã rationes in diuersũ. 1. ratio. 2. ratio

Qværetvr, an viri Beniamin peccauerunt faciendo bellum contra reliquum Israel. Aliquis dicet, quod non, quia Beniamitæ adiuuabant fratres suos viros Gabaa. Tenetur autem quilibet adiuuare alium, qui ad mortem impetitur: maxime, si sit cognatus ei sanguine. Secundo patet, quia si Beniamitæ non fouerent iustum bellum cõtra Israel, non potuissent resistere tantæ multitudini, cum essent de Israelitis quadringenta millia, & de Beniamitis solum 25. millia, vt patet in litera, scilicet, quod erant sexdecim viri pro vno: & tamen non solum viri Beniamin restiterũt viris Israelis, sed etiam in duobus bellis prævaluerunt, & occiderunt in duobus diebus quadraginta millia virorum de Israel, & non cecidit nec vnus saltem de Beniamin: istud autem satis apparet à Deo factum. Reſpondendum, quod filij Beniamin peccauerunt multipliciter. Primo, quia non corripuerunt peccantes quantum in se fuit: nam supra demõstratum est, quod ad populũ pertinebat punitio peccatorum in quibusdam casibus, & nunc pertinebat potius ad Beniamin, quã ad alias tribus. Nam in tribu Beniamin acciderat istud delictum, ideo magis soliciti, quam cæteri esse debebant ad puniendum, non puniendo ergo quantum in se erat peccauerunt: apparet hoc magis, quia cæteri Israelitæ desiderio puniendi hoc scelus cõgregati sunt in Maspha; filij autem Beniamin illuc conuenire noluerunt. Secundo peccauerũt, quia cum cæteri Israelitæ punire vellent istud facinus, ipsi restiterunt. Nam petiuerunt, quod traderent eis viros Gabaa, ipsi autem noluerunt: defendere tamen peccantem æqualis culpæ est cum ipso principaliter peccante: imo interdum maius est, quia qui malefactores defendit ad plura flagitia originẽ tribuit, quæ nequaquam fierent nisi ab illo defenderentur, ideo saltem quantum ad hoc æqualiter peccare videbantur cum ipso populo virorum Gabaa. Tertio peccauerunt, quia bellum contra Israelitas instruxerunt defendendo noxios: & istud erat valde culpabile super cætera, ideo meruerunt ex hoc omnes filij Beniamin perire: & sic Deus induxit super eos cladem. Nam omnes tam magni, quam paruuli, tam viri, quam fœminæ: perierunt gladio, etiam vsque ad iumenta, & pecora, & ciuitates eorum exustæ sunt, vt patet infra in litera. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quod tenebantur Beniamin adiuuare fratres suos viros Gabaa, si morte iniusta premendi forent, vel si bellum iniustum moueretur contra eos: erat tamen bellum istud iustissimum, scilicet, quia peccauerunt in crimine, pro quo lex imponebat mortem. Etiam quod amplius est, quia istud bellum indicebatur auctoritate iudicis, & legis: ideo necesse erat eos esse iniustos defensores: nam non solum viri Beniamin non debebant defendere viros Gabaa, sed etiam ipsi viri Gabaa non debebant seipsos defendere contra sententiam iudicis.

Resp. ad quæsitum.

Ad primã rationem in diuersũ

Ad rationem secundam.

C

D

quod non prævaluerunt, quia victoria ex fine considerand. est, & quia licet Beniamitæ à principio oppressérunt quosdam de Israel, postea viri Israel occiderunt omnes de Beniamin, vsque ad pecora, præter sexcentos viros: ergo non habuerunt ipsi victoriam. Alio modo dici potest, & melius, quod Deus dedit viris Beniamin à principio, quod prævalerent contra totum Israel, non quidem quasi Beniamitæ fouerent iustum bellum, sed quia Deus volebat percutere quosdam de Israelitis, & ministros horum voluit esse filios Beniamin: postea autem ipsos de tribu Beniamin tradidit in manus Israelitarum totaliter delendos.

Quomodo tribus Beniamin ausa est pugnare contra omnes tribus Israel.

Qvæstio XII.

Vlterivs quæretur, quomodo tribus Beniamin ausa est pugnare contra omnes tribus Israel, cum esset tanta multitudo ex parte Israelitarum: & pauci ex parte Beniamin, scilicet, quia contra vnum de Beniamin erant de Israel decem & sex, aut plures.

Reſpondendum, quod viri Beniamin ausi fuerunt pugnare contra Israelitas confidentes de robore suo. Nam erant viri bellicosi, tam viribus, quam animo potentes, & non curauerunt de multitudine magna, quæ erat ex parte Israelitarum: scientes, quod magis consistat bellum in disciplina militari, & animositate pugnantium, quam in multitudine. Ista autem fortitudo Beniamitarum apparuit ex effectu, quia intrepide procedebant contra viros Israel, & fecerunt magnam stragem in eis diebus duobus occidentes quadraginta millia virorum. Secunda causa erat, quia compassi fuerunt Beniamitæ viris Gabaa, qui erant contribules sui: & sciebant eos delendos penitus, si non adiuuarent eos, ideo cum eis pariter se morti appoſuerunt. Tertia causa esse potest, quia Beniamitæ forte putauerunt, quod viri Israel videntes eorum animositatem desisterent ab impugnatione virorum Gabaa: nam licet Israelitæ maiores essent Beniamitis: si tamen illi se exponerent pro viris Gabaa, necesse erat multos perire de Israelitis priusquam subiicerentur filij Beniamin, & vt excusarent istud malum forte desisterent ab impugnatione virorum Gabaa, vel mitius agerent cum eis. Quarta causa, & efficacior erat, quia Deus commouit Beniamitas ad hoc in pœnam ipsorum: nam peccauerant Beniamitæ contra Deum in aliquibus, & volebat tradere eos in manus hostium, vt punirentur. Vt ergo nunc perirent manibus Israelitarum, mouit eos, vt pugnarent dando cõfidentiam, quod prævalere possent cõtra Israelitas: istud autem facile est, quia Deus mouet corda hominum ad confidentiam, vel timorem, aut gaudium, & alias passiones, sicut ipse vult sicut dicitur Prouer. 21. Cor regis in manu Domini, & quocunq; voluerit vertet illud. Ad timorem sæpe Deus conuertit corda, vt patet Exod. 23. & Leuit. 26. ergo conformiter conuertere poterit ad confidentiam. Quod autem Deus interdum det alicui confidentiam, vt audeat pugnare, & cadat in bello, patet Iosue 11. de Chananæis, contra quos pugnauit Iosue. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, vt pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam misericordiam: ita ergo est de multis aliis, quos Deus in bello tradit in manus hostium, quia Deus concitat eos ad pugnandum, vt moriantur: sic autem fuit de Beniamitis, quia si non pugnarent non morerentur: & tamen Deus volebat eos occidere, ideo concitauit eos ad pugnandum. *Inuentique sunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium.* Scilicet, de illis Beniamitis, qui venerunt in adiutorium virorum Gabaa fuerunt viginti quinque millia.

E

F

An isti pugnatores de Beniamin essent præter comportantes necessaria.

Qvæstio XIII.

Qværetvr, an isti pugnatores de Beniamin essent præter comportantes necessaria exercitui, vel erant de eis comportatores istorum. Ad hoc autem præmittendum,

quod

quod ſicut exercitus Iſraelitarum ordinauit comportantes neceſſaria exercitui, ſcilicet, decem de centum, & centum de mille, ita viri Beniamin, qui habebant magnum exercitum, ſcilicet, 25. millium virorum egebant comportatoribus neceſſariorum: non tamen legitur, quod aliquos ad huiuſmodi neceſſitatē inſtituerint. Ideo forte dici poteſt, quod Beniamitæ conuenientes in Gabaa ad adiuuandum fratres ſuos: comportauerunt ſecum omnia, quæ potuerunt, & putauerunt ſibi neceſſaria pro bello: ita vt non oportebat, quod haberent comportatores, qui continuo ducerent neceſſaria. Et forte propter hoc non legitur, quod aliquos ad iſtud inſtituerint, ſicut legitur de viris Iſrael, quod inſtituerūt comportatores neceſſariorum. Si autem dicatur, quod erant aliqui comportatores. Dicendum, quod non erant de iſtis 25. millibus, quia omnes iſti pugnabāt, & omnes iſti occiſi ſunt: nam infra declarabitur quomodo de Beniamin occiſi fuerunt 25. millia, & centum: viri comportatores neceſſariorum tamen non pugnabant: ideo dicendum, quod erant illi viri Beniamin præter iſtos viginti quinq; millia, & illi portabant neceſſaria exercitui. Patet hoc, quia dicitur infra, quod occiſi fuerunt iſti viginti quinque millia, & deinde omnes quotquot erant in ciuitatibus, etiam vſque ad iumenta.

Quot erant viri Beniamin, qui venerant in adiutorium virorum Gabaa.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR vlterius, de numero virorum Beniamin, qui venerunt in adiutorium virorum, Gabaa de quibus litera noſtra dicit, quod erant 25. millia. Sed dicendum, quod erant 26. millia, & hoc patet ex litera Hebraica, quę tot ponit: litera tamen noſtra vitio librariorum corrupta fuit. Nam dato, quod Ieron. tranſtuliſſet 26. millia, facile erat librarios tranſcribere 25. millia, quia numeri, vt communiter ſcribuntur per literas deſignantes numeros: & ſic facile erat perdita vna litera, vel mutata effici 25. millia, vbi prius erat 26. millia. Sciendum tamen, quod iſtud videtur factum quaſi ex magnitudine ingenij à quibuſdam ſciolis, qui putabant corruptam eſſe literam, cum contineret viginti ſex, & ipſi vt corrigerent corruperunt. Probabant autem ex litera numerum iſtum. Nam Iſraelitæ occiderunt omnes Beniamitas, qui iuerunt ad bellum, vt patet infra, & tamen ſumma interfectorum conſonat cum ſumma viginti quinque millium. Nam hic ponuntur in litera noſtra 25. millia virorum venientium in adiutorium in Gabaa, & ſeptingenti viri vrbis Gabaa, & infra in ſumma interfectorum dicitur, quod erant 25. millia, & centum, & ſuperfuerunt ſexcenti viri, qui ſederunt in petra Remon. Si autem ponantur 26. millia virorum neſcietur quid factum ſit de aliis mille viris, ideo correxerunt ponentes 25. millia. Dicendum tamen, quod erant 26. millia cum litera Hebraica ponat maiorem numerum, & ſemper credendum eſt ſcripturæ ponenti maiorem numerum potiſſimè cum veritas librorum noſtrorum ex Hebræis aſſumenda eſt, vt ait Auguſt. & habetur in Decret. diſt. 9. cap. vt veterum, & Ieron. in prologo ſuper Geneſ. qui incipit. Deſiderij mei: dicit exemplaria Hebręorum veriora eſſe exemplaribus Gręcorum, & Latinorum. Dicendum autē de mille viris, qui ſuperſunt, quod illi, non pugnauerunt, ſed ſolum 25. millia: & iſti mille comportabant exercitui neceſſaria, & non occiſi ſunt in bello cum aliis. Et tunc ſi obiiciatur, quod ſupererunt de toto Beniamin pluſquam 600. viri, ſcilicet, mille ſexcenti. Dicendum, quod cum iſti mille viri eſſent comportatores neceſſariorum ad exercitum Beniamin, & vidiſſent vrbem Gabaa conflagrare, reuerſi ſunt in alias vrbes de tribu Beniamin, vt laterent ibi, & defenderentur, & cum Iſraelitæ poſtea intrarent vrbes cremando omnia, occiderunt iſtos mille viros cum aliis, qui ſuperſtites erant de Beniamin. Nam dicitur infra in litera, quod reuerſi filij Iſrael ad reliquias ciuitatis à viris vſque ad mulieres gladio percuſſerunt, & ſic perirent ibi iſti mille, & omnes alij, qui relicti fuerant in vrbibus. Iſti autem, qui ponuntur occiſi, ſcilicet, 25. millia, & centum fuerunt de pugnatoribus. Et verum eſt, quod ſolum 25. millia, & ſeptingenti pugnabant, licet de Beniamin cōueniſſent 26. millia ad adiutorium, quia mille illorum portabant neceſſaria exercitui, vt dictum eſt. *Præter habitatores Gabaa.* Id eſt, iſti 26. millia erant non computando viros Gabaa, quæ erat cui ferebatur auxilium, & non venerunt plures de tribu Beniamin, quia non fuerunt plures, qui conuenienter poſſent capere arma, quia licet multi alij eſſent, erant ſenes, qui non poterant pugnare. *Qui ſeptingenti erant.* Non erat magna ciuitas Gabaa: nam in ea ſolum reperti ſunt pedites ſeptingenti ad pugnam. *Viri fortiſſimi, ita ſiniſtra, vt dextra præliantes.* Iſtud refertur ſolum ad viros Gabaa, qui erant fortiſſimi inter omnes viros Iſraelis, & ob hoc confidenter egrediebantur ad bellum, & vtebantur vtraq; manu, vt dextra, ſcilicet, quia per vſum fecerunt ſibi vtramque manum dexteram: & iſtud eſt magnū adiutorium ad bella. Et Plato dicebat, quod in vrbibus debebant conari omnes ambi dexteros fieri, vt ait Ariſt. 2. Polit. c. de politia Calcedoniorum. *Et ſic fundis ad certum iacientes lapides, vt capillum poſſent quoque percutere.* Scilicet, iſti viri Gabaa erant magni fundibularij certiſſime iaciētes: ideo in exercitu magnam ſtragem iſti dabant, quia fortiſſimi erant, & ictus eorum nunquam erat inanis, & potiſſime tempore illo, quando homines fere inermes pugnabant, quia nō erant ita armati, vt nunc. Dicitur tamen hoc per hyperbolē, quia non erat verum, quod ita rectiſſime iacerent, quod etiam capillum poſſent percutere. Nam etiam ſagittator, aut baliſtarius, vel quodcunque genus iaciendi, non poterat eſſe tam certum, quia tamen valde certe iaciebant aſcribitur hoc eis per hyperbolem. *Et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Id eſt, tam certe iaciebant, quod non variaretur lapis iactus ad vnam, vel alteram partem capilli: ſed recto ictu percuteret capillum. *Virorum quoque Iſrael.* Hic ponitur quartum huius ca. in quo contumacia in ſe inuaditur, & diuiditur in duo. Primo reprimitur ſuperbia: ſecūdo confunditur contumacia, ibi. *Quamobrem.* Circa primum. *Virorum quoque Iſrael abſque filiis Beniamin.* Vocantur viri Iſrael omnes, qui erant de tribubus vndecim, & iſti fecerunt ſummam hāc magnam præter filios Beniamin, qui non conuenerunt cum eis, ſed erant potius hoſtes. *Inuenta ſunt quadraginta millia educentium gladium.* Non eſt intelligendum, quod non inuenti fuerint plures, ſed quia nō exierunt plures de ciuitatibus ſuis ad veniendum in Maſpha. Alij autem māſerunt in locis ſuis.

Contumacia in ſe inuaditur.

Quot erant bellatores ex parte Iſraelitarum.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quot erant bellatores ex parte Iſraelitarum. Aliquis dicet, quod erāt quadraginta millia, quia hic dicitur, quod inuenti ſunt quadringenta millia de tribubus Iſrael pręter Beniamin, qui erant viri bellatores: educentes gladium, id eſt, potētes educere gladium ad pugnam. Sed dicendum, quod non erant tot bellatores, quia de iſtis accepti ſunt, qui portarent neceſſaria exercitui, ſcilicet, decem de centum, & centum de mille, & ſic de quadringentis millibus eſſent 40. millia comportatores neceſſariorum ad bellum, & manerent pugnantes trecenta ſexaginta millia. Sciendum autem quod aliquæ Bibliæ habent quadraginta millia ſolum fuiſſe de tribubus Iſrael præter Beniamin. Sed corrupta eſt litera: nam debet dici quadringenta millia. Quod ſatis patet, quia filij Beniamin occiderunt de Iſraelitis primo die viginti duo millia, & in ſecundo decem octo millia, qui ſunt quadraginta millia, & ſic non ſupereſſet nec vnus quidem de exercitu Iſrael poſt ſecundum bellum, & tamen in tertio bello Iſraelitæ occiderunt omnes de Beniamin, & erant tunc valde multi de Iſrael, vt patet in litera: & ſic neceſſe eſt, quod eſſent vltra quadraginta millia, ſcilicet, quadringenta millia, ſed vitio librariorum facillime numeri corrumpuntur, potiſſime vbi eſt ſimilitudo. *Qui ſurgētes venerunt in domum Dei.* Scilicet, poſtquam Beniamitæ reſponderunt, quod adiuuarent viros Gabaa contra totum Iſrael receſſerunt viri Iſrael de loco quodam apud Gabaa, & venerunt in domum Dei. Eſt enim ſciendum, quod omnes Iſraelitæ, qui erant in Maſpha venerunt in Gabaa, & nunc audito reſponſo virorum boni animi receſſerunt inde. De hoc patet ſupra in litera. *Hæc eſt in Silo.* Id eſt, domus Dei erat tunc in Silo. Hoc patet, quia iſtud accidit ante Heli ſummū ſacerdotem, & tamen toto tempore quod fuit ex quo Sanctuarium Domini fixum eſt, vſq; ad

Veritas librorū noſtrorum ex Hebraīs patenda eſt.

A mortem Heli ſummi ſacerdotis, fuit Sanctuarium in Silo, vt colligitur 1. Reg. 4. iuncto Ioſue 18. nam Ioſue 18. collocatum eſt Sanctuarium in Silo, & 1. Reg. 4. ablata eſt arca à Philiſthinis, quæ fuerat in Silo: & poſtea nunquam illuc rediit, ſed poſt menſes ſeptem reducta eſt: & fuit poſita in Cariathiarim 1. Reg. 7. cap. ſed iſtud factum eſt poſt mortem Ioſue: & ante tempus Heli, ſcilicet, tempore Phinees ſummi ſacerdotis: ergo erat Sanctuarium in Silo.

Quare Iſraelitæ nunc reſponſo accepto à Beniamitis aſcenderunt in Silo.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, cum omnes Iſraelitæ veniſſent in Gabaa, quare nunc reſponſo accepto à Beniamitis aſcenderunt in Silo?

Reſpondendum, quod Iſraelitæ ibant in Gabaa animo pugnandi, ſcilicet, vt pugnarent contra viros vrbis, qui peccauerant, vt ſi forte Beniamitæ darent eis licentiam pugnandi contra vrbem, pugnarent, vel ſi Beniamitæ vellent tradere viros Gabaa in manus Iſraelitarum ad faciendum executionem, facerent eam ibi apud vrbem, & ad hoc non opus erat, quod aſcenderent in Silo, quia leuis pugna erat. Cum autem reſponderent Beniamitæ, quod volebant defendere B viros Gabaa, inſurgebat magna pugna Iſraelitis, ideo ad conſulendum Dominum ſuper ſtatu belli aſcenderunt in Silo.

Quare Iſraelitæ volentes conſulere iuerunt in domum Domini.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæritur, cum Iſraelitæ vellent conſulere ſuper duce belli futuro: quare iuerunt in domum Domini, quia poterant conſulere vbi erant, ſcilicet, vocando ſummum ſacerdotem, qui in Gabaa conſuleret Dominum pro illis. Aliquis reſpondebit, quod hoc fecerunt, quia Deus non poterat conſuli niſi in Sanctuario, vel coram arca. Nam ſic conſuluit Achias tempore Saulis, vt patet 1. Reg. 14. ſed apud Gabaa non habebant Iſraelitæ Sanctuarium, nec arcam, ideo oportuit quod ad conſulendum Dominum irent in Silo. Sed dicendum, quod non ſtat, quia Deus poterat cõſuli extra Sanctuarium in quocunq; loco, dum tamen eſſet ibi ſummus ſacerdos, qui conſuleret, & haberet Ephod, in quo conſuleret, quia iſta erant de ſubſtantia conſultationis. Sic innuitur Exod. 28. ſcilicet: Portabit Aaron iudicium filiorum Iſrael in pectore, id eſt, id, per quod iudicatur in omnibus dubiis filiorũ Iſrael: & iſtud erat rationale, & Ephod, vt patet ibi: ſed iſta poterãt eſſe extra Sanctuarium: ergo potuit conſuli Deus extra Sanctuarium. Sic patet de Abiathar ſacerdote, qui in Ceila conſuluit bis Dominum pro Dauid: 1. Reg. 23. c. & tamen manifeſtum eſt, quod ibi non erat Sanctuarium tunc, nec vnquam fuit. Etiam iterum cõſuluit pro eo in Siceleg, vt patet 1. Regum 30. quando perſecutus eſt latrunculos Amalechitarum, & tamen ibi non erat Sanctuarium, quia Siceleg erat in terra Philiſthinorum: 1. Reg. 27. Etiam iterum cum eſſet Saul in bello, conſuluit pro eo Dominum Achias ſacerdos 1. Regum 14. ergo non erat neceſſe conſuli in Sanctuario. Et dato, quod diceremus neceſſarium eſſe arcam ad hoc, quod conſuleretur coram ea poterant Iſraelitæ mittere pro illa in Sylo, vt adduceretur in caſtra Gabaa. Sic factum eſt in diebus Heli: nam dum pugnarent Iſraelitæ contra Philiſthinos, & præualuiſſent vna die Philiſthini, miſerunt Iſraelitæ pro arca, vt duceretur in caſtra, & duxerunt eam duo filij Heli, 1. Regum 4. Etiam ducta fuit ad caſtra pugnante iterum Saule contra Philiſthinos 1. Regum 14. Etiam ducta cum Dauid fuit, quando ipſe fugiebat à facie Abſalonis de Ieruſalem, & ipſe fecit eam reduci nolens, quod ſecum iret, 2. Regum 15. cap. poterat ergo duci in Gabaa arca, & conſuleretur ibi Deus coram illa. Cum vero dicitur, quod Achias conſuluit Dominum in caſtris pro Saule coram arca. Reſpondendum, quod non conſuluit coram illa, quaſi ſine hoc non reſponderetur, ſed quia contigit, quod arca ducta fuerat in caſtra ex alia cauſa, fuit cõuenientius conſuli Dominum coram illa quam alibi. Dicendum igitur, quod ſi Iſraelitæ valuiſſent ad hoc quod conſulerent Dominum, non erat neceſſe, quod aſcendereut in Silo: quia tamen ciuitas Silo erat prope Gabaa, venerũt in Silo. Quod autem prope eſſet, patet, quia dicitur in litera, quod Iſraelitæ mane ſurgentes poſuerunt caſtra apud Gabaa, & tamen ſurgebant tunc de Silo: ergo paruum iter erat inter Silo & Gabaa, cum de Silo ſurgentes poterant mane locare caſtra apud Gabaa. Et forte Iſraelitę venerunt in Silo ex deuotione, quia volebant ibi orare Dominum, vt dirigeret eos in bello illo, & in Silo erat locus orationis, cum eſſet Sanctuarium. Etiam dicetur, quod forte venerunt ad faciendum aliqua ſacrificia. Nam non licebat fieri ſacrificium extra locum Sanctuarij, Leuit. 17. cap. non tamen legitur, quod nunc obtulerint ſacrificium, ſed obtulerunt illud poſtea quando iterum venerunt in Silo. *Conſuluerunt́ Dominum.* Scilicet, Phinees ſummus ſacerdos conſuluit pro eis, ſed dicebatur ille conſulere, pro quo Deus conſulebatur, ſcilicet, ad cuius petitionem. *Atque dixerunt: quis erit in exercitu noſtro princeps contra filios Beniamin.* Non dubitauerunt Iſraelitæ quin pugnandum eſſet contra Beniamin, ſed de duce dubitauerunt, & conſuluerunt. Ex hoc patet, quod non erat tunc iudex aliquis, aut rex in Iſrael: nam ſi fuiſſet rex ipſe eſſet dux, vel ille, quem ipſe præfeciſſet exercitui. Si autem eſſet tunc aliquis iudex, ille eſſet princeps belli, quia poteſtas iudicum, de quibus agitur in hoc libro, principaliter erat ad bella, vt declaratum eſt in prologo huius libri: ergo non erat tunc iudex. Etiam non erat tunc Ioſue, quia ipſe erat dux tempore ſuo, & ſic colligitur, quod accidit iſtud factum inter mortem Ioſue, & inſtitutionem Othonielis, qui fuit primus iudex. D E

Quare Iſraelitæ conſuluerunt Dominum, quis eſſet dux in exercitu ſuo.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, quare Iſraelitæ conſuluerunt Dominum, quis eſſet dux in exercitu ſuo, quia ipſi poterant hunc eligere ad vota ſua, & poterant ſcire, quis aptus eſſet ad ſuſcipiendum iſtud onus.

Reſpondendum, quod tres cauſæ ad hoc fuerunt. Prima fuit inuidentia de alterna prę eminentia: nam nunc non præferebatur vna tribus alteri, aut altera alteri, cum nullus eſſet princeps in Iſrael: ideo de quacunque tribu nunc ſumeretur princeps, illa tribus videbatur prælata cæteris, & ex hoc erat inuidia, quæ valde vitanda erat in tali actu, vbi oportebat omnes eſſe vnanimes. Nam ſi ſic acciperetur dux aliquę tribus inuidentes illi tribui, de qua eſſet dux, nollent bene ſubiici, nec pugnarent quantum poterant: ſed impedirent alias, quia ex inuidia naſcerentur animoſitates, & contentiones. Secunda cauſa fuit ad tollendam varietatem, & ſeditionem. Nam ſi electione populi dux conſtituendus foret, quælibet tribus vellet de ſeipſa conſtitui ducem, cum nulla ſubeſſet alteri, ſed omnes eſſent æquales, & ſic nunquam poſſent concordare in vnum ducem, & nemo erat, qui poſſet eos cogere ad concordandum, ideo manerent ſine duce, & nunquam facerent bellum, & dato quod contingeret ducem vnum ab omnibus conſtitui, quędam tribus, aut aliqui viri de Iſrael dedignarentur ſubiici illi arbitrantes ſe magis meritos ad hoc, quod præficerentur toti populo, & ſic non bene adminiſtraretur exercitus per ducem. Tertia cauſa fuit, & forte præcipua, ſcilicet, quia Iſraelitæ volebant ſcire, in cuius manu tradendi eſſent filij Beniamin: ſciebant enim quod Deus quoſdam homines diligebat, & alios non ſic, & per illos diligebat, adminiſtraret bella optime, ita vt traderentur hoſtes in manus eorum, & ſi aliqui cõſtituerentur duces, Deus nollet per manum eorum aliquid ſpeciale operari. Si autem Deus conſtitueret ducem, ipſe inſtitueret eum, qui ſibi placeret, & per quem vellet bene adminiſtrari bellũ, ideo conſuluerunt Dominum, quis deberet eſſe princeps in exercitu eorum. Nam ſi inſtituiſſent Iſraelitæ ducem non conſulto Deo, licet ille prudẽter regeret exercitum, ſi aliquid durum accidiſſet, ſcilicet, debellatio ipſorum à filiis Beniamin, putaſſent quod acciderat propter ducem, qui erat electus contra voluntatem Dei, & clamarent: ideo conueniens fuit quod Deum C F

consulerent: Sic etiam mortuo Iosue, cum non haberent Israelitæ ducem cõsuluerunt dominum, quis esset in exercitu dux, & respondit, quod Iudas esset dux, sicut nunc respondit supra 1. cap. *Qui respondit: Iudas sit dux vester.* Id est tribus Iuda erit dux, & inde accipietis ducem.

Quomodo Deus non determinauit, quis de tribu Iuda esset dux.

Qvæstio. XIX.

Qværetvr, quomodo Deus non determinauit quis de tribu Iuda esset dux, quia determinando solum, quod tribus Iuda esset dux, non satisfaciebat intentioni eorum. Responderi potest dupliciter. Vno modo, quod Deus non solum responderit de tribu, sed etiam de persona, quæ accipienda erat in illa tribu, & tamen scriptura non curauit exprimere vlteriorem consultationem, & responsionem, & sic satisfaceret intentioni Israelitarum. Aliter dici potest, quod Deus solum determinauit tribum, de qua assumeretur princeps, & non determinauit principem. Et hoc quia satis istud erat. Quod patet inducendo per omnes tres causas assignatas præcedenti quæstione. Prima erat de inuidia: nam inuidia erat inter tribus, quæ illarum præcellere videretur, cum nulla esset altera superior constituta: nunc autem Deus designabat tribum Iuda debere suscipere principatum, & non inuideret aliquis de Israel: quia cum à Deo fieret ista electio, & prælatio, nemo dubitaret eam bene factam, nec repugnare vellet: inter personas autem singulas tribuũ, non erat sic inuidia, & contentio de mutua prælatione, quia erat manifestus excessus in honore, & statu, atque potentia, & habilitate ad principandum, ideo facilius cessaret contentio inter personas, quam inter tribus. Secunda causa etiam non impediebat, quia si non fuisset à Deo determinatum de tribu, quælibet tribus vellet de se ipsa eligi principem, & nulla concordaret cum alia: nũc autem iam erat per Deum concordatum de tribu, vnde non poterat esse discordia in electione personę, quia cæteræ tribus præter Iudam cum scirent, quod de ipsis non erat aliquis eligendus, curarent sibi prę ficere illum, qui manifeste excellere cęteros videretur, & in illo faciliter concordarent: soli autem, qui de tribu Iuda erant possent inter se discordare, cum posset quilibet illorum eligi: quia tamen electio fieri debebat solum de viro excellentissimo, contenderent de electione illi, qui essent quasi æquales, cæteri autem manifeste minores, & de quibus certum erat, quod non eligerentur in duces, non curarent, & sic contentio eorum, qui quasi de paritate altercarentur faciliter poterat sedari, quod non fieret, si de tribubus non determinaretur. Tertia ratio etiam non impedit, quia sicut si Deus determinaret personã signabat, quod per illum vellet facere salutem in Israel, & tradere Beniamin in manus eius, ita determinando tribum innuebat, quòd per illam faceret salutem in Israel. Aliter potest dici, quod Israelitæ solum petebant determinari sibi de tribu, & non de persona, ideo Deus solũ consultus respondebat de tribu. Vnde quando dicebant, quis erit dux in exercitu nostro? intelligebatur, quæ tribus, & non quæ persona.

Quæ istarum positionum sit conuenientior.

Qvæstio XX.

Qværetvr circa hoc, quæ istarum duarum positionum sit conuenientior, scilicet, quòd Israelitæ quæsiuerunt de tribu, & persona, & Deus responderit de vtroque, vel quòd solum de tribu Deus responderit. Dicẽdum, quòd vtraque positio satis poterat stare: sed rationabilior, & probabilior, quòd solum Deus responderit de tribu, & Israelitæ postea elegerint personam. Et patet primo, quia si Deus respondisset de persona, verisimile est, quod persona fuisset nominata, sicut tribus: imò potius debuisset nominari persona quam tribus, quia persona certificat tribum, & tribus non certificat personam, & tamen Deus solum respõdisse legitur de tribu, & nõ solum hic, sed etiam supra primo consuluerunt Israelitæ dominum, quis deberet ascendere de Israelitis ante eos, & esset dux, & respondit Deus: Iudas ascendet ante vos, & non respondit de persona, ergo videtur quod consuetum erat Deo, quando sic consulebatur respondere de tribu, & non de persona: alioquin licet hic non expressum fuisset, saltem supra primo exprimeretur, vel è cõtrario: quia ista est consuetudo sacræ scripturæ, scilicet quòd quando aliquid enarrat in multis locis, non enarrat illud vtrobique perfecte: sed in vno loco suppleat, quod in alio deest. Sicut patet comparando libros Regum ad libros Paralipom. & sæpe in eodem cap. quando repetitur eadem res, magis exprimitur vna vice quã altera. Secunda ratio ad hoc est, quia si Deus deberet notificare personam, frustra erat notificare tribum, cum notificando personam notificaretur tribus: Deus tamen nihil frustra facit, & tamen hic notificauit tribum: ergo videtur quòd non notificauit personam. Tertia ratio est, quia Deus solum volebat tollere cõtentionem, & varietatem inter Israelitas, vt cõcordarent in duce, & quia nominando tribum, etiam si non nominaretur persona sufficienter hoc fiebat, vt declaratum fuit præcedenti quæstio. ideo Deus solum curauit nominare tribum, & postea Israelitæ elegerunt personam de illa tribu. Sic enim quando dictum est supra primo, quod Iuda esset princeps & dux: assumptus est in ducem Caleb, qui erat vir honoratissimus in tribu illa, vt ibidem patet. *Statimque filij Israel surgentes mane.* Id est postquam certificati sunt de duce per Deum surrexerunt in aurora sequentis diei ad eundum in Gabaa, scilicet quia non venerant ad aliquid aliud in Silo, nisi ad consulendum dominum super duce belli. *Castrametati sunt iuxta Gabaa.* Scilicet, fixerunt castra apud Gabaa, in qua fuerat patratum scelus, & in qua erant congregati omnes filij Beniamin ad adiuuandum viros Gabaa, & intendebant illico pugnare: erat autem Gabaa circa Silo, quod patet, quia Israel tæ finito bello quotidie reuertebantur in Silo, ad consulendũ dominum, & mox redibant ad bellum cõtra Gabaa sequẽti die *Et inde procedentes ad pugnam.* Scilicet, de loco castrorum procedebant ad pugnam contra viros Beniamin. Pro quo sciendum, quod sicut consuetum est in omnibus aliis bellis, scilicet, quòd castra vtriusque partis sint fixa distanter à seipsis, & bellum non fiat in castris, sed quælibet pars procedit de castris, & in medio committunt bellum, & tunc victi, vel fatigati recurrunt ad castra, & ibi habent refugium: sic nunc posuerunt castra Israelitæ longe à Gabaa, & inde processerunt ad pugnam contra vrbem. *Contra Beniamin.* Id est contra totam tribum Beniamin, quæ congregata erat in Gabaa. *Vrbem oppugnare cæperunt.* Scilicet, non egressi sunt viri Beniamin, quousque filij Israel steterunt iuxta vrbem, & oppugnabant eam sagittis, & lapidibus. *Egressique filij Beniamin de Gabaa.* Scilicet, vigintiquinque millia virorum pugnatorum, & septingenti de viris Gabaa. Nam reliqui mille, de quibus supra dictum est, fuerãt occupati circa portationem necessariorum ad exercitum, & non pugnabant. *Occiderunt de viris Israel in die illo viginti duo millia virorum.* Erant viri Beniamin valde animosi, & non curantes de multitudine Israelitarum irruperunt acies eorum, atque subito conuerterũt eos in fugam, & occiderunt viginti duo millia. *Rursum tamen filij Israel.* Scilicet, omnes vndecim tribus. *Fortitudine & numero confidentes.* Scilicet, erant Israelitæ multi, scilicet quasi quadringenta millia. Nam dicitur supra, quod quadringenta millia virorum educentium gladium inuenti sunt de filiis Israel. De his autem quibusdam separatis ad ducendum exercitui necessaria cæteri pugnabant: erant quoque viri fortes Israelitæ, præcipue viri de tribu Iuda, etiam de tribu Ephraim, & de tribu Gad ideo confidebant, quòd non possent euadere filij Beniamin manus eorum, quamquam alij haberent excellentiam loci ad pugnandum. *In eodem loto, in quo prius certauerant aciem direxerunt.* Scilicet, posuerunt aciem apud vrbem: in quo innuitur, quod ille locus, in quo Israelitæ posuerunt aciem prima vice, non erat conueniens secundum prudentiam bellicam ad ponendum ibi aciem, quia pauci de hostibus poterant ibi multos occidere, & tamen Israelitę in prima vice hoc videntes, non curauerunt, & in secunda etiam vice considerantes hoc, non mutauerunt locum confidentes in numero, & robore, scilicet quod dato, quòd filij Beniamin haberent meliorem locum ad pugnandum, ipsi præ multitudine, & robore præualerent contra eos.

Consuetudo sacræ literæ.

De situ Gabaa

A

tra eos. *Ita tamen vt prius ascenderent, & flerent coram domino.* Scilicet, die illo quo victi sunt Israelitæ, & occisa de eis viginti duo millia, venerunt in Silo, & fleuerunt ibi corã domino, quod traditi essent in manus hostium propter peccata sua, & tamen adhuc non desinebant confidere contra Beniamitas, quia ipsi multo plures erant. *Vsque ad noctem.* Bellum istud fuit breuissime factum. Nam illico, vt exierũt viri Beniamin de portis vrbis impetu facto irruerunt in viros Israel, & cum in malo loco essent, percusserunt multos de eis, & conuerterunt in fugam, & in ipsa fuga plurimos occiderunt, scilicet vsque ad viginti duo millia, ita quod in eadem die venerant de Silo, & fecerunt bellum, & redierunt in Silo multo tempore ante noctem, & perseuerauerunt in fletu vsque ad noctem. *Consulerentque dominum.* Scilicet, quia status eorum erat dubius propter euentum istum malum. *Et dicerent, debeo vltra procedere.* Loquitur totus Israel tanquam vnus vir. Et sciendum, quod ista verba non loquebatur aliquis de Israelitis loco Israelitarum, sed ipse sumnus sacerdos proferebat verba, sic formans sicut formaret Israel si esset vnus vir. *Ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non.* Quasi dicat, nunquid egi malum pugnando, & debeo cessare, vel debeo continuare bellum.

Quare nunc viri Israel consulebant dominum, an deberent pugnare contra Beniamin.

B

Qvæstio XXI.

Qværetvr, quare nunc viri Israel consulebant dominum, an deberent pugnare contra Beniamitas. Nam videtur, quod non deberent consulere, quia consultatio est de dubiis, sed non erat dubium Israelitis, quod iustum fouerent bellum, quia Beniamitæ defendebant peccatores cõtra legem Dei, in quo manifeste ipsi rei erant, & debebat contra eos moueri bellum, sicut contra violatores legis. Aliquis dicet, quod quamquam bellum de se iustum foret, tamen erat aliqua causa, propter quam Deus nolebat pugnam esse, vtpote quia Israel pugnans contra Beniamin deleret eum, & hoc nolebat Deus: ideo consulebant, vt scirent, an negaret Deus bellum. Sed aliquis dicet, quod non stat: quia iam Israelitæ consulerant dominum, quis deberet esse dux in exercitu, & respondit quod Iudas: in quo videtur approbasse bellum, ideo non oportebat denuo eum consuli super statu belli. Responderi potest multipliciter. Vno modo, quod quamquam Deus dixisset: Iudas sit Dux vester, non approbabat bellum, quia non dixit pugnate, vel cessate. Sed Israelitæ præsupposuerunt pugnandum fore, & de hoc non consuluerunt dominum, sed solum de duce. Deus autem respondit: Iudas sit dux vester, id est si volueritis pugnare accipite Iudam in ducem. De bello autem, an licitum esset, vel vtile non respondit: quia ipsi non interrogauerunt, ideo nunc videntes, quod malum eueniisset eis, dubitauerunt, an bellum esset à Deo volitum, & consuluerunt rursus. Alio modo potest dici, quod Israelitæ per primam cõsultationem Dei crediderunt bellum esse licitum, & tamen nesciebant, an esset licitum pro vna vice solum, aut pro semper quousque deleretur Beniamin, & cum semel pugnassent quæsiuerunt, an iterum liceret eis pugnare, & hoc signatur aliqualiter in litera, cum dicitur: Debeo pugnare vltra contra Beniamin? quasi dicat: non dubito de bello præterito, sed de futuris. Aliter dici potest, quod forte Israelitæ putauerũt istud bellum quãquam secundum se iustum esset, non placere Deo, eo quod procedebat ad destructionẽ totius tribus Beniamin, & forte te potius Deus vellet tolerare hic quædam mala punienda in alio seculo, quam delere totum Beniamin, & ob hoc quamquam scirent Israelitę bellum iustum, petiuerunt, an deberẽt pugnare contra Beniamin, & designatur istud inquãtum dixit Israel: Debeo procedere vltra ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? id est nunquid est licitũ mihi pugnare contra illos, cum sint fratres mei? Aliter potest dici, & melius, q̃ licet putarent Israelitæ Deo placuisse istud bellum quando consuluerunt eum & scirent certissime illud esse iustum, quia tamen nunc eis malum euenerat, dubitauerunt quid agendum foret, & consuluerunt dominum, vt declararet eis si quid agendum foret, aut si in aliquo erratum fuerat, propter quod acciderat eis istud malum. *Quibus ille respondit: ascendite ad eos, & inite certamen.* Deus voluit, quod puniretur iniquitas Beniamitarum, ideo noluit quod cessaret bellum, licet Israelitę primo percutiendi forent: & non dixit Deus hic: ascendite tradam eos in manus vestras, sed solum dixit: ascendite, & inite certamen. *Cumque filij Israel altero die contra Beniamin ad prælium processissent.* Scilicet, recesserunt die isto de Silo, sicut prius fecerant, & venerunt in Gabaa ad locandũ aciem circa portas Gabaa, vt prius locauerant, vt supra in litera dicitur. *Eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa.* Iã filij Beniamin erant facti audaciores contra Israelitas: nam prima vice ambiguo animo iniuerũt certamẽ, quia ipsi pauci erant, & multi de tribubus Israel, quia faciliter irrumpentes aciem illorum occiderũt de illis viginti millia, & fugauerunt eos, crediderunt quod sic quotidie efficerent, potissime quia Israelitæ inciperent timere Beniamitas, quia coram eis cadere cœperant, & essent minus confidentes in bello. *Et occurrentes eis.* Scilicet, quia Israelitæ aciẽ locauerant apud portas Gabaa, & illi exeuntes de porta illico irruebant in aciem eorum. *Tanta in illos cæde debachati sunt.* Id est, tantam stragem fecerunt in eis. Debachari enim est sæuire, vel ingrauescere, scilicet quãdo aliquis efficitur alteri valde grauis, ita vt eum tolerare non possit pugnantem. *Vt decem & octo millia virorum educentium gladium posternerent.* Hac die non occiderunt tot Beniamitæ de Israelitis, sicut præcedenti die, licet Beniamitæ auduciores essent essent, & fortiores effecti, quia aliqualiter magis se munierant hodie, quam præcedenti die propter plagam præcedentis dici.

D

Debachari quid sit

E

Quare Israelitæ cum essent plures, & fortes, & fouerent causam iustam occidebantur, & Beniamitæ, qui pauci erant, & fouebant causam iniquam, & vincebant.

Qvæstio XXII.

Qværetvr, quare Israelitæ cum essent plures, & fortes & fouerent causam iustam occidebantur, & Beniamitę, qui pauci erant, habebantque iniustam causam, pręualebant: nam si filij Beniamin fouerent iustam causam, non erat admirandum, quod ipsi prævalerent, quia diceremus q̃ Deus pugnabat pro eis: nam non est differentia in conspectu Dei cœli saluare in multis, vel in paucis: sicut dixit Ionathas filius Saulis 1. Regum 14. & facile est concludi multos in manu paucorum, quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed sicut voluntas est in cœlo, sic fiet, vt dixit Iudas Machabæus, & habetur primo Macha. cap. 3. Hic tamen filij Beniamin pauci erant, quia quasi sexdecim de Israelitis erant contra vnum de Beniamin, vt patet comparando quadringenta millia ad viginti quinque millia, & rursus iniustissimam causam ipsi fouebant. Raspondendũ, quod hoc non proueniebat ex fortitudine virorum Beniamin, quia licet ipsi essent audaces, & viri fortes, tamen non ita erant excedentes alios viros de aliis tribubus, quod vnus posset pugnare contra sexdecim: sed proueniebat à Deo ista commutatio victoriæ. Aliqui autem dicunt, quod Israelitæ prævalere deberent regulariter tam ex multitudine, quam ex fortitudine, & ex iustitia litis, & tamẽ Deus fecit, vt bis vincerentur, eo quod confidebant de fortitudine sua, & numero, & non multum curabant de Beniamitis, & sic recurrerẽt ad Deum plorantes, precibus obtinerent victoriam, & non putarent obtentam viribus suis. Ista est positio communis doctorum nostrorum, & istud tenet Nicolaus. Hebræi dicunt, quod istud accidit, quia Israelitæ fuerant valde negligentes circa punitionem idoli Michæ, quia Michas habebat idolũ in domo sua, & sacerdotẽ, & postea filij Dan trãstulerũt illud in vrbem suam Lais, & ibi illud colebant, istud autem debebant punire Israelitæ. Nam mox, vt audirent (etiam si occultum esset) debebant diligenter inquirere, vt reperirẽt veritatem, qua comperta punire debebant delinquentes. De quo Deuterono. 13. & 17. Istud autem erat notorium, quod tota vna tribus acceperat idolum de domo vnius viri, & constituit illud publice in ciuitate Lais, ideo grauabatur magis delictum, debebant grauius punire negligentes in puniendo illud: nam minus erat, quod tempore Iosue auditum est, scilicet quod duæ tribus, & dimidia cõstituissent altare apud

F

Doct. resp. ad quæst.

Hebr. resp. ad quæst.

Iorda-

A Iordanem, quod non constituebat eos certissime idolatri as-
sed erat signũ idololatriæ,& ob hoc nouem tribus & dimidia
parauerunt se ad pugnandum contra duas,& dimidiam, Io-
sue 22.ca.ergo à fortiori hic,cum esset manifesta idololatria,
& ob hoc tradidit Israelitas in manus Beniamitarum : licet
illi pauci essent,& ipse Deus cõcitauit Beniamitas ad pugnã-
dum contra Israelitas, vt sic de illis multi perirent. Sed ob-
iicietur contra positionem Hebræorum : quia Beniamitæ
ita peccauerant cum essent negligentes in puniendo idolo-
latriam,sicut cæteræ tribus:quomodo ergo Israelitæ soli pu-
nirentur pro hoc, & daretur potestas Beniamitis puniendi
illos. Respondebitur, quod vtrique peccauerunt,& vtrique
puniti sunt: tamen puniti sunt isti per illos , & illi per istos.
Dicendum autem circa hoc , quod duplex causa fuit quare
perirent multi de Israelitis, licet fouerent iustitiam, & essent
multi. Prima erat indispositio circa pugnam , scilicet quod
non se disponebant conuenienter in loco, in quo deberent
secundum prudentiam militarem ad pugnandum cõtra Be-
niamin,& istud erat in contemptũ virorum Beniamin, & ex
confidentia virtutis suæ. Nam cum viri Israel essent multi,
fortes,confidebant quod in quocunque loco pugnarent, &
qualitercunque præualerent contra Beniamitas , qui pauci
erant:ideo prima vice posuerunt exercitum ante portas Ga-
baa in tali loco,vbi faciliter poterant multi peri clitari à pau-
cis,& sic Beniamitæ exeuntes de vrbe conuerterũt eos in fu-
B gam occiderunt q; viginti duo millia. Tunc autem viderunt
filij Israel,quod in loco inconuenienti collocauerant aciem,
&quod culpa sua ceciderant,& quod rationabile fuisset rur-
sus in alio loco poni aciem: tamẽ confidentes in robore suo,
& multitudine denuo ibi,vbi prius aciem direxerũt, & sic ex
eadem causa percussi sunt à viris Beniamin.vt prius.Et si for-
te pluries, vel semper locauissent ibi aciẽ, semper præualuis-
sent Beniamitæ contra Israel.Sed in tertia vice posuerunt Is-
raelitæ aciem aliter ordinatam diuidentes exercitum in tres
partes,& tunc non erat promptum viris Beniamin pugnare
contra Israelitas, & occiderunt Israelitæ omnes Beniamitas:
ita vt non supereſſent,nisi sexcenti,infra in litera. Quod au-
tem ista fuerit causa mortis Israelitarum colligitur ex litera.
Nam dictum fuerat supra, quod Beniamitæ occiderunt vi-
ginti duo millia de Israelitis, & subditur quod Israelitæ nu-
mero, & fortitudine confidentes in eodem loco aciem dire-
xerunt: in quo innuitur,quod non direxissent ibi, nisi con-
fiderent multitudine, & numero: ergo videtur quod locus
ad pugnandum malus erat,tamen confidentia vincebat ma-
litiam loci, vel indispositionem.Etiam patet hoc,quia tertia
vice,quando Israelitæ superauerunt Beniamitas, non dire-
xerunt ibi aciem , sed in tribus locis , vt patet infra in litera.
Sed aliquis dicet,quod in tertia vice (Deo dante) vicerunt
Israelitę Beniamitas,& sic videtur,quod primis duabus vici-
bus,non vincebantur ab eis ex conditione loci, sed solum,
C quia Deus volebat.Respondendum, quod istud non stat: nã
licet verum sit quod vincere, & vinci à volũtate Dei sit,& de
quo ipse disposuerit, necesse est , quod ille aut vincat , aut
vincatur: tamen dispositiones bellicæ multum ad hoc con-
ferunt, vt infra dicetur. Et colligitur hoc, quia si sola vo-
luntas Dei non accipiens instrumenta feciſſet, quod Benia-
mitæ vincerent primis vicibus,& in tertia vincerentur, non
mutauissent Israelitæ locum,sed in eodem loco,in quo dire-
xerant aciem primis duabus vicibus, ibi direxissent. Sed fal-
sum est:ergo videtur quod aliquid conferebat natura loci ad
vincendum,vel fugiendum. Sed dicendum, quod voluntas
Dei conferebat principaliter,& dispositio loci, & aliæ circũ-
stantiæ conferebant, vt minus principalia, & instrumenta.
Secunda causa erat hic,quam ponebat opinio Hebræorum,
scilicet quod Israelitæ peccauerant,non corrigendo peccatũ
idololatria idoli Michę positi in vrbe Lais , & Deus volebat
eos tradere in manus Beniamitarum,vt punirentur.Pro quo
considerandum,quod modus fuit iste, secundum quod tam
Israelitæ , quam Beniamitæ peccauerunt nimis contra Deũ,
tam in idololatria,quam in aliis sceleribus , & ob hoc Deus
volebat exercere punitionẽ in vtroque. Et ad hoc si fieri de-
bebat modo hostili , qui est magis modus manifestus vindi-
ctæ,necesse erat, quod aut induceret Deus hostes super Is-
raelitas de finitimis,aut moueret quosdam Israelitas contra
alios.Si autem Deus induxisset hostes de finitimis ad facien-
dum tantam stragem,quanta facta est: necesse erat,quod nõ D
solum gens periret,sed etiam quod terra vastaretur , & esset
vastatio valde magna: Deus autem hoc nolebat, quia solum
volebat punire noxios. Si autem terra vastaretur non so-
lum punirentur noxij , qui occiderentur, sed etiam puni-
rentur innoxij , qui relinquebantur viuentes , & qui postea
nascerentur, cum terra vastata esset, & ipsi non possent ex ea
colligere fructus ad necessitatẽ,ideo voluit, quòd fieret bel-
lum inter Israelitas adinuicem , eo quod ipsi occiderent ho-
mines,& non vastarent terram, saltem possessiones, de qui-
bus fructus colliguntur. Nam vrbes crematæ sunt,& quia o-
mnes Israelitæ peccauerant, oportebat omnes puniri: nunc
autem acciderat casus,in quo poterant conuenienter puniri
scelera omnium, scilicet in occisione vxoris Leuitæ in Ga-
baa: ideo Deus concitauit Israelitas ad pugnandum contra
Gabaa: Beniamitæ autem moti fuerunt ad defendendum
contribules suos,& quia Deus volebat punire peccata Israe-
litarum,necesse erat, quod prius adiuuaret Beniamitas con-
tra Israel quam è contrario.Nam cum Beniamitę erant pau-
ci,si præualuissent in primis Israelitæ contra Beniamin, non
ausi fuissent postea pugnare Beniamitæ. Etiam non possent,
quia manerent pauci de eis, & sic punirentur scelera Benia-
mitarum,sed nõ scelera Israelitarum. Ad hoc ergo Deus de-
beret adiuuare Beniamitas, quousque morerentur de Israe-
litis tot, quot Deus volebat mori, & postea adiuuaret Israe- Ẽ
litas contra Beniamin, ad puniendum peccata Beniamitarũ.
Et ob hoc in primo bello adiuuit Deus Beniamin, & occidit
de Israel viginti duo millia , & quia nondum erat facta suffi-
ciens punitio in Israelitis,adiuuit etiam Deus Beniamin , &
occidit de illis decem octo millia, & sic fuerunt quadraginta
millia de occisis Israel: voluit Deus vindicare peccata Benia-
min,& tradidit Beniamitas in manus Israelitarum,vt occide
rentur omnes. Considerãdum autem, quòd in ista punitio-
ne Israelitarum per Beniamitas, licet esset causa præcipua,&
prima voluntas Dei,qui volebat Israelitas punire pro deme-
ritis suis, tamen noluit hoc esse sine medio, sed voluit facere
quasi modo naturali,scilicet quod posuit quasdam dispositi-
ones,quibus Israelitæ facilius punirentur, & istud fuit quod
Israelitæ confidentes de viribus suis , ponerent aciem in tali
loco, in quo possent faciliter à Beniamitis percuti , & bis po-
suerunt in eodem loco, & tunc à Beniamitis victi sunt.Cum
autem Deus voluit,quod punirentur Beniamitæ , mouit Is-
raelitas ad constituendum aciem alibi, vbi possent pugnare
faciliter contra Beniamin,scilicet disponendo in tribus lo-
cis,& sic volũtas Dei fuit causa prima,&mediata ad hoc hoc:
causa autem secundaria, & immediata fuit dispositio. Nam
dato quòd Deus non intenderet adiuuare Beniamitas , aut
Israelitas, sed permitteret eos viribus suis agere: si Israelitæ
collocauissent aciẽ, vbi collocauerunt, poterãt faciliter per-
cutere Beniamitas, & constituendo aciem in tribus locis , in
quibus postea Israelitæ constituerunt, dato quod Deus non F
adiuuaret Israelitas ad percutiendum Beniamitas, nec è con
trario,sed permitteret eos agere viribus suis, poterant facili-
ter Israelitæ delere omnes Beniamitas.

*Quare Deus Beniamitas quasi funditus deleuit, & de Israelitis so-
lum occidit quadraginta millia.*

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR vlterius, cum Deus voluerit hic punire
Israelitas, & Beniamitas,quomodo Beniamitas fundi-
ditus deleuit, ita vt non dimitteret de eis senem, iuuenem,
aut paruulum,nec fœminam,& vsque ad pecora,prẽter sex-
cẽtos viros, & de Israelitis solum occiderit quadraginta mil-
lia virorum. Respondendum, quòd peccata Beniamitarum
erant plura, & grauiora quam peccata Israelitarum,ideo de-
leuit istos, & illos solum aliqualiter puniuit. In quo consi-
derandum,quòd peccata Israelitarum quantum ad id, quod
notum erat,& peccata Beniamitarum erant quædam præter
peccata Israelitarum: erat autem in veteri testamento maxi-
mum peccatum,& pro quo Deus maxime irascebatur idolo
latria: vnde si qui committerẽt alia peccata, & ab isto omni-
no cauerent,Deus tolerabat illos,aut leuiter puniebat:si au-
tem committerent idololatriã, Deus valde acriter puniebat.

A *Tria in Iſrael erant idola.*

Erat autem idololatria in Iſraelitis, ſcilicet quia Michas fecerat idolum, & poſtea viri Dan tulerunt illud,& poſuerunt publice in Lais,atque colebant illud. Punitio autem huius pertinebat æqualiter ad omnes tribus Iſrael, & quia omnes tribus erant negligentes in puniendo , imputanda erat negligentia omnibus æqualiter.Si autem aliqua tribus non ſolum negligebat punire,ſed etiã fauebat peccantibus,illa magis punienda erat. Præter hoc autem Iſraelitæ mortuo Ioſue manſerunt aliquanto tempore non declinantes ad idola, poſtea autem inceperunt declinare. Cum autem factum fuit iſtud, quia accidit pauco tempore ante inſtitutionem Hothonielis in iudicem, declinabant iam pauliſper omnes tribus Iſrael ad idololatriam: iſtud autem poterat eſſe magis in vna tribu quam in alia, & quantum ad hoc forte Beniamin magis peccabat quam aliæ tribus,& conſequenter magis punirentur nunc, quando punita ſunt peccata Iſraelitarum, & Beniamitarum. Amplius autem Beniamitæ commiſerunt peccatum grauiſſimum, ſcilicet de caſu Leuitæ, de quo præcedenti capitu. in quo conſtat eos aſſuetos libidini Sodomiticæ, & forte non ſolum erat hoc in vrbe Gabaa , ſed etiam aliquibus aliis vrbibus Beniamin. Iſtud autem vitium magnam punitionem meretur. Nam quatuor ciuitates Sodomorum, ſcilicet Sodoma, & Gomorrha, Seboim , Adama igne cœleſti concrematæ ſunt. Gen.19.& Deut.29. à fortiori Deus puniret iſtud vitium in Iſraelitis, qui ſubditi erant

B legi ſuæ, & ipſe vetuerat nimis hoc vitium Leuit. 20. capitu. Amplius peccauerunt Beniamitæ, quia ipſi ſciuerunt viros Gabaa peccatores eſſe,& cum ipſi obligarentur punire eos, adiuuerunt illos, & pugnauerunt contra Iſraelitas, qui zelo Dei ſuccenſi volebant vindicare ſcelus , quod commiſerant viri Gabaa: & in hoc peccata virorum Beniamin erant nimis multiplicata: peccata autem virorum Iſrael, quæ ſupra enarrata ſunt, erant valdè minora: & inſuper illa diminuta ſunt feruore religionis, quia zelo legis oppoſuerunt ſe contra tribum Beniamin , & conuenit totus Iſrael ad pugnandum, nec piguit eos laborẽ ſumere, & expenſas magnas facere zelo legis. In quo nimis merebantur,& Deus diminueret partem pœnarum debitarum eis pro peccato. De peccatis autem Beniamitarum nihil dimiautum eſt, ſed potius incrementum acceperunt per rebellionem magnam ad volentes punire peccata virorum Gabaa: ideo rationabile fuit, quod viri Gabaa,& omnes Beniamitæ perirent. De Iſraelitis autẽ non perirent. Dicendum tamen, quod in hac pœna ſatis rationabiliter dici poteſt, quod de viris Gabaa nulli ſuperfuerint,licet de Beniamin ſuperfuerint ſexcenti , eo quod viri Gabaa erant maximi peccatores inter oẽs Iſraelitas, & Beniamitas. Item de Iſraelitis de quibus perierunt quadraginta millia, dicendum videtur, quod plurimi iſtorum fuerunt de tribu Dan, eo quod tunc in tribu Dan manebat actualiter

C illud idolum, propter quod principaliter fiebat iſta punitio, & manſit etiam poſt vſque ad tempus captiuitatis Lais, pauco tempore poſtquam ablatum eſt Sanctuarium de Silo, vt patet ſupra 18.cap.

Cum Iſraelitæ zelarent nunc pro Deo, dato quod alias peccaſſent, quare nunc puniebantur.

Qvæstio XXIV.

Vlterivs quæritur, cum Iſraelitæ zelarent pro Deo ad puniendum viros Gabaa , quomodo Deus puniebat eos,quia dato quod aliquando peccaſſent,per iſtud opus valde meritorium debebat eis remitti hoc.Reſpondendum, quod quando aliquis conuertitur ad Deum , neceſſe eſt ei remitti culpam, & fieri amicum Dei. Sed pœnam peccatorum præteritorum non eſt neceſſe remitti. Sic autem nunc Iſraelitæ zelantes pro lege Dei conuertebantur ad Deum, & tollebantur culpæ præteritæ, tamen pro idololatria præterita,& pro negligentia puniendi idolatras meruerunt magnas pœnas: pœnæ autem iſtæ non fuerunt omnino remiſſæ,quia pœnæ ſatis ſtant cũ charitate,& ob hoc volebat Deus, quod quamquam actualiter zelarent pro eo,quod punirentur pro peccatis ſuis, & ſic pugnabant contra Beniamin ex zelo legis Dei , & tamen pugnando occidebantur. Sciendum tamen, & propter iſtum zelum fuit magna pars pœnæ remiſſa

Pœnæ ſtat cũ charitate.

Iſraelitis. Nam ſi dominus induxiſſet hoſtes ad puniendum peccata eorum, pluri de eis morerentur , quam quadraginta millia, quæ mortua ſunt: ſed reliqua pars pœnæ dimiſſa eſt. D

Quomodo Iſraelitis euenire poterat malum, cum Deus mitteret eos ad pugnandum contra Beniamitas.

Qvæstio XXV.

Qværetvr vlterius , cum Deus iuberat Iſraelitis, quod irent ad pugnandum contra Beniamin, quomodo poterat euenire eis malum, & quid imaginabantur Iſraelitæ, cum videbant, quod Deus iubebat eis pugnare, & poſtea cadebant in bello. Reſpondendum, quod Iſraelitæ putabant , quod quando Deus iubebat illis pugnare contra Beniamin, quod intendebat tradere Beniamitas in manus eorum,& tamen poſtea aliqua peccata ipſorum propoſita coram Deo auertebant Deum ab eis, & faciebant cadere illos in manus hoſtium: quia Iſaias dixerat 59. cap. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Et ob hoc redibant ad dominum, vt plangerent coram eo, & orarent ſe adiuuari contra Beniamin. De Deo autem dicendum, quod ipſe mittebat eos ad pugnandum contra Beniamin, & intendebat eos tradere in manus Beniamitarum, & hoc vt corrigerentur,& punirentur vitia ipſorum: ipſi tamen puniebãtur culpa ſua, quia confidentes viribus ſuis ponebãt ſe in tali loco,in quo poſſent faciliter à viris Beniamin percuti,vt ſupra declaratum eſt: ſed adhuc ad iſtud Deus excęcabat eos,vt punirentur: nec erat iſtud inconueniens: quia bene excæcabit Deus aliquem ad pœnam, ſcilicet,vt neſciat ſe dirigere & cadat,licet non excęcabit eum ad culpam,quia tunc Deus eſſet auctor mali,& nos nihil mali mereremur. Sciendum tamen, quod quando Deus dicebat Iſraelitis, quod irent ad pugnãdum, non ſignabat, quòd præualituri eſſent contra Beniamin, ſed ſolum dicebat, quod pugnarent: licet Iſraelitæ intelligerent,quod dicebat eis, quod irent, & proſperarentur actus ipſorum:ideo in duabus primis vicibus ſolum dixit, quod irent: in tertia autem dixit:Aſcẽdite,cras enim tradam eos in manus veſtras. E

An Iſraelitæ viſo,quod de illis viginti duo millia eſſent mortui, tenerentur proſequi bellum.

Qvæstio. XXVI.

Qværetvr vlterius, cum Iſraelitæ incepiſſent pugnara contra Beniamin ad punicdum peccatum virorũ Gabaa, & viderent quod prima vice occiſa fuerint de eis 22. millia virorum,an tenerentur proſequi bellum,vel poterant ceſſare à bello, ſine peccato, manente peccato impunito.Reſpondendum ad hoc, quod tunc tenetur aliquis corripere peccantes,quando putat ſe præualiturum contra eos. Sed in hoc aduertendum,quod punitio aliquando eſt ſpiritualis,vt excommunicatio,& alia cenſura Eccleſiaſtica, ſcilicet interdictum, & quæcunque aliæ pœnæ ſimiles. In hoc autem dicendum,quod iudex Eccleſiaſticus, ſiue prælatus nunquam debet ceſſare ab inferendo pœnas per cenſuram ſuam, quãdo conſideratis omnibus circumſtantiis ratio illud expoſcit: vnde dato quod ſint reges , & potentes, contra quos non poteſt viribus prævalere prælatus, debet eos excommunicare, vel terras eorum ſubiicere interdicto, quando ratio expoſcit: ſic enim beatus Ambroſius excommunicauit Imperatorem,& eiecit eum de Eccleſia, quamquam ille potentiſſimus eſſet: vnde ſi propter timorem mortis, vel priuationis præpoſituræ prelatus permittit eccleſiam ſuam periclitari in manu potentium virorum, vel peruerti eccleſiaſticum ordinem, & non excommunicat,vel exercet aliam cenſuram ſuper eos peccat mortaliter: ſic ait Gregorius in moralibus, & habetur in decretis 43.diſt. cap. ſic rector, ſic autem ſanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſ. permiſit ſe occidi ne eccleſiam ſuam laicorum ſeruituti ſubiiceret. Si autem puniendus ſit peccator corporaliter, & contra illum pugnandum ſit: tunc aut iudex omnino, ſcit ſe non poſſe prævalere contra illum,aut eſt dubium. Si primo modo dicendũ,quod F

Cõtra prælatos, qui adulantur principibus & permittũt bona ecclesiarũ perdi timore eorũ.

non

A non teneretur se exponere ad puniendum illud, quia frustra esset, & quod deterius esset diminueretur auctoritas iudicum, cum mali sibi potentiores, & superiores efficerentur. Etiam ipsi mali in peccatis suis gauderent, quia de viris bonis volentibus eos punire triumphabant, ideo cessandum est tunc à punitione eorum: simile est, quia si quis nouerit peccata aliquorum grauissima, quæ puniri esset vtile Ecclesiæ Dei, debet tacere si illa probare non potest, vt ait Augustinus, & habetur in decre. 2. quæstio. 7. cap. plerique. Sciendum tamen, quod in isto casu in culpa est iudex, qui voluit effici iudex in tali populo, cuius non posset vitia corrigere. Sic patet Ecclesiastici 7. istud tamen intelligitur de illo, qui sponte factus est iudex, vel prælatus. De illo autem qui ex necessitate, & præcepto superioris cui obedire tenetur factus est, non tenet: nam litera dicit ibidem: Noli quærere fieri iudex: nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in malignitate tua. Si autem dubium est, an possit aliquis prævalere contra eum, quem punire vult, & est quasi æqualiter dubiũ, satis videtur quod debeat aggredi ad puniendum eum, quia zelus iustitiæ faciet eum triumphare: nec obstat quod se exponit quis isto modo periculo: nam tenetur aliquis se exponere periculo propter Deum. Nunc autem sic erat in viris Israel, nam ipsi tenebantur pugnare contra iniquos, sicut in casu, in quo erat aliqua ciuitas idololatrarum, Deuteron. 13. & tamen manifestum est, quod in expugnatione illius poterant multi de Israelitis perire: sed hoc non obstante obligabantur pugnare contra vrbem. Ita nunc tenebantur Israelitę à principio pugnare contra viros Gabaa, propter delictum eorum, & in expugnatione poterant aliqui perire, cum semper tenebantur: ita ergo nunc, licet de Israelitis periissent in primo bello viginti duo millia virorum, cum adhuc supercssent de Israelitis tot viri, scil. plures quam trecenta, & quadraginta millia, qui verisimiliter possent delere viginti quinque millia virorum de Beniamin, tenebantur bellum prosequi, & quod maius est, quia cum ipsi consuluerunt dominum, an deberent pugnare iterum contra Beniamin, respõdit Deus quod ascenderent, & pugnarent: & tamen ad mãdatum Dei tenebantur pugnare, dato quod scirent, quod Beniamitæ semper erant prævalituri contra eos, quia mandatum Dei expressum ad quęcunque quantumcunque dura obligare potest.

Quamobrem omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, ieiunauerunt-que die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, & super statu suo interrogauerunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Domini, & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite: cras enim tradam eos in manus vestras. Posueruntque filij Israel insidias per circuitum vrbis Gabaa, & tertia vice sicut semel, & bis contra Beniamin exercitum produxerunt. Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduersarios longius persecuti sunt, ita vt vulnerarent ex eis sicut primo die, & secundo, & cederent per duas semitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros. Putauerunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes inierunt consilium, vt abstraherent eos de ciuitate, & quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. Omnes itaque filij Israel surgentns de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocabatur Baalthamar: insidiæ quoque, quæ circa vrbem erant paulatim se perire cœperant, & ab occidentali vrbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerso Israel habitatores vrbis ad certamina prouocabat, ingrauatumque est bellum contra filios Beniamin: non intellexerunt, quod ex omni parte illis instaret interitus. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, & interfecernnt ex eis in illo die vigintiquinque millia, & centum viros, omnes bellatores, & educentes gladium. Filij autem Beniamin cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere: Quod cernentes filij Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas insidias deuenirent, quas iuxta vrbem posuerãt. Qui cum repente de latibulis surrexissent, & Beniamin terga cædentibus daret, ingressi sunt ciuitatem, & percusserunt eam in ore gladij.

D *3. qu. 7. ca qui sine.*

Quamobrem omnes filij Israel venerunt in domum Dei, scilicet, quia viri Beniamin nunc secunda vice percusserunt decem & octo millia de eis, venerunt omnes in domũ Dei, scilicet in Silo, vt peterent clementiam Dei adiutricem contra filios Beniamin. *Et sedentes flebant coram Domino.* Scilicet, introierunt in domum, in qua erat sanctuarium, & sedebant ibi versis vultibus contra locum, in quo erat arca, & sic dicebantur esse coram domino flentes, vt propitiaretur peccatis eorum, & adiuuaret eos. *Ieiunauerunt que die illo vsque ad vesperam.* Id est: toto illo die ieiunauerunt: iste erat dies, quo occisa sunt decem & octo millia. Nam ipso die recesserant de Silo, & iuerant Gabaa, & inito bello ceciderant de Israel decẽ & octo millia, reuersi sunt in Silo tunc, & manserunt tota illa die in fletu, & ieiunio, vsque ad vesperam, id est solis occasum, & tunc comederunt. Iste autem modus erat ieiunandi apud Hebræos, scilicet, quod die illa, qua ieiunarent nihil comederent incipiendo ab occasu solis vnius diei, vsque ad occasum solis alterius diei, & sic transiret vnus dies sine cibo, & illud est proprie ieiunare per diem totum: nobis tamẽ sunt ieiunia mitiora, scilicet, quod semel in die comedere licet. Et istud ordinauit Apostolus, dicens, quod deberemus quotidie esurire, & quotidie prandere, & intelligitur de diebus ieiuniorum, in quibus esurimus, & tamen semel prandemus. *Obtulerunt que ei holocausta, & pacificas victimas.* Prius cum Israelitæ bis consuluerunt dominum, non obtulerunt ei sacrificia. Nunc vero, quia erant in maiori angustia obtulerunt victimas, vt placarent eum, & obtulerunt duo genera sacrificiorum, scilicet holocausta, & victimas pacificas. Vocantur autem holocausta sacrificia, quæ fiebant ad laudem Dei solum, & carnes totius animalis, & intestina cremabantur, data sola pelle sacerdoti facienti sacrificium, vt colligitur Leuitic. 1. & 6. Victimæ pacificæ sunt sacrificia in quibus Deo solum dantur adipes cum renunculis, & interdum cauda animalis: reliqua autem dantur sacerdoti facienti sacrificium, & proueniunt partim offerenti animal, vt patet Leui. 3. & 7. cap. & vocantur pafice, quia dantur pro pace dantur, scilicet, quia Deus pacificus fuit alicui dando ei, quod petebat, quod non fieret, nisi pacificaretur ei. Aliquando autem vocantur pacificæ, quia dantur pro pace obtinẽda, vt si quis petit aliquid à Deo, & vult eum habere propitium, vt obtineat facit hostias pacificas: sic fuit hic in Israelitis, qui fecerunt holocausta ad laudem solam Dei, & fecerunt victimas pacificas ad pacificandum sibi Deum, quem credebant iratum propter aliquod peccatum, & vt adiuuaret eos contra Beniamitas. *Et super statu suo interrogauerunt.* quid deberent agere, scilicet pugnare, vel cessare, & an prosperarentur, vel non: & fuit ista interrogatio per sacerdotem magnum, quia laicus per se non poterat consulere dominum, cum non indueretur Ephod. *Eo tempore ibi erat arca fœderis domini.* Scilicet, tempore quo factum est istud erat arca Dei in Silo, & totum sanctuarium. *Et Phinees filius Eleazari filij Aaron erat præpositus dominus.* Id est, Phinees erat maior in domo domini, quia ipse erat summus sacerdos. Et ponitur istud ad declarandum, quod supra dictum fuerat, scilicet quia Israelitæ consuluerunt dominum super statu suo, & nõ poterant consulere sine sacerdote magno, ideo dicitur, quod illo tempore erat arca domini, & Phinees summus sacerdos. Ex hoc autem patet, quod istud fuit factum ante tempora Samsonis, licet ponatur hic post Samsonẽ, quia Phinees erat erat isto tempore, & tamen Phinees non potuit viuere magno

E *Modus ieiunãdi apud Hebr.*

Holocaustũ quid sit.

Victima pacifica quid sit

F

A gno tempore post mortem Iosue, quia Phinees erat vir magnus, scilicet triginta annorum, vel quasi anno quo Israelitę egressi sunt de Ægypto, cum ipse occiderit principem tribus Simeon coeuntem cum scorto Madianitide, Numer. 25. & postea rexit Iosue Israelitas introeuntes in terram Chanaan magno tempore, ita quod inter mortem suam & institutionem Hothonielis in iudicem, non fluxerint magna tempora, & tamen ab introitu in terram Chanaan vsque ad mortem Hothonielis fluexrunt anni quadraginta, qui computantur in tempore Hothonielis supra 3. capitulo: & sic necesse est istud fuisse ante primum iudicem Israel, quia Phinees non poterat viuere vsque post mortem Samsonis, quia esset tunc valde multorum annorum, scilicet plus quam trecentorum quinquaginta, vt declaratum est supra 17. capitulo. *Consuluerunt igitur dominum.* Scilicet per summum sacerdotē Phinees, de quo facta est mentio. *Atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra Beniamin?* Id est nūquid est bonum, quod exeamus? Ecce quia Deus respondit æquiuoce Israelitis supra: nam ipsi quæsiuerunt sicut nunc, scilicet, an deberent exire ad pugnandum, id est si pugnando contra illos prosperarentur, vel non, & Deus dixit prius: ascendite ad eos, & inite certamen. Et tamen non intellexit Deus, quod ascenderent, & prosperarentur: licet Israelitæ sic intelligerent, & ob hoc decipiebantur. Nunc etiam in eodem sensu petiuerunt, & Deus respondit eis manifeste. *Fratres nostros.* B Quia erant omnes tribus filij Iacob. *An quiescere.* Id est, nunquid erit nobis melius cessare à bello. *Quibus ait dominus.* Scilicet respondens per sacerdotem. De modo autem respondendi, an in scripto responderetur, vel voce, aut quomodo, declarabitur 1. Regum 23. & 30. capitu. *Ascendite.* Id est bonū est, quod ascendatis. Vel: *Ascendite.* Id est iubeo, quod ascendatis. *Cras enim tradam eos in manus vestras.* Hic respōdit aperte, quia supra solum dicebat, quod ascenderent, & non declarabat de victoria, & Israelitæ intelligentes, quod vincerent fallebantur. Et dixit: tradam eos in manus vestras, id est permittam tradi in manus vestras.

An filij Beniamin fuerunt opere Dei, vel modo communi occisi.

Qvæstio XXVII.

Qværetvr, an filij Beniamin fuerunt miraculose occisi, scilicet opere Dei, vel fuerunt occisi modo cōmuni, scilicet sicut vnus hostis solet occidere alium nullo speciali modo ibi ostensio à Deo. Aliquis dicet, quod fuerūt miraculose traditi, quia Deus dixit hic: cras enim tradam eos in manus vestras: istud tamen non dicitur, nisi quando Deus agit aliquid speciale adiuuando aliquem de pugnantibus. Item patet magis, quia dicitur infra percussit eos dominus in conspectu filiorum Israel, & sic percussio Deo attribuitur, quasi ipse fecisset eam, & non Israelitæ: ergo fuit miraculum tradendo eos. Respondendum, quod non fuit aliquod miraculum, quod filij Israel occiderent omnes viros Beniamin, & ponuntur circa hoc duæ conclusiones. Prima sit, quod non est necesse, quod ponatur miraculum aliquod ad hoc, quod Israelitæ occiderent filios Beniamen: nam filij Israel erant trecenta, & viginti millia, aut plures. Quod patet, quia à principio erant quadringenta millia, de quibus subtracta fuerunt quadraginta millia, scilicet decem de cētum, & centum de mille ad prouidendum exercitui de necessariis, vt supra dictum est, & sic remanserunt trecenta sexaginta millia. De his occisa fuerunt quadraginta millia in duobus diebus, scilicet viginti duo millia in primo bello, & decem octo millia in alio: manebant igitur trecenta, & viginti millia de Israelitis ad pugnandum in tertia vice contra Beniamitas: ipsi autem Beniamitæ solum erant vigintiquinque millia pugnatorum, & septingenti: quid ergo miraculi erat, quod tredecim viri occiderent vnum? Nam in trecentis, & viginti milibus collatis ad viginti quinque millia, sunt fere tredecim pro vno: potissime quia filij Israel erant ita robusti, & animosi sicut filij Beniamin. Sed potius dicendum est, esse miraculum, vel quasi quod vigintiquinque millia de Beniamin pugnarent contra trecenta sexaginta millia virorum fortium, & quod pauci fouerent iniquam causam, & multi fouerent iustam, & pauciissimi occiderent de plurimis quadraginta millia virorum ita velociter, & nullo pereunte de Beniamitis. Secunda conclusio est, quod non solum oportet poni miraculum, sed etiam nullum fuit. Nam considerando ea, quæ in litera sunt, nihil specialius fuit in isto bello, quam in aliis communibus, scilicet, quod Israelitæ ante disponentes insidias, & collocantes aciem per tria loca cœperunt in medio viros Beniamin, & occiderunt eos. Cum autem arguitur, quod fuit aliquid miraculi, dici potest, quod forte Deus dixit Israelitis modum, quo pugnarent contra Beniamitas, collocando insidias, & diuidendo se in tres partes, & quia per istum modum cœperunt illos, & occiderunt, dicuntur occidisse quasi miraculose. Ad rationem in contrarium dicendum, quod dicitur Deus tradere in manus Israelitarum, id est permittere tradi, scilicet, quia in bellis prioribus, licet fortissime pugnassent Israelitæ contra Beniamitas, Deus non erat permissurus, quòd traderentur in manus Israel, sed potius è contrario, cum Deus vellet, quod peccata Israelitarum punirentur per Beniamitas, & deinde Beniamitæ punirentur per Israelitas, & quia nunc permittebat tradi Beniamitas in manus Israel, dato quod nihil adiuuaret, dominus tamen non impediret, ideo dicebatur tradere in manus Israel. Et idem est, quod percusserit Deus Beniamitas coram Israel, id est, permiserit percuti. *Posuerunt que filij Israel insidias per circuitum vrbis Gabaa.* Scilicet, Israelitæ per noctem miserunt magnam partem exercitus sui, quę essent in insidiis in circuitu vrbis, id est circa vrbem, & non in circuitu, id est in diuersas partes peregre, quia tunc cognoscerentur insidiæ: venerunt autem istæ insidiæ secrete in locum latibuli ad posteriorem partem vrbis Gabaa, & nō viderunt eas viri Gabaa, nec suscipati sunt aliquas latere insidias, sicut nec in primo, & secundo die posuerant insidias. Istæ autem manebant in latibulis, vt cum viri Gabaa egrederentur de vrbe, & dimitterent portas apertas, isti exeuntes de latibulis introirent in vrbem, & cremarent eam, & sic darent aliis Israelitis signum vrbis captæ, quo confortarentur ad pugnandum contra Beniamitas, & Beniamitę hoc videntes deficerent animo, & caderent in manus eorum. *Et tertia vice sicut semel, & bis contra Beniamin exercitū produxerunt.* Id est, filij Israel direxerunt nunc aciem contra filios Beniamin, sicut semel, & bis, id est sicut fecerant in duabus vicibus primis, scilicet quod Israelitæ finxerunt, quod ordinauerāt non alio modo exercitum nunc quam prima, & secunda vice, & hoc vt filij Beniamin confidenter aggrederentur contra eos: ipsi tamen aliter disposuerant exercitum, quia posuerant insidias, & exercitum in multis partibus finxerunt autem se disposuisse exercitum, sicut in prima die, vt Israelitæ putarentur fugituri sicut aliis diebus, & Beniamitæ auderent pugnare contra eos: nam si vidissent exercitum aliter dispositum, forsitan non auderent pugnare credentes latere insidias.

Ad rationem in diuersum

C F

An Deus dixerit Israelitis, quod ponerent has insidias vrbi Gabaa.

Qvæstio XXVIII.

Qværetvr, an Deus dixerit Israelitis, quod ponerent istas insidias vrbi Gabaa, & disponerent exercitum in multis locis, sicut posuerunt. Aliquis dicet, quod non, quia litera non exponit, quod Deus dixerit illud, sed solum quod Israelitæ illud fecerunt. Item quia ponere insidias est fallere, Deus tamen non incitat ad fallendum cum in omnibus velit veritatem obseruari, ergo non iussit ipse poni insidias. Respondendum, quod non patet, an Deus iusserit poni insidias & disponi sic exercitum, vt dispositus fuit: tamen satis credi potest, quod Deus illud iusserit, quia Deus volebat nunc adiuuare Israelitas contra Beniamitas, cum dixerit: cras tradam eos in manus vestras, & tamen capti sunt Beniamitæ per istas insidias: ergo videtur, quod Deus illas eis dixit ad capiendum Beniamitas, & sic tradiderit eos in in manus illorum. Item Israelitæ in duobus tribus præcedētibus nescierunt sic disponere exercitum, & nunc valde artificiose collocauerunt eum, ergo videtur, quod Deus instruxerit eos. Item patet, quia Deus interdū solet sic instruere ali-

re aliquos in modo pugnandi: ſic fuit de pugna Ioſue contra vrbem Hai, vbi docuit collocare inſidias,& fugam ſimulare, Ioſue 8. Item docuit Deus Dauid pugnantem contra Philiſthinos locare exercitum, ſcilicet, quod non egrederetur directe contra Philiſthinos: ſed ex aduerſo pyrorum: & quod non moueret exercitum quouſque audiret ſonitum gradientis in cacumine pyrorum 2.Regum 5.&1.Paralipom. 14. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quod non tenet, quia multa facta ſunt, quæ non ſcripta fuerunt. Ad ſecundum dicendum, quod poni inſidias licitum eſt: nã in bello iuſto nihil eſt, quod fieri non liceat contra hoſtem, niſi fallere veritatem, in inſidiis autem non fallitur veritas, quia quilibet hoſtis debet noſſe, quod hoſtis ſuus debet agere contra eum quidquid poterit, ſiue per inſidias, & ſimulationem, ſiue alias. Etiam dicendum, quod Deus iubet ponere inſidias: nam Ioſue 8.cap. Deus iuſſit Iſraelitis pugnantibus contra Hai vrbem, quod ponerent inſidias,& ſimularẽt fugam. Sed hic etiam erat bellum iuſtum, ergo licebat poni inſidias, & ſic Deus illud dicere poſſet.

Ad 1. rationẽ in diuerſum. Ad 2. rationẽ

An peccabant viri Gabaa pugnando contra viros Iſrael, vel licebat eis ſe defendere.

QVÆSTIO. XXIX.

QVÆRETVR vlterius, an peccabant viri Gabaa pugnando contra viros Iſrael. Aliquis dicet, quod non, quia pugnabant in defenſionem ſuam, & non peccat, qui ſe defendit: cum etiam reis criminis liceat fugere, ne capiãtur, & occidantur. Aliquis dicet in contrarium, quod peccabãt: nam viri Beniamin, qui adiuuabant viros Gabaa peccabant, vt ſupra declaratum eſt. & tamen magis peccauerant viri Gabaa, quam viri Beniamin, ergo peccarent viri Gabaa, pugnando contra viros Iſraal. Sed iſta ratio non ſtat quia viri Gabaa pugnabant pro ſeipſis defendentes ſe à morte, viri autem Beniamin, pugnabant defendendo viros Gabaa. Multa autem licent alicui facere in defenſionem ſui ipſius, quæ non liceret facere pro alio: vtputa ſi quis fugiens de manibus iudicis vt euadat pœnam mortis, quam ſublaturus erat, non peccat: & tamen ſi quis adiuuat eum ad hoc, quod eruatur de manu iudicis, ſi malefactor eſt, peccat. Sic poterat licere viris Gabaa pro ſe, quod non liceret Beniamitis pro illis. Dicendum tamen, quod hoc non obſtante, non licuit viris Gabaa pugnando defendere ſe à viris Iſrael. Pro quo ſciendum, quod cum aliquis eſt reus criminis,& inquiritur à Iudice, licet ei ſe abſcondere, vt non occidatur, vel fugere, & ſi captus fuerit à iudice, licet ei fugere de manu iudicis, vel ſatellitum ſuorum ſine offenſa iudicis, & ſuorum: ſcilicet neminem illorum occidendo aut percutiẽdo ad hoc, quod ſit ei facultas fugiendi. Alia propoſitio ſit, quod cum aliquis ſit reus criminis, non licet ei ſe defendere à iudice pugnando: vtputa ſi iudex aliquem reum criminis capere vult, & ille non poſſit ſe tueri, quin capiatur, niſi percutiendo iudicem, vel pugnando contra eum, vel contra miniſtros ſuos, peccat mortaliter iuſta faciendo. Ratio diuerſitatis eſt, quia cuilibet licet agere ad tutelam corporis quidquid potuerit, dum tamen ſit ſine præiudicio alterius: cum autem malefactor inquiritur ad mortem, ſi fugiat, vt non inueniatur, vel occultet ſe non præiudicat iudici, quia nihil tollit de iure eius, nec offendit eum. Etiam cum tenetur ab eo, & fugit non percutiendo eum, non offendit, quia agit animo ſe defendendi, & euadendi ſolum: & in hoc non reſiſtit iudici, quia fugere à facie alicuius non eſt reſiſtere illi, ſed manendo coram eo facere aliquid, ne ſubiiciatur poteſtati illius. Item non præiudicat legi, quia lex non obligat malefactorem ad hoc, quod prodat crimen ſuum, & petat ſe occidi: imò ſi hoc malefactor peteret, mortaliter peccaret. Eodem modo non obligat lex malefactorem, vt quando iudex eum inquiſiuerit, ipſe ſe manifeſtet. Poterit ergo latere, & fugere, & euadere de vlnibus eius, quia lex non obligat eum ad volendum ſubiici pœnis, quæ determinatæ ſunt criminoſis. Si autem criminoſus vt ſe liberet, contra iudicem pugnat, ad eum percutit, aut miniſtros eius, vel ſaltem pugnat contra eos, peccat mortaliter, quia reſiſtit poteſtati & legi: qui tamen reſiſtit poteſtati Dei, peccat: ſic colligitur ad Roma 13. lex autem obligat quemcunque ad non repugnãdum iudici: qualitercunque ergo repugnauerimus ei, ne capiamur peccamus: de quo declaratum eſt Ioſue 11. Nunc autem de viris Gabaa dicendum, quod ipſi peccabant pugnando contra Iſraelitas: nam ipſi erant manifeſte rei criminis, & Iſraelitæ habebant locum iudicis, quia auctoritate Dei, & ſummi ſacerdotis, qui erat iudex, ſuſceperant executionem faciendã contra illos: ideo pugnare cõtra illos erat pugnare ſicut contra iudicem: ſed pugnare contra iudicem eſt mortale peccatum: ergo etiam iſti peccauerunt pugnando. Poterant tamen licite viri Gabaa, ſcientes quod Iſraelitæ erant pugnaturi contra eos, fugere de terra Iſrael ad aliam terram, in qua ſine bello ſe defenderent: cum iſti ergo nollent fugere de terra, tenebantur ſe ſubiicere executioni, quam volebant facere Iſraelitæ in eos, ſcilicet occidendo omnes pro crimine. *Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate.* Scilicet, quãdo Beniamitæ viderunt poſitam aciem Iſraelitarum vbi prius erat, egreſſi ſunt audacter, id eſt confidenter de vrbe contra illos: putantes quod ſicut aliis vicibus eos fugauerant, & percuſſerant, ita & nunc facerent. *Et fugientes aduerſarios longius perſecuti ſunt.* Id eſt, mox, vt egreſſi ſunt Beniamitæ de vrbe, cœperunt fugere Iſraelitæ ex induſtria. Et hoc propter duo; primo vt longe ducerent Beniamitas ab vrbe, & poſſent interim inſidiæ Iſraelitarum ſurgentes de latibulis introire vrbem apertam, atque cremare eam.

Secunda cauſa erat, quia Iſraelitæ diſpoſuerant alium exercitum magnum in inſidiis longe ab vrbe, vt cum peruenirent viri Beniamin ad illum locum caperentur in medio Iſraelitarum. Beniamin autem nihil conſiderantes ſecuti ſunt Iſraelitas procul fugientes: putantes eſſe ſicut prius. *Ita vt vulnerarent ex eis ſicut primo, & ſecundo die.* Id eſt, in fuga iſta Beniamitæ vulnerabant aliquos de Iſraelitis, ſicut fecerant primo, & ſecundo die. Eſt ſenſus, quod Iſraelitæ intendebant ſolum fugere, vt fugiendo extraherent Beniamitas longe ab vrbe, & cum in hoc non reſiſterent Beniamitis pugnando, ſed ſolum fugerent, neceſſe erat aliquos de Iſraelitis percuti, & percuſſi ſunt multi atque corruerunt aliqui interfecti. Et hoc ſicut primo, & Secundo die, ſcilicet, quia duo dies præceſſerant, & in vtroque fugit Iſrael, & ceciderunt viginti duo millia: & ſecundo die decemocto millia. *Et cæderent per duas ſemitas terga vertentes.* Id eſt, Beniamitæ cædebant, id eſt percutiebant Iſraelitas terga vertentes, ſcilicet fugientes per duas ſemitas: & eſt ſenſus, quod cum Iſraelitæ, qui direxerunt aciem contra Gabaa cæpiſſent fugere à facie Beniamitarum, diuiſerunt ſe per duas ſemitas, quę erant ibi, ita vt pars exercitus fugeret ad vnum locum, & pars exercitus ad alium: & iſtud erat, quia iſtæ duæ ſemitæ ducebant ad locum inſidiarum Iſraelitarum. *Quarum vna ferebat in Bethel.* Eſt Bethel alius locus, qui eſt in extremitate ſortis Beniamin, & Ephraim: de quo Ioſue decimo octauo. Iſte vocatur alio nomine Luza,& eſt apud vrbem Hai. Et ibi poſitus fuit vnus de vitulis aureis, quos fecit Ieroboam, vt patet tertio Regum duodecimo capitu. *Et altera in Gabaa.* Id eſt alia ſemita ducebat in Gabaa. Poteſt accipi Gabaa pro alia villa, quæ ſic vocaretur.

Sed magis dicendum, quod accipitur pro vrbe illa, contra quam pugnabant Iſraelitæ, & ſic erant iſtæ duæ ſemitæ ſeparatæ: & vna erat, quæ non perueniebat in Gabaa, ſed diſtans ab vrbe ducebat in Bethel. Alia autem directe ducebat in Gabaa veniendo de aliis locis. *Atque proſternerent triginta circiter viros.* Scilicet, plures quam triginta vulnerauerunt: ſed triginta ſolum occubuerunt fortiter percuſſi. *Putauerũtque eos ſolito more fugere.* Scilicet, Iſraelitæ ſoliti erant fugere à facie Beniamitarum non ſimulate, ſed vere, non reſiſtere potentes,& quia nunc quoque ceciderant aliqui Iſraelitæ ſicut prius, putabant viri Gabaa, quod fugerent ex timore ſicut prius, & non poſuiſſent aliquas inſidias. *Qui fugam arte ſimulantes.* Scilicet, non fugiebant ex timore, ſed fraudulenter, vt educerent longe ab vrbe Beniamitas, & facerent cadere eos in manus inſidiarum. Primo autem, & ſecundo die non fugerant arte, ſed timore. Et dicitur, quod ſimulauerunt fugam, non quidem, quod non fugerent, quia vere fugiebant: ſed ſimulauerunt timorem, ſcilicet, vt putarent Beniamitæ timentes fugere. *Iniere conſilium, vt abſtraherent eos de ciuitate.* Scilicet, vt procul traherent. Nam etiam in aliis

Dect. reſp. ad quæſit.

Cuilibet licet agere ad tutelã corporis, quidquid potuerit dum ſit ſine præiudicio alterius.

Qui reſiſtit poteſtati Dei peccat.

Gabaa pro quo accipi debet.

A vicibus exibant de vrbe omnes viri Beniamin: & tamen non longe perſequebantur Iſraelitas. Nunc autem Iſraelitæ incitauerunt eos ad longe perſequendum, vt daretur locus latentibus in inſidiis introire in vrbem. Et dicitur: iniere conſilium, non quidem nunc quando erant in acie, ſed præcedenti die, priuſquam venirent ad certamen, inierant conſilium quomodo iſta facerent: & apud ſe diſpoſuerant. Quod ſatis patet, quia antequam inciperent pugnare die iſto tertio, latebant inſidiæ in multis locis, & Beniamitæ perſequẽtes Iſraelitas inciderunt in eas. *Et quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerent.* Id eſt, quaſi ex timore fugere ſimulabant, vt ducerent Beniamitas ad duas ſemitas, id eſt ad aliqua latibula prope duas ſemitas, in quibus latebat exercitus magnus Iſraelitarum. Nam non poterant fugere Iſraelitæ ad duas ſemitas, cum fugerent per illas, vt patet ſupra. Vel poteſt dici, quod fugiebant ad duas ſemitas, id eſt ad capita duarum ſemitarum, quia in vno loco coniungebantur, & apud illum latebant Iſraelitæ: ideo fugientes conabantur ducere Beniamitas ad capita ſemitarum. *Omnes itaque filij Iſrael ſurgentes de ſedibus ſuis.* Scilicet, cum Beniamitæ longe exirent ab vrbe, illi Iſraelitæ, qui ſedebant in latibulis ſurrexerunt: & direxerunt aciem in loco, vbi poſſent includere Beniamin. Et quoniam litera iſta eſt aliqualiter intricata circa exercitus varietatem, ſciendum, quod Iſraelitæ digeſto conſilio diuiſerunt exercitum ſuum in tres partes, vt poſſent

B prævalere contra Beniamin, quia præcedentibus duobus diebus, quando erat totus exercitus ſimul nõ poterant prævalere, eo quod ſi Iſraelitæ inciperent fortiter pugnare ſuper Beniamitas redirent ipſi velociter in vrbem, & ſic non poſſent Iſraelitæ occidere eos, poſuerunt vnam partem exercitus, quæ per noctem lateret ex parte Occidentali vrbis Gabaa: & cum mane Beniamitæ egrederentur de vrbe, ipſi introirent, & caperent eam, atque ſuccenderent. Alia pars exercitus fuit, in qua erant decem millia virorum: & iſta direxit aciem contra Gabaa in loco, in quo prius ſoliti erant Iſraelitæ pugnare: & iſti erant, qui poſtea fugerunt à facie Beniamitarum per duas ſemitas. Tertia pars exercitus erat valde magna, & iſta fuit poſita in latibulis forte in aliquibus vallibus in capite duarum ſemitarum, & ob hoc illi Iſraelitæ, qui fugiebant conabantur ducere Beniamitas ad illas ſemitas, quia ibi latebat maxima pars exercitus. *Tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar.* Iſtud intelligitur de tertia parte exercitus, quæ erat magna, & latebat apud capita ſemitarum. Nam prima pars non potuit tendere exercitum cum illa iam pergeret ad ingrediendum Gabaa, & ſuccendendum eam. Tertia pars etiam non potuit tendere aciem, quia iſta erat, quæ fugiebat à facie Beniamitarum. Inſidiæ quoque, quæ circa vrbem erant iſtæ erant prima pars exercitus, quæ per noctem latuerant in loco illo ab Occidentali parte vrbis,

C & erant, iſtæ magis coniunctæ vrbi quam reliqua pars exercitus, & contra iſtas inſidias non fugerunt Iſraelitæ, qui pugnam inchoauerant contra Beniamitas: nam cum accederent ad eas, conarentur retrocedere, & poſſent retrocedere, quia nullus erat poſt tergum, qui prohibere poſſet. Etiam quia nondum capta fuerat vrbs, ideo fugerunt ad alias inſidias, quæ latebant procul ab vrbe apud duas ſemitas. *Paulatim ſe aperire cœperunt.* Scilicet, exire de latibulis ſuis, & procedere contra vrbem: & hoc quando iam erant Beniamitæ procul ab vrbe, & non poterant videre inſidias illas euntes contra vrbem: & dato quod videre poſſent, multo citius illæ accederent ad vrbem, quam Beniamitæ, & caperent eam. *Et ab Occidentali vrbis plaga procedere.* Scilicet, inſidiæ iſtæ latebant ad Occidentalem partem ciuitatis, & inde cœperunt pergere contra vrbem: aliæ autem inſidiæ erant in parte oppoſita, vt non ſe impedirent, & caperent Beniamitas in medio. *Sed & alia decem millia virorum in vniuerſo Iſrael.* Iſta decem millia virorum erant ſecunda pars, quæ aciem direxerat contra Gabaa, & iſta erat, quæ fugerat, & iſta ſola non latebat. Et dicitur de vniuerſo Iſrael, id eſt quod iſta decem millia virorum accepta fuerant de vniuerſo Iſrael. Nam totus Iſrael diuiſus fuerat in tres pates exercitus, vt ſupra dictum eſt, & de illo aggregato ſumpta eſt illa pars decem millium virorum. *Habitatores vrbis ad certamina prouocabant.* Inquantum direxerunt aciem apud Gabaa in loco ſolito: & exierunt viri Beniamin ad pugnandum contra illos, & fugauerunt eos atque perſecuti ſunt per duas ſemitas. *Ingrauatumque eſt bellum contra filios Beniamin.* Scilicet, poſtquam fuerunt longe abſtracti ab vrbe: nam tunc ex omni parte ſurgens exercitus premebat eos. *Et non intellexerunt, quod ex omni parte eis lateret interitus.* Scilicet, ex omni parte latebant inſidiæ, quæ eos ad interitum perducerent. Et dicitur, quod non intellexerunt, ſcilicet à principio, ideo cum ſe viderent premi ex vna parte, fugiebant ad aliam, & incidebant in alias inſidias; ſed intellexerunt poſtea, cum viderunt ſe vndique vallatos. *Percuſſitque eos dominus in conſpectu filiorum Iſrael.* Dicitur Deus percuſſiſſe eos, id eſt permiſiſſe, quòd percuterentur: nam alias non erat hic miraculum, vt ſupra declaratum eſt: vel percuſſit eos, id eſt dedit modum ad percutiẽdum inſtruendo, quod diſponerẽt exercitum in diuerſis locis. *Et interfecerunt ex eis in die illo viginti quinque millia, & centũ viros.* Scilicet, non durauit bellum contra Beniamin niſi vna die poſtquam inceperunt cadere, & in illa die ceciderunt omnes, ſcilicet 25. millia, & centum viri.

D

Quomodo accipienda ſit ſumma iſtorum virorum.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quomodo accipienda ſit ſumma iſtorum virorum.

E Reſpondendum, quod in tota terra Beniamin reperta ſunt 26. millia virorum pugnatorum præter viros Gabaa, qui erant ſeptingenti. Et de his 26. millibus ſeparauerunt mille viros ad ducendum neceſſaria exercitui, & manſerunt ad pugnandum 25. millia virorum & ſeptingenti, & iſti ſemper procedebant ad pugnam in his tribus diebus, & in tertio die occiderunt Iſraelitæ 25. millia & centum: & ſic manebãt ſoli ſexcenti de bellatoribus, & iſti euaſerunt fugientes ad deſertum, & ſedẽtes in petra Remmon, infra in litera, & iſtis poſtea datæ ſunt vxores de Iſraelitis, vt non periret de Iſrael vna tribus, manebant præter hos mille viri, qui de exercitu fuerant ſeparati, vt ducerent neceſſaria pugnatoribus in Gabaa: iſti videntes aduerſitatem Beniamitarum fugierunt in alias vrbes eiuſdem tribus: & cum poſtea Iſraelitæ vaſtarent ſingulas vrbes Beniamin, occiderunt iſtos mille viros cum aliis ſenibus, & mulieribus, qui in vrbibus manebant.

Quomodo computandi ſunt 26. millia virorum pugnatorum de Beniamin, & 400. millia de Iſrael.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlterius, quomodo computandi ſunt 26. millia virorum pugnatorum de Beniamin, & quadringenta millia de Iſrael, ſcilicet an dicendum ſit, quod venerunt iſti ſoli, quia noluerunt, quod plures venirent, vel nõ fuerint in Beniamitis, nec in Iſraelitis plures, qui poſſent procedere ad pugnam. Reſpondendum primo de viris Beniamin, quod credendum eſt non fuiſſe repertos in tota tribu Beniamin plures quam 26. millia, & ſeptingentos pugnatores: & quod reliqui eſſent ſenes, & paruuli, qui non poſſent capere arma conuenienter ad pugnandum. Et hoc patet: nam licet de Iſraelitis hoc dubitari poſſet, eo quod erãt valde multi, & forte nollent venire omnes ad pugnãdum, quia putabant vnam partem eorum ſufficere ad pugnam contra Beniamin, tamen de Beniamitis non eſt ſimile, quod congregarent ſolum quandam partem exercitus ſui. Nam ſciebant ſe pugnare contra totum Iſrael, qui erat pene innumerabilis. Quomodo ergo ipſi non congregarent quanto maiorem exercitum poſſent, ſaltem quouſque haberent tãtam multitudinem, vel quaſi ſicut Iſraelitæ? ſed ſuperſederunt poſtquam congregauerunt 26. millia pugnatorum, qui ſolum erant 16. pars Iſraelitarum: ergo videtur, quod non poterant colligere plures pugnatores de tribu ſua, ſcilicet, quia æteri præter hos erant impotentes ad bellum ex ſenectute, vel parua ætate. De Iſraelitis autem dicendum primo, quod fuerunt quadringenta millia, qui conuenerunt primo in Maſpha. Et dicendum, quod omnes iſti erant de vndecim tribubus: ita quod nulla tribus erat, de qua aliqui non

F

A

veniſſent. Etiam venerunt hic Leuitæ & ſacerdotes, quia ad eos pertinebat potiſſime pugnare pro punitione ſceleratorum. Etiam, quia iniuria fuerat illata cuidam Leuitæ. Quod autem eſſent hic de omnibus tribubus, patet ſupra in litera. Secundo dicendum, quòd conuenerunt ad iſtud bellum de omnibus locis terræ Iſrael, ita quod non erat aliquis locus magnus, aut paruus, de quo non venirent ſaltem aliqui ad iſtum exercitum. Quod patet ſequenti capitl. vbi Iſraelitæ fecerunt inquiſitionem, ſi erat aliquis, qui non veniſſet ad iſtum exercitum de tribubus Iſrael, & repertum eſt, quod de viris Galaad nulli veniſſent, & miſerunt illuc decem millia virorum, & deſtruxerunt Galaad, & habitatores eius. Si ergo reperiſſent aliquem alium locum, de quo nō veniſſent aliqui, ita feciſſent ei. Sed in toto Iſrael non fecerunt hoc, niſi in Iabes Galaad: ergo videtur, quòd de omnibus aliis locis iuerant viri ad exercitum. Tertium eſt, an omnes viri Iſrael de omnibus locis irent, ſcilicet, quòd non eſſet aliquis potens capere arma, qui non iret ad bellum, vel ſolum de quolibet loco irent aliqui. Dicet aliquis, quòd ſolum iuerunt de quolibet loco aliqui, quia ſufficiebat ad pugnādum contra Beniamin, quòd quædam pars Iſraelitarum iret. Item patet, quia ſi omnes viri de Iſrael conueniſſent plures eſſent, quam quadringenta millia virorum: quòd patet, quia in diebus Dauid computati ſunt omnes viri Iſrael, & in ſola tribu Iuda inuenta ſunt quingenta millia 2. Regum 20. & de reliquis tribubus Iſrael inuenta ſunt mille millia, & centum millia, primo Paralipom. 21. capit. quomodo ergo nunc de omnibus tribubus præter Beniamin eſſent ſolum quadringenta millia? non eſt enim veriſimile: ergo videtur, quod ſolum erat quædam pars populi conueniens ad bellum. In cōtrarium videtur, quod fuerint omnes viri, qui poterant pugnare hic. Nam ſupra in litera dicitur, quod conuenerunt omnes viri de Iſrael. Item patet, quia ſequeenti cap. dicitur, grandi enim ſe iuramento conſtrinxerant interfici eos, qui defuiſſent, ſcilicet, qui non veniſſent in Maſpha, ergo videtur, quod omnes venerant illuc. Item dicitur: quis eſt de vniuerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad dominum in Maſpha? Et inuēti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe. Item patet, quia Iſraelitæ dederunt filiis Beniamin vxores de filiabus virorum Iabes Galaad, eo quod ipſi non fuerant in exercitu, & non iurauerant: & non repererunt alias in toto Iſrael, quas traderēt: ergo videtur, quod nullus alius erat in toto Iſrael, qui non iuraſſet: & conſequēter omnes venerant in Maſpha ad conſilium, & deinde in bellum. Quod autem non eſſent aliæ fœminæ, quæ poſſent tradi ſine periurio, niſi fœminæ Iabes Galaad, patet ſequenti capitu. cum dicitur: venerunt filij Beniamin, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad, alias autem non reperunt, quas ſimili modo traderent.

Dubiū an oēs viri Iſraelitæ de omnibus locis irēt ad pugnā dum.

B

C

Reſpondendum, quod vtraque pars poterat teneri, & reſponderi ad rationes vtriuſque partis: ſed probabilius valde eſt, quod conuenerint omnes viri bellatores de vndecim tribubus, & illi ſolum fuerint quadringenta millia: & de illis fuerunt quadraginta millia ad portandum neceſſaria exercitui, & trecēta ſexaginta millia ad pugnandū. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quod quamquam quædam pars de Iſraelitis ſufficeret ad pugnandum contra Beniamitas, tamen vt ſecurius pugnarent, & vt nullus à labore eximeretur, conuocati ſunt omnes, poſita pœna, quod ſi quis non veniret, occideretur: & ita fuit de viris Iabes Galaad, qui occiſi ſunt, quia voluerunt venire. Ad ſecundum dicendum, quod non fuerunt plures in toto Iſrael, quā quadringenta millia pugnatorum præter viros Beniamin. Et cum dicitur, quod de ſola tribu Iudæ fuerunt tempore Dauid quingenta millia: Aliquis dicet, quod ab hoc tempore vſque ad ætatem Dauid multi anni fluxerunt, in quibus valde poterat multiplicari populus, ſcilicet, vt quamquam nūc eſſent in toto Iſrael præter Beniamin quadringenta millia, eſſent poſtea in tribu Iuda quingenta millia, & in reliquis tribubus millies millia, & centum millia, primo Paralipom. vigeſimo primo. Confirmatur hoc, quia à tempore iſto vſque ad computationem factam per Dauid fuerunt anni fere quadringenti, & decem, aut ſaltem quadringenti, quod patet, quia ab exitu de Ægypto vſque ad ædificationem templi Salomonis, fluxerunt anni quadringenti octoginta, tertio Regum ſexto capitu. de quibus ſubtrahantur quadraginta anni ab exitu de Ægypto vſque ad introitum in terram Chanaan: ſubtrahantur etiam triginta anni ab introitu in terram Chanaan vſque ad mortem Hothonielis, qui fuit primus iudex, computantur anni quadringenti: nam quadraginta anni, qui ponuntur de iudicatura Hothonielis cōprehendunt totum tempus, quo præfuit Ioſue, & fuit ſine iudice, & poſtea præfuit Hothoniel, vt declaratum eſt ſupra tertio, & tamen quando factum eſt iſtud, nondum erat inſtitutus Hothoniel in iudicem, vt declaratum fuit ſupra decimo ſeptimo, & decimo nono, & ſic ſaltem decem annis, vel quaſi ante mortem Hothonielis eſſet hoc: & ſunt iſti ſimul ſeptuaginta anni, quibus addantur tres anni de regno Salomonis poſt mortem Dauid antequā inciperet templū, nam in quarto anno regni ſui inchoauit ædificationem, tertio Regum ſexto, manet totum reliquum tempus annorum quadringētorum, & ſeptem. Nam in vltimo anni regni Dauid facta eſt computatio, vt multi aſſerūt. In iſtis autem 403. annis poterat valde multiplicari populus. Nam in Ægypto ſolæ ſeptuaginta animę introierunt cum Iacob, Geneſi quadrageſimo ſexto, & Exod. primo, & non manſerunt ibi ducentis, & viginti annis, vt declaratum fuit Exo. duodecimo, & tamen in exitu de Ægypto erant ſexcenta millia peditum præter paruulos, & mulieres, Exod. 12. duodecimo: ergo à fortiori in quadringentis ſeptem annis multiplicaretur populus, vt cum nunc in toto Iſrael eſſent quadringēta viginti ſex millia pugnatorum, computādo filios Beniamin, poſſent eſſe poſtea millies millia, & ſexcenta millia, computando tribum Iuda cum aliis tribubus, ſecundo Regum vigeſimo quarto, & primo Paralipom. vigeſimo primo. Sed adhuc obiicietur, quod iſtud non ſtat, quia ante hoc in deſerto erant Iſraelitæ plures quam nunc. Nam facta computatione præter Leuitas fuerunt ſexcenta tria millia virorum quingenti, & quinquaginta: Numeri primo: & poſtea fluxerant ſeptuaginta anni, in quibus debuiſſet fieri magna multiplicatio, cum illa computatio & ſumma inuenta fuerit, Numeri primo capitu. ergo eſſent nunc in tribubus omnibus Iſrael cum Beniamin plures quam quadringenta viginti ſex millia, & tamen hic non computantur plures: ergo fuerunt plures, & non venerunt omnes ad bellum. Ad hoc reſponderi poteſt dupliciter. Vno modo, quod ſecundum veritatem non fuerunt plures in toto Iſrael, quam hic expriman tur. Et cum obiicitur, quod erant pauciores, quam prius, dicendum, quod non eſt inconueniens, quia progenies ſuas habent proſperitates, & calamitates. Nam quodam tempore augentur, & quodam tempore decreſcunt, quod ſatis apparet, quia cum ingreſſi ſunt Iſraelitæ in Ægyptum erant ſeptuaginta computando viros, & paruulos, & in ducentis annis fere peruenerunt ad ſexcenta millia peditum præter fœminas, & paruulos: Exod. decimo ſecundo, & iſta fuit quaſi miraculoſa multiplicatio: vnde dicitur Exod. primo, quod filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, atque roborati nimis impleuerunt terram: Ægyptij autem mirabantur, & inuidentes atque timentes affligebant eos, ne tantum multiplicarentur, & dum eos plus affligerent, plus multiplicabantur. Poſtea autem ingreſſi in deſertum in quadraginta annis non multiplicati ſunt, ſed potius decreuerunt: nam cum primo computati ſunt anno ſecundo ab exitu de AEgypto: fuit ſumma ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta: Numeri primo, quando autem quadrageſimo anno ab exitu de Ægypto computati ſunt, fuerunt ſolum ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta, & defecerunt de priori ſumma mille octingenti, & triginta: & ſic in quadraginta annis non creuerunt, ſed defecerunt iſti. De hoc patet Numeri vigeſimo ſexto capitulo ita ab iſta computatione, quæ fuit vltimo anno quo Iſraelitæ manſerunt in deſerto, forte non creuerunt Iſraelitæ vſque ad tempus iſtud quo fuit hoc: quod ſpatium fuit quaſi triginta annorum, vt ſupra dictum eſt: ſed decreuerunt, & eſſent pauciores quam fuerunt in prioribus computationibus. Denuo autem creſcere inceperunt, & tempore Dauid quando computati ſunt erant valde multiplicati.

Ad 1. rationē in diuerſum

Ad 2. rationē

Aliter poteſt dici, & melius, quod plures erant nunc in Iſrael, quam quando exierunt de AEgypto, & quando intro-

D

E

F

A introierunt in terram Chanaan, & non erant plures pugnatores in toto Israel quam isti, de quibus hic dicitur. Sed est diuersitas in modo numerandi, quia nunc solum computãtur illi, qui erant viri fortes ad pugnandum, scilicet, nec erant senes, nec paruuli: & tamen in duabus summis computationum deserti computabantur omnes, qui erant à viginti annis, & supra, siue essent senes non potentes pugnare, siue non. Quòd patet, quia Numeri primo, & vigesimo sexto capitu. dicitur, à viginti annis & supra: & non ponitur aliquis terminus supra, in quo apparet, quod omnes cõputabantur quantumcunque senes essent: soli autem minores vigesimo anno excludebantur, vt ibi declaratum est. Sic etiam factum est in computatione facta sub Dauid: valde multi autem essent supra viginti annos propter debilitatem, vel senectutem aut alias, qui non poterant conuenienter pugnare, & non computarentur hic, & sic quamquam computarentur hic de omnibus tribubus præter Beniamin quadringenta millia, forte computando omnes à vigesimo anno, & supra essent plures quam octingenta millia. Potissima aut ratio, quæ concludit in hoc est, quia manifestum est quod de tribu Beniamin omnes conuenerunt ad pugnandum quotquot poterant capere arma, eo quod pugnandum sibi erat contra totum Israel, & tamen solum inuenti sunt viginti sex millia, vt dictum est in litera. Sed in computatione vltimo facta in deserto fuerunt de Beniamin quadraginta quinque millia, & vltra, vt patet Numeri vigesimo sexto capitulo: ergo videtur, quod computabantur soli, qui poterant conuenientes pugnare. Sicut ergo in tribu Beniamin non erant vltra viginti sex millia, ita conuenienter dictum patet, quòd in aliis vndecim tribubus non essent vltra quadringenta millia: imo adhuc erat magna multiplicatio aliarum tribuum, quia Beniamin erat vna de tribubus duodecim, quæ regulariter debebat esse tanti numeri, sicut quælibet alia tribus, & tamen nunc non erat. Sicut ergo non est dubium, quòd non fuerunt plures, quam viginti sex millia pugnatorum de Beniamin, ita non debet esse dubium quod non fuerint plus quam quadringenta millia pugnatorum, nec inueniri potuerunt de omnibus aliis tribubus. Et ista pars est satis solida, alia autem multum est calumniabilis. *Filij autem Beniamin cum se inferiores vidissent.* Scilicet, quando inciderunt in insidias Israelitarum, quæ erant apud duas semitas, vbi valde multi erant de Israelitis: comperta fraude, & pugnantibus fortiter Israelitis non potuerunt sustinere Beniamitæ: sed viderunt se inferiores, scilicet viribus minores, quia iam animositas languebat in eis. *Cœperunt fugere.* Scilicet, iam putantes se non posse resistere.

Ordo notandus penes hãc literã. C

Considerandum autem quod ista litera est multum intricata propter mutationem ordinis inconuenienter factam. Pro quo sciendum, quod talis ordo fuit quod quidam viri de Israelitis iuerunt per noctem, & posuerunt se in latibulis prope Gabaa, & alia pars exercitus maior, longe à Gabaa latuit apud capita duarum viarum: deinde decem millia virorum de Israel iuerunt vsque ad portas vrbis Gabaa ad locum vbi soliti erant pugnare primis duobus diebus: quod videntes Beniamin egressi sunt omnes de vrbe scilicet vigintiquinque millia virorum & septingenti, pugnaturi contra decem millia virorum de Israel. Cœperunt autem fugere Israelitæ, & Beniamitæ persequebantur eos, & occiderunt de eis triginta & alios multos vulnerauerunt, fugerunt autem Israelitæ ad locum suarum semitarum, vbi latebat magna pars exercitus. Dum autem hoc fieret insidiæ Israelitarum, quæ latebant apud vrbem ingressæ sunt vrbem quæ aperta erat, & inceperunt cremare eam dantes signum exterioribus quòd ciuitas capta foret: & tunc Israelitæ decem millia, qui fugiebant à facie Beniamitarũ, vt accesserunt ad insidias apud capita duarum semitarum: conuertentes faciem viderunt fumum vrbis Gabaa, & scientes illam captam confortati sunt, & tunc versa vice cœperunt fugare Beniamitas, & ipsi quoque verso vultu viderunt fumum vrbis captæ: & defecit animus eorum, quia fugiebant, & dederunt eis Israelitæ locum fugiendi contra alias insidias, quæ latebãt apud vrbem, & illæ videntes Beniamitas fugere occurrerunt eis, cœperuntq; eos in medio, & percusserunt occidentes vigintiquinq; millia virorum, & centum: litera autem videtur istud turbare anticipando, & recapitulando, sed non est curandum de alio ordine, nisi de isto qui satis necessario concluditur ex litera: sed non curo inducere propter prolixitatem, & paucam vtilitatem. *Quod cernentes filij Israel.* Istud intelligitur quando Beniamitæ inciderunt in insidias, quæ erant longe ab vrbe Gabaa apud capita duarum viarum. Nam videntes ibi tantum paratum exercitum defecerunt animo, & putantes se non posse resistere Israelitis, qui incipiebant iam pugnare contra eos conuersi sunt in fugam. *Dederunt eis fugiẽdi locum.* Scilicet, potuerunt ibi occidere multos de Beniamitis, sed noluerunt dando eis locum fugiendi, vt postea melius caperent in medio vtrarum insidiarum.

Vt ad præparatas insidias deuenirent. Istæ erant primæ insidiæ, quæ locatæ fuerant apud vrbem, quarum pars introiuerat vrbem, & dederat signum captionis succendendo eam, & istæ erant ex opposito ad partem ad quam fugiebant Beniamitæ, & cum illuc deuenirent, essent clausi ex omni parte, & facilius cæderentur. *Quas iuxta vrbem posuerant.* Istæ insidiæ fuerunt ibi positæ propter duo. Primò vt egredientibus Beniamitis caperent vrbem, & succenderent. Secundo vt cum Beniamitæ fugientes à facie Israelitarum venirẽt ad vrbem, ipsæ insidiæ egrederentur eis obuiam, & clauderent eos ex omni parte. *Qui cum repente de latibulis surrexissent.* Refertur ad primas insidias, quæ erant apud vrbem, & cœperant eam, & iam mutatur hic ordo, & dicitur, quò resurexerunt repente de latibulis, scilicet, quando sciuerunt Beniamitas procul esse ab vrbe persequendo Israelitas, & fugiebant tũc Israelitæ: sic quando surrexerunt istæ insidiæ nondum fugiebant Beniamitæ, sed Israelitæ: quando tamen vrbs capta flãmabat, iam incipiebant fugere Beniamitæ.

Insidiæ Israel posita fuerũt iuxta vrbem Beniamitarum. D

Et Beniamin terga cedentibus daret. Scilicet, quando accesserunt Beniamitæ ad semitarum duarum capita videntes ibi magis latere insidias extimuerũt, & Israelitæ, qui prius fugiebant cœperunt versa vice conuerti contra Beniamitas: tunc Beniamitæ terga verterunt, & cædebant eos fugientes Israelitæ. *Ingressi sunt ciuitatem.* Omnes pugnatores egressi fuerant de vrbe, & reliquerant eam apertam: vt si forte contingeret eos fugere à facie Israelitarum haberent locum apertum ad defensionem, & sic Israelitæ nullo prohibente vrbem ingressi sunt. *Et percusserunt eam in ore gladij.* Scilicet, senes, & fœminas atque pupillos gladio occiderunt: nam nullus vir bellator in vrbe manebat: idem factum fuit in omnibus aliis ciuitatibus Beniamitarum sequenti capitulo.

E

Occisio Beniamitarũ ab Israelitis facta.

Signum autem dederant filij Israel his, quos in insidiis collocauerant, vt postquam vrbem cœpissent, ignem accenderent, vt ascendente in altum fumo captam vrbem demonstarent. Quòd cum cernerent filij Israel in ipso certamine positi (putauerunt enim filij Beniamin eos fugere, & instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris) & viderunt quasi columnam fumi de ciuitate conscendere, Beniamin quoque respiciens retro cùm captam cernerent ciuitatem, & flammas in sublimè ferri: qui prius simulauerant fugã, versa facie fortius resistebãt. Quod cùm vidissent filij Beniamin in fugam versi sunt, & ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos aduersarij persequentibus. Sed & hi qui vrbem succenderant occurrerunt eis atque ita factum est, vt ex vtraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad orientalem plagam vrbis Gabaa. Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti sunt decem & octo millia virorum omnes robustissimi pugnatores. Quod cùm vidissent, qui remanserant de Beniamin, fugerunt in solitudinem, & pergebant ad petram, cuius vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuersa tendentes, occiderunt quinque millia viros. Et cùm vltra tenderent persecuti sunt eos: & interfecerunt etiam alia duo millia. Et sic factum est, vt omnes, qui ceciderant de Beniamin in diuersis locis essent viginti quinque millia

F

A *pugnatores ad bella promptißimi. Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui euadere poterant, & fugere in ſolitudinem ſexcenti viri, ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor. Regreſſi autem filij Iſrael omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctasq; vrbes, & viculos Beniamin voraxflamma conſumpſit.*

Signum autem dederant filij Iſrael his, quos in inſidijs collocauerant. Id eſt totus exercitus Iſraelitarum locauit quoſdam in inſidiis, id eſt iuſſit eis eſſe in inſidiis, ſcilicet apud vrbem: & dedit eis ſignum, id eſt dixit eis, quale ſignum facere deberent quando eſſet capta vrbs. *Vt poſtquam vrbem cœpiſſent ignẽ accenderunt.* Scilicet, ſuccendes ciuitatem. Vel forte nondũ ſuccendentes eam facerent ignem in alio loco ad dandum ſignum vrbis captæ. Et credendum eſt, quod ille ignis non fuerit ad cremandum ciuitatem, quia Iſraelitæ mox vt cœperunt vrbem debebant ignem accendere ad dandum ſignũ exterioribus, & tamen ipſi poſtea totam vrbem percuſſerũt in ore gladij, & manſerunt in ea: ergo videtur, quod non erat ille ignis comburens ciuitatem, ſed fuit ignis poſitus in alio loco, in quo non ſuccenderetur vrbs. *Vt aſcendente in altũ fumo captam vrbem demonſtraret.* Non erat aliud ſignum, per quod euidentius poſſet cognoſci an erat ciuitas capta. Nam Iſraelitę, quibus debebat dari ſignum captæ vrbis, erant procul ab ea in capite duarum viarum, & forte non videbant eã: vnde non poterant habere aliud ſignum niſi fumum ſurgentem in cœlum, ita vt eſſet ignis qualis non eſſet ſurgere conſuetus. *Quod cum cernerent filij Iſrael in ipſo certamine poſiti.* Scilicet, viderunt fumum ſurgentem de vrbe, & iſtud erat in certamine, id eſt quando Iſraelitæ fugiebant, & Beniamitæ perſequebantur eos.

Quare Iſraelitæ voluerunt habere ſignum vrbis captæ per fumum.

QVÆSTIO. XXXII.

B QVÆRETVR, quare Iſraelitę voluerunt habere ſignũ vrbis captæ per fumum. Reſpondendum, quod propter multa. Primum fuit, quia Iſraelitæ locauerant inſidias in duobus locis, ſcilicet quaſdam apud vrbem ad occidentalem partem eius, & alias longe ab vrbe in capite duarum ſemitarum, & volebant protrahere Beniamitas longe ab vrbe ſimulantes fugam, poſtea conuerterentur ſuper eos, & caperent in medio ſuarum inſidiarum, quia inſidię longe poſitæ à parte orientali ſurgentes conuerterent Beniamitas in fugam contra vrbem, & tunc ſurgentes inſidiæ quæ erant apud vrbem ex parte occidentali caperent Beniamitas in medio. Ad faciendum autem hoc neceſſe erat, quod Iſraelitæ ſcirent quando erat capta vrbs, quia alioquin forte ipſi prius inciperent conuerti ſuper Beniamitas, & compellerent eos in fugam, quam eſſet capta vrbs: & poſſent Beniamitæ fugiẽtes introire in vrbem nondum captam, & euaderent, & poſtea nollent in campo congredi. Si autem prius caperetur vrbs, & cognoſcerent hoc Iſraelitæ, qui foris erant: tunc cõuerterentur ſuper Beniamitas ad compellendum eos in fugam, & ipſi fugerent verſus vrbem in quam non poterant intrare, inſuper inſidiæ quæ ſuccenderant vrbem iam, venirent obuiam Beniamitis fugientibus ad vrbem, & tunc capere poſſent eos in medio. Alia cauſa fuit ad confortandum Iſraelitas, quia cum ſcirent vrbem hoſtilem captam, & per hoc ſpem refugij hoſtibus ademptam, confortarentur nimis contra illos. Alia cauſa fuit, quia Beniamitæ deſolarẽtur & conſternarentur corde, ſcilicet, cum viderent captam vrbem ſuam, non haberent vigorem animi ad reſiſtendum Iſraelitis. *Putauerant enim eos filij Beniamin fugere.* Id eſt putabant, quod fugiebant ex timore, & impotentia reſiſtenti exercitui eorum ſicut fecerant primo, & ſecundo die. *Inſtantius ſequebantur.* Scilicet, cum plus fugerent Iſraelitæ animoſius perſequebantur eos. *Ceſis de exercitu eorum triginta viris.* Iſtos triginta occiderunt perſequendo illos fugientes. Nam licet Iſraelitæ fugerent, & non curarent pugnare, non poterant euitare quin aliquos eorum occiderent Beniamitæ: quia inſtantius perſequebantur eos. *Et viderunt quaſi columnam fumi de ciuitate conſcendere.* Erat enim magnus ignis ſuccenſus, & fumus magnus eleuabatur in altum. *Beniamin quoque retro aſpiciens.* Scilicet, Beniamitæ nunc perſequebantur Iſraelitas, & nondum deſierant effugare eos: cum viderent Iſraelitas cõfortari, quia retro aſpexerant, ipſi quoq; retro aſpexerũt, & viderunt fumum ſurgentem de vrbe. Ex hoc patet, quod ſupra dicebatur, ſcilicet, quòd ſit ſupra mutatus ordo: nam prius vrbs capta, ſuccenſa eſt quam Beniamitæ inciperent fugere à facie Iſraelitarum. *Cum captam cernerent ciuitatem.* Scilicet, quia fumus, & flamma oſtendebant eam captam eſſe. *Et flammam in ſublime ferri.* Scilicet, quia erat magnus ignis. Forte enim nunc occiſis omnibus, qui in ciuitate erant inceperunt ſuccendere eam. *Qui prius ſimulauerant fugam.* Scilicet, Iſraelitæ decem millia virorum, qui prius fugiebant à facie Beniamitarum: erat iſta fuga ſimulata, quia non fugiebant ex timore, ſed ad fallendum hoſtes. *Verſa fronte fortius reſiſtebant.* Scilicet, quod capta vrbe, & viſo fumo cœperunt Iſraelitæ conuertere frontem ad Beniamitas, cum prius eis ſemper terga dediſſent, & pugnabant fortiter contra eos.

Quod cum uidiſſent filij Beniamin. Scilicet, quod capta erat ciuitas per fraudem, & quod Iſraelitæ in fraude fugientes nunc fortiter pugnarent. *In fugam verſi ſunt.* Scilicet non putauerunt ſe poſſe reſiſtere illis, cum iam non haberent refugium, & defecit animus in illis. *Et ad viam deſerti ire cœperunt.* Scilicet, Beniamitæ voluerant refugere in vrbem, quia tamẽ iam capta erat, voluerunt fugere contra deſertum, vt ibi aſperitate loci euaderent, & inde ad alias ciuitates ſortis ſuæ confugerent. *Illuc quoque aduerſarijs eos perſequentibus.* Scilicet, licet irent ad deſertum, non deſierunt perſequi eos Iſraelitę, quia ſciebant, quod ſi nunc deſinerent eos perſequi, non poſſent poſtea habere vltionem de eis. Etiam, quia inſidiæ aliæ occurſuræ erant ex oppoſito, quæ non ſinerent Beniamitas intrare in deſertum. *Sed, & hi, qui vrbem ſuccenderant.* Iſtæ erant primæ inſidiæ, quæ latuerant apud vrbem, & cœperant eam, dederantque ſignum in fumo, & poſtea occiderant gladio omnes de vrbe: deinde ſuccenderant eam. *Occurrerunt eis.* Scilicet, exierant obuiam Beniamitis fugientibus, vt non poſſent fugere ad deſertum, ſed caperent eos in medio. *Atque ita factum eſt, vt ex vtraque parte ab hoſtibus cæderentur.* Scilicet, quia Iſraelitæ quidam perſequebantur Beniamitas à tergo, & alij occurrerunt eis ad faciem, & medios percutiebant intendentes alas ſuas in gyro, ne ad aliquod latus eſſet locus fugiendi Beniamitis. *Nec erat vlla morientium requies.* Id eſt, non erat aliqua ceſſatio ab occiſione, ſed cum quanta poterant inſtantia occidebant eos, quia erant nimis ſtomachati contra Beniamitas, cum ipſi occidiſſent iam de Iſraelitis multos, id eſt quadraginta millia in duobus diebus, vt ſupra patet. *Ceciderunt que atque proſtrati ſunt ad orientalem plagam vrbis Gabaa.* Iſta fuit prima interfectio. Nam inſidiæ illæ, quæ erant longe ab vrbe ad capita duarum viarum erant ad orientalem plagã vrbis, & cum acceſſiſſent ad illas Beniamitæ terga verterunt, & occurrerunt aliæ inſidiæ venientes de ſuccenſione vrbis, & ceparunt Beniamitas ad orientalem plagam vrbis. *Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti ſunt decem, & octo millia.* Scilicet, antequam fugerẽt de medio acierum Iſraelitarum corruerunt 18. millia de Beniamitis, & poſt hoc dederunt eis modicum ſpatium fugiẽdi. *Omnes robuſtiſſimi pugnatores.* Scilicet, omnes iſti qui occubuerunt. Nam Beniamitæ erant electi viri ad pugnam. *Quod cum vidiſſent, qui remanſerant de Beniamin.* Non eſt intelligendum, quod iſti reſidui de Beniamin eſſent aliqui, qui non fuiſſent in illa acie, ſed fuerant in illa, & ante hoc pugnabant fortiter contra Iſraelitas, ſed cum vidiſſent cecidiſſe 18. millia de ſuis, putãtes non poſſe reſiſtere, irruperunt quandam partem acici Iſraelitarum, & fugerunt: erant autem iſti reſidui ſeptem millia, & ſeptingenti. *Fugerunt in ſolitudinem.* Vt ibi ſe defenderent melius fauente natura loci, vel inde fugerent ad alias ciuitates finitimas de ſorte tribus ſuæ. *Et pergebant ad petram cuius vocabulum eſt Remmon.* Iſta petra eſt aliquis locus valde fortis, & munitus in quo poterant ſe defendere ab omnibus Iſraelitis: & ob hoc iſta petra accepit nomen, quaſi aliquid ſpeciale haberet: ſic enim raro aliqui lapides nomina ſuſcipiunt propter aliquid inſigne: ſic lapis apud quem latuit Dauid

C

D

E

F *Prima interfectio Beniamitarum.*

voca-

A

vocatus est Ezel primo Regum 20. Lapis etiam, apud quem Adonias vnctus est in regem, & fecit victimas magnas, vocatus est Zoeleth 3. Regum primo: sic lapis, de quo Moyses Deo iubente excussit aquas, vocatus est lapis Horeb, Exod. decimo septimo. *In illa quoque fuga.* Scilicet, post hoc non potuerunt Israelitæ capere filios Beniamin in medio sicut prius: nam deleuissent eos, ita vt nec vnus maneret, sed persequebantur à tergo, & à lateribus & cum illi vellent fugere ad vnam partem cogebant eos diuertere ad aliam, & hoc vt non possent accedere ad petram. Nam ibi nullo modo potuissent Israelitæ nocere illis. *Palantes, & in diuersa tendentes occiderunt quinque millia.* Scilicet, cum fugerent ad petram Remmon, cogebant eos Israelitæ esse palantes, & in diuersa tendentes, ne possent intrare solitudinem, quia ibi non possent pugnare contra eos, ipsi autem Beniamitæ non diuertissent à recto itinere, nisi Israel percutientes eos à lateribus coegissent eos nunc huc, nunc illuc tendere. Vocantur autem palantes, id est diuagantes. Sic accipitur supra 9. scilicet: Duæ autem turmæ palantes per campum aduersarios persequebantur: & sic manebant iam de Beniamitis solum duo millia, & septingenti viri. *Et cum vltra tenderent persecuti sunt eos.* Nunc enim directe tendebant contra solitudinem ad lapidem Remmon: & adhuc in iusta fuga occiderũt multos. *Et interfecerunt alia duo millia.* Intelligendum quod occiderunt duo millia & centum, vt infra declaratur: tamen litera non curauit de centum, & post hoc non interfecerunt aliquos, & manserunt illi sexcenti, qui introierunr in desertum. *Et sic factum est.* Hic ponitur summa occisorum. *Vt omnes, qui ceciderant de Beniamin in diuersis locis.* In tribus enim locis ceciderunt Beniamitæ, vt nunc enarratum est in litera. *Essent 25. millia pugnatores ad bella promptissimi.* Scilicet, omnes isti de Beniamin erant electi iuuenes ad bella, & ceciderunt per manum Israelitarum.

Palẽtes quid significat.

B

Quomodo dicitur hic, quod occisi in bello de filijs Beniamin essent 25. millia.

Qvæstio XXXIII.

Qværetvr, quomodo dicitur hic, quod occisi in bello de filiis Beniamin essent 25. millia: nam plures esse deberent. Aliquis dicet, quod non fuerunt plures, vt colligitur ex litera: nam primò dicuntur cecidisse 18. millia, deinde quinque millia, postea duo millia, qui efficiunt viginti quinque millia. Sed dicendum, quòd necesse est plures cecidisse, scilicet viginti quinque millia, & centum: Quod patet, quia litera nostra dicit de Beniamitis, qui venerunt in Gabaa fuisse 25. millia, & de viris Gabaa fuisse septingẽtos, & nunc concluditur quod de omni Beniamin solum euadere potuerunt sexcenti viri, qui sederunt in petra Remmon: ergo occisi fuerant 25. millia & centum. Hoc idem patet supra in litera, cum dicitur, quod percussit dominus in conspectu filiorũ Israel Beniamin, & interfecerũt ex eis illo die 25. millia, & centum viros bellatores. Ad computationem istam, quæ facta est nunc dicendum, quod non curauit de centum viris: & sic tam in particularibus summis, scilicet 18. & quinque, & duorum millium, quam in summa totali 25. millium omisit illa centum viros. Adhuc aliquis dicet, quod plures occisi fuerunt, quia infra dicitur, quod solum manserunt sexcenti, qui euadere potuerunt de toto Beniamin, & tamen in Beniamitis fuerunt 26. millia & septingenti, vt patet in litera Hebraica supra. Respondendum, quòd omnes isti occisi fuerunt, sed non omnes in bello, quia mille de illis destinati fuerant ad ducendum necessaria exercitui; & illi nunquam pugnauerunt, nec potuerunt occidi in bello, sed videntes alios Beniamitas periisse, fugerunt ad aliqua municipia tribus suæ: & ibi postea ab Israelitis occisi sunt. Vnde in bello solum occisi fuerunt 25. millia & centum: hoc etiam satis patet ex litera Hebraica. Nam licet ponat fuisse viros Beniamin 26. millia, & 700. tamen solum ponit corruisse in bello 25. millia, & centum sicut litera nostra: & hoc per subtractionem illorum mille, qui exercitui necessaria comportabant. *Remanserunt itaque in omni numero Beniamin.* Intelligitur de illis qui iuerunt ad bellum: secus de illis, qui comportabant necessaria exercitui: & de illis, qui manebant in vrbibus propter senectutem, & paruam ætatem. *Qui euadere potuerunt, & fugere in solitudinem.* Scilicet isti soli euaserũt & fugerunt ad solitudinem, vbi erat petra Remmon, quæ non erat expugnabilis. Et ex hoc patet, quod non intelligatur de mille viris comportantibus exercitui necessaria, quia illi non dicerentur euadere, & fugere cum non essent in bello. *Sexcenti viri.* Isti non manserũt, quasi Israelitæ ex pietate mouerentur ad non occidendum ipsos, sed quia non potuerũt, cum fugissent ad locum munitissimum petræ Remmon, in qua non poterant Israelitæ pugnare contra Beniamitas. Sed dicet aliquis, quod ex pietate relinquebant, quia postea doluerunt valde, quod periisset vna tribus de Israel, sequenti c. Respondendũ, quod si potuissent occidissent eos tunc quãdo pugnauerunt contra eos & ipsi fugerunt in solitudinem: nam erant valde indignati contra eos Israelitæ propter mala, quæ susceperunt ab eis: quod patet, quia etiam paruulos de tribu Beniamin, qui nihil peccauerant, & mulieres, & senes occiderunt: postea autem ad se reuersi videtes, quod deleta esset tribus Beniamin doluerunt, & fecerunt vocari istos sexcentos viros vt darent eis vxores, & habitarent in terra. *Sederunt q; in petra Remmon mensibus quatuor.* Scilicet, non ausi sunt toto illo tempore descendere de petra, quia quocunque irent caperentur ab Israelitis, & occiderentur: & in fine istorum quatuor mensium miserunt Israelitæ eis præstare securitatem: & tunc descenderunt de petra, & venerunt ad accipiendum vxores. De istis quatuor mensibus, quid tunc comederent isti Beniamitæ dubium est. Dicendum videtur, q; apud petram Remmon erant fructus arborum, & olera atq; herbæ: & descendebant ad ipsa loca Beniamitæ, & comedebant: ad loca autem populata non auderent descẽdere, quia illa erant loca Israelitarum, & caperentur in eis, aquam autẽ facile in deserto ipso inuenirent. *Regressi autem filij Israel.* Scilicet, regressi de bello contra Beniamitas, cum compulerunt sexcentos ipsorum fugere ad petrã Remmon. *Omnes reliquias ciuitatis.* Scil. Gabaa. *A viris vsque ad iumenta gladio percusserunt.* Scil. occiderunt omnes quotquot inuenerũt in vrbe Gabaa, siue viros, siue fœminas, siue iumenta. Supra autem dicitur, quod Israelitæ ingressi ciuitatem percusserunt eam in ore gladij. Sed dicendum, quod ibi ponitur per anticipationem, quia postea factum est, cum dicatur hic: regressi filij Israel, scil. quod post regressionem istud fecerunt. *Cunctasq; vrbes & viculos Beniamin vorax flamma consumpsit.* Scilicet, postquam vrbem Gabaa deleuerunt occidẽtes eos qui in illa erant, & cõburentes eam, perrexerunt ad reliquas vrbes, & viculos Beniamin, & occiderunt omnes habitatores, & cremauerunt loca ipsa.

C

Quare Beniamitæ non solum occisi sunt, sed etiam iumenta eorum, & pecora, quæ nihil peccarunt.

Qvæstio XXXIV.

Qværetvr, quare non solum Beniamitę occisi sunt, sed etiam iumenta eorum, & pecora occisa sunt gladio ab Israelitis. Respondendum quòd istud solitum erat fieri quando ponebatur anathema in aliquo loco: nam tunc occidebantur omnes, qui ibi erant vsque ad iumenta, & pecora, & cremabatur quicquid ibi reperiebatur, ita vt nihil ad humanam proficeret vtilitatem: nam & ipse locus reddebatur inhabitabilis vsque in sempiternum: sic patet de Iericho Iosue 6. istud autem contingebat fieri ex multis causis. Aliquando ad honorem Dei, scilicet, quòd occiderentur omnes, qui in loco erant, & quicquid reperiretur, quod posset proficere ibi vsui sanctuarij, applicaretur cultui Dei, vt aurum, argentum, æs, & ferrum; reliqua autem, quæ conuertenda erant ad humanos vsus cremarentur, vt nihil accederet vsibus & vtilitati humanæ. sic factum est in ciuitate Iericho, quam primam cœperunt Israelitæ de tota terra Chanaan, & consecrauerunt eam sic domino, Iosue 6. capitulo. Sic etiam factum est de vrbe Hai, quam ad honorem Dei posuerunt in tumulum æternum: Iosue octauo. Aliquando autem subiiciebatur ciuitas anathemati propter horrorem, & magnitudinem criminis. Sic fuit de terra Amalecitarum, quæ tota cremata est iussu Dei, & homines,

D

E

F

A & iumenta occidebantur 1. Reg. 15. hoc autem, quia graue peccatum commisit contra Israel totus Amaleth: Deu. 25. cap. Sic etiam erat de ciuitatibus, quę subijciebantur anathemati, quando erant in eis idololatræ, Deut. 13. cap. Aliquando autem fiebat hoc ex voto: vtpote si Israelitæ pugnare volebant contra aliquam gentem, vt Deus adiuuaret eos, orabant quòd auxiliaretur eis, & quòd ponerent ciuitatem, vel gentem totam sub anathemate. Sic factum est quando pugnauerunt Israelitæ contra Chananæum regem Arad. Nam Num. 21. dicitur, quòd Israel voto se obligauit domino, dicens: si tradideris in manu mea Chananæum, delebo vrbes eius. Nunc autem dicendum, quòd Israelitæ fecerunt istud in vrbe Gabaa ad modum anathematis propter detestationem criminis, quia commiserant graue crimen viri Gabaa, scilicet, quia Sadomitico more cognoscere voluerunt Leuitam. Et videtur quòd istud scelus frequentatum esset inter eos, & vxorem Leuitæ tanta furiosa libidine vexauerunt, quòd eam occiderunt. Etiam, quia contra totum Israel pugnauerant: quia cùm totus Israel zelaret pro lege: & istud erat inhonestum: ideo durissimæ pœnæ subiecerunt eos, scilicet, anathemati.

An in omnibus alijs vrbibus Beniamin positum fuit anathema.

B

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR, vlterius, an in omnibus alijs vrbibus Beniamin positũ fuit anathema, scil. quòd occiderentur omnes habitatores, & etiã pecora, & cremarentur omnia, ita vt nihil prædarentur. Aliquis dicet, quòd non: & primò quia tunc litera expressisset istud, sicut expressit de vrbe Gabaa, quòd homines, & iumenta perierunt ibi, & etiam pecora: & tamen non expressum est de alijs vrbibus, nisi quòd crematæ sunt. Item nõ videtur eadem ratio ad faciendum hoc in alijs ciuitatibus, vt in vrbe Gabaa, quia in Gabaa repertum fuerat scelus sodomiticum. Etiam quòd vxorem Leuitæ nimia libidine occiderant. In alijs verò ciuitatibus terræ Beniamin nõ fuerat hoc repertũ, ideo in detestationẽ criminis ista ciuitas periret cum pecoribus, & iumentis, & aliæ non. Nam interdum propter horrorem vitij animalia occiduntur. Sicut si homo coiret cum pecore, iubebatur pecus lapidari: Leui. 20. Respondendum, quòd æqualia facta sunt in vrbib⁹ alijs Beniamin, sicut in vrbe Gabaa, scil. quòd occisi sunt homines tam viri, quam fœminæ, & pecora, & omnia spolia vrbium cremata sunt, ita quòd nihil ausi sunt Israelitæ accipere pro se. Primò patet, quia terra Beniamin vastabatur pro peccato. Sed cùm ciuitas subijciebatur anathemati propter peccata, non accipiebant Israelitæ quicquã de vrbe: sic patet Deut. 13. scil. Non adhærebit in manu tua

C quicquã de anathemate illo, vt auertatur dominus ab ira furoris sui: sic ergo nõ auderẽt hic Israelitæ accipere pecora aut alia spolia: ergo omnia occiderent occidenda & reliqua igne cremarẽt. Sed alquis dicet, quòd illud intelligebatur quando subiiciebatur ciuitas anathemati pro idololatria: nam in illo casu loquitur 12. cap. Deutero. Sed tunc non puniebantur Beniamittæ pro idololatria sed pro alio vitio. Dicendũ quod non stat ista ratio. Primo, quia tunc sequeretur quod nõ solùm alij Beniamitæ, sed etiam nec vrbs Gabaa debuisset sic deleri, quòd occiderentur pecora, & cremarentur omnia spolia & tamen in vbe Gabaa hoc factũ est vt patet in litera: ergo non plus intelligebatur illud de anathemate posito pro idololatria, quàm pro alijs criminibus, licèt specialiter loqueretur cap. illud de idololatria. Secundò patet hoc, quia manifestum est, quòd anathema, quòd Deus posuit super totam terram Amalech, quando misit illuc Saulem, nõ fuit pro idololatria, sed pro iniurijs, quas Amalecitæ intulerant Israelitis. Deuter. 25. & 1. Reg. 15. & tamen omnia subiecta fuerunt anathemati, ita vt non liceret Israelitis accipere aliquod pecus aut spolium, sed omnia debebant cremare, & occidere viuentia: quia Saul non obscurauit hoc, reprobatus est, primo Reg. 15. ergo etiam hic cùm poneretur anathema pro peccato sodomitico, & vexatione vxoris Leuitæ, & bello iniusto non auderent Israelitæ accipere aliqua spolia de vrbibus Beniamin. Item patet, quia licet vrbs Gabaa habuerat speciale crimen tamen etiam tota tribus Beniamin commisit crimen magnum. Primò quia noluerunt venire in Maspha cum alijs Israelitis ad inquirẽdum de modo punitionis virorũ Gabaa, & tamen ex hac sola causa puniti fuerunt omnes viri Iabes Galaad, scil. quòd ipsi occisi sunt tam magni quã paruuli quàm senes, & fœminæ, quę cognouerant viros, vt patet sequ. cap. Etiam peccauerant Beniamitæ contra legem Dei, quia sciebant peccasse grauiter viros Gabaa contra Deum. Etiam sciebant, quòd totus Israel mouebatur zelo legis ad puniendũ viros Gabaa, & ipsi restiterunt eis pugnando, & occiderunt de Israelitis quadraginta millia supra in litera: ideo pro hoc merebantur poni supra se anathema: & tamen in anathemate non licebat quicquã capi, sed omnia cremari, ideo peccora occiderent, & cremarẽt spolia. Itẽ manifestũ est, quòp Israelitæ occidernnt omnes viros, & fœminas magnos, & paruos: nam non repertæ sunt aliquæ mulieres de tota tribu Beniamin, quæ darentur in vxores sexcentis viris, qui manserunt in petra Remmon: ergo omnes feminas occiderant. Etiã vrbes cremauerant. Tunc ergo aut fecerunt hoc opere bellico, scil. vt vincerent hostes: vel ad detestationem criminis: non primo modo, quia illud esset si fortè Israelitæ nõ possent occidere viros Beniamin se defendentes, nisi vrbes eorum cremarent, & occiderent mulieres, & paruulos: & tamen nunc nõ factũ est sic, quia iam omnes bellatores occisi fuerant, quando Israelitæ combusserunt vrbes. Si autẽ secundo modo: ergo etiã pecora, & iumenta occiderent, & spolia cremarent: alioquin nulla ratio videbatur, quare ipsas vrbes cremarent & quare paruulos innoxios occiderent, & mulieres. Sed aliquis obijciet, quòd dato quòd cremarent vrbem, & occiderent paruulos, & mulieres, poterant capere prædam, & reseruare sibi iumenta: sic factum est in vrbe Hai, in qua omnes viri & fœminæ gladio cecciderunt, & ciuitas cremata est atq; posita in tumulũ æternum, Iosue 8. Responderi potest, quòd nõ est simile. Primò, quia ibi, dato quod nõ poneretur ciuitas sub anathemate, erant occidendi omnes viri, & fœminæ magni, & paruuli, eo quòd Chananæi erant, & de Chananæis nullus permittendus erat viuere, Deut. 20. cap. nunc autẽ mulieres, & paruuli gladio corruerunt: & nõ erant aliàs occidẽdi, nisi aliqua causa subesset ergo videtur, quòd factũ sit propter magnitudinẽ anathematis. Item fuit ibi alia causa specialis, scil. quòd non fuit propter peccatũ positum anathema, sed solum Israelitæ posuerunt illud ad laudem Dei, quia tradiderat viros vrbis Hai in manus eorum. Nunc autẽ in Beniamitis ponebatur anathema propter horrorẽ criminis, & in talibus cum vetitum esset quicquã accipi de anathemate, nihil acciperẽt Israelitę, quia timerent. Etiã erat differẽtia, quia in anathemate vrbis Hai Deus dedit formam illius, dicens, quòd Israelitæ diuiderent prædam, scil. Prædam exercitui diuides, & ex hoc licebat: nunc autẽ Deus nihil expressit, per quod videbatur nihil relaxatũ de stricto anathemate ideo non auderet aliquid accipere de anathemate. Dicendũ ergo, quòd sic factum est de omnibus ciuitatibus, & viculis, id est ruribus Beniamin sicut de vrbe Gabaa. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quòd licèt non expressum sit, subintelligendum est propter rationes supra positas. Et patet per simile: nam etiam non exprimuntur hic, quòd in alijs vrbibus Beniamin occisi sunt paruuili, & mulieres & senes: & tamen manifestum est, quòd factum fuit: quia vt patet sequenti capit. non reperta fuit aliqua mulier in tota terra Beniamin, quæ daretur alicui de sexcentis viris Beniamitis, quæ erant in petra Remmon, sed datæ sunt eis sexcentæ virgines de terra Israelitarum. Ergo sicut istud non fuit expressum, & tamen factum est: ita fieret de alijs, quæ non exprimuntur. Ad secundam rationem dicendum, quòd licèt magis peccauerint viri Gabaa, quàm alij Beniamitæ: tamen etiam alij cõmiserunt grauia crimina, scil. quòd venerunt ad conuocationem totius populi contra viros Gabaa. Secundum, & fortius fuit, quia expresè rogati, vt traderẽt viros Gabaa, qui erant peccatores, vt punirentur, noluerunt, sed magis ad defendendum se opposuerunt. Tertium quia cùm alij Israelitæ mouerentur zelo legis ad pugnandum contra viros Gabaa, ipsi adiuuerunt viros Gabaa, & pugnauerunt acerrimè contra Israelitas, ita vt 40. millia de illis occiderent. Ideo ista peccata erant satis grauia ad subijciendum terram eorum anathemati: & sic factum est.

D

In anathemate non licebat quicquam capi.

E

Ad 2. tationẽ

F

A

Quomodo non fuit obseruatum in hoc anathemate id quod in alijs obseruatur.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR vlterius, quomodo non fuit obseruatum in hoc anathemate id, quod in alijs obseruatur, quia generale est in quolibet anathemate, ex quacunq; causa ponatur, quòd ciuitas efficiatur tumulus sempiternus, vt nunquam habitetur: sic patet Iosue 6. de anathemate Iericho. Nam maledictionē posuit Iosue si quis reædificaret Iericho. Sic etiam in vrbe Hai in qua fuit minimū anathema, dicitur quòd posita fuit in tumulum æternum, Iosue 8. Sic etiā Deut. 13. in anathemate, quod fiebat pro idololatria dicebatur, quòd ciuitas illa non habitaretur in æternum: & tamen hic ciuitates Beniamin fuerunt postea habitatę, & ipsa ciuitas Gabaa habitata fuit. Nam de ea fuit Saul postea factus primus rex Israel. Aliquis posset dicere, quòd illicitum fuit fieri habitationē in vrbibus postea Beniamin, & tamen facta est, & qui postea habitauerunt ibi non peccauerunt, sic patet de Iericho, de qua posuit maledictionem Iosue, quòd qui reædificaret eam in primogenito suo iaceret fundamenta, & in nouissimo liberorum suorum poneret portas eius, Iosue 6. & tamen postea ædificata est Iericho, vt patet 3. Reg. 16. scil. Hiel de Bethel ædificauit Iericho, in primogenito suo Abiram fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius. Postea tamen habitauerunt ibi prophetæ, scilicet Elias, & Eliseus, & multi alij 4. Reg. 1. & 2. cap. & tamen si peccatum esset habitare ibi, nullus istorum virorum sanctorum habitasset: ita dicetur fuisse de vrbibus Beniamin. Sed dicendum, quòd non stat, quia ipsimet Israelitæ, qui combusserunt istas vrbes, fecerunt eas postea habitari. Pro quo sciendum, quòd intentio Israelitarum à principio erat delere totam tribum Beniamin, quia peccauerant grauiter, & potissimè, quia erant irati nimis: cùm Beniamitæ occidissent de illis quadraginta millia: & ob hoc cremabant vrbes eorū intendentes, quòd in æternum non habitarentur, sed manerent in tumulos sempiternos: postea tamen dolentes Israelitæ, quòd periret vna tribus in Israel, conati sunt reparare illam: & sicut contra intentionem suam primam egerunt, volentes nunc reparare tribū Beniamin, ita fecerunt contra intentionem reducentes vrbes illas ad habitationem, quas suppossuerant interdicto, & anathemati, & sic non mansit terra subiecta sempiterno anathemati, licèt cum hac intentione vrbes crematæ fuissent.

Cuiusdam resp. ad quæsitū

B

An Israelitæ peccarunt occidendo omnes viros Beniamin tàm senes quàm paruulos, & fœminas, & pecora & vrbes.

C

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlterius, an Israelitæ peccauerunt occidendo omnes viros Beniamin tam senes quàm paruulos, & fœminas, & pecora, & vrbes. Aliquis dicet, quòd non, quia crimina eorum meruerant, vt subijcerentur interdicto, & anathemati: ergo non erat illicitum. Item in isto anathemate nihil fiebat noui, sed id quod in alijs anathematibus: sic factum est enim in Iericho: sic in vrbe Hai: & tamen Israelitæ non peccabant in hoc, sed potius merebantur. Etiam Deus laudabat intentionē Israelitarum: ergo nec nunc peccarent. Patet hoc, quia Acham furatus est de anathemate Iericho: & Deus iratus percussit Israelitas coram hostibus, & dixit, quòd non cessaret furor suus, quousq; occideretur ille, qui furatus fuerat de anathemate: ergo licitum erat, & laudabile subijci ciuitatem anathemati, alioquin non peccaret, qui acciperet aliquid de anathemate, nec Deus ob hoc irasceretur. Item patet, quia si subijci anathemati vrbes non esset licitum, non caderet sub voto, quia votum debet fieri semper de meliori bono: & si aliquis oraret, vouens subijcere ciuitatem anathemati, Deus non exaudiret eum, sed potius irasceretur, & pœnam infligeret. Sicut si aliquis voueret fornicari: & tamen Israelitæ orauerunt dominum, vt traderet Chananæum in manus eorum, obligantes se voto, quòd si traderet in manus eorū, subijcerent ciuitates eius anathemati, delendo illas Num. 21. & Deus exaudiuit eos orantes, tradiditq; Chananæū manibus eorum, vt patet ibidem: ergo videtur, quòd Deus acceptat anathemata vrbiū. Item Deus iussit poni ciuitates quasdam sub anathemate Deut. 13. ergo Israelitæ subijciendo nunc vrbes Beniamitarum non peccabant. In contrarium videtur, quod peccauerint, quia occiderunt filios pro peccato patrum, & tamen hoc lex vetabat Deut. 20. Respondendum, quòd aut quæritur hic de viris Beniamin, qui mortui sunt in bello: aut de alijs, qui manserunt in vrbibus. De primis dicendū, quòd non peccauerint Israelitæ occidendo illos, sed potius meruerūt, quia Israelitæ zelo legis mouebantur ad puniendum viros Gabaa. In quo manifestū est, quòd merebantur: sic enim Phinees, qui zelo Dei occidit principem tribus Simeon cocuntē cum Madianitide placuit valde Deo, & laudauit eum Deus, promisitq; ei ob hoc summum sacerdotium in sempiternū: Num. 25. & primo Machab. 2. c. Merebantur ergo pugnando contra omnes Beniamitas defensores virorū Gabaa, cùm illi essent manifesti transgressores legis, quia adiuuabant ipsos peccatores contra viros iustos, & zelantissimos Dei. Sed omnes viri, qui fuerunt in bello fuerunt huius opinionis, ergo occidendo omnes Beniamitas bellatores potius meruerunt Israelitæ quàm peccauerunt. Si autem de alijs quæratur, qui non fuerunt in bello, tamen ducebant necessaria exercitui scil. de mille viris, qui ad hoc separati erant. Dicendum, etiā quòd occidendo istos meruerunt: quia isti conuenerant ad bellum cum cæteris, & tamen postea ipsi separauerunt de se mille viros ad portandum necessaria exercitui, vt declaratū est supra, cùm igitur idem intenderent isti, quod cæteri, merebantur mori, sicut illi. Etiam, quia isti censebātur pugnantes, & habituri erant spolia de bello, sicut pugnantes, cùm separati fuissent ad ducendū necessaria exercitui, & si exercitus iniustè pugnabat, isti etiam peccarent, qui fauebant iniustam facientibus pugnam. Si autem quæratur de alijs manentibus in vrbibus, scilicet de senibus, qui non poterant ire ad bellum. Nam nulli alij manebant, nisi aut valde senes aut valde iuuenes, qui non possent pugnare, vt dictum est. Dicendum videtur, quòd non peccauerunt occidendo illos, quia isti videntur peccasse super hoc: nam consilio seniorū regebantur vrbes, & isti consulerent iuuenibus adiuuare viros Gabaa contra totum Israel: ergo eandem pœnam merebantur, quam facientes, imò interdum maior pœna imponitur à iure consulenti alicui ad malum, quàm facienti: sic patet in Decre. 86. dist. capit. tanta nequitia: sed bellatores meruerunt mori, ergo & isti senes. Si autē quæratur de paruulis an licuit eos occidi, hic est dubium. Pro quo sciendum, quòd Israelitę poterant moueri ad occidendū paruulos Beniamitarum propter duo, scil. aut propter timorem aut propter grauitatem peccati. Primum est, vt fortè timerent Israelitæ, quòd quando isti paruuli crescerent ad magnam ætatē memores mortis patrum suorum occiderent Israelitas. Sed dicendum, quòd istud motiuum non stat, quia Israelitæ non poterant timere, quòd illi pueri postea venientes ad ætatem adultam pugnarent contra totum Israel, quia manifestū erat eis, quòd non possent prævalere cōtra tantā multitudinem, scil. vna tribus contra vndecim. Etiam quia recordarentur, quomodo omnes sui patres occisi fuerant tentantes hanc stultitiam, ideo ipsi valde cauerent illam. Item dato, quòd Israelitæ verisimiliter timerent, quòd Beniamitæ possent insurgere contra eos, & inferre damna, non poterant occidere Beniamitas, vt euaderent hunc timorem. Sicut dato quòd ego sciam aliquem hostem meum insidiari mihi ad mortem sæpe, & quòd ego non ero securus, nisi eum occidero, non possum licitè occidere illum, nisi actualiter me inuadat, & tunc me defendendo eum occidam. Secundum motiuum erat, quòd vellent eos occidere pro peccato patrum, scilicet quia illi grauiter offenderunt Deum. Et tunc viderentur iniuste agere, quia filij non debebant occidi pro patribus. De mulieribus autem magnis, & paruis idem dubium est. Nam isti per se non peccauerunt circa hoc, nec cōsulendo, nec pugnando, nec aliud faciendo: ideo si occiderentur, videtur, quòd solùm occidebantur pro peccato patrum, aut virorum suorum. De pecoribus autem occisis, & spolijs atq; vrbibus crematis, non oportet per se dubitari: quia si dicatur, quòd Israelitæ peccauerunt occidendo paruulos, & mulieres,

D

3. ratio

Respon. ad quæsitum.

E

Israelitæ non peccabant occidendo senes Beniamitarū

Dubiū. de occisione puerorum Beniamitarū

F

De occisione mulierum Beniamitarū

Cuiusdam rationes in diuersum
Prima ratio
2. ratio
3. ratio
4. ratio
Votum semper fieri debet de meliori bono. Thom. secunda secundæ q. 88 art. 2.

dicetur,

A

dicetur, quòd etiam peccauerunt occidendo pecora, & iumenta ipſorum, & delendo vrbes ipſorum cum rebus domeſticis. Si autem non peccauerunt occidendo mulieres, & paruulos, nec etiã peccarent res eorum cremando, & deſtruendo, quia deſtruuntur res aliquorũ in pœnam ipſorum, ſicut res Sodomorum cum ipſis, Gen. 19. & res Dathan, & Abiron cum eis. Nu. 16. & res idolatrarum cum ipſis Deut. 13. c. Circa hoc autẽ conſiderandum, quòd aliud eſt peccaſſe iſtos Iſraelitas faciendo hæc: Aliud eſt illicitũ, vel iniuſtum egiſſe, ſicut diſtinguit Ariſt. licèt in alijs verbis Ethic. 5. Nam poterant iſti non peccare faciendo aliquid, quod erat illicitum, vtpote, ſi neſciebant ſe facere illicitũ, & ſi mouebatur bono zelo ad agendum tanquã Deo obſequium præſtantes, & ſic fortè dato, quòd occidere paruulos, & mulieres hic malum foret, iſti non peccarent, quia bono zelo poterant agere, putantes quòd propter magnitudinẽ peccati virorum Gabaa, & omnium Beniamitarum debebat tota terra ipſorum poni in ſolitudine. Circa hoc, quòd eſt malum, vel illicitũ facere, dicendum quòd iſti viri Iſrael malum fecerunt, quia puniuerunt hic paruulos, & mulieres, qui nihil omnino peccauerant pro peccatis aliorum, qui reſiterant eis: Deus tamen dixit Deut. 24. non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus. Etiam Ezech. 18. dixit, quòd quilibet moreretur pro peccato ſuo, & non filius pro patre, nec è cõtrario. Item

B

Deus volebat, quòd manerent omnes tribus Iſrael pro ſemper: iſti tamẽ conati fuerunt delere totam vnam tribum nõ dimittentes reliquias: & ſi fortè Deus prouidiſſet faciendo euadere ſexcentos Beniamitas in petra Remmõ, tota tribus voluntate Iſraelitarum deleta foret. Item non ſeruauerunt Iſraelitæ mandatũ domini, ſed exceſſerunt formam: excedere autem eſt culpabile, ſicut agere contra ipſum mandatum. Patet hoc, quia Deus dixit: cras tradam eos in manus veſtras. Quod intelligebatur de illis, qui pugnabant, & non de illis, qui manebant in vrbibus, ideo non licebat eis ex Dei commiſſione pugnare contra manentes in vrbibus, ſcilicet, paruulos & fœminas, & occidere illos. Circa ſecundum an peccauerint etiam dici poteſt, quòd peccauerunt, licèt non nimis, quia ipſi doluerunt poſtea, quòd deleuiſſent tribum Beniamin. Dolor tamen, & pœnitere non eſt niſi de malo, ſcil. de malo, quod nobis nolentibus accidit, aut quod nos aliquando egimus. De hoc patet ſequ. cap. Item patet, quia Iſraelitæ egerunt hoc ex ira: nam erant nimis offenſi Iſraelitę à Beniamitis, cùm occidiſſent de eis quadraginta millia, ſupra in litera, & feruente ira quicquid poterant agere ad vindictam, iuſtum videbatur, quia ira impedit animum, ne poſſit cernere verum: & tunc cremauerunt vrbes, & occiderunt omnes ibi manentes. Poſtea autem cùm efferbuiſſet iracundia, conuerſi ad ſe Iſraelitæ doluerunt de eo, quod iniuſtè egerant, & plorabant corã domino petentes remedium ſequ. cap. Ad rationem primam in contrariũ dicendum, quòd quanquã crimina Beniamitarum meruerant, vt ipſi morte acerrima plecterentur, tamen non poterant mereri pro filijs ſuis, quòd morerentur: cùm Deus diffiniat, quòd pro peccato patris quantumcunq; graue ſit non debeat occidi filius, nec è contrario. Si tamen meretur pater per peccatum ſuum mori filium, deberet filius occidi, quia quod ſub merito cadit iuſtum eſt. Ad ſecundam rationem de vrbe Hai: dicendum, quòd occiſi fuerunt ibi viri vrbis Hai, non tantum, quia ſubiecti anathemati, ſed quia etiam ſi non ſubijcerentur anathemati licitum erat occidi illos, imò quod populus eſt obligabantur Iſraelitæ illos occidere, quia erant Chananæi, & de his Deus dixit, quòd omnes occiderent gladio tam viros, quam fœminas: & nulli parcerent ſub aliqua cõditione: Deut. 20. Ad tertiam rationem, ſcil. quòd Deus laudauit anathema poſitũ in vrbe Iericho. Dicendum quòd non eſt ſimile: nam viri vrbis Iericho erant Chananæi, & tenebantur Iſraelitæ eos occidere, vt dictũ eſt, etiam ſine anathemate, ideo quantũ ad hoc Deus non laudauit, nec vituperauit anathema. Sed fuit proprie anathema quantum ad ſpolia vrbis, quia licebat Iſraelitis accipere pecora, & iumenta, & quicquid ſpoliorum erat in vrbe, ſi ſe non priuaſſent iure ſito per anathema: ſed per anathema fecerunt ſibi hoc illicitum, & placuerunt Deo in duobus. Primò quia totum aurũ, & argentum, & æs, & ferrum repertũ conſecrauerunt pro theſauris domini: & iſtud erat ac ſi Iſraelitæ diuiderent illud inter ſe, & poſtea quilibet de manu ſua offerret Deo id, quòd ei proueniebat, ſicut factũ eſt in bello contra Madian: Num. 31. cap. Secundò placebant Deo, quia cætera ſpolia, quę non reponebantur in theſauris domini, ipſi Iſraelitæ habituri erant, & quia propter diuinum honorẽ voluerunt ꝙ illa cremarentur, & non prouenirent eis, placebant Deo. Achor autem fecit contra iſtud, quia rapuit clam regulam auream, quæ in theſauris domini ponenda erat, ideo iratus eſt contra eum, & totum Iſrael, Ioſue 7. quouſque lapidatus eſt. Sed nunc non erat ſic, quia paruuli, & fœminæ de tribu Beniamin non erant occidendi ſine aliqua magna cauſa. Et quia nunc non fuit aliqua, cùm nec ipſi aliquid mali meruiſſent, nec etiam lex arctaſſet eos ad hoc, peccatũ erat ſubijci illos anathemati. Ad quartam rationẽ dicendũ, quòd Deus non gaudet, quòd aliquis voueat ponere ciuitatem illam ei ſub anathemate, ſed potius eſt contra, niſi quando ciuitas eſt talis, contra quam licet fieri quicquid fit in anathemate, nõ ſupponendo eam anathemati. Et exemplũ non eſt ad propoſitum, quia vouerunt ibi Iſraelitæ ſubijcere anathemati vrbes Chananæi regis Arad, & illas poterant delere, non ſubijciendo anathemati, eo quòd gentes illarum ciuitatum erant Chananæę. Sed nõ erat ſic de Beniamitis. Etiam dici poteſt, quòd non placuit Deo iſtud votum, nec ob hoc exaudiuit preces Iſraelitarũ, ſed quia Iſraelitæ erant afflicti cum egiſſent prædam de eis Chananæi: Nu. 21. Deus miſertus eſt eorum, & tradidit Chananæum regem Arad in manus ipſorũ. Si autem dicere velimus, quòd placuit Deo iſtud anathema: dicendum, quòd non placuit ex eo, quòd Iſraelitæ occidebant gentes illas, & ciuitates diruebant, ſed ex hoc quòd iſti habituri erant prædam de bello, & abrenunciauerunt illi propter Deum, & quicquid ab honorem Dei fiat (dum tamen non ſit de ſe malum) ſuſcipitur ad meritum. Occidendo autem Beniamitas pueros innocentes, erat valde diſſimilis, ideo peccabant Iſraelitæ: Ad quintam rationem cum dicebatur, quòd Deus hoc iubet, ergo eſt licitum. Reſpondendum, quòd non erat licitum, quia Deus dederat legem circa idololatriam, quòd ciuitates ſubijcerentur anathemati, & occiderentur omnes in eis manentes, & ex conceſſione legis licebat hoc Iſraelitis, & aliàs non liceret. Ratio eſt quia Deus poteſt occidere quem voluerit: cùm reſpectu eius nemo innocens ſit, vt colligitur Num. 14. Exod. 34. ſcil. apud quem nemo per ſe innocens eſt: & quando aliquis agit vice illius idem eſt, ac ſi ipſe agat. Cùm autem aliquis eſt executor legis Dei agit vice Dei, ideo licitum eſt, & meretur, ſed homini per ſe non licet occidere aliquem pro peccato alterius, imò Deus vetuit Deut. 24. Non occidentur patres pro filijs nec filij pro patribus: ergo non licebit, quòd homo occidat aliquem pro peccato alterius, niſi in caſu à Deo expreſſo: ſic eſt de idololatria Deut. 13. ſed de peccato ſodomitico, & alijs non eſt tale expreſſum, ideo non licet vrbes ſubijci anathemoti pro his. Nec obſtat, quòd ſint peccata grauia, cùm pro his non ſit expreſſum, & pœnæ magis ſunt emoliendę, quàm ampliandæ, cùm odia reſtringi, & fauores cõueniat ampliari, vt patet de regulis iuris lib. 6. cap. odia reſtringi. Cùm autem obijcitur quòd Amalicitæ nõ peccauerant contra Iſraelitas, niſi in iniurijs Deut. 25. & primo Reg. 15. & tamen ſubiecti ſunt grauiſſimo anathemati. Dicendum, quod hoc fuit, quia Deus determinauit modum anathematis 2. Reg. 15. aliàs autem non debuiſſent Iſraelitæ tantum ſæuire in eos. Nunc autem non erat à Deo poſitum præceptum de ſubijciendo anathemati vrbes Beniamitarum, ideo peccabant Iſraelitæ ſubijciendo illas. Sed aliquis dicet, quòd licèt non ſit ſcriptũ, tamen Deus fortè iuſſit Iſraelitas, quòd iſtam pœnam infligerent Beniamitis. Dicendum, quòd non ſtat: quia ſi Deus hoc iuſſiſſet, non dolerent Iſraelitæ de illo, nec ſe culparent poſtquam feciſſent illud, quia quæ Deo iubente fiunt recta ſunt, & tamen doluerunt nimis, vt patet ſeq. cap. ergo Deus non iuſſit, ſed ipſi præpediti feruente ira iſtud fecerunt: & poſtquam efferbuit, ita, redeunte ratione, doluerunt de eo, quod iniquè egerant. Dicendum ergo, quòd peccauerunt in hoc Iſraelitæ, ſed fortè non fuit peccatum magnum: vt ſi putauerunt, quòd hoc licebat ſibi trahendo comparationem de anathemate quod ponebatur in ciuitatibus idolatrarum.

D

E

F

Aliud eſt peccare: aliud iniuſtũ

Ad 4. rationẽ

2. reſp. ad 4. rationem.

Ad 5. rationẽ

Ad obiectionẽ

Ad primam rationem in contrarium.

Ad rationem ſecundam.

Ad tertiam rationem.

Per anathema Iſraelitæ Deo placuerunt.

Iſraelitæ peccarunt occidendo pueros & fœminas Beniamitarum.

A

CAPITVLVM XXI.

IVRAVERVNT *quoq; filij Israel in Maspha, & dixerunt: Nullus nostrũ dabit filijs Beniamin de filiabus suis vxorem Venerunt q; omnes ad domũ Dei in Silo, & in cõspectu eius sedentes vsq; ad vesperam, leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes: Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis? Altera autem die diluculo consurgentes extruxerunt altare, obtulerunt q; ibi holocausta, & pacificas victimas, & dixerunt: Quis non ascendit in exercitum domini de vniuersis tribubus Israel. Grandi enim iuramento se constrinxerant, cùm essent in Maspha, interfici eos, qui defuissent. Ductiq; pœnitentia filij Israel super fratre suo Beniamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus vna de Israel. Vnde vxores accipient? Omnes enim in commune iurauimus non daturos nos his filias nostras.*

B

Iurauerant. In præcedentibus dicto de peccantium vastatione, hic consequenterter agit de eorum reparatione. Nam tribus Beniamin penè tota deleta fuerat, manentibus solis sexcentis viris, qui nõ habebant vxores, & sic necesse erat in breui totam progeniem Beniamitarũ perire: hic autem agitur de prouisione eorum ad hoc, ne periret successio. Et diuiditur in duo primò ponitur affectus compassionis: secundò affectus prouisionis ibi. *Iccirco dixerunt.*

An hic sit mutatio ordinis: & an hæc fuerint immediatè facta post præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum an ea, quæ habentur hic, sint facta post præcedentia, vel sit mutatus ordo. Et an fuerint facta immediatè, vel aliquanto tempore post. Ad primum dicendum, quòd sit rectus ordo. Nam supra dictũ est de pugna facta contra viros Beniamin, & de interfectione eorum, scil. quòd non manserint nisi sexcenti viri ad petram Remmon. Hic autem inducitur Israel plorans pro eo quod fecit, & volens prouidere illis sexcentis viris de vxoribus, ne periret tota posteritas Beniamin: Sed manifestum est istud esse post præcedentia. Sciendum tamen quòd si nos comparemus ea, quæ narrata sunt præcedenti cap. ad totum, quod narratur hic, scil. ad principalem, quod narratur hic, scil. ad

C

principalẽ historiam: verum est, quòd fuerunt ista post illa: si tamen referatur ad quaslibet particulas non est ordo continuatus: nam in principio literæ dicitur, quòd iurauerunt Israelitæ hic in Maspha, non dare vxores filijs Beniamin: & tamen istud manifestũ est, quòd fuit ante principium bellorum. Ad secundum dicendũ, quòd istud, quod habetur hic fuit pauco tempore factum post præced. scil. duobus mensibus aut parum plus. Quod patet, quia viri sexcenti de Beniamin, qui fugerunt de bello ad petram Remmon præced. cap. manserunt ibi, quousque Israelitæ miserunt nuncios ad eos, vt acciperent vxores de filiabus Iabes Galaad, & tamen manserunt quatuor mensibus viri illi in petra Remmõ præcedenti cap. ergo fluxerunt quatuor menses ex eo tempore, quo cessauerunt Israelitæ pugnare contra Beniamitas vsque quo miserunt ad vocandũ eos, vt darent illis vxores. In isto autẽ tempore medio fecerunt Israelitæ ista, quæ sequuntur, scil. combusserunt primo vrbem Gabaa percutientes ibi homines, & iumenta in ore gladij: deinde euntes ad omnes ciuitates, & viculos terræ Beniamin occiderunt quousque ibi inuenerunt vsq; ad iumenta, & cremauerunt vrbes præced. cap. deinde venerunt ad templum Domini in Silo, & ibi doluerunt, quòd deleuissent tribum Beniamin, & inquisiuerunt remedium de vxoribus, & mittentes decem milla in Iabes Galaad virorum occiderunt omnes, qui ibi erant præter 400. virgines, quas duxerunt in Silo, & miserunt ad viros Beniamin, qui erant in petra Remmon, vt venirent, & acciperent eas in vxores, & tunc completi sunt quatuor menses. Ista tamẽ, quæ fuerunt tempore medio, bene eguerunt duobus mensibus, aut maiori tempore ad hoc, quòd expedirentur, & sic videtur, quòd quasi nõ fuerit aliqua interpollatio temporis inter præcedentia, & ea quæ habentur hic. *Iurauerunt quoq; filij Israel in Maspha.* Scilicet, quando Israelitæ congregati fuerunt in Maspha antequã facerent aliquod bellũ, aut venirent in Gabaa iurauerunt, quod habetur hic. *Et dixerunt: nullus nostrum dabit filijs Beniamin de filiabus suis vxorem.* Id est iuramus, quòd quanquam petierint vxores de filiabus nostris, quòd nunquam eis debemus. *Venerunt q; omnes in domum Dei in Silo.* Scil. omnes Israelitæ, qui congregati erant post destructionẽ tribus Beniamin venerunt in Silo, vbi erat domus Dei, id est tabernaculũ domini, quod fabricauerat Moyses in deserto. Iosue quippe, & totus Israel posuerant illud ibi, & adhuc manebat ibidem. De hoc Iosue 18. cap. *Et in conspectu eius sedentes vsq; ad vesperam.* Scil. die illa, qua venerunt in Silo sederunt omnes Israelitæ coram domino, scil. in domo illa coram altari, & quia ibi specialiter Deus esse signabatur quicunq; ibi sederet diceretur sedere coram domino. Et dicitur vsq; ad vesperam, quia toto illo die nihil aliud fecerunt, nisi sedere coram domino, & plangere. *Leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes.* Magna tristitia erat Israelitarum, quia perierat vna tribus de Israel, ideo non potentes continere tristitiam intra cor suum leuauerunt vocem, & clamauerunt. *Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum.* Id est, quare permisisti vel procurasti, quòd fieret tantum malum, scil. quòd periret vna tribus de Israel? De hoc autem conquerebantur, & non de actore huius cædis, quia ipsimet Israelitæ occiderant omnes Beniamitas, vt patet præcedenti cap. quia Deus videbatur instruxisse, vel direxisse hoc, vt sic fieret: vel saltem non prohibuit: conquerebantur aliquo modo de ipso. *In populo tuo.* Id est in Israel, quia omnes isti pugnantes tam occisores, quàm occisi erant de populo Israel. *Vt hodie vna tribus auferatur à nobis.* Scilicet, tribus Beniamin ablata erat. Nam omnes viri, & fœminæ, magni, & paruuli de tribu Beniamin perierãt præter sexcentos, & non videtur vnde possent illi habere vxores aliquas ad suscitandum, & continuandũ successionem eiusdem tribus, vt infra patet: ideo videbatur omnino perijsse illa tribus. Et dicitur hodie, quia in illa die finita fuerat strages facta in viris Beniamin.

D

Affectus cõpassionis.

Quare moti fuerunt viri de vndecim tribubus ad iurandum quòd non darent de filiabus suis vxores filijs Beniamin.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quare moti fuerunt viri de vndecim tribubus ad iurandum quòd non darent de filiabus suis vxores filijs Beniamin. Respondendum est, quòd cùm factũ est scelus circa vxorem Leuitæ in vrbe Gabaa, quæ erat de tribu Beniamin, cæteri viri Israel congregati fuerunt in Maspha audientes querelam Leuitæ: & miserunt ad viros Beniamin, vt traderent viros Gabaa ad hoc, quòd occiderentur: & illi noluerunt, præce. cap. tunc omnes viri Beniamin facti sunt hostes publici totius Israel: & cogitauerunt Israelitæ quomodo nocerent eis omnibus modis tanquã hostibus, & ad hoc iurauerunt, vt non redirent in domos suas quousque vindicarent istud delictum in viros Beniamin, & vt tollerent omnem possibilitatẽ concordiæ inter eos & viros Beniamin, iurauerunt quod etiã nõ traderent eis de filiabus suis vxores aliquas, scil. dato quòd viri Beniamin non habeant aliquando vnde accipiant, vxores, nõ dabimus eis, vnde accipiant vxores, sed potius faciemus q; pereat tribus illa prædefectu propagationis, & fortè cogitauerunt de tali casu, scil. quòd accideret, quòd tota tribus Beniamin deleretur præter paucos, & illis non habentibus vxores non darent eis aliæ tribus vxores, sed quòd perire tribus illa. Vel fortè non cogitauerunt de hoc casu partteculari, sed fecerunt hoc, quia Israelitæ acceperunt viros Beniamin tanquã hostes publicos propter ea, quæ dicta sunt: hosti autẽ inter dicitur omnis communicatio, ideo etiã istis inierdicenda erat: & ad hoc interdicta fuit eis cõmunicatio in dando filias in vxores, quæ est quædam communicatio amicorum. Et etiam ad causandũ amicitiam: nam per coniunctionem matrimonialem fit concatenatio sanguinis, & vnitas progenici.

E

F

A

An Iſraelitæ de vndecim tribubus, qui nolebant nunc dare de filiabus ſuis vxores filijs Beniamin, an nollent propter legem, aut propter iuramentum.

QVÆSTIO III.

VLTERIVS quæretur, an Iſraelitæ de vndecim tribubus, qui nolebant nunc dare de filiabus ſuis vxores filijs Beniamin, an nollent hoc propter legem, aut propter iuramentum. Nam lex erat Num. 36. quòd quilibet vir acciperet vxorem de tribu ſua, & quælibet fœmina maritum de tribu ſua ideo dato quòd non intercideret iuramentum, obligabantur per legem ad non dandum filias ſuas in vxores viris de tribu Beniamin. Reſpondendum, quòd intentio Beniamitarum fuit à principio nõ dare de filiabus ſuis vxores filijs Beniamin, & ob hoc iurauerunt: & poſtea dare volebant videntes, quòd non poſſent aliunde viri Beniamin accipere vxores, & tamen credebant ſe non poſſe dare. Et hoc non propter legẽ, ſed propter iuramentũ. Et patet hoc, quia cùm intentio Iſraelitarũ eſſet non dare viris Beniamin vxores de filiabus ſuis: ſi putarent per legem ſe teneri ad non dandum, non curarent addere aliud vinculũ, & tamẽ iurauerunt omnes ſuper hoc: ideo videtur, quòd nõ putabant vinculũ legis

B

ſufficere ad hoc. Secundò patet, quia quando conuenerunt nunc omnes in Silo, dixerunt: vnde accipient nunc vxores filij Beniamin? omnes enim in cõmuni iurauimus nõ daturos nos his filias noſtras, q. d. ſi non iurauiſſemus hoc poſſemus dare eas: aliàs autẽ ſi putarent ſe etiã lege teneri ad hoc, fruſtra dicerent, omnes in cõmune iurauimus; quia non obſtante, quòd non intercidiſſet iuramentũ, erat alia obligatio æqualis. Tertiò patet quia quæſiuerunt Iſraelitæ, quis de toto Iſrael non veniſſet ad bellum, & non iuraſſet in Maſpha: & quia reperti ſunt viri Iabes Galaad non interfuiſſe bello, nec iuramẽto de filiabus eorum, datæ ſunt vxores filijs Beniamin, vt patet infra in litera. Quartò patet, quia poſtquàm Iſraelitæ tradiderunt filias virorum Iabes Galaad viris Beniamin quadringentis in vxores: & ſupererant ducenti, qui non acceperant vxores, dixerunt inter ſe, quid faciemus de his, qui non acceperunt vxores, filias noſtras eis dare non poſſumus conſtricti iuramento, & maledictione, qua diximus: maledictus, qui dederit de filiabus ſuis vxorem Beniamin: ecce dixerunt ſe iuramento conſtrictos, & non dixerunt conſtrictos lege.

Quomodo Iſraelitæ non putabant ſe lege teneri ad hoc, ſed induxerunt iuramentum tanquam vinculum extraordinarium.

C

QVÆSTIO IV.

VLTERIVS quæretur, cùm eſſet lex, qua vetarentur cõtrahere, qui erant de diuerſis tribubus, Nu. 36. quomodo Iſraelitæ non putabant ſe teneri lege ad hoc: ſed induxerunt iuramentũ, tanquam vinculũ extraordinarium. Aliquis dicet, quòd hoc fuit, quia iſti, qui fecerunt iſtud iuramentum erant populares, & non ſciebant legem, ideo credebant ſe non obligatos ad hoc, niſi ipſi ſponte per iuramentum obligarentur. Sed dicendũ, quòd hoc nullo modo ſtat, quia totus populus Iſrael conuenit in Maſpha de vndecim ttibubus: nec defuit quiſquam quando factum eſt iuramentum iſtud, niſi viri Iabes Galaad, vt patet infra in litera: non eſt autem veriſimile, quòd in toto Iſrael nõ eſſet aliquis, qui neſciret legem. Item patet, quia iſta lex de matrimonijs erat vulgatiſſima, eo quòd quotidie erat in vſu propter quotidiana matrimonia, & non poterat aliquis ignorare eam. Aliquis dicet aliter, quòd Iſraelitæ non putauerunt ſe obligari lege, ſed iuramento, dato quod ſcirent legẽ, quia lex illa ſolum intelligebatur de fœminis ſuccedentibus in hæreditate patris ſui: vt cùm quis nullũ filium maſculum haberet, quia tunc ſuccedebant filiæ, & aliàs minimè, vt patet Num. 27. Cæterę autem, quæ non ſuccedebant in hæreditatẽ, poterant accipi à viris aliarum tribuum, ſicut eſt poſitio multorum: & quia quantum ad iſtas nõ obligabantur ex lege, voluerunt ſe obligare iuramento. Sed dicendum etiam, quòd iſtud non ſtat, iſta lex intelligitur de omnibus fœminis, vt ſatis declaratum eſt Num. 36. Item patet, quia in Iabes Galaad occiſi fuerunt omnes viuentes, præter quadringentas mulieres virgines, & de illis certũ eſt, quòd ſuccedebant patribus ſuis, quia non habebant alios hæredes, cùm omnes occiderentur. Et quòd plus eſt, iſtę ſuccedebant in omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, quæ erant in Iabes Galaad, eo quod non erant aliqui alij cognati defunctorũ Iabes: & tamen traditæ ſunt viris Beniamin non obſtante lege: ergo videtur, quòd lex nõ faciebat obligationẽ quantum ad iſtas, ſicut iuramentũ pro alijs, quæ non ſuccedebant: & tamẽ contra iuramentũ nihil actum eſt, & contra legem actum eſt: ideo videtur quòd ipſi non putabant iſtam legẽ intelligi ſolum de ſuccedentibus, & propter hoc, quòd iurauerint pro alijs. Dicendum ergo videtur, q; Iſraelitæ fortè fecerunt hoc ex quodam errore, ſcil. quia licèt crederent ex lege ſe obligatos ad hoc, tamen putabant, quòd iſta obligatio faciliter poterat tolli dato caſu neceſſitatis: ſed non poterat tolli iuramentũ: vtputa conſiderauerunt fortè, quòd deleretur tribus Beniamin, ita vt pauci manerent, & occiſis mulieribus de tribu ſua non haberent vnde acciperent vxores, & tunc neceſſitas faciebat legẽ diſpenſabilem, vt ergo nullo modo poſſet dari diſpenſatio, voluerunt ſe obligare iuramnto, vt nullo modo eſſet diſpenſabile: nam iuramentũ credebant indiſpenſabile, vt declarabitur infra in quadã quæſt. iſti tamen nimis errabant: quia in caſu, quo peterent Beniamitæ vxores de alijs tribubus, aut eſſet caſus neceſſitatis aut nõ eſſet caſus neceſſitatis, non poterat diſpenſare in lege, ſicut nec in iuramento. Si autẽ eſſet caſus neceſſitatis, tam iuramentũ, quam lex erant diſpenſabilia: imò facilius eſt diſpenſari in iuramento, quã in lege: quia iuramentum eſt inducens vinculũ ex voluntate noſtra: lex autem inducit vinculum ex voluntate Dei: fortius autẽ eſt vinculum à Deo inductum, quam à nobis: & tamen putauerunt contrarium iſti, ideo filias virorum Iabes Galaad tradiderunt filijs Beniamin non curando de lege, & ſuas dare noluerunt, quia erat contra iuramentum.

D

Reſpon. ad quæſitum.

E

Fortior lex quã iuramẽtum.

An non obſtante iuramento iſto & lege poterant Iſraelitæ dare de filiabus ſuis vxores filijs Beniamin, qui reſidui erant.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlterius, an non obſtante iuramento iſto & lege poterant Iſraelitæ dare de filiabus ſuis vxores filijs Beniamin, qui reſidui erant.

Reſpondendum erat quòd ſic. De iuramento patet, quia iuramentũ non extenditur ad ea, de quibus non extitit cogitatum: ſed iſte caſus erat inopinatus, quia neſciebant Iſraelitæ quòd ſic accederet, ſcil. quòd perirent omnes fœminæ de tribu Beniamin, & quòd manerent aliqui pauci viri, qui nõ haberent vnde acciperent vxores. Ideo nunc cum accidiſſet, nõ erat iuramentũ tenendum in eo. Secundò patet, quia iuramentum quando vergit in deteriorẽ exitum, non eſt tenendũ ſed tandiu tenendum eſt quandiu non vergit in præiudicium ſalutis æternę: & tamẽ iſtud ſi ſeruaretur tenderet in peiorem exitum, ſcil. quia iſti ſexcenti viri de tribu Beniamin, qui reſidui erant, non habebant aliquas fœminas de tribu ſua. Ideo oportebat vnum de tribus, ſcil. quòd aut periret tota tribus Beniamin iſtis non accipientibus vxores, & non relinquentibus poſteros: aut acciperent vxores de gentilitate, aut acciperent de alijs tribubus Iſrael. Primum erat inconueniens, quia erat contra voluntatẽ Dei, qui volebat permanere omnes duodecim tribus Iſrael, & nunc periret vna præ defectu coniugiorum. Secundũ erat inconueniens, quia dato, quòd eſſet contra legem cõmunem, quòd vnus vir acciperet vxorem de alia tribu, tamẽ magis erat cõtra legem, quòd Hebræi acciperent vxores de Gentilitate, eo quòd minus communicabant Gentiles & Iudæi inter ſe quàm viri de vna tribu cum viris de alia tribu. Etiam quia ſequebantur inde pericula, ſcil. quòd ipſi, qui contrahebant inducerentur ad idola amore vxorum, & quòd proles inde genitæ nutrirentur in cultu dæmonum. Et iſta fuit cauſa quare Deus vetuit matrimonia inter Iſraelitas & Gentiles, Exod. 34. & Deuteron. 7. & 3. Reg. 11. & non ſequebantur

F

Iuramentũ virgines in præiudicium ſalutis non tenet.

Deus quare vetuit matrimonia inter Iſraelitas, & gentiles

A aliqua istorum accipientibus viris vxores de alijs tribubus. Etiam omnibus his adhuc stantibus fortè Gentiles nollent dare istis filijs Beniamin vxores de filiabus suis, ideo restabat, quòd acciperent de alijs tribubus vxores non obstante isto iuramento. Quod autem lex ad hoc non obstaret, patet, quia Deus dedit legem intelligendam ciuiliter, scilicet in casu, in quo potest commodè obseruari: quando tamen ex obseruatione legis sequitur magnum incommodum, noluit lator legem intelligi, Et sic erat hic. Nam vt communiter poterat quilibet vir inuenire vxorem in tribu sua, & è contrario, & tunc honestius erat, quòd acciperet vxorem de tribu sua, quàm de aliqua alia, propter causas declaratas Numeri 36, & ob hoc lex data est: cùm tamen non inueniretur vxor aliqua in tribu sua, necesse erat de alia accipi, quia aliàs lex vetaret alicui accipere vxorem, quod erat impium: noluit ergo intelligi in hoc casu. Item politia non est propter legem, sed lex est propter politiam: ideo quando necesse est alterum perire, melius est, quòd pereat lex: & ob hoc sæpe mutatur lex propter vtilitatem politiæ, & tamen nunquam mutatur politia propter conseruationem legis, & tamen pereunte hic vna tribu propter defectum matrimonij, obstante lege, deficeret vna pars magna politiæ: & sic poterat perire. Et istud est contra rationem, cum non sit politia propter legem, sed lex propter politia, ideo debet hic potius mutari lex quam periret politia, non habente aliqua tribus matrimonia. Adhuc autem potest esse alia causa, quare iuramentum istud nõ obligaret, quia ipsi fecerunt illud ex magna iracundia: nam nimis fuerant irati contra filios Beniamin, eo quòd noluerant tradere eis viros Gabaa peccatores, ad hoc, quòd de eis fieret iustitiæ executio. Etiam quia vt aliqui volunt, quòd quando factum fuit istud iuramentum, iam pugnatum fuerat, & perierant multi de vndecim tribubus: & præ dolore occisorum, indignatione hostium commoti fuerunt Israelitæ ad faciendum istud iuramentum, sed iuramentũ factum cum ira non est plene deliberatum, & consequenter non est omnino obligatorium.

Lex est propter politiã, & non è contrario.

B

An peccauerunt Israelitæ faciendo iuramentum de non dando filias suas in vxores filijs Beniamin.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerunt Israelitæ faciendo iuramentum de non dando filias suas in vxores filijs Beniamin. Respondendum, quòd satis grauiter videntur peccasse. Nam aut Israelitæ iurabant se nõ daturos filias suas filijs Beniamin in casu, in quo de lege vetabantur, aut in casu de lege propter necessitatem, vel aliàs, in quo poterat esse licitum accipi illas. Primò modo non est dicendum, quòd Israelitæ iurarent: quia frustra erat iurare id, ad quòd sine iuramento aliàs obligabantur facere. Si autem secundo modo erat peccatum, quia iurabant non facere bonum: nam lex dabat locum in casu necessitatis, in quo impium erat non dare vxores illis, quorum progenies aliàs peribat: iurare autem facere malum peius est, quam absolutè facere malum: eo quòd peccatur primò iurando, deinde efficiendo quòd iuratur: poterant tamen aliqualiter excusari Israelitæ per ignorantiam, quia erant simplices: & in multis de iure errabant circa obligationem votorum, & iuramentorum, vt declarabitur sequenti quæstione.

C *Iurare re malum peius est quam facere malũ.*

Cùm iuramentum Israelitarum de non dando vxores fuerit illicitum, quare voluerunt illud obseruare.

QVÆSTIO VII.

VLTERIVS quæretur, cùm iuramentum istud Israelitarum fuisset illicitum à principio, vel saltem vergeret iam in deteriorem exitum, & non erat iam seruandum, quare Israelitæ noluerunt iliud relaxatum esse intelligere, vel non obligari se eo. Respondendum quòd hoc proueniebat ex quadam ignorantia Israelitarum, putabant enim quòd cum aliquis se obligasset iuramento, vel voto ad aliquid, in nullo casu licebat retrocedere, etiam si vergeret in deteriorẽ exitum. Sic patet de voto Iephte Galaaditæ iudicis Israel: nam vouit, quòd si Deus traderet Ammonitas in manus eius, quicquid occurreret ei primũ de domo sua reuertenti in pace, immolaret illud domino: accidit autẽ q̃ filia sua vnica occurreret ei cũ cãticis, & tympanis, & ipse scidit vestimẽta sua dicens: Heu filia mi, quia decepisti me, & ipsa decepta es. Quia tamẽ vouerat domino, putauit se teneri ad occidẽdum eam, & immolauit illam, vt supra 11. & tamen certum est, quòd non tenebat istud votum. Nam aut intellexit Iephte à principio de omnibus, si occurrerent ei, quòd immolaret primum, aut solum de immolaticijs, & tamen non expressit. Si primo modo, non tenebat votum, quia erat illicitum, & peccabat vouendo. Si secundo modo, non tenebatur, quia votum, & iuramentum non extenduntur ad casus non excogitatos: quia de illis non est consensus, nec voluntas se obligandi: & tamen his non obstantibus, putauit Iephte se obligatum ad immolandum filiam suam, quia aliàs non immolasset eam cùm diligeret ipsam nimis, quia erat vnica. Sic etiã erat de obseruatione legis, quia putabant Israelitæ se obligari ad obseruandum legem ad literã in omni casu. Sic patet de obseruatione sabbati. Nam iussum erat nullum opus fieri in sabbato: tempore Machabæorum, cùm Gentiles idolatræ inferrent bellum Israelitis diebus sabbatorum, fugientibus in montes, non se defenderunt, sed permiserunt se mori, vt patet primo Mach. 2. scil. Et concitauerunt eis prælium in diebus sabbatorum; & nõ responderunt eis, nec opilauerunt loca occulta, dicentes: moriamur omnes in simplicitate nostra: testes erunt super nos cœlum, & terra quòd iniuste perditis nos: & mortui sunt ipsi & filij eorum, & vxores eorum, & pecora eorum, vsque ad mille animas. Ita nunc in isto iuramento putauerunt quod quanquam obseruatio eius induceret malum, quòd tenebantur illud obseruare, ideo nullo modo dederunt eis de filiabus suis, sed inquisiuerunt modum ad satisfaciendum, qui habetur in litera. Ista simplicitas fuit à principio inter Iudæos magna, & fuit propter duo. Primò quia adhuc populus ille erat naturaliter rudis, & circa legem ineruditus. Secundum erat, quia Deus iusserat eis seruare legem ad literam non declinando ad dexteram, nec ad sinistram: & ita putabant in iuramentis fieri debere, & votis, & quibuscunque promissionibus. Procedente autẽ tempore tam per rationis vsum crescentem, quam propter exercitationem in lege, quam propter inconuenientia, quæ accidebant, erudiebantur aliqualiter ad seruandũ magis legem in sententia quàm in verbis: & sic fuit tempore Machabæorum, quando perierunt viri quasi mille nolẽtes se defendere in sabbatis. Nã Mathathias, & alij Israelitæ conuenientes dixerunt, irrationabile esse illud, quia si sic facerent omnes Iudæi cito delerentur de terra, ideo conuenerunt in hanc sententiam, quòd si quis veniret contra eos in bellum diebus sabbatorum quòd responderent ei, se defendendo: ipsi tamen non mouerent bellum hostibus, primo Machab. 2. cap. postea autem adhuc magis fuerunt instructi: nam si aliquod animal cadebat in puteum, vel locum periculosum die sabbati, educebant illud inde, vt patet Lucæ decimo tertio.

D

Votum & iuramenta non extenduntur ad casus non excogitatos.

E

Iudæi in principio rudes.

F

An Iudæi seruarent hoc iuramentum faciendo quod habetur hic in litera.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vlterius, dato quòd istud iuramentum obligaret sicut credebant Iudæi: an ipsi seruarent illud faciendo quod habetur hic, scilicet, quòd darent quadringentas virgines de Iabes Galaad & ducentas virgines de filiabus suis ducentibus choros in Silo. Et dicendum quòd non. Primò quia tradiderunt eis virgines Iabes Galaad. Nam si viri Iabes viuerent, potuissent licitè dare filias suas in vxores Beniamitis, eo quòd ipsi nihil iurauerant: & sic non putarent se teneri, & tamen alij Israelitæ qui iurauerant non poterant dare licitè eas, quia istæ virgines iam erant in potestate ipsorum Israelitarum occisis patribus earum, & ipsi censebantur patres earum. Nam propter hoc iurauit quilibet nõ daturum se filiam suam Beniamitis, quia filia cuiuslibet erat in potestate sua, & iurabat quilibet de eo quod erat in potestate sua: sed istę virgines Iabes Galaad iam erant in potestate

A Iſraelitarum ſicut filiæ ſuæ, ideo peccabant ipſas dando Beniamitis. Secundò patet, quia ſi intelligatur iſtud iuramentum ſolùm de filiabus, ſicut erant verba iuramenti: poſſet quilibet dare neptem, vel proneptem, aut quamcunque inferiorem, quæ eſſet in poteſtate ſua: ſed hoc non putauerunt ſe poſſe facere Iſraelitæ obſtante iuramento. Nam aliàs facile erat dari vxores Beniamitis, quia manifeſtum eſt, quòd in toto Iſrael vbi erant pluſquam mille millia, & quingenta millia virorum conugatorum fortè, ſicut fuit ſemel in computatione facta tempore Dauid, primo Paralipome. 21. cap. eſſent aliquæ virgines non habentes patres, & illæ poſſent dari in vxores Beniamitis: tamen nulla de talibus data eſt. Quod patet, quia ſolùm datæ ſunt ſexcentæ virgines: quadringentæ de Iabes Galaad, & ducentæ de procedentibus in in choris, & ſolennitate in Silo: ergo putabant nõ poſſe dare tales ſtante iuramento, & conſequenter nec poſſent dare virgines Iabeſenas. Tertiò patet, quia ſi intelligeretur ad literam de ſolis filiabus, poſſet quilibet dare filiam alterius, & alius filiam eius: & ſic nullus daret filiam ſuam: tamen darentur filiæ omnium in vxores, & faciliter darentur vxores Beniamitis: & tamen non putauerunt Iſraelitæ, quòd poſſent aliquam dare, ſicut nec dederunt, ſed quæſierunt alios modos ergo etiam non poterant dare filias Iabeſenorum. Quartò patet in aliquo caſu adhuc magis manifeſto: certum B eſt enim, quòd multæ virgines erant in Iſrael non habentes patres, quando iſtud iuramentum factum eſt: & ſic patres earum non iurauerunt: & Iſraelitæ habebant poteſtatem ſuper eas ad dandum eas cui vellent, & in iſtis erat penitus ſicut in virginibus Iabeſenis, ſcilicet, quòd patres earum nõ iurauerant, ſicut nec viri Iabes, & ipſę erant de progenie Iſraelitarum ſicut virgines Iabes, & erant ſub poteſtate Iſraelitarum ſicut illæ. Et tamen non dederunt Iſraelitæ aliquam de talibus, cum certum eſſet, quòd multæ erant in Iſrael huiuſmodi: ergo errabant nimis. Item non poterant euadere periurium, inquantum dederunt conſilium, vt acciperent virgines ducentes choros in Silo. Et patet, primo quantum ad illos, qui dederunt conſilium, vt hoc fieret. Nam iuramentum ſecundum intentionem eorum obligabat eos ad non dandum de filiabus ſuis in vxores filijs Beniamin: & tamen per quandam cauillationem ipſi volebant dare modũ, vt haberent filij Beniamin vxores de filiabus eorum: ergo incidebant in periurium, quia iuramentum debet ſeruari ad illam intentionem, ad quam factum eſt, & nulla ars iurantis excuſat. Secundò patet quantum ad illos, quorum filias contingeret accipi inter illas ducentas virgines ducentes choros in Silo: quia cùm illi repeterent filias ſuas, iſti, qui dederant conſilium, hoc dicerent eis: miſeremini eorum: quia non rapuerunt eas iure bellantium, ſed rogantibus, vt acciperent non dediſtis: & à veſtra parte peccatum eſt. Nam ſi iuramentum obligabat, ſicut ipſi putabant, non poterant miſereri C Beniamitarum permittendo eis habere filias ſuas, quia non erat in poteſtate eorum iuramentum relaxare ad hoc quòd poſſent miſereri, ſed tenebantur agere iuxta vires ad implendum iuramentum ſuum. Tertiò patet quantum ad iſtos, qui rogarent illos, quorum filiæ acciperentur in Silo in chorizantibus, quia iſti peccarent manifeſtè rogando alios, vt inciderent in periurium. Quartò patet, quia poterat accidere, quòd filiæ iſtorum qui dabant iſtud conſilium caperentur à Beniamitis: & tunc nulla accuſatio erat quin inciderent in periurium, quia ipſi dederant occaſionem, vt iſtud fieret. Etiam quia tunc ipſi permitterent quòd Beniamitæ haberent filias eorum: nam nullus rogaret eos, quod dimitterent illas Beniamitis, quia non rapuerant eas iure bellantium. Nam nullus alius ſciebat quòd ſic fieri debebant niſi iſti, qui tractauerant: erat ergo tanquam ſi iſti ſponte darent filias ſuas Beniamitis, ideo ſi iuramentum tenuiſſet, non poterant iſti euitare aliquo modo periurium, ſed iſtud proueniebat ex errore ipſorum. Nam ſicut ex ignorantia putabant ſe teneri iſto iuramento, quod falſum erat, ita pugnabant per iſtum modum faciendo euitare periurium: ſed in vtroque errabant grauiſſime: erant enim valde rudes Hebræi illius temporis: & nullo modo circa rationem, aut iura exercitati.

Quare Iſraelitæ ſteterunt coram domino in Silo, & non conſtruxerunt altare, & ſequenti die conſtruxerunt.

QVÆSTIO IX.

QVARE dicitur hic, quòd Iſraelitæ ſteterunt coram domino in Silo ſedentes, & lugentes, & ſequenti die conſtruxerunt altare, & cur in ipſa die non conſtruxerunt. Aliquis reſpõdebit, quòd Iſraelitæ venerunt ſero in Silo ad dominũ die illa: cùm iam pertranſiſſet hora ſacrificiorum, ideo expectauerunt vſq; ad ſequentẽ diem ad ſacrificandum. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia dato quòd venirent ſero poterant facere ſacrificium. Nam ſacrificium veſpertinum fiebat in occaſũ ſolis, & durabat per totam noctẽ in altari, Leui. 6. poterat ergo quacunq; hora offerri ſacrificium. Item iſtud patet aliqualiter, quia dicitur in litera quòd venerunt in Silo & in cõſpectu domini ſedentes vſq; ad veſperam leuauerunt vocem ſuam. Hoc quòd dicitur, vſq; ad veſperam, ſignificat quòd ſteterunt ibi magna parte diei. Nam ſi veniſſent ſero, ſcil. in veſpera, non bene diceretur, quòd ſteterunt ibi vſq; ad veſperam. Sed dicendũ videtur, quòd factum eſt propter duo. Primò, quia Iſraelitæ volebant à Deo exaudiri, vt daretur modus, ne periret tribus Beniamin: & ne ipſi inciderent in periuriũ, & propter hoc volebant facere ſacrificia: & quia ſacrificia non acceptabantur, niſi qui faciebat illa, diſpoſitus eſſet, voluerunt ſe diſponere: ſicut dicitur Iſaiæ 1. Ne offeratis vltra ſacrificiũ fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi: neomeniam & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cætus veſtri, Kalendas veſtras & ſolennitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, & laboraui ſuſtinens: & cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Et ſubditur cauſa, ſcil. manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt: & ſequitur, quòd ſi lauentur Deus exaudiet eos, diſpoſitio autem, quam iſti facere debebant, erat quòd contererentur coram domino: & lugerent, & tunc exaudirentur: ſicut dixit Deus Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: & ecce addidi vitæ tuæ quindecim annos 4. Reg. 20. & Iſa. 38. c. & iſta diſpoſitio placebat Deo magis quam omnia ſacrificia. Et patet hoc Michææ 6. cum dicitur: Quid dignum efferam domino holocauſtomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari poteſt dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, & fructum ventris mei pro peccato animę meæ? Indicabo ô homo quid ſit tibi bonum, & quid Deus quęrat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Sic enim fecerunt Iſraelitæ ſemel tempore Samuelis, quando conuenerunt in Maſpha. Nam ibi iudicauit eos Samuel, & ieiunauerunt tota die, & poſtea obtulerunt agnum anniculum in holocauſtum, primo Regum ſeptimo: ita nunc Iſraelitæ ſteterunt prima die, qua venerũt in Silo ſemper lugentes coram domino, & per hoc diſpoſuerunt ſe ad hoc, quòd Deus exaudiret preces ſuas, & acceptaret ſacrificium ipſorum, ideo ſequenti die potuerunt conuenienter offerre. Secundum eſt, quia Iſraelitæ volebant placare dominum per ſacrificium ſuum, non poterant tamen placare ſi illa die offerrent, ideo vſq; ad ſequentem diem nõ conſtruxerunt altare, nec obtulerunt ſacrificium. Patet hoc, quia Iſraelitæ veniebant triſtes, & lugebant nimis: quia videbant vnam tribum perijſſe de Iſrael, & tamen quandiu aliquis triſtis eſt de aliquo niſi de peccatis ſuis, non placat dominum, nec placent ei cæremoniæ ab eo factæ. Sic dixit Aaron ad Moyſen quando combuſti ſunt duo filij eius à domino: & Moyſes increpuit illum, cur non comediſſet hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, ſed permiſit eum cõburi, & ille ait: oblata eſt victima pro peccato, mihi autem quid acciderit, vides: quomodo potui comedere, aut placere domino in cæremonijs mente lugubri? Leui. decimo, expectauerunt ergo vſque ad ſequentem diem cùm iam finitus eſſet luctus, & tunc poterant offerre mente hilari, & placare Deum in cæremonijs.

Reſpon. ad quæſtum.

Contra eos qui non ſe diſponunt ad ſacrificia offerenda.

A

Quare conſtruxerunt altare ad offerendum ſacrificium.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR vlterius, quare conſtruxerunt altare ad offerendum ſacrificium nunc Iſraelitæ: cùm ipſi haberent altare holocauſtorum in ſanctuario, in quo poterant offerre. Aliquis dicet quòd Iſraelitæ non erant nunc in loco vbi poſſent offerre in altari holocauſtorum, ideo conſtruxerunt altare. Sed dicendum, quòd hoc non poteſt ſtare, quia Iſraelitæ erant nunc in Silo, vbi erat tabernaculum, & totum ſanctuariũ: vnde dicitur hic, & ſteterunt coram domino, & infra in litera: & etiam præcedenti capit. patet quòd in Silo erat ſanctuarium, & ibi erat altare holocauſtorum, in quo poterant offerre holocauſta. Reſponderi poteſt, quod fortè Iſraelitæ volebant nunc offerre tot ſacrificia, quòd non caperentur in altari holocauſtorũ, & ob hoc forte fecerunt aliud altare nouum, in quo offerrent. Sic enim fuit quando Salomon obtulit multa ſacrificia: nam dicitur, quòd altare non capiebat illa, tertio Regum octauo. Vel fortè cùm liceret populo hoc facere, vt infra declarabitur ſequenti quæſtione, voluit nouum altare conſtruere ad maiorem ſolennitatem faciendam.

B

Quomodo licuit Iſraelitis conſtruere altare ad offerendum in eo ſacrificia.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, quomodo licuit Iſraelitis conſtruere altare ad offerendum in eo ſacrificia, quia hoc erat valde illicitum. Nam Leuit. 17. dicitur, quòd ſi quis offerret ſacrificium non ad oſtium tabernaculi in altari holocauſtorum, erat reus ſanguinis, ſicut ſi ſanguinem effudiſſet. Item Ioſue vigeſimo ſecundo dicitur, quòd nefas erat offerre ſacrificium in alio altari niſi in illo, quod erat ad oſtiũ tabernaculi. Reſpondendum, quòd licuit Iſraelitis facere altare nouum ad offerrendum ſacrificium. Pro quo ſciendum, quòd erat datum præceptum de faciendo ſacrificium in vnico loco propter periculum idololatriæ, quia erant aſſueti Iſraelitæ ad offerendum ſacrificia dæmonibus obſeruando cæremonias illorum: ſi autem quilibet poſſet offerre vbicunque vellet, & ſecretè, vel publicè, poſſet quilibet obſeruare in ſacrificando cæremonias, quas vellet: & ſic plurimi de Iſraelitis offerrent ſacrificia dæmonibus, & obſeruarent cæremonias cultus eorum. Iuſſum eſt ergo, quòd omnes Iſraelitæ offerrent ſacrificia in ſanctuario, & non alibi, & ibi erat locus publiciſſimus: & quicunq; vellet offerre ſacrificiũ videretur ibi, ſub quibus cæremonijs: & nõ poſſet obſeruare cæremonias dæmonum: & ob hoc iſta lex fuit diſpenſabilis faciliter in multis, de quibus nõ erat præſumptio, quòd vellent facere cæremonias cultus dæmonum, & ſic fuit de Prophetis, ſicut de Samuele, qui in multis locis extra ſanctuariũ conſtruebat altaria, & faciebat ſacrificia, ſcil. in Ramatha, & in Maſpha 1. Regum 7. & in Galgala 1. Regum 11. & in Bethlehem eod. lib. cap. 16. Sic etiam fuit de Elia, qui fecit altare in monte Carmelo tertio Regum 18. & Dauid facit altare in area Areuna Iebuſæi 2. Regum 24. & 1. Paralip. 21. ſic etiam erat de toto populo congregato, quia non erat veriſimile, quòd obſeruaret cæremonias dæmonũ ſacrificando, & ſic faciliter poterat diſpenſari cum toto populo, quòd offerret ſacrificium extra locum ſanctuarij: & quia nunc populus nõ redarguitur pro iſta immolatione, ſatis credendum eſt, quòd non peccauerit. Secundo modo poteſt dici, & melius, quòd populus non peccauit nunc conſtruendo altare quia iſtud altare conſtructum fuit intra ſanctuarium. Nam ſanctuariũ erat in Silo, & ibi erant nunc Iſraelitæ, & intra magnitudinem illius domus, in qua erat tabernaculum, factum fuit altare ab Iſraelitis, & ſic non faciebant contra legem Leuit. 17. & Deut. 12. quia offerebant ſacrificium in vnico loco, quem Deus elegerat, & iſtud erat ad oſtiũ tabernaculi. Ad id quod habetur Ioſue 22. dicendum, quod licèt dicatur ibi, quòd nefas erat immolari ſacrificia in alio loco niſi in altari holocauſtorum ad oſtium tabernaculi: tamen licitum erat ex diſpenſatione in alio altari immolari, ſicut ſupra declaratũ eſt. Vel poteſt dici, quòd hoc dicitur ad ſignificandum, quòd non licebat extra locum ſanctuarij, & hoc conuenit literæ ibi, quia illud dicitur ad probandum, quòd non licuit duabus tribubus, & dimidiæ cõſtruere altare apud tumulos Iordanis ad faciendum ſacrificia, & tamẽ nunc erat altare intra ſanctuarium ad oſtium tabernaculi, ſicut altare, quod fabricauerat Moyſes: ideo non peccabatur offerendo ibi. Al quis autem obijciet, quod ſupra dictum eſt, quòd licèt non liceret vni perſonæ conſtruere altare ad ſacrificandum, licuit tamen multitudini, eo quòd nõ dubitabatur de multitudine, an vellet idololatrare, ſicut de vna perſona. Nam etiam multitudini non licuit conſtruere altare ad faciendum ſacrificia: duæ namq; tribus, & dimidia conſtruxerunt altare apud tumulos Iordanis, & quia reliquæ nouem tribus & dimidia putabant, quòd conſtruxiſſent illud ad ſacrificandum, mouere volebant bellum contra illas quouſque ſe excuſauerunt, dicentes, quòd non fecerant altare ad ſacrificium, ſed in ſignũ vnitatis populi, vt patet Ioſue vigeſimo ſecundo: & etiam ipſa multitudo duarum tribuum & dimidiæ aſſeruit nefas eſſe facere ſacrificium alicubi, niſi in altari holocauſtorum, quod erat ad oſtium tabernaculi: non ergo liceret multitudinem conſtruere altare ad faciendum ſacrificia. Reſponderi poteſt multipliciter. Vno modo, quòd non eſt ſimile hic, & ibi, quia ibi minor pars populi conſtruxit altare, ſcilicet duę tribus & dimidia. Hic autem totus populus, & de quadam parte populi poterat haberi ſuſpitio de idololatria, ſed non de toto populo. Secundò & verius dici poteſt, quòd ibi duæ tribus, & dimidia conſtruxerunt altare extra ſanctuarij locum, & per hoc ſignificabatur, quòd faciebant altare ad ſacrificandum idolis, vel ſaltem volebant facere alium cultum differentem ab illo, qui fiebat in ſanctuario, & vtrunq; erat inconueniens. Primum namq; vera idololatria: Secundum erat contra intentionem Dei, quia Deus voluit eſſe vnicum locum ſacrificandi, vt ſignificaretur vnus eſſe Deus, cui omnes ſacrificabant, faciendo autem altaria in pluribus locis, ſignificabatur aut ſignificari poterat plures eſſe Deos, quibus ſacrificaretur. Nunc autem populus fecit altare in loco ſanctuarij: per quod nec erat idololatria, nec ſignum pluralitatis Deorum, ideo iſtud erat conueniens.

C

D

E

Vnde habuerunt Iſraelitæ, quòd liceret eis facere altare, quod nunc fecerunt, & de qua materia illud fecerunt.

QVÆSTIO XII.

VLTERIVS quæretur, vnde habuerunt Iſraelitæ, quòd liceret eis facere altare, quod nunc fecerunt: & de qua materia illud fecerunt. Reſpondendum, quòd Iſraelitæ habuerunt ſibi licere ex eo, quod habetur Exod. 20. ſcil. altare de terra facietis mihi: ergo aliquando haberet locum iſta lex. Sed non habebat locum in altaribus, quæ fabricarentur extra locum ſanctuarij, quia non licebat talia fieri, vt probatũ eſt præced. quæſt. ideo licet aliquando fabricari altare intra ſanctuariũ præter illud ꝙ fecerat Moyſes, quia illud erat de lignis Setim opertum laminis æneis: Exod. 27. Iſtud autem erat de terra, & iſtud eſt, quod nunc fabricauerunt Iſraelitæ. Secundò poteſt dici, quòd fecerunt hoc nunc Iſraelitæ, quia alia ſimilia facta ſciebant, ſcil. faciebant altare ad ſacrificandum in eo, & vt maneret in memoriam præteritæ rei: ſic fuit de altari, quod fecerunt Iſraelitæ in introitu in terram Chanaan in confirmatione legis: nam factum eſt altare, & oblata ſunt in eo ſacrificia, ſcriptuſq; fuit Deuter. legis in eo, & manſit ad memoriã, vt colligitur Deut. 27. & Ioſue 8. c. ita nunc Iſraelitæ vellent facere ſacrificia in altari iſto, & quod maneret ad memoriã, quomodo pugnaſſent vndecim tribus contra vnam, & quid tunc acciderit. Ad ſecundum dubium dicendum, quòd iſtud altare non poterat conſtrui de lignis, ferro, aut qualibet alia materia, niſi de terra, vel lapidibus. De terra patet Exo. 20. ſcil. altare de terra facietis mihi: poterat etiã fieri de lapidibus, & tamẽ lapides illi non debebant eſſe politi, aut quomodolibet parati ferro, ſed rudes, ſicut de lapidicina ducebantẽ, vt patet ibidẽ, ſcil. ꝙ ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus, ſi enim leuaueris cultrum tuum ſuper eum polluetur: poterat tamen

F

altare

altare calce ſuperinduci ad pulchritudinem, & firmitatem operis: nam lapides rudes non benè ſibi coaptarentur, nec redderent ſuperficiem planam: cùm verò calce linirentur, coniungerentur, & redderetur ſuperficies plana, & ſic factũ eſt quando Deus iuſſit ædificari altare in monte Hebal in confirmatione legis, in quo ſcriberetur Deuteron. nam erat de lapidibus grandibus, & impolitis, quos ferrum non tetigerat, Deuteron. 27. cap. Vtroque iſtorum modorum poterat fieri nunc altare, ſed non apparet, quo modo illorum. *Altera autem die diluculo conſurgentes.* Præcedenti die Iſraelitæ manſerant coram domino lugentes & non obtulerant aliquod ſacrificium propter cauſas ſupra aſſignatas in quadam quæſtione, & nunc ſurrexerunt diluculo, vt pararent cito locum in quo offerrent ſacrificia, *Extruxerunt altare.* Scilicet, facientes intra ſanctuarium domini altare de nouo præter illud, quod fecerat Moyſes, & iſtud fuit nunc de terra, vel lapidibus. *Et obtulerunt ibi holocauſta, & pacificas victimas.* Scilicet, populares obtulerunt animalia ſacerdotibus, & ipſi fecerunt cæremonias ſacrificij, quia ad eos pertinebat, & non ad laicos, & ſunt iſti duo genera ſacrificiorum, ſcilicet holocauſta, & victimæ pacificæ, de quibus dicetur infra in prima quæſtione. *Et dixerunt: quis non aſcendit in exercitum domini?* Poſtquam poſitum fuit quomodo Iſraelitæ pugnauerunt contra Beniamitas, ponitur hic quomodo puniuerunt eos, qui non venerunt in auxilium eorum. Et etiam quęritur hic remedium pro viris ſuperſtitibus de Beniamin, vt darentur eis vxores. Et dicitur: quis nõ aſcẽdit? id eſt quis vir, vel quis populus. Nam pœna infligenda erat ſiue viris populis. Nam nunc inflicta fuit pœna toti populo virorum Iabes Galaad, quia omnes peccauerunt: ſi autem aliqui viri de aliquo populo ire noluiſſent in bellum alijs euntibus illi occiderẽtur, & vocatur exercitus domini exercitus vndecim tribuum contra viros Beniamin, ſicut infra declarabitur in quadam quæſtione. *De vniuerſis tribubus Iſrael.* Scilicet, de vndecim: nam tribus Beniamin, non intelligitur hic nomine tribuum Iſrael, eo qnòd cæteri Iſraelitæ pugnauerant nunc contra viros Beniamin. Etiam quia iam deleta fuerat illa tribus. Nam non manebat in ea quiſquam viuens, niſi ſexcenti viri, & in iſtis non erat iam futura aliqua pœna, ſicut moliebantur nunc facere Iſraelitæ contra aſcendentes in bellum, ſed potius dolebant de deſtructione iſtius tribus, vt patet in litera. *Graui enim ſe iuramento conſtrinxerant, cùm eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent.* Iſtud eſt redditiuum cauſæ: quaſi dicat, ideo nunc Iſraelitæ quæſiuerunt, an aliquis de ſeipſis nõ aſcendiſſet in bellum, & complerent iuramentum, quia iurauerant quòd quicunque non veniret ad illud bellum occideretur: & quia viderentur rei periurij, ſi non exequerentur hoc, voluerunt ſcire, quis populus de Iſrael non veniſſet in iſtud bellum. Et dicitur, quòd iuramentum iſtud factum eſt in Maſpha, ſcilicet, quia prima congregatio Iſraelitarum ſuper negocio vxoris Leuitæ fuit in Maſpha, & ibi ordinauerunt quem modum deberent tenere pugnando contra Beniamitas, præcedenti capitu. *Ductique pœnitentia filij Iſrael ſuper fratre Beniamin.* Id eſt vndecim tribus tribus Iſrael doluerunt de fratre ſuo Beniamin, id eſt de tota tribu Beniamin. Viri enim illius tribus erant fratres virorum aliarum tribuum Iſrael, ſcilicet, quia omnes deſcendebant ab eodem capite, ſcilicet Iacob. Vel quia omnes illi, qui fuerunt capita duodecim tribuum fuerunt duodecim fratres inter ſe. Et pœnitentia iſta fuit, qnia dolebant Iſraelitæ, quòd perijſſet tota tribus Beniamin. *Cœperunt dicere: ablata eſt vna tribus de Iſrael.* Hoc dixerunt dolendo, & conquerendo, ſcilicet, tribus Beniamin delela eſt, quia non manebant in ea niſi ſexcenti viri, & nulli paruuli, & nullæ fœminæ. *Vnde vxores accipient?* Scilicet, iſti ſexcenti, qui manſerunt, vnde accipient vxores, quia in tribu Beniamin nulla manet fœmina: nos autem omnes iurauimus, quòd nullus eis daret de filiabus ſuis vxorem, ideo oportes, quòd pereat tota tribus cùm non habeant, vnde accipiant vxores, ex quibus filios gignant, per quos continuetur progenies Beniamin. *Omnes enim in comune iurauimus non daturos nos his filias noſtras.* Quaſi dicat, in tribu ſua nullæ fœminæ ſunt, quia omnes ceciderunt gladio, præcedenti capitul. & nos propter iuramentum non poſſumus dare, quia omnes in commune, id eſt, omnes communiter iurauimus, ſcilicet, quando erant Iſraelitæ in Maſpha antequam inciperent bellum, vt patet ſupra in litera.

Quare dixerunt Iſraelitæ hæc verba, ſcilicet, quis non aſcendit in exercitu domini, &c.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quare dixerunt Iſraelitæ iſta verba, ſcilicet quis non aſcendit in exercitum domini de omnibus tribubus Iſrael?

Reſpondendum, puòd factum eſt propter duo. Primò ad complendum iuramentum. Nam quando Iſraelitæ erant in Maſpha obligauerant ſe iuramento ad occidendum, qui non venirent ad illum exercitum. Si autem nunc vellent diſſimulare, & non occidere eos, qui non venerunt ad exercitum, eſſent periuri, ideo vt non peccarent, inquiſiuerunt qui erant, qui non aſcenderant ad bellum, vt occiderentur. Secundum erat, quia Iſraelitæ volebant dare vxores filijs Beniamin ſuperſtitibus, qui non habebant vnde vxores acciperent, & non poterant dare de filiabus ſuis, eo quòd iurauerant, ſe non daturos. Et quia omnes, qui venerant ad iſtud bellum iurauerant hoc, non poterat aliquis eorum dare de filiabus ſuis: inquiſiuerunt ergo quis eſſet, qui non veniſſet ad illud bellum, quia qui non venerunt non iurauerunt, & ſic poterant dare filias ſuas. De primo patet, quia dicitur hic: Quis non aſcendit in exercitum domini de vniuerſis tribubus Iſrael? & ſubditur: Graui enim ſe iuramento conſtrinxerant interficere eos, qui defuiſſent, quaſi dicat, propter hoc quæſitum eſt, quis non aſcenderat, quia iuratum fuerat, quòd occiderentur non aſcendentes. De ſecundo patet, quia dicitur in litera: ducti pœnitentia filij Iſrael ſuper fratre ſuo Beniamin cœperunt dicere, ablata eſt vna tribus de Iſrael: vnde vxores accipient? omnes enim in commune iurauimus non daturos nos his filias noſtras. Et ſequitur: idcirco dixerunt, quis eſt de vniuerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad dominum in Maſpha?

Quare Iſrael vocauit hunc exercitum congregatum contra filios Beniamin exercitum domini.

QVÆSTIO XIIII.

VLTERIVS quæretur, quare Iſraelitæ vocauerunt iſtum exercitum congregatum contra filios Beniamin exercitum domini. Reſponderi poteſt, quòd hoc fiebat propter multa. Primò quia Iſraelitæ pertinebant ad Deum ſpecialius, quàm cæteræ gentes, vnde vocantur peculium Dei: vt patet Exod. 19. & Deuteronom. 7. ſcilicet: Si audieritis vocem meam, mea eſt omnis terra, & vos eritis mihi in peculium de cunctis populis, & ob hoc quælibet congregatio Iſraelitarum vocabatur multitudo Dei, vel multitudo ſanctorum, ſicut dixit Core ad Moyſen, & Aaron: ſufficiat vobis, quòd omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Deus: cur eleuamini ſuper populum domini? Numer. decimo ſexto, & ob hoc exercitus Iſraelitarum vocari debebat exercitus Dei. Sic patet primo Regum decimo ſeptimo cum dixit Dauid: quis eſt iſte Philiſthæus incircunciſus, qui exprobrauit agminibus Dei viuentis hodie, id eſt, exercitui congregato. Secundum erat, quia iſte exercitus fuerat congregatus zelo Dei, ſcilicet ad exequendum id, quòd Deo placebat, ſcilicet, vt vindicaretur peccatum factum à viris Gabaa, & quando aliquid fit zelo Dei, dicitur illud eſſe Dei, & multitudo agens vocabitur multitudo Dei. Sic dixit Chriſtus Matth. 18. quando fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Tertium erat, quia iſta multitudo dirigebatur à Deo, & faciebat præceptum Dei expreſſum ei. Nam quando congregatus fuit iſte exercitus, conſuluerunt dominum in Silo, an deberent pugnare contra Beniamin, & dixit quòd pugnarent, & tertia vice dedit eis modum qualiter pugnarent, & caperent viros Beniamin per inſidias, præcedenti capitul.

A

Cur Israelitæ licitè potuerunt iurare, quòd occiderent omnes non ascendentes ad hoc bellum.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius, cur Israelitæ licitè potuerunt iurare, quòd occiderent omnes non ascendentes ad istud bellum: nam quando aliquis iurat facere, quod de facto, vel de iure facere non potest, & scit se facere non posse, peccat quia iurat in vanum. Et quod amplius est voluntariè periurus est: vt si quis iuret, quòd occidet alterum, vel quòd nunquàm eum diliget, quia ista sunt contra charitatem, ideo siue in iurando, siue in faciendo illicita sunt. Ita dicet aliquis fuisse hic, scil. quia iurabant Israelitæ facere malum, scil. occidere proximos suos. *Respon. ad quæ situm.* Respondendum est, quòd Israelitæ licitè hoc iurauerunt. Ad hoc tamen considerandum, quòd non poterant isti licitè iurare, nisi id quod iurabant licitum esset, quia iurans aut vouens, quod sit illicitum esse, peccat. Ad hoc autem, quòd istud esset licitum requirebantur duo. Primum erat, quòd ipsum in se iustum esset. Secundum erat, quòd haberent Israelitæ auctoritatē ad faciendum hoc. Nam dato, quòd aliquis sit fur, vel homicida, nō licet cuiq; occidere eum, sed soli iudici: & sicut peccat, qui sine causa occidit quenquam, ita peccat qui sine auctoritate iudiciaria occidit aliquem, nisi in casibus à lege promissis, & tunc non agit sine auctoritate. Vtrunq; autem erat nunc. De primò patet, quia iustum erat, quòd occiderentur omnes, qui non conuenirent ad illud bellum: omnes autem Israelitæ tenebantur ad executionem legis Dei, quantū poterant. Et quia nunc totus populus vocatus fuerat ad vindictam istius criminis maximi, quòd si non vindicaretur Deus fortè irrasceretur contra totum Israel, sicut dicitur in similibus Leui. 20. qui non veniret contemneret vocationem totius populi, & quantum in se erat faciebat cōtra statum totius populi, quia si sic omnes facerēt, nō vindicaretur delictū, & Deus requireret tunc de manu totius populi, qui negligens fuit, disperderet eum: sed omnes tenentur seruare vtilitatem, & salutē publicam, ideo non venientes cùm manifestè agerent contra salutem publicam, mortem merebantur. Secundò patet, quia quicunq; nō obedit iudici imperanti superbiens mortem meretur, vt patet Deut. 17. scil. Qui non obedierit sacerdotis imperio, & iudicis, qui illo tempore fuerit, morte moriatur. Sed totus populus vocans hic ad bellum erat nunc iudex, vt infra declarabitur immediatè: ergo contumaces inueniendo per superbiam poterant iustè occidi. Secundum erat auctoritas, vt licitè fieret, scil. quòd populus iurans hoc haberet iudiciariam auctoritatem. Et dicendū, quòd populus habebat nunc locum iudicis, quia necesse erat dari aliquā iurisdictionem inter Israelitas, cùm esset magna multitudo, quia aliàs esset quædam deordinatio: cùm non posset alicui distribui iustitia: non erat nunc ista tamen iurisdictio penes aliquam personam singularem: ideo erat penes totam multitudinem. Patet hoc, quia in fine literæ dicitur. In diebus illis non erat rex in Israel: sed vnusquisque quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat. Etiam patet hoc ex exercitio iurisdictionis, quia multitudo ordinabat omnia, quæ fieri deberent tam in bello isto quàm postea pro reparatione tribus Beniamin deperditæ, vt patet hic, & præced. cap. poterat ergo multitudo licitè occidere quemcunque non ascendentem ad istud bellum: illud tamen quod licet alicui facere absolutè, licet ei iurare, vel vouere facere, ponitur autem iuramentum, vel votum ad quandam confirmationem effectus, scilicet quòd non licèt alicui resilere à re iurata, vel quam voto promisit: quod tamen licet in illis, quæ sine voto & iuramento à nobis cogitantur. Licuit ergo Israelitis facere istud iuramentum, imò fuit virtuosum hoc iurare, vt opus bonum, quod intendebant firmius esset: dum tamen seruaretur iuramentum in casibus conuenientibus, & non extenderentur ad omnem euentum: sicut fuit de iuramento de non dando de filiabus suis vxores filijs Beniamin. Nam nunc propter casum incidentem non erat tenendum iuramentum, Israelitæ tamen tenuerunt illud quantum potuerunt, vt patet in litera, & declaratum est supra in quadam quæstione.

B

C

Ad effectus confirmationem ponitur votum

D

Quomodo dicitur hic, quòd Israelitæ ducti fuerunt pœnitentia super fratre suo Beniamin.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quòd Israelitæ ducti fuerunt pœnitentia super fratre suo Beniamin. Nam dolor nunquam est, nisi de malo, vel de eis, quæ nobis nolentibus accidunt, siue bona, siue mala sint: non erat autem hic aliquid istorum, quia non erat malum, quòd Israelitæ pugnauissent contra Beniamitas, & deleuissent eos: quia ex Dei consilio, vel præcepto hoc egerant, vt patet præced. cap. Etiam quia bono zelo fecerant, scil. ad puniendum delinquentes. Etiam nō acciderat ista destructio Beniamitarum contra voluntatē Israelitarū, sed potius eis laborantibus, vt hoc fieret: nam tria bella fecerunt propter hoc, vt patet præced. cap. Respondendū, quòd Israelitæ dolebant de destructione Beniamitarū, non quidē pigebat eos, quia occiderant Beniamitas: quia istud bonū erat, & ipsi desideraverunt illud: sed dolebant pro defectu illorū, quia per mortem ipsorum deficiebat vna tribus in Israel, & erat istud voluntarium mixtū ex voluntario & inuoluntario, sicut ponitur exemplum 3. Ethic. de proijciente merces in mare, in cuius potestate est applicare partes organicas ad proijciendum in mare merces, & tamen non est simpliciter voluntariū, quia iste luget, & tristatur, quando illas proijcit, magis tamen eligit illas proijcere, quàm quòd nauis pereat. Sic autem est, quando iudex volens augeri, & prosperari rempublicam, occidit multos de illa propter crimina, & legum obseruationē: quia ille quodammodo vult, inquantum vult delinquentes viuere, & quodammodo non vult, sed tristatur, inquantum dolet, quòd per mortē istorum minor efficiatur respublica. Aliquis autem fortè dicet, quando Israelitę occidebant Beniamitas erant passionati, ideo gaudebāt occidendo eos: cùm verò occidissent illos, cessauit iracundia, quia facta erat retributio pœnæ, vt ait Arist. 4. Ethic. cap. de mansuetudine, & tunc cæperunt cogitare, quod rectum erat, & doluerunt de morte Beniamitarū. Sed istud non stat, quia istud conuenit in operantibus per passionem aliquod malū, & tamen Israelitæ nunc non fecerunt aliquod malum, nec fecerunt ex passione, sed propter virtutem, scil. vt puniretur tantum nefas, quantū nunquam fuerat in Israel, vt patet præced. cap.

E

Quomodo dixerunt nunc Israelitæ ablata est vna tribus.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dixerūt nunc Israelitæ: ablata est vna tribus, quia non erat ablata: nam manebant adhuc sexcenti viri, in quibus conseruabatur tribus Beniamin, & poterat perpetuari per eos per propagationem. Responderi potest dupliciter. Vno modo, quòd istud dicebatur dolendo, & conquerendo, & conditio lugentium est, quòd semper maiora mala quàm sint, dicant vrgente tristitia, & quia isti nimis detristabantur de tanta desolatione tribus Beniamin, quanquā non est penitus ablata, dicebant q̄ erat ablata: manebat tamen pars quædā eius, scil. sexcenti viri. Secundo modo potest dici, & melius, quòd isti dixerūt, ablata est vna tribus de Israel, scil. non in re, sed in spe, quia licèt nondum esset ablata, tamen in breui auferretur. Nam supererant adhuc sexcenti viri, quia tamen isti nō habebant aliquas mulieres, & ex quibus gignerent filios in quibus cōtinuaretur succession, necesse erat q̄ in breui morietibus omnibus ipsis nō maneret quidquā de tribu Beniamin. Quod autē non haberent vxores patet, quia de tribu sua nulla erat fœmina superstes: omnes quippe gladio cōciderant: de alijs autē tribubus nullam accipere poterant, quia omnes iurauerant se non daturos eis filias suas in vxores, ideo necesse erat semen suum perire, & hoc est verè, quòd ipsi intendebant, quando dicebant hoc. Et patet hoc, quia quando dixerunt: ablata est vna tribus de Israel: subiunxerunt: vnde vxores accipient? scilicet isti qui manserunt de Beniamin: quasi dicat, quia non est vnde accipiant vxores ad continuandum progeniem necesse est, quòd auferatur tribus Beniamin.

F

A

An viri Beniamin possent accipere vxores de Gentilitate, si non possent habere vxores de Israelitis.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur, dato quòd isti viri Beniamin nō possent habere vxores de filiabus Israel, an possent illas accipere de Gentilitate. Respondendum, quòd si aliquo modo isti possent accipere vxores de Israelitis, non liceret eis accipere de Gentilitate, eo quod maior distantia est inter Iudæos, & Gentiles, quàm inter Iudæos vnius tribus ad Iudæos alterius tribus. Etiam quia si Iudæi de vna tribu acciperent vxores de alia tribu, non erat periculum aliquod, & tamen si Israelitæ acciperent vxores de Gentilibus erat periculum duplex. Primum erat, quod proles inde genita efficeretur idolatra, quia in parua ætate erudiretur à matre, quæ esset assueta idolis, & tales mores induerent paruuli. Secundum erat, quòd viri propter amorem fœminarum allicerentur ad colendum Deos, quos ipsę colebant. Sicut factum est de Salomone, cuius cor peruerterunt alienigenæ mulieres, vt coleret idola, vt patet 3. Regum 11. Et ista fuit causa prohibitionis matrimonij inter Hebræos & Gentiles: Exod. 34. & Deuter. 7. cap. inter Hebræos autem si viri acciperent fœminas de alijs tribubus, non erat aliquod periculū spirituale, sed solum temporale, quia transirent possessiones de tribu in tribum, & non maneret certa distinctio familiarum & tribuum, sicut Deus eam fecerat, & ista fuit causa vetandi matrimonia in diuersis tribubus: Num. 36. Istud autem periculum minus est, quàm spirituale quodcunque, ideo potius tolerandum erat: & ideo si dato isto casu, quòd non possent Beniamitæ accipere vxores, nisi de alijs tribubus, vel de Gentilitate, potius acciperent de alijs tribubus vxores, & lex non obstaret in hoc, quia lex non tenet in casu necessitatis, quando obseruata lege, periret politia, vel magna pars eius: cùm non sit politia propter legem, sed lex propter politiam, vt declaratum est supra in quadam quæstione. Sed dato, quòd nullæ fœminæ essent, quas acciperent isti Beniamitæ de alijs tribubus, est dubium, an liceret accipere vxores de Gentilitate. Et tunc dicendum, quòd in aliquo casu licebat liberè accipi vxores de Gentilitate, sicut erat quando Israelitæ pugnabant contra aliquam gentem, quæ non esset de Chananæis, & capiebant mulieres captiuas, poterant accipere, quas vellent in vxores: Deuteron. 21. Pro hoc autem considerandum, quòd aut illæ gentes, de quibus Israelitæ accipere volebant vxores, erant de Chananæis, aut non. Si non erant de Chananæis, aut conuertebantur illę mulieres ad Iudaismum, aut nequaquam patiebantur conuerti, sed volebant manere in ritu dæmonum. Si primo modo, licebat cuicunque Iudæo accipere vxorem de Gentilitate etiam si posset accipere de filiabus Israel, & sic intelligitur Deuteron. 21. Nam ibi fœmina captiua faciebat prius quasdam cæremonias quàm vir Hebræus cognosceret illam. Si autem nolebat conuerti, sed manebat in ritu Gentilico, aut erat vir Iudæus in necessitate, scilicet quòd non poterat accipere aliquam de filiabus Israel, aut non erat in necessitate. Si primo modo, poterat licitè accipere vxorem de Gentilitate. Sicut fuit de duobus filijs Elimelech, & Noemi, scilicet Maalon, & Chelion. Nam cùm peregrinarentur in terra Moab propter famem, quæ vrgebat terram Israel per decem annos, acceperunt duas vxores, scilicet Ruth, & Orpham, & illæ manebant adhuc in ritu Gentilitatis, & semper fuerunt in eo quandiu mānserunt cum viris suis. Quod patet Ruth primo: nam mortuo Elimelech viro Noemi, & duobus filijs eius, scil. Maalon, & Chelion redire volebat Noemi in terram Israel, & duæ nurus ire volebant cum Noemi: tandem reuersa est Orpha, & cùm Ruth nollet dimittere Noemi, dixit ad eam Noemi: ecce reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos. Non tamen vocarentur dij illius, nisi maneret adhuc in cultu illorum. De Ruth patet, quòd vsque huc coluisset idola, quia Noemi dicebat ad eam, reuertere tu cum ea. Si tamen Ruth suscepisset iam cultum Dei veri, non hortaretur Noemi illam, quòd reuerteretur cum Orpha ad Deos suos, sed duceret eam secum in terram Israel, ne desereret cultum Dei, quem semel inchoauerat: ergo nondum deseruerat idola. Item patet, quia cùm Noemi aduersaretur ipsi Ruth, vt rediret ad terram suam dixit Ruth: populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus, quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar, id est, populus tuus, erit populus meus, & Deus tuus erit Deus meus, & tamen si iam Ruth suscepisset cultum Dei, non diceret hoc, quia iste erat modus promittendi, quòd omnia essent communia Ruth & Noemi, scilicet Deus, populus, & terra habitationis: erant autem istæ mulieres in ritu Gentilico, quandiu manserunt cum viris suis, & tamen illi non redarguuntur, quòd illas susceperint manentes in ritu illo, quia non poterant accipere alias pro tunc, cùm essent extra terram Israel. Ergo à fortiori liceret istis Beniamitis accipere vxores de Gentilitate, etiam manentes in ritu Gentilico, & si possent eas conuertere ad ritum Iudaicum, conuerterent: sin autem licitè viuerent cum eis: maior necessitas erat in eis, quàm in filijs Noemi: quia illi licèt non possent pro tunc accipere vxores de Israelitis in terra, in qua erant: poterant tamen venire in terram Israel, & accipere ibi quascunque: isti autem non poterant accipere aliquas ex casu dato, etiam si expectarent multo tempore, ideo magis licitum erat istis accipere vxores de Gentilitate, etiam si manerent in ritu Gentilico. Si autem istæ mulieres essent de Chananæis, dicendum, quòd erat maior difficultas, quia Deus vetuerat communicationem Israelitarū cum Chananęis magis quàm cum alijs gentibus: Exod. 34. & Num. 33. & Iudic. 2. & inserat, quòd omnes occiderentur gladio tam viri, quàm fœminæ, magni & paruuli: quod non iusserat de alijs gentibus, Deuteron. 20. capit. Et ideo dicendum, quòd si inuenirentur fœminę de alijs gentibus: nō licebat accipi de Chananæis. Si tamen daretur casus, in quo non possent isti accipere vxores de alijs gentibus, liceret accipi vxores de Chananæis, & hoc siue possent cōuertere illas ad ritum Iudaicū, siue non. Et patet hoc, quia ista lex prohibens matrimoniū Israelitarum, & Chananæorum non erat naturalis inducens secundum se peccatum, ita quòd in nullo casu liceret contra eam agi. Sicut est in lege de non adulterando, & de non dicendo falsum testimonium. Dato ergo casu necessitatis dispensaretur in ista lege, vel ipsa non obligaret. Sicut est de furando, quia vetitum est furari, & furtum procedit præsuppositā distinctione dominorum. Sed in casu necessitatis, non est distincto dominij, sed omnia sunt communia: ideo tunc non tenet illa lex. Item patet, quia ista lex erat dispensabilis, & aliquando in ea dispensatum est, sicut in Raab Ierichontina, quæ erat Chananæa, & tamen accepta fuit in vxorem à Salomon principe tribus Iuda filio Naason, qui fuit princeps tribus Iuda in deserto in exitu Israel de Ægypto: Numer. 1. & 2. & 7. de hoc patet Matthæi primo, & colligitur Iosue 6. Ideo cùm hic esset maxima necessitas, liceret istis Beniamitis accipere vxotes de quibuscunque gentibus.

Idcirco dixerunt: Quis est de vniuersis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inuenti sunt habitatores Iabis Galaad, in illo exercitu non fuisse. Eo quoque tempore, cùm essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Iabis Galaad in ore gladij, tam vxores, quàm paruulos eorum: & hoc erit quod obseruare debebitis: omne generis masculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros interficite: virgines autem re seruate. Inuentæque sunt de Iabis Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri torum, & adduxerunt eas ad castra in Silo in terram Chanaan. Num. 31.

Idcirco dixerunt. Hic ponitur secundum huius cap. in quo ponitur filijs Beniamin de vxoribus facta prouisio, quia per modos duos, qui infra in litera habentur datæ fuerunt eis sexcentæ vxores. Et diuiditur in duo, quia primò ponitur virorum Iabes Galaad occisio. Secundò ipsis filijs Beniamin de filiabus Iabesenorum facta prouisio. ibi. *Miseruntque.* Circa primum dicitur. *Idcirco dixerunt: quis est de vniuersis tribubus Israelis, qui non ascenderit ad dominum in Maspha?* Scilicet, quia

B

Quæst. 5. cap. 21.

C

Si Israelita acciperēt vxores de Gentilibus erat duplex periculū.

Poterāt Israelitæ accipere vxores de Gentilitate in aliquo casu.

D

E

In aliquo casu Israelitæ poterant ducere vxores de Chananæis.

F

Ponitur filijs Beniamin de vxoribus facta prouisio.

A quia volebant prouidere Beniamitis de vxoribus,& non poterant dare de filiabus ſuis, eo quòd omnes iurauerunt in Maſpha, non daturos de filiabus ſuis vxoribus filijs Beniamin ideo dixerunt: quis non aſcendit ad dominum in Maſpha? quaſi dicat illi, qui ibi non fuerunt non iurauerunt, ideo poterant dare de filiabus ſuis, & in Maſpha dicitur,quia ibi fuit primum congregatio, quã fecerunt Iſraelitæ ad hoc, quòd pugnarent contra viros Gabaa præced. cap. *Et ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad, in illo exercitu non fuiſſe.* Eſt Iabes Galaad, quædam ciuitas in terra duarum tribuum, & dimidię ad orientem Iordanis in ſorte Gad,de qua magis dicitur infra in ſecunda quæſtione & ſequentibus,& habitatores illius noluerunt venire ad iſtum exercitum,& ſcitum eſt, quòd illi nõ veniſſent per ordinationem exercitus, quia erat diſpoſitus exercitus ſub certis ducibus, & quilibet ſciebat quot viros ſubordinatos ſibi habebat, & de qua illi erant regione, & inuentum eſt, quòd ſub nullo duce belli fuiſſent Iabeſena: nec etiam fuerunt de illis, qui comportabant neceſſaria exercitui. Nam eligebantur decem viri de centum, & centum de mille, & mille de decem millibus ex omnibus tribubus Iſraelitarum, & iſti comportabant neceſſaria exercitui, vt patet præcedenti cap. *Eo quoq; tempore cum eſſent in Silo nullus eorum ibi repertus eſt.* Id eſt non ſolum non venerant à principio ad iurandum in Maſpha ſed etiam nullus eorum

B erat nunc in Silo, quando iſta dicebantur. Et iſtud ponitur tanquam probatio ad ſciendum, quòd viri Iabes non fuerunt in iſto exercitu, quia omnes, qui conuenerunt in Maſpha ad iurandum, vel fuerunt in tribus bellis, quæ fecerunt Iſraelitæ contra Beniamitas, vel erant de comportantibus neceſſaria exercitui, & omnes iſti finito bello conuenerunt in Maſpha coram domino, vbi omnes nunc erant cogitando,quòd non periret tribus Beniamin,& tamen non fuit ibi repertus aliquis de viris Iabes: ideo apparebat, quòd ipſi nõ venerant in Maſpha cum cæteris Iſraelitis. *Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos.* Videns totus populus Iſrael,quòd viri Iabes peccaſſent, contra iuramentum eorum agendo, non veniendo, ſcilicet in exercitu, condemnauerunt eos morti, & elegerunt de tota multitudine, quæ tunc erat in Silo decem millia virorum,qui irent ad occidendum Iabeſenos. *Et præceperunt eis: ite,& percutite habitatores Iabes Galaad.* Dederunt eis formam, qualiter agerent, & non putauerunt eſſe difficultatem in executione: quia non erat magna ciuitas Iabes, vt poſſet reſiſtere iſtis decem millibus virorum. *In ore gladij.* Id eſt, occidite gladio non dantes eis aliud genus mortis, ſcilicet non cremetis eos, nec ſuſpendatis, aut faciatis alium modum pœnæ: Et tamen nomine gladij intelliguntur omnia arma offenſiua: nam poterant occidere eos lapidibus, vel baculis, aut ſicut accideret, vtpote lanceis, &

C ſagittis & iaculis, quia non eſſet in poteſtate iſtorum, quòd omnes occiderent gladio, ſed ſicut occurreret eis. *Tam vxores quàm paruulos eorum.* Id eſt, non ſolùm occidatis viros bellatores, qui habitant in vrbe, ſed etiam vxores eorum, & paruulos filios. *Et hoc erit, quod obſeruare debetis.* Quia iſte modus puniendi non erat vſitatus, expreſſerunt illum Iſraelitæ iſtis decem millibus virorum. *Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite.* Iubebant occidi omnes maſculos cuiuſque ætatis, ſcilicet, quia iſti non proficiebant ad intentionem ſuam, ſcilicet vxores vt darent Beniamitis: mulieres etiam à viro cognitas miſerunt occidi, quia illæ non erant tradendæ in vxores Beniamitis, ſed virgines. *Virgines autem reſeruate.* Scilicet, vt dentur in vxores filijs Beniamin, quia iſta erat intentio principalis Iſraelitarum, quando faciebant hoc,ſcilicet prouidere Beniamitis de vxoribus. *Inuentæque ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines.* De modo, quo inueniebatur, quæ mulieres erant virgines, & quæ corruptæ declarabitur infra in quadam quæſtione. *Quæ neſcierant viri torum.* Scilicet, quæ nondum fuerant coniugatæ viris, nec ab aliquo cognitæ. *Et adduxerunt eas ad caſtra in Silo.* Quia iuſſerant Iſraelitæ, quòd reſeruarentur virgines ſeruauerunt iſtas quadringentas, & duxerunt eas in Silo,vbi erant caſtra, id eſt vbi erat nunc totus Iſrael congregatus, in ſanctuario domini, & vocantur caſtra congregationes bellicæ. *In terra Chanaan.* Id eſt, Silo eſt in terra Chanaan, & non ponitur iſtud hic ex ſuperabundantia, ſed ad differentiam Iabes Galaad, quia licèt terra Chanaan eſſet terra promiſſa Iudæis, tamen aliquam partem terræ tenebant Iudæi, quæ D non erat de terra Chanaan: quod patet, quia terminus orientalis terræ Chanaan erat Iordanis Numer. 34. vbi ponuntur omnes termini terræ Chanaan: terra tamen duarum tribum, & dimidiæ erat vltra Iordanem ad orientem eius, & ibi erat Iabes Galaad, ſcilicet in Galaad, ideo virgines illæ ducebantur extra terram Chanaan in terram Chanaan, ſcilicet in Silo,quæ eſt in terra Chanaan,& erat in ſorte Beniamin (vt aliqui putant) alij in ſorte Ioſeph: de quo infra dicetur in quadam quæſtione.

Quomodo dicitur in litera, quòd Iſraelitæ aſcenderunt ad dominum in Maſpha.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, quomodo dicitur in litera, quòd Iſraelitæ aſcenderunt ad dominum in Maſpha. Nam non videretur ibi fuiſſe coram domino,ſed in Silo. Aliquis dicet, quòd erat in Maſpha templum, ſiue tabernaculum domini, quod fecerat Moyſes, & quandocunque aliqui erant in ſanctuario, vel in loco ſanctuarij, dicebantur eſſe coram domino: eo quòd Deus ſpecialiter erat in ſanctuario potius quàm in alijs locis. Sed dicendum, quòd hoc non ſtat, quia ſanctuarium nunc erat in Silo, vt patet præcedenti capit. Nam E dicitur, quòd venerunt Iſraelitæ in domum domini in Silo, & conſuluerunt dominum. Etiam dicitur: eo tempore erat ibi arca fœderis domini,& Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus: non ergo erat in Maſpha. Aliquis dicet, quòd licèt nunc non eſſet ſanctuarium domini in Silo, fuerat tempore præterito, & manebat ſemper locus venerabilis tanquã adhuc eſſet præſentia Dei ſpecialiter. Sed ad iſtud dicendum, quòd non ſtat, quia etiam non fuerat aliquando ante hoc ſanctuarium in Maſpha. Nam ſanctuarium à principio portabatur cum Iſraelitis in via, & mouebatur de loco ad locum,dum ipſi nondum haberent quietem: cùm autem ſubiecta magna parte terræ Chananæorum Iſraelitis Deus dediſſet eis quietem quandam tempore Ioſue,voluerunt ponere ſanctuarium in vno loco, vt fixum maneret, & poſuerunt illud in Silo: Ioſue 18. & ſic ille fuit primus locus, in quo poſitus eſt,& non potuit poni in Maſpha: manſit autem in loco illo vſque ad mortem Heli ſummi ſacerdotis, quando capta eſt arca à Philiſthinis. Nam tunc ſanctuariũ erat in Silo,vt patet primo Regum 1. & 2. & 4. & poſtea non legitur fuiſſe ibi, ſed paulo poſt tempore Saulis regis legitur, quòd eſſet in vrbe Nobe,primo Regum 21. Dicendum ergo,quòd dupliciter poteſt intelligi, quòd Iſraelitæ aſcenderint ad dominum in Maſpha. Primo modo, quia quandocunque congregantur aliqui ad faciendum aliquod, quod pertineat ad honorem Dei, dicuntur eſſe coram domino. Sic enim dixit Chriſtus Matth. 18. vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego ſum: & tamen Iſraelitæ conueniebant nunc ad vindicandum nefas, quod acciderat propter reuerentiam Dei, ideo dicebantur eſſe coram domino. Et iſte modus loquendi eſt frequentatus in ſacra ſcriptura: ſic dicitur primo Regum vigeſimo tertio quòd Dauid, & Ionathas filius Saulis ſteterunt coram domino, & tamen ambo erant ibi in ſyluis, vbi non erat templum,ne locus aliquis, in quo Deus diceretur ſpecialiter eſſe, ſed quia iurabant, & conueniebant aliqua inter ſe inuocato nomine domini, dicebantur eſſe coram domino, tanquam haberent Deum præſentem in teſtem, ſicut dixerunt ambo primo Regum vigeſimo. Secundo modo poteſt intelligi, quòd erant coram domino, ſcil. quia Maſpha erat locus, in quo Deus ſpecialiter erat. Nam licèt non eſſet ibi templum, nec vnquam fuiſſet, erat tamen locus magnæ deuotionis in terra Iſrael. Pro quo ſciendum, quòd licèt in terra Iſrael vnicus eſſet locus ſanctuarij, tamen in multis locis erant ſynagogæ Iudæorum, in quibus conueniebant ad audiendam doctrinam legis, & ad orandum, vt patet Lucæ quarto, vbi dicitur, quòd conſuetudo Chriſti erat introire in ſynagogas diebus Sabbatorum, & cùm eſſet in Nazareth introiuit in ſynagogam, & traditus eſt ei liber Iſaiæ ad legendum: ad iſtas ſynagogas conueniebant Iſraelitæ diebus Sabbatorum, & audiebant verbum Dei, & legem,& orabant, vt

Sanctuarium manſit in Silo vſq; ad mortem Heli. Doct. reſpon. ad quæſitum.

F

In multis locis erat ſynagoga Iudæorum, licèt eſſet vnus locus ſanctuarij.

colligitur

A colligitur ibidem,& patet etiam Actuum 13. vbi Paulus quodam Sabbato introiuit in synagogam,& prædicauit, & rogatus est etiam à Iudæis,vt sequenti Sabbato prædicaret:ex quo patet, quòd singulis Sabbatis ad hoc conueniebant. De hoc declaratum est latissimè 4.Regum 4.cap.in quadam quęstione. Et de istis synagogis quædam erant maioris deuotionis quàm aliæ,sicut est nunc de ecclesijs nostris,& ita erat de Maspha, qui erat locus maioris deuotionis, quàm aliæ synagogæ,& erat locus orationis in toto Israël: & hoc fuit à principio. Nam nunc cùm esset tabernaculum in Silo erat locus deuotionis in Maspha, & etiam tempore Samuelis Prophetæ:post hæc fuit deuotio in Maspha: ideo erat vnus de tribus locis,in quibus Samuel iudicabat Israël quolibet anno, & ibi sacrificabat sæpè. Nam ibi fuit sacrificium factum, & congregatus fuit totus Israël, quando superuenerunt Philisthini, & intonuit super eos Dominus fragore magno de cœlo, & fugati sunt à facie Israëlitarum,1.Regum 7.& ibi etiam cõgregatus est totus Israël ad eligendum primum regem,quando electus est Saul:eodem libro,cap.decimo, & ideo quando homines erant in loco illo, dicebantur esse coram Deo propter specialem deuotionem illius loci,& sic credebant Deum specialiter respicere orationes Israëlitarum in illo loco quàm in alijs, & ob hoc nunc cõgregati fuerunt prima vice in Maspha,& ibi factum est iuramentum.

B *Quæ ciuitas erat Iabes Galaad, cuius habitatores nunc occisi sunt.*

Qvæstio XX.

Qværevr vlteriùs,quę ciuitas erat Iabes Galaad cuius habitatores nunc occisi fuerunt?

Respondendum, quòd fuit ista ciuitas in terra duarum tribuum & dimidiæ ad Orientalem partem Iordanis, & extra terminos terræ Chanaan, erat autem nomen eius Iabes. Sed vocatur Iabes Galaad,quia erat in terra Galaad.Est enim Galaad nomen cuiusdam montis ad Orientem Iordanis, qui sic vocatus est à Iacob.Nam cùm fugeret Iacob à Laban socero suo, inuenit eum in monte illo post septem dies, & fecerunt pacta inter se ibi, & quia in testimonium illorum quæ promittebant, posuerunt ibi quendam cumulum lapidum, vocatus est mons Galaad,quòd Hebraicè interpretatur acerus testimonij,vel cumulus testis,Genes.31.cap. Terra autem in circuitu montis illius vocatur terra Galaad, & fuit data medietas illius terræ in sortem tribui Ruben, & Gad, & alia medietas fuit data dimidiæ tribui Manasse. De Iabes in qua parte istarum fuerit, non apparet. De ista ciuitate fuit Elias Propheta, vt patet tertio Regum 17. Contra istam ciuitatem pugnauit Naas rex Ammonitarum multo tempore post hoc volens eam accipere in principio regni Saulis, & volebat eruere oculos dextros habitatorum vrbis, & petitis inducijs miserunt ad Saulem, qui congregato exercitu pugnauit cõtra Ammonitas,& dispersit eos,ita vt non manerent duo pariter, primo Regum vndecimo. deinde mortuo Saule, cùm Philisthini suspendissent cadauer eius,& filiorum suorum de muro vrbis Bethsan,surrexerunt viri fortissimi Iabes per noctem,& introeuntes in terram Philisthinorum, tulerunt cadauera de muro Bethsan, & portantes in Iabes sepelierunt ea in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus in dolorem mortis Saulis,primo Regum vltimo.& primo Paralipom.10. hoc fecerunt Iabeseni referentes gratiam Sauli, quia liberauerat eos de manu Ammonitarum,& quia in hoc fuerant viri laudabiles,Dauid misit eis ad regratiandum, dicens: quòd licèt mortuus esset Saul dominus eorum: ipse faceret misericordiam cum eis,& retribueret quod posset, vt patet secundo Regum secundo cap. quis autem fuerit exitus istius ciuitatis,quanquam nunc destructa fuerit, declarabitur infrà in quadam quæstione.

An peccarunt Israëlitæ iubendo, quòd occiderunt viri Iabes Galaad.

Qvæstio XXI.

Qværevr vlteriùs,an peccauerunt Israëlitæ iubendo,quòd occiderentur viri Iabes Galaad?

D Respondendum, quòd Israëlitæ non solùm non putabãt peccare occidendo Iabesenos,immò potius putabant, quòd peccabant si non occiderent illos, quia iurauerant occidere omnes,qui non venissent ad bellum,& tamen non venerant Iabeseni,& in hoc verum credebant, quia Israëlitæ poterant imponere istam pœnam, & habebant iustam causam ad ponendam eam, & etiam iurisdictionem. Nam sicut declaratum est suprà in quadam quæstione, non erat aliquis Rex, aut iudex in Israël, quãdo istud factum est,qui circa hoc posset prouidere, ideo iurisdictio summa erat penes multitudinem,& ipsa poterat ponere istam pœnam, sicut faceret rector politiæ, & sic non erat pœna iniusta ex defectu iurisdictionis. Etiam non erat iniusta ex defectu causæ, quia iusta causa suberat ad imponendum eam, scilicet, quia erat totius populi negotium, quòd vindicaretur, & puniretur nefas,quod factum fuerat in Gabaa, & si non puniretur,oriretur indignatio Dei super totum populum negligentem circa hoc. Quicunque ergo impediret punitionem virorum Gabaa, procurabat indignationem Dei, & destructionem populi,ideo poterat procedi contra eum, tanquam contra hostem publicum,tanquam esset admonitus. Sic autem fuit de viris Iabes:nam vocati sunt,vt venirent in Maspha, sicut cæteri de Israël, & renuerunt: ideo iustè puniebantur. Etiam non erat pœna iniusta propter malam intentionem infligentis, quia non inflicta fuit ista pœna ex odio, quia Israëlitæ non habebant istos exosos, cùm essent fratres sui, sed graui iuramento se constrinxerant ad faciendum hoc, vt patet suprà in litera. Quod autem iurabant Israëlitæ (etiam si esset in damnum ipsorum, & de hoc valdè dolerent) obseruabant, sicut fuit de Iephte Galaadite, qui propter votum immolauit filiam suam vnigenitam, suprà 11. cap. Dicendum ergo, quòd non peccauerunt Israëlitæ iubendo occidi viros Iabes Galaad.

E *Quare Israëlitæ occiderunt viros, & fœminas præter virgines, & de decem modis, & gradibus punitionis,qui erant in veteri testamento pro peccato multitudinis.*

Qvæstio XXII.

Qværevr vlteriùs, quomodo Israëlitæ seruauerunt nunc talem modum pœnæ, quòd occiderent viros, & fœminas præter virgines. Et an iste modus consonet alicui modo punitionis de his, qui sunt in lege Dei, & sacra Scriptura.

Respondendum, quòd causa quare Israëlitæ occiderunt hic viros, fuit propter pœnam, & causa reseruationis virginum fuit,vt Beniamitæ, de quibus principaliter intendebãt, possent habere vxores. Nam propter istud peccatum graue, quod fecerant Iabeseni,voluerant Israëlitæ non solùm occidere eos,sed etiam vxores, & filios, & omnia pertinentia ad eos,vt esset in exemplum punitio tanti delicti: quia tamen si occiderent omne viuens, non haberent vnde darent vxore Beniamitis, voluerunt reseruare virgines ex necessitate, vt prouiderent Beniamitis: quanquam aliàs potius occidendæ essent virgines adultæ, vt quibusdam videtur, quàm pueri paruuli. Cùm autem quæritur, an iste modus similetur alicui modo punitionis eorum,qui sunt in sacra Scriptura: Dicendum quòd multi sunt, & tamen non similatur alicui per omnia.Primus modus,& leuior est quando aliqua gens subijciebatur tributis,& non occidebatur quisquam,nec fiebat præda. Et iste erat quandocunque Israëlitæ pugnabant contra aliquem,qui esset alicuius gentis extra terram Chananęorum. Nam tenebantur Israëlitæ,primò offerre pacem,& si habitatores vrbis susciperent illam,& aperirent portas vrbis, subijciebant eos Israël in tributarios, & non poterant occidere eos,nec quicquam aliquid mali facere,Deuteronom.20. Secundus modus est,quando pugnabatur contra aliquam gentem, & capiebatur præda, & occidebantur viri bellatores, fœminæ autem,& paruuli manebant illæsi, & poterant vendi in seruos.Sic erat quandocunque pugnabant Israëlitæ contra aliam gentem, quæ non erat de stirpe Chananæorum, & cùm offerebatur ei pax, nolebat aperire portas vrbis. Nam tunc Israëlitæ debebant occidere viros bellatores, reseruatis

C F

Modi punitionis in sacra Scriptura multi sunt.

A mulieribus, & paruulis, quos poterant vendere in seruos, Deut.20.& 21. Tertius modus est, quando occidebantur viri bellatores solùm, & non poterant vxores eorum, & paruuli vendi, nec duci in seruos, & sic erat si pugnarent Israëlitæ inter se, scil. viri de regno Iuda contra viros de regno Israël, & è contrario, quia solùm illi, qui ibant ad bellum, occidendi erant: filij autem, & familiæ eorum nihil pati debebant, sic patet 2. Paralipom. 28. cùm quidam de filijs Ephraim pugnauit contra viros de regno Iuda, & tradidit illos Deus in manus eius, occiditque plurimos, & cepit reliquos captiuos in seruos, & ancillas, & tunc Propheta Obed egressus obuiam illi, monuit quòd teneretur nemo captiuus, sed remitterentur in terram suam, quia Deus super hoc grauiter iratus fuerat. Et iste modus leuior est, quàm præcedens. Quartus modus est, cùm occidebantur viri & fœminæ, exceptis virginibus, & tamen non destruebantur ciuitates: nec occidebantur iumenta, nec capiebatur aliqua præda. Sic fuit hic. Nam non fuit deleta ciuitas Iabes, nec iumenta, nec capta sunt spolia, sed solùm viri, & fœminæ occisi sunt præter virgines, qa hoc solùm mãdatum est, vt patet in litera. Quintus modus erat, quando occidebãtur viri & fœminæ præter virgines, sicut suprà, & tamen destruebantur vrbes incendio, & capiebatur præda, & diuidebatur exercitui: sic fuit in bello contra Madianitas, vt patet Num.31. cap. Sextus modus erat, quando occidebantur omnes viri, & fœminæ, magni & paruuli,
B nullo excepto, etiam si essent mulieres virgines, & capiebantur vrbes, & diuidebantur spolia: tamen non occidebantur iumenta, nec succendebantur vrbes. Sic fuit regula generalis quantum ad omnes Chananæos, quia omnes occidendi erãt gladio, & nulli parcendum propter sexum, vel ætatem, Deut. 20. Septimus modus erat, quando occidebantur masculi, & fœminæ vniuersaliter, & ciuitas cremabatur, & ponebatur in tumulum æternum, vt nullus in ea habitare posset, & tamen non occidebantur iumenta, & spolia diuidebantur exercitui: sic fuit in destructione vrbis Hai, quæ fuit secunda, quæ capta est in terra Chanaan, de qua Iosue 8. Octauus modus erat, quòd homines viri, & fœminę occiderentur, & etiam iumenta, & omnia viuentia, & poneretur ciuitas in tumulum æternum, & non caperentur aliqua spolia, quæ diuiderentur exercitui, tamen aurum, & argentum, ferrum & æs possent accipi vt ponerentur in thesauris Domini: sic fuit in anathemate Iericho, quia omnia ista facta sunt, vt patet Iosue 6. & 7. Nonus modus erat, quòd occiderentur homines, & iumenta, & omnia viuentia, & non caperentur aliqua spolia pro exercitu, nec aurum, & argentum, aut aliquid aliud pro thesauris Dei, sed omnia destruerentur, & cremarentur, non tamen ponerentur vrbes in tumulos æternos, sed liceret postea in eis habitare: sic fuit in destructione, quam Deus iussit facere Sauli in terra Amalechitarum, primo Regum decimoquinto. Decimus modus est, quòd occidantur viri, & fœminæ, &
C omnia viuentia, & postea crementur ciuitates, & non accipiantur aliqua spolia pro exercitu, nec aurum & argentum pro thesauris Dei, sed omnia crementur, & insuper quòd ciuitas diruatur, & ponatur in tumulum æternum: istud fiebat in ciuitatibus idololatrarum in terra Israël, si Israëlitæ in aliqua vrbe publicè colerent idola, Deut. 13.

Isti modi punitionis sunt, quando punitur aliqua gens, & non persona priuata, siue sit punitio per modum belli, siue per modum executionis sententiæ: sicut erat hic, & isti modi se habent secundùm ordinem in grauitate, quia quilibet sequens est grauior præcedente, vt apparet inspiciendo singulos, præter tertium, qui est leuior, quàm secundus, & punitio Iabesenorum, de qua hic agitur tenet quartum gradum, quia nihil in ea factum est, nisi quod hic dictum fuit, spolia autem nulla capta sunt, nec occisa sunt iumenta, nec diruta est vrbs, sed omnia ista manserunt pro virginibus, quæ non occisæ fuerunt, de quo infrà dicetur in quadam quæstione.

* * *

D

An peccarunt Israëlitæ iubendo occidi fœminas vrbis Iabes, & paruulos, & quare hoc fecerunt.

Qvæstio XXIII.

Qværvtvr vlteriùs, an peccauerunt Israëlitæ iubendo occidi fœminas vrbis Iabes, & paruulos, & quare hoc iusserunt?

Aliquis dicet, quòd peccauerunt, quia iniustum erat fœminas occidi: nam ista occisio erat in pœnam, quia viri Iabes non venerant in Maspha ad exercitum. Sed ad fœminas non pertinebat venire ad exercitum, nec etiam ipsæ ad hoc vocatæ fuerunt: ergo iniustum erat eas occidi pro hoc. Item patet, quia non erat hic aliqua causa ad occidendum fœminas, nisi peccatum virorum suorum, & tamen illud non est causa sufficiens, nec colorata ad occidendum eas, ergo iniustè occisæ sunt. patet hoc, quia non solùm in iudicio hominum, sed nec etiam in iudicio Dei hoc fit, quia ipse solùm punit peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem, Exod. 34. & Num. 14. peccata tamen virorum in vxores, vel è contrario non legitur Deus punire: ergo à fortiori iudicio hominum non poterit hoc fieri iustè. Tertiò patet, quantum ad paruulos, quia pœna debet infligi peccato: multi tamen paruuli erant in Iabes, qui non peccauerant quantum ad Deum, nec quantum ad homines, & tamen illi occisi sunt, quod E iniustissimum est. Quartò patet, quia Deus iussit Deut. 24. nõ occidentur filij pro patribus, nec patres pro filijs: & tamẽ hic paruuli fuerũt occisi pro peccato patrum: ergo malè factum est. Aliquis dicet, quòd licuit hoc facere Israëlitis, quia sic Deus fecit in vrbibus Sodomorum. Nam illæ perierunt pro pessimo vitio carnis: sed certum est, quòd in illo non peccabant mulieres, nec paruuli, & tamen omnes simul perierunt, Genes. 19.

Dicendum tamen, quòd hoc non satisfacit propter duo: Primò, quia isti aliquo modo peccauerant in hoc. Nam fœminæ fortè cognoscebantur in vase indebito sicut viri, & illud erat vitium Sodomiticum, & merebãtur occidi. De paruulis etiam dicendum, quòd erant infecti hoc vitio siue in opere, siue in desiderio propter malam assuetudinem illarum vrbium: vnde qñ duo angeli introeuntes venerũt Sodomã in domum Loth in specie virorum, dicitur quòd omnes viri de vrbe vallauerunt domum Loth à puero vsque ad senem, Genes. 19. Alij paruuli occisi sunt omnino à Deo saltem propter originale, & tamen hic non peccauerant mulieres, nec paruuli in hoc in quo peccauerunt viri Iabes, ideo non erat simile. Secundò, quia iudicium Dei nimium differt à iudicio humano, & aliquid est licitum in illo iudicio, quod non est licitum in iudicio humano, quod patet, quia Deus punit peccata patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem, Exod. 34. & Num. 14. & tamen in iudicio humano non F licet occidere filios pro patribus, vt patet Deut. 24. Non occidentur filij pro patribus, nec patres pro filijs.

Et ratio diuersitatis est, quia Deus est iudex noster, quantum ad omnes nostros actus, & quando peccamus in vno actu, potest nos occidere pro alio: homines autem non sunt iudices ad puniendum pro omnibus actibus, sed solùm pro illis, in quibus læditur proximus, vel communitas ex actu nostro, ideo non licet homini punire eodem modo, quo Deo licet. Et sic dicendum, quòd non licuit ex illa parte Israëlitis occidere mulieres, & paruulos vrbis Iabes Galaad. Manet ergo dubium, an peccauerunt in hoc Israëlitæ. Et satis posset dici, quòd peccauerunt, quia non tenemur excusare actum eorum, cùm ipsi non essent viri excellentes sanctitate, nec Scriptura eos excusare velit: fuisse tamen motiuum eorum videtur ex iuramento, quia cùm nimis essent affecti Israëlitæ ad pugnandum contra viros Gabaa, imponerent grauissimam sententiam super omnes qui non venirent, scilicet, vt non solùm ipsi, sed vxores etiam eorum, & filij perirent, & hoc innuitur aliqualiter, quia dicitur in litera: graui enim se iuramento cõstrinxerant occidere eos, qui defuissent. Et vocatur iuramentum graue, id est, factum super re graui, scil. super multis pœnis inferendis.

Si autem velimus excusare factũ istorum, dicemus, quòd fuit ex quadam dispensatione Dei, quia Israëlitæ, quando i-

Rõnes in diuersum

Deus est iudex noster quantum ad omnes nostros actus.

A

ſtud mandauerunt erant in Silo, vbi erat Sanctuariū, & ſummus ſacerdos, & ibi conſuluerant Dominum ſuper omnibus bellis, quæ fecerant contra Beniamitas, ideo etiam ſatis veriſimile eſt, quòd ſuper omnibus iſtis pœnis infligendis viris Iabes eum conſuluerunt, & eo mandante facerent.

Ad rõnes in diuerſum.

Ad rationes factas in contrarium, dicendum, quòd benè concludunt, & tenendæ ſunt. Si autem licitè fecerunt Iſraëlitæ, fuit per diuinam diſpenſationem, & tunc ceſſant omnes illæ rationes, quæ probant, quòd Iſraëlitis non liceret tales pœnas imponere ſuo iure.

Quare Iſraëlitæ non reſeruarunt mulieres cognitas à viris in Iabes Galaad.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Iſraëlitæ intenderent nunc quærere vxores filijs Beniamin, cur non reſeruauerunt mulieres cognitas à viris in Iabes Galaad, quia per illas poterant ſatisfacere Beniamitis: & hoc videbatur valdè conueniens, & ſi nollent reſeruare omnes, ſaltem tot reſeruarent, vt ſufficerent ad dandum in vxores Beniamitis, & per hoc tolleretur difficultas in quam poſtea incurrerunt, ſcilicet, quia virgines inuentæ in Iabes Galaad nõ ſuffecerunt ad id, quod intendebant, & oportuit inquirere ducentas alias virgines de filiabus illorum, quia iurauerant non dare de filiabus ſuis vxores Beniamitis per fraudem quandam, quæ erat contra iuramentum ipſorum, vt patet infrà in litera.

B

Aliquis reſpondebit, quòd Iſraëlitæ putabant, quòd virgines Iabes eſſent plures, quàm ſexcentæ: & ſic ſufficerent viris, qui ſuperſtites erant de Beniamin: & ob hoc iuſſerunt occidi corruptas. Si autem putauiſſent, quòd virgines non ſufficerent, iuſſiſſent etiam ſeruare aliquas corruptas ſaltem vſq; ad ſupplendum numerum Beniamitarum virorum, & poſtquam occiſæ fuerunt omnes corruptæ, inuentæque ſunt ſolùm quadringentę virgines, doluerunt Iſraëlitæ, quòd non reſeruaſſent plures, quas eis darent.

Sed dicendum, quòd hoc non eſt conuenienter dictum. Nam ſi Iſraëlitę intendiſſent dare tam de corruptis, quàm de virginibus, non exiſtentibus virginibus, iuſſiſſent, quòd reſeruarentur multæ corruptæ, quouſque videretur an eſſent tot virgines, poſſent ſufficere, quia hoc ſatis poterat quilibet videre, quod erat dubium, an tot virgines reperirentur, vt ſatisfacerent cum illis viris Beniamitis, & tamen iuſſerunt indifferenter reſeruari virgines, & occidi corruptas: ergo nõ erat intẽtio eorum dare aliquã de corruptis etiam nõ inuentis virginibus ad ſufficientiã in Iabes. Secundò patet, qa ſi erat intentio Iſraëlitarum prouidere de mulieribus Iabes, ſiue virginibus, ſiue corruptis, iuberent ſic, quòd inquirerentur omnes virgines Iabes, & ſi inuenirentur ſexcentæ, reſeruarentur: & ſi plures, quòd occiderentur, quia illæ non erant neceſſariæ ad tradendum in vxores Beniamitis. Si autem pauciores, quòd acciperentur aliquæ de corruptis cum eis, vſque ad ſexcentas, & tamen iuſſerunt abſolutè, quòd omnes virgines reſeruarentur: etiam ſi reſeruatæ eſſent vltrà ſufficientiam, & omnes corruptas iuſſerunt occidi, non iubentes aliquam reſeruari, etiam ſi virgines non eſſent ad ſufficientiam pro Beniamitis.

C

Aliquis dicet, quòd intentio Iſraëlitarum fuit reſeruare omnes virgines, & omnes corruptas occidere, ad ſimilitudinem occiſionis, quam iuſſit Moyſes fieri in Madianitis. Nam omnes fœminas corruptas, & omnes paruulos iuſſit occidi, virgines autem reſeruari, Num. 31.

Sed dicendum, quòd hoc non ſtat, quia ibi magna cauſa fuit ad faciendum hoc, quæ non fuit hic. Nam Iſraëlitæ reſeruauerunt fœminas Madianitidas, quos Moyſes increpuit, dicens: Cur fœminas reſeruatis? ipſæ enim ſunt, quæ fecerũt peccare Iſraël, eodem cap. ſed iſta vindicta contra Madianitas fiebat, quia per eos fuerant Iſraëlitæ decepti, & inducti ad colendum idola, ideo perierunt viginti quatuor millia de eis, Num. 25. & hoc fuerat, quia poſitæ fuerant fœminæ Madianitides apud caſtra Hebræorum, quæ ab eis patiebantur ſe cognoſci: & vt fruerentur concubitu earum, & blanditijs inducebant eos, vt deos ipſarum colerent: quod Iſraëlitæ fecerunt, & occiſi ſunt vigintiquatuor millia. Quamobrem dixit Deus ad Iſraëlitas: hoſtes vos ſentiant Madianitæ, quia hoſtiliter egerunt contra vos, Num. 25. & propter hoc factum eſt bellum contra eos, Numer. 31. Et quia peccatum venerat per mulieres Madianitarum, quæ cognitæ fuerunt ab Iſraëlitis, illæ erant occidendæ: & quia non cognoſcebatur, quæ illæ fuerant, iubebatur, quòd omnes corruptæ occiderentur, vt nulla earũ, quæ peccauerant euaderet, ideo rectè dixit Moyſes: cur fœminas reſeruatis? ipſæ enim ſunt, quæ fecerunt peccare Iſraël: & tamen hic mulieres Iabes nihil peccauerant, ideo non erat ſimile ad hoc, quòd occiderentur nunc omnes corruptæ.

D

Iſraelitæ quare parulos Madianitarũ occiderunt.

Dicendum autem eſt quantum ad paruulos, quòd ideo occiſi ſunt, quamquam non peccauiſſent, vt non vellent eſſe vltores patrum, & turbarent Iſraëlitas faciendo bellum, vel alias turbationes. Et iſta etiam videtur fuiſſe cauſa, quare occiderunt Iſraëlitæ paruulos Madianitarum, Num. 31. & etiam paruulos Beniamitarum, quando cremauerunt vrbes eorum præcedenti cap. De mulieribus autem non patet cauſa tam euidenter. Nam ſi iuſſiſſent omnes occidi, ſiue virgines, ſiue corruptas, præter illas, quæ ſufficerent ad hæc, quæ darentur in vxores Beniamitis, ſiue eſſent virgines, ſiue corruptæ, poſſet dici quòd factum fuerat ex ira magna, & deteſtatione criminis Iabeſenorũ: quia tamen omnes corruptas occiderunt, & omnes virgines reſeruarunt, ſiue ſufficerent pro Beniamitis, ſiue non: aliunde cauſa inquirenda eſt. Aliquis dicet hoc fuiſſe, quia nolebant Iſraëlitæ, quòd aliquis vir de progenie Iabeſenorum maneret, ne eſſet vltor ſanguinis paterni, vt dictum eſt. Et quia de qualibet muliere corrupta poterat dubitari cùm eſſet fœcunda, & conciperet maſculum, iuſſerunt omnes occidi. Sed hoc fortè non multum ſtat, quia poterant ſeruari vſque ad tempus debitum, vt viderentur, an eſſent prægnantes: & ſi eſſent prægnantes obſeruaretur, an parerẽt maſculos, & occiderentur illi, & matres permitterentur viuere: & ſi parerent fœminas, vtrumque permitterentur viuere, ſcilicet mater, & fœtus. Aliter ergo poteſt dici, quòd ſtirps virorum Iabeſenorum erat damnata, & ideo in deteſtationẽ illorum, non erat in vxorem accipienda aliqua fœmina, quæ ab aliquo eorum fuiſſet cognita: ſic erat de Iſraëlitis reſpectu Gentilium; quia quando Iſraëlitæ capiebant prædam de terra Gentilium, qui non eſſent Chananæi, & in numero captiuorum eſſet aliqua pulchra virgo, poterat accipi in vxorem à viro Iudęo: ſi autem eſſet corrupta, non accipiebatur, vt patet Deut. 21. & tamen ibi non occidebantur corruptæ, ſed vẽdebantur. Hic autem volebant Iſraëlitæ occidere omnes de Iabes, quę non erant aptæ, vt eſſent vxores Beniamitarum, & quia corruptæ in odium corruptorum ſuorum erant ineptæ ad hoc, quòd acciperentur in vxores à Beniamitis, ſicut corruptæ à Gentilibus, reſeruabantur ſolæ virgines, quæ erant idoneæ, vt acciperentur in vxores à Beniamitis. Secundò poteſt dici, quòd fiebat in deteſtationem virorum Iabes ex alio fundamento, ſcilicet, quandocunque inter Hebræos aliqua accipiebatur fœmina à viro, pertinebat ad familiam viri: & magis gaudebat priuilegijs familiæ viri, quàm familiæ patris ſui: & aliquando propter viros à quibus cognoſcebantur, priuabantur aliquibus priuilegijs, quæ prius habebant. Patet hoc, quia non licebat ſacerdotibus in veteri teſtamento contaminari, niſi in mortibus patris, & matris, filij, & filiæ, fratris & ſororis, quæ non erat cognita à viro, Leuit. 21. & ſic ſi fœmina non erat cognita à viro, retinebat adhuc priuilegia familiæ paternæ, ſcil. quòd frater ſuus ſacerdos poterat lugere, & intereſſe funeri eius. Si autem erat cognita à viro, non poterat intereſſe funeri eius, eo quòd cenſebatur iam eſſe de familia viri illius, à quo cognita erat, & perdebat priuilegium familiæ ſuæ. Sic etiam patet aliqualiter quantum ad cibos cõſecratos. Nam quamdiu filia ſacerdotis manebat in domo patris ſui, licebat ei comedere de cibis conſecratis, vt colligitur Leuit. 10. & 22. Si autem accipiebat virum, & manebat cum eo, non licebat ei comedere de cibis ſanctificatis, niſi vir ſuus eſſet ſacerdos. Si autem moreretur vir, & maneret ipſa habens filios ex viro, non licebat comedere de conſecratis. Si autem manebat vidua, & ſine filijs, cenſebatur iure virginis, & comedebat de conſecratis, Leuit. 22. & ſic cognitam eſſe ſaltem aliquando faciebat mutare familiam, & perdere priuilegia: ita ergo fœminæ cognitæ inter Iabeſenos tranſibant in familiam eorum: & propter illos erant minoris di-

E

F

In vet. teſt. ſacerdotibus in morte quorũ licebat contaminari

A gnitatis, ideo occidebantur: virgines autem non transibant in familiam illorum, quia non erant cognitæ ab eis, aut saltem non erant dignæ aliquo malo in odium illorũ, ideo non occidebantur.

Respon sio secũ dùm Io sephum

Tertio modo potest dici secundùm Iosephum 5. Antiquitatum, quòd factum est hoc ex magna indignatione Israëlitarum propter corruptionẽ mulieris Leuitæ. Ait enim: Tanta ira succensi sunt propter passionem corruptæ mulieris, & armorum ab eis neglecta conditione, quòd occiderunt omnes Iabesenos cum filijs, & vxoribus, præter quadringentas virgines, scilicet, quòd totum istud malum præcedens euenerat propter corruptionem mulieris Leuitæ factam à filijs Beniamin, & quia viri Iabeseni videbantur fauisse Beniamitis, nolendo ire ad pugnandum contra eos: irati sunt Israëlitæ contra mulieres ab eis corruptas, & occiderunt. Et licèt istud motiuum non sit necessitatem inducens, tamen est satis verisimile considerata conditione Iudæorum illius temporis, qui faciliter mouebantur in iram ad agendum aliquid satis peruersum, & durum.

Quales virgines erant illæ, quæ reseruabantur.

QVÆSTIO XXV.

B QVÆRETVR vlteriùs, cùm dicatur hic, quòd virgines reseruatæ sunt, quales virgines erant istæ, quæ reseruabantur, scilicet, an reseruarentur omnes virgines cuiuscunq; ætatis; etiam quæ essent vnius diei natæ, vel solùm illæ, quæ erant iam in ætate nubili, vel quasi?

Rõnes in di uersum

Respondendum, quòd hoc non apparet manifestè: posset autem dici, quòd omnes in quacunque ætate essent reseruarentur, quia hic dicitur, quòd occiderent omnes fœminas, quæ cognouerunt viros, & nullas alias de fœminis iubebant occidi, sed puellæ paruulæ, vtpotè vnius mensis, vel anni non cognouerãt viros, ideo ex hac lege non erant occidendæ. Itẽ, quia non stabat in his aliqua causa, quæ mouebat Israëlitas ad occidendum mulieres Iabesenorum. In contrarium videtur, quia Israëlitæ iusserunt reseruari virgines Iabesenorum, vt ex illis acciperentur vxores pro Beniamitis. Sed manifestum est, quòd paruulæ, vtpotè, quę erant vnius mensis, vel minoris ętatis nullo modo erant aptæ ad hoc, quia si viri Beniamin deberent expectare vsquequò essent istæ nubilis ætatis, multi eorum prius senescerent, & transiret tempus gignendi in eis: ergo non fuerunt tales reseruatæ, sed illæ solùm, quæ erant iã ætatis nubilis, vel quasi, vt illicò possent accipere eas in vxores. Secundò patet, quia dicitur in litera, quòd inuentæ sunt virgines quadringentæ in Iabes, & ductæ in Silo: dictumque est filijs Beniamin, vt susciperent eas in pace. Et dicitur, quòd venerunt filij Beniamin in illo tempore, & datæ sunt illis in vxores omnes quadringentæ: & tamen si essent in paruula ætate, vtpotè vnius mensis, vel anni, non possent dari in vxores, ergo erant virgines adultæ. Aliquis dicet, quòd erant aliquæ earum paruulæ, & istæ non potuerunt dari in vxores de præsenti, sed sub expectatione, scil. quòd quando venirẽt ad adultam ætatem, essent vxores eorum. Sed istud etiã non stat, quia si aliquæ essent iã paruulæ, nullo modo possent accipere eas filij Beniamin ad ducendum in terram suam, sicut duxerunt istas quadringentas, quia in tam parua ætate non poterant nutriri apud viros nõ habentes vxores, sed apud matres, vel alias, & tamen in terra Beniamin nulla talis fœmina erat adhuc, quæ posset lactare paruulos teneros. Tertiò patet, qa si omnes puellæ cuiuscunque ætatis, quæ non essent cognitæ à viris acciperentur hic, non erat verisimile, quòd tam paucæ reperirentur in Iabes Galaad, quæ erat ciuitas. Nam verisimile erat, quòd reperirentur plures, quàm mille: ergo intelligũtur solæ existentes in ætate nubili. Quartò patet, quia hic dicitur, quòd reseruatæ fuerunt quadringentæ virgines, non tamen vocamus quamlibet mulierem virginem, quę viro incognita est. Nam illa, quæ est incognita, quia cognosci nondum potuit, natura deficiente, vt paruulæ, virgines non dicuntur, sed tunc mulieres in sacra Scriptura, & in vsu vulgari virgines appellari incipiunt, quando iam corrumpi possunt, & concipere, & tamen abstinent à coitu. Quintò patet, quia dicitur in litera, quòd inuentæ sunt quadringentæ virgines in Iabes, quæ non cognouerunt viri torum: & tamen de paruulis, vtpotè quæ sunt infrà vnum annum superfluum est dici, quòd non cognouerunt viri torum, quia impossibile erat eas cognoscere: ergo intelligitur de magnis, quę iã aptæ erant ad cognoscendum viri torum, & tamen non cognouerant. D

Respondeti potest dupliciter: vno modo, quòd solę virgines, quæ erant in ætate nubili, vel quasi, reseruatæ sunt, & fuerunt quadringentæ: paruuli autem multum deficientes ab ætate nubili occisæ sunt, quia inhabiles erant ad id, quod intendebant Israëlitæ. Nec videtur hoc inconueniens, quia sic occisi sunt etiam paruuli, qui nihil peccauerant, quia tamen nõ erant apti ad id, quod volebant Israëlitæ, occisi sunt, nihil tamen magis aptæ erant puellæ paruulæ, quàm illi, qui longè erant à nubili ætate, cùm nõ possent tanto tempore expectare sine vxoribus viri Beniamin.

Ad rõnem 1. in di uersum

Ad rationem primam pro contrario dicendum, quòd verum est, quòd Israëlitæ solùm iusserunt occidi fœminas, quæ cognouerant viros, & paruulæ non cognouerant. Et tamen ipsi distinguebant fœminas omnes grosso modo in duas partes, scilicet in virgines, & eas, quæ cognouerant viri torum, & omnes istæ tam virgines, quàm cognitæ erant de illis, quæ iam viro aptæ erant, quia de his poterat prouideri viris Beniamin: de paruulis autem nequaquam, ideo quasdam harum iusserunt reseruari, & quasdam occidi. De paruulis fœminis nihil locuti sunt, quia illæ non pertinebant ad propositum, cùm de illis non posset prouideri viris Beniamin, ideo ponebantur in numero occidendorum, sicut pueri paruuli. E

Ad 2. rõnem.

Ad secundum dici potest, quòd in puellis paruulis fuit aliqua causa, quæ mouebat Israëlitas ad occidendum Iabesenos. Nam illi volebant occidere omnes, & nullum omnino reseruassent, nisi propter necessitatem prouidendi Beniamitis de vxoribus, & ob hoc omnes, de quibus nõ poterat prouideri Beniamitis occidi debebant. Sed sic erat de fœminis paruulis, ideo illę occidendę erant. Secundo modo potest respondeti ad quæstionẽ istam, scil. quòd reseruatæ fuerunt in Iabes omnes mulieres incognitæ viris cuiuscunque ætatis essent, etiam si solùm essent vnius diei, & tamen non fuerunt computatæ omnes inter quadringentas, sed solùm illæ, quæ erãt in ætate nubili, vel proximæ pubertati. Et ista positio est valdè rationabilis, & concordat satis literæ, quia tenebitur nunc litera, sicut iacet, scil. quòd nulla fœmina occisa fuerit, nisi quæ cognouerit virum, & etiam non obuiabunt quinq; rationes inductæ suprà pro alia parte, cùm illæ solùm probẽt, quòd de illis quadringentis virginibus, nulla fuerit paruula, sed omnes puberes, vel proximæ pubertati. Et ista positio videtur magis tenenda, & tunc dicetur de istis paruulis virginibus, quòd reseruatæ fuerint in tribu sua, & cùm peruenerunt ad pubertatẽ, traditæ sunt in vxores viris de tribu sua, & cognatione sua, quantum potuerunt propinquis reperiri.

Quomodo cognoscebatur, quæ fœmina erat virgo, & quæ non.

QVÆSTIO XXVI.

C QVÆRETVR vlteriùs, cùm dicatur hic, quòd solæ virgines reseruatæ sunt occisis omnibus, quæ cognouerãt viri torum, quomodo cognoscebatur, quæ erat virgo, & quæ non? F

De hac re vide Num. ca. 31.

Aliquis dicet, quòd erat facilis cognitio, scilicet quòd omnes coniugatæ, vel viduæ, aut repudiatę reputabantur corruptæ, cæteræ autem reputabantur virgines. Et dicebantur virgines, quia erant in statu virginali. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia hoc modo multæ poterant de his quadringentis accipi, quæ essent cognitæ à viris, quod erat contra intentionem Israëlitarum. Secundò patet, quia non solùm dicitur in litera virgines, sed etiam quæ nõ cognouerant viri torum: ideo illa additio debet hoc significare, quòd non solùm istæ fœminæ erant in statu virginali, sed etiam erant incognitæ viris: & sic necesse erat facere aliam inquisitionem. Aliter potest dici, quòd fuit ista cognitio per prẹsentiam arcæ, sicut asserunt Hebræi quantum ad virgines Madianitarum. Nam omnes fœminæ Madianitarum virgines, & corruptæ ductæ fuerũt in castra Israëlitarum, & iussit Moyses, quòd solæ virgines seruarentur. Et tunc dicunt, quòd faciebant Israëlitæ transire omnes fœminas coram arca, & illæ, quæ non erant virgines cadebant, nec poterant subsistere, quæ autem erant

A virgines transſibant liberæ. Sed dicendum, quòd iſta cognitio non apparet an facta fuerit aliquando, ſed magis videtur aliquid fictum. Nam ſi fuiſſet ſic, cùm eſſet iſtud miraculum pertinens ad exaltationem nominis Dei, & honorem vaſorum veteris teſtamenti, non ſubticuiſſet illud Scriptura. Sed potiùs videtur iſtud eſſe aliquid confictum, quia ſic etiam Hebræi confingunt multa circa arcam, ſcilicet, quòd volauerit ſuper aquas Iordanis nullo tenente eam. Et etiam quod plus eſt, quòd ipſa fecerit volare ſecum ſacerdotes, qui volebant portare eam: Quæ declarata ſunt eſſe ficta Ioſue cap. 3. Item patet, quia dato, quòd hoc fuiſſet in cognitione virginum Madianitidarum, quæ ductæ ſunt in caſtra Iſraëlitarum vbi erat arca, tamen non potuit eſſe hac vicè in cognitione virginum Iabes Galaad, quia arca Domini manebat in Silo eo tempore, vt patet præcedenti capitulo, & Iſraëlitæ manebant ibi, dum iſti decem millia virorum iuerunt ad occidendum Iabeſenos; & virginum cognitio facta eſt in Iabes, & nõ in Silo; quia dicitur in litera, quòd ſunt inuentę quadringentæ virgines in Iabes Galaad, & ductæ ſunt in Silo ad caſtra Iſraëlitarum, ideo prius diſtinctæ ſunt à corruptis, quàm venirent coram arca.

Alius modus cognoſcendi eſt per aſtrologiam: licèt iudicia aſtrorum non ſint ex tanta neceſſitate, vt ineuitabiliter debeamus eis aſſentire, quia interdum propter nos, qui non plenam cognitionem, & experiẽtiam de efficacia corporum cœleſtium, & ſignificatione habuimus, vt ait Ptolomæus in Almageſti, & interdum propter varietatem actuum humanorum, & libertatem, quæ tantùm fugiunt à regula corporum cœleſtium, quantum accedunt ad arbitrij libertatem, quæ nullis legibus tenetur, niſi diuinis, neceſſe eſt, vel ſaltem contingit nos in quibuſdam aſtrologicis iudicijs deficere: ſed quidquid ſit manifeſtum eſt, quòd Iudæi non inquiſiuerunt hoc modo de virginitate fœminarum Iabeſenarum, qa Iudæi temporis illius erant valdè rudes, quia iſtud accidit pauco tempore poſt mortem Ioſue, antequam eſſent aliqui iudices in Iſraël, vt declaratum eſt ſuprà 19. & tunc nulla peritia erat in Iudæis: nam etiam ipſam legem planam, qua tota dirigi debebant, non intelligebant, vt patet in obligatione iuramenti nunc facti, quod putauerunt tenere, & commiſerunt multa ridicula circa hoc, vt declaratũ fuit ſuprà in quibuſdam quæſtionibus.

B *Nota quare indicia aſtrologica ſæpè fallũtur, & multa mentiũtur poeta & aſtrologi*

Poteſt cognoſci virginitas p quendam lapidem

Alius modus cognoſcendi virginitatem eſt per quendam lapidem pretioſum, qui ſi ponatur in aqua, & biberit mulier de illa aqua, ſi fuerit virgo, manebit immota: ſi autem cognita viro, cogetur vrinare, etiam ſi conetur retinere. Et iſta erat cognitio ſatis leuis.

Alius modus cognoſcendi virginitatem.

Alius modus cognoſcendi eſt vulgarior per aſpectum, & tactum matronarum, licèt in hoc interdum ſit error, quia ſæpè manus fallitur, & oculus obſtetricum, vt patet ext. de probat. c. cauſam matrimonij. Credendum eſt autem, quòd iſtũ modum vltimum tenuerunt Iudæi, quia erat facilis, & frequentatus, & vt facilius expedirent, acciperent omnes puellas paruulas, quæ erant in ætate, in qua nondum poterãt cognoſci à viris, & quantum ad illas nullum facerent experimentum: in cæteris autem adultis, de quibus poterat eſſe dubium, ſicut in iſtis quadringentis virginibus, ſtarent iudicio matronarum, quas iſti viri ducerent ſecum aliundè, & nõ de vrbe Iabes, quia omnes Iabeſenæ matronæ occiſæ ſunt.

C *Notandum.*

De exitu vrbis Iabes, cùm nunc deleta fuerit, quid poſtea fuit de illa.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlteriùs de exitu vrbis Iabes, cùm nunc deleta fuerit, quid poſtea de illa fuit?

Reſpondendum, quòd in Iabes ſoli viri cuiuſcunque ętatis, & fœminæ cognitæ viris perierunt, ciuitas autem nõ fuit dirupta, nec ſuccenſa, nec præda aliqua inde capta eſt. Nam ciuitates, quæ deſtruebantur cum habitatoribus ſuis, erant illæ, quæ ponebantur in tumulos æternos: & iſtæ erant, quæ ſubijciebantur anathemati, ſicut fuit de vrbe Iericho, in qua nulli poſtea licuit muros conſtruere, Ioſue 6. ſic etiam de vrbe Hai, quæ licèt non fuerit ſubiecta tali anathemati, tamen poſita eſt in tumulum æternum, Ioſue 8. in ciuitatibus autem quæ ſubditæ erant ſemel Iſraëlitis, & habitabantur ab eis, nulla ſubijciebatur anathemati, niſi propter idololatriam, vt patet Deut. 13. in Iabes autem non fuerat idololatria, ideo non erat ponendum anathema. Aliquando tamen vrbes aliquæ Iſraëlitarum ſine anathemate perierunt, ſicut fuit de vrbibus Beniamitarum nunc, quia Iſraëlitæ ſuccenderunt omnes vrbes eorum, & viculos, vt patet præcedenti cap. Sed iſtud non fuit propter anathema poſitum, ſed propter magnam iram Iſraëlitarum contra Beniamitas. Contra Iabeſenos autẽ non erat cauſa tantæ iracundiæ, quia non læſerant Iſraëlitas pugnando contra eos, & occidendo multos de illis, ſicut fecerant Beniamitæ, ſed ſolùm ſubtraxerant eis auxilium, vel nõ impenderant: & ſic erant digni maiori pœna, vnde ipſi occiſi ſunt, ſed ciuitas non fuit deleta, & quanquam nunc non mãſerit in ea habitator, tamẽ paulo pòſt habitata fuit. Nam tempore Saulis erant viri in Iabes Galaad, contra quos pugnabat Naas rex Ammonitarum, & liberauit eos Saul ab obſidione, 1. Regum 11. & moriente Saule etiam erant habitatores ibi: nam illi abſtulerunt cadauera Saulis, & filiorum eius de muro Bethſan, & ſepelierunt ea in nemore Iabes, vt patet 1. Reg. vltim. & 1. Paralip. 10. ca. Potuit autem populari iſta ciuitas dupliciter. Vno modo, quòd propinqui virorum Iabes, ſcilicet, de ſua tribu, & familia, qui tamen habitabant in alijs locis ſuccederent tanquam ab inteſtato, & illi inciperent habitare in Iabes, & poſſidere relicta à Iabeſenis. Alius modus erat, quòd virgines Iabeſenæ traderentur in vxores aliquibus viris, & filij inde nati ſuccederent in poſſeſſione Iabeſenorum: ſed qd ſit verum de his, dicetur ſeq. quæſt. Quidquid autem horum fuerit, ciuitas Iabes poſtea fuit habitata, ſicut prius.

D

Iabes potuit duplici ter populari.

E

Quid factum eſt de ſpolijs vrbis Iabes.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quid factum eſt de ſpolijs vrbis Iabes, ſcilicet, de omnibus rebus mobilibus, quæ ibi erant. Et etiam de agris vrbis per quem poſtea poſſeſſi fuerint, & quis poſtea vrbem populauerit.

Nõnul lorũ reſpon ad quæſitũ

Aliqui putant, quòd illi, qui erant propinquiores Iabeſenis de tribu ſua, & familia, & habitabant in alijs vrbibus ſuccederent nunc in omnibus bonis Iabeſenorum mobilibus, & immobilibus, quia ab inteſtato iſti ſuccedere videbantur.

Sed dicendum eſt, quòd non ſtat, quia modus ſuccedendi in veteri teſtamento erat, quòd exiſtentibus filijs ipſi ſuccederent, & nulli alij, nec etiam filiæ, dato quòd multæ eſſent. Si autem non extarent filij, ſuccedebant filiæ, & illis non ſtantibus, vertebatur hæreditas ad patruos, quibus non ſtantibus voluebatur ad propinquiores in gradu: nunc autem Iabeſeni nullos filios habebant, quia omnes occiſi fuerunt: manebant autem filiæ, quia omnes virgines reſeruatæ ſunt: ideo ad illas pertinebat ſucceſſio ſecundùm legem, quæ habetur Nu. 27. Modus autem iſtius ſucceſſionis fuit, quia virorum Iabeſenorum quidã qui habuerunt filias virgines nunc occiſi ſunt, & alij non. Qui autem habuerunt illas erant dupliciter, quia quidam habuerunt paruulas, quæ nõ erant puberes, nec proximæ pubertati, & iſtæ non poterant dari Beniamitis in vxores. Alij habuerunt filias virgines puberes, vel pubertati proximas. De illis, quæ non erant puberes, nec pubertati proximæ dicendum, quòd non fuerunt datæ Beniamitis in vxores, ſed fuerunt reſeruatæ à viris tribus ſuæ, & quando peruenerunt ad pubertatem, datæ ſunt in vxores viris de tribu ſua, & familia, & ipſæ ſuccedebant in bonis paternis mobilibus, & immobilibus, cùm patres earum non feciſſent teſtamenta, nec diſtribuiſſent legata: & cùm acceptæ ſunt in vxores à viris de tribu ſua, habitauerunt ipſæ, & viri ſui in Iabes, & ſic ciuitas denuò habitata eſt, vel ſaltem aliqui filij nati de illis, in quibus reſeruaretur nomen auorum, venirent ad habitandum in Iabes. Et hoc veriùs eſt, ſicut declarabitur infrà. Virgines autem, quæ erant in ætate nubili, datæ ſunt Beniamitis, quadringentæ, ſcilicet, & iſtæ habitauerunt cum viris ſuis in ſorte Beniamin in vrbibus eius. Nam illi venerunt in Silo, & ibi datæ fuerunt eis iſtæ vxores, & abierunt cum eis in terram ſuam, vt patet infrà in litera, & iſtæ ſucceſſerunt patribus ſuis in hæreditatem tam in bonis mobilibus, quàm immobilibus, ſed non habitauerũt ipſę in Iabes, ſed in ſorte Beniamin.

F *Modus ſucceſſionis in hæreditate virorũ occiſorũ in Iabes.*

A

Atiqui tamen de filijs earum venerunt in Iabes ad habitandum, scilicet illi, qui succesſerunt in bonis auorum maternorum, & in quibus reſeruatum nomen ſtirpis eorum. Alij erãt viri Iabes, qui nõ habebant filias virgines quando occiſi sũt, & iſti non potuerunt habere ſucceſſores, niſi de tranſuerſalibus, & videtur, quòd virgines illæ, quę reſeruatæ ſunt, ſucceſſerint etiam iſtis, eo quòd iſtæ eſſent propinquiores in gradu viris mortuis, quàm alij viri de habitantibus extra Iabes Galaad. Vel ſi contingeret, quòd alij eſſent de cognatione occiſorum, propinquiores habitantes extra Iabes illi ſuccederẽt. Et iſte fuit modus ſucceſſionis in hæreditate virorum Iabes occiſorum, & populationis vrbis de nouo.

Sed obijcietur, cp viri Iabes nõ potuerunt habere aliquos ſucceſſores de cognatione ſua ab inteſtato, quia ipſi erant dãnati pro crimine, & non poterant relinquere hęredes: ſic colligitur Num. 27. cùm filiæ Salphaad petiuerunt, quòd ſuccederent patri ſuo in hæreditate terræ Chanaan, vt non periret nomen patris earum: & ad hoc allegauerunt, dicentes: pater noſter mortuus eſt, & non fuit in ſeditione Core, quæ ſuſcitata eſt contra Dominum, quare ergo delebitur nomen eius in progenie ſua? Quaſi dicat, ſi fuiſſet in ſeditione ſua, non poſſent ei ſuccedere filiæ ſuæ, nec poſſet relinquere alios, & cùm excluſerunt iſtum caſum, filiæ eius dixerunt; quare ergo delebitur nomen ſuum? Quaſi dicat, cùm non fuerit in ſeditione illa, non eſt aliqua cauſa, quare filiæ eius careant ſucceſſione. Si autem crimen iſtud non inhabilitaret eum ad ſuccedendum, vel ſucceſſores dimittendum, non allegaſſent hoc: ita ergo eſſet de alijs criminibus, quia inhabilitabunt potiſſimè cùm iſtud peccatum Iabeſenorum eſſet contra Deum, qa impediebat correctionem, & pœnam criminum, quæ infligebatur propter honorem Dei.

B

Si viri Iabes non habuiſſet ſucceſſores, confunderetur diuiſio tribuum.

Reſpondendum, quòd viri Iabes potuerunt habere ſucceſſores, & habuerunt de iure, & neceſſe erat, quòd haberẽt, quia aliàs confunderetur diuiſio tribuum, & ſortium, & fieret contra legem Dei, vt magis immediatè declarabitur. Et cùm obijcitur, quòd fuerũt damnati pro crimine, ideo quòd non poterant relinquere hæredes, non tenet, quia etiam damnati de crimine apud Hebræos poterant habere ſucceſſores, ſaltem in bonis immobilibus. Et cùm dicitur de Salphaad reſpondendum, quòd ſi ipſe fuiſſet in illa ſeditione, quæ ſuſcitata eſt contra Dominum ſub Core, non potuiſſent filiæ ſuæ ſuccedere ei in hoc, quod petebant. Et tamen dato, quòd peccaſſent Iabeſeni tam grauiter, ſicut Salphaad, poterant relinquere ſucceſſores. Magna enim differentia eſt in vtriſque, quia Salphaad agebat de lucro captando, & Iabeſeni de non perdendo, quod tenebant: facilius tamen, & pro minori crimine quis excluditur à lucro obtinendo, quàm ſi priuetur bonis poſſeſſis, quia turpius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes, extr. de iureiurando, c. quanto. & ſæpè Iuriſtæ talem diſtinctionem faciunt: & ſic facilius excluderentur filiæ Salphaad, quàm virgines Iabeſenæ. Et patet hoc, quia Iſraëlitæ

C

exeuntes de Ægypto, ibant ad poſſidendum terram Chanaan quam Deus promiſerat eis, & iuſſerat, quòd diuideretur eis per ſortes, Num. 26. contigit autem mori Salphaad in deſerto, & ſic nondum acquiſiuerat aliquam partem hæreditatis in terra Chanaan, quia nondum erat acquiſita per Hebræos, ſed erat ſub expectatione, & habebat ius ad rem ſub conditione, ſcilicet, ſi erueretur terra de manibus Chananæorum: & quia iſtud ius expectationis videbatur extinctum cum ipſo Salphaad, petiuerunt filiæ eius ſubrogari in illo iure, & quòd daretur eis poſſeſſio in terra Chanaan, quæ danda erat patri ſuo, ſi acquireretur de manibus Chananæorum: & ob hoc ſi Salphaad peccaſſet, facilius erat priuari eum iſto iure expectationis, & conſequenter filias ſuas, quæ petebant ſubrogari in locum eius, quàm ſi iam poſſideret Salphaad aliquam partem terræ. In Iabeſenis autem ſecùs erat, quia illi poſſidebant iam actualiter partes ſuas in terra Chanaan, ideo quanquam peccarent, non erant excludendi ab eo quod poſſidebant propter crimen, ſicut Salphaad poſſet excludi a iure expectationis, qui realiter nihil habebat: & ſic etiam filiæ Iabeſenorum non debebant excludi à ſucceſſione propter peccatum patrum ſuorum, ſi ſucceſſerint in bonis omnibus eorũ. Secundò patet, quia ſi inter Iſraëlitas pro peccato patrum priuarentur filij ſucceſſione, fieret cõtra legem Dei. Nam Deus iuſſerat Num. 36. quòd manerent tribus, & familiæ diſtinctę, ſicut diſtinxerat eas: & ad hoc fecit, quòd viri non acciperent vxores de alijs tribubus, ſed de ſuis, ne tranſiret hæreditas de tribu in tribum, & maneret, & fieret confuſio ſortium: ſed manerent ſortes, & tribus diſtinctæ, ſicut Deus eas diſtinxerat, eodem cap. ſi tamen damnati pro crimine non poſſent relinquere hæredes, non ſuccederent eis aliqui de cognatione, ad quos pertinebat ſuccedere ab inteſtato, ſed tranſiret poſſeſſio ad viros aliarum tribuum in pœnam criminis, & fieret confuſio diſtributionis ſortium, nec manerẽt, ſicut Deus illas diſtinxerat: & ſic per vnam legem repugnaretur alteri, quod nullo modo eſſe debet: potiſſimè, quia Deus nimis inſiſtebat circa hoc, ne confunderentur tribus, ſed ſciretur de quolibet de qua tribu, & familia eſſet: & hoc non poterat ſciri, niſi ſortes hæreditatis manerent ſemper in illis tribubus, & familijs, in quibus aliquando manſerant, ſicut fit in bonis, quæ ſunt de iure primogenituræ, quia illæ nullo modo poſſunt tranſire de vna familia in alteram: ideo neceſſe eſt, quòd quamquam aliquis eſſet damnatus de crimine inter Hebræos, maneret ſemper filijs, & poſteris ſuis, vel cognatis ius ſuccedendi: Benè tamen poteſt dici, quòd quantum ad ſe priuarentur iure faciendi teſtamentum, & diſtribuendi legata de bonis mobilibus, imò poterat priuari omnibus bonis mobilibus in pœnam, ſed non in bonis immobilibus.

D

Et ratio eſt, quia licèt priuaretur bonis mobilibus, non fiebat contra legem, nec ſequebatur aliquod inconueniens, quia diſtinctio tribuum, & familiarum non fit per bona mobilia, cùm illa pereant, & alterentur, ſed per bona immobilia: ideo quamquam auferantur alicui in pœnam omnia bona mobilia, nihilo minus maneret diſtinctio tribuum, & familiarum: & ſic virgines Iabeſenæ non debebant priuari ſucceſſione patrum ſuorum ſaltem quãtum ad immobilia. Tertiò patet, quia manifeſtũ eſt, quòd viri Beniamin magis peccauerunt, quàm Iabeſeni, quia illi fecerunt nefas contra Leuitam, & poſtea pugnauerunt cõtra Iſraël, & occiderunt plurimos, ſuprà 19. & præcedenti cap. Iabeſeni autem ſolùm peccauerunt non adiuuando Iſraëlitas, & tamen viri Beniamin, qui manſerunt, ſcilicet ſexcenti, poſſederunt totam terram Beniamin: & ipſi, & ſucceſſores eorũ repleuerunt illam poſtea, nec quiſquam de alijs tribubus occupauit aliquid de illa. Quod patet, quia dicitur, quòd iſti ſexcenti viri ædificauerũt ciuitates, & habitauerunt in eis: & tamen manifeſtum eſt, quòd iſti ſexcenti ante hoc non habebant plures ciuitates: & tamen nunc ædificauerunt ciuitates: ergo videtur, quòd maiorem terram habuerunt nunc, quàm prius, & ſic ſuccedunt alijs mortuis. Et magis declarat Ioſephus 5. Antiquitatum: ergo Iabeſeni, qui minus peccauerant, poterant relinquere ſucceſſores in bonis ſuis. Quartò patet, quia dato, quòd pro aliquibus peccatis grauiſſimis poſſent priuari Iſraëlitæ iure relinquendi hæredes, quod falſum eſt, tamen non eſſet hoc pro quolibet peccato: quia Salphaad commiſerat aliqua peccata, & pro illis non crediderunt filiæ ſuæ, quòd deberent priuari iure relinquendi ſucceſſores, dum non tamen fuiſſet in contentione illa, quę ſuſcitata eſt contra Dominum ſub Core, vt patet Numer. 27. cùm dixerunt: Pater noſter in peccato ſuo mortuus eſt, & non fuit in ſeditione, quæ concitata fuit contra Dominum ſub Core, quare ergo delebitur nomen ſuum? Et non obſtante, quòd mortuus fuiſſet Salphaad pro peccato ſuo, Deus iudicauit, quòd iuſtum petebant filiæ Salphaad, eodem cap. ergo non propter quodlibet crimen damnati priuabãtur iure relinquendi ſucceſſores. Et ſic cùm Iabeſeni non commiſerint maximum crimen, quia non fuit tantum, ſicut concitatio facta contra Dominum in deſerto ad tollendum ſummum ſacerdotium Aaron, & alias ordinationes miniſtrorum, quas Deus fecerat: ideo licèt mereretur Salphaad pœnam pro peccato ſuo, non tamen priuatus eſt iure relinquendi ſucceſſores, cùm minus peccauiſſet. Et ſic tenendum eſt, quòd talis fuerit ſucceſſio in bonis Iabeſenorũ, qualis ſuprà deſcripta eſt.

E

Diſtinctio tribuũ fit per bona immobilia.

F

Miſerunt q; nuncios ad filios Beniamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eas ſuſciperent in pace. Veneruntque filij Beniamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabis Galaad: aliàs autem non repererunt, quas ſimili modo traderent.

A *Vniuersus q. Israel valdè doluit, & egit pœnitẽtiam super interfectione vnius tribus ex Israel Dixerunt q. maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Omnes in Beniamin fœminæ conciderunt, & magna nobis cura, ingentiq. studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur ex Israel. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti iuramento, & maledictione, qua diximus: maledictus, qui dederit de filiabus suis vxorem Beniamin. Cæperunt q. consilium, at q. dixerunt: Ecce solennitas Domini est in Silo anniuersaria, quæ sita est ad Septetrionem vrbis Bethel: ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimim, & ad Meridiem oppidi Lebona. Præceperunt q. filijs Beniamin, at q. dixerunt: Ite, & latitate in vineis. Cum q. videritis filias Silo ad ducendos Choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis singuli vxores singulas, & pergite in terram Beniamin. Cum q. venerint patres earum, ac fratres, & aduersum vos quæri cœperint, atque iurgari dicemus eis: Miseremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium, at q. victorum, sed rogantibus, vt acciperent non dedistis, & à vestra parte peccatum est.*

B *Beniamitis de vxoribus facta prouisio.*

Miserunt q. Hic ponitur secundum huius partis, Beniamitis de vxoribus facta prouisio. Et diuiditur in duo, secundùm quod fuerunt hic duo modi prouidendi. Vnus de filiabus Iabesenorum. Alius de filiabus Israelitarum ducẽtium Choros ibi. *Vniuersus q. Israel.* Circa primum dicitur. *Miserunt q. nuncios ad filios Beniamin, qui erant in petra Remmon.* Postquam Israelitæ pugnauerunt contra Beniamitas fugerunt isti sexcenti, & steterũt in deserto in petra Remmon, & post hæc Israelitæ discurrerunt per totam terram Beniamin, & combusserunt ciuitates, occiderunt masculos, & fœminas, magnos, & paruulos vsq; ad pecora, & post redierunt in Silo, vbi erat tabernaculum Domini, & miserunt ad occidendum viros Iabes, & ductæ sunt virgines in Silo, & miserunt tunc viri Israel ad Beniamitas, vt acciperent istas in vxores, & erant Beniamitæ tunc in petra Remmon, fuerantq; ibi ex quo fugerunt de bello. *Et præceperunt eis, vt eas in pace susciperent.* Timebant isti Beniamitæ, quòd Israelitæ vellent occidere eos, sicut occiderant cæteros Beniamitas; ideo miserunt eis securitatem per nuncios, dicentes, quòd venirent in Silo, & acciperent in pace istas virgines in vxores, id est, non timerent iam quidquam mali de bellis præteritis. *Venerunt q. filij Beniamin in illo tempore.* Postquàm securitas data est de non nocendo eis venerunt illicò Beniamitæ, qui erant in petra Remmon, & venerunt in Silo, quia ibi adhuc manebant castra Israelitarum, & ibi datæ sunt eis istæ virgines in vxores. *Et datæ sunt illis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Id est, quadringentæ virgines filiæ virorum Iabes datæ sunt in vxores istis viris. *Alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.* Id est, non repererunt in toto Israel, quas darent isto modo, scilicet, non faciendo contra iuramentum de non dando de filiabus suis vxores filijs Beniamin. Patres autem istarum, scilicet, viri Iabes non iurauerant, ideo putabant Israelitæ, quòd dando illas non peccabant, nec faciebant contra iuramentum, & non fuerunt aliæ huiusmodi in toto Israel, eo quod omnes alij viri Israel ascenderant in bellum, & iurauerant in Maspha.

C

Quomodo Israelitæ dederunt virgines Iabesenas filijs Beniamin in vxores, quia videtur esse contra legem.

Qvæstio XXIX.

Qværetvr vlteriùs quomodo Israelitæ dederunt virgines Iabesenas filijs Beniamin in vxores, quia licèt istud non videretur esse contra iuramentum, tamen erat contra legem.

Respondendum, quòd Israelitæ conabantur nullo modo facere contra iuramentum, quia nomen periurij erat horrendum inter eos, vt ait Iosephus 5. Antiquita. & quia dare de filiabus suis erat contra iuramẽtum, vt ipsi putabant, non dederunt de illis. Dare autem de filiabus Iabesenorum non videbatur contra iuramentum, quia Iabeseni nihil iurauerant, ideo dederunt illas: in hoc tamen fallebantur Israelitæ, quia si iuramentum tenuisset ita vt obseruãdum esset secundùm vires suas, non potuissent dare Israelitæ filias Iabesenorum, vt probatum est suprà in quadam quæstione. Contra legem tamen manifestum est, quod erat ista coniugatio, quia Deus iusserat, quòd viri acciperent vxores de tribubus suis, & mulieres viros de tribubus suis, Nume. 36. hic tamen erant viri de alijs tribubus, quàm mulieres, cùm Iabesenæ essent de tribu Ruben, vel Gad, vel Manasse, quia Iabes Galaad erat in terra duarum tribuum, & dimidiæ, quia erat in terra Galaad, Num. 32. Aliquis fortè diceret, quòd illa lex solùm intelligatur de mulieribus, quæ succedebant patribus suis, & non de omnibus, ne sequeretur confusio fortium. Sed etiam hoc dato est inconueniens, quia istæ virgines succedebant patribus suis, vt declaratum est præcedenti quæstione.

D

Dicendum est quod verum est, quòd illa lex erat generalis, & non ad fœminas, quæ succedebant patribus suis, sed etiam ad non succedentes, vt declaratum est Numer. 36. & tamen recipiebat illa lex sæpè dispensationem: sic fuit de Dauid, quia cepit in vxorem Michol filiam Saulis, & erat ipse de tribu Iuda, Matth. 1. & illa de tribu Beniamin, de qua erat Saul pater suus, 1. Reg. 9. potissimè, quia hic erat casus in quo maximè erat dispẽsandum, scilicet, propter necessitatem niminm, quia alias periret Beniamitarum populus, cùm non haberent vxores, & sic propter obseruationem legis periret populus, cui data esset. Quod fieri non debet, quia politia non est propter legem, sed lex propter politiam: & ideo in casu in quo lex incipit pernicios esse politiæ abroganda est, vel saltem dispensandum in ea: non ergo fuit contra legem hoc fieri, sed cessante simili necessitate non fiebat matrimonium in diuersis tribubus.

E

Cũ lex incipit esse pernicios politiæ abroganda est.

Quomodo obseruatum est, quod dicitur Num. 36. ne confunderetur sortium distributio: in coniugio virginum Iabesenarum in Beniamitis.

Qvæstio XXX.

Qværetvr vlteriùs, quomodo obseruatum est, quod dicitur Nume. 36. ne confunderetur sortium distributio, & vt non transiret hæreditas de tribu in tribum, quia hic videtur necessaria ista confusio, cùm mulieres Iabesenæ acciperentur in vxores à filijs Beniamin, & ipsæ succederant in hæreditate patrum suorum, vt declaratum fuit suprà in quadam quæstione.

Respondendum, quod ad euidentiam huius considerandum est, quod virginum Iabesenarum quædam erant adultæ quando occisi sunt patres earũ, & aliæ erant paruulæ nondum nubiles, nec proximæ pubertati. Primæ datæ fuerunt in vxores filijs Beniamin, & istæ erant quadringentæ, & de istis videtur, quòd facta fuerit confusio sortium, quia cum eis transiuit possessio tribus suæ ad Beniamitas. Virgines autem paruulæ reseruatæ fuerunt, & datæ in vxores viris de tribu eadem, & quantum ad istas non erat transitus possessionis de tribu in tribum: poterat tamẽ esse de familia in familiam, quia fortè de familia Iabesenorum nulli manebant in toto Israel, & vtrumque erat prohibitum. Nam nõ debebat transire possessio de tribu in tribum, nec de familia in familiam, Nume. 36.

F

Dicendum tamen, quòd si fortè non potuisset prouideri Beniamitis de vxoribus, nisi confundendo distributionem sortium, non obstante illa confusione prouideretur eis, quia potiùs permittenda erat cõfusio sortium, quàm quòd periret vna tribus de Israel: eo quòd tribus confundi, vel nõ confundi erat propter quoddã benè esse ipsarum tribuum, ideo non erat destruendum esse populi propter benè esse eis, quia benè esse non conseruabatur, nisi in esse: & tamen dicendum, quod non fuit hic facta aliqua confusio sortium hoc modo: nam virgines, quæ acceptæ sunt à Beniamitis in vxores parerent aliquos filios, qui pertinerent ad tribum ipsarum: & succederent in hæreditate materna: & sic ciuitas Iabes, & omnes possessiones eius nõ transirent ad Beniamitas, sed ad filios eorum, qui non computarentur de tribu Beniamin,

Benè esse in esse conseruatur.

A min, sed de tribu, de qua erant matres: & hoc modo maneret possessio semper in tribu, in qua erat. Sic etiam dicendum est de filijs illarum virginum Iabesenarum, quę non traditæ sunt Beniamitis, quia licèt illæ traderentur in vxores viris de tribu sua, poterant illi esse de alia familia, & tamen aliqui filij earum nominarentur de nomine auorum maternorum, & succederent in possessione, & illi essent de familia particulari illorum virorum, qui occisi fuerant: & sic possessio Iabesenorum non transiret de tribu in tribum, nec de familia in familiam, licèt vxores istorum Beniamitarum transirent de tribu in tribum.

Quomodo poterat nomen virorum occisorum in Iabes conseruari in familijs suis.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm inter Israelitas semper esset conatus ad hoc, ne nomen alicuius deficeret in familia sua: quomodo poterat conseruari nomen virorum occisorum in Iabes.

Patet præsuppositum: nã filiæ Salphaad petiuerunt a Moyse hæreditatem, vt non deleretur nomen eius in familia sua, Num. 27. cap. & Deus respõdit iustum esse, ne periret nomen illius. Quòd autem periret nomen istorum patet, quia nomẽ alicuius seruatur in posteritate sua, & deserta posteritate tollitur nomen. Sic patet 1. Reg. 24. cùm rogauit Saul ipsum Dauid, ne deleret nomen suum de domo patris sui, scilicet, ne occideret omnes posteros suos, & per hoc deletum esset nomen suum: & tamen Iabeseni non habebant posteritatem aliquam, nisi filiarum, & filiæ non possunt denominare familiam, eo quod fœmina transit in familiam viri sui, & nõ manet in familia patris sui, Et sic cùm istæ darentur in vxores Beniamitis, transibant in tribum Beniamin, ideo non essent aliqui, per quos denominaretur familia Iabesenorũ, & progenies particulares quorumlibet eorum: potissimè, quia Iabeseni erant, quorum nonnullæ filiæ virgines nunc repertæ sunt, & illi nullos posteros relinquebant masculos, vel fœminas, per quos continuaretur progenies eorum.

B

Respondendũ, quod nomen cuiuslibet Iabeseni fuit nunc seruatũ in posteritate sua, nec cessauit familia sua per mortẽ eorum. Pro quo sciẽdum, quod cõtinuabatur progenies alicuius non per posteritatem, sed per possessionem: si enim aliquis haberet posteritatem, & non haberet possessionem, auferebatur nomen eius de familia sua, & si quis haberet possessionem, & nõ haberet posteritatem, manebat nomẽ suum in familia sua. Primum patet, quia mortuo Salphaad manebant filiæ eius, & illæ poterant gignere filios, in quibus maneret nomen Salphaad, & tamen adhuc putabant ablatum esse nomen patris sui de familia sua, si nõ daretur eis possessio: & data illa putabant, quòd in eis etiamsi essent fœminæ reseruaretur nomen patris sui in familia, cùm dixerunt Numer. 36. Pater noster mortuus est, & non habuit filios mares, cur tollitur nomen illius de familia sua, quia nõ habuit filium, detur nobis hæreditas inter cognatos patris nostri in familia sua.

De continuatione progenierũ.

C

Aliquis fortè dicet, quod non tollebatur nomen Salphaad de familia sua, quia filiæ suæ non habebant hæreditatem, sed quia nõ habebat filiũ, sic enim ipsæ dixerunt: cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Dicendum quod non tollebatur nomen eius de familia, quia non habebat filium, sed quia filiæ eius non habebant hæreditatẽ: quod patet, quia si hæreditas non faceret manere nomen in familia, non petiuissent ipsæ hæreditatem, vt non tolleretur nomen patris sui de familia sua. Item, quia ob hoc Deus prouidit in isto dans immediatè ibidem regulam de succedendi modo, scilicet, quòd non stantibus filijs succederent filiæ, & cùm dixerunt, cur tollitur nomen eius de familia sua, quia non habuit filium? non nominauerunt filium propter se, sed propter hæreditatem, quasi dicat: si Salphaad habuisset filios masculos, manifestũ est, quòd illi habuissent ius sortis in terra Chanaan, quod habebat pater suus, & per illam hæreditatem conseruaretur nomen patris, quia cum manebant solæ filiæ, & ante hoc non erat regula, quòd filiæ succederent, sed soli filij, ideo cùm nullus esset, qui posset accipere aliquam hæreditatẽ loco Salphaad, necesse erat, quòd periret nomen illius de familia sua: si autem filij secundùm se deberent conseruare nomen patris, & non ratione hæreditatis, in qua succederent non posset reparari, quod maneret non ẽ Salphaad in familia sua, etiam si daretur eis hæreditas: & tamen data eis hæreditate loco patris putauerunt, quod non peribat nomen patris sui. Etiam patet motiuum earum, scilicet, quòd non habebant ipsæ ius succedendi ante hoc, & propter hoc necesse erat perire nomen patris, quia Deus dedit tunc legem, quòd filiæ succederent non stantibus filijs. Si tamen ante hoc filiæ habuissent ius succedendi, non fuisset tunc data ista lex propter filias Salphaad, & sic non conseruatur nomen in familia propter posteritatem, quamquàm subsistat, si non habebat hæreditatem. Secundum erat, quod dato, quòd quis non haberet posteritatem, si habebat hæreditatem non peribat nomen suum. Patet hoc, quia Deut. 25. dicitur, quòd si quis haberet vorem, & morereter absque liberis, frater eius minor cogebatur suscipere vxorem defuncti ad suscitandum nomen illius, & tunc possessio defuncti dabatur illi, qui suscitabat eius semen, vt proueniret illi, qui nasceretur ex tali matrimonio, vt patet Ruth 4. Item patet hoc magis, quia Maalon filius Elimelech, & Noemi non habebat fratrem, & mansit vxor eius Ruth, & cognatus eius Booz accepit possessionẽ illius, quia accepit Ruth vxorem eius ad suscitãdum nomen illius, eodem ca. & sic illi verè non habebant aliquam posteritatem, tamen manserunt nomina eorum in familijs suis propter hæreditates, quas habebant.

D

E

Est enim regula in successionibus in veteri Testamento, quòd cùm quis haberet aliquam hæreditatem, quicunque succederet in illa, siue esset de familia illius, siue non, debebat nominari de familia illius, cuius hæreditatem susceperat, vt colligitur ex locis dictis. Ex hoc potest apparere modus, quo nomina virorum Iabesenorum manerent in familijs suis.

Regula in successione hæreditatũ in veteri Testamẽto.

Pro quo sciendum, quod illorum quidam reliquerunt filias virgines quando occisi sunt, alij nec filios, nec filias. Et qui reliquerũt filias, se habebant dupliciter, quia quidam reliquerunt filias adultas, scilicet patres quadringentarum virginum, quæ datæ fuerunt filijs Beniamin, alij reliquerunt filias paruulas, quæ datæ fuerunt in vxores alijs viris de tribu sua. Loquendo de virginibus, quæ datæ sunt Beniamitis in vxores, dicendum, quod illæ trãsierunt in familias virorum, & sic fuerunt iam de tribu Beniamin: & tamen illæ peperunt filios, & saltem vnus de filijs succedebat in hæreditate aui materni, & ille non nominabatur de tribu Beniamin, de qua erat pater suus, nec de familia eius, sed de tribu matris suæ: & de familia aui sui materni, & sic erat de qualibet virgine istarum: & ideo omnes patres istarum quadringentarum virginum Iabesenarum habuerunt nepotes, in quibus manserunt nomina, & familiæ, & hæreditates eorum. Et si vna istarum haberet tres, vel quatuor filios, vnus eorum succedebat in hæreditate aui materni, & nominabantur de familia illius: cæteri autem nominabantur de tribu Beniamin, & de familia patris sui, & isti non succedebant quãtum ad aliquid in hæreditate matris: istud tamen non poterat fieri, nisi quælibet istarum virginum saltem haberet duos filios.

F

Sed quid si aliquæ istarum nullos habẽt filios, nec filias? Et si haberent aliquos, quid si non essẽt, nisi filiæ? Et si haberent filios, quid si si esset vnicus? quomodo ille posset nominare duas familias? quia erat impossibile, cùm duæ familię distinctæ non possint deriuari, nisi per duas personas distinctas, & multa similia difficilia circa istas successiones accidere poterãt, de quibus omnibus latissimè declaratum est Nume. 27. in multis quæstionibus. Si autem erãt virgines paruulæ filiæ Iabesenorum, quæ traditæ sunt in vxores viris de stirpe sua: etiam illæ haberent plures filios, & vnus illorum succederet in bonis maternis, & nõ nominaretur de familia patris, sed aui materni, & reliqui filij nominarentur de stirpe patris eorum, & non succederunt aliqualiter in bonis aui materni, quia non dicebantur pertinere ad familiam eius. Omnia dubia, quæ dicebamus suprà accidere posse in alijs virginibus poterant etiam accidere in istis. Sed respõdendum est, sicut ibi. Si autem aliqui viri Iabeseni morerentur non relinquentes filias, nec filios: dicẽdum, quòd hæreditas istorum transiret ad propinquiores, sicut dicitur Nume. 27. & qui susciperet possessionem nominaret necessariò familiam defuncti, & per eum computaretur linea progeniei eius, sicut patet

Solutiones istarũ dubitationũ vide Num. 27. c.

de

de Booz accipiente hæreditatem Maalon, Ruth 4. & de fratre accipiente hæreditatem, & vxorem fratris ad ſuſcitandum nomen eius, & ſemen, Deut. 25. & Matth. 22. & ſic non poterat mori aliquis vir de Iabes cuius nomen periret in familia ſua, cùm omnes haberent poſſeſſiones. De iſta materia ſucceſſionum declaratum eſt Num. 27.

An peccaſſent Iſraelitæ, ſi occidiſſent nunc iſtos ſexcentos viros, qui reſidui erant de tribu Beniamin.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauiſſent Iſraelitæ, ſi occidiſſent nunc iſtos viros ſexcentos, qui reſidui erant de tribu Beniamin.

Reſpondendum, quòd aut occiderent eos in bello, quo ſimul pugnabant Iſraelitæ & Beniamitæ die, quo fugati, & percuſſi ſunt Beniamitæ, aut poſteà, quando vaſtabant vrbes, aut poſteà, quãdo erant in petra Remmon. Si accipiatur primo modo dicendum, quòd ſicut Iſraelitæ occiderunt omnes viros Beniamin præter iſtos ſexcentos: ita iſtos occidendo non peccauiſſent. Quod patet primò, quia illi Beniamitæ, qui occiſi fuerunt in bello, occiſi fuerunt fouendo iniquum bellum, ſcilicet, quia volebant defendere viros Gabaa, & quoſcunque tales iuſtum erat occidi. Secundò patet, quia Iſraelitæ fecerunt iſtud bellum Deo mandãte: nam conſuluerunt eum in Silo antequàm pugnarent, & ipſe dedit eis formam, qualiter agere deberent præcedenti cap. & per modum illum occiderunt omnes de tribu Beniamin præter iſtos ſexcentos, quos conſequi non potuerunt fugientes, ideo ſi tunc illos conſecuti fuiſſent, & occidiſſent, non peccaſſent.

Secundo modo accipiendo dicendum, quòd Iſraelitæ nõ putarent ſe peccare. Nam in omnibus vrbibus Beniamitarũ nullos reliquerunt viuentes, ſed occiderunt vſque ad pecora, & credebant ſe benè agere: & ita occidiſſent iſtos ſexcentos, ſi ibi inueniſſent eos, & tamen an peccauiſſent in hoc non apparet: tamen videtur, quòd non peccarent, quia iſti erant viri bellatores, & peccauerãt cum cæteris Beniamitis nolendo tradere peccatores Gabaa, vt fieret iuſtitię executio ſuper illos, & inſuper pugnando contra Iſraelitas defendendo eos: iuſtè ergo poterant occidi, & ſicut non eſſet aliquod peccatum in occidendo fœminas, & paruulos in omnibus vrbibus Beniamitarum, ſicut fecerunt præcedenti cap. ita peccatum non eſſet eos occidendo. Si autem tertio modo occiderent eos, ſcilicet, quando erant in petra Remmon, aut occiderent eos antequàm diſcurrerent vrbes Beniamitarum, & occiderent omnes habitatores, aut poſteà. Si prius videtur, quod non peccabant, quia habebãt iuſtam cauſam occidendi eos, quia erant viri bellatores: potiſſimè, quia tunc neſciebant an omnes de tribu Beniamin iam perijſſent. Si autem poſt deletas vrbes Beniamin occiderent eos, aut occiderent præſtita ſecuritate, quam nunc præſtiterunt, aut prius. Si præſtita ſecuritate manifeſtum eſt, quòd peccarent, quia violarent fidem datam. Si autem ante datam ſecuritatẽ, aut ſcirent totam tribum Beniamin eſſe deletam præter iſtos, aut non. Si neſcirent non peccabant, quia iſti merebantur mortem, cùm pugnaſſent contra Iſrael. Si autem ſcirent totam tribum eſſe deletam, eſt dubium an peccarent: & videtur dicendum, quòd peccarent, qui occidendo iſtos non ſolùm occidebant ſexcentos viros, ſed totam tribum Beniamin: hoc autem impietas erat, quòd pro vno crimine deleretur vna tribus: potiſſimè cùm ſatis iam vindicatum eſſet: & ſic putauerunt Iſraelitæ ideo quamquàm potuiſſent iſtos ſexcentos viros occidere ſaltem fame conficiendo non permittendo eos egredi de deſerto, tamen noluerunt, ſed potiùs procurauerunt, vt haberent vxores, ne periret tribus Beniamin. *Vniuerſusq; Iſrael.* Hic ponitur ſecundus modus prouiſionis, ſcilicet, per quandam fraudem, aut cautelam factam. Et diuiditur in duo, quia primò prędicta cautela ponitur. Secundò executio traditur ibi. *Fecerunt q; filij Beniamin.* Circa primum dicitur. *Vniuerſusq; Iſrael valdè doluit, & egit pœnitudinem ſuper interfectionem vnius tribus ex Iſrael.* Iſte dolor, & pœnitudo fuit in Silo quando ſteterunt Iſraelitæ coram Domino, & planxerunt dicentes, ablata eſt vna tribus ex Iſrael, vt patet ſuprà in litera, & iterum doluerunt poſtquàm datæ ſunt quadringentæ virgines Beniamitis de Iabaſenis: nam putauerunt Iſraelitæ, quòd in Iabes inuenirentur mulieres, de quibus poſſet prouideri viris de Beniamin, & quia ſolùm inuentæ ſunt quadringentæ, & deficiebant adhuc ducentæ, quas vnde habere poſſent neſciebant, doluerunt nimis putantes, quòd perirẽt illi ducenti viri, ſine prole. Et non eſt intelligendum, quod doluerunt ſuper interfectione, quaſi accuſarent ſe, quòd malè feciſſent, quia benè fecerant pugnando contra Beniamitas, & occidendo illos, quia Dei conſilio egerant: ſed dolebãt de dãno quod ſecutum fuerat, ſcil. quia perierat ferè vna tribus, licèt iuſtè periſſet. *Dixerunt q; maiores natu.* Id eſt, ſeniores, & prudentiores, qui maioris auctoritatis habebant in populo, & ad quos pertinebat de factis totius mulitudinis curam gerere. *Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores?* ſcilicet, vnde dabimus eis vxores? vel quomodo faciemus, quòd illi non moriantur ſine prole? quia per hoc magnum detrimentum patietur tribus Beniamin. Iſti erant ducẽti viri, pro quibus non fuerunt virgines Iabeſenæ. *Omnes in Beniamin fœminæ conciderunt.* Scilicet, omnes mortuæ ſunt gladio. Nam tam fœminæ, quàm paruuli, & ſenes gladio corruerunt in vniuerſis vrbibus Beniamin, præcedenti cap. Et dicitur de fœminis Beniamin, quia ſi de illa tribu ſupereſſent, non oportuiſſet quærere alia extraordinaria remedia.

Et magna nobis cura ingentiq; ſtudio prouidendum eſt. Id eſt, toto ingenio, & ſolicitudine conandum eſt ad inueniendum aliquem modum honeſtum, per quem prouideatur, vt non pereant iſti viri, ſed dentur eis vxores. Videbant iſti ſeniores, quòd ſi propter defectum vxorum periret tribus Beniamin, eſſet magnus defectus, & damnum reipublicæ Hebræorum. Nam duodecima pars eius tollebatur auferendo illã tribum.

Ne vna tribus deleatur ex Iſrael. Id eſt, vt non patiatur magnã diminutionem. Nam iam non periret vna tribus, quanquam non darentur vxores ducentis viris, qui ſupererãt, quia quadringenti alij acceperant vxores, per quos cõtinuaretur ſucceſſio tribus Beniamin, & tamen ſi daretur iſtis ducentis copia vxorum, augeretur magis, & breuius tribus Beniamitarum: quæ vtilitas, & multiplicatio tolleretur, ſi non darentur vxores iſtis ducentis, ideo magno ſtudio prouidendum erat, vt darentur eis coniuges.

Filias noſtras eis dare non poſſumus. Loquebantur iſti ſeniores nomine totius mulitudinis Iſraelitarum, quia omnes videbantur obligati iuramento eodem. *Conſtricti iuramento, & maledictione, qua diximus.* Putabant Iſraelitæ ſe obligatos eſſe iſto iuramento, quod fecerant in Maſpha ad non dandas filias ſuas Beniamitis. Sed falſum eſt, vt declaratum fuit ſuprà in quadam quæſtione, & dicitur iuramento, & maledictione, quia hic erant duo. Nam iurauerant Iſraelitæ ſe non daturos de filiabus ſuis vxores Beniamin: & quantum ad hoc erat iuramentum. Etiam imprecati fuerant ſuper ſe aliquod malum, ſi darent eas, ſcilicet, quod tale, vel tale malum veniret ſuper eos, & quantum ad hoc erat maledictio. *Quia diximus: maledictus, qui dederit de filiabus ſuis vxorem Beniamin.* Maledictio ſignificat diminutionem in bonis omnibus, ſicut benedictio ſignificat multiplicationem, vt patet 2. ad Corinth. 9. ſcil. Qui parcè ſeminat, parcè metet: qui de benedictionib⁹ ſeminat, de benedictionibus metet. Et ſic opponitur ibi benedictio parcitati, ideo ſignificat largitatem, vel multiplicationem, & conſequenter maledictio ſignificat diminutionẽ, vel minorationem in omnibus rebus: & ſic imprecati ſunt, quòd Deus minueret illum in omnibus bonis, qui daret de filiabus ſuis vxorem Beniamin.

Cœperunt q; conſilium, atq; dixerunt. Scilicet, incœperunt conſiliari dãtes diuerſos modos, vt inueniretur vnus conueniẽs, & honeſtus ad prouidendum ducentis viris Beniamin. *Ecce ſolennitas Domini eſt in Silo.* Id eſt, in breui venit celebrãda vna ſolennitas in Silo, in qua poterat fieri, quod nunc dicetur. *Anniuerſaria.* Vocatur ſolennitas anniuerſaria, quia vertente anno fit, ſcilicet quolibet anno, redeunte anno de puncto ad punctum fit illa ſolennitas, & ſic omnes ſolennitates Sanctorum in Eccleſia ſunt anniuerſariæ: quia quolibet anno fiunt: & redeunte anno iterum eodem die, quo prius fiunt. *Quæ ſita eſt ad ſeptentrionalem vrbis Bethel.* Hic ponitur ſitus vrbis Silo: erat enim ciuitas Silo, in qua erat tabernaculum Domini illo tempore, & fuit ex tempore Ioſue, quo primò cœpit eſſe ſtabile, Ioſue 18. vſq; ad tempus Heli ſummi ſacerdotis,

Solennitas anniuerſaria q d ſit.

De ſitu vrbis Silo.

primo

primo Reg.1.& 2.& 3. Nam tempore eius capta est arca per Philisthinos in bello,1.Regum 4. & post hoc non legitur sanctuarium fuisse in Silo,sed in Nobe 1.Regum 21. & est vsque ad Septentrionem vrbis Bethel. Est enim Bethel ciuitas in sorte Beniamin, Iosue 18. & est in confinio Beniamin, & Ephraim,& vocatur locus iste Luza. Aliqui putãt eum esse Ierusalem,sed errant, vt declaratum est Gen.12.& 28.cap.apud istam ciuitatem Abraham posuit altare quando primum venit in terram Chanaan,Gen.12.

Sichima, & Sichẽ, sunt eiusdẽ ciuitatis nomina.

Et ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam. Est Sichima ciuitas Sichem, quæ propriè vocatur Sichem,& tamen aliquando conuertitur in formam Latinam, & vocatur Sichima,sic patet Psal.59. Partibor Sichimam,& conuallem tabernaculorum dimetiar. Et considerãdum, quod Silo est magis orientalis,quàm Sichem, & tamen Sichem est magis aquilonaris,quàm Silo,& Bethel est minus Septentrionalis,quàm Silo, ideo iter quod venit de Bethel in Sichem necessariò est ad occidentalem partem Silo, quia veniendo de Bethel in Sichem,venitur à Meridie in Septẽtrionem:& media istarum duarum vrbium est Silo magis orientalis aliquantulum quàm ille: & sic est orientalis ad viam, quæ ducit de vna in aliam. *Et ad Meridiem oppidi Lebona.* Ciuitas Lebona videtur esse in sorte Ephraim, sicut infrà declarabitur in quadam quæstione, non est tamen ciuitas multum nominata in sacra Scriptura,sicut Sichem,& Bethel.

De situ vrbis Lebona.

Præceperunt q; filijs Beniamin,at q; dixerunt. Scilicet,postquàm seniores diffinierunt inter se quis modus tenendi esset,denunciauerunt illum filijs Beniamin,vt illi essent parati adueniente tempore ad exequendum hoc. *Ite & latitate in vineis.* Scilicet in vineis vrbis Silo. Istud dicebãt seniores Beniamitis,quòd facerent: non tunc, sed quando veniret solennitas dicta,in qua virgines conuenturæ erant in Silo. Et dicitur latitate in vineis, quia vineæ habebant palmites magnos, & folia,& erant excelsa, vel habebant arbores multas, ita vt ibi latere possent multi viri. *Cum q; videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere.* Vocabantur filiæ Silo virgines de vrbe Silo, non quidem quòd omnes essent de vrbe Silo, sed quia conueniebant de omnibus partibus terræ Israel in Silo, quia erat ibi tabernaculum Domini, & in quibusdam solennitatibus virgines propter gaudium exibant de vrbe ad vineas,& agros ducẽdo choros,& dicitur ex more: scilicet,quod quolibet anno consuetum erat eis choros ducere illa die.

Exite repentè de vineis. Scilicet, quando ipsæ accesserint ad vineas. Et dicitur repentè, quia subitò debebant consequi eas, ne puellæ timentes viros latentes in vineis refugerent in vrbem priusquàm caperentur, nam tunc non possent accipere eas,nec posteà esset similis opportunitas ad hoc.

Et rapite eas singuli vxores singulas. Scilicet,quamquàm plures sint virgines quàm vos: non rapiatis omnes, sed solùm quilibet vnicam in vxorem:nec alijs noceatis,aut vim aliquã inferatis. *Et pergite in terram Beniamin.* Scilicet,antequàm patres earum persequantur vos, & capiant illas, sitque bellum inter vos, & illos pro filiabus. *Cum q; venerint patres earum ac fratres.* Scilicet cognito,quòd raptæ fuerint istę virgines à vobis. *Et aduersum vos queri cœperint at q; iurgari.* Hoc dicebant seniores:quia ipsi erant maioris auctoritatis in populo,& quasi iudices,& conquererẽtur de hoc malo eis inflicto per Beniamitas, scilicet, vt prouideatur eis faciendo bellum contra illos, cùm essent raptores virginum, quod magnum crimen est.Etiam conquererentur dicentes, quòd Beniamitæ retribuebant hoc malum pro bono,quod impenderant eis Israelitæ nolendo occidere eos, sed potiùs dando vxores quibusdam eorum, quibus potuerant. Et quia seniores fuerant causa, vt non occiderentur retorqueretur nunc totum malum hoc contra eos. Etiam, quia cùm Beniamitæ feciſſent hoc,putarent patres virginum, quòd ipsi non auderent talia aggredi, nisi aliquem fauorem sensissent in Israelitis, & sic crederent, quod de consilio seniorum hoc factum fuerat, & conquererentur de eis.

Rapere virgines est magnũ crimẽ.

Dicemus eis:miseremini eorum. Scilicet,Beniamitæ sunt in angustia, quia ex nullo loco vxores habere possunt: ideo miserendum est eis, dato quòd acceperint sic, violenter quasi. *Non enim rapuerunt eas iure bellantium,at q; victorum.* Quasi dicat,licèt rapuerint illas, non fuit verè violentia ista,quia non fecerunt,sicut bellatores victores,quia iure suo illi accipiunt quidquid à nullo petendo, sed quasi suum accipiendo. Et contra tales pugnandum est ad repetitionem rerum ablatarum: tamen non factum fuit de Beniamitis sic,quia non acceperunt virgines quasi victores, sed cum magna necessitate acceperunt eas quasi petentes.

Sed petentibus,vt acciperent non dedistis. Id est,ipsi prius petiuerunt à vobis illas, vt daretis eas sibi in vxores significando necessitatem suam,& noluistis eis dare, ideo nõ videntur fecisse iniustum,si istas virgines quasi in necessitate positi accepissent, ideo nõ est pugnandum contra eos ad redditionem illarum.Pro quo sciendum,quod aliquãto tempore ante hoc Beniamitæ petiuerunt vxores à viris Silo, & illi noluerãt dare,& hoc fecerunt, vt haberent corem ad rapiendum eas, vt declarabitur in quadam quæstione.

Et à vestra parte peccatum est. Id est,vos peccastis,non dando illis filias vestras,& illi non peccauerunt accipiendo eas,cùm iam vos nolletis dare. Si autem rapuissent, antequàm peterent,illi peccauissent,& non vos.

An seniores Israel tenebantur facere, quòd non periret tribus Beniamin prouidendo de vxoribus.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR,an seniores Israel tenebãtur facere,quòd non periret tribus Beniamin prouidendo eis de vxoribus.

Respondendum est,quod tenebantur quantum poterant hoc procurare,sicut dixerunt:magna cura ingentique studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur ex Israel: & ista obligatio erat tripliciter.Primò tenebantur eis tanquàm proximis:quilibet enim tenetur proximo existenti in quacunque necessitate succurrere, quantum honestè, & commodè facere potest: & tamen erant isti Beniamitæ in magna necessitate, scilicet, quia si non daaæ fuissent vxores aliquæ istis sexcentis viris, periret tota tribus Beniamin non existentibus iam aliquibus, per quos succesſio Beniamitarum continuaretur: ideo quantum honestè poterant Israelitæ tenebantur prouidere eis: & quia dispositio populi tota pendebat ex senioribus,qui iudicabant, & disponebant de negotijs magnis populi,ad eos magis pertinebat prouidere in hoc, quàm ad quoslibet de Israelitis. Secundò tenebantur ex parte Dei: nam Deus volebat,quòd manerent omnes tribus,& familiæ distinctæ,sicut ipse distinxerat,Num.36. Et non poterat manere distinctio, nisi manerent ipsæ tribus, cùm ergo obligarentur Israelitæ procurare, ne confunderetur distinctio sortium,& tribuum, à fortiori obligarẽtur procurare, ne periret aliqua de tribubus,inter quas erat distinctio:& tñ nunc periret tribus Beniamin si non darentur vxores istis sexcentis viris:ergo obligabantur seniores hoc procurare. Tertiò erat ista obligatio ex parte politiæ, quia isti seniores erant principes politiæ, & tenebantur curam agere, ne minueretur: si tamen periret tribus Beniamin, periret duodecima pars politiæ:& hoc fieret,si non haberent vxores isti Beniamitæ sexcenti, ideo procurandum erat per seniores, quòd illas haberent.

An propter hos ducentos resíduos, quibus non datæ fuerant vxores iuramentum Hebræorum dispensari potuisset.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, si iuramentum, quod fecerunt Israëlitæ de non dando filias suas filijs Beniamin tenuisset, an propter istos ducentos viros, qui residui erant, quibus non datæ fuerant vxores, posset dispensari in eo,& in lege,vt possent accipere vxores de filiabus Israel.

Respondendum est,quod hic erat duplex motiuũ ad dandum vxores istis viris:vnum erat ne periret tribus Beniamin, quòd necessariò fieret, si isti nõ gignerent prolem,per quam cõtinuaretur succesſio tribus: aliud erat ad prouidẽdum istis viris,qui non poteran benè viuere sine vxoribus, & tamen non poterant eas habere,nisi Israelitæ darent sibi.

Dicendum tamen, quod ista duo motiua non crãnt in vtrisque.Nam à principio antequàm darentur vxores aliquæ

sexcen-

A

sexcentis viris, qui manserant de tribu Beniamin, erant ista duo motiua: & tunc dicendum, quod non obstante lege poterant eis dari vxores de alijs tribubus, eo quod leges nō obligant contra statum politię, vt declaratum fuit suprà in quadam quæstione. Etiam iuramentum non tenuit, & dato quòd tenuisset, quia iam incipiebat vergere in deteriorem exitum, scilicet, in destructionem vnius tribus de Israel, non erat seruandum, vt declaratum est suprà in quadam quæstione: sed istud ablatum est, quando datæ sunt vxores quadringentis Beniamitis de virginibus Iabes. Nam per istos poterat propagari successio tribus Beniamin, dato quòd non darentur vxores alijs ducentis viris: & sic dicendum, quòd non erant Israelitæ iam tantùm obligati ad dandum vxores istis ducentis, sicut à principio antequàm darent virgines Iabesenas. Dicendum tamen videtur, quòd etiam si istis non suscipientibus vxores conseruaretur tribus Beniamin in alijs, quod non obstante lege poterant suscipere vxores de alijs tribubus. Nam pro alijs casibus minoris necessitatis licuit accipi vxores de alijs tribubus, sicut Dauid accepit Michol in vxorem, quæ erat de tribu Beniamin, cùm esset filia Saulis, & ipse Dauid erat de tribu Iuda: magis ergo liceret in isto casu, cùm non posset esse maior necessitas, quàm quòd nullo modo inueniri possent isti vxores. Item patet, quia licebat istis accipere vxores de Gentilibus, etiam non conuersis ad Iudaismum non inueniendo alias vxores, vt declaratum est suprà in quadam quæstione: ergo à fortiori de

B

Israelitis de alijs tribubus: nam maior dissimilitudo erat inter Iudæos & Gentiles, quàm inter Iudæos vnius tribus, & alterius. De iuramento dicendum videtur, quòd licèt maiorem causam haberent Israelitæ faciendi contra iuramentum in primis Beniamitis, vt non periret tribus Beniamin dando illis vxores, quàm in istis secundis: tamen causa sufficiens erat non tenendi iuramentum, vt darentur istis vxores. Nam si non darent eis Israelitæ, oporteret eos quærere vxores de Gentilibus, quod erat magis contra legem: quidquid tamen esset, Israelitæ non putabant se posse agere contra iuramētum, vt prouiderent istis de vxoribus. Nam etiam in primis noluerunt agere contra iuamentutum, in quibus erat maior neceessitas: istud tamen procedebat ex errore suo circa obligationem iuramenti, vt declaratum fuit suprà in quadam quæstione.

Quomodo Israelitæ in hoc consilium inciderunt de dando virgines, quæ ducent choros in Silo.

Qvæstio XXXV.

C

Qværetvr vlteriùs, quomdo Israelitæ inciderunt in istud consilium, scilicet de dando virgines, quæ ducerent choros in Silo.

Respondendum, quòd datis vxoribus quadringentis viris manebant ducenti, quibus non datæ erant, & non videbant Israelitæ modum ad prouidendum eis, quia non habebant alias virgines, quas simili modo possent eis dare, vt patet suprà in litera: ideo magna solicitudine circa hoc tenebantur omnes, vt inuenirent modum quo prouideretur: & senes, qui præcipuam populi curam gerebant, circa hoc consiliabantur, vnde dixerunt: Magna nobis cura ingentiq; studio prouidendum est, ne vna tribus deleatur ex Israel, vt patet suprà in litera. Fuerunt aliqui inter seniores, qui dicebant non esse seruandum istud iuramentum, quia factum fuerat cum ira, & indeliberatè. Etiam, quia periurium non semper Deo displicet, sed solùm quando ex malignitate, & sine causa quis vult non seruare iuramenrum: quando tamen ex necessitate, vel propter piam causam, non tenetur iuramentum, non est periurium, sed acceptum Deo, quòd non teneatur iuramentum. Nomen tamen periurij erat valdè horribile inter Israelitas, quomodocunque esset: ideo plurimi seniorum dixerunt, semper seruandum esse iuramentum, & tunc quidam incidit in istud consilium de rapiendo virgines ducentes choros, sicut refert Iosephus quinto Antiquitatum: Et alij quidem suadebant illud iusiurandum non debere seruari, quia per iram non voluntate, nec iudicio proueniisset, nihilque fore Deo molestum si tribum perituram seruare possent, adijcientes, periurium non quando neaessitate fit

Periurium non semper Deo displicet.

esse pessimum, sed quando fuerit malignitate commissum: cumque seniores periurij nomen valdè metuerent, quidam ait: hoc consilio, & isti habebunt vxores, & religio iurisiurandi seruabitur: ter in anno, & cætera, & sic putauerunt omnes Israelitæ consiliùm esse conueniens, quia per illud credebant se euadere periurium. Sed in hoc valdè errabāt, quia si iuramentum tenuisset, incidebant in periurium illi, qui hoc consilium dabant, & etiam illi, quorum raperentur filiæ, si permitterent eas Beniamitis, quando possent contra ire, vt declaratum supra fuit in quadam quæstione circa hoc.

Quæ solennitas erat ista, quæ fiebat in Silo, in qua puellæ erant rapiendæ.

Qvæstio XXXVI.

Qværebatvr vlteriùs, quæ solēnitas erat ista, quæ fiebat in Silo, in qua puellæ rapiendæ erant.

Aliqui dicunt, quod erat illa solennitas, quam faciebant quolibet anno puellæ pro filia Iephte Galaaditis, & hoc, quia dicitur hic, quod erat solennitas anniuersaria, & tamen solennitas, quæ fiebat pro filia Iephte erat anniuersaria, vt patet suprà vndecimo, scilicet, exinde mos creuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte diebus quatuor.

D

E

Improbatio.

Sed dicēdum, quod hoc non stat. Primò, quia ista erat solennitas, & tamen conuentus pro filia Iephte non erat solennitas, sed luctus. Secundò patet, quia hic dicitur, quod virgines Silo ducere debebant choros per agros, & vineas, & ista erat magna lætitia, & tamen quando conueniebant pro filia Iephte plangebant quatuor diebus, suprà vndecimo. Tertiò patet, & efficacius, quia quando istud factum est, nondum fuerat casus de filia Iephte, nec etiam fuit posteà per ducentos annos: quod patet, quia iste casus de bello contra Gabaa, fuit quasi illicò post mortem Iosue antequàm essent iudices in Israel, vt declaratum fuit suprà decimonono, & declarabitur infrà in quadam quæstione: & tamen casus de filia Iephte fuit circa finem status iudicum, quia post ipsum pauco tempore duranerunt iudices. Et patet magis, quia ab introitu in terra Chanaan vsq; ad mortem Iosue solùm fuerunt anni viginti septem, vel quasi, vt ait Iosephus quinto Antiquitatum, & probatum est suprà secundo cap. & iste casus de viris Gabaa fuit pauco tempore post mortem Iosue, & sic non essent triginta quinque anni, vel quadraginta ad plus inter ingressum in terram Chanaan, & casum istum, & tamē inter ingressum in terram Chanaan, & casum de filia Iephte fuerunt plus quàm trecenti anni. Nam Iephte dixit ad regem Ammonitarum repetentem terram, quam possidebant Israelitæ: quare tanto tempore per trecentos annos super hac repetitione nihil tentasti? & probat ibi, quòd per trecētos annos non fuerit interrupta præscriptio, nec perturbata possessio Israelitarum in illis locis: & fuit possessio ista in anno, quo introierunt Israelitæ in terram Chanaan: ergo inter casum Beniamitarum, & filiæ Iephte Galaaditæ fuerunt ad minus plus quàm ducenti & quinquaginta anni: & sic non potuit ista esse solennitas pro filia Iephte. Motiuum autem, quia dicitur, scilicet, solennitas anniuersaria, satis leue est. Nam multæ aliæ solennitates erant anniuersariæ tam de solennitatibus diuinis, quàm popularium. Alio modo potest dici, quod ista erat aliqua de festiuitatibus, quas Deus posuerat obseruandas. Nam Silo erat ciuitas, in qua erat nunc templū Domini, & conuenire debebant Israelitæ quolibet anno ad certas solennitates, Exodi vigesimo tertio, & trigesimoquarto, & Deut. 16. Et quamquàm ad illas soli masculi obligarentur venire, cùm dicatur omne masculinum tuum apparebit corā me: ex deuotione tamen veniebāt multæ fœminę, sicut patet de Beata Virgine, quæ ascendebat ad templum Domini ad dies festos cum Ioseph viro suo, & cum Christo paruulo, & patet de illa vice, qua eum in templo perdidit, Lucæ 3. ita nunc ascenderent multæ fœminæ, potissimè illę, quę erant de locis propinquis, & propter gaudium solennitatum ducerent choros.

1. ratio

2. ratio

3. ratio

Ioseph.

F

Doct. resp. ad quæstum.

Alio modo potest dici, quod ista solēnitas erat aliquod fe-

A

ſtum quod fiebat à popularibus in Silo ad ſolam iucunditatem ſuam,& fiebat quolibet anno, & illo die omnes puellæ de vrbe Silo ibant ad agros ducenteschoros.Et hoc tenet Ioſephus 5.Antiqitatum,dicens: Ter in anno ad mercimoniũ in Silo fit conuentus,ſequunturq; mulieres,& virgines chorum. Et etiam iſte modus eſt conueniens, & magis videtur conſonare literæ, quàm præcedens: nam ſi fuiſſet aliqua ſolẽnitas de illis,quas Deus poſuerat,aliter ſignaretur.Nam diceretur,quod erat tale, vel tale feſtum : ſed ſolùm dicitur, quod erat ſolennitas in Silo: ideo videtur, quod erat aliqua feſtiuitas particularis illius loci.Hoc potiſſimè patet,quia dicitur ſolennitas anniuerſaria: & fuit adiunctum iſtud ad determinationem:ſi tamẽ intelligeretur de ſolennitatibus Domini,non diceretur ſolennitas annierſaria,quia ſolennitates Dei anniuerſariæ erant, eo quod quolibet anno celebrabantur:& tamen poſita fuit iſta limitatio ad aliquid ſignificandum,ideo videtur, quod non erat de ſolẽnitatibus Domini, ſed de alijs ſolennitatibus,quas faciebant populares, de quibus dubitari poterat an eſſent anniverſariæ.

Quæ ſolennitas eſſet iſta,ſi de ſolennitatibus Dei eſſet.

Qvæstio XXXVII.

QVÆRETVR vlteriùs,dato quod iſta ſolennitas eſſet de ſolennitatibus Dei,quæ ſolennitas eſſet.

Reſpondendum, quod inter ſolennitates Dei quædam celebrabãtur pluries in anno, & aliæ ſemel tantùm:omnes autem ſimul erant ſeptem, ſcilicet ſabbatum, Calendæ, Phaſe,Pentecoſtes, feſtum Clangoris, feſtum Expiationis,& & Tabernaculorum, vt patet Num.28.& 29. Sabbatum erat qualibet hebdomada.Calendæ erant in principijs menſium, ſcilicet, prima dies cuiuſlibet menſis vocabatur Calẽdarum, Num.28.& iſta duo feſta non erãt anniuerſaria, quia fiebant pluries in anno: alia quinque erant anniuerſaria, quia ſemel quolibet anno fiebant redeunte die eodem,vel quaſi.Feſtum Phaſe erat ſemper die quartadecima menſis primi, ſcilicet, Martij. Feſtum Pentecoſtes quinquaginta diebus poſt. Feſtum Clangoris prima die menſis ſeptimi, ſcilicet Septembris. Feſtum Propitiationis decima die eiuſdem menſis. Feſtum Tabernaculorum die quintadecima eiuſdem,Leuit.23. cap. Dicendum tamen, quod non poterat eſſe iſta feſtiuitas Phaſe, quia Beniamitæ latere debebãt in vineis,vt patet in litera,ideo oportebat, quòd vineæ tunc haberent frondes ad latẽdum: poterat autem eſſe in qualibet aliarum quatuor feſtiuitatum, eo quòd in omnibus illis eſſent frondes in vineis in terra illa, & à fortiori in omnibus alijs feſtiuitatibus, quæ erant in Septembri.

B

Septem erant feſta apud Hebræos.

In qua tribu eſſet ciuitas Silo.

C

Qvæstio XXXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, in qua tribu erat ciuitas Silo.

Reſpondendum,quod non apparet ex litera,nec etiam apparet ex deſcriptionibus ſortium : Nam Ioſ.15. vſq; ad vigeſimum,vbi nominantur vrbes,quæ erant in ſingulis tribubus,non reperitur ciuitas Silo.Aliqui autem putant,quòd ſit in tribu Beniamin : vnde dicunt Hebræi, quod in tribus, vel quatuor locis legitur poſitum tabernaculum Domini,& omnia erant in ſorte Beniamin, ſcilicet, in Silo, Gabaon, Nobe,Hieruſalem. De Silo patet Ioſue 18. De Nobe 1.Regum 21.De Gabaon 1.Paralip.26.& 2.Paralip.1. De Ieruſalem 3.Reg.8.& 2.Paralip.6. Quòd autem iſta loca eſſent in tribu Beniamin patet de Gabaon,& Ieruſalem,Ioſ.18. De Nobe in in terra duarum tribuum,& dimidiæ, Num.33.& tamen terra illa ſolùm pertinuit ad Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, eod. cap. & Ioſue 13. quòd autem eſſet in dimidiæ tribus Manaſſe ſorte patet, quia Nobe filius Manaſſe cœpit Nobe, quæ vocabatur prius Anath, & vocauit eam Nobe, Num.32.non ergo erat in ſorte Beniamin. De Silo non apparet tam manifeſtè hic. Et tamen dicendum eſt,quod Silo erat in ſorte Ephraim, quod patet conſiderando ordinem ſortiũ terræ Iſrael. Nam ſors Ephraim erat coniuncta lateri ſortis Beniamin,ſcilicet ad partem Aquilonarem, vt probatum eſt Ioſue 16.& 18.& Bethel eſt terminus Aquilonaris ſortis Beniamin : nam apud locum ipſum tranſit linea diuidens ſortem Beniamin,Ioſue 18. ideo quidquid eſt Aquilonare reſpectu Bethel,eſt extra ſortem Beniamin, & tamen Silo eſt Aquilonaris reſpectu Bethel,quia dicitur in litera, quod Silo eſt ad Septentrionalem plagam vrbis Bethel, ergo eſt extra ſortem Beniamin,& conſequenter eſt in ſorte Ephraim, quia ſors Ephraim eſt coniuncta in latere Aquilonari ſorti Beniamin, vt dictum eſt. Nec obſtat ſi dicas, quod poterat eſſe in alia ſorte extra Beniamin,& Ephraim : nam Silo eſt circa Bethel, cùm dicitur, quod eſt ad Aquilonarem partem vrbis Bethel, id eſt,ex parte Aquilonari Bethel non eſt alia ciuitas magis propinqua ei,quàm Silo:nam hic ponuntur vrbes,quæ ſunt ex omnibus lateribus Silo : ideo neceſſe eſt, quòd Silo ſit in ſorte Ephraim, cùm inter Silo & Bethel nulla ciuitas media ſit,& Silo eſt magis Aquilonaris,quàm Bethel, & tamen Bethel eſt in latere aquilonari tribus Beniamin : ergo Silo eſt in ſorte Ephraim, ſcilicet in latere meridiano eius. Nam latus meridianum Ephraim, & latus aquilonare Bẽiamin ſunt eadem linea,eo quòd in continuis vltima ſunt idem. Secundò patet hoc,& clariùs Pſal.77. vbi agitur de deſertione tabernaculi Silo, ſcilicet,quòd Deus dimiſerit locum illum,& elegerit alium locum, vt eſſet ſanctuarium ibi,nam dicitur : Et repulit tabernaculum Silo tentorium, quod collocauit inter homines,& proiecit tabernaculũ Ioſeph,&tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit: ergo tabernaculum Silo erat tabernaculum Ioſeph, ſiue Ephraim, & Deus repulit illud volendo quòd mutaretur ad alium locum:& elegit montem Sion,ſcilicet vbi poſteà Salomon ædificauit templum. Et ſic Silo eſt ſortis Ephraim ciuitas in fine lateris meridiani eius, & conſequenter ciuitas Lebona eſt in ſorte Ephraim: nam eſt ad meridiem Lebona ciuitas Silo.Item patet hoc, quia Silo ponitur hic circa Sichem, quia eſt ad Orientalem partem viæ, quæ ducit de Bethel in Sichimam, ſiue Sichem, & tamen Sichem eſt in ſorte Ephraim, Ioſue 20. & ibi ſepulta fuerunt oſſa Ioſeph,Ioſue vigeſimoquarto.

D

E

Quare potiùs iuſſerunt ſeniores Beniamitis,quòd raperent puellas vrbis Silo hoc modo,quàm aliarum vrbium.

Qvæstio XXXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quare potiùs iuſſerunt ſeniores Beniamitis, quòd raperent puellas vrbis Silo iſto modo,quàm puellas aliarum vrbium.

Reſponderi poteſt multipliciter.Primò,quod hoc factum eſt ad tutelã Beniamitarum, ſcil.quia Silo eſt coniuncta ſorti Beniamin : nã quando Beniamitæ raperent virgines,non raperent oẽs,ſed ſolùm ducentas, ſcil.ſinguli ſingulas in vxores ſicut dixerãt eis ſeniores, vt patet in litera:aliæ autẽ fugerent confeſtim in vrbem, & annunciarent, & patres,atq; cognati puellarũ perſequerentur velociter Beniamitas, qui non poſſent nimis velociter fugere cùm traherent captiuas virgines: ideo ſi aliquantulum diſtaret locus refugij Beniamitarum ab vrbe,de qua raperent puellas citò,conſequerentur eos patres & cognati puellarum, & occiderent illos tollerentq; puellas, ideo debuit eligi locus ad rapiendas puellas, qui eſſet cõiunctus terræ Beniamin,vt breuiſſimè poſſent Beniamitæ intro ire in aliquam vrbem terræ ſuæ, in qua non poſſent nocere eis Iſraelitæ cognati virginum : iſtud autem non repertum eſt conuenientiùs,quàm in vrbe Silo,quia eſt coniuncta terræ Beniamin, ſcilicet ad latus aquilonare vrbis Bethel, quæ eſt de terra Beniamin. Et ſic non poſſen t conſequi eos fugientes viri Silo.

F

Secundum erat,quia ſi dicamus, quòd iſta ſolennitas, in qua captæ ſunt puellæ, erat de ſolennitatibus Domini,non poterat fieri in alio loco,niſi in Silo,eo quod erat ibi tunc tabernaculum Domini,præcedenti cap.

Tertium erat, quia fortè iſte modus ad rapiendum virgines non inueniretur in aliqua vrbe totius Iſrael, niſi in Silo, ſcilicet, quia ibi fiebat ſolennitas, in qua virgines ducebant choros per vineas, & fortè non in alijs locis, ideo non poſſent de alijs locis rapi.

Quar-

A

Quartum erat, quia seniores Israel volebant, quòd prouideretur Beniamitis de vxoribus citiùs, quàm prouideri posset, & dato quod in alijs vrbibus fierent similes solennitates, in quibus possent rapi virgines, fortè non erat aliqua tam in breui, sicut solennitas, quæ fiebat in Silo, ideo fuit ibi potiùs hoc factum, quàm in alio loco terræ Israel.

Ad quid posuit hic scriptura terminos vrbis Silo.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR vlteriùs, ad quid posuit hic scriptura terminos vrbis Silo, scilicet, quod erat ad Septentrionẽ Bethel, & meridiẽ Lebona, &c. quia non consueuit scriptura sic in alijs vrbibus, de quib⁹ loquitur ponere terminos.

Respondendum, quia hoc propter duo. Primò propter excellentiam vrbis: nam ista ciuitas erat nunc notabilior alijs vrbibus Israel, eo quod erat ibi tabernaculum Domini, & propter hoc, quòd cognoscerẽ pars terræ, in qua erat, positi fuerunt termini eius ad omne latus. Secundum, & principalius, propter quod factum fuit: est ad declarandum possibilitatem, & conuenientiam eorum, quæ narrãtur hic, scil. quòd Beniamitę caperẽt virgines discurrentes per vineas Silo: nam ad hoc opus erat, quòd haberent Beniamitæ alquod refugium in propinquo: non poterant autem ipsi habere refugium in aliqua vrbe terræ Israel extra terram Beniamin, eo quod nunc rapientes filias Israelitarum videbantur offendisse totum Israel, & antequàm cognosceretur fuisse hoc de consilio seniorum, omnes Israelitæ expugnarent eos, ideo oportebat, quòd confugerent ad aliquam vrbem terræ Beniamin, & ad hoc oportuit esse, quod ciuitas de qua raperent puellas esset propinqua terræ Beniamin: & sic cùm Silo erat de qua rapiendæ erant virgines: ponitur de vrbe Bethel, quod erat ad latus eius, quia Bethel erat ciuitas de tribu Beniamin in ipso latere Aquilonari Beniamin, Iosue 18. ideo cùm ponatur, quod erat Bethel in latere apud Silo, intelligetur, quod facile erat Beniamitis hoc facere, quia raperent virgines Silo, & illicò confugerent ad vrbem Bethel proinquam, quæ erat in tribu Beniamin. Et ista fuit causa potissima, quare potiùs raptæ fuerunt virgines de vrbe Silo, quàm de alia vrbe: nam non poterant rapere virgines, nisi vel de tribu Ephraim, vel Iuda, quia tribus Ephraim coniungitur sorti Beniamin in latere Aquilonari eius: sors autem Iuda coniungitur Beniamin in suo latere Meridiano, quod est Aquilonare respectu sortis Iuda, vt colligitur Iosue 15. & 18. Et ex hoc etiam patet quod dicebatur suprà penultima quæstione, scilicet, quod ciuitas Silo non erat de tribu Beniamin, sed de tribu Ephraim. Quòd non esset de tribu Beniamin patet, quia in tota tribu Beniamin nulla mulier manserat, suprà in litera, & tamen in Silo manserant multæ: ergo non erat de tribu Beniamin. Secundò patet, quia omnes vrbes Beniamitarum destructæ fuerunt, & igne consumptæ, præcedenti cap. Silo tamen illæsa mansit, vt patet hic. Tertiò patet, quia patres puellarum Silo venturi erant ad conquerendum de Beniamitis, quòd rapuissent filias eorum, vt patet in litera: non poterant tamen de hoc conqueri Beniamitæ, quia nullus Beniamita habebat nunc filiam, quia omnes occisæ fuerant, ergo viri Silo non erant de tribu Beniamin: & si fuisset Silo de terra Beniamin non oportuisset fieri istum raptum, quia manerent adhuc virgines in tribu Beniamin. Quartò patet, quia in Silo erat sanctuarium Domini nunc, & ad illud venerunt Israelitæ postquàm combusserunt omnes vrbes Beniamitarum, vt colligitur præcedenti cap. & hic: ergo non erat Silo de terra Beniamin. Quintò patet, quia quando Israelitæ ibant ad pugnandum contra Beniamitas veniebant qualibet nocte in Silo: & ibi manebãt coram Domino: & consulebant eum, vt patet præcedenti cap. & tamen si fuisset de tribu Beniamin, non potuissent hoc facere, quia non permitterent eos Beniamitæ manere in terra sua, cum essent hostes eorum. Quòd autẽ Silo esset de terra Ephraim, patet, quia erat coniuncta sorti tribus Beniamin, ita vt possent Beniamitæ rapere virgines de vrbe Silo, & citò ducere eas in Bethel vrbem terræ suæ: nulla tamen alia tribus erat coniuncta tribui Beniamin ex latere Aquilonari, nisi tribus Ephraim.

B

Bethel erat ciuitas de tribu Beniamin, & situs eius.

Silo nõ erat in tribu Beniamin.

C

De modo consilij rapiendarum virginum.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR vlteriùs, de modo istius consilij rapiendarum virginum.

Dicendum autẽ, quod melius fuit, quòd Beniamitæ peterent à viris Silo filias suas in vxores, & illi noluerũt dare, quia constricti erant iuramento, illi autem tacuerunt: & post aliquos dies aduenìente ista solennitate, nihil suspicantes Silonitę permiserunt virgines ire ad ducendũ choros per agros & vineas, & cũ laterẽt Beniamitæ rapuerunt eas: istud consilium dederunt seniores, non quidem tanquàm crederent, quòd Silonitæ darent filias Beniamitis, quamquàm illas peterent, quia sciebant potiùs, quòd non darent eas propter iuramentum, sed voluerunt, quòd ista petitio esset color ad defendendum raptum virginum: nam sciebant seniores, quòd Silonitæ conquererentur de raptu virginum, & si nullam excusationem haberent Beniamitæ, viderentur egisse tanquàm bellatores iure suo accipientes virgines, cùm à nullo petiuissent: & videretur tunc, quod sicut ipsi iure bellico illas rapuerunt, ita iure bellico essent repetendæ ab eis, & infligenda eis maiora damna, cùm tamen Silonitæ non dedissent virgines petentibus Beniamitis, & posteà ipsi rapuissent ipsas: si conquererentur responderetur eis, quod ipsi peccauerant: quia cùm Beniamitis positis in necessitate non dedissent illas Silonitæ, ipsi primò peccauerant, & iustè iam illas accipiebant Beniamitæ, cùm non haberent quid facerẽt vltra hoc. Et hoc dixerunt seniores, quòd dicerent patribus virginum, scilicet, petentibus non dedistis: à vestra parte primò peccatum est, vt patet in litera.

D

E

Ad quid erat hoc iuramentum Israelitarum de non dando Beniamitis vxores.

QVÆSTIO XLII.

QVÆRETVR vlteriùs, circa istud iuramentum Israelitarum de non dando Beniamitis vxores ad quid erat: nam non est in potestate patris tradere filiam, cui voluerit, sed in potestate eius est nubere cui voluerit, cùm matrimonia debeant habere in contrahendo omnimodam libertatem, & sic non debuissent magnam difficultatem circa iuramentum istud facere Israelitæ, quia licèt ipsi non traderent filias suas Beniamitis, ipsæ se possent tradere illis, & suppleretur sic defectus vxorum in eis, nec oporteret fieri alios circuitus.

Responderi potest dupliciter ad hoc. Vno modo, quod istud iuramentum proficiebat, quia licèt non esset in potestate Israelitarum tradere filias suas huic, vel illi, erat tamen in potestate eorum suadere, & filiæ sequerentur suasionem patrum, & sic cùm dicitur, quod isti iurabant se non daturos filias suas Beniamitis, iurabant, quòd quilibet eorum ageret quantum posset, vt filia sua non nuberet alicui Beniamitæ, & nunc aduenìente casu suadere debebant quantum poterant, ne filiæ suæ nuberent illis.

F

In Ecclesia magna est libertas inter partes contrahentes matrimoniũ.

Alio modo dici potest, & verius, quod secus erat in veteri Testamento quantum ad ritum matrimoniorum, quàm nunc in Ecclesia, quia nunc constitutione Ecclesiæ introducta est magna libertas inter partes contrahentes in contrahendo, & non habet ius pater super filium, aut filiam in contrahendo: in veteri autem Testamento, & apud omnes antiquos secus erat, quia non attendebatur voluntas puellarum, sed patrum, quia puellæ erant totaliter in potestate, & dispositione patrum, & non accipiebant alios in spõsos, nisi patre iubente, nec credebat aliquis habere posse spõsam, nisi illam à patre, vel maioribus puellæ peteret, & pater tradebat puellam, cui volebat non petito consensu eius, sed potiùs videbatur, & tenebatur tunc, quòd puella obligaretur sequi patris consensum: sic fuit de Rebecca, quando petiuit illam Eliezer seruus Abrahæ in vxorem pro Isaac filio Abrahæ à fratre suo, & matre: nam non fuit petitus consensus puellæ ad contrahendum, sed ad veniendum cum Eliezer. Nam

A

postquàm cõcessissent eam in vxorẽ, & Eliezer peteret, quòd illicò permitteretur recedere, dixerunt parentes Rebeccæ, quæramus voluntatem puellæ, & dixerunt ei: vis ire cum homine isto? Gen. 24. Et sic erat inter istos Israelitas, quia potestas dandi filiabus maritos erat apud eos secundùm consuetudinem temporis, & non erat in potestate filiarum accipere viros, ideo poterant iurare non daturos eas Beniamitis, quia dare, vel non dare erat in potestate eorum.

An isti seniores peccauerunt dando Beniamitis consilium de rapiendo virgines Silonitarum.

QVÆSTIO XLIII.

VLTERIVS quæretur, an isti seniores peccauerunt dando Beniamitis consilium de rapiendo virgines Silonitarum.

Respondendum, quod Israelitæ non putabant se peccare, sed potiùs dixerunt, quòd isto modo religio iurisiurãdi seruaretur, & prouideretur Beniamitis de vxoribus, vt ait Iosephus quinto Antiquitatum. Dicendum tamen, quod iuramentum non tenuit, vt declaratum fuit suprà in quadã quæstione, ideo non oportebat, quòd seruaretur: & tamen si teiuissent, peccauissent isti seniores.

Primò, quia isti darent consilium ad faciẽdum contra iuramentum suum: nam iurauerant, quòd nemo daret de filiabus suis vxorem Beniamitis: & erat intentio iurantium, vt

B Beniamitæ nullam vxorem haberẽt de filiabus Israelitarum: & tamen isti seniores procurabant, quòd Israelitarum filiæ traderentur Beniamitis, ergo erant periuri.

Secundò, quia qui procurat, vt alius faciat contra iuramentum, incitat eum ad peccandum, ideo ipsi peccant: nam ipsi volebant, quòd Silonitæ patres virginum pietate moti relinquerent filias suas Beniamitis. In quo facerent contra iuramentum.

Tertio, quia ipsimet rogaturi erant Silonitas, vt miserentur Beniamitis, & dimitterent eis iam filias suas, & in hoc rogabant eos agere contra iuramentum: si autem iuramentum non teneret, adhuc peccarent seniores, quia consulerent Beniamitis raptum virginum, quod erat crimen, eo quod priuabant patres earum iure suo, & puellas renitentes acciperent, quia fortè illæ nollent esse vxores Beniamitarum. Ex ignorantia tamen putauerunt seniores se teneri iuramento, quo seruato periret, vel pateretur magnum detrimentum tribus Beniamin, quod malum erat, ideo putauerunt se nihil mali agere, quòd consulerent istud, sed potiùs, quod erat laudabile opus.

Cur putabant periuros Silonitas esse, quorum filias raperent Beniamitæ, permittendo illas cum eis.

C

QVÆSTIO XLIIII.

VLTERIVS quæretur, cur putabant periuros Silonitas esse, quorum filias raperent Beniamitæ permittendo illas manere cum eis.

Respondendum, quod non putauerunt eos peccare: nam si credidissent eos peccare, non incitarent ad hoc, sed credebant, quòd si Silonitæ spontè filias suas traderent, periuri erant: nunc autem, quia Beniamitæ rapuerunt eas nescientibus, & iam reclamantibus Silonitis, non peccabãt: ipsi autem, qui dederant consilium istud non putabant se posse dare licitè filias suas, quia spontè dando incurrerent periurium, sed consulebant, quòd acciperent filias, & quia hoc nesciebant nõ essent periuri. Sed istud non stat, quia licèt non essent periuri per hoc, quòd Beniamitæ raperent filias eorum, essent tamen periuri quando permitterent illas cum raptoribus, potissimè, quia secundùm consuetudinem temporis illius filia non poterat contrahere nisi cum illo, quem pater assignaret, & cui illam daret, & Silonitæ consensuri erant istud: nam seniores rogaturi erant eos, quòd misererentur Beniamitarum, & ad preces eorum condescenderent Silonitæ: maximè, quia de facto erat in potestate eorum, quòd filiæ suæ manerent cum Beniamitis, vel non, & si semper insisterent, restituerentur eis filiæ: nam ob hoc seniores rogaturi erant eos.

D

Item non putabant seniores, quod erant periuri rogando, quòd Silonitæ permitterent Beniamitis tenere filias ipsorum contra iuramẽtum, quia aliàs æqualiter recusarẽt istud, & quòd ipsi darent filias suas: sed grossè iudicabant circa istud iuramentum, putantes se nullo modo incidere in periurium, nisi darent spontè filias suas petentibus Beniamitis, vel non petentibus.

An peccarunt Beniamitæ rapiendo virgines Silonitas.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerunt Beniamitæ rapiendo virgines Silonitas, & dato quòd patres earum nollent tradere eas, an liceret eis illas accipere rapiẽdo.

Respondendum, quod peccauerunt Beniamitæ rapiendo virgines Silonitas. Primò, quia præiudicabant patribus earum: nam ipsi habebant ius super eas ad dandum eas, quibus vellent, & tamen Beniamitæ priuabant eos isto iure rapiendo virgines, ideo peccabant. Secundò, quia Beniamitæ quantum in se erat conabantur, vt Silonitæ inciderent in periurium, scilicet, quòd aliquo modo traderent eis filias suas, de quibus iurauerunt, quòd non traderent eas illis, & Beniamitæ credebant Silonitas periuros esse, si darent eas, quia omnes Israelitæ putabant istud iuramentum tenere, & tamen qui incitat alium ad periurium quomodocunque, E peccat, ideo peccabant isti. Tertiò patet, quia isti acceperunt puellas inuitas, quæ fortè nolebant esse coniuges illorum, & in hoc erat duplex peccatum. Primum erat stuprum, scilicet, quia deflorabatur virgo indebitè cùm non esset vxor, quia illa nondum in eum vt in virum consenserat. Secundum erat violentia, quia inuitè raptæ fuerant, & cognitæ. Ad secundum dicendum, quòd si patres earum nollent dare illas Beniamitis, quod non licebat illis rapere illas. Et si obijciatur, quod erant in necessitate, quia non poterant aliunde habere vxores de stirpe Hebræorum: Dicendum, quod ista nõ erat necessitas absoluta, in qua liceret eis rapere virgines, quia habebant alia remedia, scilicet quod poterant accipere vxores de gentilitate, & conuerterent eas ad ritum Iudaicũ, & si illæ nollent manere cum eis in ritu Iudaico, sed in Gentilico, adhuc poterãt eas sic tenere, vt fecerunt duo filij Noemi, vt patet Ruth primo, & declaratum est suprà in quadam quæstione. Et tamen in maiori necessitate erant Beniamitæ quàm illi, quia illi poterant habere vxores Hebræas, si vellent de terra Moabitarum, in qua tunc manebant, venire in terram Israel, istis autem non dabantur vxores de Israelitis: & tamen dato quod non possent habere isti vxores de Gentilitate, potius sustinere debebãt vitam vidualem, & castã, quàm rapere virgines: quod patet, nam si daretur, quòd quis nullo modo posset habere vxorem, nisi vxorem alterius sibi raperet in vxorem, potiùs mori debebat sine vxore, imò mortem tolerare, quàm hoc facere: sed hic non poterant Beniamitæ rapere virgines Silonitas nisi multa præiudicia faciẽdo, ideo non licebat eis accipere illas, etiam si non haberent alias vxores, & patres earum non darent eas illis: seniores tamen non putauerunt istam violentiam peccatum esse, & si aliquod erat, potiùs volebant committere illud, vt prouiderent tribui Beniamin, quàm detrimentum pateretur.

F

An Beniamitis petentibus Silonitas in vxores, si patres earum illas dare nollent, an peccarent.

QVÆSTIO XLVI.

QVÆRETVR vlteriùs, an Beniamitis petentibus Silonitas in vxores, si patres earum illas dare nollent, an peccarent.

Respondendum, quod Israelitæ non putabant se peccare in hoc, imò potiùs credebant, quòd si darent peccarent, quia faciebant contra iuramentum, quod credebant tenere: sic dixerunt Israelitæ suprà: filias nostras dare non possumus constricti maledictione, & iuramento, & tamen secundùm veritatem non tenebantur, vt suprà declaratum est: & quia iste error erat in eis inuincibilis, eo quòd nullus erat eo tempore, qui declararet istud iuramentum non tenere, nõ peccabant,

A bant,non dantes filias suas. Si tamen crederent,quod nō tenebantur iuramento,dicendum, quod aut habebāt aliquam causam, quare non dabant eas illis, vtpotè quia erant viri feroces,& aliàs mali, cum quibus grauis vita vxoribus ducenda foret,aut nullam huiusmodi causam habebant.Si haberēt causam,dato quòd tota tribus Beniamin periret, non dando vxores istis,nemo tenebatur dare filias suas talibus in vxores: si autem nulla causa subesset videbatur aliqualiter, quòd isti peccarent, non dando eis filias suas, tum quia cogerent eos mori sine vxoribus, vel declinare ad accipiendum vxores de Gentilitate,in quo erat magnum periculum,scilicet,quia poterant peruertere corda eorum, vt colerent idola, sicut dicitur 3.Reg.11. Certissimè auertent corda vestra,vt sequamini Deos earum,tum quia inferrent damnum tribui Beniamin, quæ non posset conuenienter multiplicari istis ducentis non habentibus vxores.

Quomodo seniores dicturi erant Silonitis conquerentibus de raptu filiarum suarum,&c.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo seniores dicturi erant Silonitis conquerentibus de raptu filiarum suarum,à vestra parte peccatum est:nam ipsi non credebāt, quòd peccarent non dando filias suas illis Beniamitis, sed potiùs B peccarent dando, quia iurauerant non dare,& si ipsi peccarent non dando, etiam peccarent ipsi seniores, & omnes alij Israelitæ,quia omnes idem iurauerant.

Dicendum, quòd licèt Silonitæ secundùm veritatem possent dare filias Beniamitis, quia iuramentum non tenebat, seniores tamen credebant, quod non poterant, eo quod ipsi putabant tenere iuramentum: dicturi tamē erant istud Silonitis ad placandum eos, vt non insisterent cōtra Beniamitas repetendo filias ad hoc,quòd fieret bellum, & allegarent ad hoc aliquas rationes verisimiles, licèt non veras,quibus placarentur Silonitæ aliqualiter.

Fecerunt q. filij Beniamin, vt sibi fuerat imperatum,& iuxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quæ ducebant choros,vxores singulas: abierunt q. in possessionem suam ædificantes vrbes, & habitantes in eis. Filij quoque Israel reuersi sunt per tribus,& familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel:sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur,hoc faciebat,

Sup.17. & 17.

Fecerunt q. Hic ponitur consilij executio,& dicitur. *Fecerunt q. filij Beniamin,vt sibi fuerat imperatum.* Scilicet aduenientе festiuitate in Silo rapuerunt virgines Silonitas. *Et iuxta numerum suum rapuerunt sibi de his, quæ ducebant choros vxores.* Id est susceperunt ducentas virgines in vxores de illis, quæ ducebant choros per vineas, quia ipsi erant ducenti. *Abierunt q. in possessionem suam.* Id est, iuerunt in Bethel vrbem terræ Beniamin,quæ erat circa Silo, vt ibi haberēt pro tunc refugium, si fortè vellent Silonitæ persequi eos ad tenendas filias. *Ædificantes vrbes,& habitantes in eis.* Id est,restaurantes vrbes antiquas:nam multæ vrbes erant in tribu Beniamin, vt patet in Iosue 18.tamen nunc in bello diruptæ fuerāt omnes,& combustæ, ædificiaque dissipata, & ad hoc quòd habitarent isti Beniamitæ ibi,oportebat,quòd reficerēt dirupta earum, sed nullam vrbem de nouo constructuri erant: nam & ipsas veteres non poterant replere,cùm essent solùm sexcenti viri.

Filij quoq; Israel reuersi sunt per tribus, & familias in tabernacula sua. Scilicet,facta prouisione Beniamitis de vxorib⁹ reuersi sunt omnes Israelitæ in tabernacula sua,& dicitur per tribus, & familias suas,scilicet,quia omnes Israelitæ conuenerant ad istud bellum, vt patet præcedenti cap. & finito illo redibant omnes in loca sua,& hoc per tribus, & familias, scilicet, omnes de vna tribu ibant simul, & omnes de vna familia simul. Est enim familia quædam specialis cognatio sub tribu, & habet quælibet tribus certas familias, quarum numerus & nomina ponuntur,Nume.26. Sed quando fuerit iste reditus Israelitarum declarabitur infrà in quadam quæstione.

In diebus illis. Scilicet,quando accidit casus Leuitæ,& virorum Gabaa. *Non erat rex in Israel.* Non solùm non erat rex,sed etiam nullus erat iudex, nec viuebat tunc Iosue, & sic fuit in quodam tempore in quo nullus præsidebat. D

Sed vnusquisq; quod rectum sibi videbatur,hoc faciebat. Scilicet, quod nullus imperabat,sed poterat quilibet facere,quod volebat: quia nullus cohibebat eum per timorem pœnæ. Et ponitur ad declarādum quomodo accidit istud nefas de Leuitæ vxore, & de bello postea insurgente inter omnes Israelitas contra tribum Beniamin: nam si fuisset aliquis rex eo tempore,vel iudex potens,qui per modum potentiæ potuisset cohibere delinquere volentes, non fecissent viri Gabaa nefas,quod fecerunt contra vxorem Leuitæ:& dato quòd illud factum fuisset, tamen saltem non diuisum fuisset totum regnum Israelis in duas partes, & vna pugnaret cōtra aliam, sicut factum est nunc, scilicet, quia non existente rege quilibet faciebat,quod sibi placebat.

Quando Israelitæ redierunt in tabernacula sua.

QVÆSTIO XLVIII.

QVÆRETVR de recessu Israeltarum, qui congregati erant,quando redierunt in tabernacula sua.

Aliquis dicet,quod factum est hoc, postquàm Beniamitæ acceperunt vxores sufficientes sibi, scilicet quadringentas de Iabes Galaad,& ducentas de Silonitis, & hoc videtur innuere litera: nam postquàm dicitur de ducentis vxoribus,quas acceperunt Beniamitæ de Silo, dicitur quod redierunt Israelitæ in tabernacula sua per tribus, & familias. Dicendum tamen,quod hoc non stat. Primò,quia non erat verisimile,quod totus Israel,qui erat cōgregatus ad pugnandū, maneret in aliquo vno loco,quousq; prouideretur Beniamitis de vxoribus,quia magnum tempus in hoc fluxit, & quòd totus Israel maneret congregatus nihil proficiebat ad hoc: ideo videtur quòd ante hoc redierint singuli in loca sua. Secundò patet &efficacius,quia si adhuc congregatio ista esset, quando Beniamitæ rapuerunt virgines Silonitas, non essent patres,nec cognati earū in Silo, quia omnes Israelitæ potentes pugnare erāt in castris,& tamen erant nunc in Silo, & isti seniores, qui dederunt istud consilium, non erant in eodem loco:nā dixerunt, quòd quādo venirent ad eos patres,& fratres virginum raptarum, responderent eis id, quod habetur in litera. Tertiò patet,quia finito bello redijt totus exercitus in Silo,vt patet in litera suprà, si ergo maneret adhuc Israel congregatus, esset ista congregatio in Silo,& tamen non erāt ibi,quia tunc essent ibi isti seniores, qui dederunt istud consilium cum cæteris Israelitis: tamen non erant in Silo, quia tunc quando consulerent Beniamitis, non dicerent:ecce solēnitas anniuersaria est in Silo,sed dicerēt,solēnitas est in loco isto,ideo non erāt isti seniores in Silo,& cōsequenter nec alij Israelitæ erant ibi congregati. Quartò patet,quia si nondum fuisset facta discessio de castris Israelitarum, manerēt omnes in Silo,vbi prius erant,& tunc nō consulerent seniores Beniamitis,quòd raperent virgines de Silo, quia non possent,eo quòd in agris essent tentoria Israelitarum,quia non poterant capi omnes intra vrbem, cùm essent plus quàm quadringenta millia virorum, vt patet præcedenti cap. & sic impedirentur latere Beniamitæ in agris, & vineis propter præsentiam Israelitarum. Et etiam ipsæ virgines non possent discurrere cum choris per agros, & vineas propter multitudinem Israelitarum. Quintò, quia esset periculum Beniamitis velle rapere virgines Silonitas si esset ibi tota multitudo Israelitarum, quia illicò caperentur clamantibus virginibus antequàm ducerent eas ad terram suam. Sextò patet, quia si essent ibi omnes Israelitæ congregati, consilium seniorum de rapiendo virgines Silo esset pessimum, quia non esset aliquis locus in tota terra Israel, in quo difficilius istud fieret propter præsentiam virorum totius Israel: & in qualibet alia vrbe posset istud fieri faciliter, eo quod in alijs vrbibus nulli erant viri potentes pugnare, cùm omnes conuenissent in castra,& sic raperent quas vellent, nemine impediente: ideo si esset adhuc congregata multitudo Israelitarum, non suaderent senioress hoc fieri in Silo,sed in aliqua alia vrbe. E F

Dicendum est,quod quando factus est iste raptus virginū,

A iam receſſerant ſinguli Iſraelitæ de caſtris in tabernacula. Pro quo ſciendum, quod Iſraelitæ pugnauerunt contra Beniamitas, & occiſa tota multitudine eorum fugerunt ſexcẽti ad petram Remmon, & manſerunt ibi menſibus quatuor, præcedẽti cap. interim totus exercitus Iſraelitarum diſcurrit per totam terram Beniamin, & diruit vrbes atque ſuccendit, occitditq; ſenes, & paruulos, & fœminas vſq; ad pecora, prꝫced. cap. & poſt hoc redierunt in Silo, & planxerunt ibi coram Domino, ſuper deſtructione vnius tribus de Iſrael, vt patet ſuprà in litera, & tunc volẽtes prouidere Beniamitis de vxoribus, ne penitùs deleretur tribus Beniamin, occiderunt viros Iabes, & acceperunt quadringentas virgines, & tunc miſerunt Iſraelitæ pro Beniamitis, qui erant in petra Remmon, & ibi conſummati fuerunt 4. menſes ex tempore, quo occiſi fuerant in bellis Beniamitæ, & fugerunt iſti ſexcenti ad petrã Remmon, & in iſtis omnibus erant adhuc congregati Iſraelitæ in Silo. Nam quando ductæ ſunt virgines Iabeſenæ, erãt adhuc omnes Iſraelitæ in Silo, vt patet ſuprà in litera, ſcilicet inuentæ ſunt in Iabes quadringentæ virgines, quæ non cognouerunt viri torum, & adduxerũt eas ad caſtra in Silo: ergo erant tunc caſtra in Silo.

Dicendum autem, quod poſt hoc receſſerunt illicò Iſraelitæ per loca ſua, quia congregatio eorum iam non erat vtilis ad aliquid: & manſit ſolis ſenioribus populi cura de prouidendo ducentis viris Beniamitis, qui nondum acceperant vxores, & inito conſilio decreuerunt, quòd peterent filias Silonitarum, & cùm nollent eas dare patres ipſarum, quòd laterẽt in vineis, & raperent illas in ſolennitate anniuerſaria, & ſic aliquantum tempus tranſierat poſtquàm receſſerant Iſraelitæ in tabernacula ſua quando factus eſt raptus Silonitarum virginum. Cùm autem obijcitur, quòd poſt illum raptum fuerit receſſio de caſtris ex ordine literæ. Dicendum quod eſt mutatio ordinis per recapitulationem, ſicut ſæpè fit in Scriptura per anticipationem, vel recapitulationem. Et ſatis iam patet ex ipſa litera, quòd non ſit ordo ſeruatus: nam tenendo ordinem literæ non ſolùm oportuiſſet manere congregatos omnes Iſraelitas in caſtris vſquequò raptæ eſſent virgines Silonitę, ſed etiam multo tempore poſt, quia dicitur quod Beniamitæ rapuerunt ſingulas virgines, & abierunt in poſſeſſionem ſuam ædificantes vrbes, & habitantes in eis: & tamen manifeſtum eſt, quod non manſerunt omnes Iſraelitæ ſimul non recedentes in tabernacula ſua, vſquequò Beniamitæ ædificarent vrbes: ideo certum eſt, quod hic eſt ordo mutatus.

Quo tempore accidit iſte caſus de deſtructione Beniamitarum.

QVÆSTIO XLIX.

C QVÆRETVR vlteriùs, quo tempore accidit iſte caſus de deſtructione Beniamitarum.

Reſpondent quidam, quod accidit tẽpore Heli ſummi ſacerdotis, vel paulo antè, ſcilicet non multo tempore ante tempora regum: & mouentur ad hoc ex ordine libri: nam fuit poſita ſuprà hiſtoria omnium iudicum, & ſic putatur, ꝙ fuerit iſtud poſt omnes iudices. Dicendum tamen, quod hoc non ſtat, ſed fuit iſtud bellum poſt mortem Ioſue, & antequã eſſent aliqui iudices in Iſrael, & fuit quaſi illicò poſt mortem Ioſue. Quòd autem fuerit poſt mortem Ioſue patet, quia iſtud accidit manentibus Iſraelitis in terra Chanaan, ergo accidit, dum viueret Ioſue, vel poſt mortem ſuam. Quod patet, quia Ioſue introduxit Iſraelitas in terram Chanaan, & erat princeps tunc, vt patet Ioſue primo, & ſecundo, & per totum. Quòd autem non fuerit iſtud eo viuẽte patet, quia ipſe non permiſiſſet talia fieri in Iſrael, & quòd diuideretur populus in duas partes, & pugnaret, ideo mortuus erat. Secundò patet, quia dicitur hic, quod eo tempore nullus erat rex in Iſrael, & quilibet faciebat, quod ſibi rectum videbatur. Et non accipitur rex pro regente habente poteſtatem coercitiuam ſuper malos: & tamen tempore Ioſue ipſe coercebat malos, & magis populus timebat eum, & faciebat propter eum plura, quàm propter reges: ideo videtur quod non fuit tempore ſuo. Tertiò patet, quia dato, quòd accidiſſet tempore Ioſue non fuiſſet ſic prouiſum Beniamitis de vxoribus, ſcilicet quòd non prouiderent eis ſeniores, ſed Ioſue, qui erat princeps, iuberet quid fieret in omnibus his. Seniores tamen diſpoſuerunt omnia hæc, vt patet in litera, ergo non viuebat Ioſue. Quòd autem fuerit factum paulò poſt mortem Ioſue antequàm eſſent iudices in Iſrael, patet quia quando factum eſt iſtud, nullus erat regens in Iſrael, qui cohiberet, vel punire poſſet iſtud malum, vt dicitur in litera, & tamen iudices, licèt minorem poteſtatem haberent quàm reges, poterant coercere peccata populi intantum, quod timore eorum populus non colebat idola eis viuentibus, & cùm moreretur aliquis iudex declinabat populus ad idololatriam, vt patet ſuprà 2. & tamẽ nunc nullus poterat cohibere peccantes, cùm quilibet faceret, quòd vellet, ergo nondum cœperant iudices. Secundò patet, quia quando accidit iſtud nõdum capta fuerat Ieruſalem de manu Iebuſæorum, vt patet ſuprà 19. nam iſte Leuita, cuius vxor occiſa fuit, noluit intrare in Ieruſalem, qa erat ciuitas Chananæorum, & tamen fuit iſta ciuitas capta illicò poſt mortem Ioſue, vt colligitur ſuprà primo, vbi dicitur, quod poſt mortem Ioſue conſuluerunt Iſraelitæ Deum, quis aſcenderet ante eos ad pugnandum contra Chananæũ, & reſpondit quòd aſcenderet Iudas, & aſcendit: & ſequitur ibi quomodo cepit vrbem Ieruſalem, & ſic fuit modico tempore poſt mortem Ioſue, & tamen nondum erat capta Ieruſalem, quando fuit iſte caſus, ergo valdè coniunctus morti Ioſue fuit iſte caſus antequàm eſſet aliquis iudex in Iſrael.

D *Bellum inter Iſraelitas, et Beniamitas fuit paulò poſt mortẽ Ioſue*

Nam ſi aliquis iudex tunc fuiſſet, quãdo capta eſt Ieruſalem, non conſuluiſſent Iſraelitæ, quis aſcenderet ante eos ad pugnandum, quia certum eſt, quòd ille iudex eſſet princeps ad pugnandum, cùm iſti iudices vocarẽtur ſaluatores dati Iſrael à Deo, vt patet ſuprà 3. Tertiò patet, quia in iſto bello Iſraelitarum contra Beniamitas, cùm aſcẽdiſſent omnes in Silo, antequàm pugnarent conſuluerunt, quis eſſet dux in exercitu eorũ contra filios Beniamin: ſi tamẽ aliquis iudex tunc eſſet, certum eſt, quòd ille eſſet dux, & non oporteret inquirere, qs eſſet dux: ergo non erat tunc aliquis iudex: patet hoc præced. cap. Fuit ergo iſte caſus de primis, qui facti ſunt poſt mortem Ioſue, vnde prius, fuit iſte, quàm caſus virorũ tribus Dan in raptu idoli Michę, & captione vrbis Leſendan, de quo ſuprà 17. & 18. vt probat Ioſeph. 5. Antiquita. ideo ipſe illicò poſt mortem Ioſue enarrat iſtud accidens de bello Beniamitarum, & poſt illud accidens de captione vrbis Leſendan, & & deinde incipit enarrare geſta iudicum inchoans ab Hothoniele, qui primus fuit, de quo ſuprà 3. Scriptura tamen mutauit ordinem in hoc, in quo falluntur multi, & cauſa huius fuit, quia in iſto libro voluit actor ſcribere geſta iudicum, eo quod de iudicibus intitulatur, & cùm iſta tria accidentia, ſcil. de idolo Michæ, & captione vrbis Leſendan, & vxore Leuitæ non fuerint hiſtoriæ iudicũ, quia non fuerunt tempore ipſorum, nec per eos geſtæ non debueruut præponi geſtis iudicum, quia tunc magna pars libri ab exordio introduceret facta aliena, quæ nõ pertinebant ad iudices: egit ergo in principio de geſtis iudicum: quia tamen iſta accidentia dicta non erãt omittenda, eo quod fuerũt magnæ doctrinæ pro poſteris, debebãt ſcribi in aliquo libro ſacræ ſcripturæ: non fuit tamen aliquis liber, cui magis cõuenirent, quàm libro iudicũ, eo quod fuerũt magis propinqua tẽporibus iudicum, quàm hiſtorijs aliorum librorum, & ſic debuerunt introduci in libro iudicum: & tamen ne extraneæ hiſtoriæ maximam libri partem in principio occuparent: enarrata fuit primò vſq; ad Samſonem tota hiſtoria iudicum, de quibus intendebatur, & deinde expleto quod erat de intẽtione libri, introducta fuerunt iſta, quæ erant quaſi accidentalia.

E

Quare dicitur hic, quod non erat iſto tempore rex in Iſrael. &c.

QVÆSTIO L.

QVÆRETVR vlteriùs, quare dicitur hic, quod non erat iſto tẽpore rex in Iſrael, ſed quilibet faciebat, quod ſibi rectum videbatur. Et cur non dicitur, quod etiam non erat tunc aliquis iudex, quia eo exiſtente nõ faceret quilibet, quòd vellet.

Reſpondẽdum, quod intentio auctoris fuit in iſtis verbis reſpondere tacitæ quæſtioni: nam legens, vel audiens ea, quæ

F

habẽ-

habentur hic, diceret: quomodo potuit esse tanta deordinatio in populo, quòd viri Gabaa tantum nefas contra Leuitã, & vxorem eius molirẽtur? & dato quòd hoc fuisset: quomodo rursus populus fuit tã discors, vt diuideretur in duas partes, & pugnaret vsque àd deletionem vnius tribus Israel?

Respondit auctor, quod istud fuit ex defectu gubernatoris, nullus enim erat tunc gubernator in Israel, quem timerẽt Israelitæ, ideo quilibet faciebat, quod sibi rectum videbatur, id est quod desiderabat, id est, siue bonum, siue malũ esset: & istud poterat emẽdari postquàm factum esset per aliquem principem totius Israel, si fuisset tunc: vel magis impeditum fuisset, ne tale quid accidisset: & hoc poterat quilibet princeps totius Israel euitare, siue esset rex, siue Iosue, qui non erat rex, siue aliquis de iudicibus. De regibus patet, quia magna erat potestas regum inter Hebræos, scilicet, quod populus sibi obediebat in omnibus tam laici quàm sacerdotes. Potestas etiam Iosue fuit valdè magna: nã populus tenebat eum in magna veneratione, sicut Moysen, de quo Numer. 17. & Deute. vltimo, & Iosue primo: ita vt quicunque non obediret Iosue per omnia, morte moreretur, vt patet Iosue primo. Potestas etiam iudicum satis magna erat, quia erat super totum populum, & congregabat omnes Israelitas ad bellum quando expediebat, & faciebat quæcunque alia in populo, quæ vtilia erant toti populo, & timebat populus iudicem intantum, quod viuente quocunque iudice non audebat populus declinare ad idololatriam, & illo mortuo mox declinabat, vt patet suprà secundo.

Magna erat potestas regum apud Hebræos.

B

Responderi potest ergo tripliciter: vno modo quod accipitur hic rex pro quocunque regente habente potestatem super populum, etiam si non esset rex: & tunc comprehenduntur reges, & iudices, & Iosue, & quicunque princeps, qui posset toti populo aliquid imperare, & patet ex adiuncto, scilicet, sed quilibet, quod rectum videbatur sibi, hoc faciebat: quasi dicat, si fuisset rex tunc, non faceret quilibet, quod sibi rectum videbatur: sed existentibus etiam iudicibus, non faceret quilibet quòd sibi rectum videretur, ergo illi intelliguntur etiam hic nomine regum.

Alio modo potest respõderi, quòd accipiatur propriè rex: & tunc verum est, quod non erat aliquis rex in Israel, licèt etiam nõ esset aliquis iudex, & potuisset per quemlibet eorum prouideri in hoc, quia tamen meliùs prouideri poterat per regem, eo quod erat maioris potestatis, dixit de rege.

Tertiò & adhuc meliùs dictũ est, quod de rege expressum est, quia iste liber fuit scriptus per Samuelem tempore Saulis regis Israel, & volebat dare causam, vel modum Samuel quomodo potuissent ista accidere: nam diceret aliquis tempore illo: quomodo potuit tanta discordia accidere in populo, & nullus eam tollebat? quasi dicat, nunc non posset accidere, & respondet Samuel, quod hoc erat, quia quando ista acciderunt, nõ erat aliquis rex in Israel, sicut tempore ipsorum, qui hoc quærebant, qui posset prouidere ne ista fierent.

C

Quis ordo iudicum fuit in Israel à tempore Moysi, vsque ad tempus Christi. Et an totus ordo iudicum erat destructus, quando hoc accidit.

Qvæstio LI.

Qværetvr vlteriùs, an tempore, quo ista acciderunt esset destructus totus ordo iudicũ in Israel, vel erãt aliqui.. Et si aliqui erant quomodo non impediebãt istud.

D

Respondendum est, quod semper fuerũt iudices aliqui in Israel, quia aliàs desijsset Israel esse populus: nam in vrbe magis necessarius est distributiuus iustitiæ, id est, iudex, quàm panis, vt ait Arist. 3. Politicor. Pro quo sciendum, quod quando Moyses eduxit Israelitas de Ægypto, & ducebat eos per desertum, ipse solus erat princeps, & iudex, & cùm essent tãta negotia populi, tota die sedebat iudicans, & non finiebat negotia, vnde dixit ei Iethro socer suus: Stulto labore cõsumeris, super vires tuas labor iste est, solus non poteris illum sustinere. Et tunc consilio Iethro diuisit Moyses totum populum per decanos, quinquagenarios, centuriones, & tribunos, qui iudicarent populum in negotijs paruis, & ciuilibus: ipse autem Moyses iudicabat in omnibus arduis, vt patet Exo. 18. Mansit antem sic aliquanto tempore Moyses, & tamen nec sic ablata est magnitudo solicitudinum suarum, & petiuit vt moreretur, vel liberaretur ab his angustijs: & tunc Deus dedit ei septuaginta viros habentes spiritum propheticum, qui etiam curam gererent de rebus arduis, Num. 11. & tunc cessauit querela Moysi. Durauit autem iste modus iudicum in deserto semper, scilicet quòd si aliquis istorũ moreretur subrogabatur alius. Et postquàm introierunt Israelitæ in terram Chanaan, durauit iste modus iudicandi, sed etiam fuit alius introductus, scilicet quòd essent quidam iudices supremi in Israel, à quibus ratio appellaretur, & isti erant septuaginta viri, qui successerunt septuaginta senioribus, quos dedit Moysi in adiutores, Num. 11. Et princeps istorum erat summus sacerdos, & omnes isti simul vocabantur domus consilij, & quãquàm omnes concurrerent in consilio de sententia danda, solus summus sacerdos sententiabat, de quo declaratũ est Nume. 11 & Deute. 17. manserunt semper isti iudices septuaginta. Nam etiam tempore Christi erant, & vocabantur seniores, & ipsi condemnauerunt Christum ad mortem, & erant cum Caypha, qui erat summus sacerdos, quando contra Christum sententiauit, quod erat dignus morte: & sic dicitur sæpè in passione, quod principes sacerdotum, & seniores faciebant aliquid contra Christum, scilicet, septuaginta seniores. Præter istos erant alij iudices minores constituti per singula: nam erant saltem vnus, vel duo iudices in quolibet loco, & isti erant de progenie virorum illius loci, & cuilibet iudici dabantur duo Leuitæ in assessores, eo quod Leuitę erant periti in lege, de quo Ioseph. 4. Antiquita. De istis iudicibus dicendum, quod semper fuerunt in simul, & erant quãdo ista acciderunt, sed ipsi non potuerunt euitare aliquid istorum, eo quod isti erant solùm habentes iurisdictionẽ in diffiniendo in causis, & non habebant potestatem ad alia: vt subijcerẽt sibi populum. Et licèt potestas eorum esset de iure, tamen de facto paruam habebant potestatem, eo quod erant merè iudices, & non domini, nec principes: & ideo adhuc eis existentibus, poterat facere quilibet, quod volebat, & poterant accidere omnia ista mala, quæ euenerunt.

E

Domus consilij quid priuilegium summi sacerdotis.

F

Varias temporum mutationes, & discordias factas librum Iudicum explanando, vt nobis collatum erat, explicuimus: in quo sub breuibus multiplices substringuntur historiæ, in quibus iuxta consuetum stylum literalem duntaxat enucleando medullam processimus, quia de allegorijs rara, aut nulla nobis in his voluminibus cura est, cùm alibi fortasse spacioſior erit dicendi locus, si contingat nobis sapientiam scribere tempore vacuitatis. Omnia autem dicta sint ad exaltationem fidei, & laudem Dei omnipotentis, & eius Sacratissimæ matris.

Finis Libri Iudicum.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

IN LIBRVM RVTH COMMENTARIA.

CAPVT I.

IN diebus vnius iudicis, quando iudices præerant, facta est fames in terra. Abijtq; homo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua, ac duobus liberis. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi: & duo filij, alter Mahalon, & alter Chelion: Ephrathæi de Bethlehem Iuda Ingressiq; regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi, remansitq; ipsa cum filijs. Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vocabatur Orpha, alteraq; Ruth. Manserunt q; ibi decem annis, & ambo mortui sunt, Mahalon videlicet, & Chelion: remansit q; mulier orbata duobus liberis, ac marito.

IN diebus. Hic incipit liber Ruth, in quo ponit hiſtoriam Ruth, quæ ſubordinatur ad genealogiam Dauid enarrandam. Et diuiditur in quatuor partes, in prima ponitur eius ad Dominum cõuerſio, ſecundò eius honeſta in Iudaiſmo conuerſatio, tertiò legalis conuentio, quartò matrimonialis coniunctio. Prima pars diuiditur in duas, quia primò ponitur conuerſionis occaſio, ſecundò ipſius Ruth conuerſio ibi. *Et ſurrexit.* Circa primum dicitur. *In diebus vnius iudicis.* Ponitur tempus, quando factum fuit hoc, id eſt, in diebus vnius iudicis, vt ſciatur quando acciderit iſta hiſtoria. Quis autem fuerit iſte iudex, infrà dicetur in quadam quæſtione. *Quando iudices præerant.* Fuit quoddam tempus, quo ſoli iudices præerant in Iſrael, & fuerunt iudices quindecim, & tempore iſtorum non fuerunt reges, nec alij principes, vt dicetur infrà in quadam quæſtione. *Facta eſt fames in terra.* Scilicet in terra Iſrael, quia de ipſa terra ſolũ agitur hic, quia ibi habitabat Elimelech, qui fugit tunc propter famem, vt patet in litera. Et iſta fames dedit occaſionem iſti hiſtoriæ, quia aliàs nõ fuiſſet hiſtoria Ruth, ſcilicet, quòd Mahalon filius Elimelech & Noemi non accepiſſet in vxorem Ruth, de qua fuit progenies Dauid. Cur autem venit iſta fames, & an fuerit vniuerſalis, vel particularis, declarabitur infrà. *Abijtq; homo de Bethlehem Iuda.* Iſte homo fuit Elimelech, vt patet infrà in litera. & fuit de Bethlehẽ, in quo apparebat, quod erat de tribu Iuda, quia Bethlehem erat ciuitas Iuda, & Dauid fuit de iſta vrbe, vt patet Ioan. 8. & dicitur de Bethlehem Iudæ ad differentiam alterius: eſt enim duplex Bethlehem, quædam in ſorte Iudæ, alia in ſorte Zabulon, vt patet Ioſue 19. & ob hoc conſueuit poni Bethlehem, cum iſta determinatione, ſcilicet, vt dicatur Bethlehem Iudæ. Patet hic, & Iudic. 17. & Matth. 2. Et aliquando vocabatur Bethlehem Ephrata, vt patet Micheæ 5. & idem eſt. Quare autem vocetur Ephrata, infrà dicetur. *Vt peregrinaretur in regione Moabitide.* Id eſt, vt maneret ibi peregrinando aliquo tempore, quouſq; ceſſaret fames: nam non erat intentio Elimelech manere ſemper in regione Moab, ſed ſolùm tempore famis, & poſteà redire intendebat in terram ſuam Bethlehem, & ideo quamdiù eſſet in terra Moab, dicebatur ibi peregrinari. Sciendum de regione Moab, quæ eſt quædam terra coniuncta terræ Iſrael, quæ nominata fuit à Moabitis filijs Moab, qui fuit primogenitus Loth ex filia ſua ſuſceptus, quando inebriatus eſt, Geneſ. 2. cap. 9. Et quia Moab, & Ammon erant filij Loth, vt patet ibidem, & Loth erat conſobrinus Abrahæ, Gen. 11. & 13. voluit Dominus benedicere filijs Loth propter Abraham, dando eis regiones, in quibus morarentur: & dedit eis terras coniunctas Iordani ad Orientem partem eius, & circa mare rubrum, & dedit eis robur ad pugnandum contra Gigantes, qui tenebant prius regiones illas, vt excluderẽt eos de illis, vt patet Deut. 2. ideo dicitur, quod Deus dedit eis poſſeſſiones, ſicut filijs Iſrael. Iſta terra fuit ſemper Moabitarum, etiam antequàm Iſraelitæ exirent de Ægypto, & quando exiuerunt voluerunt tranſire per illam, & trãſierunt per quandam partem eius, Deute. 2. Et per quandam aliam partem eius non permiſſi ſunt tranſire, neque voluerunt Moabitæ occurrere eis cum pane, & aqua, Deute. 23. ſed potiùs conduxerunt Balaam ariolum contra eos, vt malediceret ipſis, Numer. 22. & 23. & 24. Et eſt regio iſta Moab coniuncta terræ Iſrael, imò quædam pars regionis Moab cecidit Iſraelitis in partem, ſcilicet terra duarum tribuum & dimidiæ, quæ erat ad Orientrm Iordanis: nam iſta terra erat prius pars regni Moab, & duo reges Amorrhæi, ſcilicet Sehon, & Og ceperunt eam de terra Moab, & poſteà Iſraelitæ acceperunt eam de manu iſtorum duorum regum Amorrhæorũ, Deut. 2. & 3. & Num. 21. c.

Quæſt. 2.

Quæſt. 3.

Quæſt. 4.

Quæſt. 8.

Et cõiungitur iſta terra Iordani, ſcilicet, quod Iordanis eſt terminus occidentalis terræ Moab, Deut. 2. & 3. & ipſe Iordanis eſt terminus orientalis terræ Chanaan, in qua habitauerunt Iſraelitæ, Num. 34. Ideo iſtæ duæ terræ coniunctæ erant, & ſic facilè erat Iſraelitis tranſire ad terram Moabitarum ad peregrinandum ibi. *Cum vxore ſua, & duobus liberis.* Vxor ſua vocabatur Noemi, & duo filij ſui Mahalon, & Chelion, vt patet in litera. *Ipſe vocabatur Elimelech.* Quia poſteà de iſtis in hiſtoria agendum eſt, ponuntur hic nomina eorum, & prius nomen viri, ſcilicet Elimelech, qui erat vnus de præcipuis viris vrbis Bethlehem. *Et vxor eius Noemi.* Iſta ſuperſtes

Iordanis eſt terminus occidentalis terræ Moab.

fuit

A fuit post peregrinationem viro,& filijs mortuis,vt patet in litera. Et interpretatur Noemi pulchra, vt patet infrà in litera, scilicet,ne vocetis me Noemi,id est pulchram,sed mara,id est amaram, quia valdè amaritudine repleuit me omnipotens. *Et duobus filijs eius alter Mahalon,& alter Chelion.* Ponuntur nomina istorum, quia infrà ponũtur nomina vxorum suarum, quarum vna fuit Ruth vxor Mahalon,cuius hæc historia est, & fuerunt duæ vxores eorum Orpha, & Ruth,vt patet infrà in litera. *Ephratæi.* Id est omnes isti erant Ephratæi. *De Bethlehem Iuda.* Idem est Ephratæi,& de Bethlehem, quia Ephrata, & Bethlehem est idem locus: sed de Ephrata infrà dicetur in
Quæst. 8. quadam quæstione. Et vocatur Bethlehem Iuda ex causa suprà assignata. *Ingressi itaq; regionem Moabitidem morabantur ibi.* Scilicet,quia in regione Moab non erat fames, sicut in terra Israël, & volebant ibi manere tempore famis, & ista peregrinatio fuit decem annorum,vt patet infrà in litera. *Et mortuus est Elimelech maritus Noemi.* Scilicet,durante ista peregrinatione decem annorum, sed in qua parte istius temporis mortuus fuerit, non apparet. Quod autem mortuus fuerit isto tempore patet, quia quando reuersa est Noemi in terram suam,dixit quòd rediret vacua viro,& filijs, infrà in litera: & tamen dicendum, quòd aliquanto tempore ante finem istorum annorum decem mortuus fuerit, quia immediatè dicitur in litera: Remansit ipsa cum filijs suis in regione Moab, nisi decem annis,vt patet in litera: ergo ante finẽ decem an-
B norum aliquanto tempore mortuus fuit Elimelech. *Remansitq; ipsa cum filijs suis.* Scilicet, quia nondum cessauerat fames in terra Israël,& propter illam peregrinabatur in terram Moab ipsa Noemi. *Qui acceperunt vxores Moabitidas.* Erant enim in regione Moab, & non poterant accipere vxores de alijs regionibus. *Quarum vna vocabatur Orpha.* Ista fuit vxor Chelion, & mansit in Gentilitate eunte Ruth cum Noemi ad terram Israël. *Manseruntq; ibi decem annis.* Scilicet Noëmi, & filij sui: nam Elimelech vir Noemi multo prius mortuus est. *Et ambo mortui sunt Mahalon videlicet,& Chelion.* Scilicet, post patrem suum Elimelech mortui sunt,& nõ dicitur hic de morte patris, quia de illa suprà dictum est. *Remansitq; mulier orbata duobus liberis, & marito.* Omnino erat iam orbata Noemi post mortem mariti sui & duorum filiorum,quia nihil aliud ad se pertinens habebat in regione illa, ideo illicò habuit occasionem redeundi in terram suam Israël.

Quare hic dicitur, quòd in diebus vnius iudicis accidit historia ista Ruth, cùm in initijs aliorum librorum Scriptura tempus ponere non consueuerit.

Qvæstio I.

Qværetvr circa primum, quare dicitur hic,quòd in diebus vnius iudicis accidit historia ista Ruth: nam in
C principijs aliorum librorum non consueuit poni tempus,qñ facta est historia illorum?

Respondendum, quòd sacra Scriptura vult dare certitudinem de omnibus rebus,quæ in ea enarrantur, & quia scire tempora rerum gestarum multum cõfert ad sciendum, quid est ipsum,quod factum est ex circumstantijs temporis: Scriptura vult dare cognitionem de tempore rerum gestarum, vnde in omnibus libris aliquid est, per quod de historia illorum librorum cognoscitur quando fuerit. Pro quo sciendũ, quòd librorum sacræ Scripturæ quidam continent dicta, & quidam historias. In illis qui continent dicta,nõ opo ni annotationes temporum: quia per ipsam personam cu dicta sunt cognoscentur tempora librorum: sic patet de Prouerbijs,Ecclesiaste,& Canticis canticorum,qui sunt libri Salomonis,& nõ apponitur eis tempus: quia scito ex libris Regum,quo tempore fuit Salomon, scietur de doctrina eius: sic est in omnibus libris noui testamenti,scilicet quatuor Euangelijs,& Epistolis omnibus,& canonicis,& Actibus Apostolorum,& Apocalypsi: nam cognitis temporibus Christi, & Pauli,cæterorumque Apostolorum,quod idem tempus fuit, scietur tempus omnium scripturarum istarum: ideo non cõsueuit poni in istis scripturis aliquod tempus, nisi aliquando ad notificandum ipsum cuius fuit doctrina, vel de quo agitur, vt patet Luc. 1. & Luc. 3. iste etiam modus obseruatur in omnibus prophetijs Prophetarum maiorum, & minorum: nam in principio cuiuslibet eorum, ponitur quo tempore ille prophetauerit, cuius totus ille liber est. Alij autem sunt libri historici. Et isti se habent dupliciter: nam quidam eorum continent historiam, de qua notum est, quo tempore fuerit propter continuationem librorum inter se, & in istis nõ annotatur tempus: in alijs autem non cognoscitur per se, de qua historia,quo tempore fuerit,& de istis ponitur,quo tempore fuerint. De primis patet,sicut in Genesi,qui est liber historicus,non oportuit poni,quo tempore ista historia cœperit,quia seipsam notificat,cùm agat de exordio seculi. In principio Exodi,non annotatur tempus, quia ex fine Gen. patet, quo tempore cœperit Exodus. Idem patet de Leuitico, & libro Numerorum,& Deuteronomij: idem de libro Iosue,qa finis libri Deuteronomij, & principium libri Iosue idem est, vt colligitur considerando vtrumq;. Sic etiam de libro Iudicum respectu libri Iosue, quia finis Iosue est principium libri Iudicum. Sic etiam de libris Regum, ad librum Iudicum, & de libris Paralipom. nam isti ostendunt tempora ex cõtinuationibus suis,ideo non oportet in istis poni tempora in principijs ipsorum. Alij sunt libri historici, qui non habent continuationem ad præcedentes: vnde ex hoc non potest cognosci tempus historiæ,& in his necesse est,quòd in principijs librorum assignentur tempora ipsorum. Sic patet de libro Esther,& de lib. Iudith, & Tobiæ, & Machabæorum, nam in his omnibus præponuntur aliqua tempora, per quæ cognoscitur de ipsis historijs,quo tempore fuerint: ita fuit in isto libro Ruth; nam Ruth est persona, de qua hic agitur,& non erat persona tam famosa in scriptura,vt ex alio loco posset cognosci tempus eius. Etiam ista historia non est dependens ex alijs historijs aliorum librorum præcedẽtium, vel sequentiũ, sicut est in libris Regum, & Paralip. & quinque libris Moysi: ideo vt sciretur quo tempore fuerit ista historia, oportuit quòd in principio eius designaretur tempus, & sic dicitur hic,quòd in diebus vnius iudicis fuit, & tamen non dicitur, quis iudex fuerit iste, quia videbatur hoc sufficere ad aliqualem cognitionem de tempore huius historiæ.

Quis fuit iste iudex, sub quo accidit historia Ruth.

Qvæstio II.

Qværetvr vlteriùs, quis fuit iste iudex, sub quo accidit historia Ruth?

Respondet Magister in historia Scholastica,quòd iste fuit Heli summus sacerdos,qui erat de sacerdotib⁹ de stirpe Ithamar, ad quos non pertinebat summum sacerdotium, & ipse vsurpauit sibi illud, & cum eo etiam fuit iudex Israël,& tempore eius fuit Ruth,& quæ dicuntur hic. Et multi tenent istã positionem,& nos eam aliquando referimus.

Sed dicendum, quòd positio ista, quantum ad vnam partem, scil. quòd Heli vsurpauerit sibi summũ sacerdotium cũ iudicatiuo principatu, falsa est: nam fuit voluntate, & iussu Dei factum: vnde promisit ei Deus sacerdotium in æternũ, vt patet 1. Reg. 2. scil. Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret coram me in æternum,nunc autem dicit Dominus absit hoc à me,sed quicunq; glorificauerit me, honorificabo eum: & qui contemnunt me,erunt ignobiles. Quod autẽ esset de domo Ithamar ipse Heli,& quòd non pertineret summum sacerdotium ad istam domum, verum est: nam pertinebat summum sacerdotium ad primogenitos,vt patet Leuit. 21. & primogenitus Aaron de superstitibus fuit Eleazari,ideo ad eum, & filios suos pertinebat sacerdotium summum, & ipsum iussit Deus fieri sacerdotem summum,moriente Aaron, Nu. 20. c. & in ista stirpe durauit vsq; ad tempora Heli in fine temporis iudicum, & tunc Deus abstulit filijs Eleazar sacerdotium,quia pessimi erant, & voluntate Dei,& populi datum est ipsi Heli,qui erat de stirpe Ithamar,& manere debebat in domo eius in æternum,nisi peccaret: & quia peccauit ipse,& filij sui, translatum est sacerdotium tempore Salomonis ad filios Eleazar,qui prius illud tenebant,scil. quando Abiathar ejectus est de summo sacerdotio,3. Reg. 2. & hoc prænunciatum fuerat 1. Reg. 2. Quòd autem iudicante isto Heli fuerit historia Ruth, est positio multorum,& sic tenet Iosephus 5. Antiq. c. 11.

Dicendum tamen videtur,quòd non fuerit Heli,sub quo accidit ista historia,sed aliquis alius iudex multo ante cũ. Et

D

E

F

De Ruth persona hic agitur.

Quare in quibusdã libris sacræ scripturæ tempora non annotãtur.

Heli erat de stirpe Ithamar.

Doc. respon. ad quæsitũ

A patet hoc, quia Heli iudicauit solùm quadraginta annis, vt patet 1.Reg.4.& post eum iudicauit Samuel, cuius tempora, & Saulis succedentis ei fuerunt quadraginta annorum, vt patet Actuum 13. & mortuo Saule successit Dauid: subtrahantur ergo de istis octoginta annis triginta, quos habebat Dauid, moriente Saule: nam mortuo Saule illicò Dauid constitutus est rex super Iudam, 2.Reg.2. & erat tunc annorum triginta, 2.Reg.5. manebant quinquaginta anni: subtrahantur ergo anni plus quàm decem pro peregrinatione Elimelech, & Noemi, antequam Booz gigneret Obed ex Ruth, quia dato, quòd prima die, qua cępit iudicare Heli, inciperet peregrinari Elimelech subtraherentur decem anni, quibus durauit peregrinatio, & post peregrinationem dato, quòd Booz illicò acciperet Ruth in vxorem, adhuc transiret quasi vnus annus priusquam ex ea gigneret Obed: qui tollantur de quinquaginta, manebunt solùm triginta nouem anni, qui transirent à natiuitate Obed, vsq; ad natiuitatem Dauid. Sed istud non est vllo modo tenendum, nec quasi possibile. Quod patet, quia Obed fuit auus Dauid, scil. pater Isai: & quando Obed gigneret Isai patrem Dauid, esset saltem annorum viginti, vel quasi: quia illo tempore nō contrahebātur matrimonia in tam parua ætate: manent ergo decem & nouem anni à natiuitate Isai, vsque ad natiuitatem filij sui Dauid. Sed hoc non stat, quia Isai erat vir magnæ ætatis, quando Dauid erat paruulus: nam habuit Isai septem filios, & octauus, & minor fuit Dauid, vt patet 1.Reg.16.& 17.& 1.Paralip.2. ideo necesse erat quòd in natiuitate Dauid esset Isai plusquam decem & nouē annorum. Tenent ergo Hebræi, quòd non fuerit iste iudex Heli, sed alius, scilicet, Abesan. Et magis adhuc procedit ista probatio tenendo viam Iosephi, qui ponit decem & octo annis fuisse peregrinationis Elimelech in terra Moab, vt patet, quinto Antiquitatum. Volunt ergo, quòd iste iudex fuerit Abesan, & quòd ille sit idem, quod Booz, de quo dicitur in libro isto, quod accepit Ruth in vxorem, & hoc quia consonat aliqualiter: nam Booz fuit de vrbe Bethlehem de tribu Iuda, vt patet seq.ca.& infrà 3.& 4. & Abesan fuit etiam de stirpe eadem, & vrbe, Iud.12.& ex tunc poterit esse conuenienter tēpus progenici Obed, & Isai, & Dauid: eo quòd Abesan cœpit iudicare ante Heli 45.annis. Nam post Iephte Galaaditem iudicauit Abesan septem annis, & post Abesan ipse Ahialon decem annis, & post ipsum Abdon octo annis, vt patet de omnibus Iud.12. qui sunt 25. anni, & post Abdon ipse Samson viginti annis, Iud.13.& 16.& sic poterat esse in diebus Saulis Isai pater Dauid grandæuus, scilicet quando Dauid esset paruulus vadens ad bellum contra Goliath, 1.Reg.17. Nā secundùm priorem positionem dando, quòd fuisset illud tēpore Heli sacerdotis, sequebatur, quòd Isai pater Dauid esset annorum decem & nouem, quando nasceretur Dauid: nunc verò addendo quadraginta quinque annos, ponendo fuisse tempore Abesan esse posset Isai in natiuitate Dauid annorū sexaginta quatuor, & istud est conuenienter dictum. Etiam istud confert ad genealogiam Saluatoris, vt declarabitur infrà 4.c. in fine, in quadam quæstione.

Isai 7. habuit filios.

B

C Sed tunc obijcietur, quia hic dicitur, quòd decem annis peregrinatus est Elimelech in terra Moab tempore vnius iudicis, & tamen Abesan non iudicauit nisi septem annis, Iud. 12. ideo non potuit esse tempore suo.

Dicendum quòd hoc non obstat, quia cùm dicitur, quòd in diebus vnius iudicis facta est ista peregrinatio, nō refertur nisi ad inceptionem, scil. quòd tempore illius inchoata est, licèt finita fuerit tempore alterius, & sic finiretur tempore Ahialon, qui successit ei, eod. cap. Quod tamen Abesan sit id, quod Booz, quod Iudæi asserunt, non apparet aliquod motiuum, sed sola voluntas.

Quot fuerunt hi iudices, & quanto tempore præfuerunt.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm dicatur hic, quòd ista historia fuit quando iudices præerant in Israël, quot fuerunt istu iudices, & quanto tempore præfuerunt?

Respondendum, quòd tempus Iudicum cœpit post tempora Iosue, vt patet Iud.1.c.& computantur sub iudicibus anni trecenti, & septuaginta, & sex: quod patet: ab exitu de Ægypto vsq; ad fundationem templi Moysi fuerunt anni quadringenti, & octoginta, 3.Reg.6. à quibus subtrahantur quadraginta anni ab exitu de Ægypto vsq; ad introitum in terrā Chanaan, & anni viginti quibus regnasse dicitur Saul, q fuit illicò post vltimum iudicem, scil. Samuelem, & quadraginta anni, quibus regnauit Dauid, & anni quatuor quibus regnauerat Salomon, quando fundatum est templum, 3.Reg.6. qui sunt centum & quatuor anni, manebunt anni trecenti septuaginta & sex, qui sub iudicibus, & Iosue continentur: non ascribuntur autem aliqui anni ipsi Iosue, sed computantur omnes sub iudicibus, vt infrà magis dicetur. Et dicendum est de iudicibus, quòd fuerunt quindecim, vel decem & sex computando Debboram, quæ fuit mulier, scil. Hothoniel, Aod, Samgar, Debbora, Barac, Gedeon, Abimelech, Iair, Thola, Iephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, Samuel. Et Hothoniel iudicauit terram quadraginta annis computando sub eo tempus, quo quieuit terra, Iud. 3. Nam iste modus computandi est in omnibus iudicibus, vt ibidem declaratum est: Aod iudicauit terram octoginta annis, eod.cap. tempore Samgar, qui fuit tertius iudex, non ponuntur: quia supputantur temporibus Aod, vel Barac, sub Barac, & Debbora computantur quadraginta anni, vt patet Iud. 4. sub Gedeone alij quadraginta anni, Iud.8. sub Abimelech tres anni, Iud. 9. sub Iair computantur viginti duo anni, Iud. 10. & sub Thola 23. eod. cap. sub Iephte sex anni, Iud. 12. & ante Iephte fuerunt decem, & octo anni, qui non computantur sub aliquo iudice, de quibus Iud.10.& ibi patet: post Iephtè iudicauit Abesan annis septem, Iud.12.& post eum Ahialon annis decē, & post ipsum Abdon annis octo, eod. cap. & postea Samson viginti annis, Iud. 13.& 16. & postea Heli quadraginta annis, 1.Regum 4.& postea Samuel annis viginti, vel parum plus, vt colligitur 1.Reg.7.& post eum cœpit Saul gubernare populum, qui fuit primus rex Israël, & isti anni simul sunt 376. vt patet coniungendo omnes istos annos: tanto tempore iudices prę fuerunt in Israël, & postea secuti sunt Reges.

D

Iudices qui fuerunt in Israel

E

Quare fames orta est, quæ fuit hic, & an steterit sol tempore isto ostendendo famem, vt Hieronymus dicit.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR vlteriùs, de causa istius famis, propter quā Elimelech peregrinatus est in terra Moab?

Respondet Hierony. vt habetur glos. ordin. 1. Paralip. 4. quòd tempore isto fuerunt in Israël magna scelera, & Deus volens ostendere indignationem suam, vt auerterentur à vijs suis pessimis, fecit stare solem, & tamen, hoc non obstante, non cessauerunt Israëlitæ ab iniquitatibus, ideo Deus misit magnam famem in terra, ita vt Elimelech, qui erat de nobilioribus vrbis Bethlehem, cogeretur peregrinare in terra Moab. Istud colligit Hieronymus, quia 1. Paralip. 4. dicitur, qui stare fecit Solem, vt intelligit hoc Hieron. de Elimelech, quia subditur, securus, & incedens, qui principes fuerunt in terra Moab, & reuersi fuerunt in Bethlehem, & conuenit istud Elimelech, & filijs suis, qui fuerunt de Bethlehē, & principati sunt, vel manserunt in terra Moab, & ipsi fuerunt de stirpe Iuda, de qua ibi agitur.

F

Improbatio opinio. Hiero.

Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia si tale miraculum accidisset, cùm istud esset nimis admirandum, poneretur in ista historia, & tamen nihil tale ponitur hic, ideo non est credendum, quòd fuerit. Et cùm dicitur 1.Paralip.4. qui stare fecit solem: non est sensus, quòd aliquis fecerit stare solem, sed sunt ibi in Hebræo nomina propria, quæ possunt æquiuocari, & adduci aliqualiter ad sensum, quem intendit litera nostra, sicut declaratum est: & dato quòd esset verum, quòd stetisset sol, non conueniret illud isti Elimelech, de quo hic agitur, nec filijs eius, vt ibidem probatū est. Dicendum ergo est, quòd accidit fames, sicut aliàs accidere solet, non præuenien te aliquo tali signo, & tunc Elimelech iuit ad peregrinādum in terra Moab. Dicunt aūt Hebræi de Elimelech, quòd erat ditissimus inter viros Bethlehem, erat tñ nimis auarus, cùm in ista magnitudine famis multi conuenirent ad eum ad petendum, nolebat eis dare quidquam, & molestabant eū sæpè petendo, & vt non molestaretur recessit de Bethlehem vadēs in terram Moab. Et dicunt, quòd quia ex mala causa exiuit

Doc. respon. ad quæstiō Hebreorum opin.

Elime-

A Elimelech de terra ad peregrinandum, mortuus est ipse, & duo filij eius in peregrinatione. Et hoc colligunt ex verbis Noemi, quæ dixit: non vocetis me Noemi, id est pulchram, sed mara, id est amaram, quia amaritudine repleuit me valdè omnipotens, egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus: cur ergo vocatis me Noemi? quam humiliauit Dominus, & afflixit omnipotens. Et iterum dixit: Egressa est manus Domini contra me. Sed istud non apparet, nec est motiuum istud aliquale, quia quòd Noemi sic humiliata erat à Deo plaga eius in eo, quòd vir suus, & filij mortui erant, & ad hoc, quòd ipsa puniretur ex morte eorum, non differebat, an ipsi morerentur propter peccatum, vel innocenter: non ergo significauit Noemi causam mortis Elimelech, & filiorum eius, sed solùm afflictionem suam ex morte ipsorum. Dicendum ergo videtur, quòd ista famis fuit grauis, & Elimelech dato, quòd esset vir diues, & nobilis coactus est exire de terra, quia fortè habebat familiam multam, & non poterat prouidere ei in terra Israël propter angustiam temporis.

An fuerit fames vniuersalis, vel particularis.

Qvæstio V.

B Qværetvr vlteriùs de ista fame, an fuerit vniuersalis, vel particularis. Nam aliquando est fames generalis in toto orbe, vt tempore Claudij Imperatoris, quæ prænunciata est per Prophetam Agabum, vt patet Actuum vndecimo. aliquando est fames particularis, scilicet solum in aliqua regione.

Respondendum circa hoc, quòd fames potest dupliciter prouenire, scilicet, naturaliter, aut supernaturaliter. Si primo modo, scilicet, vt solùm sit ex causis naturalibus operantibus cœlis, dicendum est, quòd impossibile est esse famem in toto orbe. Causa est, quia fames, vel quæcunque alia passio, vel effectus naturaliter inductus ex actione corporum cœlestium, fit ex certo aspectu planetarum, & radiatione: sed impossibile est, quòd planeta nociuus habeat eundem aspectum simul ad totum orbem, ideo nullus effectus omnino idem potest simul causari naturaliter in toto orbe. Si autem supernaturaliter eueniat, non est difficilius esse in toto orbe, quàm in aliqua parte eius: quia potestas Dei æqualiter se extendit ad totum orbem, & ad singulas eius partes, & quia naturaliter non potest esse vniuersalis penuria, & fames, raro legitur, quòd fuerit fames vniuersalis. De particulari autem sæpè legitur. De ista fame dicet aliquis, quòd non constat an esset vniuersalis, vel specialis, eo quòd Scriptura non exprimit. Sed dicendum, quòd non stat: nam necesse est, quòd fuerit ista fames particularis, quia si esset generalis, non iretur ab vna terra in aliam ad defensionem à fame, quia in omnibus esset fames: & tamen iste Elimelech peregrinatus est in terra Moab propter famem, quæ erat in Bethlehem, ideo erat fames particularis.

Impossibile est, quòd sit fames vniuersalis in toto orbe naturaliter loquendo

C Dicendum etiam, quòd erat fames nimis particularis: nã erat terra Israël solùm, & non extendebatur ad prouincias coniunctas: nam terra Moabitarum erat, in qua peregrinatus est Elimelech nunc, & ista est coniuncta terræ Israël. Nam terra Moab habet Iordanẽ ad partẽ occidentalẽ, vt colligitur Deut. 3. & Iudic. 3. cùm vada Iordanis transmittant ad terram Moab, & tamen Iordanis est terminus Occidentalis terræ Chanaan, in qua morabantur Israëlitæ? Num. 34. etiam quia terra duarum tribuum, & dimidiæ, quæ erat ad Orientẽ Iordanis erat terra Moabitarum, vt patet Num. 21. & petiuerunt eam tempore Iephte Moabitide, & Ammonitæ. Iud. 11. ideo solùm erat ista fames in terra Israëlitarum, vel saltem non extendebatur per alia regna in circuitu, cùm non esset fames in terra Moab, quæ erat coniuncta terræ Israël.

An Elimelech & eius filijs liceret in terra Moab habitare, vel semper manere.

Qvæstio VI.

Qværetvr vlteriùs, cùm dicatur hic de Elimelech, & filijs suis, quòd iuerunt ad peregrinandum in terra Moab, an liceret eis ibi habitare, vel semper manere.

D Respondendum, quòd licuit istis manere extra terram Israël tempore isto, quia erat fames, & non poterant manere commodè in terra Israël, & si fames vrgeret terram semper dum isti viuerent, licebat eis semper manere extra terram Israël in terra Moab. Si tamen cessaret fames, non licebat manere in terra illa, & quomodocunq; se haberet non licebat istis ire in terram Moab animo manendi ibi semper. Nam licèt semper duraret fames, dum isti viuerent, adhuc non licebat istis habere intentionem manendi in terra Moab, sed intentio sua esset peregrinandi, scilicet, quòd adueniente fertilitate redirent in terram suam. Et hoc modo nunquam dicerentur habitare in terra Moab, quia animus requiritur ad cõstituendum domicilium, & qui habet intentionem recedendi, etiam si in æternum maneat, nunquam constituit domicilium. Ratio prædictorum est, quia Israëlitæ non poterant licitè morari extra terram Israël. Primò propter periculum idololatrandi: nam conuersando cum Gentilibus alliceren-

Israelitæ nõ poterant licitè morari extra terram Israel.

tur per communicationem eorum ad colendum idola ipsorum: potissimè comedendo, & bibendo cum eis: nam interdum comederent de cibis consecratis dæmonibus, quod erat magnum scandalum, & ista fuit causa quare Deus vetuit Israëlitis communicare cum Chananæis, & accipere filias eorũ in vxores, Exod. 34. & Deut. 7. Secundò, quia si habitarent Israëlitæ extra terram Israël obliuiscerentur cæremoniarum legis propter dissuetudinem, eo quòd cæremoniæ legis, scil. sacrificia, & similes non fiebant nisi in terra Israël, vbi erat Sanctuarium, & propter hoc non obseruant nunc Iudæi istas cæremonias, & tamen intentio Dei erat, quòd non obliuiscerentur mandatorum legis, sed assuefierent eis: & meditarentur semper in ipsis, vt patet Deut. 6. ergo non licebat eis morari extra terram Israël. Tertiò, quia Deus iusserat Israëlitis, quòd ter in anno in tribus festiuitatibus ascenderent ad locũ Sanctuarij, Exod. 23. & 34. & Deut. 16. & sic habendo intẽtionem semper manendi in terra Gentilium, peccarent, quia non possent complere legem: ita nunc dicendum, quòd isti non peccauerunt manendo decem annis in terra Moab, quia vrgente fame illùc iuerunt, & solùm manserunt ibi quamdiu fames durauit, postea verò reuersa est Noemi, audito, quòd non esset fames in terra Israël, vt patet in litera.

E

An tempore quo mænebant isti in terra Moab obligabantur venire in Sanctuarium ter in anno.

Qvæstio VII.

Qværetvr vlteriùs, an tempore, quo manebant isti in terra Moab obligabantur venire in Sanctuarium ter in anno: nam Deus iusserat, quòd ter in anno appareret apud eum omne masculinum de progenie Israëlitarum, Exod. 23. & 34. & Deut. 16.

F Aliquis dicet, quòd istud intelligebatur de existentibus in terra Israël: existentes autem extra in terra Gentilium, non obligabantur venire aliquo tempore.

Dicendum, quòd non solùm existentes in terra Israël, sed etiam foris obligabantur venire ad templum Domini ter in anno, si non erant necessariò impediti, & hoc saltem in festo Phase, vt patet Num. 9. cùm dicitur, quòd omnes Israëlitæ celebrarent Phase quartadecima die mensis primi ad vesperũ, nisi quis esset immundus, vel longè in via constitutus, quia isti tenebantur die quartadecima mensis secundi facere Phase, ergo impediti necessariò excusabantur: tamen tenebantur facere postea, quod prius non fecerant. Item patet, quia si existentes extra terram Israël quomodocunque excusarentur venire ad Sanctuarium ter in anno, posset fieri fraus legi, quia quilibet se posset tempore illarum festiuitatum transferre in terram Gentilium, & sic non posset coarctari ad veniendum, & nullus sic veniret ad solennitates. Item patet, quia manifestum est, quòd existentes intra terram Israël tenebantur venire ad istas festiuitates: nec aliquis dubitat de hoc, & tamen eadem causa erat de existentibus in terra Israël, & extra, cùm non haberent existentes extra aliquam excusationem necessariam, si non incurrebat eis aliquod impedimentũ magnum: ergo etiam existentes extra, tenebantur venire si non essent impediti. De istis, scil. Elimelech, & filijs suis, erat nunc dubium, an tenebantur venire, & veniebant.

Et di-

A

Et dicendum, quòd nõ veniebant, nec fortè in toto isto tempore decem annorum illùc aliquando iuerant. Et patet, quia duo filij Elimelech acceperunt vxores Moabitidas, scilicet, de terra, in qua peregrinabantur: erat tamen hoc contra legem, vt infrà declarabitur in quadam quæstione: ergo accipiebant eas in defectum, scilicet, quia non poterant habere vxores de terra Israël: si tamen quolibet anno ter in festiuitatibus consueuissent isti venire in locum Sanctuarij, possent accipere vxores de terra Israël, ideo videtur, quòd non veniebant in templum in festiuitatibus istis. Tunc est dubium, an isti peccarent non veniendo, quia isti non erant viri perfecti, quos oporteat excusare à peccato. Potest dici, quòd isti non peccauerunt, eo quòd habebant causam iustam non veniendi, scilicet, quia erat fames valida in terra Israël, & fortè non possent habere cibos veniendo de terra Moab ad templum, & ista erat causa sufficienter excusans.

Quomodo dicitur hic, quòd Elimelech, & sui filij erant de Bethlehem Iuda, &c.

Qvæstio VIII.

Qværetvr vlteriùs, quomodo dicitur hic, quòd Elimelech, & filij sui erant de Bethlehem Iudæ, & postea dicitur, quòd erant Ephratæi.

B

Aliqui dicunt, quòd vocabantur Ephratæi, id est de tribu Ephraim: sic patet Iud. 12. vbi quærebatur in transitu cuiusdã fluminis, an transeuntes essent Ephratæi, & omnes Ephratæi occidebantur, & vocabãtur ibi Ephratæi de tribu Ephraim.

Sed dicendum, quòd non stat, quia isti erant de tribu Iuda: nam erant de Bethlehem, quæ erat in sorte Iudæ, vt patet in litera. & sic habitatores huius vrbis essent de eadem tribu. Item patet hoc, quia Elimelech, & duo filij eius erant cognati Booz, vt patet infrà 3. nam propter hoc iure propinquitatis accepit Booz Ruth vxorem Maalon, & omnia, quæ ipsius fuerant, vt patet ibidem: & tamen Booz erat de stirpe Iuda, vt patet infrà 4. & Matth. 1. ergo Elimelech erat de tribu Iuda, & non de tribu Ephraim. Vnde non vocatur ipso modo Ephratæus. Sed vocatur Ephratæus ab vrbe Ephrata: nã Bethlehem vocabatur Ephrata, & Bethlehem, vt patet Michææ 5. & Gen. 47. Dicunt autem Iudæi, quòd vocabatur ista ciuitas Ephrata ante hoc semper, & nunc cessante ista fame, tanta copia frugum fuit, quòd vocata est Bethlehem, id est domus panis. Sed istud non stat, quia ante istud tempus vocabatur ista ciuitas Bethlehem, vt patet Gen. 47. vbi dicitur de Ephrata, hæc est Bethlehem, & tamen liber Gen. fuit scriptus per Moysen, cùm sit primus de quinque libris Moysi, ideo tempore Moysi vocabatur adhuc locus ille Bethlehem, & Moyses fuit multo tempore ante istam famem, scil. plus quàm trecentis annis, vt patet computando tempora Iudicum incipiendo ab exitu de Ægypto, sicut declaratum fuit suprà in quadam quæstione. Non ergo cœpit nunc nouiter vocari Bethlehem ciuitas ista. Item patet, quia si sic fuisset, cessasset nunc nomen Ephrata, & vocaretur solùm Bethlehem, & tamen vocabatur simul vtroq; nomine, scil. Bethlehem Ephrata, vt patet Michææ 5. & hic est, cùm dicatur prius, quòd erant isti viri de Bethlehem Iudæ: deinde dicatur, quòd erant Ephratæi.

C

Dicendum ergo, quòd habuit simul hæc duo nomina ciuitas ista, ideo aliquando vocabatur vno nomine, & aliquando alio, & aliquando vtroque: interdum ponebatur vnum ad notificandum aliud, sicut est nomen Ephrata, erat quibusdã magis ignotum, & notificabatur per Bethlehem: sic patet Genes. 47. cùm dicitur: in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Interdum ponitur Ephrata ad notificandum Bethlehem propter differentiam, scilicet erat duplex Bethlehem, quædam in sorte Iudæ, & alia in sorte Zabulon, Iosue 19 & vt non intelligatur de Bethlehem tribus Zabulon, dicitur Bethlehem Ephrata, vt patet Michææ 5. scil. Et tu Bethlehẽ Ephrata. Etiam patet, quod ponatur istud ad notificandum, quia Matth. 2. Et tu Bethlehem terra Iuda, quasi eadem notificatio fiat per vtrunque. Patet, quia etiam hic ponitur primò, quòd erant de Bethlehem terræ Iuda, & postea dicitur, quòd erant Ephratæi, quasi idem sit vtraque. Quod autem istorum duorum nominum prius fuerit impositum isti vrbi, vel an ambo simul fuerint imposita, non apparet.

Deter. quæst.

duplex erat Bethlehem.

1 Improbat. opinionẽ Iudæorũ.

D

Quo tempore mortui fuerunt filij Elimelech mariti Noemi.

Qvæstio IX.

Qværetvr vlteriùs, de Elimelech marito Noemi, quo tempore mortui fuerint filij eius?

Dicendum, quòd tempus totius peregrinationis Israëlitarum istorum in terra Moab fuit decem annorum, vt patet in litera, & in istis mortui sunt omnes isti. Nam consummatis decem annis redijt Noemi de terra Moab orbata viro, & filijs. de patre tamen, scil. Elimelech dicendum, quòd mortuus est ante filios, quia hic dicitur, quòd mortuus est: & deinde dicitur, quòd filij eius acceperunt vxores Moabitidas. Et dicendum, quòd Elimelech mortuus est in principio istius peregrinationis: quod patet, quia totum tempus peregrinationis fuit annorum decem, vt patet in litera, & tamen dicitur, quòd mortuus est Elimelech, & acceperunt filij eius vxores Moabitidas, & manserunt ibi decem annis, & ambo mortui sunt: ergo post mortem Elimelech manserunt filij eius decem annis in terra Moab, vel quasi: & non posset hoc stare, nisi mors Elimelech fuisset in principio peregrinationis, quia aliàs oporteret, quòd ista peregrinatio esset plus quàm decem annorum, quod falsum esset. De filijs autem Elimelech dicendum, quòd mortui sunt in fine annorum decem, vel quasi. Quod patet, quia dicitur hic, quòd mortuo Elimelech, duo filij eius acceperunt vxores Moabitidas, manseruntque ibi decem annis, & mortui sunt. Et sic dicendum, quòd in fine peregrinationis mortui sunt isti duo. Quod patet, quia mortui sunt post decem annos, & tamen peregrinatio solùm durauit decem annis. Item patet, quia dicitur quòd reuersa est Noemi post decem annos, scilicet, quia ipsa mansit in terra Moab quamdiu habuit sibi aliquos auxiliatores, & charos. Mortuis tamen filijs, non habebat aliquos amicos, nec auxiliatores: nam iam mortuus fuerat vir eius Elimelech: ideo verisimile est, quòd immediatè post mortẽ istorum filiorũ suorum reuerteretur Noemi de terra Moab, & tamen non reuersa fuit, nisi completis annis 10. vt patet in litera: ergo ante istud tempus non fuit mors filiorum eius.

E

Deter. quæst.

F

Et surrexit, vt in patriam pergeret cum vtraque nuru sua de regione Moabitide. Audierat enim, quòd respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ cum vtraque nuru, & iam in via reuertendi posita in terram Iuda, dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ: faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, & mecum: det vobis inuenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis: & osculata est eas. Quæ eleuata voce flere cœperunt, & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum. Quibus illa respondit: Reuertimini filiæ mi: cur venitis mecum? Num vltra habeo filios in vtero meo, vt viros ex me sperare possitis? Reuertimini filiæ mi, & abite: iam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali. Etiam si possem hac nocte concipere, & parere filios, si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, antè eritis vetulæ quàm nubatis? Nolite quæso filiæ mi facere hoc, quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me. Eleuata igitur voce rursum flere cœperunt. Orpha osculata est socrum, ac reuersa est: Ruth adhæsit socrui suæ. Cui dixit Noemi: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos, vade cum ea. Quæ respondit: Ne aduersẽris mihi, vt relinquam te, & abeam. Quocunque enim perrexeris, pergam, & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus: quæ te terra susceperit morientem, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ: hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit. Videns ergo Noemi, quòd

obsti-

A *obſtinato Ruth animo decreuiſſet ſecum pergere, aduerſari noluit, nec ad ſuos vltrà reditum perſuadere. Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem. Quibus vrbē ingreſſis, velox apud cunctos fama percrebuit, dicebantq; mulieres: Hæc eſt illa Noemi Quibus ait: Ne vocetis me Noemi, id eſt pulchram, ſed vocate me mara, id eſt amaram, quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens. Egreſſa ſum plena, & vacuam reduxit me Dominus: cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliauit, & afflixit omnipotens? Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru ſua de terra peregrinationis ſuæ, ac reuerſa eſt in Bethlehem, quādo primùm hordea metebantur.*

Ruth conuerſio.

Et ſurrexit. Hic ponitur ſecundum huius ca. ſcil. Ruth cōuerſio: Nam redeunte Noemi in terram Iſraël venit cum illa Ruth nurus ſua, & tunc conuerſa eſt ad cultum Dei, & dicitur: *Et ſurrexit, vt in patriam pergeret.* Scilicet, conſummata iam fame voluit redire Noemi in terrā ſuam, ſcil. in Bethlehem. *Cum vtraq; nuru ſua.* Scilicet, cum Ruth, & Orpha, & non eſt iſta determinatio illius verbi, pergeret, quia tunc eſſet ſenſus, Noemi voluit pergere in patriam ſuam cum vtraq; nuru ſua. Et falſum eſt, quia potius ipſa Noemi perſuadebat vtriq; nurui ſuę, quòd redirent in terram ſuam, vt patet in litera infrà: ſed eſt determinatio illius verbi, ſurrexit, ſcil. ſurrexit Noemi cum vtraque nuru ſua, & hoc verum eſt, quando Noemi incepit redire, vtraq; nurus ſua veniebat cum illa, vt patēt in litera. *De regione Moabitide.* In qua manſerat per decem annos, peregrinando tempore famis, vt patet ſuprà in litera. *Audierat enim, quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum.* Hic ponitur cauſa, quare redijt Noemi in terram Iſraël, ſcil. quia audierat, quòd Deus reſpexerat populum ſuum, ſcil. Iſraëlitas miſerendo eis. Et dicitur Deus reſpexiſſe eos per metaphoram. Nam reſpicere pertinet ad hominem habentem anteriora, & poſteriora: & oculos quibus reſpicit. Deus autem eſt ſubiectum ſimplex ſpiritualis non habens anteriora, nec poſteriora, nec oculos, vel aliquas partes corporeas, ſed eſt metaphora ad ſimilitudinem eorum: quę videmus in homine: nam quando homo eſt iucundus, & gratus erga aliquos, reſpicit illos læto vultu, cùm autem iratus, reſpicit eos vultu turbato. Vel potius auertit vultum ſuum ab eis, & cùm reconciliatur eis, denuò reſpicit eos: ita nunc Deus inflixerat famem Iſraëlitis propter peccata, & ſic videbatur eis iratus, nec reſpicere eos, nūc autem cùm abſtulit famem, placatus fuit eis, & conſequenter videbatur reſpicere eos vultu hilari. Vocatur Iſraël populus Dei, quia licèt tota terra eſſet Dei, tamen Iſraëlitæ ſpecialiter pertinebant ad Deum, vt patet Deuteron. 7. & 26. & magis Exod. 19. ſcilicet: Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. *Et dediſſet eis eſcas.* Iſtud fuit anno vndecimo. Nam in decem annis præcedentibus fuerat fames, & non erant eſcæ.

Quare dicatur q̄ Deus reſpiciat homines.

Iſrael quare vocetur Dei populus

B

C

Quare nunc Noemi reuerſa eſt de terra Moab in terram Iſraël.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quare nunc Noemi reuerſa eſt de terra Moab in terram Iſraël?

Reſpondendum, quòd hoc fuit propter multa. Primò, q̄a iam ceſſauerat fames: nā propter famem venerat Noemi cū viro ſuo, & filijs in terram Moab, & quia nunc ceſſauerat fames redibat, & iſta cauſa innuitur in litera, cùm dicitur, ſcil. Audierat enim quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas. Aliqui autem dicunt, quòd fuit iſta ſola cauſa veniendi in terram Moab, ſcil. quia fames erat, ideo iſta eſſet ſola cauſa redeundi, ſcil. quia ceſſaret fames. Item patet, quia litera exprimit iſtam cauſam, & nullam aliam. Dicendū tamen, quòd aliæ fuerunt cauſæ etiam præter has. Secunda namque fuit, quia Noemi non habebat iam auxiliatorem in terra Moab. Nam prius habebat filios, & maritū, & mortuus eſt maritus, & manſit ipſa cū filijs in terra Moab: deinde mortui ſunt filij, & tunc ipſa ſola manſit: vnde non poterat conuenienter manere in terra alienigenarum, ideo redijt. Tertia cauſa creditur eſſe, eo quòd iam non maneret licitè in terra Moab. Nam non licebat Iſraëlitis habere voluntatem habitandi ſemper in terra Gentilium, vt declaratum fuit ſuprà: & quando non habebant cauſam, non manebant licitè in terra aliena: ſed iam non habebat Noemi cauſam manendi, cùm eſſet finita fames, ideo redibat: tempore autem famis licitè manebat. Cùm autem dicitur, quòd nulla cauſa fuit redeundi, niſi prima, eo quòd illa ſola fuerat cauſa eundi. Dicendum quòd nō ſequitur, quia ceſſante cauſa, ceſſat ſemper effectus, quando effectus poteſt dependere ex multis cauſis. Sic patet de captiuitate Iudæorum in Babylone: nam ſola cauſa, quare illùc ducti ſunt, & manebant ibi, fuit violentia, & tamen ceſſante violentia iſta, redierunt multi in terram Iſraël, & multi alij manſerunt in terra Babylonis, nolentes venire, vt colligitur 1. Eſdræ 1. & 2. & in alijs locis. Ita nunc quanquam propter famem ſolā iuerunt Elimelech & Noemi, & filij eius in terrā Moab, poterat eſſe quòd ceſſante fame, vellent manere ibi ex alia cauſa: cùm autem dicitur, q̄ iſta ſola cauſa exprimitur in litera: dicendum quòd non ſufficit, quia multa fuerunt, quæ non ſcribuntur, cùm ſacra Scriptura ſit breuiloqua. Aliter poteſt dici, quòd iſtud hic fuit expreſſum, ſcil. quòd redijt etiam Noemi, quia non habebat iam aliquos auxiliatores, nec amicos in terra Moab: nam, ponitur quòd mortuus eſt vir eius, & poſtea duo filij eius, & dicitur, quòd ipſa reuerſa eſt in terram ſuam.

D

E

Quomodo dicitur hic, quòd Deus dedit eſcas, quando reſpexit Iſraël populum ſuum.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo dicitur hic, quòd Deus dedit eſcas, quando reſpexit Iſraël populum ſuum: nam in hoc innuitur, quòd in decem annis famis nō fuerunt eſcæ in terra.

Reſponderi poteſt dupliciter, vno modo quòd erant aliquæ eſcæ, vel terræ naſcentia in terra Iſraël tempore iſtius famis, ſed erant tam pauca, quòd non ſufficiebant ad ſuſtentādum habitatores terræ, & erant in magna cariſtia: nihil autē, & parum, vel inutile, & quaſi nulla fuerunt terrænaſcentia in illis decē annis, vel in magna parte eorum, ſaltem vltimis diebus: & hoc quia fortè non ſeminabatur. Sic fuit in fame ſeptē annorum in Ægypto, vt patet Gen. 95. ſcil. Biennium eſt, quo fames cœpit eſſe in terra, & quinq; anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec meti: & ſic nullæ omnino eſcæ eſſent. in anno autem vndecimo cùm Deus auferret famem de terra, dedit eſcas, quia tunc cœperunt eſſe terrænaſcentia.

Egreſſa eſt itaq; de loco peregrinationis ſuæ. Id eſt de ciuitate in qua peregrinando manſerat annis decem: vel in qua ſaltē peregrinabatur hoc vltimo tempore decē annorum. *Cum vtraq; nuru.* Ambæ exierunt non ſolùm animo aſſociandi eam, vt videtur, ſed potius animo eundi cum illa in terram ſuam, vt patet ex verbis earum & ex opere aliqualiter, ſaltem in Ruth. *Et iam in via poſita reuertendi.* Scilicet, iſtæ duæ nurus, & Noemi exierunt cum ea de vrbe, in qua manſerat quouſque poſuerunt eam in via, per quam reuerſura erat in Bethlehem. *In terram Iuda.* Scilicet, in ſortem tribus Iuda. Nam erat Noemi de Bethlehem, vt patet ſuprà in litera. Et erat Bethlehem in ſorte tribus Iudæ, vt patet ſuprà in litera, & Matth. 2. *Dixit ad eas.* Scilicet, quòd reuerterentur: & non dixit antequam eſſet in via: nam quando exibat de vrbe, non prohibuit eas comitari ſe, quia iuſtum erat quòd comitarentur eam, vſquequò exiret de vrbe ad expediendum eam. Et tamen in via nō erat vtile, quòd irent cum ea, niſi proceſſuræ eſſent cum ea in terram ſuam, ideo locuta eſt tunc, quòd manerent.

F

Ite in domum matris veſtræ. Id eſt matrum veſtrarum. Aliqui putant propriè accipi, ſcil. quia ambæ erant filię eiuſdem matris. Sed non eſt conuenienter dictum, quia Noemi dixit ad Ruth, infrà in litera: Ecce reuerſa eſt cognata tua ad populū ſuum: ſi tamen eſſent ſorores, non vocaretur vna cognata alterius, quia iſtud eſt nomen generale propinquitatis: potiſſimè, quia videtur accipi hic cognata, prout eſt nomē affinitatis, ſcil. q̄a maritus vnius erat frater mariti alterius: ſic accipitur ſæpè in ſacra ſcriptura, cū dicitur, q̄ Iethro erat cognatus

A

Moysi,scil.quia erat socer eius,vt patet Num.10.& Iud. 1. ideo dicendum, quòd non erant sorores, licèt fortè essent de eadem progenie.Et ponitur singulare pro plurali, sicut sæpè ponitur in Hebræo.Vel refertur hoc ad quamlibet, scil.quælibet eat in domum matris suæ.*Faciat Dominus vobiscum misericordiam.* Scilicet retribuat vobis bona,dãdo prosperitatem in singulis.*Sicut feciſtis cũ mortuis,& mecum.*Misericordia quã fecerant cum mortuis, scil.cum duobus filijs Noemi viris istarum,poterat esse dupliciter, scil.in vita, vel post mortem. De vita patet, quia fortè tractauerãt eos gratè seruiendo eis sine offensa,& obsequiosè:quod non reperitur in qualibet vxore ad virum suum.Et potissimè erat laudabile,quia istæ fœminę erant de regione Moab,in qua manebãt, & habebant ibi cognatos,viri aũt earum erãt de terra aliena,& nõ habebant ibi cognatos,nec amicos,qui auxiliarentur eis:& in talibus solẽt fœminæ superbire contra viros, & volunt eos sibi subijcere: quòd autem istæ gratè viris suis obsequerentur, erat laudabile.Et potest intelligi quòd fecit misericordiam cum eis,postquam mortui erant, scil. quòd non contraxerunt illicò cum alijs,vel quòd honorauerunt eos plangendo eos, & ostendendo alia signa tristitiæ, & faciendo alia,quę solent facere fœminæ ad honorem virorum suorum defunctorũ. Etiam exhibuerunt misericordiam ipsi Noemi,quia fortè benè se habuerunt ad eam in conuersatione viuentibus viris filijsNoemi, quod rarum esse solet: nam raro nurus & socrus inter se

B

concordant,& fortè istæ concordauerant:vel fortè post mortem virorum istæ puellæ tenuerant Noemi tanquam matrẽ, & adhæserant ei amore,& obedientia filiali. Quod satis appareret ex verbis, quæ habentur infrà in litera : & pro ista misericordia reddit Noemi gratias nuribus suis.

Det vobis inuenire requiem in domibus virorũ, quos sortituræ estis. Id est,concedat vobis Deus, quòd habeatis viros,in quorum domibus quiescatis.Istud potest dici ad significandum infœlicitatem suam principalem, scil. quòd cogebatur discurrere Noemi de terra Moab in terram Iuda, sicut prius de terra Iuda in terram Moab propter famem:& orat nunc, quòd Deus liberet nurus suas ab hac miseria, faciendo quòd viuant prosperè in domibus virorum suorum,& non cogantur propter famẽ, vel alias calamitates discurrere de regione in regionẽ, sed quiescant in domibus virorum. Vel per hoc orat,ꝙ Deus det eis viros longo tempore viuentes, vt nõ cogantur denuo alios quærere:quia quamdiu fœmina est quærendo virũ non est in quiete.Et hoc dicunt contra calamitatem, quam nunc patiebantur.Nam pauco tempore vixerant cum viris suis, &

Sortiri quid ſignificat.

cogebãtur nunc,illis mortuis,alios quærere. Et dicitur quos sortituræ estis. Id est, habituræ. Propriè sortiri est per sortem habere,vel acquirere:& cõuenit hoc rebus dubijs, in quibus sorte quadam,id est dispositione diuina videtur euenire,ꝙ euenit. Hoc maximè est in hoc,quòd vir sortiatur bonam mulierem,& mulier bonum virum.Nam dicitur Eccles.26.Laus magna de muliere bona.& subditur, quòd Deus dat illam timenti se. Sorte ergo euenit bona mulier viro, & è contrario.

C

Hominẽ habere animã inclinatã ad bonum, à Deo eſt

Sic etiam quòd homo habeat animam inclinatã ad bonum,à Deo est, ideo per sortẽ euenire dicitur anima bona : sic enim dixit Salomon,Puer eram subtilis, & ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.

Et osculata est eas. Vtramque osculata est,quia iste erat modus expediendi se in signum amoris.

Quæ eleuata voce flere cœperunt. Postquam se osculatæ sunt. Causa quare tunc fleuerunt, erat duplex, quæ infrà ponetur in quadam quæstione.

Et dicere : tecum pergemus ad populum tuum. Tantum diligebant istæ nurus ipsam Noemi, quòd cum ea pergere volebãt ad terram suam relinquentes natale solum,quod satis difficile est.*Quibus illa respondit:reuertimini filiæ,cur venitis mecũ?* Id est, reuertimini in terram vestram:cur venire vultis mecũ in terram meam?quasi dicat,nulla causa est quare veniatis.*Vnde vltrà habeo filios in vtero,vt viros ex me sperare possitis?* Quasi dicat, si aliqua causa esset quare mecum ire deberetis,esset vt darem vobis viros de filijs meis,sicut dedi prius,& mortui sunt,& ẽ ego nullos habeo filios viuentes, nec in vtero, vt possitis sperare,quòd de illis accipiatis viros.*Reuertimini filiæ Moabitæ.* Vocauit eas filias Moabitas, id est filias regionis Moab, quia de illa regione trahebant originem. *Iam senectute confecta sum.* Id est inueterata,vel senio deperdita. *Nec apta vinculo coniugali.* Id est,non sum apta ad contrahendum matrimonium. Conatur persuadere Noemi vtrique nurui suæ, quòd redeant ad vrbem,de qua erant,& non eant cum illa. Et ad hoc inducit, quòd non possunt vlteriùs expectare filios ex ea, vt illos acciperent in maritos. Nam non habet nunc aliquos, quos accipiant. Et quia poterat dici, quòd licèt nullos viuentes haberet, habebat tamen aliquos in vtero, quos accipere possent postquam nascerentur:respõdit,dicens : nec vltrà habeo filios in vtero,vt ex me viros sperare possitis.Et quia posset dici,quòd dato,quod non haberet nunc in vtero,poterat contrahere matrimonium,& suscipere filios:respondit, quòd iã senectute confecta est,nec est apta vinculo matrimoniali, vt filios suscipere possit : & adhuc,vt fortius arguat, dicit:quòd dato, quòd filios ipsa nocte posset gignere, & parere, adhuc non possent nurus suæ conuenienter illos accipere in viros, quia si expectarent eos vsq; ad tempus pubertatis,prius senescerent, quàm nuberent.*Etiam si possem hac nocte.* Scilicet nocte sequenti.Et dixit potius de nocte,quàm de die, quia coitus ad generationem honestius fit per noctem, quàm in die.

Concipere & parere filios. Istud erat impossibile,quia dato quòd illa nocte conciperet:non posset parere vsque ad nouem, vel septem menses,quod raro fit: & fortè erat impossibilitas etiã in concipiendo,vt si erat iam in magna ætate,sicut dixit,iam senectute confecta sum. Nam si cessassent ei fieri muliebria, scilicet fieri menstrua, non posset concipere vllo modo, nisi miraculosè,sicut dicitur de Sara,Genes. 18. ad ostendendum miraculum in conceptione Isaac,scilicet quòd erat Sara proiectæ ætatis,& desierant ei fieri muliebria, id est,fluere menstrua.In quo innuit, quòd deficiente fluxu menstruorum, impossibilis erat conceptus, scilicet, quia menstrua erant materia ipsius concipiendi fœtus ; & si desierant ista fieri in Noemi,erat etiam impossibile concipere, ideo ponebat Noemi pro impossibili,quòd haberẽt nurus suæ filios ex ea, quos acciperent in viros. *Si eos expectare velitis, donec creſcant,& annos compleant pubertatis.* Hic magis confirmat,quia dato, quòd omnia præcedentia essent possibilia : tamen non poterant nurus Noemi accipere viros de filijs eius, quia oportebat, quòd ad accipiendum eos in viros expectarent vsq; ad pubertatem ipsorum.Nam puberes dicuntur viri,& fœminæ,quãdo apti sunt ad conuentum matrimonialem: nam puberes à pudendis dicuntur, quia hæc loca in homine primò lanuginem ferunt,vt ait Isid.11. Etimol. & extr.de desponsat. impub.c.puberes.*Ante eritis vetulæ,quàm nubatis.* Scilicet,transibunt viginti anni,vel quasi vsquequò filij mei essent potentes ad actum matrimonialem, & interim vos efficeremini vetulæ, & non essetis iam aptæ ad matrimonium, cùm illi apti inciperent.

Pueres vnde dicãtur.

Nolite quæso filiæ mi. Grammatica antiqua est, quia deberet dici filiæ meæ,& dicit : Nolite filiæ mi, scilicet,reuerti mecum in terram meam.

Quare vestra angustia me magis premit. Id est, magis doleo de vobis,quòd in tam tenera ætate perdideritis viros, & expectare debeatis sic in viduitate mortem, quàm quòd ego viro & filijs orbata sum:& est per contrarium, quia magis ex consortio vestro angustiabor:nam vestra angustia premit me magis,quàm mea,ideo cùm viderem vos,& considerarem angustiam vestram,dolerem nimis,quia non possem vobis prouidere:nunc verò si recesseritis in terram vestrã redeuntes, poteritis accipere illicò viros,in quorũ domibus quiescatis, sicut prius dixerat Noemi:det vobis Dominus inuenire requiẽ in domibus virorum,quos sortituræ estis.

D

E

F

An peccarunt filij Elimelech & Noemi, cùm acceperint Moab vxores Gentiles.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR circa istos filios Elimelech,& Noemi, cũ acceperint in terra Moab vxores Gentiles, scil. Moabitidas,an peccauerint?

Aliquis dicet,quòd peccabant,quia exponebãt se periculo:nam accipiendo mulieres gentiles in vxores poterãt ab eis persuaderi ad colendum idola,quod erat grauissimũ. Secundum erat, quòd filij eorum nati de illis mulieribus inclinarentur ad idola: nam pueri in tenera ætate nutriuntur & eruditur apud matrẽ,& non apud patrem, & mores quos tũc

A recipiunt, tenent postea firmiter. Nam omnis impressio facta in tenera ætate firmior est, quam facta in ętate procedente: eo quod magis infigitur propter teneritudinem, & passibilitatem materiæ. Sic ait Horatius.

1. lib. Epi. 2.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem.
Testa diu.

Et recitat illud August. 1. de Ciuit. Dei: dicens in c. 1. quod propter hoc Romani faciebant, quod filij sui in tenera ætate in principio omnium rudimentorum addiscerent libros Virgilij. Et adiungit: Vt quippe egregius Poetarum teneris imbibitus annis, non posset facile aboleri. Sic dicit Aristot. 2. Ethic. circa principium, & est doctrina Platonis, quod non modicum refert à iuuene confestim sic assuesci, id est, multum confert ad dispositionem bonam morum, quam habiturus est homo in ętate matura, quod confestim ex iuuentute assuescat ad bonum, vel ad malũ, quia talis erit postea eius consuetudo, & instructio. Et quia ista instructio paruæ ætatis trahitur à matre, apud quam conuersantur paruuli in parua ætate, ideo mater multum confert filiis ad esse bonos viros. Sic ait Arist. 1. Polit. c. vlt. in fin. quod mater est dimidiũ filiorum, id est, ex hoc, quod mater bona, vel mala est, pendet medietas bonitatis, vel malitiæ filiorum, quam postea facti viri habebunt; ideo dixit ibidem, quod non solum in politia dãda erat lex de statu virorum, sed etiam de statu mulierum, scilicet, quia status virorum dependet ex statu mulierũ, cum

B mater sit medietas filiorum. Esset ergo istud periculũ, quod filij efficerentur idolatræ, cum nutrirentur apud matres idolatras. Quod autem aliquis se subiiceret tanto discrimini, erat periculum, & peccatum, cum posset secure viuere accipiendo non mulierem gentilem: ideo videtur, quod peccaret accipiens vxorem de gentilitate. Respondendum, quod poterant Iudæi accipere vxores Gentiles licite. Ad hoc tamen requirebantur duo: primum erat, quod non essent mulieres istæ de stirpe Chananæorum, scilicet, de septem gẽtibus, quia de istis nõ licebat Israelitis accipere aliquam vxorem. Et causa erat multiplex. Prima, quia Israelitæ tenebantur occidere omnes Chananæos masculos, & fœminas, magnos, & paruos in ore gladij; & non licebat eis parcere alicui ipsorum, vt patet Deut. 20. ideo à fortiori non liceret ipsis de filiabus ipsorum accipere vxores. Secunda causa erat propter communicationem, quia Israelitæ accepturi erant terram Chananæorum in possessionem; & si accipere liceret vxores de Chananæis, manerent Israelitæ mixti Chananæis; & tunc sequerentur adhuc alia pericula præter assignata, scilicet, quod propter communicationem Israelitarum cum Chananæis, qui iam erant affines sui inuitabant eos ad cœnam, & darent sibi de cibis consecratis idolis, quod erat valde graue Iudæis, vt patet Exod. 34. si autem acciperent Israelitæ vxores Gentiles de aliis gentibus, & ducerent eas in terram Israel, non erat istud periculum, quia non communicarent cum soceris suis,

C & aliis affinibus, nec inuitari possent ab eis ad comedendum de cibis consecratis dæmonibus. Et etiam propter raritatem communicationis non possent sic peruerti Israelitæ ad colendum idola accipiendo vxores de aliis gentibus, sicut accipiendo de Chananæis. Et ista fuit causa, quare Deus solum vetuit accipere vxores Israelitis de Chananæis. De aliis autẽ gentibus nequaquam, vt patet Exod. 34. & Deut. 7. vbi ponitur ista prohibitio, & solum agitur ibi de Chananæis, qui erant septem populi. Si tamen aliquando accideret, quod aliquis Chananæus, vel Chananea ex causa speciali non deberet occidi, poterat accipi illa in vxorem ab aliquo Israelita, & ipse Chananæus poterat accipere vxorem de Israelitis. Sic factum est de Raab Ierichontina, quæ defendit exploratores Iudæorum in Iericho, ne occiderentur: & ob hoc iurauerunt ei exploratores, quod liberarent eam, & totam suam cognationem à morte, Iosue 20. & sic factum est capta vrbe: nam tota cognatio liberata est, Iosue 6. & ipsa Raab accepta est in vxorem à Salomon principe tribus Iuda, vt patet Matth. 1. Secundum principale erat ad licite accipiendum mulierem gentilem, scilicet, quod conuerteretur ad ritum Iudaicum priusquam acciperetur, quia si manens adhuc in gentilitate acciperetur, peccatum esset. Sicut si nunc aliquis Christianus acciperet mulierem Iudæam in vxorem dum adhuc Iudæa erat. Item patet hoc, quia semper manebat aliqua ratio prohibitionis, vel saltem periculi accipiẽdo mulierem gentilem cuiuscunq; gentis esset si nondum esset conuersa ad Iudaismum. Primo ipsa manens in cultu Dei sui inclinaret virum suum ad colẽdum illum Deum per blanditias: ita factum est de vxoribus Salomonis: nam multæ erant de Ammonitis, & Moabitis, & aliis gentibus, de quibus licebat Hebręis accipere vxores, si conuersæ essent ad Iudaismum, quia tamen illæ manebant adhuc in cultu idolorum, inclinauerunt Salomonem ad faciendum eis templa pro diis suis, & vt ipse offerret idolis thura. Nam templum fecit Chamos Deo Moabitarũ, & Melchon Deo Ammonitarum, & Astharthen deæ Sidonior. 3. Reg. 11. & 4. Regum 23. & tamen licebat alias accipere vxores de Ammonitis, & Moabitis, cum non essent Chananææ, & nunc erratum est, quia acceptæ sunt vxores nondum conuersæ ad Iudaismum. Etiam tollebatur aliud periculum, quia si mulier maneret adhuc in cultu idolorum de quacunque gente esset, poterat filios suos erudire ad illum cultum, & esset difficile postea illos iuuenes factos reuocari ab illa intentione. Si autem mater conuersa esset nihil periculi erat. Quod autem liceret cum his duabus qualitatibus accipere vxorem Gentilem, patet, quia Deuter. 21. dicitur, quod si in medio captiuorum appareret aliqua mulier pulchra, poterat quicunque de Iudæis si concupiscceret eam accipere ipsam in vxorem, dum tamen duobus mensibus prius lugeret patrem suum, & deponeret capillos, & vngues: per quod signabatur purgata ab immunditia ritus Gentilitij. Item patet in Ruth, quia postquam Ruth venit in Bethlehem conuersa iam ad Deum Israel, vt patet infra in litera, accepit eam Booz in vxorem, & asseruit se obligari ad accipiendum eam secundum legem, nisi renunciaret iuri propinquitatis, vt patet infra 3. lex tamen nõ obligat ad illicitum: ergo erat licitum accipere vxorem gentilem Iudęo conuersam iam ad Iudaismũ.

D

E

Qua conditione poterãt Iudæi accipere vxores Gentiles.

An hi duo filij Noemi acceperint vxores Moabitas manentes in Gentilitate, vel iam conuersas ad Iudaismum.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, nunc specialiter circa istos duos viros filios Noemi, an acceperint vxores Moabitidas manentes in Gentilitate, vel iam conuersas ad Iudaismum. Aliquis dicet, quod non apparet, an acceperunt eas manentes in Gentilitate, vel conuersas, quia si accepissent eas manentes in terra Israel esset præsumptio, quod non acciperent illas, nisi iam conuersas, cum isti essent viri boni, quia tamen acceperunt eas manentes in terra Gentilitatis, forte nollent conuerti ad Iudaismum. Dicendum, quod istæ duæ mulieres, scilicet, Orpha, & Ruth manebant in gentilitate, quando acceptæ sunt in vxores à duobus filiis Noemi, & toto tempore manserunt in Gentilitate, quo vixerunt cum viris suis in terra Moab. Quod patet primo, quia quando hortabatur Noemi ipsam Ruth, quod rediret in terram suam, & non veniret cum ea in Bethlehem, dixit: Ecce reuersa est Orpha cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos: ergo videtur, quod adhuc Orpha manebat in cultu idolorum, & sic arguendum de Ruth: & si nunc manebat, à fortiori mansisset toto præcedenti tempore, quo erat cum viro suo antequam Ruth recedere vellet de terra Moab. Secundo patet, quia Noemi hortabatur Orpham, & Ruth, quod redirent in terram suam: si tamen essent conuersæ ad ritum Iudaicum, peccaret hortando, quod manerent in terra Moab, quia ibi conuerterentur ad cultum idolorum, etiam si illum reliquissent, quia non haberent iam ibi aliquem instructorem circa cultum Dei, & obseruationem legis: tamen hortata est eas, quod redirent in terram Moab, & non putabat se peccare, quia alias non faceret: ergo adhuc manebant in ritu Gentilitio. Tertio patet, quia quando Noemi hortabatur ipsam Ruth, vt rediret in terram suam, dixit: Ne aduerseris mihi, vt redeam: populus meus populus tuus, & Deus meus Deus tuus: & sic accipiebat nunc Ruth Deum Israel in Deum. Et ista est ratio confirmatiua Ruth, quia cum Noemi volebat, quod rediret Ruth in terram suam, putabat Ruth, quod faciebat Noemi hoc, quia erant diuersæ professionis, & Ruth promisit tunc, quod omnia haberet communia cum Noemi, dicens: Populus meus populus tuus: Deus meus Deus tuus; vbi morata fueris, pariter morabor, quæ te morientem

F

A terra ſuſceperit, in ea moriar. Et iſta omnia nouiter proponebat Ruth; ergo etiam habere in Deum illum, quem habebat Noemi nouiter proponebat: & ſic nondum erat conuerſa ad ritum Iudaicum. Quarto patet, quia Booz laudauit Ruth dicens, quod beata eſſet, quia confugerat ad alas Dei Iſrael, ſequenti capitulo, & iſtud fuit veniendo ad terram Iſrael: ergo ante hoc non erat conuerſa, quia alias pro illa conuerſione etiam eſſet laudabilis. Dicendum ergo, quod non erant conuerſæ ad Iudaiſmum Orpha, & Ruth, quando acceperunt eas in vxores duo filij Noemi, & quamdiu fuerunt cum eis viuentes, manſerunt in Gentilitate.

An filij Noemi peccarunt accipiendo in vxores manentes adhuc in ritu Gentilitio.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerunt filij Noemi accipiendo in vxores manentes adhuc in Gentilitate. Aliquis dicet, quod ſic, quia exponebant ſe periculo, ſcilicet, quod poterant ab eis peruerti ad colendum idola, & maxime eſſet hoc de filiis eorum natis ex iſtis mulieribus: nam ipſæ erudirent eos ad cultum Gentilitium, quem ipſæ ſemper tenuerant, & erat periculoſior talis inſtructio in eis, quam in viris, vt declaratum fuit ſupra quæſtione ante penultima.
B Etiam patet hoc, quia caſus, in quo lex permittebat mulierem alienigenam accipi in vxorem à Iudæo, erat, quando ipſa conuerſa erat ad ritum Iudaicum, & depoſuerat omnia ſigna Gentilitatis, ſcilicet, capillos, & vngues: & poſt duos menſes accipiebatur in vxorem, & prius non licebat. Significabatur autem per hæc depoſitio totius cultus Gentilitij: ideo antequam deponeretur non erat licitum accipere Gentilem mulierem in vxorem. Reſpondendum, quod verum eſt, quod regulariter non licebat alicui accipere vxorem Gentilem nondum conuerſam: de iſtis autem filiis Noemi poteſt dupliciter reſponderi: vno modo concedendo, quod iſti peccauerint accipiendo illas, quia non eſt neceſſe, quod excuſemus eos à peccato, quia ſcriptura non laudat eos tanquam viros ſanctos. Secundo poteſt dici, & melius, quod non peccauerint: nam quando aliquis defendi poteſt, quod non peccauerit, non eſt concedendum, quod peccauerit, quia potius debemus interpretari de re qualibet, quod ſaluetur, quam quod pereat. Et dicetur, quod iſti fuerunt in caſu neceſſitatis, & non potuerunt commode excuſari quin acciperent vxores non conuerſas ad Iudaiſmum, ideo licite acceperunt. Quod patet, quia iſti manebant in terra Moab propter famem, & non audebant venire in terram Iſrael propter eandem famem, quæ erat nimia in terra Iſrael, & quia ipſi erant iam iuuenes, & forte tranſiret ab eis tempus gignendi, quod erat inconueniens, & quia neſciebant, quando ceſſaret fames, vt poſſent redire ad terram Iſrael, & acciperent ibi vxores, acceperunt eas in terra Moab. Cum autem obiicitur, quod iſti exponebant ſe periculo accipientes vxores nondum conuerſas ad Iudaiſmum, dicendum, quod ſi iſtud periculum non eſſet euitabile ab eis viribus ſuis, ſed penderet ex ſola Dei diſpoſitione, vel fortunæ errore, vt vulgariter loquimur, exponere ſe tali periculo ſine neceſſitate peccatum erat: & tamen iſtud periculum erat euitabile ſola voluntate eorum, & induſtria, ſcilicet, non aſſentiendo blandiciis vxorum; ideo quamquam ſe exponerent huic difficultati, quæ potius erat difficultas, quam periculum, non peccabant, potiſſime exiſtente cauſa aliqualis neceſſitatis. Cum autem obiicitur de filiis, qui naſcerentur ex illis mulieribus nondum conuerſis, quod erudirentur à matribus in ritu Gentilitio, dicendum, quod etiam circa hoc poterant patres prouidere, faciendo quod in tempore illo, quo paruuli eſſent capaces diſciplinæ, facerent quod eruditio eorum non eſſet à matribus, ſed à patribus: & licet in hoc eſſet aliqua difficultas, tamen tolerabilior erat iſta, quam quod non acciperent vxores, & elaberetur eis tempus gignendi, nec relinquerent poſteros, quia iſtud cenſebatur infortunium inter Hebræos. Et iſtud magis tenendum eſt, quia non videmus eos culpari in ſcriptura.

(·.·)

Quæ Orpha erat iſta, & an eſſet mater Goliath.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius, circa iſtas vxores filiorum Noemi, ſcilicet, Orpham, & Ruth, quæ eſſent, & primo de Orpha. Aliqui dicunt, quod iſta Orpha fuit illa, quę fuit mater Gigantum, ſcilicet, Goliath Gethæi, & aliorum, de quibus dicitur, 2. Reg. 21. & 1. Paralipom. 20. cap. & iſta eſt poſitio Hebræorum. Et motiuum eorum eſt, quia idem eſt nomen vtriuſque, cum vocetur vtraque in Hebræo Orpha: apud Latinos tamen diuerſum nomen eſt, quia iſta vocatur Orpha, & illa vocatur Arapha, 2. Reg. 21. & 1. Paralip. 20. ſed iſta mutatio magis venit à ſcriptoribus Latinis, quam ex conditione nominis, cum idem nomen ponatur vtriſque apud Hebræos. Dicunt etiam, quod iſta Orpha ambulauit quadraginta paſſibus cum Noemi redeunte in terra Iſrael, & merito iſtius ambulationis cõceſſit Deus filio eius Goliath, quod quadraginta diebus exprobraret Iſraelitis quouſque pugnauit Dauid contra ipſum, 1. Regum 17. cap. Et dicunt, quod iſta Orpha fuit cognita à centum hominibus, & vno cane, & omnium illorum fuit filius Goliath. Sed iſta falſa ſunt: quod autem non fuerit eadem iſta Orpha, & mater Goliath patet, quia iſta Orpha fuit neceſſario ante illam. Nam iſta fuit coętanea Ruth, quia ante fuerunt vxores duorum fratrum eodem tempore ductæ, vt patet ſupra in litera: & tamen Ruth fuit poſtea proauia Dauid, quia ex Booz, & Ruth natus eſt Obed, & ipſe Obed genuit Iſai, & Iſai genuit Dauid, infra 4. & Matth. 1. & fuit Dauid minimus filiorum Iſai, quando erat iam ſenex Iſai, vt patet 1. Reg. 17. & tamen Dauid, & Goliath filius Arapha fuerunt contemporanei, & quaſi coætanei, quia pugnauit Dauid cum Goliath, 1. Reg. 17. ideo Ruth fuit multo tempore ante Arapham matrem Goliath, & tamen Ruth, & iſta Orpha fuerunt coætaneæ, vt dictum eſt: ergo iſta Orpha non eſt illa, de qua natus eſt Goliath, & alij Gigantes. Secundo patet, quia iſta Orpha, de qua hic dicitur, fuit de ſtirpe Moabitarum, quia ſupra in litera hic dicitur, quod Maalon, & Chelion acceperunt vxores Moabitidas, & tamen acceperunt Ruth, & Orpham, vt patet in litera: ergo erant iſtæ Moabitides. Etiam patet, quia Noemi loquens ad Ruth, & Orpham dixit: reuertimini filiæ Moabitæ: ergo erant ambæ Moabitæ: & tamen Arpha, ſiue Orpha mater Goliath fuit de ſtirpe Chananæorum, quia erat Philiſthina: nam erat de vrbe Geth, quæ eſt vna de quinque Metropolibus Philiſthinorum, Ioſue 13. & 1. Reg. 6. & ob hoc vocabatur Goliath filius eius Gethæus: & Chananęi, ſiue Philiſthini multum differunt à Moabitis: ideo non erat eadem iſta Orpha, & Arapha. Cum autem dicitur, quod iſta ambulauit quadraginta paſſibus cum Noemi redeunte, & merito horum Deus permiſit, quod Goliath filius improperaret Iſraelitis diebus quadraginta, ridiculum eſt, quia iſtud præſupponit iſtam Orpham fuiſſe matrem Goliath gigantis: ſed probatum eſt eſſe falſum. Item dato, quod eſſet eadem iſta Orpha, & illa Arapha, adhuc non conſtat, quod ambulauerit quadraginta paſſibus Orpha cum Noemi redeunte, nec habent aliquid vnde Hebręi iſtud aſſumant; ſed eſt quędam fictio ipſorum: & cum dicunt, quod merito iſtorum quadraginta paſſuum filius ſuus Goliath permiſſus eſt quadraginta diebus exprobrare Iſraelitis, eſt etiam falſum, quia præſupponit falſum, ſcilicet, quod ambulauerit illa Arapha quadraginta paſſibus cum Noemi. Sed dato, quod hoc eſſet, adhuc non conuenit, quia, quod Orpha quadraginta paſſibus iret cum Noemi, non erat apud Deum meritorium alicuius boni, quia non fiebat propter Deum, ſed propter quãdam pietatem, & forte debitum, quia Noemi cum eſſet ſocrus Ruth, & Orphæ, tenebantur ei ad quandam reuerentiam, quia reſpectu eius erant tanquam filiæ. Etiam, quia ipſa bene ſe habuerat ad eas, & illæ tenerentur reddere viciſſitudinem. In talibus autem meritum non eſt, quia iam accepit homo mercedem ſuam: ſic enim dicitur Matth. 5. quod diligendo amicos non meremur, quia hoc etiam faciunt publicani, ſed diligendo inimicos. Sic etiam dicitur, quod non inuitemus diuites, qui poſſunt nobis reddere viciſſitudinem, ſed pauperes, qui non poſſunt: & tunc erit nobis gratia apud Deum.

D

Iudæorũ fabula ridicula refellitur.

E

F

C

A Deum. Et adhuc, dato quod mereretur aliquid Orpha, non apparet quomodo mereretur, quod filius suus Goliath permitteretur quadraginta diebus exprobrare Israelitis: ideo dicendum, quod istud est ridiculum. Cum autem dicunt, quod Goliath natus est ex Orpha ex semine centum hominum, & vno cane, non solum est ridiculum, sed etiam absurdum, & impossibile, vt declaratum est, 1. Reg. 17. & ibi declaratum est motiuum Hebræorum quantum ad hoc. Dicendum tamen, quod ista Orpha non est Arapha mater Goliath, & aliorum Gigantum Philisthinorum, sed fuit quædam mulier de progenie Moabitarum, cuius non satis apparet progenies.

Quæ erat Ruth, & an esset filia Eglon regis Moab.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius, de Ruth, quæ erat. Respondent Hebræi, & quidam Catholici, quod erat filia Eglon regis Moab, & volunt, quod iste Eglon fuit ille, qui occisus est per quendam iudicem Israel nomine Aod: motiuum autem eorum est ad nobilitandum genus Dauid: nam Ruth fuit proauia Dauid cum fuerit mater Obed, & Obed fuit pater Isai, ipse autem Isai fuit pater Dauid, infra quarto, & vt genus suum videatur tractum de nobilibus dicunt Ruth fuisse filiam regis Moab, & dicunt eam filiam Eglon regis Moab,
B quia post Eglon non habetur in scriptura aliud nomen regis Moab alicuius vsque ad tempus Ruth, & vt nominent regem illum cuius eam dicunt filiam nominauerunt Eglon. Sed istud non stat, quod patet, quia Ruth non potuit esse filia Eglon regis Moab, eo quod Eglon fuit multo tempore, antequam posset esse nata Ruth: nam Ruth erat iuuencula tempore Booz, quando ab eo accepta est in vxorem, vt patet infra sequenti capitulo, & infra tertio, & quarto. Nam Booz vocauit eam filiam sequenti capitulo, & Noemi vocauit Ruth, & Orpham filias, supra in litera: & non vocaret eas sic, nisi essent iuuenculæ: & tamen si esset filia Eglon regis, esset tempore Booz plusquam 280. annorum, vel quasi, quod non erat naturaliter possibile, quia nullus hominum ad tantam perueniebat ætatem: & dato quod perueniret, non posset iam concipere, & tamen concepit, & peperit Obed, infra quarto. Quod autem esset plusquam 240. annorum, vel quasi, patet, quia aut ponetur fuisse ista Ruth tempore Abesan, aut tempore Heli: si tempore Abesan: patet, quia Eglon fuit tempore Aod iudicis Israel, & ab eo in principio suæ iudicaturæ occisus est: nam Aod iudicauit octoginta annis Iudic. tertio, & Barach quadraginta, Iudic. quarto, & Gedeon quadraginta, Iudicum octauo, Abimelech tribus, Iudicum nono, Thola viginti tribus annis, Iudicum decimo, Iair viginti duobus annis, eod. capitulo. Postea fuerunt octodecim anni sine iudice, eodem capitulo, & ibi probatum est. Et postea Iephte Galaaditas annis sex, Iudicum duodecimo, deinde Abesan annis septem, eodem capitulo, qui
C sunt simul anni ducenti quadraginta, dempto vno, & addendi sunt plures anni, eo quod Ruth aliquanto tempore ante mortem Eglon nasceretur. Etiam, quia ista peregrinatio Noemi decem annorum inchoata est tempore Abesan, qui solum iudicauit annis septem, Iudicum duodecimo, & peregrinatio fuit decem annorum: ideo oportet, quod tempore sequentis iudicis ducta fuerit Ruth à Booz: & sic esset Ruth plusquam ducentorũ quadraginta annorum. Si autem dicatur, quod fuit historia Ruth tempore Heli summi sacerdotis: adhuc patet hoc magis clare, quia post Abesan fuit Heli multo tempore. Nam iudicauit post Abesan Ahialon annis decem, & post ipsum Abdon annis octo, Iudicum duodecim, & postea Samson annis viginti, Iudicum decimo tertio, & decimo sexto, & postea debent accipi ad minus 10. anni de tempore Heli, cum ista peregrinatio durauerit decem annis, in litera supra, qui sunt anni quadraginta septem, & sic sunt quasi ducenti nonaginta anni, ex tempore Eglon regis Moab vsquequo Booz accepit Ruth in vxorem, & omnes istos annos haberet Ruth, si Eglon esset pater suus, & tamen hoc erat impossibile: ergo non fuit ille Eglon pater
Aliorũ resp. ad quæsi tum. Ruth. Alij dicunt, quod Ruth fuit filia Eglon regis Moab, sed non fuit ille Eglon, qui occisus est per Aod: sed alius, qui fuit multo post tempore Booz: & sic potuit tempore Booz Ruth esse iuuencula. Sed dicendum, quod hoc non stat, quia D non est verisimile, quod Ruth esset filia regis, quia Elimelech erat vir alienigena in terra Moab, & pauper, qui propter famem recesserat de terra sua, & non erat verisimile, quod filia regis terræ daretur filio eius in vxorem, sed alicui viro potentissimo. Item posito, quod daretur in vxorem filio Elimelech, tamen postea non permitteretur mortuo viro recedere de regno patris sui, vt peregrinaretur in alia regione, & cogeretur colligere spicas præ paupertate, & tamen venit. Ideo dicendum est, quod Ruth non fuit filia regis Moab, sed mulier de humili genere, cum daretur in vxorem viro pauperi, & alienigenæ, & postea peregrinata fuerit extra terram suam. Dicunt autem quidam, quod Ruth fuit de terra Moab de quadam vrbe, quæ vocabatur Petra: ideo intelligitur de hoc dictum Isaiæ, scilicet. Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Et intelligebatur de Messia, qui futurus erat de filiis Dauid: & ipse Dauid futurus erat de stirpe Ruth, qui venturus erat de vrbe Moab, quæ vocatur Petra deserti, de quo dicetur super Isaiam. *Dott. resp. ad quæsi tum.*

An peccauit Noemi hortando Nurus suas, vt redirent in terram suam: & non irent cum ea.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlterius, an peccauit Noemi hortando Nurus suas, vt redirent in terram suam, & non irent cum ea. Aliquis dicet, quod sic, quia cum istæ Nurus vellent ire cum Noemi disponebant se ad bonum: nam conuerterentur ad Deum Israel si venirent cum Noemi in terram suam. Si autem redirent implicarentur cultui idolorum, & hoc sciebat Noemi: nam ipsa dixit ad Ruth ecce reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea. Persuadere tamen ad periculum peccatum est, ideo peccaret Noemi hortando hoc. Dicendum, quod non peccauit Noemi, quia non habuit voluntatem ponendi Nurus suas in periculo cultus idolorum: nam si ipsæ ante hoc coluissent verum Deum, & nunc suaderet eis redire in terram, in qua incitarentur ad colendum idola, peccaret: tamen istæ Nurus Noemi semper fuerant in cultu idolorum ante hoc, vt probatum est supra in quadam quæstione. Ideo quod nunc redirent ad colendum idola, siue ad locum, in quo inclinarentur ad hoc, non erat periculum. Sed obiicietur, quod quamquam Noemi non poneret Nurus suas in periculum, tamen dissuadebat eis facere bonum, quia ipse volebant ire ad terram Israel in qua Deum colerent, & Noemi dissuadebat hoc. Dicendum, quod etiam si Noemi dissuaderet eis istud bonum, peccaret, sed non dissuadebat: nam non suadebat redire nuribus suis, tanquam volentibus colere Deum, sed tanquam volentibus consolari, & honorari eam: nam volebant ire cum Noemi in terram suam, vt non videretur ipsa desolata: istam autem gratiam recusabat recipere Noemi, quia nolebat, quod propter eius honorem nimis laborarent Nurus suæ, & affligerentur existendo extra terram suam. Sed adhuc dicetur, quod istud non conueniebat, quia cum Noemi non permitteret Nurus suas redire secum, vt non laborarent propter eam, faciebat per accidens, quod non colerent verum Deum, sed manerent in cultu idolorum. Dicendum, quod nullo modo dissuasit per se, nec per accidens Noemi nuribus suis cultum Dei: nam cum dixit eis, quod redirent in terram suam, non dicebat hoc animo, vt faceret eas redire in terram suam, sed vt sciret voluntatem earum, scilicet, si vere volebant ire cum ipsa, vel si solum dicebant hoc verbis: & non intendebant ire, sicut multa ex vrbanitate dicimus nos facturos propter aliquem, quæ tamen facere non intendimus, & cum vidit voluntatem, cessauit hortari. Quod patet in Orpha: nam cum dixit, quod rediret rediit. Ex quo patebat, quod non habebat voluntatem eundi cum Noemi, quia alias ad primas dissuasiones eius non cessasset: in Ruth etiam fuit sic: nam dixit ei, quod reuerteretur in terram suam, ipsa autem cœpit circa hoc esse difficilis, dicens: Ne aduerseris mihi, vt dimittam te, & recedam: populus meus populus tuus, &cæt. Et tunc dicitur, quod cum vidisset Noemi animum Ruth esse obstinatum volendo redire E F cum

A cum ea, non ausa est vltra reditum persuadere. Sed dicet aliquis, quod manifeste persuasit Noemi ipsi Ruth redire ad cultum idolorum: nam dixit ei: Ecce cognata tua reuersa est ad populum suum, & ad Deos suos, vade & tu cum ea. Dicendum, quod persuasit Noemi redire Ruth ad populum suum, sed non ad cultum idolorum, & cum dicitur: reuersa est ad populum suum, & ad Deos suos non refertur illud verbum, vade & tu, ad totum istud, sed solum ad populum: & tamen retulit Noemi in illo veritatem negocij, licet non esset intentio sua hortari ad hoc quemquam.

Quomodo dixit Noemi nuribus suis, quod redirent in terram suam, &c.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dixit Noemi nuribus suis, quod redirent in terram suam, & quod Deus daret eis inuenire requiem in domibus virorum, quos habiturę erant, & de quo Deo intelligebat. Aliquis dicebat, quod forte intelligebat de Deo Moabitarum: nam imprecabatur bona istis mulieribus, quæ erant Moabitides, & ipsæ manebant adhuc in cultu idolorum, ideo imprecaretur eis benedictionem per Deum earum. Patet hoc, nam istæ duæ puellæ erant Moabitides, vt patet supra in litera, & Deus Moabitarum erat Chamos, vt patet 3. Regum 11. & 4. Regum 23. & ab hoc Moabitæ vocantur populus Chamos, Numer. 21. cap. Putabat autem quælibet gens, quod Deus suus erat, qui benefaciebat sibi: sic enim erat de Philisthinis, qui putauerunt, quod Deus suus Dagon tradidit in manus eorum Samsonem, ideo quando captus est Samson, fecerunt magnam solennitatem Dagon, & dicebant: tradidit Deus Samson inimicum nostrum in manus nostras: Iudic. 16. Sic etiam quando vicerunt Saulem, & occiderunt eum, putauerunt quod Dagon, & Astaroth dij sui tradiderunt eum in manus eorum, ideo arma Saulis consecrauerunt in templo Astaroth, & caput eius posuerunt in templo Dagon, 1. Regum 31. & 1. Paralipp. 10. ideo putabat quælibet gens, quod nullus Deus posset benedicere eis, aut benefacere, nisi Deus suus. Et sic istæ mulieres Orpha, & Ruth putarent, quod nullus Deus posset eis dare requiem, vel aliqua alia bona, nisi Deus suus Chamos: Noemi ergo quæ imprecabatur eis bonum, imprecaretur in nomine Chamos Dei earum. Aliquis dicet, quod Noemi imprecata est in nomine Dei sui Israel, quia cum ipsa esset Hebræa, non inuocaret alium Deum, nisi Deum Israel. Sed dicetur contra, quia interdum Israelitæ dicebant Deos gentium facere bonum, vel malum, sicut patet de Iephte Galaadite: Iudic. 11. cum dixit ad regem Ammonitarum: nonne ea quæ possedit Chamos Deus tuus tibi iure debentur? quæ nunc Dominus Deus noster victor obtinuit, in

B

C nostram cædent possessionem. Et sic dicebat, quod sicut Deus Israel in bellis vicerat quasdam gentes, & acceperat terras earum, ita Chamos Deus Moab obtinuit quasdam regiones. Sic ergo poterat dicere Noemi, quod Chamos Deus Moab benediceret istis puellis dando eis requiem inuenire in domibus virorum suorum: nam ille Deus, qui poterat bello subiicere sibi gentes, poterat dare requiem mulieribus in domibus virorum. Dicendum, quod Noemi locuta est hic de Deo Israel, quod patet primo, quia absolute locuta est, dicens: Deus det vobis inuenire requiem. Nam si intelligeret de Deo Moabitarum, exprimeret nomen eius, vel per aliquam circunlocutionem declararet, sicut dicendo, Deus vester det vobis requiem. Secundo patet, quia Noemi vere optabat, quod istæ puellæ haberent requiem in domibus virorum suorum, & tamen sciebat, quod nullus Deus poterat nocere, aut benefacere, nisi Deus Israel, quia ipse solus erat: ergo non inuocaret alium Deum ad hoc. Tertio patet, quia Noemi erat Hebræa, & non inuocaret alium Deum, nisi Deum suum, quia nefas esset, quod nominarentur alij dij. Sic patet Exod. 23. cum dicitur, quod nomina deorum alienorum non debebant audiri ex ore Iudęorum. Ad rationem in contrarium dicendum, quod regulariter erat prohibitum Iudæis nominare Deos aliarum gentium, potissime in rebus illis, in quibus poterat eis aliquis honor ascribi. Sic autem erat hic, quia si Noemi imprecaretur, quod Deus Moabitarum daret istis puellis requiem in domibus maritorum, designaret quod aliquam virtutem operatiuam haberet, & hoc erat idolatrare: ideo nihil tale diceret Noemi: sic enim erat in iurando: nam licet Israelitæ iurarent Gentilibus aliquid obseruare, non iurabant per nomina Deorum Gentilium, sed Dei sui Israel: sic patet Exod. 23. scilicet: Per nomen externorum Deorum nolite iurare, nec audientur ex ore vestro: vnde quando gentiles, & Iudæi faciebant simul aliquem contractum, vel inibant fœdera, iurabant Iudæi per Deum suum, & Gentiles per Deum suum: sicut fuit quando Laban, & Iacob inierunt fœdus: nam Laban iurauit per Deum Nachor, & Iacob iurauit per Deum Abraham, qui erat verus Deus: Genes. 31. cap. Cum autem obiicitur de Iephte dicendum, quod Iephte non asseruit Chamos Deum Moab obtinuisse aliquas regiones bello, sicut obtinuerat Deus Israel, sed solum recitauit id quod credebant Moabitæ, & Ammonitæ ad arguendum contra eos: fortius autem tenebant Moabitæ, quod Chamos Deus obtinuerat terram, in qua ipsi morabantur de manu priorum habitatorum: & ob hoc, quia ipsi iuste possidebāt illam. Ex eodem iure arguebant Israelitæ, quod cum Deus eorum obtinuisset de manu Amorrhæorum terram, quam petebant Ammonitæ, & Moabitæ, quod iuste possidebant Hebræi, & iniuste petebant Ammonitæ. Et sic sæpe arguimus contra Hæreticos ex aliquibus erroribus eorum concludendo contra alios errores: & per hoc non asserimus illos errores, quos assumimus.

D

E

Quomodo Noemi petiuit à Deo, quod daret istis puellis inuenire requiem in domibus virorum suorum.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlterius, cum nominauit Noemi Deum Israel, quomodo petiuit ab eo, quod daret istis puellis inuenire requiem in domibus virorum suorum. Videtur, quod ista petitio nullo modo reciperetur, quia Noemi præsupponebat, quod manerent istæ puellæ in terra sua in cultu dæmonum, & quod ibi benefaceret eis, Deus tamen non exaudit preces factas pro peccatoribus, sicut patet Ioan. 9. scilicet. Scimus, quia Deus peccatores non exaudit.

Respondendum, quod verum est, quod Noemi præsupponebat, quod istæ puellæ mansuræ essent in cultu dæmonum: & tamen credebat, quod oratio ista sua poterat exaudiri: nam existentibus in peccato mortali multa bona Deus concedit interdum, sicut patet, quia peccatores prosperantur interdum, imo magis, vt communiter, quam viri boni, vt patet Ierem. 12. & Iob 21. Et tamen certum est, quod prosperitas temporalis, vel afflictio non prouenit à fortuna, sicut quidam opinātur, sed à Deo omnia sunt, quia habet prouidentiam omnium rerum: & ista prosperitas euenit sine oratione, & merito sed solum ex voluntate Dei: interdum autem in existētibus in peccato sunt aliquæ prosperitates temporales ex merito quodam: nam licet peccatores non possint mereri vitam æternam, possunt mereri bona temporalia per aliqua opera: sic patet de duabus obstetricibus Ægyptiorum, quæ in Gentilitate manebant, cum adhuc essent Ægyptiæ; & tamen, quia noluerunt occidere paruulos Hebræorū timentes magis Deum, quam præceptum regis, ædificauit Deus eis tabernaculum: Exo. 1. Ita putabatur esse de istis duabus puellis, quia per bona opera sua saltem materialiter meruerunt bona temporalia, licet essent in peccato mortali. Et hoc innuit Noemi dicens, faciat Dominus vobiscum misericordiam, sicut feciſtis cum mortuis, & mecum, & det vobis inuenire requiem in domibus virorum quos sortituræ estis.

F

Quare Ruth osculata est Noemi cum intenderet ire cum ea in terram suam.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, quare Ruth osculata est Noemi, cum intenderet ire cum ea in terram suam. Sciendum ad hoc, quod istud osculum fuit ad expeditionem: nam Noemi volebat recedere à nuribus suis in æternum, & in signum dilectionis voluit eas osculari. Aliquis autem dicet,

quod

A quod quamquam Noemi intendebat expedire ſe de nuribus ſuis oſculando eas, ipſę non intendebant dimittere eam, quamquam oſcularentur illam, ſed oſculabantur eam, ne viderentur repudiare ipſam volentem oſculari illas. Et patet de vtraq; nuru: nam Ruth oſculata eſt ipſam Noemi, & tamen rediit cum ea: etiam Orpha oſculata eſt, & tamen poſtea volebat reuerti: vnde ambæ nurus dixerunt ipſi Noemi: tecum pergemus, poſtquam ipſam oſculatæ fuerunt, vt patet in litera. Dicendum, quod oſculum erat ſignum expeditionis, & hoc intendebant Orpha, & Ruth; & tamen poſtquam oſculatę ſunt ipſam Noemi cauſata eſt quædam teneritudo amoris, ita difficilius, quam prius viderentur iam recedere ab ea: vnde denuo voluerunt ire cum ea, ideo dixerunt tunc: tecum pergemus. Iſta teneritudo non fuit magna in Orpha, ideo cum dixit ei Noemi, quod reuerteretur, illico reuerſa eſt: in Ruth autem cauſatum eſt magnum deſiderium eundi cum Noemi, ideo quamquam ipſa admonuit eam, quod reuerteretur ad populum ſuum, noluit. Sed quare dixit Noemi nuribus, non habeo filios in vtero, vt viros ex me expectare poſſitis? Reſpondendum, quod voluit innuere Noemi, quod nurus ſuæ nullam cauſam habebant ſequendi eam: & quia vna cauſa, quare ſequerentur eam poterat eſſe, vt haberent alios maritos de filiis eius, ſicut habuerant primos maritos, dixit, non habeo filios in vtero, vt ex me viros expectare poſſitis. Cauſa motiua nurum Noemi erat, quia ſecun-

B dum legem quando moriebatur maritus alicuius mulieris ſine ſemine, frater illius tenebatur ſuſcitare ſemen fratri ſuo accipiendo vxorem illius in vxorem, & non licebat illi mulieri accipere alium virum ſi frater defuncti vellet eam accipere in vxorem: & ſi ipſe frater defuncti eam non accipiebat, fiebat ſibi quædam contumelia diſcalciando ſotularem eius, & ſpuendo in faciem illius: Deuter. 25. ideo iſtæ nurus Noemi forte nolebant accipere alios viros, niſi de filiis Noemi: & ob hoc volebant ire cum ea, vt poſtea viros acciperent de filiis eius. Et ad hoc dixit Noemi, quod non habebat filios in vtero, nec poterat iam concipere, quia erat ſenectute confecta. Dicendum tamen, quod iſtæ puellæ non ſequebantur Noemi propter hoc, nec etiam Noemi iſtud intendebat, quia lex illa, quæ obligabat fratres defuncti ad accipiendum vxorem defuncti ſucceſſiue non intelligebatur, niſi de ſtantibus, ſcilicet, quod omnes fratres alicuius, qui extarent tempore, quo moreretur frater eorum maior obligabantur ad iſtam legem, qui autem nondum nati erant, non obligabantur, quia incertum erat, an aliqui naſcerentur; & teneretur ſic mulier ſub incertitudine expectare tota vita ſua quouſq; moreretur mater defuncti, vel pater: ita vt iam non poſſet ille habere fratres, quod valde inconueniens eſt: ideo ad ſolos extantes extendebatur lex, & tamen non habebat Noemi nunc alios filios, ideo non expectabant nurus eius

C alios, quos pareret, vt illos acciperent tanquam eſſent ad hoc obligatæ. Dixit tamen hoc Noemi ad oſtendendum, quod nullam cauſam haberent nurus ſuæ ad redeundum cum ea: quia ſi haberent aliquam cauſam, iſta eſſet maxime, vt haberent alios maritos de filiis eius: & tamen nullos filios viuentes habebat, nec etiam in vtero: nec poterat habere illos propter ſenectutem, & iſtud dixit ad ſuperabundantiam, vt magis concluderet ratio ſua.

Doct. reſp.

An lex de ſuſcitando ſemen defuncti erat apud Gentiles, ſicut apud Iudæos. Et an lex de repudio, & vſuris, & ſuſcitatione ſeminis prius fuerit inter Gentiles, quam inter Iudæos, vel è contra.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, cum Noemi loqueretur ad nurus ſuas, præſupponendo, quod frater defuncti teneretur ſuſcitare ſemen eius, an ſicut erat iſta lex inter Hebræos, ita etiam eſſet inter Gentiles: nam alias iſta locutio Noemi non procedit. Aliquis dicet, quod dato, quod non eſſet iſta lex de ſuſcitatione ſeminis inter Gentiles, tamen locutio Noemi faciebat ad propoſitum, quia licet Ruth, & Orpha eſſent Gentiles, filij tamen Noemi erant Iudæi, & tenebantur ad legem de ſuſcitatione ſeminis. Dicendum, quod non ſtat, quia cum Ruth, & Orpha eſſent Moabitæ non tenebantur ad legem Iudæorum, ideo dato, quod filij Noemi vellent

D eas ducere in vxores ad ſuſcitandum ſemen fratrum ſuorum, nollent illæ, & non tenerentur ſubire iſtam legem, & ſic non redirent cum Noemi tanquam obligatæ ad obſeruandum iſtam legem, niſi data eſſet iſta lex Iudæis, & eſſet etiam inter Gentiles. Reſpondendum etiam, quod lex de ſuſcitatione ſeminis erat inter Gentiles, & Iudæos: & propter hoc forte dedit illam Deus Iſraelitis, quia aliæ gentes illam habebant. Et patet hoc, quia inter Chananęos erat iſta lex multo tempore antequam daretur lex Iſraelitis, imo antequam deſcenderet Iacob in Ægyptum: nam Iudas filius Iacob accepit vxorem de ſtirpe Chanaan: & accepit ex ea tres filios, & primogenitus accepit vxorem de ipſiſmet Chananæis, quia tunc non erant Iudæi, de quibus acciperet vxorem, & mortuus eſt ille ſine liberis. Dixit ergo Iudas, quia ſecundus filius eius acciperet eam in vxorem, vt ſuſcitaret ſemen fratri ſuo mortuo: & iſto etiam mortuo ſine liberis petiuit mulier tertium filium Iudæ in virum ad ſuſcitandum ſemen fratrum ſuorum: Geneſ. 38. Ergo inter Gentiles erat lex de ſuſcitatione ſeminis antequam inter Iudæos: & vt non eſſent Iudæi minores dignitate, quam aliæ gentes, dedit etiam Deus illis hanc legem: ſic etiam fuit de multis aliis legibus, quæ licet non eſſent valde conuenientes, dedit illas Deus Iudæis, vt nō putarent ſe magis grauari, quam alias gentes, quæ habebant iſtas leges. Sic fuit de libello repudij: nam manifeſtū eſt quod

E gentiles habebant iſtam legem, quia etiam in legibus Romanorum, quæ traditæ ſunt in libris digeſtorum, habebatur de maritis repudiatarum: ſic etiam patet de lege permittente vſuras: Deuter. 24. Nam inter Gentiles vſuræ licitæ erant; & ſi non concederentur Iudæis, putarent ſe grauari: & forte non cuſtodirent totam aliam legiſlationem, ideo promiſit Deus vſuras: & tamen moderauit eas aliqualiter, ſcilicet, quod nō exigerent eas Hebræi ab Hebræis, ſed ab extraneis, vt patet ibid. Et hoc patet de libello repudij: Matth. 19. ſcilicet, cum dixit Chriſtus Iudęis, quod libellus repudij ad duritiam cordis Iudæorum datus eſt, ſcilicet, quod non tolerarent forte alias leges, quæ bonæ erant, niſi permitteretur iſtud: & permiſit Deus quædam illis, tanquam imperfectis: erat ergo lex iſta de ſuſcitatione ſeminis inter Gentiles priuſquam inter Hebræos, & ſecundum hoc tam Moabitæ, quam aliæ gentes conuicinæ Iudęis ſeruarent illam. Vnde Orpha, & Ruth. quę erant Moabitides obligabantur ad iſtam legem: ideo ſi Noemi haberet alios filios, qui poſſent ſuſcitare ſemen fratrum ſuorum, tenebantur iſtæ expectare eos, donec eſſent adultæ ætatis, & acciperent eos, alioquin nō poterant accipere alios viros: ſi autem iſti nollent eas accipere, poſſent ipſæ tunc accipere, quos viros vellent. Sciendum, quod iſta lex apud gentiles ſeruabatur ſecundum eaſdem cæremonias, ſecundum quas ſeruabatur apud Iudæos, ſcilicet, quod omnes fratres defuncti minores eo ſucceſſiue obligabantur accipere vxorē

F eius quouſq; ſuſcitaretur ſemen ipſi defuncto: & ſi eſſet frater defuncti paruulus, & nō poſſet illico ſuſcitare ſemen, cogebatur vxor defuncti expectare vſq; ad pubertatem illius: ſic patet de Iuda Gen. 38. cuius duo filij acceperunt ſucceſſiue Thamar in vxorem, & non habuerunt filios; & dixit tunc Iudas ad Thamar, quod maneret in habitu viduitatis in domo patris ſui vſquequo creſceret Sela, qui erat tertius filius eius, & acciperet illam in vxorem, & expectauit Thamar, & cum veniſſet ad pubertatem Sela, & non daretur ei in virum, ipſa videns ſe grauari à Iuda, decepit eū, vt patet ibi. *Et egreſſa eſt manus Domini contra me.* Id eſt, Deus voluit me punire occidendo virum meum, & filios. Et ponitur metaphora, quia Deus non habet manum, nec aliquas partes corporis: ſed ſicut in hominibus fit, quod manus in eis eſt organum operatiuum ad bonum, vel ad malum: ita in Deo cū nobis nocet, dicimus manum eius egredi contra nos, & cum nos adiuuat dicimus manum eius egredi pro nobis: & quamquā manus Domini directius erat hic cōtra Elimelech, & filios eius, qui occiſi fuerant à Deo per morbum, tamen, quia ex morte eorum erat calamitas ipſi Noemi, quæ ſola manebat, dicebatur Deus percuſſiſſe eam. *Eleuata voce igitur rurſum flere cœperunt.* Quando Noemi oſtendit calamitatem ſuam verbo, dicēs ſe à Deo percuſſam, condoluerunt ei magis nurus ſuæ, & tunc fleuerunt rurſus eleuata voce ad oſtendendum magnitudinem doloris. *Orpha oſculata eſt ſocrum, & reuerſa.* Supra dicebatur,

A tur, quod Noemi oſculata fuerat nurus ſuas: hic autem dicitur, quod Orpha oſculata eſt ſocrum ſuam Noemi. Et ratio eſt, quia prius Noemi volebat expedire ſe de nuribus ſuis, & ad expeditionem ipſa petiuit oſculari eas: nunc autem Orpha volebat reuerti non petente hoc Noemi, ideo ipſa oſculata eſt ſocrum. Sed tunc dicetur, quomodo Orpha volebat nunc redire cum prius nollet etiam petente hoc Noemi. Dicendum, quod Orpha non deſiderabat redire cum Noemi in terram Iſrael, & tamen ad conſolandum eam, & honorandum dixit, quod volebat ire cum ea, & ad hoc oſculata eſt eam & Ruth ipſa Noemi tanquam volens eas omnino dimittere, & cum oſcularetur eas, natus eſt eis quidam amor, vel ſtimulus ad magis cõdolendum ipſi Noemi, & dixerunt, tecum pergemus: quia tamen poſt hæc dixit Noemi, quod non irent, quia non habebat filios, quos accipere poſſent in maritos, putans ſatis eſſe Orpha hoc ad hoc, quod honeſte iam dimittere poſſet ipſam Noemi, oſculata eſt eam, & receſſit. *Ruth adhæſit ſocrui ſuæ.* Scilicet, firmiter nolens ab ea diuelli: nam Orpha licet oſtenderet ſe velle ire cum ea, non firmiter hoc volebat. *Cui dixit Noemi: en reuerſa eſt cognata tua.* Volebat perſuadere Noemi ipſi Ruth, quod reuerteretur in terram ſuam: & dixit, iam reuerſa eſt Orpha cognata tua, reuertere ergo, & tu. Et vocauit eam cognatam ſuam, quia forte erant ambę de eadem progenie, vel ſignat cognatus affinitatem, & non conſanguinitatem hic. Et dicetur Orpha co-
B gnata Ruth, quia erant vxores duorum fratrum. Sic accipitur interdum in aliis locis, vt patet de Iethro, qui vocatur cognatus Moyſi: Numer. 10. & Iudic. 1. & tamen erat ſocer eius, quod eſt nomen affinitatis, quia Moyſes acceperat in vxorem filiam Iethro, vt patet Exod. 2. *Ad populum ſuum, & ad Deos ſuos.* Scilicet, ad cognatos ſuos Moabitas, vt maneret inter eos, & etiam ad Deos ſuos, ſcilicet, vt coleret illos. Ex hoc innuit Noemi, quod Orpha ante hoc coluerat idola, & nunc etiam reuertebatur ad colendum illa, cum maneret in terra illa, in qua frequentabatur cultus idolorum. Si autem ante hoc ceſſaret aliquo tempore Orpha colere idola, non diceret nunc Noemi, quod redibat Orpha ad colendum Deos ſuos: iſtud dixit Noemi ad tentandum cor Ruth, ſi vellet reuerti, & dimittere eam. Nam duo erant, per quæ Ruth efficaciter poterat retrahi ab eundo cum Noemi. Primum erat deſiderium parentum, & cognatorum, & natalis ſoli. Secun-
dum erat amor quidam Deorum terræ ſuæ, in quorum cultu enutrita fuerat. Si autem nunc iret cum Noemi, vtrumque mutare debebat. Nam parentes, amicos, & cognatos, & natale ſolum deſereret, & iret ad terram incognitam, in qua verſaretur tanquam alienigena. Etiam cultus Deorum ſuorum priorum mutandus erat, quia in terra illa non permitteretur coli alius Deus, niſi Deus Iſrael. Hoc autem duo tetigit Noemi dicens, reuerſa eſt ad populum ſuum, & Deos ſuos, vt videret ſi forte deſiderio iſtarum duarum rerum
C moueretur; & ſi non moueretur, erat firma in propoſito, & apta ad eundum cum ipſa in terram Iſrael. *Vade cum ea.* Scilicet, & non perdas delectationem parentum, & propinquorum, amicorum, & natalis ſoli. Et non refertur iſtud ad omnia præcedentia. Nam dixerat Noemi de Orpha, quod reuerſa fuerat ad populum ſuum, & Deos ſuos: non tamen hortaretur Noemi ipſam Ruth, quod reuerteretur ad Deos ſuos, quia in hoc peccaret: ſolum ergo refertur ad populum, ſcilicet, quod reuerteretur ad populum ſuum. *Quæ reſpondit, ne aduerſeris mihi, vt relinquam te, & abeam.* Cum Noemi ſæpe inſtaret, quod Ruth reuerteretur, & ipſa Ruth neſciret quid reſponderet, haberet autem animum eundi cum Noemi, moleſtabatur ex verbis eius: ideo petiuit, quod amplius non loqueretur ſibi de hac re, & dixit: Ne aduerſeris mihi, ſcilicet, quia hortando, quod reuerteretur aduerſabatur, cum intentio ſua eſſet eundi ſuper cum Noemi; & potiſſime dicit aduerſeris, quia iſta verba erant nimis pungitiua, & motiua: nam nihil magis mouere poterat ipſam Ruth ad redeũdum, quam deſiderium parentum, & natalis ſoli, & Deorum, in quorum cultu fuerat enutrita, ideo nolebat audire iſta verba ſæpe, quia affligebatur animus eius. *Quocunque perrexeris pergam.* Id eſt, non inſiſtas perſuadendo mihi, quod reuertar, quia non faciam, ſed quocunque perrexeris pergam; ideo ſi vadis in terram tuam Iſrael illuc vadam, & ſi in regionem aliarum gentium iueris, illuc ibo. *Vbi morata fueris, & ego pari-*
ter morabor. Scilicet, etiam in quocunque loco habitaueris, D
ego habitabo: ita quod non ſolum ibo ad gentem, ad quam tu iueris, ſed etiam morabor in loco, in quo tu morata fueris. *Populus tuus populus meus.* Id eſt, ille, qui fuerit populus tuus, volo, quod ſit populus meus, & nolo aliquem alium populum. *Deus tuus Deus meus.* Scilicet, ille Deus, quem colueris erit Deus meus, & illum colam, & non curabo de alio Deo. *Quæ te morientem terra ſuſceperit, in ea moriar.* Id eſt, vſque ad mortem manebo tecum, vnde in terra, in qua tu obieris, etiam ego moriar. *Ibique locum accipiam ſepulturæ.* Scilicet, præ deſiderio, & amore tui manebo in ipſo loco, & ibi accipiam ſepulchrum, nec faciam transferri corpus meum in terram meam, vt ſepeliatur cum meis progenitoribus. *Hæc mihi faciat Deus, & hoc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparauerit.* Id eſt, deſtruat Deus, vel faciat Deus mihi multa mala, ſi receſſero vnquam à te, niſi per mortem: nam mors nos ſeparabit, ſed prius à te ego non ſeparabor cum mei compos fuero. Eſt modus iurandi iſte frequentatus in ſacra ſcriptura, vt patet primo Regum vigeſimo, & in multis aliis locis: & eſt ſenſus, quod iurans aliqua mala nominet dicens, Deus tradat me in manus hoſtium: & addat alia mala nunquam me inde liberando, ſi fecero tale, vel ſi non fecero. Et dicitur hoc faciat, & addat hæc, ad demonſtrandum mala, quæ iſti ſuper ſe imprecantur, ſicut etiam nunc fit. Non ponuntur determinate illa mala, ſed dicitur: Hæc, & hæc: & Ruth concluſit ſententiam in hoc dicens, quod ſola mors eam ſepararet à Noemi: E
nam poſt hæc non haberet Noemi quid replicare poſſet. *Videns ergo Noemi, quod obſtinato Ruth animo decreuiſſet ſecum pergere.* In verbis præcedentibus vidit Noemi, quod Ruth firmiter decreuerat pergere cum ea, quia non poterat hoc magis ſignificari, quam ſignificauit illud Ruth. Et dicitur obſtinato animo, id eſt, firmo: conſueuit enim poni obſtinatio ſemper in malum. Vnde morientes in peccato mortali dicimus obſtinatos: & dæmones, & omnes manentes apud inferos dicimus obſtinatos, ſed obſtinatus ſecundum ſe non ſignificat, niſi firmum, ideo obſtinati in malo dicuntur, qui in malo firmiter manent nunquam inde diuellendi. *Aduerſari noluit.* Quia prius aduerſabatur ei oſtendendo, quod nollet, quod ſecum iret, vel ſuadendo, quod recederet ipſa, & Ruth dixerat ne aduerſeris mihi, vt relinquam te, & abeam. *Et vltra ad ſuos reditum perſuadere.* Prius ſuadebat ei redire: & hoc faciebat, quia nondum cognouerat intentionem eius firmiter, & nolens, quod Ruth poſtea pœniteret, ſi iret in terram Iſrael, ſuadebat ei reuerti: ſed cum vidit, quod firmiter manebat in propoſito, deſtitit perſuadere ei. *Profectæque ſunt ſimul.* Scilicet, quia noluit Ruth dimittere Noemi ſocrum ſuam. *Et venerunt in Bethlehem.* Id eſt, de terra Moab venerunt in Bethlehem. Eſt enim Bethlehem ciuitas in ſorte Iudæ parum diſtans à Ieruſalem, de qua erat oriunda Noemi: & erat ibi poſſeſſio viri ſui Elimelech, & filiorum ſuorum defunctorum. *Quibus ingreſſis vrbem velox apud cunctos fama pertre-* F
bruit. Illico, vt Noemi venit in Bethlehem cognitum erat, quia de diuitibus magna fama habetur, vel, quia multo tempore extiterat extra Bethlehem, ſcilicet, decem annis in terra Moab. *Dicebantque mulieres, hæc eſt illa Noemi.* Quia Noemi mulier erat, magis nota erat fama eius apud mulieres, quam apud viros: & ille de ea magis loquebantur. Quare autem dicebant, hæc eſt illa Noemi, infra dicetur in quadam quæſtione. *Quibus ait: Ne vocetis me Noemi.* Omnes mulieres dicebant vulgariter, hęc eſt illa Noemi: & audiens ipſa Noemi reſpondebat: ne vocetis me Noemi. *Sed Mara.* Poſuit autem illas tranſlator noſter ad ſignificandum, quid vellet dicere Noemi. Nam Noemi interpretatur pulchra, & Mara interpretatur amara, & non oportebat, quod poneretur in Hebræo aliqua expoſitio, vel interpretatio, quia manifeſta eſt ſignificatio nominum, & tamen apud Latinos erat incognita ſignificatio: & ſic neſciretur quid volebat dicere Noemi cum ait: nolite vocare me Noemi, ſed Mara: & ſic tranſlator noſter expoſuit, dicens Noemi, id eſt, pulchram, & Mara, id eſt, amaram: ſic enim vocatur Mara apud nos quædam manſio Iſraelitarum in deſerto: Exod. 15. & Numer. trigeſimo tertio, ſcilicet, quia ibi non inuenerunt aquam dulcem, ſed puteos aquarum amariſſimarum, quas Moyſes à Deo inſtructus cõuertit in dulcedinem, & vocatus eſt locus Mara, ſiue Marath apud nos. *Quia valde me amaritudine repleuit omnipotens.* Dat

Obſtinatus ſecundum ſe quid ſibi velit.

Noemi interpretatur pulchra & Mara amara.

cauſam

A causam quare non est vocanda Noemi, id est pulchra, quia pulchritudo significat quandam perfectionem, & dilectionem, cùm videntes rem pulchritudine delectentur, & hoc non competebat iam ipsi Noemi, quæ omni bono carebat, & valde afflicta erat: sed proprie competebat ei, quod esset nomen suum Mara, quia Deus repleuerat eam amaritudine auferendo ei virum, & filios, & omne bonum, quod habebat. *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Declarat hic, quomodo Deus repleuerit eam amaritudine, sc. quia egressa plena de Bethlehem, sc. plena omni bono: nam habebat virum, & filios, & diuitias multas: nunc autem viro, & filiis orbata etiam paupertate confecta redibat, quia omnes diuitias suas expenderat, vel perdiderat in terra Moab. *Cur ergo vocatis me Noemi? quam humiliauit Dominus, & afflixit omnipotens.* Qua si dicat iniustè mihi hoc nomen ascribitur, cùm nihil de signato illius in me reperiatur, scilicet, de pulchritudine, & iucunditate: sed potius oppositum, quia Dominus humiliauit me, & afflixit, scilic. auferendo magnitudinem status mei, & deprimendo me, vt iam quasi nihil sim. *Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide sua nuru de terra peregrinationis suæ.* Ista est recapitulatio, quia iam positum fuerat qualiter venerat, & etiam quid dicebatur in Bethlehem quando venit: sed repetitur hic ad continuandum vltra historiam Ruth. Et dicitur de terra peregrinationis suæ, scilicet terra Moab, in qua manserat peregrina decem annis, vt patet supra in litera. *Ac reuersa est in Bethlehem.* Quia ista erat ciuitas, in qua erat habitatio Noemi. *Quando primum hordea metebantur.* Id est, in principio messis hordeaceæ. Istud erat in terra Israel in mediate mensis primi, qui est apud nos Martius: quod patet, quia Pascha, & festum azymorum erat apud Iudæos quartadecima die mensis primi, vt patet Leui. 23. & Exo. 12. & tunc incipiebant hordea colligi. Nam die festa azymorum mittebatur primũ falx in spicas hordei. Quod patet, quia Leui. 23. dicitur, quòd die illa offerretur Domino manipulus spicarum virentium, & ante illud tempus nõ licebat mittere falcem in segetem, nec facere panes, aut polentam, vel aliquid aliud ex segete, sed tunc incipiebant omnes metere hordea. Erat autem istud festum aliquando ad medietatem Martij nostri, aliquando post, eo quòd mensium principia apud Hebræos mutantur, quia menses eorum computantur secundum lunam, vt declaratum est Exod. 12. & Num. 28. & venit quando primum hordea metebantur, id est in principio messis ordeaceæ: ideo esset medietas Martij nostri, vel parum plus. Istud ponitur ad continuandum, & introducendum historiam sequentem, scilicet, quomodo Ruth colligendo spicas accepit Booz in maritum, vt patet infra tertio, & quarto.

B

Quomodo Ruth tanta tenacitate adhæserit Noemi socrui suæ, vt nequaquam ab ea diuelli posset.

C

Qvæstio XXII.

Qværetvr vlterius, quomodo Ruth tanta tenacitate adhæserit Noemi socrui suæ, vt nequaquam ab ea diuelli posset, quamquam multa erant, quæ eam possent dissuadere: & tamen dixit, quòd sola mors eam separaret ab ipsa. Respondendum, quòd satis difficile fuit, quòd Ruth tanto amore vniretur ipsi Noemi: nam multa retractiua erant. Primum erat desiderium parentum, quia habebat Ruth patrẽ, & matrem, vel saltem matrem: nam dixerat Noemi ad Orpham, & Ruth: ite in domum matris vestræ: & amor maternus est maximus, vt declarat Arist. 8. Ethic. ideo difficile erat, quod Ruth dimitteret matrem propter socrum. Aliud difficile erat, quòd dimittebat Ruth natale solum, quòd magnæ dulcedinis est propter connaturalitatem, & conuersationem à tenera ætate, & ibat ad terram alienigenarum, in qua nullũ cognatum, nullum amicum habebat. Alia difficultas erat, quia enutrita erat Ruth in cultu Deorum Moab, & nunc cùm transiret in terram Israel cogeretur tenere cultum Dei Israel: & istud erat satis graue, quia non erat consuetudo Gẽtilibus mutare Deos suos, sed eosdem Deos, quos semel colebant semper colebant, vt patet Ierem. 2. scilicet. Propterea adhuc contendam iudicio vobiscum dicit Dominus filiis Israel: transite ad insulas Cæthim, & in Cædar quoq; mittite, & videte si factum est hoc, & si mutauit gens Deos suos, & ipsi non sunt dii, populus autem meus mutauit gloriam suam in idolum. Aliud difficilè erat, quòd Noemi erat pauper, nec videbatur posse sustentare se, nec Ruth. Quod patet, quia quando venerunt in Bethlehem iuit Ruth ad colligendum spicas in agrum, vt patet seq. cap. & hoc vt sustentaretur ipsa, & Noemi: omnia tamen ista libenter se dixit toleraturam Ruth, vt veniret cum Noemi inquiens, quocunq; perrexeris pergam, & vbi morata fueris pariter morabor, populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus: quæ te morientem terra susceperit in hac moriar. Dicendum tamen quod inductiua ad hoc, quòd Ruth vellet tanta difficilia tolerare, nõ manifeste apparent, tamen potest esse vnum, quia forte ipsa Noemi se habuerat valde bene erga nurus suas: & cùm Ruth esset valde generosi cordis, voluit reddere vicem ipsi Noemi comitando eam quocunq; iret nunc, cùm opus erat vicissitudine. Secundùm erat, quia nunc erat Noemi in magna calamitate: nam perdiderat virum, & filios, & expenderat diuitias suas in decem annis in terra Moab: & tunc cum vellet redire in terram suam, erat sola, in qua valde affligerentur. Et quia corda nobilia, & generosa mouentur valde erga afflictos compatiendo, mota est Ruth erga Noemi: & voluit ipsa potius affligi carendo solatiis terræ suæ naturalis, & parentum, cognatorum, & amicorum, quam ipsa Noemi desolatam relinquere: ista motiua aliqualia sunt, & tamen ad subeundum tantam difficultatẽ, quantam subiuit Ruth, vt patet sup. non videbatur satis sufficere, q̃libet istorũ, inductiuorũ nec ambo. Tertium est, sc. q̃ Ruth à Deo mota fuerit, & istud est verisimilius, sc. Deus elegerat istam Ruth, vt de stirpe eius descenderet Dauid, & etiam descenderet Messias: & ad hoc infixit cordi eius magnos stimulos, vt desideraret ire cum Noemi, quia alias non poterat istud compleri, & sic fit sæpe quòd Deus immittit hominibus desideria ad faciendum aliquid, & nesciunt à quo moueantur, sicut dicitur 4. Re. 19. de Senacherib, quando volebat obsidere Ierusalem, & timeret nimis Ezechias: dixit enim Deus, ecce ego immittam ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram suam: ille autem spiritus immissus erat desiderium ad redeundum in terram suam: ita nunc Deus immitteret ipsi Ruth desiderium eundi cum Noemi in terram Iuda, & dato quod maiores difficultates distractiuæ essent, adhuc omnes illas subiret Ruth, & nesciret à quo moueretur ad desiderandum hoc, sed solum sentiret, quod nimis desiderabat istud.

D

Cor generosũ in quo cognoscitur.

E

Quomodo dixit Noemi ad Ruth, ecce reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos.

F

Qvæstio XXIII.

Qværetvr vlterius, quomodo dixit Noemi ad Ruth ecce reuersa est cognata tua ad populũ suum & ad Deos suos. sc. ad Deos Moabitarum, cùm Moabitæ vnum Deum colerent, scilicet Chamos: sic patet 3. Reg. 11. & 4. Reg. 23. scilicet, quòd Chamos erat Deus Moab. Etiam Moabitæ vocabantur populus Chamos, id est illius Dei, vt patet Num. 21. & Isa. 16. & etiam Iephte Galaadites cum loqueretur ad regem Ammon, & Moab de his, quæ obtinuerat Deus suus, solum dixit de Chamos inquiens: nonne ea, quæ possedit Chamos Deus tuus tibi iure debentur, quæ autem Deus noster victor obtinuit in nostram cedent possessionem, Iudi. 11. si tamen essent multi alij dij Moabitarum, illa vxor Salomonis, propter quam Salomon faciebat templum idolo Chamos, instigaret, q̃ etiam fierẽt templa aliis diis Moabitarum: & tamen nõ instigauit, & solum factum est templum idolo Chamos, ergo erat iste solus Deus Moab. Item cum Moabitæ vocarentur populus Chamos, quia Chamos erat Deus Moab, ita vocarentur populus aliorum Deorum si Moabitæ alios Deos haberent: & tamen non vocantur populus, nisi Chamos, ergo iste solus erat Deus Moab. Item patet, quia si alii præter Chamos essent etiam dii Moab, quando Iephte loqueretur de his, quæ obtinuerat Chamos Deus corũ, loqueretur etiam de his, quę obtinuerant alij dij, & tamen solũ dixit de Chamos, ergo solus Chamos erat Deus Moabitarum, & sic non posset dici de Orpha, q̃ reuersa est ad Deos suos. Respondendum, q̃ Moabitæ, & quilibet Gentiles colebant

A multos deos: nam cum Iuppiter reputaretur maximus deorum, tanquam pater in omnibus gentibus coleretur: sic etiam de Apolline, Mercurio, Marte, & aliis diis: & tamen dicebantur Moabitæ habere vnum Deum, quia ille erat proprius illius terræ: alii autem erant tanquam dij communes multarũ gentium. Vel quia forte iste Deus reputabatur potentior omnibus aliis diis, & vocabatur singulariter Deus Moabitarum: & sic patet de Philisthinis, qui multos Deos colebant, sc. Dagon 1. Reg. 5. Et Astaroth 1. Par. 2. & 1. Reg. 31. & Beelzebub 4. Reg. 1. Et tamen specialiter, & per excellentiam vocabatur Dagon Deus Philisthinorum, & illi attribuebant Philisthini omnia bona sua, sic patet quando obtinuerunt victoriam de Samsone: nam fecerũt magnificas hostias deo suo Dagon, & dixerunt, tradidit Deus noster Samson inimicum nostrum in manus nostras: Iudi. 16. & victoriam, quam obtinuerunt de Israelitis, ipsi Dagon asscripserunt, quando capta est arca Dei in bello, ideo ad reuerentiam magnam posita est arca Dei Israel in templo Dagon quasi ipse cepisset eam viribus, 1. Reg. 5. etiam quando occisus est Saul in bello, & filij sui fugatusque est populus, ascripserunt Philisthini victoriam istam Dagon, ideo in templum Dagon positum est caput Saulis 1. Par. 10. Sic ergo apud Moabitas essent multi dij quorum præcipuus esset Chamos, ideo vocabatur ille specialiter Deus Moabitarum, quasi ipse solus esset. Et ob hoc Salomon ad instantiam vxoris suæ Moabitæ solum fecit

B templum Chamos idolo Moabitarum, & ipsi Moabitæ solius Chamos vocabantur populus. Et Iephte loquens ad regem Amon & Moab, de solo Chamos locutus est: quia tamẽ multi alij colebãtur dij in terra Moab, & omnes illos colebat quilibet Moabita, recte dictum est, quòd Orpha reuersa fuerat ad Deos suos.

Quare Ruth dixit tot verba Noemi.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR vlterius, quare Ruth dixit tot verba ad Noemi, sc. quocunque perrexeris, pergam, vbi morata fueris, pariter morabor, &c. quia vnum eorum sufficiebat ad ostendendam intentionem Ruth. Respondet Rabbi Salomon, & alii Hebræi, quòd istæ sunt responsiones, quas faciebat Ruth ad dicta Noemi. Pro quo sciendum, quòd dicunt ipsi Hebræi, quod quando aliquis de Gentilibus cõuerti vellet ad Iudaismum, indicanda erant ei omnia difficilia legis, vt videret, an vellet conuerti, & postea non pœniteret eum se esse conuersum: sicut volentibus ingredi religionem proponendæ sunt difficultates religionis, vt sciat quid petiit, & ad hoc dicunt, quod petiuit Noemi à Ruth quinque difficultates legis, an vellet tollerare illas. Prima erat, sc. quod non licebat Israelitis peregrinari extra terram suam sine aliqua causa necessaria, & tunc dixit Ruth, ego seruabo hoc, quia non ibo ad aliquam terram, nisi ad quam tu iueris. Secundum difficile erat, quòd mulieribus Israelitis non licebat morari cum aliquo viro, nisi essent mariti illarum. Et dixit Ruth, vbi morata fueris morabor, id est, tu es vidua sicut ego, & vbi tu morata fueris, ego morabor, & sic non faciam contra legẽ. Tertium erat, quod Israelitę tenebantur seruare legem à Deo datam, quæ continebat 613. præcepta, & Ruth dixit populus tuus, populus meus, id est, ego faciam sicut populus tuus, sc. quod sicut illi custodiunt ista præcepta, ita ego custiam illa. Quartum erat, quia Israelitis non licebat colere alium Deũ, nisi suum, & nunquam idola: & dixit Ruth Deus tuus, Deus meus, sc. ipsum solum colam. Quintum erat, quod præuaricantes legem inter Israelitas afficiebantur morte, quæ erat quadruplex, scil. combustionis, iugulationis, lapidationis, & strangulationis vel suspensionis, vt patet Leu. 21. & Deut. 13. & 21. & Nu. 35. & quantũ ad hoc respondit Ruth, & dixit quæ te terra morientem susceperit, in hac moriar, ibiq; locum accipiam, id est quacunque morte tu morieris, hanc ego pariter sustinebo. Sed dicendum, quòd hoc non multum conuenit, quia si istę essent responsiones Ruth ad dicta Noemi, ponerentur etiam dicta Noemi, sed non ponuntur. Secundò patet, quia aliqua istorum dictorum coincidunt cum aliis. Nam in tertio coincidunt omnia, quia illud est de obseruatione generali totius legis, & vltra totam legem non sunt aliqua

Hebræorũ respon. ad quæsitum.

Notandũ Noemi à Ruth legis difficultates petiit.

C præcepta, quæ oporteret distingui inter se, nec distinguuntur alia quatuor à tertio, & tamẽ distinguuntur. Tertiò patet quia stante hoc aliqua istorum sunt ad quæ non rectè respõderet Ruth: nam quod diceret Noemi quod tenebantur Israelitæ ad obseruanda omnia præcepta legis, & responderet Ruth: populus meus, populus tuus, non erat conueniens responsio, quia non erat ad propositum. Item cum dixit Noemi, vt isti voluut, quod in lege erat pro præuaricatoribus pæna mortis quadruplicis, non erat ad propositum, responsum Ruth, sc. quæ te terra morientem receperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturę. Etiam cùm diceret Noemi ꝙ non licebat mulieri secundum legem Hebræorum habitare cum aliquo viro, nisi esset maritus suus, non erat conueniens responsio, sc. vbi morata fueris pariter morabor, quia poterat esse quod Noemi non acciperet vitum, & Ruth acciperet & sic non deberet habitare in eodem loco. Sexto patet, quia si Noemi intendebat denunciare ipsi Ruth difficilia legis solùm nõ denunciaret ei, nisi illa quæ essent difficilia ipsi Ruth, & tamen primum ipsorum quòd proposuisse dicunt, s. quod non licebat Israelitis ire extra terram Israel sine causa non erat difficile ipsi Ruth. Nam cùm ipsa propter Noemi deseruisset parentes, cognatos, amicos, & natale solum, vt veniret in terram Israel, non desideraret ire ad alias regiones extra terram Israel. Dicendum ergo, quod non dixit Ruth ista ad respondendum ad talia dicta Noemi qualia isti dicunt intercidisse, vt supra posita sunt: sed dixit hæc ad ostendendum intentionem suam: nam Noemi aduersabatur ipsi Ruth persuadendo ei, quod reuerteretur ad suos. Voluit autem ostendere quòd voluntas sua determinata erat ad eundum cum illa, & ad hoc dixit multa, quæ sufficienter ostenderent intentionem istam, & fuerunt aliqua ipsorum ad respondendum duobus dictis Noemi, sc. en reuersa est cognata tua ad populum suum, & Deos suos, vade & tu cum illa. Dicendo autem ista significabat omnino non se diuidendam ab illa, quia iret ad quemcunque locum illa iret, & maneret in quocunq; loco illa maneret, & moreretur in terra in qua illa sepeliretur. Et respondet etiam ad illa dicta duo. Nam cùm dixit Noemi, quod reuersa fuerat Orpha ad Deos suos, videbatur innuere, quòd etiam reuerteretur ipsa, & ait Ruth: Deus tuus, Deus meus, s. nolo redire ad alios Deos, quos prius tenebam. Et cùm dixit, reuersa est ad populum suum innuebat, quòd reuerteretur Ruth etiam ad populum suum: & ad hoc dixit Ruth quod nolebat, sed quocunque iret Noemi, illuc iret Ruth: vbi moraretur Noemi, ibi moraretur Ruth: & populus Noemi, esset populus Ruth, ideo eundo ad populum Israel, qui erat populus Noemi videbatur ire Ruth ad populum suum. Et ad magis confirmandum concluſit dicens: quę te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ.

D

E *Respon. ad quæsitum.*

An Ruth peccabat dicens: Deus tuus, Deus meus.

F

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR, an Ruth peccabat dicens, Deus tuus Deꝰ meus, quia videbatur dicere, quòd quicunq; esset Deus Noemi ille esset Deus eius, & tamen hoc poterat esse malum, scili. si Noemi acciperet aliquem Deum gentilium in Deum quod Ruth acciperet illum eundem in Deum. Respondendum quod ista propositio potest intelligi dupliciter: vno modo quod Ruth acciperet in Deum quemcunq; acciperet Noemi. Alio modo quod acciperet illum, quem nunc habebat Noemi. Accipiendo primo modo videbatur esse peccatum, quia poterat Noemi accipere in Deum aliquem, qui non esset Deus, & non debet aliquis ponere fidem suam in potestate alterius, quia ille poterat errare, & error periculosissimus est in fide, eo quòd fides est fundamentum omnium virtutum meritoriarum, cum sine ipsa impossibile sit placere Deo, ad Hebræ. 11. Et hoc verum est, nisi fortè Ruth certissime confideret, quòd Noemi haberet rectam fidem: & non variaret illam, quia tunc poterat credere id, quod illa credebat: quia sic etiam est apud nos: nam simplices per se non possunt peruenire ad omnia, quæ in fide sunt cognoscenda: & dependent ipsi à sapientibus, sc. ꝙ ipsi credunt ea, quæ sibi sapientes denunciant esse credenda, si aũt accipiatur secundo mõ. s. ꝙ Ruth diceret, ꝙ ille qui nunc erat Deus Noemi, esset

Fides est fundamentum omniũ virtutum meritoriarum.

Deus

Deus eius, manifestum est, quod non peccabat, sed recte agebat, quia per hoc dimittebat idoloatriã, & transibat ad cultum veri Dei. Et istud intellexit Ruth. Dicendum ergo quod nõ peccauit in hoc Ruth, nec se exposuit periculo, quia mouebatur à Deo, & qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, ad Rom. 8. quòd autem Ruth ad dicendum hoc, & redeundum in terram Israel moueretur à Deo declaratum fuit supra in quadam quæstione. Secundo patet, quia Ruth sciebat etiam vel saltem credebat, quòd non mutaret illum, cum Iudæi nunquam colerent alium Deum nisi vnicum cœlestem, qui sine idolo, & representatione est: potissimum cum nunc reuerteretur in terram Israel, ideo cùm Ruth dixit ipsi Noemi. Deus tuus Deus meus, non posuit sub dubio, sed determinatè elegit Deum Israelitarum in Deũ, quia sciebat quòd illum colebat Noemi, & ad illius terram ibat: & nullus alius erat præter illum, qui iustè coli posset.

Quare dixit Ruth, quæ terra te morientem susceperit, in ea moriar.

Qvæstio XXVI.

Qværetvr vlterius, quare dixit Ruth, quæ terra te morientem susceperit, in ea moriar. Respondendum ꝙ Ruth, vt dictum fuit supra, intendebat ire cum Noemi, & quia Noemi insistebat valde, ꝙ non iret cũ ea, vt cessaret iam insistere, dixit sibi, quòd iret cum ea, & non seperaretur vllo modo ab ea nisi per mortem, cùm ait: quę te morientem terra susceperit, in ea moriar. Et iterum: hæc mihi Dominus addat, si nõ sola mors me & te separauerit. Et quia post mortem adhuc poterat esse aliqua separatio, dixit Ruth, quòd etiam tunc non separaretur, quòd in quacunque terra moreretur Noemi, ibi moreretur Ruth. Intendebat enim Ruth, quòd cùm ipsa esset iuuencula, & Noemi esset senectute confecta: quòd naturali via prius moreretur Noemi, & tunc ipsa expectaret in loco in quo moreretur Noemi, vt ibi moreretur, & sepeliretur cum illa. Et dixit hoc ad significandum ꝙ post mortem suam non faceret Ruth deportari ossa sua in terram Moab vt sepeliretur inter cognatos suos quia ista fuit consuetudo Gentium omnium à principio, quod qui erant de eadem cognatione, sepeliretur in eodem loco, siue sepulchro: & putabant hoc esse fortunium: Et si quis non posset sepeliri in sepulchris maiorum suorũ, putabatur esse infortunatum: vnde Abraham emit agrum in ius sepulchri, vt sepeliretur ipse in eo, & tota cognatio sua: Gen. 23. Et ibi sepeliebantur patres, & filij, & matres. Nam in eodem sepulchro fuerunt sepulti Abraham, & vxor sua Sara, & filius suus Isaac & vxor eius Rebecca, & nepos eius Iacob, & vxor sua Lia. Gen. 49. & tamen nondum venerat ritus iudaicus, quia non erat data lex, sed Abraham communicabat inter Chananęos, nec differebat ab eis, nisi in fide, & in quibusdam operibus, quæ sine lege essent: ergo sic etiam erat inter Chananæos, quia non haberet Abraham distinctum morem ab omnibus hominibus sui temporis. Et istud etiam postea obseruatum est apud omnes iudæos, quod quilibet sepeliebatur in sepulchro patrum suorum, vt patet 2. Reg. 17. & 19. & in multis locis, & censebatur esse magna pœna, & infortunium, ꝙ quis non sepeliri posset in sepulchro patrum suorum. Sic patet de viro, qui venit ad prophetizandum contra altare Bethel, & iusserat ei Deus quòd non comederet, nec biberet in Bethel: & quia comedit & bibit, prænunciatum est ei a Deo, quod cadauer eius non inferretur in sepulchrum patrum suorum, 3. Reg. 13. Si tamen non esset consuetudo omnium sic sepeliri, non iudicaretur infortunium sepeliri extra sepulchrum patris, & sic esset consuetudo apud Moabitas, de quorum terra erat Ruth, & apud omnes gentes, ideo fortè Ruth quando moreretur vellet, quòd cadauer suum portaretur in terram Moab: & tamen tantum diligebat ipsam Noemi, quod felicius sibi iudicabat esse sepeliri cum illa, quam quod cadauer suum reduceretur in terram suam: ideo dixit, quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.

Quare redeunte Noemi in Bethlehem mulieres vrbs dicebant: hæc est illa Noemi.

Qvæstio XXVII.

Qværetvr vlterius: quare redeunte Noemi in Bethlehem mulieres vrbis dicebant: Hæc est illa Noemi.

Respondendum, quòd dupliciter potest responderi. Primum, quòd ista litera dupliciter legitur: nam doctores nostri, vt communiter legunt deprimendo eam, & tunc est modus congaudendi, vel respondendi. Quòd sit modus respondendi patet, quia cum fama magna esset in vrbe de aduentu Noemi dicerent aliquæ, quæ est ista, quæ venit de qua est fama: & respondetur, hæc est Noemi illa, de qua multa referebantur, quando erat absens. Si legatur per modum congaudendi est sensus, quòd veniente illa mulieres Bethlehem cõgaudentes de aduentu eius, dicerent: hæc est illa Noemi, scilicet cuius aduentum præstolabamur.

Alio modo est sensus, quòd legatur admiratiuè, & sic legunt Hebræi, scilicet, hæc est illa Noemi, id est, nunquid ista est illa Noemi, de qua tantæ laudes ferebantur, & quæ tam fœlix quondam fuit, & nunc pauper, & sola reuertitur. Et iste sensus est satis conueniens, quia cognita erat fœlicitas Elimelech, & Noemi in vrbe Bethlehem: quia de nobilioribus eius erat. Et nunc cognoscebatur eius calamitas, de qua omnes admirabantur: sic patet quarto Regum nono, vbi ponitur Iezabel, quòd à canibus comesta est manente capite, & summitatibus manuum, & pedum, & videntes tunc stupebant, & dicebant: Hæccine est illa Iezabel, quæ ad tantam prosperitatem fuit, & ad tantam calamitatem deuenit: Et hoc etiam consonat verbis Noemi dicentis, non vocetis me Noemi, id est pulchram, sed Mara id est, amaram, quia valde amaaritudine me repleuit omnipotens.

Caput II.

Erat autem vir Elimelech consanguineus homo potens, & magnarum opum nomine Booz. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si iubes vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium vbicunque clementia in me patris familias reperero gratiã Cui illa respondit: Vade filia mi. Abijt itaque, & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem vt ager ille haberet Dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce ipse veniebat de Bethlehem dixitque messoribus: Dominus vobiscum Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. Dixitque Booz iuueni, qui messoribus præerat: cuius est hæc puella? Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide, & rogauit vt spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, & de mane vsque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reuersa est. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis, & vbi messuerint sequere Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed et iam si sitieris vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.

Erat autem vir. Descripta est in precedentibus Ruth conuersio: hic describitur eius virtuosa conuersatio: & qui inter omnes virtutes humilitas tanquam fundamentum est, primò agitur de eius humilitate, & diuiditur in quatuor. Et primò ponitur ipsius Ruth humilis actio: secundò in agendis honestatio ibi. *Accidit autem.* Tertio eius pro beneficiis gratitudo ibi. *Quæ cadens.* Quartò eius in actionibus sollicitudo ibi. *Colligit ergo.*

A

An ordo sit continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic sint continuata ad præcedentia, & an sint facta immediatè post illa, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quod continuus ordo est, quod supra agitur de aduentu Ruth cum Noemi in terram Israel, hic autem agitur de his, quæ fecit Ruth postquam fuit in Bethlehem vrbe terræ Israel, sci. quomodo collegit spicas in agro Booz. Ad secundum dicendum, quòd paucum tempus fuit inter præcedentia, & ista, sc. forte duo, vel tres dies, aut parũ plus. Nam præceden. c. dicitur quòd Noemi, & Ruth venerunt in Bethlehem quando primum hordea metebantur, & hic dicitur quomodo Ruth iuit ad colligendum spicas in agrum, & satis credendum est, quod fuerit post reditum de Moab immediate: nam cum esset tempus messis, quando venerunt, vt patet præced. cap. tunc non erat tempus faciendi alia officia, iret Ruth ad colligendum spicas, & quia cùm esset sollicita, nollet manere aliquo tempore ociosa, iret ad colligendum spicas mox, vt veniret de terra Moab: & tamen istud quod hic dicitur, accidit prima die, qua iuit Ruth ad colligendum spicas in agrum Booz: ergo immediatè post præcedentia factum

B est. Circa primum dicitur. *Erat autem Elimelech consanguineus homo potens.* Quia hic dicitur quomodo Ruth iuit ad colligendum spicas in agrũ Booz: ponitur quis fuerit iste Booz, & dicitur, quòd erat consanguineus Elimelech, qui erat maritus Noemi, & mortuus fuerat in regione Moab præced. ca. hoc autem ponitur ad notandum id, quod infra sequitur, sicut declarabitur in quadam quæstione: & erat homo potens iste Booz, quia erat de magno genere. *Et magnarum opum nomine Booz.* Iste erat de ditioribus totius vrbis Bethlehem: & ex hoc arguunt Iudæi, Elimelech fuisse virum diuitem, quia erat cognatus Booz viri diuitis: & ponuntur magnæ diuitiæ istius ad ostendendum felicitatem Ruth, quę istum in virum suscepit. *Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam.* Erat Ruth iuuencula, & sollicita circa agenda, nec volebat esse ociosa, ideo petiuit à Noemi socru sua, an vellet, quòd iret ad colligendũ spicas, & est Moabitis nominatiui casus, sc. Moabitis Moabitidis, id est, mulier de terra Moab. *Si iubes vadam in agrum, & colligam spicas.* Erat Ruth valde humilis: quia non dedignata est se subiicere ad istud ministerium, sc. vt in agro alieno colligeret spicas, quæ euadebant manus metentium. Etiam erat obediens: quia sine mandato Noemi nihil facere volebat: erat etiam sollicita, quia antequam Noemi aliquid iuberet ei agere, ipsa petiuit an agere deberet aliquid, & an colligeret spicas. *Quæ metentium fugerint manus.* Fugiebant manus metentium dupliciter, vno modo cadendo in terrã postquam erant abscissæ, alio modo effugiendo falcem, quia quædam erectæ manebant quas falces messorum non tangebant, & omnes istas colligeret Ruth, alias autem spicas nõ auderet colligere, quia non erat ager aliquis suus. *Vbicunq; clementis in me patrisfamilias reperero gratiam.* Id est vadã ad multos agros, & videbo in quo agro sit ipse Dominus agri mihi clemens, non me molestans, quia colligo spicas, & vbi reperero talem Dominum agri siue patremfamilias colligam spicas: Aliqui enim tam auari sunt, quod nolunt, q̃ etiam spicas cadentes in agris ipsorum alieni colligant. Iuit autem Ruth ad agrum Booz, qui erga eam valde clemẽs fuit, vt patet infra in litera. *Cui illa respondit, vade filia mi.* Quia rectum dicebat Ruth, non solum concessit Noemi, sed etiam gauisa est, quòd hoc vellet facere. *Abijt itaque, & collegit spicas post terga metentium.* Quia illæ, quæ erant post terga metentiũ, erant quæ euaserant manus eorum: quæ autem erant ante vultum ipsorum cũ nondum effugerant ipsorũ manus, ideo non tangebat illas Ruth.

Ruth erat humilis obediens & sollicita.

C

Quare dicitur, quòd erat consanguineus Elimelech, & potens magnarum opum.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR circa prædicta, cùm hic intendat scriptura dicere, quòd Ruth iuit ad colligendum spicas in agris Booz, quare dicitur, quòd erat consanguineus Elimelech, & potens, & magnarum opum: quia ista non viderẽtur esse de necessitate historiæ, & sacra scriptura non tangit aliquid quod superfluũ sit, quia potius est breuiloqua quam superflua. Dicendum, quod ista non ponuntur hic sine misterio. Nam tota intentio istius libri est deducere, quomodo Ruth copulata fuit matrimonio ipsi Booz, & ex eo habuit filium nomine Obed, & quia fuit occasio quædam istius contractus matrimonialis, quòd Ruth iuerit ad colligendum spicas in agro Booz, ponitur de ista collectione, & quia Booz non accepisset Ruth in vxorem, nisi quia erat vxor ante hoc cognati sui Maalon: & iure propinquitatis accepit eam, vt patet infra, & ponitur quomodo erat Booz cognatus Elimelech patris Maalon, vt per hoc sciatur, quòd erat cognatus Maalon, & sic iure propinquitatis competebat ei accipere in vxorem ipsam Ruth, & omnia, quæ fuerunt ipsius Maalon, & vt tota historia nota sit ex quo fundamento habeat originem, dicitur quòd erat Booz cognatus Elimelech. Dicitur autem quòd iste Booz erat vir potens, & magnarum opum ad significandum fœlicitatem Ruth, quæ nunc paupercula venerat de terra Moab, & colligebat spicas post terga metentium, & illico acciperetur in vxorem à viro potentissimo totius vrbis Bethlehem, & copiosarum diuitiarum. Et hoc etiam est ad ostendendum qualiter Deus retribuit sperantibus in se. Nam ista puella reliquerat terram suam, & Deos suos, vt veniret ad colendum Deum Israel, & habitaret in terra eius, ideo iustum erat quod Deus retribueret, & hoc ostenditur hic, cum ipsa Ruth accepta fuerit in vxorem à viro potentissimo, & ditissimo.

D

E

Quomodo Booz erat cognatus Elimelech, & an essent ambo fratres, & filij Salmon.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR vlterius, de isto Booz quomodo erat cognatus Elimelech sicut dicitur in litera. Respondent Hebræi, quòd fuit Booz frater Elimelech, & ambo fuerunt filij Salmon, cuius Booz dicitur filius, vt patet infra 4. Dicit Nicolaus, quòd istud non stat, scilicet, quòd isti ambo essent filij Salmõ filii Naason. Quod probat, quia vel ponetur fuisse Ruth historia tempore Abesan, vel tempore Heli summi sacerdotis, sicut declaratum est præcedenti cap. si autem ponatur fuisse tempore Abesan non stat: quod patet, quia Salmon pater Booz, qui fuit filius Naason fuit in introitu Israelitarum in terram Chanaan: nam quando capta est Iericho erat ibi Salmon: & ipse cœpit Raab Iericontinam in vxorem, & genuit ex ea Booz, vt patet infra 4. & Matth. 1. & captio Iericho fuit in introitu in terram Chanaan, quia ante Iericho nulla ciuitas capta est, & colligitur ex ordine libri Iosue à principio vsque ad sextum, & ab illo tempore vsque ad tempus Abesan fluxerunt anni 272. scilicet 40. qui computantur sub Hothoniele primo iudice, & 80. sub Aod Iudi. 3. & 4. sub Barac Iudi. 4. & 40. sub Gedeone Iud. 8. & 23. sub Thola Iudi. 10. & 22. sub Iair eo. cap. & 18. sine Iudi. eod cap. & tres sub Abimelech Iudi. 9. & 6. sub Iephte Galaaditæ Iudi. 12. & post eum fuit Abesan eod. cap. qui simul sunt anni 272. Quomodo poterat esse ergo tantæ ætatis Booz, & Elimelech frater eius, vt tempore Abesan posset Booz accipere vxorem & gignere ex ea? nam genuit Obed, vt patet infra 4. cap. Si autẽ dicatur, quod historia Ruth accidit tempore Heli summi sacerdotis, adhuc difficilius erit, quia ille fuit annis 45. post principium iudicaturæ Abesan, quia Abesan iudicauit. 7. annis, & Ahialon decem post ipsum: & postea Abdon. 8. Iudi. 12. & Samson postea 20. Iudicum decimo sexto, quibus coniunctis ad supradictos erunt anni 314. & nullatenus poterat esse tantæ ætatis Booz ad gignendum nunc Obed, quia nullus hominum hoc tempore tantum viuebat, imò nec medietatem temporis. Ideo dicit Nicolaus secundum catholicos doctores quosdam, q̃ tres fuerunt Booz eiusdẽ nominis, auus, pater, & filius, & hic subticentur duo, sc. auus, & pater. Et ponitur hic tertius Booz, & duo alij subticentur: & tunc manifestũ est, q̃ potuit esse Booz vnus filius Salmõ ex Raab, & potuit alius Booz esse pater Obed, & maritus Ruth, de quo hic dicitur: & sic etiam affert Nicolaus super Matth. vbi ponitur

A nitur Booz in genealogia Saluatoris. Dicendum tamen est, quod non fuerunt tres Booz, sed vnicus sicut declarabitur infra 4.& tamen siue fuerit vnus,siue tres non spectat ad præsens, eo quod non agitur hic quomodo Booz pater Salmon potuit accipere Ruth in vxorem,sed solum de propinquitate,quæ erat inter Booz, & Elimelech: & ad hoc nihil refert quot fuerunt Booz: quia si vnicus fuit, illius fuit Elimelech cognatus. Si aũt tres sint, vltimus illorum fuit cognatus Elimelech,& quod fuerit frater, vel in alio gradu propinquitatis, quantum ad hoc non sequitur aliquod inconueniens: non tamen videtur quod fuerit frater, quia si fuisset frater, non diceretur quòd erat Booz cognatus Elimelech,quia cognatus est nomen generalè consanguinitatis, & non diceretur de fratribus, quòd erant cognati solum, sed quod erant fratres, quia parua propinquitas significatur dicendo solùm cognatus:quis tamen gradus cognationis esset inter, Elimelech & Booz magis declarabitur in sequen.cap. vel infra 4.

Quomodo dicitur hic de Booz, quòd erat vir potens.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur hic de Booz, quòd erat potẽs. Dicunt Hebræi quidam,q̃ erat potẽs, quia erat iudex totius Israel. Iudices autem temporibus suis
B erant potẽtissimi in populo, quia nulli erant tunc reges,&licet non essent Domini, nec principes, vt declaratum est in prologo super librum Iudi. & Iudi.8. tamen ipsi erant maximi viri in toto populo,& nutum quorum pendebat totus populus, & isti congregabant totum Israel ad bellum, & faciebant omnia alia,quæ pertinebant ad totum populum:& colligunt Hebræi aliqualiter,quòd Booz esset iudex, quia litera vocauit eum potentem: & dicunt eum fuisse iudicem, qui vocatur Abesan, quia ille etiam fuit de tribu Iuda, & fuit de Bethlehem,vt patet Iud.12.Aliquis dicet,quod hoc non stat, quia si Booz esset iudex super totum Israel,esset vir valde excellentis apparatus, & honoris: & tamen Booz erat rusticus vir: ipse enim ibat ad messores in agrum, & ipse dormiebat in area,quando purgabatur triticum, vt patet hic, & sequ.c. ergo non erat iudex. Dicendũ,quòd principes,&magni Domini antiquitus non erant tam fastuosi, sicut nunc. Nam humiliabant se, nec incedebant in habitu tam ornato. Vnde Saul, qui fuit primus rex Israelitarum, postquam factum est rex,sequebatur boues de agro,& custodiebat illos 1.Regu.11. reges tamen erant valde maioris potestatis & dignitatis inter Israelitas,quam iudices, vt declaratum est in prologo libri Iudicum: ideo à fortiori iudices in habitu humili incederent vacantes operi agriculturæ:potissimè,quia Booz non legitur agriculturam per se exercuisse, sed ad videndum messores, quos habebat in agro,ibat: ideo nò obstante hoc poterat esse iudex. Dicendum tamen magis videtur, quod non fuerit
C iudex. Primò patet, quia si fuisset iudex, verisimile erat cum scriptura agat hic de illo sæpe, quod nominaret eũ esse iudicem,præsertim cùm dixerit præced.c,in diebus vnius iudicis factum esse,quod hic dicitur.Secundo patet,quia inter iudices non est aliquis, qui vocetur Booz, si legantur nomina omnium per totum librum Iudicum:& dicere istum fuisse iudicem,est somniare, cùm nullum motiuũ habeamus ad hoc. Tertiò patet ponẽdo,quod iste fuerit iudex,necesse est quòd ponatur fuisse Abesan: nam non reperitur alius, qui fuerit de tribu Iuda, & de Bethlehem inter iudices nisi Abesan, vt patet Iudi.12.& tamen,quod mutemus nomen, vel quod dicamus istum fuisse binomium cùm non appareat,videtur nõ satis conuenienter: quia sic esset via ad asserendum quæcunque incerta, quod repugnat satis dignitati sacræ scripturæ. Quartò patet,quia si ponatur Booz fuisse Abesan,non est satis conueniens tempus ad id,quod ipsi asserunt,sc.quòd fuerit vnus Booz,& ille fuerit filius Salmon, quia videtur, quòd ante Abesan esse debuerit ad hoc, quòd Booz potuerit conuenienter accipere Ruth in vxorem: & non esset in ætate valde decrepita ad gignendum impotente: quòd declarabitur magis sequenti capit. vel infra 4. dicetur ergo, quòd iste Booz non erat iudex Israel, erat tamen vir potens, quia erat de magno genere inter omnes Israelitas. Nam tribus Iuda erat excellentior inter omnes tribus Israel, & princeps tribus istius erat honorabilior omnibus viris tribus istius,& omniũ aliarum:nam quando dedicatum est tabernaculum Moysi in deserto, Naason princeps in tribu Iuda obtulit priusquã cæteri Israelitæ Num.7.erat Booz nepos illius Naason,vt patet inf. 4. & Mat.ideo ipse etiam esset princeps tribus Iuda tempore suo,& sic esset homo potens & honorabilis.Etiam esset magnarum opum, quia cum esset de magnis parẽtibus regulariter diues esse poterat, quia viri potentes diuites sunt, nisi ipsi destruant diuitias,vel à casu aliter fiat. *Accidit autem.* Hic ponitur secundum huius c.s.ipsius Ruth honestatio,quia honestabatur in omnibus, quæ ageret, & cum istis viris alienis, inter quos nunc spicas colligebat, valde honestè se habebat, licet de honestate eius aliter sentiant Iudæi, sicut infra dicẽt in quadam quæstione:& dicitur. *Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine Booz.* Scilicet,accidit q̃ ager,ad quẽ Ruth iuit ad colligendum spicas esset ager Booz. Et debet conuerti ista sententia. s.accidit, q̃ Ruth iret ad colligendum spicas in agruo, qui erat Booz. Nam Ruth nesciebat quo ibat, sed dixit,vadam,& colligam spicas,quæ metentiũ effugerint manus vbicunq; clementis in me patrisfamilias repercro gratiam:& tunc à casu iuit ad agrum Booz. *Qui erat de cognatione Elimelech.* Repetit q̃ dixerat supra.s.erat autem viri Elimelech cõsanguineus homo potens nomine Booz.In quo gradu cõsanguinitatis attinerẽt seq.c.& inf.4.dicetur. Et repetit istud hic, quia fecerat quandam interpositionẽ de Ruth, & nunc redit ad enarrandũ de Booz. *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem.*
E Scilicet,messores erant in agro,cũ quibus erat Ruth,& Booz veniebat de Bethlehem ad videndum quid facerẽt messores sui, nam ipse habitabat in Bethlehem, & isti agri erant apud vrbem Bethlehem. Et cùm dicitur hic, ecce ipse veniebat de Bethlehem,nõ est sensus quòd illico vt venit in agrum Ruth ad colligendum spicas, & Booz venit inclinata iam die ad videndum messores. Quod patet ex verbis iuuenis,qui præerat messoribus ad Booz.s.hic est Moabitis, quæ venit cum Noëmi,& rogauit,vt spicas colligeret remanentes,& de mane vsque nunc stat in agro,& ne ad monẽtum quidem reuersa est. *Dixitque messoribus:Dominus vobiscum.* Modus salutandi est, ex hoc loco sacræ scripturæ debet assumptum esse verbũ illud, quod in Missa,& aliis officiis dici frequentatur, sc. Dominus vobiscum,& non ponitur hic tanquam pertineat ad integritatem historiæ, sed ad dandam bonam eruditionem moralẽ. Nam scriptura sacra intendit dirigere omnes actus nostros ad rectum reducendo: ideo historiis interdum documenta moralia iñiscet.Nam sic dicit beatus Paul.2.ad Tit.3.Omnis sacra scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendũ,ad arguendum,ad corripiendũ,ad erudiendum in iustitia,vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonũ instructus. Et quia Booz salutauit hic messores suos,voluit nos instruere scriptura rectum esse,q̃ proximos sic salutaremus,&hoc potissimè, quia dicitur:Dominus vobiscũ,id est,inuocatur Deus in adiutorium istorum. Et istud faciendum est in omnibus actionibus nostris. Nam totũ esse & bonum nostrum exterius & interius pendet à Deo,ideo non possumus quicquam agere, nisi fuerit Dominus vobiscũ. Rectè ergo salutat nos, qui dicit,Dominus vobiscum:Sic dixit Apost.ad Cor.1.c.10.q̃quic quid operis faciamus,in nomine domini faciamus, *Qui responderunt: benedicat tibi Dominus.* Conuenienter responderunt ad ad salutationem Booz: nam ipse optauerat actus omnes illorum à Deo dirigi, cum dixit: Dominus vobiscum: ipsi vero optauerunt,q̃ Deus multiplicaret eũ in bonis,dicentes: Benedicat tibi dominus. Nam benedictio multiplicationẽ vel abundantiam importat,vt patet 2. Cor.9. vbi opponitur benedictio auaritæ, vel parcitati,nam dicitur. Qui parcè seminat,parce & metet:qui in bñdictionibus seminat,de benedictonib.& metet. *Dixitq; Booz iuueni,qui præerat messoribus.* Erat Booz vir potens,& magnarũ opũ,&nõ erat continue in agro cum messoribus suis, ideo constituerat quẽdam iuuenẽ, qui præesset omnibus messoribus, vt dirigeret eos in agendis, & caueret ne ociarentur,& ab illo quæsiuit nũc Booz de Ruth, quæ esset. *Cuius est hæc puella?* Erat.n.adhuc Ruth tenera ętate, quia pauco tempore fuerat cũ viro suo Maalon:ideo vocabatur adhuc puella,quamquam esset vidua. *Qui respondit:hæc est Moabitis,quæ venit cum Noemi de regione Moabitide.* Mox vt intrauit Noëmi in vrbẽ Bethlehem,fama percrebuit apud omnes eã venisse: vnde dicebãt mulieres,hæc est illa Noemi,prę.c.

D

F

Ipsius Ruth honestatio

Domi nus vobiscum vnde sumptũ fuerit.

Booz nõ fuit iudex Israel, vt volunt Hebrai.

ideo

A ideo etiam sciebatur de Ruth Moabitide, quæ cum illa venerat, & sic apud omnes de vrbe cognita erat Ruth per famam licèt nondum visa extitisset, ideo Booz cognouit eam ex nomine, sed non vultu. *Et rogauit vt spicas colligeret remanentes.* Istæ spicæ non habebantur pro derelictis dum messores erant in agro, ideo non poterat iure suo Ruth illas accipere, sed oportebat hoc facere ex concessione eius, qui præerat messoribus: & sic factum est. Sic enim ipsa dixerat ad Noëmi, colligam spicas, quæ metentium manus effugerint, vbicunq; clementis in me patrisfamilias gratiam esse prospexero, vt patet supra in litera. Et dixit hoc iuuenis iste ad Booz, vt non putaret, q̃ ipse concedebat illi puellæ aliquid aliud de messe accipere, nisi spicas remanentes, quæ colligi ab eo non debebant, de quo infra dicetur in quadam quęstione. *Sequens messorum vestigia.* Nam ante messores erat messis, & spicæ stantes, quæ nondum euaserant manus metentium: illas non tangebat Ruth: post vestigia autem ipsorũ quæcunq; spicæ manebant, euaserant manus metentium. *Et de mane vsque ad vesperam stat in agro.* Potest dupliciter intelligi: vno modo quòd Booz veniret ad messores suos eo die, inclinata iam die. Alio modo, quod Ruth venisset aliis diebus ad agrum istũ, & quotidie faceret hoc, quod non recederet de agro de mane vsq; ad vesperam. Quicquid autem sit iste iuuenis princeps messorum dicebat hoc ad laudãdum solicitudinem Ruth, quòd cum esset puella tenera tolerabat pondus diei totius, & magni ardoris æstiui colligens spicas, nec reuertebatur in domũ.

B Dicendum tamen est, quod ista erat prima dies, qua Ruth iuerat ad agrum Booz, & iuit Booz ad videndũ messores suos inclinata iam die, ita vt iam esset vespera: & Ruth steterat ab ortu solis siue de mane vsque nunc stetit in agro. Si autem intelligeretur, quod aliis diebus iuisset Ruth ad colligendum spicas in agro Booz, non diceretur: de mane vsq; nunc nõ reuersa est, sed diceretur de mane vsq; ad vesperam: alias esset sensus, quòd in omnibus istis diebus nunquam reuersa fuisset in domum, quod falsum est. Item non diceretur: non reuersa est, sed diceretur: non reuertitur, quia verbum præsentis significat consuetudinem: verbum autem pręteriti non significat ex se, nisi aliquem actum transiuisse: & sic die ista, qua Ruth iuit ad colligendũ spicas venit Booz ad messores.

Laudatio solicitudinis Ruth *Et ne ad momentũ quidem reuersa est.* In quo sollicitudo eius laudatur, quod tota die laborauerit, & ex hoc Booz dilexit eam, quia sollicita erat, & iussit ei, quod nõ iret ad alium agrum ad colligendum spicas. *Et ait Booz ad Ruth, audi filia.* Cõspecta honestate, & sollicitudine sua, gauisus est Booz: & dixit ei hoc: vocauit autem eam filiam quamquam postea fuerit vxor eius, quia erat tam teneræ ætatis, & ipse Booz profectæ, vt eam filiam rectè appellare posset. *Ne vadas ad colligendum in alterum agrum.* Putauit Booz, quòd fortè messores sui aliquo modo essent molesti ipsi Ruth, & ob hoc recederet de illo agro ad colligendum spicas in aliis agris, ideo dixit quod non iret ad

C alium agrum. *Nec recedas ab hoc loco.* Scilicet, quandiu messuerint hæc messores mei. *Sed iungere puellis meis.* Habebat Booz aliquos messores viros: & puellas etiam metentes, & iussit q̃ iungeretur puellis, quia honestius iret puella apud puellas, quam apud viros. *Et vbi messuerint sequere.* Scilicet, sequere illas colligendo spicas, quæ euaserint manus earum. *Mandaui enim pueris meis, vt nemo tibi molestus sit.* Hoc dixit, quia si quis de messoribus molestus esset ipsi Ruth, recederet illa de agro: & hoc nolebat Booz contemplans honestatem illius. *Sed etiam si sitieris vade ad sarcinulas, & bibe aquas.* Donabat ei hoc beneficium insuper, scil. quòd quando sitiret Ruth præ ardore æstatis, iret ad sarcinulas, & biberet de aquis, quas habebant ibi messores Booz ad bibendum, vocantur sarcinulæ onera, quæ ferebant messores: nam ferebant vestes, & cibos, & alia secum, quando ibant ad metendum, & deponebant in vno loco, quando metebant: & ille vocatur locus sarcinularũ. *De quibus pueri mei bibunt.* Scilicet, alii messores, & puellę metẽtes.

Quomodo Ruth iuit ad agrum Booz ad colligendum spicas, & vnde mota est.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo Ruth iuit ad agrum Booz ad colligẽdum spicas, & vnde mota est. Aliquis dicet, quod sciebat quis esset Booz, & quia ille erat vir bonus, iuit ad agrũ suum, putans quòd ille benignè permitteret eam colligere spicas in agro: sic enim ipsa dixit, quòd iret ad colligendum spicas in agrum, vbi clemẽtis patrisfamilias gratiam sibi perspiceret, supra in litera. Dicendum, quòd non stat, quia Ruth nõ cognoscebat Booz, nec sciebat agrum eius, cùm esset peregrina mulier nouiter veniens ad regionem illam, vt patet ex verbis eius, & Booz. Aliquis dixit, quod Noëmi instruxit ipsam Ruth, vt hoc faceret, quia volebat Noëmi, quod Ruth acciperetur in vxorem à Booz, qui erat propinquus viri sui, & vt haberet occasionem misit eam ad hoc ad colligendum spicas ad agrum eius, sicut postea dixit, qualiter per noctem accederet ad eum iacentem in lecto in area, sequenti ca. Dicendum, quòd non stat, quia Noëmi non sciebat ad quem locum iuisset hodie Ruth ad colligẽdum spicas. Nam cum rediit post solis occasum ad Noëmi, quæsiuit ab ea, vbi colligisti hodie, & vbi fecisti opus? Si tamen ipsa instruxisset illam ad eundum in agrum Booz, non quæreret ab ipsa, vbi collegisset spicas. Dicendum ergo, quod istud factum est à casu: nam Ruth intendebat discurrere per agros, & vbi inueniret patrem familias clementem, scilicet iuuenem principẽ messorum, qui permitteret eam spicas colligere. Et sic venit ad agrum Booz, vbi inuenit iuuenem principem messorũ Booz qui permisit eam colligere spicas cadentes, & mansit vsq; ad vesperam cùm venit Booz: & ille magis adhuc concessit, vt patet in litera: quòd tamen iret prius Ruth ad agrum Booz, quam ad aliquem alterum accidens fuit. Sic patet in litera, scilicet, accidit vt ager ille haberet dominum nomine Booz. Sed adhuc considerandum, quod quamquam fuit accidens respectu Ruth, quòd iret in agrum illum quia ipsa nesciebat, quò ibat, nec cur potius ad illum quam ad alterum; tamen non absolutè accidens erat, quia istud intentum erat à Deo. Volebat enim Deus, quòd Ruth acciperetur in vxorem à Booz, & quòd haberetur ad hoc occasio per collectionem spicarum in agro eius, ideo direxit pedes eius, vt ad illum agrum iret, nemine instruente: & inclinauit cor ipsius vt versus illam partem ire vellet, & in ipsum agrum introire, & ibi manere: & tamen nesciebat Ruth, cur potius iret illuc, quam ad alium agrum, nisi, quòd sibi videbatur bonũ ire illuc. Etiam Deus mouit cor iuuenis, qui præerat messoribus, vt clemens esset ei, vt sic manere posset vsquequo veniret Booz ad videndum messores ad vesperam, vt videns honestatem illius diligeret eam. Ista omnia fiunt, quia cor hominis est in manu Domini, & potest inclinare illud quocunq; voluerit homine, non aduertente: sic patet Prouerb. 21. scilicet, Sicut diuisiones aquarum ita cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit vertet illud.

D

E

Notan. Quomodo Deus dat cor hominis.

An aliquis secundum legem posset prohibere ne colligeret quis spicas remanentes post messores.

QVÆSTIO VI.

F

QVÆRETVR vlterius, quomodo dixit Ruth, quòd iret ad colligendum spicas in agrum, vbi patris familias clementis gratiam sibi prospiceret: in quo innuit quod si permitteretur colligere, colligeret, alioquin declinaret in alium agrũ, & tamen omnes habentes agros obligabantur esse clementes in hoc: nam ea, quæ remanebant post messionem, non poterant licite colligere, sed tenebantur relinquere pauperibus, & non solum spicas, quæ euaderent manus messorũ, sed etiam si manerent manipuli integri tenebantur dimittere illos, vt patet Deu. 24. scilicet: Quando messueris segetes in agro, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas eum. Aliquis dicet quòd ista lex non extendebatur ad Ruth, quæ erat Moabitis, sed ad Israelitas: ideo poterat prohiberi illam colligere spicas remanentes, licèt non possent prohiberi pauperes Israelitę. Dicendũ, q̃ hoc non stat, quia licebat Ruth colligere ex duplici causa, tam, scilic. quia vidua erat, & quia aduena: sic enim dicitur ibidem, scilicet, non reuerteris, vt tollas eum, sed aduenam, & pupillum & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus in omni opere manuum tuarum: & tamen ista erant in Ruth, quia erat vidua mortuo viro eius Maalon: erat aduena, quia erat de terra Moab, & conuersa erat ad Iudaismum: ideo ei maximè cõ-

petebat

A

petebat colligere ſpicas manentes in agro. Aliquis dicet aliter, ſcilicet quòd verum eſt, quòd tenebantur Iſraelitæ non colligere ſpicas manentes in agris,& eas viduis,&pupillis aduenisque dimittere, tamen non obligabantur indiſtinctè reſpectu cuiuſlibet pupilli, viduæ, & aduenæ, ſed permittebant quem volebant, dum tamen ipſi non colligerent, & ſic adhuc erat neceſſaria clementia patrisfamilias ad hoc, quòd permitteretur colligere Ruth ſpicas in aliquo agro. Dicendum quòd non ſtat, quia lex dixit, quòd permitterent ipſis viduis,aduenis, & pupillis colligere manipulos remanentes, ideo generaliter cum lex loquatur,cuilibet iſtorum concedit poteſtatem colligendi. Item patet,quia ſi non permitteretur cuilibet iſtorum colligere indifferenter per fauorem, fieret fraus legi; quidam pauperes habentes fauorem haberent ſuſtentationem, & alii non habentes fauorem perirent fame. Deus tamen volebat, quod omnes pauperes haberent ſuſtentationem : ideo omnibus indifferenter permittendum erat. Item quia ſi in electione dominorum ipſorum conſiſteret, cùm magis fauerent naturalibus,quàm extraneis,nunquam permitterent aduenas colligere ſpicas, & tamen Deus dixit, quod colligerent ipſi & viduæ,& pupilli, & cum magna affectione Deus iubet benigne tractandos,vt patet Exod. 22. & Deut.10. ſc.aduenam non affliges,quia aduena fuiſti in terra Ægypti. Dici poteſt tamen circa hoc, quòd ſecus videtur de ſpicis cadentibus,quàm de manipulis relictis: nam manipuli

B

Reſpon. ad quæ ſitum.

relicti non videbantur habiti pro derelictis quamdiu meſſores erant in agro,eo quòd ipſi meſſuerant eos, & compoſuerant ſpicas, & ſic quamquam relictus eſſet manipulus per obliuionem,non licebat alicui viduæ, pupillo, aduenæ tollere illum ſine permiſſione patrisfamilias. De ſpicis autem euadentibus meſſorum manus ſecus eſt, quia illico vt euadunt, habentur pro derelictis, cum videant eas manere,&non colligant: & iſtas poterant colligere aduenæ, pupilli, & viduæ præſentibus dominis agrorum,vel non præſentibus:nec poterant prohibere colligentes : & ſic poterat Ruth colligere ſpicas euadentes manus meſſorum auctoritate ſua, quia erat vidua & aduena. Dixit tamen hoc forte propter duo. Primò, quia Ruth nouiter venerat in terram Iſrael, & fortè neſciebat leges Iſraelitarum,ideo putaret, quòd non liceret colligi ſpicas etiam remanentes, ſine licentia dominorum ipſorum agrorum. Secundum erat,quia dato quòd licere ſibi hoc ſciret Ruth; tamen fortè nõ obſeruabatur de facto : nam multæ leges erant datę Iudęis,quæ non obſeruabantur ab eis,ſcilicet lex de quiete terræ anno ſeptimo, & in Iubileo : Nam propter cupiditatem non permittebant eam quieſcere,vt patet Leu.26.& ob hoc ipſa ſabbatizauit ſupplendo omnia ſabbata quæ abſtulerant ea Iudæi:& hoc quamdiu ſteterunt Hebræi in Babylone : quia tunc ſabbatizauit terra ſeptuaginta annis,vt patet 2. Par.36. ita poterat eſſe quod iſtam legem de manipulis reſiduis, & ſpicis cadentibus non ſeruarent : ideo

C

ad hoc quod colligeret Ruth ſpicas oporteret, quòd precaretur patremfamilias clementem, quòd eam colligere permitteret : & ſic dixit iuuenis, qui præerat meſſoribus, quòd orauerat eũ Ruth,q̃ permitteretur ſpicas cadentes colligere.

An liceat homini ſalutare alterum. Et cur Chriſtus vetuit ſalutare quempiam in via,cùm videatur inurbanum.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlterius,an benè egit Booz ſalutãdo meſſores ſuos : & an verba ſalutationis conuenientia fuerint. Aliquis dicet quòd male fecit ſalutando, quia ſalutatio vetita erat: ſic enim dixit Eliſæus propheta ad Giezi puerum ſuum,quod neminem in via ſalutaret, & ſi quis ſalutaret eũ, non reſponderet ſibi 4. Reg. 4. Sic etiam Chriſtus dixit diſcipulis ſuis : neminem in via ſalutaueritis, vt patet Luc. 10. Dicendum eſt, quod ſalutatio inter homines eſt licita : imò meritoria, & valde conueniens. Primo patet, quia ſalutatio eſt quædam oratio, qua quis Deo ſupplicat pro alterius bono,vt patet ex communibus modis ſalutandi: Dominus,ſcilicet,ſuſtineat vos:vel Deus vos adiuuet,vel Dominus ſit vobiſcum,ſicut dixit Booz hic,& ſic de aliis modis,& tamen orare pro proximo meritorium eſt,ideo ſalutatio licita eſt. Secundò patet,quia per ſalutationem procuratur pax,&conciliantur corda hominum inter ſe,cùm continet ſalutatioverba boni deſiderij,ſed procurare pacem,& amicitiam inter homines expedit reipublicę, & eſt meritorium, ideo ſalutatio per quam procuratur licita eſt. Tertiò patet, quia Chriſtus iuſſit ſalutationem fieri,& tamen præceptaChriſti pura ſunt, & per ea meremur debitè exequentes illa : ergo licita eſt ſalutatio,patet hoc Matth.10.&Luc.10.cùm dixit Chriſtus:intrantes autem in domum ſalutate eam, dicentes : pax huic domui : & ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam : ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos. Quartò patet, quia non ſalutare aliquem eſt ſignum inimicitiæ, & talia ſunt illicita : ergo ſalutatio erit licita, imò quaſi debita, ne appareat inimicitiæ ſignum inter nos ad aliquos. Quintò patet, quia illud, quod inducitur in pœnam aliquorum, malum eſt, & contrarium illius bonum reputatur, & tamen non ſalutare imponitur quibuſdam in pœnam : ergo ſalutare illos bonum eſt. Patet hoc, quia ſi hæretici fecerint diuiſionem in fide, non debemus eis communicare,nec ſalutare illos,vt patet ſecunda Ioa.c.vnico,ſcilicet: ſi quis venit ad vos,& hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, nec ei aue dixeritis : qui enim dicit illi aue,communicat operibus eius malignis. Ergo ſalutare,quod reſpectu bonorum permittitur, bonum eſt: & non

D

E

ſalutare quod malis in pœnam imponitur malum eſt. Quod autem quæritur de ſecundo, ſcilicet an verba ſalutationis iſtius conuenientia eſſent : dicendum quòd valde ſunt congrua : nam in ſalutatione optare debemus bonum illius quẽ ſalutamus, & tamen nullum magis bonum poſſumus optare alicui quàm quòd Deus ſit cum illo in omnibus operibus, quia tunc ſemper proſperabitur, & ſic optauit Booz dicens : Dominus vobiſcum, & intantum fuerunt conuenientia iſta verba ſalutationis, quòd Eccleſia accepit illa ad frequentandum in ſolennitate miſſæ,& in aliis officiis diuinis. Ad primã rationem in contrarium dicendum,quòd præceptum Eliſęi datum Giezi puero ſuo fuit perſonale,& non obligauit alios. Et dato quòd eſſet vniuerſale, fuit datum multo tẽpore poſt Booz : nam tempore regis Ioram datum eſt, vt patet 4. Reg. 4.&tamen nunc tempore Booz nondum erant reges,ſed iudices,vt patet præcedenti c.in principio. Cauſa autem quare iuſſit illud Eliſęus,fuit quia mulier Suſamitis venerat ad Eliſæum vt ſuſcitaret filium eius mortuum,& dedit Eliſæus baculum ſuum ipſi Giezi,vt poneret illum ſuper puerum,&reuiuiſceret,& vt hoc fieret cito iuſſit Eliſęus,quòd accingeret lumbos ſuos Giezi & curreret, & ſi quis occurreret ei in via non ſalutaret eum, & ſi quis eum ſalutaret non reſponderet ſibi. Et iſtud erat propter duo. Primum erat, quia ſi Giezi ſalutaret inuentos in via,vel reſponderet ſalutantibus interciderent aliæ collocutiones,vel emergerent ex ſalutationibus, in quibus moraretur Giezi, & non iret cito ad ſuſcitandum

F

puerum,ſicut iuſſerat Eliſęus. Secundum erat, quia volebat Eliſeus iſtud negocium ſecretum eſſe, quia erat opus magni miraculi, & non quærebat laudes ab hominibus, & ſi Giezi ſalutaret inuentos in via,vel reſponderet eis,fortè ab eis quęreretur ad quid iret, & reſponderet quòd ad ſuſcitandum vnum mortuum, & per hoc diuulgaretur opus antequam fieret: ex quo ſequebantur multa inconuenientia, vt declaratum eſt 4.Reg.4.ideo ſpecialiter iuſſum eſt ipſi Giezi, quòd non ſalutaret in via,nec reſponderet ſalutantibus. Secus autem erat de aliis hominibus, in quibus nulla cauſa iſtarum erat,nec eis impoſitum erat iſtud præceptum;ideo licuit Booz ſalutare meſſores. Ad ſecundum dicendum quòd Chriſtus mandauit illud Apoſtolis, & tamen per hoc non vetuit ſalutationem fieri abſolutè, quia ſolùm vetuit eam fieri in via, tamen non vetuit fieri in domo,ſed potius iuſſit fieri, dicens intrantes autem domum ſalutate eam dicentes : pax vobis Matth.10.ideo qui in via ſalutationem prohibuit : in domo eam fieri conceſſit. Sed tunc dicet aliquis : erit ergo prohibitum nobis in via ſalutare,licet ſit permiſſum ſalutare in domo. Reſpondendum quòd non eſt nobis vetitum,poſſumus enim licitè ſalutare quemcunque, & vbicunque niſi excommunicatus ſit,cui locutio, & omnis communicatio interdicta ſit. Quod autem Chriſtus Apoſtolis prohibuerit in via ſalutare fuit præceptum perſonale, & non obligat nos, quibus non datum eſt. Cauſa autẽ huius prohibitionis fuit duplex :

Ad rationem in diuersũ.

Ad ſecundã.

Non ſalutare in via eſt præceptum perſonale, & nõ obligat.

A plex : prima fuit ad oſtendendam celeritatem in opere: nam Apoſtoli debebant diſcurrere de loco ad locum prædicantes euangelium ad conuertendum ad fidem Chriſti omnes Gentes,& non debebant morari in hoc,& quia qui ſalutat in via, moratur loquendo cum illo,quem ſalutat quærendo,vel reſpondendo, non debuerunt Apoſtoli ſalutare quoſquam in via, vt celeriter tranſirent de loco ad locum. Secunda cauſa fuit, quia Chriſtus voluit quòd verba Apoſtolorum non eſſent ſuperflua,eo quod ipſe dixerat Matth.12.quod de omni verbo ocioſo reddituri erant homines rationem in die iudicij:& quia quando verbum non eſt efficax alicuius rei,eſt ſuperfluum,noluit Chriſtus quòd Apoſtoli,in quibus maxima perfectio noui teſtamenti relucere debebat, loquerentur ociosè : qui tamen ſalutat in via non ſalutat ex deſiderio ſalutis optatæ ſicut verba deſignant,ſed ex occaſione, ſc.quia ſolum loquitur ei cui occurrit,quia occurrit ei etiam ſi ſalutem illius non deſiderat,ex occaſione autem ſalutare ſuperfluum eſt,ideo non debebant ſalutare in via. Iſtam ſecundam rationem tangit beatus Gregorius in ſermone ad fontes Lateranenſes : & eſt quædam homilia ſua ſuper Lucam. In nobis autem nulla iſtarum cauſarum eſt, quia nec nos mittimur ad prædicandum per vniuerſum orbem ſicut illi,nec etiam obligamur ad tantam perfectionem,quantam illi, tenebant, ideo poſſumus ſalutare in via. Sciendum tamen,quòd quando Apoſtolis eſt vetitum ſalutare in via,intelligitur ſolum de via qua diſcurrebant de vrbe ad vrbem,ſecus autem quando eſſent in vrbibus , & ambularent per vicos, nam tunc poterant. Ratio diuerſitatis eſt,quam tangit Gregorius vbi ſupra, ſc,quia quando diſcurrerent de vrbe ad vrbem, non cognoſcerent illos quos inuenirent in via,& ſi ſalutarent eos , eſſet iſta ſalutatio non ex deſiderio optatæ ſalutis , cum non cognoſcerent,quos ſalutabant. Si autem ſalutarent aliquos diſcurrendo per orbem , poterant cognoſcere aliquos ex conuerſatione aliquali : & tunc ex optata ſalute ipſorum,non ex occaſione poterant ſalutare, ideo eſſet licitum : nobis tamen qualitercunque & vbicunque ſalutare licet.

B

Quare Booz interrogauit de Ruth cuius eſt puella hæc.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vlterius,quare Booz interrogauit de Ruth : cuius eſt puella hæc. Reſpondent Hebræi, & Nicolaus quòd hoc fuit propter honeſtatem magnam Ruth:& ex hoc loco volunt probare quòd Ruth erat magnæ honeſtatis : dicunt autem quod Booz erat homo magnæ ætatis,& maximę honeſtatis : & non eſt veriſimile,quòd de aliqua puella tenera, & pulchra quæreret quæ erat , niſi ex aliqua cauſa valde honeſta : & tamen quæſiuit nunc de Ruth, quæ erat,ideo videtur quòd aliqua magna honeſtas apparuerat in ea. Dicunt autem quod honeſtas iſta fuit quod Ruth colligebat ſpicas ſtantes ſtando , & cadentes in terram colligebat ſedendo : & hoc faciebat, quia forte ſi ſe incuruaret ad accipiendum ſpicas iacentes in terra eleuaretur pars poſterior veſtium , & appareret aliqua pars tibiarum. Vt ergo honeſtiſſimè ſe haberet,ſedebat, & ſic nihil poterat apparere : quòd videns Booz admiratus eſt , ideo quæſiuit quæ eſſet iſta puella. Iſtud dictū ſatis eſt apocriphum : nam non eſt locus aliquis, ex quo poſſit tale motiuum conſurgere : ideo eſt diuinare & minuere auctoritatem ſacræ ſcripturæ,cùm ex ponendo eam dicimus aliquid quod non habet aliquam firmitatem : non ergo videtur tale ponendum : potiſſimè quia non eſt hoc veriſimile. Nam ſi Ruth pro qualibet ſpica iacente ſederet,& pro qualibet ſtante ſe erigeret, eſſet labor intolerabilis , quia vis poſſet aliquid facere tota die ſurgendo , & ſedendo. Magis autem credendum eſt, quod ſi Ruth volebat tantam honeſtatem ſeruare quòd prȩcingeret aliquem pannum pendentēm ad partem exteriorem , & licèt incuruaretur non poſſet apparere aliqua pars tibiarum. Dicendum ergo,quòd nihil iſtorum fuit , ſed Booz petiuit de Ruth , quæ eſſet: quia non cognoſcebat eam,nam erat in agro ſuo ſpicas colligendo , & omnes alias agnoſcebat , & illam non , ideo ſatis rationabilem cauſam habebat quærendi,quæ eſſet illa,licet non appareret in ea aliqua alia ſpecialis honeſtas. Quare Booz tam benignus fuit erga Ruth,vt diceret ei quòd non iret ad colligendum ſpicas in aliis agris , ſed in ſuo , & iuſſit meſſoribus ſuis, ne moleſti eſſent ei,& quòd biberet,& comederet cum puellis eius. Reſpondendum quòd multa moriua potuit habere Booz. Primum fortè eſſet benignitas innata ei,quia quidam ſunt naturaliter clementes , & benigni , & illi quibuſcunque opus habentibus miſerētur. Sic autem erat Booz qui vir laudabilis erat teſtimonio ſacræ ſcripturæ: & fortè iſta virtus innata erat ei. Secundum erat quia conſpexit puellam, & forte vidit modeſtiam eius,& ſolicitudinem in agendo, & id quod dixit ei iuuenis princeps meſſorum , quòd à manè vſque ad veſperam non receſſerat de agro ſemper colligens ſpicas: virtus autem facit quemlibet diligibilem , quia quædam dignitas virtuti innata eſt quam illico communicat eis, quibus aduenerit. Tertium poteſt eſſe , quia conſpexit probitatem iſtius puellæ,ſcilicet bona quæ fecerat,& miſertus eſt ei,& iſta eſt cauſa potiſſima. Et patet,quia quęſiuit Booz de Ruth quę eſſet,& reſponſum eſt, quòd eſſet Moabitis , quæ venerat cū Noëmi , & cùm poſtea Ruth gratias ageret , & diceret cur Booz tantum ei clemens fuerat,reſpondit Booz dicens, nunciata ſunt mihi omnia , quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui : & quod reliqueris parentes tuos , & terram , in qua nata es, & veneris ad populum quem ante neſciebas : reddat Dominus pro opere tuo plenam mercedem. Quartum fuit quia Booz cognouit eſſe Ruth inopem,& aduenam,& miſertus eſt eius libenter. Quintum fuit motus factus in corde Booz à Deo. Volebat enim quòd contraheretur matrimonium inter Booz & Ruth, & volebat collectionem ſpicarum eſſe occaſionem huius. Ad hoc ergo quod Ruth rediret ruſſus ad agrum Booz, & conſummaretur hoc quod inchoabatur,oportebat quod Booz oſtenderet magnum fauorem ipſi Ruth,vt ſic illa redire deſideraret : ideo mouit Deus cor Booz,vt diceret omnia hęc in fauorem Ruth,& iſta cauſa & tertia fuerunt efficaciores alijs.

C

Dubiū

Quomodo dixit Booz ipſi Ruth quòd quando ſitiret , iret ad ſarcinulas.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dixit Booz quaſi conferens beneficium magnum ipſi Ruth , quòd quando ſitiret iret ad ſarcinulas, & de aquis biberet , de quibus bibebant pueri, quia hoc quaſi nihil erat. Reſpondendum quod iſtud expreſſit Booz,quia reputabatur magnum beneficium, & hoc propter duo. Primò reſpectu perſonæ,& obligationis. Nam quod alicui cui ſumus obligati , & habemus magnam proximitatem ad eum conferamus aliquid magnum non eſt admirandum. Quòd tamen alicui perſonę incognitæ demus aliquid,quicquid illud ſit,beneficium eſt : & magnipendendum eſt. Sic erat Ruth alienigena, & incognita Booz , quicquid ergo ille ſibi daret,iudicaretur beneficium penes Ruth: & ſic quod daretur ei de aqua,de qua bibebant pueri, erat beneficium. Alio modo conſideratur beneficium iſtud reſpectu perſonæ: nam ſi alicui viro magno daretur aliquid etiam ſi ille incognitus eſſet, deberet dari aliquid magnum nam parua non appreciarentur : ſi autem ſit perſona recipiens paruæ ſubſiſtentiæ quicquid illi detur, magnum eſt. Sicut patet de cinico,qui petiuit aliquid à rege ſibi dari, & rex dixit,quod non poterat ſibi quicquam dare, quia non poterat vnam vrbem ei dare, eo quòd recipere vrbem non pertinebat ad cinicum : nec poterat ei dare denarium , quia hoc dare non pertinebat ad regem : cinicus autem reſpondit, q̄ poterat ei dare vrbem tanquam rex , vel denarium tanquam cinico. Sic refert Bernardus in gl.cap.& ſi quæſtiones , extra de Simo.& ibi etiam dicitur quomodo ratione perſonę dantis,& cui datur,iudicatur munus paruum,vel magnum: ideo quòd rex Vngariæ dederit ibi vnū palefrenum cuidam Cardinali iudicabatur paruum munus ex perſona vtriuſq; , ideo dicitur, quòd non eſt præſumendū quod illud moueret mentem Cardinalis ad aliquid faciendum,nec eſt veriſimile quod rex daret tam paruam rem intentione mouendi animū Cardinalis. Sic etiam erat de Ruth,quod erat paupercula , & aduena erat , & nullius æſtimationis , ideo dari ſibi aquam frigidam erat beneficium. Secundum erat ex parte valoris rei, & temporis , in quo dabatur : nam licet aqua frigida

D

E

F

pauciſſi-

A pauciſſimi valoris reputetur intantum quod Chriſtus poſuerit minimum munus eſſe dare calicem aquæ frigidæ dicens: qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam: & tamen in terra Chanaan aqua erat maioris valoris, quàm in terra iſta, eo quod ibi rari fontes ſunt, & pauca flumina, vt teſtantur, qui terram viderunt: quod ſatis patet, quia in terra illa fiunt in agris ciſternæ, vt putei ad aquam dum greges, vt patet Geneſ. 28. ſi tamen terra eſſet multarum aquarum, non fierent ciſternæ in campis. Item patet hoc: terra Edom, & Moab ſunt coniunctæ terræ Iſrael, Num. 34. & in iſtis eſt magna penuria aquarum: nam ſolùm eſt in ciſternis & puteis, & precio venditur, vnde Iſraelitæ, quando volebant tranſire per terram illam offerebant ſe empturos aquam precio: Num. 20. & Deus hoc iuſſit, ſcilicet aquam precio haurietis, & bibetis. Deuteron. 2. cap. ideo dare aquam ad bibendum in terra illa, erat beneficium, vt fortè in alia terra dare vinum. Etiam reputabatur hoc magnum ex conditione temporis: nam erat æſtas quando aquæ paucæ ſunt, & tunc eſt maxima neceſſitas aquarum propter ardores æſtiuos potiſſimè in illis, qui erant tota die in agro tolerantes calores immenſos, ideo erat magnum beneficium: quia cum magna delectatione tunc aqua frigida bibitur, & reputatur aliquod maximum beneficium: ſicut ait Virgilius in Bucolicis comparans potum aquæ frigidæ in æſtate dulcedini carminis poëtici, inquiens.

B *Tale tuum carmen nobis diuine poeta.*
Qualis ſopor feſſis in gramine: quale per æſtum,
Dulcis aquæ ſalienti riuo reſtinguere ſitim.

Quæ cadens in faciem ſuam, & adorans ſuper terrã, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem? Cui ille reſpondit: Nunciata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui, & quod reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cuius confugiſti alas. Quæ ait. Inueni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis vnius puellarum tuarum. Dixitque ad eam Booz: Quando hora veſcendi fuerit veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad meſſorum latus, & conceſſit polentam ſibi, comeditque, & ſaturata eſt, & tulit reliquias. Atque inde ſurrexit, vt ſpicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens: Etiam ſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibeatis eam, & de veſtris quoque manipulis proijcite de induſtria, & remanere permittite, vt abſque rubore colligat, & colligentē nemo corripiat. Collegit ergo in agro vſq; ad veſperam, & quæ collegerat virgo cadens, & excutiens inuenit hordei quaſi ephi menſuram, id eſt tres modios. Quos portans reuerſa eſt in ciuitatem, & oſtendit ſocrui ſuæ. Inſuper protulit & dedit ei de reliqijs cibi ſui, quo ſaturata fuerat. Dixitque ei ſocrus ſua: Vbi hodie collegiſti, & vbi feciſti opus? Sit benedictus qui miſertus eſt tui. Indicauitque ei, apud quem eſſet operata, & nomen dixit viri quòd Booz vocaretur. Cui reſpondit Noemi: Benedictus ſit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis. Rurſumque ait: Propinquus noſter eſt homo. Et Ruth: hoc quoque inquit præcepit mihi, vt tamdiu meſſoribus eius iungerer, donec omnes ſegetes meterentur. Cui dixit Socrus: Melius eſt filia mi, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi. Iuncta eſt itaque puellis Booz, & tandiu cum eis meſſuit, donec hordea, & triticum in horeis conderentur.

C

Quæ cadens. Hic ponitur tertium huius cap. ſcilicet Ruth in beneficiis gratitudo: nam licet parua fuiſſent beneficia, quæ ſpoſpondit ei Booz abſolutè loquendo, tamen non fuit ingrata illis, ſed gratias magnas egit, vt patet in litera: & dicitur. *Quæ cadens in faciem ſuam: & adorans in terram.* Iſta reuerentia exhibebatur antiquitus, quòd recipiens aliquod beneficium ab alio, ſi eſſet vir aliquantulum honorabilis, coram eo humiliabat ſe, ita vt poneret vultum in terra: nunc autem ſoli Deo impendimus hoc. Et in hoc rectius nos facimus, quam antiqui, hoc autem fecit Ruth pro benignitate, quam erga eam oſtendit Booz in præcedentibus. *Dixit ad eum, vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos?* Quaſi dicat, ego non habeo aliquid, propter quod merear quod feceris mihi hanc gratiam, & magnum aliquod mihi eſt, quod inuenerim gratiam coram te. *Et noſſe me dignareris peregrinam mulierem.* Id eſt ſolum quòd tu velles cognoſcere, quæ ego eram quærendo de me, erat mihi magna gratia, quia quando quæritur de aliquo, quis eſt: & volumus eum cognoſcere, facimus mentionem de eo: & in hoc honoramus ipſum. Et dixit peregrinam mulierem, id eſt, cum ſua mulier de regione aliena, & non habeam cognatos, nec amicos in regione hac, nec ſim alicuius reputatiouis. *Cui ille reſpondit, nunciata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ.* Quia dixerat Ruth ſe indignam eſſe, vt aliqua mentio de ea fieret, dixit Booz quòd cauſa fuerat virtus ſua. ſcil. quia habuerat ſe bene cum ſocru ſua Noëmi. *Poſt mortem viri tui.* Ante mortem etiam benè ſe habuerat Ruth cum Noemi, vt patet præcedenti cap. cùm dixit Noëmi: faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis & mecum. Quia tamen miſericordia, quam fecit Ruth ipſi Noemi poſt mortem viri ſui Maalon fuit excellentius valde, illud ſolum dixit Booz. Etiam quia viuente viro habebat Ruth cauſam bene ſe habendi ad ſocrum propter virum: mortuo tamen illo nulla cauſa erat, & ſine cauſa fecit bona magna Ruth: ideo fuit valde laudabilis. *Et quòd reliqueris parentes, & terram, in qua nata es.* Iſtud fuit valde magnum. Habebat enim Ruth parentes: nam de matre conſtat præcedenti cap. cùm dixit Noemi ad Ruth, & Orpham, ite in domum matris veſtræ. De patre autem conſtat hic, cùm dicatur quòd habebat parẽtes. Graue autem erat quod relinqueret patrem, & matrem, quia nullos magis nec æqualiter naturaliter diligimus. Etiam dimiſit terram, in qua nata eſt, ꝙ eſt difficultatis magnæ, cùm ipſa natalis patria magnas delectationes afferat. *Et veneris ad populum, quem ante neſciebas.* Iſtud etiam ponitur ad augendum difficultatem: nam ſi Ruth antequam recederet de terra Moab cognouiſſet conditionem gentis Hebræorum, & manſiſſet in terra illa aliquanto tempore, ſcire poſſet an conueniret ſibi manere potius in terra ſua, quàm manere peregrinando in terra Iſrael, vel è contrario: quia tamen neſciebat an bene, vel aduerſe ſuccederet ſibi in ea, & amore Noemi non dubitauit dimittere terram ſuam, vt veniret in terram Iſrael, ideo nimis erat laudabilis. *Reddat Dominus pro opere tuo.* Scilicet, det tibi aliquam retributionem, quia feciſti aliquod opus bonũ, & laudabile propter Deum. *Et plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael.* Id eſt, non ſolùm Deus det tibi aliquod in præmium iſtius boni operis, quòd feciſti, ſed cùm ſit opus valde laudabile, det tibi quantum mereris, quaſi dicat dando, quantum mereris, dabit tibi aliquid magnum. *Ad quem veniſti.* Scilicet, cùm veniſti de terra Moaab ad terram iſtam ad Deum Iſrael veniſti dimittendo Deos tuos priores, ideo ipſe tibi retribuat pro hoc. *Et ſub cuius confugiſti alas.* Scilicet, veniſti ad ponendũ te ſub protectione Dei Iſrael. Et eſt metaphora, quia Deus alas non habet cum non ſit volucris: ſed ſicut volucris filios ſuos cuſtodit ſub alis, & ſuper eas portat illos ad volandum: ita Deus ſub protectione ſua tenens nos dicitur tenere nos ſub alis. Et iſta metaphora eſt vſitata in ſcriptura, vt patet Exod. 19. cùm dixit Deus Iſraelitis: Vos ipſi ſcitis quid fecerim Ægyptiis, & quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi: & ſic defendẽdo eos in via dicebatur portare eos, ſicut aquila ſuperalas. *Quæ ait, inueniam gratiam apud oculos tuos Domine mi.* Scilicet, oro vt etiam vlterius inueniam gratiam coram te, ita quod continues in me gratiam iſtam, quam oſtendere cœpiſti. Dicitur aliquis inuenire gratiam coram alio, quando omnia, quæ ille facit, & ipſa perſona faciens bona, & recta videntur ipſi: & iſta eſt gratia gratũ faciens, quam

D

Quæ reuerentia exhibebatur antiquitus.

E

F

A homo habet erga Deum, ſcilicet, quia quando eſt in gratia, omnia quæ ille facit, ſint accepta Deo. Et nihil aliud eſt eſſe in gratia Dei, niſi vt noſipſi, & omnia quæ nos facimus Deo eſſe videantur bona, & acceptet illa tanquam grata ſibi, & promeritoria vitæ æternæ, *Qui conſolatus es me.* Scilicet, tu domine conſolatus es nunc me: nam ante hoc cum eſſem in terra aliena nullum habens fauorem videbar mihi derelicta: nunc verò cum tu Domine oſtenderis mihi tantum fauorẽ, conſolata ſum putans proſperum eſſe iam ſtatum meum. *Et locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Id eſt, locutus es mihi ancillę tuæ ſicut ego in corde meo deſiderabam, quaſi dicat fauor, quem ego deſiderabam mihi dari, à te mihi datus eſt, ideo tu ſecundum cor meum locutus es. Vel locutus es ad cor ancillæ tuæ, id eſt ad conſolandum cor meum, quæ ſum ancilla tua. Quaſi dicat, cor meum erat in anguſtia, & tu iliud conſolatus es. *Quæ non ſum ſimilis vnius puellarum tuarum.* Id eſt, nõ ſum æqualis in valore vni de puellis tuis ſeruientibus tibi: in hoc humiliabat ſe nimis Ruth dicens non eſſe æqualem vni de puellis Booz: & valde magnas gratias reddidit, dicens, quòd cum ipſa non eſſet æqualis vni de puellis Booz, ipſe dignatus eſt ad eã ſic fauorabiliter loqui. *Dixitq; ei Booz.* Hic addit alia beneficia Booz ſuper præcedẽtia dicens. *Quando veſcendi hora fuerit.* Scil. quando veſcuntur meſſores. *Veni huc & comede panem.* Scil. veni ad ſarcinulas, vbi eſt cibus meſſorum, & aqua, vt patet ſupra, & ibi comedes panem cum eis, ſc. de cibis, quos ego illis do. B *Et intinge buccellam tuam in aceto.* Scil. buccellam panis, quam acceperis intinge in aceto. Iſtud faciebant meſſores in terra Chanaan, & etiam faciunt in regione noſtra, ſcili. quia acetum eſt frigidum virtualiter, & valde refrigerat: ideo in tempore ardoris æſtiui meſſores intingunt panem in aceto, vt ſic refrigerentur: & ponitur hic panis ſolum pro pane: nam in aliis locis ſcripturæ ſolet poni panis pro quibuſdam cibis, ſicut patet 4. Reg. 6. cum dixit Eliſęus ad regem Ioram pone panem coram eis, & ſequitur ibi: Et appoſita eſt magna ciborum præparatio, hic autem dicitur quòd panis buccella tingenda erat in aceto, ideo pro ſolo pane ponitur. *Sedit itaq; ad meſſorem latus.* Scilicet, quando fuit hora, vt comederent meſſores ſederunt ad ſarcinulas, & Ruth ſedit ad latus eorũ. In quo patet magna honeſtas Ruth, nam licet dixiſſet ei Booz quòd comederet cum meſſoribus intingendo buccellam panis in aceto, non ſedit cum eis, quia non erat valde honeſte, ſed ſedit ad latus eorum, & hoc forte fuit, quia Ruth noluit quòd meſſores contemplarentur vultum eius, quia iſtud erat initium laſciuiæ cuiuſdam: puellæ autem honeſtæ valde debent aſpectus virorum effugere, vel declinare quantum poſſunt. *Et congeſſit polentam ſibi.* Id eſt congregauit cibum factum de granis. Vocatur polenta multitudo granorum excuſſorum de ſpicis, & purgatorum ad comedendum. Et vocatur polenta à poliendo, quia poliuntur, id eſt depurantur grana ablatis ariſtis ad comedendum, & fiebat iſta polenta de ſpicis, quæ non erant omnino ſiccæ, ſed mediæ inter viridum, & ſiccum. Et iſte cibus erat valde vſitatus in terra Iſrael: & ſuſtentabantur ex illo aliqualiter Iſraelitæ, quando non poterant habere alium cibum: & quando erat tempus æſtatis, fiebat iſte cibus de ſpicis maturis: & reſeruabatur pro magna parte anni ad comedendum. Vnde quando aliqui offerebant munera rerum comeſtibilium, inter cæteras res comeſtibiles offerebant polentam, vt patet de Abigail, quæ obtulit ducentos panes, & duos vtres vini Dauid, & quinq; arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ & ducentas maſſas caricarum 1. Reg. 25. Et hanc polentam Deus vetuerat comedi in quadam parte anni, ſc. ante feſtum azimorum cùm offerebatur Deo manipulus ſpicarum virentium in primitias, vt patet Leu. 23. ſcili. Non comedetis panes pultes, nec polentam ex ſegete vſque ad diem, quo offeretis manipulum: iſtam polentam congeſſit, id eſt congregauit nunc Ruth poſtquam meſſores ſederunt ad ſarcinas, & congregauit grana multa: nam ipſa comedit ſufficienter de polenta, & partem eius tulit pro Noemi ſocru ſua, vt patet infra in litera. *Comeditque & ſaturata eſt.* Scilicet, de polenta comedit ad ſufficientiam. Quòd autem panem comederit aceto tinctũ non apparet, & forte non comedit, quia licèt Booz dixerit, quòd comederet: ipſa præ rubore, & honeſtate, vt nõ communicaret cum viris, potiſſime cum incognitis, nec panẽ accepit, nec aceto intinxit. *Et tulit reliquias.* Iſtæ ſunt quas dedit ſocrui ſuæ cùm reuerſa eſt ad domum in veſperam, vt patet infra in litera. *Atque inde ſurrexit, vt ſpicas ex more colligeret.* Scilicet, finito cibo, qui erat merenda, ſurrexerunt meſſores ad metendum: & ipſa ſecundum morem ipſorum ſurrexit ad colligendum ſpicas: & iſta die ſolum collegit ſpicas: nam ſequenti die meſſuit cum puellis Booz adiuuando eas ad metendum. *Præcepit autem Booz pueris ſuis dicens: etiam ſi vobiſcum metere voluerit, non prohibeatis.* Voluit Booz quod nullus moleſtus eſſet huic puellæ, quia erat digna omni honore: ideo dixit quòd nullus affligeret eam, ſed permitteret ei quic quid vellet, & colligere quicquid vellet, intantum quòd etiam ſi vellet metere pro ſe cum pueris Booz, permitteretur metere, & portare pro ſe quod meteret. *Et de veſtris quoque manipulis proÿcite de induſtria.* Volebat Booz, quod Ruth laborans tam ſollicite aliquod emolumentum conſequeretur. Et quia ſi ſolum ferret ſpicas euadentes manus metentium, paucum conſequeretur inde, voluit Booz, quòd meſſores dimitterent aliquos de manipulis ſuis, ſcilicet ex induſtria, ſcilicet quando colligebant manipulos, quos meſſuerant ad ligandum illos in magnum faſcem, dimitterent aliquos ex induſtria fingentes ſe non videre illos. *Et remanere permittite.* Scilicet, tranſite vltra dimittendo manipulos longe à vobis. *Vt abſque rubore colligat.* Scilicet, ſi viderit vos præſentes quam quam manipuli derelicti ſint, non audebit illos tangere præ rubore: ideo dimittite illos longe retro vos, vt non erubeſcat colligere illos nemine vidente eam colligere. *Et colligentem nemo corripiat.* Id eſt, nemo increpet dicens, quòd nõ colligat de manipulis quos reliquerunt meſſores, quia ſi aliquis increpareret eam, præ rubore, & anguſtia omnia dimitteret, & nunquam rediret in agrum illum. E

Quare Ruth cecidit in terram coram Booz nunc cùm paruum beneficium ſibi præſtitiſſet.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quare Ruth cecidit in terram coram Booz nunc cum paruum beneficium ſibi præſtitiſſet, & poſtea magna beneficia promittens non cecidit coram eo. Reſpondendum, quod Ruth erat mulier alienigena in terra Iudæorum, & non putabat ſe habere aliquem fauorem in terra illa, nunc autem cum Booz locutus fuit tam benigne ei oſtendens animum benefaciẽdi ei, fuit aliquid magnum beneficium: & maximè adhuc æſtimabat illud Ruth: nam Booz faciebat nunc bonum ipſi Ruth, & tamen aliquo modo obligabatur, ſcilic. quia Booz erat cognatus Elimelech, & Noëmi: & quia Ruth benefecerat toti illi progenici, tenebatur ei quilibet de tota illa progenie ad ãtidota, & potiſſime Booz qui erat quaſi princeps in tota illa cognatione: Ruth tamen non putabat aliquam talem obligationẽ eſſe, quia neſciebat Booz eſſe cognatum Elimelech, & viri ſui Maalon: ideo credens prẽſtari ſibi iſtud beneficium ab homine, qui ſibi ad nihil tenebatur, reputauit eſſe immenſum beneficium, & neſciens quid pro tanto deberet impendere inclinauit ſe ad terram: Et patet quòd iſta fuerit intentio Ruth: nam dixit, vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris mulierem peregrinam? Cùm autem quæritur, quare poſtea cum magna beneficia permitteret non ſe inclinauit. Dicendũ quòd quædam iſtorum neſciuit Ruth. Nam quod dixit Booz, ſcilicet quòd nemo moleſtaret Ruth, & quod permitteretur metere, ſi vellet cũ meſſoribus, & quòd dimitterent manipulos ex induſtria, vt colligeret eos Ruth, non audiuit iſtud Ruth, ſed ſecretè locutus eſt Booz ad meſſores: nam ſi Ruth iſta audiret, nihil proficerent iſta verba, quia tunc non colligeret aliquos manipulos remanentes præ rubore, & tamen Booz dicebat, quòd facerent taliter meſſores ſui, quòd illa colligeret abſque rubore, ergo ea non audiente dicta ſunt hæc, & ſic de iſtis non poterat gratias agere: alia autem pauca audiuit, ſcilicet quod quando eſſet tempus comedendi intingeret buccellam ſuam in aceto, & ad hoc non cecidit Ruth in terram, quia forte non erat conſuetum ſæpe cadendi in terram. Vel quia forte non reputauit Ruth iſtud beneficium, & ſequentia tantum, ſicut quòd à principio fecerit de ea Booz aliquam mentionem loquendo ad eam benignè. F

Magna honeſtas Ruth.

Puellæ debent quantumpoſſunt aſpectũ virorũ effugere.

C

Cur Booz non dixit etiam quòd Ruth reliquerat Deos suos.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius, cùm Booz enarraret illa, quæ fecerat Ruth pro Deo Israel, & pro Noemi dicens, quod reliquerat parentes, & patriam, cur non dixit etiam quòd reliquerat Deos suos: nam Noemi tetigerat istud, cum dixit ad Ruth, ecce reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea, præcedenti ca. Dicendum quod Booz fecit hoc propter tria. Primum est, quia Booz voluit significare hic difficultates, quas subiuit Ruth propter Noemi, & Deum Israel, pro quibus erat laudabilis. Prima erat, ꝙ dimisit parentes: secunda quod dimisit patriam: vtraq; erat magna hominibus sequentibus desiderium sensitiuũ, & potissimè mulieribus, quia tenerior affectio illarum quam virorum. Quod autẽ dimisit Deos suos, non erat difficile: quia non est aliquid triste, quòd sensu percipiatur, & affligat manifestè sicut permittere patrem & matrẽ. Ratio est, quia Deus est aliquod bonum spirituale, quod in sensu nihil mouet, & talia sunt, quibus licèt careamus, non affligimur, potissimè circa simplices, qui non multum cognoscunt de Deo, quia permutare Deos non videtur in eis aliquod malum vel defectus, cùm sola bona, & mala, quæ in sensu sunt sequantur. Secundum est, quia dimittendo Deos Moabitarum, non faciebat Ruth aliquid spirituale nimis, quia ad illud obligabatur, cum non essent illi veri dij. Etiam quia cum Ruth dimitteret Deos Moabitarũ, vt coleret Deum Israel, sibi vtilitatem procurabat dimittendo Deos qui nihil boni, nec mali facere poterant, & confugiendo ad Deum, qui poterat præmiare colentes se, & inferre malum hostibus suis. Tertium, & præcipuum fuit, quia Booz volebat hic reddere vicissitudinẽ aliquam ipsi Ruth: nam Ruth fecerat multa bona Noemi nurui suæ, & viro suo Maalon, pro quibus tota cognatio eorum erat obligata ipsi Ruth, & quia Booz erat quasi princeps istius cognationis, vt patet supra in litera, vbi vocatur cognatus Elimelech, ideo ad ipsum pertinebat reddere vicissitudinem pro beneficiis istis. Et quia difficultas, quam subiecerat Ruth pro Noemi fuit, quod dimiserat parentes, & patriam, pro his debuit gratias agere Booz. Quod autẽ dimiserit Ruth Deos Moabitarum, non fuit directe beneficium præstitum Noemi, sed obsequium præstitum Deo Israel: ideo non curauit nunc enarrare illud, sed retulit ad ipsum Deum dicens: plenã mercedẽ recipias à Deo Israel, sub cuius alas cõfugisti.

An meruerit aliquid Ruth dimittendo Deos Moabitarum, & an teneretur ad hoc. Et an in actibus necessitatis possimus mereri.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dixit hic Booz: reddat Dominus pro opere tuo plenam mercedem, sc. an meruerit erga Deum aliquid Ruth per ista, quæ fecit. Respondendum, quod fecit Ruth duo opera. Vnum fuit beneficiũ, quod præstitit ipsi Noemi, & cognationi eius comitando de terra Moab in terram Israel, & dimittendo terram suam, & parentes propter illam. Aliud fuit obsequium, quod Deo Israel exhibuit dimittendo Deos suos, vt veniret ad colendũ ipsum. Dicendum autem, quòd in his meruit, cùm Booz dixerit, reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Deo Israel, & non solum meruit in altero eorum, sed in ambobus. De primo tamen dicet aliquis, quòd non meruit, quia illud factum est propter Noemi, & propter Deum, talium autem remuneratores esse debent illi, quibus beneficia præstantur: sic enim Deus dicit de illis, qui faciunt bona opera, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem suam. Mat. 6. Dicendum, quòd metuit Ruth etiam quantum ad istud beneficium quod impendit Noemi. Quod patet, quia Booz solum enarrauit nunc beneficium præstitum Noemi à Ruth, & tamen subdidit reddat tibi Dominus pro opere tuo, ergo meruerat, quia alias Deus non deberet facere retributionem. Item patet, quia iste actus erat bonus in genere suo, & laudabilis, & non constat quod factus sit propter malum finem, ergo erat meritorius. Sed dicendum, quod in hoc est diuersitas: nam certum est, ꝙ meruit Ruth impendendo istud beneficium Noemi, & tamen mereri stat, vel quantum ad vitam æternam, vel quantum ad bona temporalia: nam existentes in peccato mortali merentur, si faciant aliquem actum bonum secundum genus suum sicut patet de obstetricibus Ægypti, quæ erant Idolatræ, & mentiendo meruerunt temporalia bona, quia ædificauit eis Deus tabernacula Ex. 1. ca. De Ruth autem dicendum, quod si asseratur esse in peccato mortali eo tempore, quo voluit redire cum nuru sua, & cepit redire, meruit bona temporalia sibi à Deo dari propter istum actum bonum materialiter: si autem esset in charitate, sc. quòd iam abrenunciasset cultui idolorum, mereretur vitam æternam in isto actu, quia licèt vtilitas huius actus proueniret ipsi Ruth, tamen habens charitatem omnes actus suos dirigit saltem habitualiter in Deũ: & patet hoc de omnibus operibus misericordiæ: nam vtilitas actus illius proximo præstatur, & tamen apud Deum meremur per tales actus. Si autem quæratur de secundo, sc. quòd Ruth reliquerit cultum idolorũ, & venit ad colendum Deũ Israel. Dicendum est, quod meruit, quia iste actus factus est solum propter Deum. Etiam honor proueniens ex eo solum proueniebat Deo. Aliquis autem dicet, ꝙ non meruit Ruth in hoc, quia obligabatur ipsa dimittere Deum Moabitarum, & omnia idola, quia isti non erant dii, & venire ad cultũ Dei veri: ergo non erat meritorius actus, quia meram libertatem quærit. Respondendum quòd ista ratio nõ stat propter duo. Primò, quia licèt quis faciat id ad quod tenetur, meretur si bono animo faciat: nam nemo dubitat, quin nos mereamur obseruando præcepta decalogi, & euangelica, & tamen certũ est nos obligatos esse ad custodiendum illa, alioquin daretur quòd nullus posset mereri seruando legem euangelicam, nisi consilia, quæ opera supererogationis sunt, faceret: tunc non vocarentur illa opera supererogationis, sed necessitatis, eo quod necessaria sunt homini ea, sine quibus non potest peruenire ad vitam æternam, quæ est finis suus. Etiam sequeretur, quòd omnes homines tenerentur obseruare statum religionis, in quo sunt opera consiliorum, & istud est valde incõueniens: ideo per opera necessitatis, dum tamen bono animo fiant, meremur. Cùm autem obiicitur, quòd ad merendum requiritur libertas, dicendum quòd verum est de libertate à coactione, sed non de libertate à necessitate finis: nam necessitas finis non est necessitas absolutè: ideo manet cum libertate: necessitas coactionis est absoluta necessitas, ideo manere nõ potest cum libertate requisita ad merendum. Alio modo potest responderi, quòd non erat aliquomodo necessariũ ipsi venire ad Deum Israel: nam ad habendam vitam æternã erat necessarium cuilibet homini dimittere cultum idolorũ, cum nõ essent illi verè dii, & erat necessarium quod quilibet crederet vnum esse Deum, & illum coleret, & tamen an illle Deus verus vnicus esset Deus, quem colebant Hebræi vel Ægyptii, vel aliæ gentes non patebat, quia nõ cognoscebat quælibet gens probationes huius rei: vnde non solum Iudæi colebant Deum verum, sed etiam Græci Athenienses: nam illi fecerant aram Deo ignoto: & exhibebant ei ibi honorem, & ille Deus ignotus erat verus Deus, vt dicit Apostolus & habetur Actu. 17. quòd ergo vellet Ruth credere Deum Israel esse illum vnicum Deum qui erat rector totius vniuersi, extra quẽ nullus Deus erat, faciebat aliquid supererogationis. Nam non obligabatur alquis ad hoc, nisi Iudæi qui susceperant legem eius. Et patet, quia alias omnes homines obligati fuissent tempore legis Moysi credere quod credebant Iudæi: sed falsũ est, quia multos philosophos dicimus fuisse saluos, quos nihil istorum dicimus credidisse, quia solum requirebatur, ꝙ non colerent idola, & crederent vnicum esse Deum punitorem, & remueratorem: & quòd cauerent a peccatis mortalibus, quæ ratio naturalis dictat esse peccata. Aliud etiam erat, quia dato quod quis sciret, Deum Hebræorum esse verum Deum, qui est vnicus Deus rector orbis, tamen non obligabatur colere illum secundum modum determinatum in lege Moysi, eo quod lex ista solum obligabat Iudæos, quibus data est, vt colligitur Exo. 19. c. quod ergo quis subiiceret se lege Moysi de Gentilibus, erat opus supererogationis, & valde laudabile. Duo ergo fecit Ruth, hic ad quæ non erat obligata. Primum erat, quod voluit credere Deum Israel esse verum

Mereri stat ad duo.

Lex vetus Iudæos tãtum obligabat.

A vernm Deum. Secundum erat, quia quod dato crederet voluit se subiicere legi Moysi ad tenendum eam in æternum, ideo de his Deus remunerationem tribuere debebat tanquã de operibus supererogationis : & remuneratio ista duplex tangitur hic in verbis Booz: nam inquantũ dixit: reddat tibi Dominus pro opere tuo, loquitur de remuneratione debita pro misericordia, quam exhibuit ipsi Noemi; & cum dicit; & plenam mercedem recipias à Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti : potest intelligi de mercede debita pro obsequio, ꝙ Deo impenderat in hac re: & satis patet, quia dicitur: ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas.

Quare dicitur hic plenam mercedem recipias.

Qvæstio XIII.

Qværetvr vlterius, quare dicitur hic, & plenã mercedem recipias. Respondendum, quod Booz dixit hoc propter duo opera Ruth : nam sicut dictum est præcedenti quæstione, duo opera fecit Ruth : vnum fuit beneficiũ impensum Noemi, alterum fuit obsequium Deo exhibitum. De primo dicebat Booz, quòd reciperet Ruth plenam mercedem, quia impotens erat Noemi, & omnes cognati eius ad retribuendum sufficienter. Nam licet vellet Booz dare quandam vicissitudinem recompensando in eo, in quo poterat se
B cundùm æqualitatem putabat se non posse : eo quòd fecerat tanta pro Noemi, vltra quæ nihil erat, quod impendi posset nisi mors : nam dimiserat parentes, & patriam, & Deos suos, & totũ statum vitæ suæ posuit in Noemi, sc. quòd si illa prosperaretur putabat se hoc solo esse beatam: quamquam ergo multa impenderent Booz, & Noemi, & alii de cognatione ipsorum Ruth, non poterant æquiparare beneficio eius: ideo petebat Booz, quòd id, quod ipsi non poterant retribuere ipsi Ruth retribueret Deus : & ista erat plena merces. Secundum erat obsequiũ Deo impensum, sci. quia dimiserat Deos suos, & venerat ad eum, de quo magis declaratum est præcedenti quæstione, & pro isto erat ei rependenda merces : & quia istud fuerat aliquid magnum, si rependeretur merces ęqualis, daretur sibi aliquid magnum, orauit quod ei Deus redderet plenam mercedem exaltando eam ad prosperum statum, sicut decebat exaltari.

Quomodo Ruth orauit nunc quòd inueniret gratiam coram Booz.

Qvæstio XIV.

Qværetvr vlterius, quomodo Ruth orauit nunc, quod inueniret gratiam coram Booz, & videtur, quod non erat opus hoc petere. Primò, quia videbat Ruth, quòd Booz tantum ei ostenderat fauoris, quòd nõ oportebat plus ostendi. Secundo, quia ipsamet Ruth dixerat quòd inuenerat gratiam coram eo, scilicet, vnde hoc mihi, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris ? implacabat ergo in verbis suis petens nunc inuenire gratiam. Respondendum, quòd Ruth petiuit nunc, quòd inueniret gratiam. Primò, quia iste est modus se humiliandi: nam cum aliquis, qui iam obtinet quòd vult, subiicit se alteri petendo illud tanquam non habeat, impendit ei quendam honorem in ista subiectione: ideo Ruth volẽs se magis subiicere Booz, qui ostendebat ei tantum fauorem petiuit, quòd inueniret gratiam coram eo. Secundum erat etiam ad ostendendum aliquam magnitudinem in eo: nam cum quis petit quòd inueniat gratiam coram altero, innuit aliquid magni esse in illo, quo indigeat quod ille præstare possit : & ista est quædam exaltatio eius, à quo petitur iste fauor. Tertiũ est, quia Ruth viderat, quòd Booz ostenderat ei fauorem in præterito, & non interciderat aliquid meriti, ideo nunc optat pro futuro, sc. quòd semper iste fauor continuetur : & hoc erat conueniens, quòd peteret Ruth, quia si ostendente Booz tantum fauorem ei non peteret continuari istum fauorem, videretur nimis confidere de fauore Booz, ita quod putaret non esse necessarium, quòd vltra peteret illum : & ista confidentia nõ erat rationabilis, cùm Ruth esset mulier alienigena, quæ ipsi Booz quantum ad personam suam nihil obsequi, vel beneficij præstiterat. Petiuit ergo rursus fauorem.

Cum Booz laudauit tantum Ruth de beneficijs collatis Noemi, & obsequio quòd Deo præstiterat, cur ipsa non respondit ad hoc.

Qvæstio XV.

Qværetvr vlterius, cùm Booz laudauit tantum ipsam Ruth de beneficiis, quæ præstiterat Noemi, & obsequio, quòd Deo præstiterat, cur ipsa non respondit aliquid ad hoc. Respondendum, quod ipsa nihil dixit. Primò quia nõ expediebat : nam si voluisset aliquid respondere in hoc, necessarium erat, quod multa verba diceret, ipsa tamen non iudicabat honestum esse, quòd fœmina incognita multa loqueretur cum viris : nam signum probitatis magnæ in mulieribus potissimè non habentibus viros est verecundia : & quia multa loqui non pertinet ad verecundiam, potissimè cũ fœminæ verecundæ debeant quantum potuerint fugere conspectus viriles, sc. vt non aspiciant eos recto vultu, & tamen si loqueretur Ruth multa cum Booz, oportebat quod eum cõspiceret, quod non multum attestabatur honestati eius. Secundum fuit propter humilitatem, & moderationem, nam ad nullum pertinet virtuosum laudes appetere : & potissimè non illas de se præferre: si tamen Ruth vellet aliquid respondere ad hoc, cùm totum istud pertineret ad laudem magnam Ruth necesse erat, ꝙ proferret aliquas laudes de se, vel aliqua
E de quibus laudaretur : neutrum autem competit virtuoso, sed potius debent subticere quantũ subticere potuerit: ideo ad hoc non decuit respondere Ruth, sed conuertit sermonẽ suũ ad aliud humiliando se, & dicendo inueniam gratiã ante oculos tuos: & in omnibus humiliauit se, quanto magis eam Booz exaltabat: nã dixit non sũ similis vnius puellarũ tuarũ.

Quare Booz gradatim ostendebat fauorem ipsi Ruth, & non totum à principio.

Qvæstio XVI.

Qværetvr vlterius, quare Booz gradatim ostendebat fauorem ipsi Ruth, & non totum à principio: nam à principio solum dixit ei, quòd colligeret in agro suo, & non iret ad alium, & ꝙ quando staret ad sarcinulas & biberet: post quam verò respondit Ruth, dixit ei, quòd comederet panem intinctum aceto cum messoribus, & quod nullus molestaret eam, sed darent etiam ei de manipulis suis, & permitterent eam colligere secum, & metere, si vellet. Dicendum, quod Booz fecit hoc, quia mouebatur contemplatione virtutis Ruth: à principio enim ostendit erga eam fauorem suũ, quia audierat quod erat virtuosa mulier, & ꝙ fecisset multa propter Noemi socrum suam : & tamen nondum viderat Booz
C aliquod experimentum virtutis suæ: nunc verò ex responsione Ruth collegit Booz maiores virtutes : nam collegit quod erat mulier honesta, modesta, verecunda, quia noluit respondere aliquid ad laudes suas, ne multiplicaret vetba cum viris. Etiam agnouit eam esse humilẽ, quia valde se humiliauit nũc dicens, ꝙ non erat similis vnius ancillarum Booz: & propter hoc dilexit eam Booz magis q̃ prius: & ostendit fauorem suũ erga illam abundantius dicens, ꝙ comederet, & meteret cũ messoribus, & quod messores dimitterẽt ei de manipulis suis ex industria, vt patet in litera. *Collegit ergo.* Hic ponitur quartum huius c. s. Ruth in agendis sollicitudo, nam erat sollicita nimis laborando, cum tota die maneret in agro colligens spicas, ita vt miraretur iuuenis, qui præerat messoribus : vnde dixit ad Booz, & de mane vsque ad nunc stat in agro: nec ad momentum reuersa est, & dicitur. *Collegit ergo in agro vsq; ad vesperam.* Totũ hoc intelligirur de primo die, quo Ruth iuit ad colligendum spicas in agrum Booz: nam collegit vsque ad veseperam, quando reuertebantur messores. *Et quæ collegerat virga cædens, & excutiens.* Postquam collegit spicas accepit baculum, & cædebat illas ad excutiendũ grana de paleis, vt sola grana ferret in domum. *Inuenit ordei quasi ephi mensuram.* Hordeum est, ꝙ nunc colligebant messores Booz, nam sicut dicitur præc. c. in fine, Noemi venit cũ Ruth nuru sua in Bethlehẽ in principio messis hordeaceę, & illico iuit ad colligẽdum spicas in agrum, ne esset ociosa. Et ponitur mẽsura hordei q̃ colle-

F

Ruth in agẽdis sollicitudo.

collegit, ſcilicet, quaſi ephi, quantitas menſuræ iſtius apud nos eſt incognita. Nam menſura, & pondera, & monetæ variantur per diuerſa tempora & regiones, ideo nullus poteſt determinate nunc dicere tanti valoris erat moneta, quę olim fuit: & tantę capacitatis erat menſura alterius temporis, quia omnia tempore variantur. Erat tamen ephi apud Hebræos quædam menſura aliqualiter magna, quæ continebat decem Gomor: Exod. 16. erat autem Gomor menſura parua: nam Deus ſtatuerat in deſerto, quod cuilibet capiti ſiue viro, aut mulieri daretur quotidie vnũ Gomor de manna: & illa quãtitas ſufficiebat ad ſaturitatem: Exod. 16. ex quo aliqualiter poteſt comprehendi, magnitudo ephi, licet non multum determinate. *Id eſt, tres modios.* Iſtud non eſt in Hebræo, ſed in libris Latinis communiter reperitur. Credendum autem eſt, quod fuerit Gloſſa interlinearis cum ſit expoſitio: & imperitia aliquorum librariorum textui inſerta eſt, & inde omnes libri vitiati ſunt per iſtam additionem: & tamẽ adhuc dicendum eſt, quod non patet quantum ſit modius, quia eſt menſura antiqua: & omnes iſtæ ſunt immutatæ. Sed quantum ſit, & an ſit menſura valde magna ſeq. cap. declarabitur. *Quos portans.* Ipſa humeris ſuis portauit iſtos tres modios: ſiue ephi: nã non erat magnum põdus, cum ipſa iterum portauerit ſuper ſcapulas ſuas modios ſex, vt patet ſeq. cap. *Reuerſa eſt in ciuitatem.* Scilicet, in veſpera cum iam non erat honeſtum manere in agro, & oſtendit ſocrui ſuæ, quaſi congratulando, quod multum portaret: & verum erat, quod non potuiſſet Ruth tantũ colligiſſe, niſi quod meſſores ex induſtria dimittebant ei aliquos manipulos, ſicut dixerat eis Booz. *Inſuper protulit & dedit ei de reliquiis cibi ſui, quo ſaturata fuerat.* Scilicet, dedit ei de polenta: nam congeſſerat ſibi polentam ad comedendum de granis excuſſis de ſpicis & decorticatis, & reſeruauit partem cibi illius poſtquam fuerat ſaturata, & illam protulit de caniſtro, vel pera, & dedit ſocrui ſuæ. *Dixitque ei ſocrus.* Admirata Noemi de eo quod collegerat Ruth quæſiuit ab ea. *Vbi collegiſti hodie, & vbi feciſti opus?* Vbi tantum colligere potuiſti, vel quis fuit qui tam clementer ſe haberet ad te, vt tantum te colligere permitteret? & eſt replicatio ſententiæ, quia idem eſt, vbi collegiſti, & vbi feciſti opus. *Sit benedictus, qui miſertus eſt tui.* Aliqui intelligunt de Deo hoc, ſcilicet, Deus, qui miſertus eſt tui dando tibi gratiam in conſpectu alicuius patris familias, vt tantum te colligere permitteret, ſit benedictus, & laudabilis. Sed intelligendum eſt de domino agrorum, ſcilicet, quod ille miſertus eſt Ruth permittendo eam fauorabiliter colligere: nam ſi magnum fauorem ei non præſtitiſſet, non potuiſſet tantum colligere: & patet hoc, quia immediate dicitur, quod Ruth indicauit ei nomen domini agri, & q̃ vocaretur Booz, & tunc dixit Noemi, benedictus ſit à domino, eandem gratiam, quam prębuit viuis ſeruauit & mortuis. *Indicauitq́, ei apud quem eſſet operata.* Id eſt, in cuius in agro collegiſſet ſpicas. *Et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.* Nec ſciebat Ruth, quando iuit in agrum, cuius erat ager ille, nec etiã ſciebat poſtea virum, quamquã vidiſſet eum, ſed forte à meſſoribus, vel puellis didicit qualiter vocaretur: nam neſciebat quis vir eſſet ex fama. Quod patet, quia alias quando indicauit Ruth ipſi Noemi nomen viri, dixiſſet ei, quod vocabatur Booz ille vir, in cuius agro collegerat ſpicas, quia iſte eſt modus loquendi non cognoſcentis perſonam, ſed ſolum nomen, ſed dixiſſet in agro Booz collegi ſpicas. Etiam ſi Ruth cognouiſſet Booz cum diceret Noemi ad Ruth, propinquus noſter eſt homo, quia ſcito quis erat Booz cognoſceret cognationẽ ſuam. *Cui reſpondit Noemi, benedictus ſit à domino.* Scilicet, Deus augeat bona eius: nam benedictio importat augmentum, vel multiplicationem, vt patet 2. Cor. 9. cum opponatur ibi benedictio parcitati, vel auaritiæ. *Eãdem gratiam, quam præbuit viuis ſeruauit & mortuis.* Scilicet, gratia vel bona voluntas proficiendi quam habebat Booz ad virum meum Elimelech, & ad duos filios eius, manet nunc in eo: nam erat cognatus Elimelech viri Noemi: & conſequenter duorum filiorum eius, quorum vnus erat Ruth vir, ſcilicet, Mahalon, & Booz habuit ſe ad iſtos valde amicabiliter, quamdiu vixerunt: nunc aũt poſtquam mortui ſunt, ſeruauit eandem gratiam, quia habendo ſe bene ad Ruth vxorem Maalon, habebat ſe bene ad Maalon, & habendo ſe bene ad Noemi vxorẽ Elimelech, habebat ſe bene ad Elimelech: & referebat Noemi de hoc gratias, quia faciebat Booz tanquam vir bonus, & laudabilis: ſolent enim mortui tradi obliuioni: nec manent amici eorum, qui fuerant amici dum viuerent, ſicut dicitur Pſal. 30. ſcilicet. Obliuioni traditus ſum ſicut mortuus à corde. Et tamen nunc mortuis ſeruabat Booz amicitiam. Etiam erat alia cauſa, quare gratias referret Noemi: nam cũ vir ſuus viueret, habebat Booz aliquam cauſam faciẽdi bene ipſi propter ſe, quia cognatus eius erat, & vxori ſuæ propter ipſum: nunc autem Noemi non habebat aliquam cauſam quare de ea curaret Booz, cum eſſet mortuus vir ſuus; & tamẽ curabat ſeruando eandem amicitiam, quam prius: ideo nimis erant referendæ gratiarũ actiones ipſi Booz propter hoc. *Rurſumq́,* Scilicet, finita ſententia ſuperiori cũ aliquali pauſatione rurſus locuta eſt Noemi ad Ruth de eodem. *Propinquus noſter ait eſt homo.* Scilicet, Booz propinquus noſter eſt. In hoc incepit Noemi congratulari ipſi Ruth de Booz, dicens: propinquus noſter eſt, ſcilicet, viri mei, & viri tui, quaſi dicat, gaude, quia magis nobis fauebit: nam noſter propinquus eſt. Accipiebat autem Noemi perſonam viri ſui, & perſonam Maalon mariti Ruth, quorum Booz erat cognatus, vt patet ſupra in litera: nam iſtarum mulierum non erat cognatus Booz. *Et Ruth.* Scilicet, locuta eſt ad Noemi. *Hoc quoque, inquit, præcepit mihi.* Scilicet, hoc quod ſequitur: Ruth erat repleta gaudio multo de proſperitate diei illius, quia feliciter ei euenerat, & ob hoc quamquam Noemi loqueretur de cognatione ſua ad Booz non attendebat Ruth, ſed volebat enarrare quod et cum illo acciderat, quia omnia euenerant proſpere, & ſubiunxit iſtud quod ſequitur. *Vt tamdiu meſſoribus eius iungeret donec omnes ſegetes meterentur.* Scilicet, vt ſemper colligerem ſpicas in agris ſuis poſt meſſores ſuos, quamdiu duraret meſſis ſua. *Cui dixit ſocrus: melius eſt filia mi, vt cum puellis eius exeas ad metendum.* Scilicet, bonum non eſt, vt colligas ſpicas, ſed vt iungaris puellis Booz, & metas cum eis adiuuando eas ad metendum. Habebat enim Booz meſſores, & etiam puellas metentes, vt patet ſupra in litera: & voluit Noemi, quod Ruth iungeretur puellis Booz, quia cum eis honeſtius eſſet, & adiuuaret eas ad metendum pro ipſo Booz. *Ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi.* Scilicet, ſi iungeris puellis Booz adiuuabis eas, & nemo tibi reſiſtet: ſi autem iueris ad alienum agrum aliquis tibi reſiſtet, ne colligas, & erit tibi rubor, vel ſcandalum. *Iuncta eſt itaque puellis Booz.* Secuta eſt Ruth mandatum, & conſilium Noemi ſocrus ſuæ, quia vt matrem eam habebat. *Et tamdiu cum eis meſſuit, donec hordea & triticum in horreis conderentur.* Scilicet, vſq; ad finem meſſis triticeæ, & hordeaceæ fuit ſemper Ruth cum puellis Booz, ita vt iam nihil haberet Booz, quod meteretur: & tunc hordea & triticum condita ſunt in horreis, id eſt, conſeruata, quia iam nihil manebat agendum. Toto autem hoc tempore nulla mutatio facta eſt quantum ad negocia Ruth, ideo dicitur: donec hordea, & triticum in horrea mitterentur: nam expleta meſſe ſecutum eſt matrimonium Ruth cum Booz, vt patet ſequenti capitulo.

Gomor quid ſit.

Quare cum Booz multa dixerit ipſi, per quæ oſtendebatur fauor ſuus erga Ruth: & Ruth ſolum aliqua eorum dixit Noemi ſocrui ſuæ.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, quare cum Booz multa dixerit Ruth ipſi, per quæ oſtendebatur fauor ſuus erga ipſam Ruth, & Ruth aliqua eorum dixerit Noemi ſocrui ſuæ, vt patet hic, non dixit omnia.

Reſpondendum, quod Ruth non potuit dicere ipſi Noemi omnia, quæ dixerat Booz in fauorem ſuum: nam multa illorum ſecrete dixit meſſoribus, quæ non audiuit Ruth, ſcilicet, quod permitterent eam ſecum metere ſi vellet. Etiam quod de manipulis ſuis dimitterent ex induſtria, vt illa caperet eos ſine rubore: & iſta non potuit Ruth dicere ſocrui ſuę: alia tamen ipſa audiuit, ſcilicet, quod quando ſiciret iret ad ſarcinulas, & biberet de aquis quas bibebant pueri Booz. Etiam quod quando eſſet hora comedendi iũgeretur meſſoribus, & comederet cum eis panẽ tinctũ in aceto, vt patet in litera. De iſtis poteſt dici vno modo, quod ſcriptura ſubticuit iſta relata fuiſſe Noemi: & tamen Ruth illa ſibi retulit. Et nõ eſt hoc inconueniens quia multa dimittuntur in ſacra ſcriptura eorum, quæ facta ſunt. Secũdo poteſt dici, quod Ruth

A volebat iſta enarrare ſocrui ſuę: & tamen non enarrauit, quia ipſa Noemi intercepit, vel dimiſit locutionem Ruth, ſcilicet, quod cum Ruth dixiſſet, quod Booz præceperat, quod iungeretur meſſoribus, volebat diſcurrere ad enarrandum alia: ſed Noemi voluit reſpondere ad iſtud verbum Ruth, dicens, quod non erat bonum, quod iungeretur meſſoribus Booz ad colligendum ſpicas, ſed puellis ad metendum: ideo ceſſauit Ruth dicere cætera, quæ intendebat. Tertio poteſt dici & melius, ſcilicet, quod Ruth dixit omnia, quæ Booz ei retulit, & tamen ſcriptura nihil ponit niſi ea, quæ faciunt ad intentum ſuum. Intentum autem ſcripturæ eſt hic enarrare illa, per quæ habita fuit occaſio ad contractum matrimonij inter Booz & Ruth: iſta autem verba, quæ Ruth retulit ipſi Noemi, ſcilicet, quod dixerat ei Booz, quod biberet de aquis ad ſarcinulas, & quod comederet panem tinctum aceto, non erat aliqua occaſio directa, nec indirecta ad matrimonium quod ſequitur, ideo ſcriptura non curauit illa enarrare, quãquam iſta relatio facta fuerit. Quod autem diceret Ruth ad Noemi, quod iuſſerat ei Booz, quod iungeretur meſſoribus eius vſq; ad conſummationem meſſis, attinebat ad propoſitum. Nam Noemi reſpondit ei, quod non erat illud bonum, ſed potius ꝙ ipſa Ruth iungeretur puellis Booz, & iam non colligeret ſpicas, ſed meteret cum puellis Booz, & ex iſto obſequio, quod Ruth pręſtitit Booz, inclinaretur ipſe magis ad eam, & ſic haberetur via ad contractum matrimonij illius.

Intẽtio ſacræ ſcripturæ de Ruth.

B

Quomodo dixit Noemi ad Ruth, melius eſt vt cum puellis exeas ad metendum.

Qvæstio XVIII.

Reſp 1. ad quæſitum.

Qværetvr vlterius, quomodo dixit Noemi ad Ruth, melius eſt, vt cum puellis exeas ad metendum. Reſpondendum eſt vno modo, quod Noemi ſecuta eſt hic cuſtodiam honeſtatis Ruth. Dixerat autẽ Booz, quod Ruth iungeretur meſſoribus ſuis quouſque finirentur Meſſes, & quia frequentatio iſta cum viris non erat tam honeſta ſicut cum fœminis, voluit Noemi, quod Ruth non iungeretur meſſoribus Booz, ſed puellis eius, vt honeſtius ſe haberet. Secundo poteſt dici, & melius, quod hoc fuit ad magis fructificandum: nam ſi colligeret ſpicas Ruth quotidie vſque ad finem meſſis, non congregaret inde magnum fructum, & erat labor grauis. Vtilius erat ergo, quod labor, quem impendere debebat in colligendo ſpicas, impenderet metendo, & magis de lucro conſequeretur. Et quia Booz dixerat, quod iungeretur Ruth meſſoribus ſuis, ſcilicet, ad colligendum ſpicas, dixit Noemi: melius eſt, quod iungaris puellis eius ad metendum. Tertio poteſt dici, & adhuc melius, quod Booz intendebat dare lucrum ipſi Ruth, Noemi autem volebat quod Ruth impenderet obſequium ipſi Booz, & non perciperet in præſenti fructum, ſed expectaret aliunde: Booz namque viderat honeſtatem Ruth, & iuſſerat, quod veniret ſemper in agrum ſuum ad colligendum ſpicas vſque ad conſummationem meſſis: & dixerat meſſoribus, quod dimitterent, vel proiicerent de manipulis ſuis ex induſtria, vt poſſet Ruth colligere illos ſine rubore. Et hoc modo poterat Ruth quotidie multum congregare de hordeo, & tritico: ſicut prima die congregauerat quaſi menſuram Ephi, vt patet ſupra in litera. Et per hoc beneficium quod intendebat impendere ipſi Ruth, nolebat recipere ab ea aliquod obſequium, ſed quod ipſa pro ſe laboraret, & colligeret. Noemi autem intendebat alium finem: nam poſtquam vidit quod prima die Booz tantum fauorem impenderat ipſi Ruth, & dilexerat eam, vidit modum ad hoc, quod poſſet accipi Ruth ab eo in vxorem: & ob hoc dixit: propinquus noſter eſt homo, ſcilicet, quod iure propinquitatis poterat matrimonium legaliter copulari: quod fieri non poſſet ſi Booz negligeret ipſam Ruth: ideo viſo bono deſiderio eius, voluit eum magis inuitare ad hoc obſequiis, & ad hoc noluit quod laboraret Ruth colligendo ſpicas, in quo ſibi ſoli proderat, & à Booz beneficium recipiebat, ſed quod obſequium impenderet Booz non recipiens ab eo mercedem, ſcilicet, quod adiuuaret puellas eius ad metendum vſq; ad finem meſſis hordeaceæ, & triticeæ: & ſic factum eſt. Nam cum toto hoc tempore Ruth meſſuiſſet cum puellis Booz, & expleta meſſe, miſit eam Noemi ad iacendum in area apud Booz, & tunc contractum eſt matrimonium, vt patet ſequenti cap.

Reſp 2. ad quæſitum.

C

D

Quomodo dixit hic Noemi: melius eſt, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quis reſiſtat tibi.

Qvæstio XIX.

Qværetvr vlterius, quomodo dixit hic Noemi: melius eſt, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quis reſiſtat tibi: nam dato quod non iungeretur puellis Booz ad metendum, non reſiſteret ei quiſquam in agro alieno, quia Booz dixerat ei, quod iungeretur meſſoribus eius vſq; ad conſummationem meſſis, & non iret ad alienum agrum, & ibi colligeret ſpicas: & præceperat etiam meſſoribus, quod nullus moleſtus eſſet ipſi Ruth ad metendum, ſi vellet, vel ad colligendum ſpicas: ideo etiam ſi non iungeretur puellis Booz, nemo ei reſiſteret. Reſpondendum, quod Noemi noluit in hoc expugnare totaliter ſententiam Booz, ſed quandam partem eius: nam dixit Booz, quod Ruth colligeret ſpicas ſemper poſt meſſores: & quantum ad hoc dixit Ruth Noemi: melius eſt vt cum puellis eius exeas an metendum. Cum autem addidit: ne quiſquam in alieno agro reſiſtat tibi, non ponitur tanquam redditiuum cauſæ dicti præcedentis, ſed ponitur quaſi conſecutiue, ſcilicet, quod ſi meſſueris cum puellis Booz nullus reſiſtet tibi in alieno agro, quia non eris ibi in agro alieno. Sed adhuc dicet aliquis, quod etiam ſi eſſet in agro alieno nemo poſſet ei repugnare quin colligeret ſpicas, quia lege cauebatur, Deuter. 24. quod permitteret quilibet colligere ſpicas remanentes ipſis viduis, aduenis, & pupillis, & Ruth erat vidua, & aduena, vnde non poterat prohiberi. Dicendum, quod non poterat prohiberi Ruth in alieno agro ſpicas euadentes manus meſſorum colligere, prohiberetur tamen metere, & tamen in agro Booz nõ prohiberetur metere, ſed poterat metere cũ puellis Booz: & ſic poteſt intelligi, quod prohiberetur in agro alieno, ſcilicet, metere, & non cum meteret in agro Booz. Alio modo poteſt dici, quod intelligatur de collectione ſpicarum, ſcilicet, quod meteret in agro Booz, ne ſi forte iret ad colligendum ſpicas in agrum alienum, prohiberetur per impietatem Domini agri. Et cum dicitur, quod non poterat aliquis Iſraelita prohibere viduas in agro colligere ſpicas. Dicendum quod verũ erat de iure, & tamen de facto poterat prohibere: & Ruth non poſſet reſiſtere Domino agri prohibenti de facto: ideo vt non pateretur hunc ruborem, melius erat, vt coniungeretur puellis Booz ad metendum: & ſic factum eſt.

Alia reſp.

E

Caput III.

Propter quam autem reuerſa eſt ad ſocrum ſuam, audiuit ab ea: Filia mi, quæram tibi requiem, & prouidebo, vt bene ſit tibi Booz iſte cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noſter eſt: & hac nocte aream hordei ventilat. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream. Non te videat homo, donec eſum potumq; finierit. Quando autem ierit ad dormiendũ, nota locũ, in quo dormiat. Veniesq;, & diſcooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proijcies te, & ibi iacebis. Ipſe autem dicet tibi, quid agere debeas. Quæ reſpondit: Quidquid præceperis faciam. Deſcenditq; in aream, & fecit omnia, quæ ſibi imperauerat ſocrus. Cumq; comediſſet Booz & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetq; ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, venit abſcondite, & diſcooperto à pedibus eius pallio ſe proiecit.

F

Poſtquam autem. In præcedentibus dicto de Ruth conuerſatione, hic agitur de eius legali conuentione. Fuit autem iſta legalis conuentio, quod inter Booz & Ruth actum eſt de modo, quo ex neceſſitate legis ipſa accipienda erat in vxorem à Booz. Et diuiditur in tria, quia primo ponitur

Noemi

Noemi consultatio. Secundo Ruth obtemperatio ibi. *Quæ respondit.* Tertio Booz rationabilis responsio ibi. *Et ecce nocte.*

An hic sit ordinis mutatio, & an hæc sint immediate facta post præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia: & an sint immediate post illa facta, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quod est ordo continuus, quia præced. capitulo actum est de his, quæ fecit Ruth incipiens ire ad colligendum spicas ad agrum Booz: hic agitur de illis, quæ secuta sunt expleta messe. Etiam quia supra ponitur tẽpus, quo Ruth nondum Booz cognouerat, hic autem ponitur tempus, quo cum ipso de cõtractu matrimoniali agebat, ideo necesse est, quod illud fuerit ante istud. Itẽ patet ex ordine literæ, quia dicitur hic: postquam autem reuersa est ad socrum suam: & tamen præced. ca. dicitur de collectione spicarum, quam faciebat Ruth in agro Booz antequam rediret ad socrum suam. Ad secundum dicendum, quod inter istud & præcedentia fere nullum tempus intercidit, vel valde modicum: nam præced. ca. dictum est de toto tempore, quo durauit messis Booz, quod Ruth messuit in agris Booz cũ puellis eius, donec triticum, & omnia hordea in horreis conderentur: hic autem dicitur de quadam nocte, qua ventilabat Booz aream panis, in qua facta sunt omnia, quæ habentur hic: ventilatio tamen in area non poterat esse magno tempore post finitam messem: ergo istud pauco tẽpore fuit post præcedentia. Circa primum dicitur. *Postquam autem reuersa est ad socrum suam.* Fuit ista reuersio de agro de collectione spicarum, & est illa reuersio de qua habetur præced. cap. nam vna die solum iuit Ruth ad colligendum spicas, & illa die ostendit ei Booz magnum fauorem, vt patet præced. ca. & tunc dixit illi ea, quæ habentur ibi, & illa, quæ habentur hic, vt quidam volunt. Sed istud falsum est, quia non iuit Ruth ad petendum ea, quę habentur hic immediate post primam diem, qua ad colligendum spicas in agrum eius iuit: nam post hoc iuit ad metendum cum puellis Booz ipsa Ruth, & messuit cum eis vsquequo omnia hordea, & triticum meterentur, & adhuc nihil petiuerat. Dicendum ergo, quod ista reuersio est, quam habuit Ruth post collectionem omnium hordeorum, & tritici. Et est intelligendum, quod forte toto tempore, quo Ruth metebat cum puellis Booz non reuersa est ad domum Noemi socrus suæ; vt si forte meterent hordeum, & triticum in ruribus, vel locis aliquibus distantibus à Bethlehem in quibus Booz haberet possessiones, & completa messe rediit Ruth ad socrum suam, & tunc dixit ei Noemi omnia, quæ habentur hic: Et patet hoc ex verbis, quæ habentur infra, nam dicitur: Booz iste cuius puellis in agro iuncta es propinquus noster est: iam ergo iuncta fuerat Ruth puellis Booz in agro, quando fuerunt ista: & tamen ista coniunctio fuit, quando iuit ad metẽdum cum puellis Booz, sicut dixerat ei Noemi præced. c. scilicet, melius est, vt exeas cum puellis eius ad metendum: & iterũ: iuncta est igitur puellis Booz, & tamdiu cũ eis messuit. *Audiuit ab ea.* Scilicet, ista verba, quæ sequuntur. *Filia mea quæram tibi requiem.* Habebat Noemi intentionem quærendi virum ipsi Ruth, quia non erat honestum, vt esset sine viro. Et dixit. *Quæram tibi requiem.* Scilicet, nunc eis in laboribus, & angustiis quærendo cibum, & non habes adhuc ad sufficientiam, volo ergo tibi quærere virum, in cuius domo habeas requiem, & nõ indigeas aliqua re istarum. Et hoc potissime dicebat, quia Booz erat vir diues, cui intendebat eam copulare Noemi, & ibi nõ indigeret aliquo. Vel dicebatur ei quærere requiem: nam requies est cessante motu, cum autem quis est in motu, nullam habet requiem, & quia quamdiu quis nondum habet finem, quem intẽdit, nondum cessat à motu nõ dum habet quietem, & quia puella, quæ non habet virum, non habet finem suum, non dicitur habere requiẽ: & sic erat de Ruth, quæ erat in ætate puellari, in qua non erat honẽste, sine viro: & tamen nondum habebat virum, ideo nondum habebat requiem: sic enim dixit Noemi duabus nuribus suis, supra 1. cap. scilicet, det vobis Dominus inuenire requiem in domibus virorum, quos forti-

tituræ estis. *Et prouidebo, vt bene sit tibi.* Scilicet, quãtum ad honestatem, & necessitatem: ad honestatem quidem, quia Ruth erat puella, & puellæ in ætate nubili non stant conuenienter magno tempore sine viris, quia præstatur occasio infamiæ, & suspitioni. Quantum ad necessitatẽ etiam, quia Ruth non habebat necessaria ad victum sine magno labore corporis, & sic forte sufficienter non haberet: vt ergo haberet omnia necessaria, oportuit, quod traderetur viro, qui ei necessaria tribueret. Et dixit prouidebo tibi, scilicet, quia ipsa Noemi procurabat contractum matrimonij nesciẽte adhuc aliquid Ruth. *Booz iste cuius puellis in agro iuncta es.* Hic vult innuere Noemi, quod principium ad contractum matrimonij esset per cognitionem, scilicet, quod iure cognationis deberet Booz accipere Ruth in vxorem. Et dicitur cuius puellis in agro iuncta es, scilicet, ad metendum: nam cum prima die collegisset Ruth spicas in agro Booz, dixit ei Booz, quod semper colligeret ibi spicas, & non declinaret ad alios agros: Noemi autem dixit melius est, vt exeas cum puellis eius ad metendum. Et dicitur, quod iuncta fuit eis, & messuit cum illis vsquequo omnia hordea, & triticum meterentur. *Propinquus noster est.* Istud dixit, quia matrimonium inter Ruth & Booz non poterat contrahi alio modo: nam si non esset obligatio aliqua ipsius Booz ad accipiendum Ruth in vxorem, non videbatur esse verisimile, quod alio modo acciperet illam, cum illa esset pauper, & aduena. Et dixit. *Propinquus noster est.* Scilicet, virorum nostrorum: nam ad eas non habebat aliquam cognationem, sed ad viros earum: nam Elimelech fuit vir Noemi, cuius cognatus fuit Booz præcedenti capitulo, & quia Mahalon maritus Ruth fuit filius Elimelech, necesse erat, quod Booz esset cognatus Mahalon viri Ruth, & sic dicebatur cognatus earum: & istud fuit exordium ad loquendum in ista materia: nam quando ipsa Ruth locuta est ad Booz, quod eam acciperet in matrimonium dixit: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. *Et in hac nocte aream hordei ventilat.* Scilicet, in die præcedente noctem illam. Nam quando locuta est Noemi ad Ruth de hoc, erat forte vespera, ideo dixit in hac nocte aream ventilat. Vel forte dixit de nocte, quia venti erant necessarij ad ventilandum, & forte in nocte illa magis flabant venti per noctem, quam per diem. *Lauare igitur, & vngere.* Scilicet: laua totum corpus tuum, & vnge illud oleo: nam saltem capita vngebant: & forte mulieres vngebant alias partes corporis. *Et induere cultioribus vestimentis.* Id est, accipe vestimenta preciosiora, & maioris apparatus, quã nũc habes, quia Ruth erat nunc induta quotidiana veste, qua vtebatur ad laborandum in agro: nunc autem voluit Noemi, quod indueretur Ruth vestibus maioris precij, vt formosior appareret. Et vocantur cultiores, id est, honorabiliores à verbo colo, quod est amare, honorare, ornare: & sic vocatur cultus vestis, quia vestis quæcunq; sit, ornat hominẽ magis, quam si homo nudus sit. Et sic dicitur Exod. 33. Nullus indutus est ex more cultu suo, & luxerunt, scil. quod omnes Israelitę lugebant, quando Deus cõminatus est eis pœnam pro vitulo fabricatione: & ob hoc nullus indutus est cultu suo, id est, veste sua honorabiliter in signum tristitiæ. *Et descende in aream.* Erat nunc Ruth in domo socrus suæ Noemi, & area erat extra vrbẽ. Et dixit ei, quod descenderet in arcã ad hoc, quod loqueretur, & faceret ea quæ sequuntur in litera. *Non te videat homo.* Aliqui intelligunt sic: nõ te videat homo, id est, nullus te videat. Alio modo non te videat homo, id est, Booz, & iste est sensus verus. Quod patet, quia dicitur donec potum, esumque finierit: & necesse erat intelligi de aliquo viro specialiter, scil. de Booz. *Donec esum, potumque finierit.* Scilicet, donec finierit cœnam, quam splendide faciebat in area. *Quando ierit ad dormiendum, nota locum, in quo dormiat.* Ruth debebat ire ad aream, antequã cœnaret Booz: & tamen non debebat apparere coram eo, quousque cęnaret, & postea ipsa debebat respicere locum, in quo Booz dormiret, & ipsa ad pedes eius cubaret. *Veniesque & discooperies pallium, quo operitur à parte pedum.* Cum iam dormiret Booz graui sopore debebat Ruth ire ad pedes lecti eius, & discooperire partem pedum complicando pallũ, quo opertus erat Booz. Et vocatur hic pallium stramenta ipsa lecti nomine generali: & iussit, quod discooperiret partem pedum, quia honestius erat, quod illam partem discooperiret, quam superiorem: nam erat quædam humilitas. *Et proiecies*

A *te, & ibi iacebis.* Scilicet, proiicies te ad pedes Booz dormientis,& iacebis ibi quousque ipse euigilet, vel sentiat te. *Ipse autem dicet tibi quid agere debeas.* Id est, facies omnia,quæ ille iusserit, & ipse indicabit tibi quid agere debeas.

Quid est quod facere nunc intendebat Noemi circa Ruth.

Qvæstio II.

Qværebatvr circa prædicta, quid est, quod intendebat facere nunc Noemi circa Ruth.

Respondendum,quod Noemi habebat secum Ruth,quę venerat cum ea de terra Moab, & erat nimis solicita circa eam, vt quæreret ei statum conuenientem: nam Ruth exposuerat se nimis pro Noemi dimittens patriam, & parentes pro ea:iustumque erat, vt toto conatu Noemi prouideret ei. Et quia puella erat,voluit ei quærere virum, in quo acquirebat honestatem status, & necessariorum succursum, quæ à viro reciperet, & putauit nullum magis conuenire ad hoc, quam Booz, qui erat vir potens, & magnarum opum, vt patet præcedenti capitulo, & putauit Noemi, quod hoc posset concludi propter duo. Primo, quia Booz videns Ruth dilexerat eam nimis propter virtutes eius,ostenditq; ei magnum fauorem præcedenti capitulo, & facile erat ex hac parte inclinari eum ad accipiendam illam in vxorem. Secundum e-
B rat propter propinquitatem : nam obligatio legalis erat ad hoc, & istud erat potissimum, per quod Ruth exorsa est negocium,& hoc præsuppositio quærebat modum,quo procuraretur iste contractus matrimonij,& tunc expectauit diem, quo ventilabatur area. Nam illa die erat opus Booz ad faciendum contractum matrimonij potius,quam aliis diebus, vt declarabitur sequenti quæstione : & misit illuc Ruth indutam vestibus pulchris, vt sic procuraret negocium.

Quare potius die ventilationis areæ factum est hoc,quam aliis diebus.

Qvæstio III.

Qværebatvr vlterius, quare potius die ventilationis areæ factum est hoc,quam aliis diebus.Et pro hoc primo considerandum est quid erat ista ventilatio areæ, ita vt dormiret Booz in area. Dicunt quidam Hebræi,quod in die ventilationis areæ erat consuetudo apud antiquos, quod facerent solennem cœnam, & abundantem, & sic Booz fecit illam solenniter, & dormiuit in area. Alij dicunt, vt Rabbi Salomon, quod Booz dormiebat in area tempore illo, eo quod multi latrones erant in terra,& volebat custodire hordeum purgatum, & vt in præsentia sua pueri melius custodirent, voluit ipse quoque dormire in area. Dicendum, quod
C vtrumque potest stare:nam forte erant aliqua bella Israelitarum tunc cum Philisthinis,vel cum aliis Gentibus vicinis,& aliqui latrunculi de illis gentibus veniebant per noctem ad rapiendum aliquid de areis, si non essent ibi custodes : sic enim Philisthini diripuerunt tempore Dauid areas vrbis Ceila,vt patet primo Regum vigesimo tertio,scilicet: Ecce Philisthini oppugnant Ceilam, & diripiunt areas. Verisimilior tamen est positio prima : nam consuetudo erat apud antiquos in expletionibus operum facere aliquas solennes epulas,scilicet, in fine messis,& vindemiarum: & tamen ventilatio areæ erat finis hordeaceæ messis : ideo faceret Booz solennitatem aliquam tunc : hoc patet per Aristot. 8. Ethicorum, cum dicit, quod homines in autumno expletis messibus, faciebant sacrificia,& conuiuia, & sibi quietem assumebant. Secundo patet, quia in litera dicitur,quod Noemi dixit,quod ventilabat Booz illa nocte aream,& sic aliquid speciale erat in ventilatione areæ, quia alias non nominasset Noemi magis ventilationem areæ, quam aliquem alium diem : & tamen dixit hac nocte aream hordei ventilat, ergo aliquam specialem opportunitatem sensit ad negocium istud ex ventilatione areæ: istud autem non esset, nisi aliquid extraordinarium esset in die illa ventilationis areæ : & sic colligitur, quod tunc erant solenniores epulæ, quam aliis diebus. Tertio patet, quia dixit Noemi ad Ruth non te videat homo, donec esum & potum finierit : ergo videtur, quod potus, & cibus illius diei erat aliquid speciale ad im- D
mutandum ipsum Booz ad opus istud, alioquin non diceretur specialiter de esu, & potu eius.

Cur potius Noemi voluit, quod Ruth inciperet negocium hoc die, quo ventilabatur area, quam alio die.

Qvæstio IV.

Qværebatvr vlterius, cur potius Noemi voluit, quod Ruth inciperet negocium istud die, quo ventilabatur area, quam alia die. Dicendum, quod hoc fuit, quod Noemi vidit, quod illa die essent multæ opportunitates ad faciendum hoc,quæ non essent aliis diebus. Prima erat,quia ad hoc, quod fieret istud, debebat Ruth cubare ad pedes Booz discooperiendo eos,& tamen non poterat hoc facere, nisi in die ventilationis,quia aliis diebus dormiebat Booz in domo sua in Bethlehem, & non poterat accedere Ruth ad eum dormientem per noctem, cum non posset ingredi domum : nunc vero erat Booz in area dormiens semotus à reliquis : ad quem poterat prompte accedere Ruth, & loqui, & facere quidquid vellet, ideo hac die factum est. Secundum erat, quia die ventilationis areæ fecerat Booz solennes epulas,& biberat abundanter non quidem ad ebrietatem, sed ad iucunditatem, quæ est media inter sobrietatem, & ebrietatem, & est via ad ebrietatem, & quando homines sic sunt di- E
spositi, facilius inclinantur ad venerea, ideo poterat tunc Ruth inducere Booz ad contrahendum secum præ hilaritate vini,& quodam stimulo carnis causato ex vino: nam venter æstuans facile despumat in libidinem : aliis autem diebus non faciebat Booz tales epulas, nec bibebat ad iucunditatem, sed ad sobrietatem, ideo non moueretur ita faciliter ad contrahendum, & consummandum matrimonium, sicut tunc : putauit ergo Noemi diem ventilationis areæ conuenientiorem esse ad istud opus, quam alios dies.

Quare Noemi dicebat ista, quæ habentur hic ipsi Ruth,& quid intendebat, quod faceret Ruth.

Qvæstio V.

Vlterivs quæretur, quare Noemi dicebat ista, quæ habentur hic ipsi Ruth, & quid intendebat, quod faceret Ruth. Respondendum, quod Noemi erat experta nimis circa virorum inclinationem, & desideria, & voluit per modum amoris venerei inducere Booz ad contrahendum cum Ruth, nam putauit,quod si Booz inflammaretur semel in concupiscentiam Ruth conspecta illa, & cognosceret eam carnaliter, quod teneret eam semper in vxorem, quia erat vir bonus, & non repudiaret eam, nec desisteret à veritate promissionis suæ : & ad hoc instruxit Noemi ipsam F
Ruth, quod quando Booz dormiret accederet ad pedes lecti eius : & discooperiret pedes, & cubaret sub pallio Booz, & tunc Booz cognosceret mulierem ibi iacere,& quia ipse erat calefactus vino, & aliqualiter factus hilaris, motaque erat materia venerea præ calore inflammaretur illico nimium tacta carne mulieris, & desideraret cognoscere illam, & tunc Ruth non concederet ipsi Booz, quod cognosceret eam quousque acciperet illam in vxorem, & sic faciliter matrimonium efficeretur, & ad hoc volebat Noemi, quod Ruth prouocaret ipsum Booz, scilicet, iacendo ad pedes eius, & tangendo carnem illius, & postea quando Booz sentiret ibi adesse mulierem, & agnosceret illam, diceretque quid vis? diceret Ruth : extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es, scilicet,accipe me intra lectum tuum in consortem tori ad procreationem prolis, quia propinquus es, id est, iure propinquitatis teneris ad hoc: & tunc credidit Noemi quod Booz diceret ; cuba filia mea apud me, quia non putauit, quod vir inflammatus calore venereo ex vino tacta carne mulieris non rueret illico in amplexus eius, & ob hoc dixit, ipse autem dicet tibi quid agere debeas, scilicet, certissime ipse mandabit tibi,quod cubes apud eum,& tu facies quod ipse iusserit : nam hoc desiderabat Noemi, quod Booz vellet cognoscere Ruth affectu maritali.

Quare dixit Noemi ad Ruth, lauare, & vngere.

QVÆSTIO VI.

VLTERIVS quæretur, quare dixit Noemi ad Ruth: lauare, & vngere.

Respondendum, quod Noemi volebat, quod Booz acciperet Ruth in vxorem illa nocte. Et primum motiuum ad accipiendum tunc esse volebat ex amore venereo: & quia ad istum multa stimulant, voluit adhibere Noemi circa Ruth omnia hæc, per quæ ipsa poterat allicere Booz in amorem suum, & ad hoc fecit eam vngi oleo, & lauari. Nam præcedentibus diebus erat Ruth assueta labori rustico metendo in agris cum puellis Booz, & non ornabat vultum suum, sed potius operiebat, & incompositum relinquebat, ne vreretur calore æstiuo, & sic cum apparatus eius esset rudis, non poterat multum allicere: nunc autem voluit Noemi, quod lauaret non solum faciem suam, sed etiam totum corpus: faciem autem, vt appareret nitidior, totum autem corpus, vt tenerior sentiretur: nam volebat Noemi, quod Ruth proiiceret se ad pedes Booz discooperiendo illos, & operiret se parte pallij Booz, & sic tangeret illius carnem, & sentiret eam nimis teneram, & mollem, & sic esset maius incentiuum. Etiam, quia si Booz cognosceret illam, non inueniret eam olentem, & hispidam, vt odisset eam post concubitum, nec vellet postea eam retinere: iussit autem, quod vngeret se oleo, quia consuetudo erat, quod se vngerent mulieres, sicut patet de Bethsabee, quam vidit Dauid in solario domus suæ lauantem se, & vngentem, 2. Reg. 11. & proficiebat ista vnctio, sicut lotio: nam oleum cum sit pingue, & nitens facit rem nitidam: vnde facies oleo vncta nitens redditur: & sic cum videret Booz vultum Ruth solito fulgentiorem, inflammaretur in concupiscentiam illius. Etiam proficiebat vnctio reliquarum partium corporis, quia teneriores efficiuntur, & sic cum subito per noctem tangeret Booz carnem Ruth, & tam teneram sentiret illam, æstuaret incendiis venereis, & esset etiam quoddam amoris retinaculum, scilicet, vt si cognosceret eam, non odisset, sed retineret semper flammas eius, quia inuenisset obiectum delectabile.

Ruth ad qd lauit & fatiē, & totum corpus.

Ad quid dixit Noemi, quod indueretur Ruth vestimentis cultioribus.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlterius, ad quid dixit Noemi, quod indueretur Ruth vestimentis cultioribus, id est, maioris ornatus. Respondendum, quod Ruth omnibus istis diebus vtebatur vestibus grossis, & rudibus quales esse decebat pro labore rustico in agro, voluit ergo Noemi, quod indueretur Ruth aliis vestimentis maioris precij. Et causa istius fuit, sicut in præcedentibus de vnctione, & lotione: nam ad libidinem mouetur homo ab intra, quia habet ignem venereum clausum medullis. Mouetur etiam ab extra apprehenso obiecto. Est autem obiectum delectabile, quod ad venerem allicit: illa autem delectatio mouet sub ratione pulchritudinis, quia quod pulchrum nobis videtur, iudicatur delectabile, sicut ergo ipse ornatus facile in se mouet sub ratione pulchri, ita & vestes: nam vestes debito modo adaptatæ corpori fulgorem suum corpori accommodant, ita vt iam fulgor, & pulchritudo non censeatur esse vestium, sed corporis induti, & sic magna vis immutandi est ex apparatu vestium, & similium ornamentorum. Sed dicet aliquis, quod iste ornatus vestium non conueniebat in præsenti ipsi Ruth ad incitandum Booz in amorem, sed magis impediebat, quia cum videret Booz mutatam Ruth à solito habitu, & modo, putaret, quod causa fallendi ad aliquem finem specialem fuisset hoc factum, & inciperet eam odisse. Dicendum, quod non putaret Booz istum ornatum insolitum esse ad aliquid mali procurandum: & hoc propter duo. Primo, quia habebat occasionem Ruth illa die ad se ornandum magis, quam præcedētibus diebus: nam erat festum die illa, quia vt declaratum est supra in quadam quæstione in die, qua ventilabatur area erat magna iucūditas, & solennitas in cibis, & potibus, & ob hoc honestum erat, quod ad istam solennitatem decorandam magis solito se ornaret Ruth. Secundum, & efficacius erat, quia Booz non poterat videre Ruth eo tempore, quo posset iudicare istum ornatum esse ad fallendum: nam dixit Noemi, quod non appareret Ruth in conspectu Booz antequam finiret cœnam, scilicet, non te videat homo donec esum potumque finierit. Ante esum, & potum poterat iudicare de hoc: nam consideraret, cur nouitatem hodie introduxisset Ruth, & potuisset aliquid inhonestum cogitare. Postquam autem bibisset, & comedisset esset iucundus factus ex vino, quod abundanter bibisset, & tunc non posset circa hoc aduertere, sed solum moueretur à bono sensibili concupiscendo illud: multum ergo proderat ornatus insolitus vestium.

Ad quid proficiebant omnia, quæ dicebat hic Noemi ipsi Ruth facere.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vlterius, ad quid proficiebant omnia, quæ dicebat hic Noemi ipsi Ruth facere, scilicet, quod lauaret, vngeretur, indueretur vestibus cultioribus, cum ista non immutent, nisi per visum: & Booz non erat visurus ipsam Ruth, cum dixisset Noemi, non te videat homo.

Respondendum est, quod secus est de lotione, & vnctione, quam de vestibus: nam vnctio, & lotio profuerunt, vel immutant dupliciter. Primo modo per visum: secundo modo per tactum. De visu autem manifestum est. De tactu patet, quia Noemi iusserat ipsi Ruth, quod cubaret ad pedes Booz discooperiendo illos, & sic caro Ruth tangeret carnem Booz: in tactu autem sentitur tenerum, vel durum, & tenerum est delectabile tactui, & cum per noctem Booz sentiret carnem Ruth teneram magis æstuaret in ea, quam si esset caro hispida, & immunda sudoribus causatis æstiuo calore metendo in agro. Proficiebat ergo vnctio ad teneritudinem, & lotio ad teneritudinem, & ad mūditiam corporis, & ista proficiebant ad hoc, quod inflammaretur Booz in Ruth, & etiā si cognosceret illam, quod maneret ei flammarum, & amoris retinaculum propter bonam dispositionem obiecti delectabilis, quam inuenisset: quamquam ergo vnctio, & lotio non immutaret quantum ad visum, satis erat, quod immutaret quantum ad tactum. De vestibus autem secus est, quæ solum proficiebant ad immutationem in visu. Dicēdum ergo, quod etiam vestes profuerūt, quia Booz vidit Ruth indutam vestibus precios̄is. Cum autē dicitur, quod non debebat eam videre homo, scilicet, Booz: dicendum, quod non prohibuit totaliter Noemi, quod non videret eam Booz, sed quod non videret eā anteq̄ esum, & potū finiret: ratio huius erat, quia si Ruth videret indutam insolito modo Booz, quamq̄ posset putare, quod faciebat propter honestā causam. s. propter solennitatē conuiuij, quod faciebat Booz die illa ventilationis areæ: quia tamen homines proniores sunt ad præsumendum malum, quam bonum: forte conciperet aliquod malū de ipsa Ruth. Causa autem quare homines sunt naturaliter inclinati potius ad iudicādum malum de aliis, quam bonum in rebus dubiis est duplex. Prima est ex parte iudicantis, quia ipsemet iudicans pronus est ad cadēdum, & ad actum virtutis est difficilis: nam potest homo malū facere sine difficultate aliqua, nec indiget auxilio diuino ad illud: bonum tamen facere nō potest, nisi à Deo adiutus, vt patet Ioan. 15. scilicet, sine me nihil potestis facere: magis ergo inclinatur homo ad id, quod de se sine adiutorio alterius facere potest, quam ad id, quod non potest facere, nisi cum aliquali difficultate, scilicet, cum Dei adiutorio. Secunda causa est ex parte eius, contra quem præsumitur, quia videmus, quod quilibet homo in se facile habet, quod in malum inclinetur, sicut in nobis experimur: & facere bonum est difficile, sicut dixit Apost. ad Rom. 7. ideo potius iudicamus facere ad malum, quam ad bonum. Itē causæ inclinatiuæ ad malum in nobis multæ sunt, scilicet, passionales affectus: nulla autem causa ad bonum incitatiua in nobis est, sed potius contraria bono, cum dixit Apost. reperio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, ad Rom. 7. Ideo in dubiis magis præsumimus pro eo cuius habemus causam, q̄ pro illo cuius non est causa naturaliter in nobis. Etiā moueri

Duplex causa quare homines sūt naturaliter inclinati potius ad iudicandū malum de aliis, quam bonū.

Causa inclinatiua ad malū in nobis multa sūt, ad bonū vero nulla in nobis est.

A

ad malum est delectabile, quia id, in quo peccamus, est delectabile nobis: actus autem virtutis sunt difficiles: iucundum est autem moueri in delectabile, & triste est moueri in difficile: fugit autem homo naturaliter ea, quæ in tristitia sunt, & mouetur in delectabile, ideo potius præsumimus, quod aliquis moueatur ad malum in casu dubio, quam ad bonum. Nunc ergo sic dicendum est in Booz, quod moueretur facilius in aliquod malum de Ruth propter istam nouitatem habitus, quam ad bonum: & ad hoc erant multa adminicula, scilicet, quod Ruth erat puella satis tenera, & pulchra, & non habebat virum, nec habuerat iam ex multo tempore, ideo verisimile erat, quod moueretur nũc in amorem venereum, & ob hoc ornaretur insolite, quia ista est conditio amantium, scilicet, quod pulchræ apparere velint, & poterat suspicari Booz, quod aliquem iuuenem diligebat Ruth, & amore eius ornabatur: & si hoc conciperet, haberet eam exosam. Vel forte putaret, quod ornabatur, vt deciperet eum, & moueret ad amorem suum: & etiam tunc haberet eam suspectam. Sed istud minus intelligeret Booz, quam primum, quia cum Ruth esset puella, putaret, quod diligebat iuuenes, & non ipsum, qui erat senex: sic patet ex vetbis Booz quando dixit Ruth extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es: respondit benedicta es à Domino, quia non secuta es iuuenes pauperes, aut diuites: quasi dicat, verisimile erat, quod tu magis sequereris iuuenes, quam me senem, & tamen voluisti me senem, ideo benedicta sis à Domino: non ergo expediuit, quod Booz videret Ruth antequam finiret esum, & potum, ne suspicaretur aliquid prædictorum: & ob hoc districte inhibuit Noemi ipsi Ruth, dicens: non te videat homo antequam esum potumque finierit: vidit tamen eam postea, & sic profuit ornatus eius.

Conditio amantium.

B

Quomodo poterat prodesse ad intentionem Ruth, quod videret eam Booz post esum, & potum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo poterat prodesse ad intentionem Ruth, quod videret eam Booz post esum, & potum: nam iusserat Noemi, quod non videret eam Booz vsquequo finiret potum, & cibum, scilicet, ne posset aliquid suspicari contra illam propter ornatum insolitum, & post potum non posset suspicari aliquid præ turbatione vini, ideo etiam tunc non prodesset aliquid, quod videret eam ornatam, quia de hoc nihil iudicaret præ calore vini. Dicendum, quod dantur tres habitudines in homine bibente vinum, scilicet, sobrietas, iucunditas, ebrietas. Sobrietas est, quando modicum de vino bibitur, ita quod non perturbetur aliquis actus intellectus in nobis, nec aliarum potentiarum, sed possit perfecte homo discernere, ac si non bibisset vinum, vel quasi ita perfecte: iucunditas est, quando vinum bibitur aliqualiter supra mensuram, & tamen non nimis, & tunc eleuatur aliqualiter sanguis præ calore vini, & fit iucunditas, quia iucunditas est cum bonus sanguis recurrit ad cor, & tunc impeditur homo aliqualiter in actibus suis, quia ascendunt fumi à stomacho ad caput, & perturbatur cerebrum, & quia intelligere nostrum fit per contemplationem phantasmatum, iuxta Aristot. 3. de Anima: oportet intelligentem phantasmata speculari: non potest intellectus discernere conuenienter illo tempore: & sic postquam esset factus Booz hilarior ex vino, non posset cogitare ad quid Ruth ornata fuisset magis solito, quia discutere talia pertinet ad intellectum pacatum, & bene dispositum: & tamen in tali hilaritate vini non penitus consopitur intellectus, & grauantur sensus, & tunc iacent corda sepulta mero, vt ait Ouidius. Et verum est, quod si fuisset Booz omnino ebrius, quando videret Ruth ornatam modo insolito, nihil iudicaret bonum, aut malum de illo ornatu, nec moueretur in concupiscentiam eius, quia non cognosceret eam propter omnimodam grauationem sensuum. Erat tamen Booz non ebrius, sed hilaris, quod pertinebat ad mediam dispositionem, & sic non poterat discernere causam ornatam ipsius Ruth: cognosceret tamen illam pulchram esse, & moueretur ex pulchritudine eius ad concupiscentiam, cum non esset ablata omnis cognitio eius, & erat illud tempus aptissimum ad inclinandum se in illam, quia tunc maxime concitatur passio venerea, quia adiuuatur ex multis, scilicet, ex motu interiori, quia concitatur pruritus materiæ venereæ propter calorem vini. Etiam, quia ibi est defectus perfectæ cognitionis, scilicet, quod non potest homo iudicare malum esse, quod passio dictat, quia maior est impetus passionis, quam rationis resistentis. Vigor etiam erat motus ab extra, scilicet, ex apprehensione pulchritudinis, & sic fuit nimis cauta Noemi, quia elegit mediam habitudinem in Booz, in qua poterat moueri ex pulchritudine, & ornatu. Istud consilium ponit Ouidius in fine secundi libri de Remedio amoris, scilicet, quod si aliquis vult vitare incendia libidinis, non debet mediocriter bibere, sed aut valde modicum, aut valde multum: nam si valde modicum, aut nihil non mouebitur calor venereus, quia vt ait Terentius in Eunucho, sine Cerere, & Baccho algescit Venus. Si autem valde multum sumatur consopiuntur omnes sensus, & grauantur, reddunturque in soporem, & non fit motus aliquis ad venerem: ideo dicit Ouid. ibidem, quod iacent corda sepulta mero. Ratio autem naturalis hæc est, quia materia seminalis venerea est humida, & liquida, & à frigore congelatur: ideo non causatur pruritus aliquis in ea ad effusionem, & ob hoc si quis semper comedat res frigidas, extinguitur, vel temperatur in eo libidinis scintillatio: frigida tamen vitam extinguunt, cum autem fuerit calor in corpore, inflammatur materia illa, & fit motus quidam in ea, & tunc causatur pruritus quidam membrorum, siue desiderium ad effusionem: quod satis experitur homo postquam biberit vinum in aliquali quantitate, vel comederit alias res calidas virtualiter: nam motus fit in vasis seminariis. Et quia quando vinum sumitur aliqualiter supra mensuram, ita vt efficiatur homo hilaris insurgit calor notabilior, quam consueuit, quando ad sobrietatem solum bibitur: sentit homo tunc in seipso calorem quendam venereum insurgentem, qui alias non insurgebat, vel non erat tantus: si autem vinum bibatur in valde magna quantitate, ita vt consopiantur omnes sensus, & grauentur, tunc non fit motus venereus: & causa est, quia dato, quod fieret aliquis motus, non sentiretur, eo quod omnes sensus sunt consopiti, & actus intellectus tunc nullus est propter omnimodam perturbationem phantasiæ. Alia causa est, quia non solum non sentitur motus, sed etiam non fit, quia cum multum de vino sumatur supra modum, cum vinum sit formaliter humidum calor stomachi, non prævalet digerere sufficienter tantam humiditatem, ideo ipsemet calor consopitur, & non mouet materiam seminalem. Quod apparet, quia ebrij nimis, dato quod modicum comedant, non digerunt sufficienter illud, scilicet, quia calor digestiuus extinguitur, vel suffocatur apposito multo vino, sicut ignis in lampade suffocatur apposito multo oleo: si ergo ille calor, qui est in stomacho, & calor epatis, qui est ad vnum latus, & calor cordis ad alterum latus non sufficiunt digerere cibum existentem in stomacho, minus poterunt mouere materiam seminalem, quia natura dirigit calorem, qui est instrumentum suum ad id quod est magis necessarium ad conseruationem indiuidui, & quia nihil est magis necessarium, quam conueniens, & sufficiens digestio, principaliter calor stomachi, cordis, & epatis sunt ad digestionem: deinde iste calor est ad alios effectus minus necessarios indiuiduo, scilicet, ad mouendum materiam seminalem, quæ dirigitur ad generationem. Et ex hoc sequitur quod multi experiuntur, scilicet, quod ebrij nimis, dato quod vellent coire non possunt causa huius est, quia ad coitum requiruntur duo principaliter, scilicet, calor, & spiritus. Calor requiritur ad mouendum materiam seminalem, vt defluat de seminariis vasis. Spiritus requiritur ad inflandum venas, per quas debet defluere humor venereus, & ad erigendum virgam, quia antequam spiritus, id est, inflatio veniat, sunt pori illi, vel venæ per quas defluit ille humor clausi, & non posset humor grossus fluere per illos, & cum inflantur dilatantur, & potest decurrere ille humor grossus. Etiam ante illum spiritum virga iacet, & non est pro tunc conueniens instrumentum ad cognoscendum fœminam, cum autem inflatur, efficitur organum dispositum ad hoc: sed calor, & spiritus non potest esse in valde ebriis. De calore probatum est, quia ille extinguitur per abundantiam humoris per modum suffocationis, vel saltem occupatus est circa digestio-

D

Exmultis adiuuatur passio venerea.

E

F

Tres in homine bibente vinum habitudines dãtur.

C

Intelligere nostrum fit per phantasmata.

Duo in primis ad coitum requirũtur.

Causa ob quã homo est ma-

A

Qui dispositus ad coeundum postq; dormierit quã immediate post cibum.

digestionem celebrandam in stomacho,& non potest intendere ad mouendum materiam seminalem. Et ista est vna de causis quare est homo magis potens,& dispositus ad coeundum postquam dormierit, quam immediate post cibum, & nullum tempus est,in quo homo minus potens sit, quã immediate post sumptum cibum: eo quod tunc totus calor recurrit ad stomachum ad digerendum cibos: facta autem digestione scilicet postquam homo dormiuit, cum non sit necessarius calor stomacho,mouet tunc materiam seminalem. De spiritu autem est manifestum,quod nõ sit in ebriis, quia spiritus causatur per quandam resolutionem factam à calore,cum autem durat ebrietas est calor extinctus,vel impeditus,ideo non causat spiritum inflatiuum , etiam humiditas secundũ se repugnat tali spiritui. Est igitur de stomacho hominis,&de motu ad libidinem,sicut de lampade ardente per olei appositionem: nam ignis cõseruatur ibi ponendo oleũ. Et dupliciter deficit ignis: vno modo per defectum conseruati scilicet quod non est oleum, in quo cibetur ignis : alio modo per superabundantiam, quia superabundantia humoris nõ sufficienter digestibilis,nec regulabilis à calore extinguit , & suffocat ignem : cum autem ponitur moderatus liquor, vel modicum vltra moderationem conseruatur ignis. Ita est de motu ad libidinem: nam nullo existente vino, non est motus ad venerem,si nec etiam aliæ res calidæ sumantur: si autem valde multum vinum,non erit incentiuum,sed extinguetur,vel suffocabitur:si autem moderatum de vino,vel modicum supra modum sumatur,incẽditur venereus æstus.

B

Quid proficiebat si Booz videret Ruth ornatam.

QVÆSTIO. X.

QVÆRETVR vlterius, dato quòd Booz hilaris factus ex vino videret Ruth indutam pulchra veste, & lotam, & vnctam,quid proficiebat. Respõdendum, quòd proficiebat ad hoc,quia volebat Noemi mouere Booz in concupiscentiam Ruth,& intendebat,quòd per noctẽ curabat Ruth apud Booz,scilicet ad pedes eius,&peteret,quòd operiret eã pallio suo scilicet suscipiendo eam in consortem tori ad prolem procreandam. Ad hoc autẽ,quòd esset promptior Booz ad faciendum hoc, volebat Noemi,quòd non solum incipere inflammari nouiter tangendo Ruth, & audiendo verba eius,sed quod esset iam inflammatus ex visu, antequam iret ad dormiẽdum,quia sic facilius moueretur ad venerem. Ad hoc proficiebat, quòd videret Booz ipsam pulchre ornatam post cibum,& potum,quia tunc solam pulchritudinem eius consideraret,& inflammaretur ab illa, quia esset sic dispositus calore vini,& non discerneret an bonum, vel malum esset ardere in illa,&maneret species pulchritudinis illius infixa menti Booz antequam iret ad dormiẽdum,& desiderium fruendi illa pulchritudine apprehensæ, & cum postea per noctem videret apud se Ruth volentem ab eo cognosci matrimonialiter,videns quod desiderauerat sibi prius, & non impeditum, non erat dubium quin immediate moueretur ad fruendum illo delectabili, nisi esset magna viri virtus. Si autem non vidisset Booz,antequam iret cubitum ipsam Ruth in tanta pulchritudine, non habuisset impressam speciem pulchritudinis eius in mente, nec desiderium fruendi ea: ideo non tam faciliter moueretur.Magna ergo cautela Noemi fuit,quòd Booz videret Ruth ornatam antequam iret cubitum, ne putaret ipsam Ruth incomptam esse, & in habitu rudi immundam, sicut cum diebus præcedentibus metebat in agro, quia sic non tam faciliter alliceret.

C

An peccauit Ruth lauando se,& vngendo,& quare vnctio olei erat vsitata inter Iudæos etiam à viris sanctis.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius , an peccauit Ruth lauando se, & vngendo, & vestibus cultioribus se induendo. Respondendum, aut ista considerantur absolute, aut respectu alicuius finis: si absolute, dicendum, quòd nihil istorum erat peccatum, scilicet munditia, & honestas.Patet de lauare, quia siue esset lotio faciei, siue totius corporis erat ad mun-

D

ditiam , & cum esset Ruth sudoribus æstiuis metendo hordea,& triticum infecta,esset deformitas,& etiam nocumentum corporis, quia per sudorem exiuerant quidam grossi humores,qui erat concreti in superficie cutis,& quia illi humores,qui erant mali,& putridi, manendo in cute inficerẽt eam,& noceretur corpori:tollerentur autem omnia hęc per lotionem, ideo honestum erat , quòd Ruth lauaret totum corpus.Etiam erat honestum,id est bene apparens,quia imaginem diuinæ pulchritudinis, quam Deus dedit aliqualiter in corpore nostro, non debemus polluere per immunditiã: nam contra morem rectum est immũdum esse corpore, potissime cum sanitas hoc exigit. De vnctione eodem modo dicendum est,quòd non erat illicita:nam vnctio proficiebat ad multa. Vno modo ad teneritudinẽ corporis scilicet quod essent partes corporis teneræ,& bene se habentes:alio modo ad refrigeratioeem : nam oleum refrigerat est autem terra Chanaan valde calida, in qua habitabant Iudæi: ideo propter calores æstiuos erat conueniens fieri vnctionem, & erat vsus apud omnes Israelitas quantumque essent viri honesti, & religiosi, quòd vngerẽt capita,& pedes,& alias partes corporis, & erat vnctio in terra Israel tanquam aliquod opus necessitatis,sicut comedere & bibere. Sic patet 4. Reg. 4. de vidua paupercula,quæ timebat creditores,quòd venirent,& tollerent filium eius in seruitutem,& dixit Eliseo,quod prouideret ei,& dixit ei Eliseus quid habes? illa autem respõdit, quod nihil habebat, nisi parum olei in Lecytho quo vngeretur: & sic adhuc mulier constituta fere in vltima necessitate habebat oleum,quo vngeretur: erat tamen mulier vidua, & pauper: ergo vngi corpus oleo, reputabatur tanquam aliquid necessitatis. Item istud erat opus honestatis, quia alias non auderet vidua ista dicere Eliseo prophetæ, qui erat vir sanctissimus,& honestissimus, quòd erat vsus oleo ad vngẽdum se. Item patet, quia Christus iubebat, vel concedebat viris perfectis,quòd vngerent capita sua oleo,quando faciebant opera sanctitatis: vnde loquens contra hypocritas, qui exterminabant facies suas, dixit, quòd, qui ieiunaret abluęret faciem suam, & vngeret caput suum oleo, & non videretur hominibus ieiunans,Mat. 6. Item ipsemet Christus, qui fuit totius virtutis exemplar, permisit vngi caput suum , & pedes: nam quando erant in Bethania in domo Simonis leprosi paulo ante passionem suam,venit mulier,& fudit super caput Iesu vas alabastri plenum vnguento,vt patet Matt. 26. Et iterum in domum Simonis leprosi in conuersione sua,venit Magdalena ad Christũ,& fudit super pedes eius vnguentum, & osculabatur pedes eius, & lachrymis lauabat,capillis extergens: Luc.7.Erat ergo licitum corpus vngi:& non solũ licitum, sed etiam consuetum viris religiosis: nam Christus opponebat Simoni leproso hospiti suo, quòd nõ lauisset pedes eius, nec vnxisset caput ipsius, dicens: Intraui domum tuam,oleo caput meum non vnxisti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos:si tamen non esset consuetum fieri, Christus non improperaret Simoni,quod non feciisset hæc : ideo erat consuetum: non ergo erat peccatum, quòd Ruth vngeret corpus suum absolute. Si autem quæratur comparando ad aliquem finem, an ista bona, vel mala essent: dicendum, quod hoc pendet ex conditione finis: nam si finis bonus est, actus,qui dirigitur ad illũ finem, est bonus: si autem sit malus finis, actus ordinatus ad finem malus est. Sed de hoc dicetur sequenti quæstione.

Vnctio apud antiquos Hebræos quasi necessaria erat.

E

Vngere corpus erat opus honestatis.

F

An Ruth fecit vnctiones, & alia ad finem bonum.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR nunc dato , quòd Ruth poterat facere istud ad bonum finem, ita vt non peccaret, an fecit ad bonum finem, & peccauerit, vel non. Aliquis dicet, quòd peccauit, quia volebat inducere Booz ad amorem suum , & istust non est licitum. Respondendum, quòd Ruth fecit omnia ista non ex intentione, sed ex mandato Noemi, ipsa enim cogitauerat hæc , vt per istum modum prouideret ipsi Ruth, vt patet supra in litera. Et non solum non insurrexerunt ista de voluntate, sed etiam non fecit volens,sed solum obediens. Nam licet Noemi ostenderit ipsi Ruth, quod faciebat hæc, vt Booz acciperet eam in vxorem, non ostendit

A Ruth, quòd desideraret hoc, sed solum dixit, quòd obediret ipsi Noemi in omnibus, quæ diceret: & siue bonum, siue malum fecerit Ruth, imputandum est ipsi Noemi. Sed dicet aliquis, quòd Ruth petebat hic aliqua, & faciebat, quæ in se mala erant, vt ornare se animo illaqueandi alterum in amorem suum. Etiam, quia petiuit ab eo, quòd cognosceretur ab ipso carnaliter dicendo, extende pallium tuum super ancillã tuam. Dicendum, quòd non constat adhuc ad omnia mala ista essent: & tamẽ dato, quòd ista mala essent, habebat Ruth instantiam ignorandi, quia erat noua in lege Iudæorum, & nesciebat an de iure fieri possent, & tenebatur credere alicui docenti, & quia Noemi fuerat, quæ ipsam ad fidem Iudæorũ conuerterat, credebat ei: & quia ipsa iudicabat bonum esse, & debere fieri, iudicauit Ruth bonum esse, & dispositit se ad obediendum bona fide, nõ habens deprauatum desiderium circa hoc. Ideo de Ruth satis videtur dicendum, quòd non peccauerit faciendo hæc.

An peccauit Noemi consulendo, & iubendo ipsi Ruth, quod faceret hæc. Et an peccet mulier ornando se, vt moueat aliquem virum in libidinem.

QVÆSTIO XIII.

B QVÆRETVR vlterius, an peccauerit Noemi consulendo, & iubendo ipsi Ruth, quòd faceret hæc. Aliquis dicet, quòd sic, quia multa erant inhonesta hic. Primum, quia mulier ornaret se animo mouendi cor Booz ad venerem. Secundò, quòd discooperiret pedes Booz, & cubaret apud illos tangendo carnem eius. Tertiò, quòd ipsa Ruth monitu eius peteret cognosci carnaliter à Booz, scilicet, extende pallium tuum super ancillam tuam, quod erat petere coitum: nihil autem potest esse inhonestius. Dicendum, quòd ista in superficie viderentur inhonesta, & tamen ad veritatem non erant, quia fiebant ad bonum finem: nam quod mulier ornet se ad mouendum aliquem virum in libidinem, qui licite mulierem ipsam cognoscere non potest, illicitum est: & tamen, quòd velit mulier inclinare virum ad actum venereũ, si ab eo licite cognosci potest, non peccabit prouocando, saltem non peccabit in omni casu: quod patet, quia mullieri licet clare petere à viro suo debitum scilicet coitum, & tenetur vir reddere, vt patet 1. Cor. 7. ergo à fortiori poterit petere per signa, vel inclinare ipsum faciẽdo aliquas cæremonias exterius: in Ruth autem sic erat, quia Booz tenebatur accipere eam in vxorem ex cognationis necessitate secũdum legem: ideo poterat licite procurare, vt ille desideraret cognoscere illam carnaliter, vt sic posset contrahi matrimonium, quòd alias forte erat difficile. Et ista erat intentio Noemi, & Ruth. Nam, quia Ruth erat coniux Maalon, qui erat cognatus Booz, & mortuus fuerat sine semine, cogebatur Booz ex

C lege accipere Ruth in vxorem, & quia Booz erat vir potens, & magnarum opum, vt patet supra præced. c. forte nollet accipere ipsam Ruth in vxorem ex sola legali obligatione, voluit Noemi, quòd Ruth procuraret quocũque modo vellet, & posset, quòd Booz vellet illam accipere in vxorem. Et erat modus iste, quòd ornaret se, & inclinaret eum in desiderium venereum, ideo non erat illicitum. Sed dicit aliquis, quòd etiam istud erat peccatum, quia prætextu boni inclinabat ad malum ipsum Booz, scilicet, quia forte ille inclinaretur ad cognoscendum eam affectu fornicario, quod malum erat. Dicendum, quòd Ruth solum faciebat ad inclinãdum eum affectu coniugali ad se, quo patet ex verbis ipsius Ruth: nam dixit: extende pallium tuum super ancillam tuam, quia propinquus es, scilicet, ex iure propinquitatis competit tibi, me accipere in vxorem: si forte autem vellet Booz cognoscere ipsam Ruth affectu meretricio, ipsa non permitteret, & sic non fieret occasio mali. Sed dicetur, quòd dato, quòd non permitteret se Ruth illicite cognosci tamen ex suo ornatu forte moueret ipsum Booz ad concupiscentiam modo meretricio, qui alio modo non mouendus erat ad hoc. Dicendum, quòd hoc erat per accidens: nam Ruth faceret rem in se licitam, & ad bonum finem: si autem ad malum finem illam conuerteret Booz, non erat in potestate Ruth, ideo non peccabat, & tale vocatur scandalum passiuum, & actiuum. Ad secundum de discoopertione pedũ, & proiecerit se Ruth ad pedes Booz, dicendum, quòd fuit animo mouẽdi eum ad libidinem, vt sic incitatus vellet eam accipere in vxorem, & quia licitum erat ipsi Ruth petere in virum ipsum Booz, licitum erat per istum modum petere, cum non poneret se in periculo, nec ad malum finem aliquid faciebat. Ad tertium de petitione coitus dicendum, quòd licet verbum videretur aliqualiter inhonestum in ore fœminæ, tamen licitum erat quia cum liceret ei petere matrimonium per se, licitum erat etiam matrimonium simul cum consummatione eius petere. Sed dicet aliquis, quòd adhuc peccauit Noemi, quia licet secundum legem vellet copulare ipsam Ruth Booz, & non faceret hæc ad alium finem, tamen non tenebat ordinem legis, quia alius erat propinquior, quam Booz, sicut ipse dixit, & patet, infra in litera, ideo peccabat volẽdo copulare Ruth isti, quia adultera erat si copularetur isti, donec alius cæderet cognationis iure, sicut cessit sequenti capit. & tamen Noemi procurabat per omnia hæc, quòd cupularetur Ruth ipsi Booz, & non alteri, ideo peccabat. Ad hoc posset dici vno modo, quòd verum est, quòd aliquo modo peccauit Noemi, & tamen mota fuit ad faciendum hoc, quia forte non audebat proponere alteri, qui erat maiori gradu consanguineus, quia ille erat vir austerus, & nullo modo vellet capere Ruth in vxorem. Booz autem erat vir benignus, & ostenderat magnum fauorem erga Ruth, vt patet præced. cap. ideo cum illo putabat Noemi, quod poterat concludere istud negociũ. Quòd autem Noemi peccauerit, non est inconueniens, nec tenemur eam excusare, eo quòd nõ computatur inter viros sanctos, de quibus nefas est cõfiteri, quòd peccauerint. Aliter potest responderi, & melius, quod non peccauerit Ruth, nec Neomi scilicet quod non fecit Noemi, vt tentaretur super hoc Booz, quia cum ipso determinate contrahendum esset matrimonium, sed vt ille declararet an cum eo, vel cum alio, & daret ordinem in facto. Et patet hoc aliqualiter ex verbis Noemi ad Ruth scilicet Proiicies te, & iacebis ad pedes eius: ipse autem dicet tibi, quid agere debeas, scilicet, si dixerit tibi, quòd iaceas in lecto fac: & si aliud dixerit, aliud fac. Et sic fuit, quia postquam Ruth fecit omnia hæc, dixit ei Booz, quod alius propinquior erat, qui eam posset accipere, ideo quòd expectaret, & tunc surrexit secrete inde Ruth, & non fuit cognita Booz, vt patet in litera. Et sic tenẽdum est, quia potius debemus interpretari rem, vt valeat, quã, vt pereat. *Quæ respondit.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet Ruth obtemperatio. Nam concessit Ruth facere omnia, quę iussit ei Noemi. Et dicitur. *Quæ respondit.* Scil. Ruth ad Noemi. *Quidquid præceperis faciam.* Scilicet, qualecunque sit, siue graue, siue leue faciam: nam sicut pro te patriam, & parentes, & omnia reliqui; ita & nunc nihil grauius est, quam id quod feci, ideo quidquid iniunxeris faciam. *Descẽdit itaq; in aream.* Intelligendum est, quod prius lauit Ruth totum corpus suũ, & vnxit se, & induit se vestibus cultioribus, & tunc descendit in aream, in qua erat Booz ventilando hordeum. *Et fecit quæcunque sibi imperauerat socrus.* Scilicet, non apparuit in conspectu Booz vsquequo ille comederat, & biberat, & tunc vidit eam: & cum iuit ad dormiendum, illa notauit locum, & cum dormiret proiecit se ad pedes eius discooperiẽdo partem pedum. *Cumque comedisset Booz, & bibisset.* Scilicet, cænauit in area, quia faciebat solennes epulas illa die propter ventilationem areæ. *Et factus esset hilarior.* Istud erat ex cibo, & potu: nã comederat solenniter, & biberat abundanter, & vinum lætificat cor hominis. Considerandum tamen, quod vinum bonum semper habet virtutem lætificandi, sicut dicitur Psalm. 103. scilicet Vinum lætificat cor hominis: & maxime fit hoc, cum potatur aliqualiter supra modum. Sunt autem tres status circa vinum, vt supra dictum est scilicet sobrietas, hilaritas, ebrietas. In omnibus istis statibus vinum lætificat, vel saltem curas, & tristitias aufert: si enim bibatur quantum ad sobrietatem, causat iucunditatem quandam, & tamen illa non est notabilis: quidquid tamen sit homines plurimi etiam sobrij promptiores sunt ad gratam collocutionẽ, & ad quodcunque bonum faciendum postquam biberunt, quã prius, & hoc ex vino prouenit. Status secundus est magnæ iucunditatis, quia homines biberunt aliqualiter supra modum: ideo dilatantur nimis venæ, & confortatur cor: & rursus non est tantus excessus, quod grauentur sensus, & fiat homo immobilis, & tunc apparet magna hilaritas. Vnde huiusmodi

D

E

F

Ruth obtemperatio

Vinum bonum semper habet virtutem lætificandi.

Obiectio.

Responsio.

hiler es

A hilares iucunditatem ſuam foris oſtendunt, cantando, & faciendo alios motus corporis. Tertius ſtatus ebriorũ non eſt iucundus, quia, qui omnino ebrij ſunt grauãtur in ſuis operationibus,& in talibus non poteſt eſſe lætitia, ſed ſopor: & tamen dicuntur iſti iucundari indirecte inquantum triſtitias perdunt, ſcilicet, quod propter magnam turbationem capitis ex ebrietate recordantur eorum,quæ fecerũt,nec triſtitiarum, quas habebant. Et de iſto vino dicitur:Prouer.30. ſcilicet Date vinum mærentibus, & ſiceram his, qui amaro ſunt animo, bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris non recordentur amplius: ſic enim accipitur 2. Eſdræ 4. vbi agitur viribus vini.Et dicitur: omnem mentem conuertit in ſecuritatem, & iucunditatem,& non meminit triſtitiam, & debitum, & omnia præcordia facit honeſta: iſtud autẽ ad ſolam ebrietatem pertinet. In quocũque ſtatu ergo vinum lætificat,& tamen magis ſecundo modo, quam aliis. Et iſtum ſecundũ tenebat Booz,cum dicatur,quod erat hilarior poſtquam biberat. *Iſſetq; ad dormiendum ſuper aceruum manipulorũ.* Deſignatur hic locus in quo dormiuit Booz, eo quod Noemi dixerat ipſi Ruth,quod conſideraret locum, in quo dormiret Booz,vt iret ad dormiendum ad pedes eius.Et dicitur iuxta aceruum manipulorum, quia in area erant manipuli, quia nondum erant trituratæ omnes meſſes, cum aceruus hordei eſſet iſte,qui nunc ventilabatur.*Venit abſcondite.*Scilicet:venit Ruth ad locum,in quo dormiebat Booz abſcondite,ſcilicet,vt illam non ſentiret Booz venientem; quia non haberet tantam oportunitatem mouendi eum ad id, quod volebat, ſicut alias, vt dicetur infra in quadam quæſtione. Intelligendum ergo,quòd Ruth venit ad Booz quando ipſe tenebatur graui ſopore,& ipſe iam non ſentiebat,nec ſentiit vſquequo vinum aliqualiter digeſtum eſt. *Et diſcooperto à pedibus eius pallio ſe proiecit.*Scilicet,diſcooperuit partem pedum Booz, & extendit pallium ſuper ſe,iacuitque ad pedes eius.

Quomodo iacuit Ruth ad pedes Booz.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR, quomodo iacuit Ruth ad pedes Booz. Aliquis dicet,quòd apud pedes proiecit ſe indutam veſtibus ſuis,& diſcooperuit quandam partem pedum,& operiret ſe pallio Booz. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia ſi Ruth induta ſtaret,nõ faceret ad propoſitum, quod dormiret ad pedes Booz.Sed dicendum,quòd Ruth exuit ſe,&nudam poſuit ſed pedes Booz, vt ſentiret Booz teneritudinem carnis fœminæ,& moueretur ad libidinem, & ſic facilius eã acciperet in vxorem, & ad hoc petiuit Ruth oportiri pallio Booz, quaſi nuda eſſet: ſi autem eſſet induta, non tangeret carnem Booz,& ſic non haberet intentum ſuum. Item,quia ſi eſſet induta nihil magis proderat, quòd diſcooperiret pedes Booz,quam ſi non diſcooperiret,cum non tangeret carnem eius,ſed veſtes: & tamen non ſine myſterio iuſſit Noemi ipſi Ruth, quòd diſcooperiret pedes Booz, & iaceret ibi ſub pallio eius: ideo nuda erat. Et dicendum,quòd ſic manſit Ruth vſque ad auroram nuda ad pedes Booz, & tamen ipſe non eſt motus ad eam libidine, vt patet infra in litera, ſcilicet: Dormiuit itaque ad pedes eius vſque ad noctis abſceſſum.

Et ecce nocte iam media expauit homo, & conturbatus eſt, viditque mulierem iacentem ad pedes ſuos, & ait illi: Quæ es? Illaque reſpondit: Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. Et ille: Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti; quia non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites. Noli ergo metuere, ſed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis. Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. Quieſce hac nocte: & facto mane, ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt: ſin autem ille noluerit, ego te abſque vlla dubitatione ſuſcipiam: viuit Dominus: dormi vſque mane. Dormiuit itaque ad pedes eius vſque ad noctis abſceſſum. Surrexit itaque antequam homines ſe cognoſcerent mutuo, & dixit Booz: Caue ne quis nouerit, quòd huc veneris. Et rurſum expande,inquit,pallium tuum,quo operiris, & tene vtraq; manu. Quæ extendente, & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem, & venit ad ſocrum ſuam. Quæ dixit ei: Quid egiſti filia? Narrauitque omnia, quæ ſibi feciſſet homo. Et ait: Ecce ſex modios hordei dedit mihi, & ait. Nolo vacuam te reuerti ad ſocrum tuam. Dixitq; Noemi: Expecta filia donec videamus quẽ res exitum habeat: neque enim ceſſabit homo, niſi compleuerit quod locutus eſt.

Et ecce. Hic ponitur tertium huius capituli, ſcilicet Booz rationabilis reſponſio: nam cum Ruth propoſui ei quid intendebat faciendo omnia hdc reſpondit ei valde rationabiliter, quòd reciperet ducendo eam, ſi alius propinquus ſuus recuſaret eam recipere. Et dicitur. *Ecce iam nocte media.* Vſq; ad mediam noctem non ſenſit Booz, quòd iaceret ad pedes eius Ruth. Et hoc fuit, quia biberat ad abundentiam Booz nocte illa propter ſolennitatem ventilationis arcæ,& vinum non fuerat plene digeſtum vſque ad mediam noctem: ideo cum eſſet caput fumis obfuſcatum, non poterat euigilare propter grauitatem: nocte autem iam media euaneſcentibus fumoſitatib⁹ exhalatis de vino excitatus eſt Booz,& ſenſit apud ſe Ruth. *Expauit homo.* Scilicet,non cubuerat aliquis cum eo in principio noctis, & media nocte reperit ad pedes ſuos iacentem fœminam; ideo expauit neſciens quid eſſet. *Et conturbatus eſt.* Scilicet,nimis turbatus eſſet corde neſciens vnde prouenisſet hoc. In Hebræo dicitur.*Et amplexus eſt.*Scilicet, cum Booz euigilaſſet, & ſenſiſſet apud ſe quendam iacentem expauit,& turbatus cœpit tenere illum,qui ſibi præſens erat, tanquam vellens ſe defendere ab eo, vt à nociuo, & tenuit per caput: & tunc ſenſit eſſe mulierem. *Et vidit mulierem iacentem ad pedes ſuos.*Scilicet,ſenſit licet non vidit,quia nox obſcura erat: ſed cognitio quęcunque ſenſitiua vocatur viſio. De iſta cogintione infra dicetur in quadam quæſtione: non enim mouerat ſe Ruth à pedibus Booz, ſed iacebat ſecura, & forte erat vigilans ſemper, vt quando euigilaret Booz attente audiret quid ei diceret, & reſponderet. Nam ſi ſomno grauata eſſet non reſponderet prompte, nec proponeret ea, quæ iuſſerat ei Noemi proponere. Vel forte cum videret Ruth,quòd non euigilaret Booz tanto tempore, tetigit aliquo modo pedes eius, ita vt cogeretur ſentire motũ, & euigilaret. *Et ait illi: quæ es?* Scilicet, ſciuit mulierem eſſe ad pedes ſuos,& tamen neſciebat, quæ erat,ideo quæſiuit, quæ erat.Quomodo autem Booz potuit cognoſcere prius,quòd erat mulier,quam ſciret, quæ mulier erat declarabitur infra in quadam quæſtione.*Illaque reſpondit: ego ſum Ruth ancilla tua.* Erat vigilans Ruth,& attenta quandoBooz euigilaret,& loqueretur ei:nam ſi ipſa quoque ſopiretur,& euigilaret Booz antequam illa euigilaret, non poſſet illico reſpondere apte ad ea,quæ quærebantur, & non contentaretur nimis de ea Booz.Nunc tamen illico reſpondit ad verba Booz ac ſi non dormiret,& attente quidem tanquam præcogitaſſet illa, & nõ,vt de ſopore graui expergiſceretur.Vocauit autem ſe ancillam eius cauſa humilitatis,vt ſic cum magis flecteret ad id quod intendebat. *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam.* Scilicet,ſum ad pedes tuos,&nõ ſum bene operta pallio tuo, nec audeo operire me illo: ergo tu expande illud ſuper me ancillam tuam. *Quia propinquus es.* Quaſi dicat: iure conſanguinitatis competit tibi, quòd extẽdas pallium tuum ſuper me accipiendo me in coniugem: erat autem propinquus. ſ. quia erat cognatus viri ſui Maalon, vt patet ex confeſſione Booz. Quomodo autem propinquitas eſſet, vel in quo gradu,& dato quod illa eſſet,an teneretur Booz ſecundum legẽ accipere Ruth in vxorem, dicetur infra in quibuſdam quæſtionibus,& partim ſequenti cap.*Et ille.* Scilicet,reſpõdit Iterum ad Ruth. *Benedicta tu inquit filia à Domino.* Id eſt, Deus benedicat tibi.Vocauit enim eam filiam quamquam ſequẽti die eam acceperit in vxorem.*Quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Laudat Booz ipſam Ruth de virtute, quod

Booz rationabilis reſponſio.

A

semper se bene habuerit, & habuit se misericorditer prius, sed nunc misericordia eius vltima vicit priorem. Fuit prior misericordia, quòd Ruth bene se habuerit ad virum suum Mahalon viuentem. Etiam quod bene se habuerit ad Noemi veniendo de terra Moab cum illa, & relinquendo parentes, & patriam propter eam. Vltima misericordia fuit, quòd voluit Ruth accipere Booz in maritum. Sed quomodo ista fuerit misericordia, & quomodo superabat primam dicetur infra in quadam quæstione. *Quia non es secuta iuuenes pauperes, siue diuites.* Scilicet, laudabilis in hoc es, quia non petiuisti, vt acceperes in virum aliquem iuuenem diuitem, siue pauperem, quasi dicat, ex hoc laudabilis es, quia cum tu sis iuuencula, ætati tuæ competebat iuuenes sequi, & tamen virtutis desiderio petisti me in virum, qui senex sum. *Noli ergo meruere.* Id est non timeas, quòd ego despiciam te, & nolim accipere te in vxorem. *Sed quid dixeris mihi faciam tibi.* Scilicet, si me volueris in virum accipies, vel quidquid dixeris mihi, vt ego tractem in hoc negotio de statu tuo, ego tractabo vtiliter. *Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Hic ponit Booz confirmationem suam ad probandum, quòd faciet pro Ruth quidquid posset: nam ipsa Ruth petiuerat, quòd Booz expanderet pallium suum super eam: in quo videbatur petere, quòd eam acciperet in vxorem, & consummaret matrimonium statim. Et quia

B

Booz non acceptauit hoc, illico putaret se Ruth repulsam, & neglectam, & molestaretur nimis, ideo dixit Booz, quòd nō affligeretur, quia ipse faceret quidquid ipsa iuberet. Et quia forte Ruth adhuc non crederet, quòd vellet eam accipere posuit aliqua verba, per quæ ostendit, quòd acciperet, dicēs: scit omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis, quasi dicat, tu es digna, quod te accipiam in vxorem propter virtutes tuas: quia omnis populus, qui est intra vrbem istam cognoscit virtutem tuam. Et dixit intra portas meæ vrbis, scilicet Bethlehem, quia ibi habitabat Booz. Et vocatur vrbs sua, non quod pertineret ad dominium eius, sed quia erat de illa oriundus. Aliter potest introduci ista litera, scilicet, quòd Ruth putaret, quòd Booz nollet accipere eam in vxorem saltem propter opiniones dicentium. Nam reputaretur ei humiliatio quędam status sui, quòd vir potens, & magnarum opum in vrbe, vt patet præc. cap. acciperet in vxorem mulierem pauperem, & peregrinā. Etiam quia Booz erat senex, & Ruth iuuencula, & forte reputaretur ei ad stultitiam talem velle accipere vxorem disparem ætati suæ. Ad istud, quod tacite mouere poterat ipsam Ruth, respondet Booz, scilicet, quòd propter nihil istorum dimitteret, quin eam habeat in vxorem. Et dicit, quòd nihil istorum suspicabuntur inhonestum esse, qui viderint: nam sciebant omnes, qui erant in vrbe Ruth esse mulierē virtuosam, ideo licet opes eius nullæ essent, virtus supplebat defectum opum: & excedebat ad omnes opes. Etiam dato, quòd

C

esset iuuencula, non putaretur sequi inhonestum aliquod Booz seni, quia Ruth in oculis omnium erat mulier virtuosa, & crederent, ꝙ licet esset puella, seruaret honorem viri sui senis. *Nec abnuo me propinquum esse.* Id est, nō nego me esse propinquum. Respondet in hoc ipsi Ruth: quia Ruth iure cognationis diceret, quod teneretur eam Booz accipere in vxorem. Et respondet, quòd verum est, quod est propinquus, & tamen iure propinquitatis non competit ei accipere illam in vxorem, quia alius erat propinquior, & suscitatio seminis defuncti pertinet ad propinquiorem semper. De quo infra declarabitur. Istius propinqui non ponitur hic nomen, nec sequenti cap. cuius causa infra dicetur in quadam quæst. *Quiesce hac nocte.* Scilicet, non cures amplius super hoc negotio facere hac nocte, quia nunc nihil magis fieri potest, sed cras terminabitur. Et dixit, quiesce hac nocte, scilicet, quia Ruth petiuerat consummationē matrimonij, dicens expande pallium tuum super famulam tuam, & voluerat, quod iila nocte consummatum fuisset matrimonium, Booz dixit, quòd nō posset consummari illa nocte, nec cōtrahi, quia necesse erat prius admonere consanguineum suum, si vellet accipere in vxorem ipsam Ruth: & quia illa nocte non poterat fieri, dixit: quiesce hac nocte. *Et facto mane.* Scilicet, incipiam tractare istud negotium. *Si te voluerit propinquitatis iure retinere.* Scilicet, habere te in vxorem, sicut propinquus cum ipse sit maxime propinquus cui primò competit. *Bene res acta est.* Id est, prospere tibi cueniet, quia ipse est vir potens, & magnarum opum, sicut ego: & cum eo fœliciter viues. *Si autem ille noluerit.* Scilicet, cedendo iuri propinquitatis. *Ego te sine vlla dubitatione suscipiam.* Quasi dicat, dato quod ille te non reciperet, non timeas ob hoc nec putes te esse neglectam, quia sine dubio ego te accipiam in vxorem, illo te non accipiente. *Viuit dominus.* Modus iurandi est, id est iuro tibi per vitam Dei, quòd ego te accipiam.

D

Quæst. 24.

Quiesce hac nocte. Cap. 4 q. 4.

Quare penes noctem mediam expauit Booz, & non prius.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR circa prędicta, cur circa noctem mediam expauit Booz, & non prius. Respondendū, quòd Booz expauit quando sensit apud se ad pedes suos aliquem iacere. Nam cum ipse cubitum iuit nullus cum eo cubuit, nunc autem reperit quendam apud se: & istud non fuit ante mediam noctem, quia non euigilauit Booz ante illud tempus: & cum primum euigilauit, expauit. Causa autem quare media nocte euigilauit fuit duplex. Prima est, quia ante illud tempus erat grauatus sopore propter indigestionem vini: nam sicut dicitur supra in litera, Booz comederat, & biberat, & factus fuerat hilarior, sumpto potu: istud autem non fit, nisi ex aliquali excessu vini: ideo cum iuit cubitum incipientibus fumis ascendere à stomacho ad caput, grauatum erat caput, & difficile erat sentire, etiam si tangeretur, sicut patet in quibusdā patientibus grauissimum, & profundum somnum, quamdiu autem durauit multitudo, & grossicies illa vaporum ascendentium de stomacho in digerendo nō potuit euigilare: circa mediam autem noctem maxima pars digesta erat, & tunc potuit euigilare. Secunda causa fuit forte, quia Ruth tangeret eum aliqualiter, vt euigilaret. Et istud est verissimile: nam Ruth expectabat vigilans, quando euigilaret Booz, & quæreret aliquid ab ea, vt prompte responderet, & non tanquam de sopore expergefacta, & quia laborabat ipsa tamdiu resistens somno, circa mediam noctem forte tetigit pedes Booz saltem leuiter, & coegit ipsum euigilare.

E

Vtmi effectus.

Quare expauit Booz, & conturbatus est, & de quo.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius, quare expauit Booz, & conturbatur est, & de quo. Respondendum, quod expauit de subita ea re: nam Booz secrete cubuerat in nocte apud aceruum manipulorum, vt patet supra in litera. Et putauit, quòd nullus viderat eum, & solus concubuit. Cùm verò vigilauit sensit apud se quemquam latere, & istud satis erat ad pauorē: nam ignorantia est causa maximi pauoris, scilicet quia malū, quod homo ignorat naturaliter maius esse iudicat, quā sit: & hoc ad cauendum de illo, quia quanto magit timuerit, magis fugiet, & fugiendo cauebit. Et ista est causa, quare homines magis timent in locis obscuris, quam in patentibus: nam in patentibus conspiciunt quid sit, & sciunt si ab aliquo cauere debeant, in obscuro autem nesciunt, an aliquod malū sit, & an ab aliquo cauere debeant: ideo valde timent. Etiam ista est causa quare homines magis timent per noctem quam per diem: quia per diem vident, quid eis nocere possit, per noctem autem non vident, ideo timent aliquid sibi appropinquare: quod noceat eis: & si tale quid appropinquet eis, nesciunt quo fugere debeant, quia nesciunt ex qua parte malum insistat. Ex eadem autem causa maxime timet homo in periculis subito euenientibus, quia in his, quæ possunt prævideri deliberamus qualiter melius euadere possimus: & si non sit facultas euadendi, saltem habita deliberatione confortamus cor nostrum ad viriliter moriendum. In repentinis autem non est locus aliquis deliberationis, ideo in talibus maxime timemus. Et sic dicit Arist. 3. Ethic. cap. de fortitudine, quòd in repentinis probatur fortitudo, quia ibi cōstantia animi, quæ est virtus habituata, inclinat illico ad resistendum, & non fugiendum, & pauendum. Et non oportet, quòd in talibus sit deliberatio, cum intra se habeāt principium, quod naturaliter inclinet eos ad faciēdum, id quod facere debent. Sicut etiam qui sapientes sunt valde nō oportet,

F

tet,quod in rebus communibus,& quæſtionibus deliberent ad reſpondendum: quia habitus dirigit eos ad ſtatim reſpondendum conuenienter. Qui autem nõ habet habitum, cum nil habeat intra ſe,quod eum dirigat in agẽdo,oportet quod deliberet. Et vbi non fuerit permiſſus locus deliberationis erit grauius timor. Sic erat hic, quia ſubito, cum euigilauit Booz, ſenſit iacere apud ſe quempiam, & apprehendit illud ſub ratione mali, & quia erat ſubitaneum expauit potiſſime ſi Ruth pulſauit pedes Booz, & coegit eum euigilare : nam tunc maxime turbaretur, quòd ſentiret aliquid ſub ratione læſiui,antequam poſſet iudicare,quid eſſet illud. Dicit autẽ Rabbi Salomon,quòd expauit Booz, quia putauit dæmonẽ eſſe,qui venerat ad fallendum eum. Et hoc non eſt inconueniens,quia licet Iudæi circa dæmones non habeant rectam fidem,quia plurimi eorum credunt nullos dæmones eſſe:tamen alij tenent oppoſitum,& ſic poterat Booz timere,quod dæmones vellent ei nocere: & aliquis veniſſet in corpore aſſumpto ad ipſum. Quidquid ſit cognouit Booz eſſe hominem iacentem apud ſe, vel quaſi hominem, ſcilicet aliquod animal,& expauit, quia non viderat hoc, quando iuerat cubitum.

Quomodo dicitur, quòd Booz vidit mulierem iacentem ad pedes eius.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur, quòd Booz vidit mulierem iacentem ad pedes ſuos: nam erat nox, & non poterat eam videre. Aliquis forte dicet,quòd quamquam eſſet nox,potuit cognoſcere Booz, quòd illa erat mulier,quia forte nox illa illuſtrabatur lumine Lunæ,& poterat cognoſci mulier, vel vir, potiſſime cũ eſſet tam propinqua, ſcilicet quod ad pedes Booz iacebat. Dicendum tamẽ, quod hoc non ſtat,quia ſi tam clara eſſet nox,vt poſſet Booz diſtinguere,an eſſe mulier, vel vir iacẽs ad pedes eius, cognouiſſet etiam,quòd illa eſſet Ruth,cum eſſet familiaris ſua: nam nõ videbat eam à longe, ita vt ex habitu veſtium iudicaret eam eſſe mulierem,tamen non diſtingueret, an eſſet talis mulier, vel alia, ſed erat coniuncta ſibi,ideo vel non videbat eam eſſe mulierem, vel ſciebat eam eſſe Ruth : & tamen non ſciebat,an eſſet Ruth,quia quæſiuit ab ea,quæ es? ergo nec vidit eam eſſe mulierem. Dicendum, quòd accipitur videre pro actu aliorum ſenſuum:nam aliquando pro intelligere,& aliquando pro audire,& pro omnibus ſenſationibus accipitur, ſic patet Exod.19.ſcilicet.Cunctus populus videbat voces,& tamen voces non videntur,ſed audiuntur.Sciuit ergo Booz, quòd iſta erat mulier forte per tactum : quia tetigit pedibus ſuis carnem eius, & propter nimiam teneritudinem cognouit eſſe carnem mulieris , & tamen neſciuit, quæ erat: Aliter ex tactu,ſcilicet tangendo caput eius, ſicut volunt quidã Hebræi: nã in Hebræo dicitur amplexatus eſt, vbi litera noſtra dicit turbatus eſt, & volunt, quod cum ſubito expauit Booz,extendit manus ſuas ad tenendum illum,qui ſibi coniunctus erat, quaſi ad prohibendum ne ſibi noceret, & tunc tenuit caput Ruth quaſi amplexans,& in capite cognouit,q; erat fœmina propter comas,vel aliam habitudinem: vel forte vidit,id eſt cognouit per auditum,quòd eſſet mulier,nam locuta eſt Ruth ad Booz,cum ipſa quæreret aliquid ab eo, & tunc in voce cognouit,quòd eſſet mulier. Quis autem modus iſtorum verus ſit dicetur ſeq. quæſt.

An Booz cognouerit,prius de Ruth,eſſe mulierem,deinde Ruth, an vtrunque ſimul.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quod vidit mulierem iacentem ad pedes ſuos, & quæſiuit, quæ eſſet,& an cognouerit prius,quod erat mulier, deinde quòd erat Ruth, vel vtrunque ſimul: vel quomodo factum fuerit. Aliqui dicũt,quòd cognouit prius eam eſſe mulierem , & tamen neſciebat eam eſſe adhuc Ruth, quod litera innuit, dicens: vidit mulierem iacẽtem ad pedes ſuos,& quæſiuit:quæ es? Sed tunc dicetur,quomodo potuit cognoſcere, quòd eſſet mulier neſciendo,an eſſet Ruth? Quidam dicunt, quòd ſciuit hoc per tactum pedum, ſcilicet, quia iacebat Ruth ad pedes Booz,& tetigit eam Booz,vel tetigit ipſa eum ad faciẽdum,quòd euigilaret,& tunc mollicie carnis eius,cum nuda eſſet, cognouit Booz,quòd eſſet mulier. Dicendum tamen, quòd hoc non ſtat. Primò quia Booz, ſubito ſentiens aliquẽ ad pedes ſuos iacere de ſomno euigilans expauit,ideo quamquam tangeret carnem eius, non diſtingueret an eſſet mulier, vel vir: quia cum eſſet pauidus non faceret differentiam in molli, & duro,etiam in rebus nimis differentibus vix ſentiret aliquam differentiam. Secundò quia dato, quòd nõ eſſet pauidus, non poſſet adhuc ſufficienter iudicare eſſe virũ, vel fœminam per tactum carnis, quia quidam viri ſunt ita molles carne ſicut fœminæ,& quædam fœminę ſunt habentes carnem duram ſicut viri, non ergo cognoſceret mulierem eſſe ſufficienter ex hoc. Aliter dicunt alij, quòd cognouit ex tactu,ſcilicet,quòd tetigit caput eius,ſcilicet arripiendo illud quaſi amplexans, & tunc ex differentia capitis ſciuit eſſe fœminam. Sed iſtud non ſatis ſtat, quia cum Booz eſſet pauidus,non videtur,quòd auderet extendere manus ad arripiendum caput eius, qui erat ad pedes. Item quia vt colligitur ex litera Ruth, non mutauit locum in omnibus his, ſed ſemper ſtetit ad pedes Booz : & tamen ſi talis mutatio fieret,quòd Booz teneret caput Ruth,mutaret Ruth locum ſuum, vel ſaltem ipſe Booz. Item & efficacius, quia ſi Booz expaueſcens extendiſſet manus ad arripiẽdũ caput Ruth,exclamaſſet illa: nam talis iniectio manuum eſſet violenta ad nocendum,& nõ ſuſtinuiſſet hoc Ruth, ne noceret ei Booz, ſed clamaret, dicens, ego ſum Ruth ancilla tua, ne noceas mihi: & tamen nõ clamauit,quia alias cognouiſſet ſic Booz, quòd eſſet illa Ruth,& non oportuiſſet,quòd quæreret,quæ eſſet illa, & tamen quæſiuit, dicens: quæ es? & illa reſpondit, quod erat Ruth, ideo videtur, quod non tenuit caput eius, nec cognouit ſic, quòd erat mulier. Dicẽdum ergo videtur, quod cognouit per vocem,quod erat mulier , & quod non prius cognouit,quod erat mulier,quam quod erat Ruth,ſed vtrunq; ſimul,ſcilicet,quod fuerit ordo iſte, quòd Booz tetigit carnem Ruth,& euigilauit: vel Ruth tetigit eum,vt cogeret illum euigilare: & tunc in tactu ſenſit Booz, quòd erat vir,vel mulier,& tamen quia pauidus erat, non potuit diſtinguere,ideo quæſiuit quis eſſet, qui iacebat ad pedes, & tunc reſpondit Ruth,ego ſum Ruth ancilla tua:& in his omnibus Booz tenebat manus ſuas, & ſe continebat immobilem neſciens quid agere deberet quouſque cognoſceret , quis erat qui iacebat ad pedes eius , & ex reſponſione iſta ſimul ſciuit Booz,quod illa erat mulier, & quòd erat Ruth. Sed contra hoc obiicitur dupliciter. Primò quia dicitur in litera, quod cognouit Booz mulierem iacentem ad pedes eius, vel vidit: ideo oportet,quod tunc cognouerit, antequam quæſiuerit, quæ eſſet: & poſtea quæſiuit, quæ es? Secundò patet, quia Booz dixit, quæ es? & iſta eſt interrogatio facta ad fœminã: nam ſi neſciuiſſet,an eſſet maſculus,vel fœmina potius quæſiuiſſet per nomen maſculinum,vel femininum propter dubium,quia maſculinum concipit fœmininum,& non è contrario.Dicendum ad primum,quod Booz vidit mulierem iacentem ad pedes ſuos, non quòd videret ipſam eſſe mulierẽ, quæ ad pedes ſuos iacebat, ſed quòd vidit, id eſt cognouit ad pedes ſuos aliquem eſſe iacentem, & iacens erat mulier, licet ipſe neſciret eam eſſe mulierem, & ſic eſt fallacia accidentis, quia cognoſcebat Booz iacentem apud ſe in ratione iacẽtis, & non vt virum, vel fœminam, & in ratione iacentis accidebat ſibi eſſe maſculinum, vel fœmininum: ideo non cognoſcebat mulierem iacẽtem, niſi ſophiſtico modo, quod ad ſecundum accidens, ſicut dixit Ariſt.1.Poſte. quia prædicatur, quod non conuenit per id, quod conuenit,& iſtud facit fallaciam accidentis. Ad ſecundum dicendum , quòd quando quæſiuit Booz,quæ erat,quę iacebat ad pedes ſuos,neſciebat an eſſet vir, vel fœmina, & per reſpoſionem eius cognouit, quòd eſſet fœmina, & non quæſiuit Booz, quæ eſſet, ſcilicet ſub fœminina terminatione, ſed ſub maſculina propter dubium:quia tamen ſcriptori conſtabat, quod illa ad quam fiebat locutio erat fœmina,poſuit quæſtionem in forma fœminina,ſed non formauit eam ſic Booz.

Doct. deter.

Cap.2

A

Quid Ruth petere intendebat, quando dixit ad Booz, expande pallium tuum ſuper ancillam tuam.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlterius, quid intendebat petere Ruth, quãdo dixit ad Booz expande pallium tuum ſuper ancillam tuam, quia propinquus es. Dicendum ſecundum quoſdam, qui volunt honeſtare iſtud factum, quod petebat matrimonium contrahi inter eos. Et patet quia dixit, quòd propinquus es, ſcilicet, tu es propinquus, cui de iure debeor in vxorem, ideo accipe me in vxorem, & cum dixit: expande pallium tuum ſuper ancillam tuam, dicunt quod iſte erat modus contrahendi antiquitus matrimonium, vel ſponſalia de præſenti, ſicut nunc contrahuntur per dationem manuũ cum ipſis verbis exprimentibus conſenſum : & tunc nihil inhoneſtum petebat, nec faciebat Ruth, quia petebat ſe accipi in vxorem à Booz. Dicendum tamen, quòd hoc non ſtat, quia non concordant, quæ habentur in litera iſti intentioni. Si enim Ruth ſolum matrimoniij contractum petebat, ad quid ornabat ſe: & apparebat coram Booz poſtquam erat hilaris factus ex vino? Etiam ad quid veniebat Ruth ad Booz dormientem media nocte? nam tali tempore non cõtrahitur matrimoniũ, ſed ipſe coitus celebratur. Item quomodo ad petendum contractum matrimonij ponebat ſe nudam in eodem lecto cum Booz? & tangebat carnem eius? nã non contrahuntur ſic ſponſalia. Ecce enim omnia præludia coitus, & nihil deerat, niſi ipſe realis coitus: nec defuit quidquam ex parte Ruth, quia ipſa poſuit ſe nudam in lecto cum Booz, & tetigit carnem eius nuda exiſtẽs maxime, per quod inflammaretur vir ad venerem. Etiam petiuit realiter, dicẽs: expande pallium tuum ſuper ancillam tuam, ſcilicet, recipe me magis intra lectum tuum operiendo me tecum, quo nihil manifeſtius. Dicendum quod Ruth, dicendo hæc petebat coitũ, & tota ſua cogitatio, & induſtria fuit ad hoc, quòd incitaret Booz, vt illam carnaliter cognoſceret, & tamen nolebat carnaliter cognoſci ſolum,, ſed matrimonialiter: quia alias non permiſiſſet ſe cognoſci. Quod patet, quia dixit: expande pallium tuum ſuper ancillam tuam, quia propinquus es, ſcilicet iure propinquitatis competit tibi me in vxorem accipere. Petebat ergo duo ſimul Ruth, ſcilicet quod acciperetur in coniugem, & quod carnaliter cognoſceretur, licet verba ſua directius ſonant ad carnalem copulam quam ad matrimonium contractum. Et ratio huius eſt, quia Ruth licet intenderet principaliter contractũ matrimonij, & ipſum coitum abſolute pro nunc nõ deſideraret, nec eum tali modo procuraret: quia tamen putabat, quod non poſſet nunc inducere ipſum Booz ad accipiendum eam in vxorem, niſi inflammando eum ad venereum actum, & quia ipſa nõ permitteret ſe aliter cognoſci, oporteret quod eam acciperet in vxorẽ: & hoc innuebant omnia, quæ ipſa præmiſerat, ſcilicet inflammare eum. Dicunt autem quidam ad honeſtandum hoc factum, quòd alia poſuerit Ruth in iſta locutione ſua ad Booz, de quibus dicetur ſeq. quæſt.

B

reſp. ad quæſit.

C

Quomodo Ruth non erubuit hæc facere.

QVÆSTIO XX.

VLTERIVS quæritur, qumodo Ruth non erubuit facere iſta, quia mulier quæcunque etiam ſi vilis eſſet erubeſcere debuiſſet talia facere, & dicere erga virum, potiſſime virum reuerendum. Reſpondent quidam, quòd non fuit rubor ipſi Ruth dicere iſta, quia ipſa non dixit hæc tam materialiter, & impolite, ſicut habentur in litera, ſed poſuit alia verba ad ornandum intentionem ſuam. Et dicunt, quòd dixit: ecce ſocrus mea Noemi, & ego conſtitutæ ſumus in neceſſitate, & vendere volumus aliquam de poſſeſſionibus maiorum, ſcilicet Elimelech, & filiorum ſuorum: tu autẽ es propinquus ſi vis illam accipere accipe, & ſi vis eam tenere accipe ſimul & me: nam competit iure propinquitatis, & tunc dixit: extende pallium tuum ſuper me, ſcilicet, ad accipiendũ me in vxorem. Dicendum tamen, quod hoc non ſatis conuenit, quia ſi talia verba propoſuiſſet Ruth ipſi Booz, cum iſta agerent ad intentionem Ruth, & ad integritatem narrationis, ſcriptura illa expreſſiſſet, & tamen nihil tale dixit. Itẽ non conueniebat hoc intentioni Ruth: nam ad contrahendum matrimonium non conueniebat facere mentionem de venditione rei, quia erat aliquid impertinens. Item ſi Ruth factum ſuum colorare vellet præmiſſa tali prælocutione de venditione poſſeſſionis, non veniſſet per noctem ad Booz, & intraret lectum eius, ſed per diem peteret ab eo illud, quia talia negotia per diem expediuntur. Item dato, quod talia verba propoſuiſſet Ruth, per quæ colorarentur dicta ſua, tamen facta ſua quomodo poterant colorari? nullo inquam modo, qui nil turpius videbatur quam, ꝙ fęmina intraret lectum viri, & tangeret carnem eius. Dicendum quod facta, & dicta Ruth in ſe non erãt honeſta, ſola tamen intentio honeſtauit omnia hæc: nam iſta fiebant non propter aliquod deſiderium inordinatum, ſcilicet vt cognoſceretur Ruth affectu fornicario, ſed vt haberet in virum illum, qui ſibi de lege competebat, & ob hoc quamquã rubor in his eſſet, quia turpitudo, vel illicitum nullum erat, expoſuit ſe Ruth huic verecundiæ, vel rubori: & nõ ſine cauſa, quia forte putauit ipſa, & ſocrus ſua, quod non poſſet alio modo habere Booz in virum, niſi illa nocte inflammaret eum ad libidinem, & ſic cum ea contraheret matrimonium, & deſiderio tanti boni expoſuit ſe magno rubori. Secunda fuit mandata Noemi: nam Noemi excogitauit omnia hæc, quæ putauit iſtum ſolũ modum eſſe conueniẽtem, & Ruth vt obediret ei, ſubiuit iſtam duritiẽ præcepti. Iſtud colligitur aliqualiter ex verbis Ruth ad Noemi, nam poſtquam dixit Noemi ad Ruth omnia iſta, quæ facere debebat, non dixit Ruth, bonum eſt, vel malum, ſed ſolum dixit: quæcunque præceperis, faciam: & ſic ſolum, vt obediret videtur feciſſe: nam ſi feciſſet hæc ex deſiderio, cùm Noemi indicaret ipſi Ruth, quod per iſtum modũ poſſet habere Booz in virum, gauderet ipſa nimis, & tamen non oſtẽdit verbum aliquod gaudẽtis, ſed ſolum dixit: quidquid præceperis, faciam: quod erat verbũ obedientis: ideo ex ſola obedientia egit, & tamen Ruth tantum diligebat Noemi, ꝙ pro ipſa faceret quidquid poſſet fieri per mulierem, cũ propter eam reliquiſſet patrem, matrem, cognatos, patriam, & Deos: & iam non habebat quid dimitteret pro ea, niſi vitam. Cùm ergo iſta omnia reliquiſſet, & feciſſet à fortiori faceret quidquid aliud eſſet: vnde nunc etiam ſi eſſet aliquid erubeſcendum, non dubitaret illud facere ad mandatum Noemi.

D

E

Quomodo Booz non habuit exoſam Ruth, quæ ſic ſe ingeſſerat, vt cognoſceretur à viro.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius de Booz, quomodo non habuit exoſam Ruth, quæ ſic ſe ingeſſerat, vt cognoſceretur à viro, qui non petebat eam. Reſpondendum, quòd iſta erat cauſa ſufficiens ad hoc, quod quilibet vir haberet Ruth deſpectam tanquam viliſſimam mulierem, & ſic feciſſet Booz ſi eſſet vir acris ingenij: erat tamẽ vir mitis, & ſenſatus, & appendit iſta ſub recta ratione, & non cõtempſit Ruth propter hoc: & fuerunt multa, quæ mouerunt ipſum Booz ad hoc. Primum fuit, quia credidit, ꝙ Noemi feciſſet iſtud, & Ruth non egiſſet arbitrio ſuo, nec iudicio, ſed mandante Noemi, & ſic ſiue malum, ſiue bonum eſſet, in hoc facto non erat aliquid aſcribendum Ruth, ſed Noemi: nã habebat Ruth cauſam credendi Noemi in his, & quibuſcunque aliis: potiſſime cum pertineret iſtud ad contractus legales, de quibus nihil nouerat Ruth, niſi quantum Noemi eam inſtrueret, & credere tenebatur ei in omnibus, quia ipſam habuerat vt magiſtram ad conuerſionem ſuam, & propter eam conuerſa fuerat ad Iudaiſmum. Nunc autem petebat Ruth ipſum Booz in virum iure propinquitatis. Etiam iſtud erat ſecundũ conditionem legis, neſciebatque Ruth, an talis cæremonia eſſet in petendo hoc, ideo iuſte credebat ipſi Noemi: nec erat honeſtum, quod in talibus negotiis Ruth conſuleret alios, & informaret ſe, an licitum eſſet talia fieri, quia periculum erat, ſi talia, quæ ſecretiſſima erant, diuulgarentur extraneis, quia forte impediretur factum, & oſtenderetur aliqualis inhoneſtas ipſius Ruth, & Noemi. Quòd autem Noemi erraret,

F

non

A non erat mirum, quia fœmina erat,& non poterat conuienter in omnibus iudicare. Secundum erat, quia Booz reſpiciebat hic intentionem,&non factum, ſcilicet quod omnia hęc fiebant animo contrahendi matrimoniũ cum illo, cùm quo de lege cautum erat contrahi: ideo licet aliquid eorum, quæ erant ad finem, non eſſet bene ordinatum, bonitas finis ſupleret totum defectum illius. Tertium erat, quia iſtud factũ placebat ipſi Booz, ſcilicet, quod ipſe acciperet Ruth in vxorem, vt ſuſcitaret ſemen defuncto. Et quia cum Ruth acciperet totam hæreditatem Elimelech , & potiſſime quia erat Ruth mulier magnæ virtutis, & accipiendo eam, plura accipiebat quã acquirendo multas diuitias, ſicut dixit ipſe Booz: ſcit omnis populus, qui intra portas vrbis meæ eſt, te mulierem eſſe virtutis. Quartum erat, quia cùm eſſet Ruth mulier honeſtiſſima, & magnæ virtutis, quidquid ageret, iudicaretur bonum, ſcilicet ad bonum finem factum, & non moleſte ferret Booz quidquid faceret Ruth.

Quomodo Noemi auſa eſt exponere ipſam Ruth tanto periculo.

Qvæstio. XXII.

QVÆRETVR vlterius , quomodo Noemi auſa eſt exponere ipſam Ruth tanto periculo: nam poterat ex his tantum concipere odium, & ſuſpicionem mali Booz, quod
B non ſolum non ſuſciperet Ruth in vxorem, ſed etiam reputaret eam viliſſimam mulierem , quæ taliter ſolicitauerat virum non ſolicitata ab eo, & ſic non faueret ei, nec Noemi: ſed abiiceret eas tanquam contemptibiles. Aliquis dicet, ꝙ Booz non cognouit turpitudinem aliquam in opere iſto, cùm Ruth ſolum peteret contractum matrimonij. Dicendum quòd non ſtat, quia tam aperta erat iſta res, quod nemo dubitaret de illa, ſcilicet, quod cum iſta Ruth poneret ſe nudam in lecto viri,& tangeret carnem eius, diceretque ei, extende pallium tuum ſuper me: ideo dicendum quod Booz manifeſte vidit, quod Ruth petebat coitum matrimonialẽ, ſcilicet, vt contraheretur matrimonium,& illico cõſummaretur: & tamen non iratus eſt, nec reputauit Ruth contemptibilem propter cauſas ſignatas præcedenti quæſtion. & tamen illæ non mouerent Noemi, ſicut mouerunt Booz, quia ad Noemi pertinebat cauere, ne iſtud, quod ipſa intendebat, cederet in malum euentum, nec cedere poſſet aliquo modo. Ad Booz pertinebat iudicare in bonum finem illud fieri, ꝙ poterat in bonam partem interpretari, dato quod non fieret ad bonum. Dicendum ergo aliter, ſcilicet Noemi fuit mota ad faciendum hoc putans, quod per hoc non ſe exponebat alicui periculo, nec etiam ipſam Ruth, ſed putabat neceſſariũ eſſe ſic euenire, ſicut ipſa cogitabat eo, quod ad hoc habebat magna adminicula: nam quod aliquis vir diligat fœminam propter aliquam probitatem, quæ in ea eſt, vel alias, facile eſt
C quod moueatur in illam ad cõcupiſcendum eam carnaliter, niſi ſit honeſtiſſimus, vel ſit aliquod impedimentum, quod tollat hæc,& tamen nunc omnia, quæ poterant mouere virum in libidinem, erant inter Booz & Ruth: primò quia ipſe erat vir potens coire, cum poſtea ex ipſa Ruth genuerit Obed, ſequenti cap. Secundò quia diligebat ipſam Ruth: nam oſtenderat ei magnum fauorem, & placuerat in oculis eius, vt patet præcedenti cap. Tertiò, quia ipſa Ruth erat puella tenera,& cõcupiſcibilis ad libidinem à quolibet viro. Quartò, quia ipſe Booz erat valde promptus ad libidinem, cum eſſet hilarior factus bibito vino ad ſuperabundantiam,& vinum deſpumat in libidinem. Quintò, quia viderat Booz ipſam Ruth, poſtquam erat ſtimulatus vino ad libidinem, & erat tunc ipſa Ruth pulchra nimis, ſcilicet lota, vncta,& ornata veſtibus cultioribus, per quæ omnia raperet ipſum animum Booz, & innaſceretur ſibi deſiderium fruendi illa data opportunitate. Sextò, quia ipſa Ruth proiecit ſe ad pedes Booz in lecto, & tetigit carnem eius nuda exiſtens, per quod offerebatur in promptũ ipſi Booz, quod iam concupiuerat: ideo non reſtabat niſi frui optato. Septimò erat, quia ipſa Ruth petiuit cognoſci à Booz, licet per verba aliqualiter honeſta, ſcilicet, extende pallium tuũ ſuper ancillam tuam, quia propinquus es. His aũt omnibus exiſtentibus videbatur difficillimũ, quin Booz vellet cognoſcere carnaliter ipſã Ruth, quia ferreus vir eſſet, vel omnino virtutem heroicã habens, qui omnibus his exiſtentibus nõ expleret, quod flammæ venereæ ſuaderẽt,& ſic putabat Noemi de Booz, ꝙ neceſſe eſſet, quod cognoſceret carnaliter ipſã Ruth: & hoc matrimoniali affectu , quia aliter nõ permitteret ipſa Ruth ſe cognoci. Vnde nõ timebat, quod poſſet euenire aliquod periculum ex hac re,& tamen nihil factũ eſt eorũ, quæ putabat Noemi, cũ Booz noluerit carnaliter cognoſcere ipſam Ruth, ideo poterat eã contemnere,& etiã Noemi tanquã inuentricẽ huius turpitudinis, ſed nõ fecit, quia motus fuit ex multis ad nõ faciendũ hoc, vt patet præced. quæſt. *Dormi vſque mane.* Cum noluiſſet Booz cognoſcere carnaliter Ruth, quia nõ poterat eã accipere in vxorem, vſq; quo conſuleret alium cognatũ ſuũ, qui erat propinquior, nec poſſet illud facere per noctem, dixit ei: dormi vſq; mane, ſcilicet, non poſſemus aliquid facere nũc, ideo dormi vſq; mane ceſſans ab hac cura. Et dixit vſq; mane, id eſt vſq; ad auroram, quia ante initium diei ſurrexit Ruth, cùm nõdum ſe poſſent homines cognoſcere, vt patet infra in litera. *Dormiuit itaq; ad pedes eius.* Sicut proiecerat ſe Ruth ad pedes Booz, vt haberetur via ad hoc, quòd cognoſceret eã, ita mãſit ibi vſq; mane nolẽte aliquid facere Booz. Quare aũt mãſit ad pedes, declarabitur infra in quadã queſt. *Vſque ad noctis abſceſſum.* Id eſt vſquequo tota nox recederet. Dicitur aũt hic ceſſare nox incipiente crepuſculo auroræ, ꝙ eſt per horam, & quintam partẽ horæ ante ſolis ortũ, quia alias accipiendo noctem vſq; ad conſiſtentiam centri ſolis in horizonte, quod vocatur diei exordiũ ſecũdum Aſtrologiã, non eſſet verum, quod Ruth dormiuit vſq; ad noctis abſceſſum, quia eo tẽpore receſſit, quo nondũ homines ſe cognoſcere poterant, vt patet in litera. *Surrexit antequam homines cognoſcerent ſe mutuo.* Hoc fecit ad tollendam præſumptionem, ſcilicet, ne putaretur, ꝙ veniebat de fornicando cũ Booz, vel de alio loco inhoneſto, & ſic rediret in vrbẽ antequam quiſquam eam videret: & ſi quis videret, non cognoſceret illam. *Et dixit: caue, ne quis nouerit, quod huc veneris.* Hoc dixit Booz, vt non infamaretur ipſe, quia ſi ſciretur, quod veniebat de area Booz, putaretur, ꝙ ipſe dormierat cum ipſa illa nocte, & ex hoc impediretur matrimonium contrahi cum alio cognato Booz, de quo ipſe dixerat, ꝙ erat propinquior eo,& quod ſibi debebatur Ruth: & alia ſcandala ſequerentur, & ipſamet Ruth infamaretur, quia putaretur fornicaria,& poſſet eã accuſare de adulterio cognatus, ſicut infra declarabitur in quadam quæſt. *Et rurſum.* Id eſt iterum dixit ei. *Expande inquit pallium tuũ, quo operiris, & tene vtraq; manu.* Laborauerat Ruth diſponendo ſe, vt placeret Booz,& vt contraheretur matrimonium,& tota nocte manſerat in area: ideo Booz noluit, quod iſte labor adhuc pro tunc eſſet ſuperuacuus, & ob hoc dedit ei ſex modios hordei , & dixit, ꝙ portaret eos in pallio ſuo, quia forte nõ occurrerat ſibi ibi habere aliquid aliud, in quo portare poſſet hæc. Et dixit, quod teneret pallium vtraq; manu, ſ. vt nõ effunderetur hordeum per aliquam partem. *Qua extendente, & tenente.* Scilicet, ſicut iuſſerat Booz. *Menſus eſt modios ſex hordei.* Quanta eſſet menſura modij, declarabitur infra in quadam quæſt. *Et impoſuit ſuper eam.* Quia ipſa non poterat ſibimet imponere ſuper humeros, vel ſcapulas. *Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem.* Nã area erat in agro, & ſocrus ſua Noemi ad cuius domum veniebat erat in vrbe Bethlehem. *Et venit ad ſocrum ſuam.* Nam Ruth morabatur cum ſocru ſua, eo quod non habebat aliam domum eo tempore, quo nondum accepta erat in vxorẽ à Booz. *Quæ dixit ei, quid egiſti filia?* Mirata eſt Noemi, cum vidit Ruth diluculo ad ſe veniẽtem hordeo oneratam: nam non putauit, quod ſic veniret: cùm enim inſtruxiſſet eam ad hoc, quod incitaret Booz ad cognoſcendum eã carnaliter, & contrahendum cum ea matrimonium putabat, quod ſic factum eſſet, adeo ꝙ Booz retineret iam apud ſe ipſam Ruth: nunc autem diluculo, cum vidit eã ad ſe veniẽtem mirata eſt, quod aliquid aduerſum accidiſſet ipſi Ruth, vel quia forte errauiſſet circa aliquod eorum, quę dixerat ei Noemi adeo, quod non eſſet finitũ negotiũ, & ob hoc illico, vt vidit eam quæſiuit ab ipſa quid egiſſet. *Narrauitque ei omnia, quæ feciſſet homo.* Scilicet, omnia quæ fecerat,& dixerat Booz narrauit, & non ſolum illa, ſed etiam illa, quæ ipſa fecerat, non tamen oportuit, quod ita enarraret ea, quæ fecerat ipſa, ſicut ea, quæ fecerat Booz, eo quod ipſa erat inſtructa à Noemi quid deberet facere, & ſufficiebat ei dicere, quod fecerat omnia, quæ iuſſerat ei facere Noemi: & tamen

D

Quæſt. 30

E

F

Quæſt. 31.

A

de eis, quæ facturus erat Booz, & nihil sciebat Noemi, ideo illa oportuit enarrari. *Et ait: ecce sex modios hordei dedit mihi.* Scilicet, finitis sermonibus, dedit mihi sex modios hordei, vt venirem ad te. *Et ait, nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam.* Qu si dicat, cum tota ista nocte hic steteris, & laboraueris, nolo quòd vacua redeas ad socrum tuam, cum qua moraris. *Dixitque ei Noemi: expecta filia, donec videamus, quem res exitum habeat.* Hoc dixit Noemi, vt maneret Ruth illa die in domo, & non facerent aliquid donec viderent qualiter procedebatur in negotio, eo quod dixerat Booz, quod sequenti die videretur, quid super hoc fieri deberet. *Neque enim cessabit homo, nisi cum impleuerit, quod locutus est.* Reditiuum causæ est, quia dixerat Noemi ad Ruth, quod quiesceret in domo, donec videretur finis istius negotij. Et quia poterat dicere Ruth, quod forte non determinaretur ante multos dies, & oporteret multo tempore manere in domo, quod non erat expediens, dixit Noemi, quòd cito expediretur negotium, eo quòd non cessaret homo, scilicet Booz, donec impleret quod locutus erat. Dixerat enim, quod si suscipere eam vellet cognatus suus, quòd traderet eam ei: si autem nollet, ipse eam sine dubio acciperet in vxorem, & istud in breui videri poterat.

Quæ fuit prior misericordia, & quæ posterior.

B

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR, cùm dixit hic Booz, quòd superauerat priorem misericordiam posteriore misericordia, quæ fuit prior misericordia, & quæ fuit posterior. Dicendum, quòd prior misericordia fuit, quam ostendit Ruth ad Mahalon virum suum viuentem: nam cum esset viuens tractabat eum bene: licet enim esset Ruth in terra sua tunc, & Mahalon in terra aliena, & posset Ruth aliquo modo dominari viro suo propter fauores parentum, amicorum, & cognatorũ, non fecit, sed habuit se valde bene ad eum obsequendo ei in omnibus, quæ erant ad honorem eius. De ista misericordia locuta est Noemi ad Ruth, & Orpham nurus suas, s. faciat dominus vobiscum misericordiã sicut fecistis cum mortuis, & mecũ, supra primo capit. Etiam fuit alia misericordia quã Ruth fecit cum Noemi: nam cum redire vellet Noemi in terram suam de terra Moab, sola carens viro, &, filiis misera est eius Ruth, & voluit cum ea venire, nec voluit ipsam dimittere: & ista fuit magna valde misericordia, & computatur vtraque istarum prima misericordia, posterior minus fuit, quam fecit nunc Ruth volendo accipere Booz in virum, nam ipsi mortuo faciebat misericordiam volendo suscitare semen eius, quod magis dicetur sequenti quæst.

Quomodo posterior misericordia fuit maior quam prima.

C

QVÆSTIO. XXIV.

QVÆRETVR vlterius, quomodo posterior misericordia fuit maior quam prima. Aliquis dicet, quòd nulla misericordia erat ista, quam nunc vocat Booz posteriorem misericordiam: nam quòd Ruth vellet accipere Booz in virum, erat quod honoraretur ipsa accipiendo virum potentem, & magnarum opum, & in hoc faciebat Ruth vtilitatem suam potius quam opus misericordiæ, & tamen in primis fecit opus misericordiæ valde magnæ. De prima misericordia, quam habuit Ruth erga virum suum viuentem, apparet: nam poterat Ruth dominari ei, cum esset vir in terra aliena, & ipsa esset in terra sua, & tamen seruiebat ei ad nutum. Secunda erat adhuc maior misericordia, quod voluerit Ruth dimittere patriam, & parentes, & Deos suos propter Noemi: ideo non fuit maior misericordia posterior quam prima. Dicendum, quòd ista misericordia consideratur dupliciter, aut in se, & absolute aut respectu defuncti. Primo modo misericordia prima fuit maior quam posterior, eo quod illa erat laboriosior. Etiam quia plura ibi impendebat Ruth, quã nunc in postrema impenderat. Si autem accipiatur respectu defuncti, dicendum, quod erat postremo maior. Pro quo considerandum, quod misericordia ista erat, quod si Ruth non accepisset Booz in virum, nec aliquem de cognatione Mahalon viri sui, cum decessisset Mahalon sine liberis, non posset conseruari nomen suum in familia, sed deleretur, & istud reputabatur inter Hebræos magna infœlicitas, quod deleretur nomen alicuius de familia sua: vnde Saul credens Dauid fore sibi infestum, & quod confortaretur contra eũ, orauit, & coegit eum iurare ne deleret nomen eius de familia sua, primo Regum 24. quasi maximum malum esset deleri nomen alicuius de familia sua: si autem Ruth acciperet Booz in virum, vel aliquem de familia Mahalon viri sui, suscitaretur semen viri sui, & non esset infortunatus quantum ad hoc: ista autem erat magna misericordia, scilicet facere, ꝙ non deleretur nomen eius, & est maior quam prima propter duo. Primò, quia cùm quis benefacit homini præsenti, à quo potest recipere vicissitudinem non est admirandum: cùm autem benefacit mortuo, vel absenti, à quo non potest recipere retributionem, est magis admirandum: & quia misericordia prima præstita est Mahalon viuenti, & etiam Noemi viuenti, misericordia autem ista præstabatur Mahalon mortuo, scilicet, vt non deleretur nomen eius, ideo erat maior. Secundò patet, quia maius beneficium erat ipsi Mahalon id, quod nunc ei præstabat Ruth, quam quod primo: nam prius benefaciebat ei seruiendo ei tanquam vxor. Nunc autem benefaciebat faciendo, ne deleretur nomen eius de familia sua. Et cum deleri nomen alicuius de familia sua sit maximum infortunium, erat maximum beneficium, & infortunium conferre ei, quod nomen suum non deleatur de progenie sua, & istud præstabatur Mahalon nunc ex misericordia Ruth, ideo videtur, quod misericordia ista erat maior, quam prior.

D

E

Quomodo dixit Booz, quod Ruth magnam misericordiam fecerat volendo accipere Booz in virum ad suscitandum nomen defuncti, & an Ruth tenebatur ad hoc, vel erat et liberum.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dixit Booz, quod Ruth fecerat nunc magnam misericordiam volendo accipere Booz in virum ad suscitandum nomen defuncti in progenie sua: nam videtur, quod non faciebat aliquam misericordiam: quia qui facit ad quod tenetur, non facit misericordiam: & tamen Ruth tenebatur ad hoc, quia quando moriebatur aliquis habens vxorem sine semine, vxor sua tenebatur expectare cognatos viri, si esset aliquis, qui vellet eã accipere ad suscitandum nomen defuncti, & si antequam illi renuerẽt acciperet quemquam in virum, vel fornicaretur cum aliquo, licet esset vidua, poterat accusari de adulterio, sicut si esset coniugata, vel desponsata per verba de præsenti: sic patet in Thamar nuru Iudę, quam acceperant duo filij sui successiue in vxorem, qui ambo mortui sunt sine semine, & iussit Iudas, quod maneret in habitu viduitatis, donec cresceret Sella filius eius, qui susciperet eam in vxorem ad suscitandum semen fratrum suorum, & nondum erat ei copulata, nec desponsata, & quia tamen reperta est fuisse fornicata, ducebatur ad incẽdium petente Iuda quousq; illa probauit, ꝙ susceperisset à Iuda filios, Gen. 38. Ita fieret in Ruth, & sic nõ faciebat misericordiam. Aliquis dicet, quod non tenebatur Ruth accipere in vxorem virum aliquẽ de cognatione Mahalon viri sui: quia lex de suscitatione seminis imposita erat fratribus. Deuter. 25. & tamen Mahalon non habebat aliquẽ fratrem, quia duo erant filij, Elimelech Chelion, & Mahalõ, & ambo mortui sunt post patrem suũ in peregrinatione terræ Moab, supra primo cap. ideo non erat lex de suscitatione seminis extendenda quantum ad alios: vnde non teneretur Ruth expectare quemquam de tota cognatione viri sui, vt acciperet eum in virum ad suscitationem seminis defuncti, sed poterat accipere quem vellet, & ob hoc si acciperet aliquem, qui non esset de cognatione Mahalon, non suscitaretur semen eius, & periret nomen suum de cognatione sua: si autem acciperet ipsum Booz, vel alium de eadem cognatione in virum suscitaturum semen Mahalon, & non deleretur nomen eius: ideo videtur quod faciebat misericordiam magnam viro in eo, quod noluit sequi iuuenes pauperes, vel

F

diui-

A diuites, quos poterat licite accipere in viros, ſed voluit accipere ipſum Booz quamquam eſſet ſenex, & iſtud dixit Booz ad Ruth: benedicta tu filia à domino: quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti, quia non es ſecuta iuuenes diuites, vel pauperes. Sed dicendum, quod hoc non ſtat, quia Ruth obligabatur accipere virum de cognatione Mahalon viri ſui, ſi aliquis eſſet: & quia Booz, & quidam alius ſupererant, tenebatur admonere Ruth quemlibet eorum, an vellet eam accipere in vxorem, & aliter non poterat accipere quẽquam alium in virum, alias accuſari poterat de adulterio. Et patet hoc, quia ſi teneretur Ruth expectare cognatos viri ſui, vt aliquis eorum acciperet eam in vxorem, non teneretur aliquis de cognatione Mahalon ad ſuſcitandum ſemen eius, quia alias obligaretur ad impoſſibile, cum ſuſcitatio feminis non poſſet fieri, niſi in vxore defuncti: ſi illa poſſet accipere quem vellet in virum extra cognationem defuncti, non poſſet ſuſcitari ſemen defuncti. Quòd autem iſti obligarentur, patet, quia primus cognatorum Mahalon voluit accipere poſſeſſionem eius iure propinquitatis, & cum nollet accipere Ruth in vxorem, non data eſt ei poſſeſſio, & quia Booz voluit in vxorem accipere ipſam Ruth iure propinquitatis accepit poſſeſſionem, ergo manebat in iſtis obligatio ad ſuſcitandum ſemen Mahalon. Secundò patet, quia ſi non eſſet in eis obligatio ad ſuſcitandum ſemen Mahalon,

B non inferretur alicui eorum contumelia, quia non ſuſcitabat ſemen Mahalon, & tamen priori eorum illata eſt contumelia, ſcilicet, quia calceamentum de pede eius ſolutum eſt, vt patet ſequenti cap. & iſtud erat contumelia Deuter. 25. ergo erat obligatio ad ſuſcitandum ſemen Mahalon. Tertiò patet, quia ipſa Ruth petiuit ipſum Booz in virum iure conſanguinitatis, dicens, expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es, id eſt iure propinquitatis potes me accipere in vxorem, & debes. Quartò patet, quia ſi non eſſet obligatio ad ſuſcitationem feminis Mahalon, ſed poſſet Ruth vxor eius accipere quem vellet in virum, quando dixit Ruth, quòd acciperet Booz eam in vxorem, dixit ipſe Booz, non abnuo me eſſe propinquum, ſed eſt alius me propinquior, & ſi ipſe te accipere non voluerit, ſine dubio ego te accipiam: ergo non poterat libere Booz accipere in vxorẽ Ruth, quouſque cederet alius cognatus eius, & tamen ſi non eſſet neceſſitas iſtius ſuſcitationis feminis, poſſet nubere Ruth, cui vellet, & Booz potuiſſet eam accipere non requiſito alio, & tamen non potuit, vt colligitur ſupra in litera: ergo erat adhuc neceſſitas ad ſuſcitationem feminis Mahalon. Reſponderi poteſt dupliciter: quidam dicunt, quod Ruth obligabatur accipere in virũ aliquem de cognatione viri ſui Mahalon, & non poterat accipere quemquam quouſque requireret omnes iſtos cognatos Mahalon: & ſic probant rationes ſupra poſitæ. Tunc autem reſpondendũ eſt ad dictum Booz, qui laudauit Ruth, quia non eſſet ſecuta iuuenes diuites, vel pauperes: ſed voluit accipere ipſum Booz ad ſuſcitationem

C feminis viri ſui defuncti. Dicẽdum, quod quamquam Ruth eſſet obligata ad non capiendum quemquam alienum virũ, quouſque requireret omnes cognatos viri ſui, an eam vellẽt accipere, tamen ſi hoc ipſa non vere deſideraret, haberet ſe remiſſe in eo, ita quòd non reduceretur res ad effectum, ſed potius indirecte impediret, quòd non fieret, vt ipſa haberet in virum aliquem iuuenem: & tamen cum magna ſolicitudine ipſa Ruth procurauit, quod Booz vellet eſſe vir eius, ideo laudanda erat, non quidem tanquam aliud facere poſſet, ſed quia hoc bono animo feciſſet. Alij dicunt, quòd Ruth non erat obligata accipere Booz in virum, nec quemquam de cognatione Mahalon, ſed poterat accipere quemcunque virũ extraneum vellet, & illud faciendo non ſuſcitaretur ſemen Mahalon: ſi autem vellet ſuſcipere Booz in virum, vel alium de cognatis viri ſui, ſuſcitaretur ſemen viri eius: ideo laudabilis fuit, cum potuiſſet accipere iuuenem quempiam in virum, qui non eſſet de cognatione Mahalon, & noluit, vt ſuſcitaretur ſemen viri ſui. Etiam dicendum eſt tunc, quòd non erant obligati cognati Mahalon ſuſcitare ſemen eius, ſed poterant ſi vellent, & ſi ſuſcitarent gaudebant quibuſdã priuilegiis, ſcilicet, quòd pertinebant ad eos bona defuncti: ſi autem non ſuſcitarent ſemen eius, carebãt illis priuilegiis, & tamen non puniebantur: Quæ autem ſit verior iſtarum duarum poſitionum declarabitur ſequenti cap. in quadam quæſtione. & ibi reſpondebitur ad iſta quatuor argumenta, quę ponuntur hic tenendo iſtam partem. Quidquid ergo teneatur, ipſa Ruth fecit miſericordiam magnam volendo accipere Booz in virum ad ſuſcitandum Mahalon ſemen viri ſui iam mortui. D

Quare dixit Booz ad Ruth: nec abnuo me eſſe propinquum: ſed eſt alius me propinquior.

QVÆSTIO XXVI.

VLTERIVS quæritur, quare dixit Booz ad Ruth: nec abnuo me eſſe propinquum, ſed eſt alius me propinquior. Reſpondendum, quòd determinatio huius dubij pẽdet ex determinatione præcedentis quæſtio. ſcilicet, non exiſtentibus fratribus defuncti, an alij cognati in quocunque gradu, vel ſaltem in aliquo teneantur ad ſuſcitationem feminis defuncti. Quidam dicunt, quòd ſic, & ſecundum iſtos dicendum eſt, quòd Booz, & alius cognatus ſuus tenebantur ad ſuſcitandum ſemen Mahalon, & non poterat Ruth accipere quemquam in virum, niſi ambo iſti recuſarent eam accipere. Et tunc dicendum, quòd erat ordo in obligatione, quia magis propinquus tenebatur prius, & deinde alij per ordinem, & ſic non poterat mulier petere in virum minus propinquum irrequiſito magis propinquo, & minus propinquus non poterat accipere in vxorem ipſam vxorem defuncti, non cedente magis propinquo, & quia erat alius propinquior ipſi Mahalon, quam Booz, non poterat Booz accipere Ruth in vxorem, quouſque ille cederet, & ſic dixit, quòd ipſe propinquus erat, & tamen erat alius propinquior, qui prius requirendus erat, & ille cederet, ſine dubio ipſe Booz acciperet Ruth in vxorem. Alij dicunt, quod nulli cõſanguinei in quocunque gradu tenentur ſecundum legem Moyſi ſuſcitare ſemen defuncti, niſi fratres. Et tunc dicendum eſt, quòd Booz, & cognatus ſuus non obligabantur accipere Ruth in vxorem ad ſuſcitandum nomen defuncti, poterãt tamen ſic ſuſcitare,, & ſic Booz ſuſcepit ipſam Ruth ad ſuſcitandum nomen, & ſemen defuncto, vt patet ſequenti capitul. & tunc dicendum, quòd quando iſti, qui non obligabantur volebant ſuſcitare ſemen defunctorum, tenebantur ſeruare ordinem, quem ſeruabant illi, qui obligabantur ad hoc, ſcilicet prius, qui erant magis propinqui. Et quia Booz volebat nunc ſuſcitare ſemen Mahalon defuncti, requiri fecit prius alium cognatum ſuum, qui erat propinquior Mahalon quam ipſe Booz. Quæ autem iſtarum reſpõſionum ſit vera, dependet ex determinatione præcedentis quæſtionis, quæ determinabitur ſequenti cap. in quadam quæſtione. E

An per iſta verba, quæ dixit Booz fuerit contractum matrimonium, vel ſaltem ſponſalia de futuro.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlterius, cum dixit hic Booz ad Ruth: ſi propinquus meus te accipere voluerit res bene acta eſt: ſi autem noluerit, ſine dubitatione ego te accipiam, viuit dominus: an per iſta verba fuerit contractum matrimoniũ, vel ſaltem ſponſalia de futuro. Reſpondebit aliquis, quòd contractum eſt hic matrimonium, vel ſaltem ſponſalia de futuro, cum promiſerit, quòd acciperet ipſam Ruth in vxorem. Item quod plus eſt, quia iurauit ſuper hoc dicens: viuit Dominus: & tamen iuramentum multum proficit in contractu, ergo iſte contractus matrimonialis erat. Reſpondendum, quòd hic non fuit contractum matrimonium de preſenti, nec etiam ſponſalia. Patet primò, quia ſi matrimonium contraheretur hic de præſenti eſſet Ruth per hoc vxor Booz, & tunc non poſſet effici vxor alterius ſui cognati; & tamen dixit Booz, quòd expectaret, vt videret ſi cognatus ſuus volebat accipere illam, alioquin ſine dubio ipſe acciperet eam, ergo non efficiebatur hic matrimonium. Item ſi matrimonium nunc contraheretur, non relinqueretur aliqua deliberatio pro poſtero, & tamen Booz deliberationem derelinquit, ſcilicet, vt videret, an cognatus ſuus illam volebat habere in vxorẽ, ergo nunc non accepit eã. Tertio patet, F

quia

quia Ruth petebat, quòd acciperetur in vxorem, & consummaretur matrimonium, cum dixit expande pallium tuum super famulam tuam: & tamen Booz non consensit pro tũc, sed dixit, quod quiesceret, quia alius erat propinquior, ergo non accepit illam nunc in vxorem. Quartò patet ex forma, quòd hic non fuerunt aliqua verba formalia, vel significantia matrimonium: nam solum dixit Booz, quòd si non acciperet illam cognatus Booz ipse acciperet eam: matrimonium autem efficitur per verba denotantia certum consensum, & non per verba conditionalia, potissime cum pendet conditio ex voluntate potentis prohibere actũ, vel vinculum, sicut erant in præsenti. Manet ergo dubium, an erat matrimonium propter iuramentum quod superuenit quod aliquid confirmat. Et dicendum, quòd non: quia de conditione iuramenti est non immutare subiectum contractus, nec dare sibi speciem, sed dare illi robur, si firmum omnino non est: si ergo iste contractus sine iuramento non erat matrimonialis, ergo nec nunc cũ iuramento. Itẽ patet, quia, qui matrimonium contrahit, accipit vxorem, & iam sua est: & tamen in istis verbis iuratis Booz promittebat de accipiendo Ruth in vxorem, ergo nondum erat accepta, & consequenter non erat matrimonium. Istam rationem, & similes ponit magister 8. Sentent. distinct. 24. Mouet autem dubium, an contraherentur hic sponsalia de futuro. Aliquis dicet, quod sic, & non solum erant sponsalia, sed etiam erãt nimis firma propter iuramentum, quo confirmabantur. Dicendum, quia cum sponsalia de futuro sint promissio futurarum nuptiarum, & hic erat promissio ista, poterant vocari sponsalia. Deficiunt tamen aliqualiter à perfecta ratione sponsalium, eo quod sunt conditionalia, & conditio tollit aliquid de promissione, scilicet, quod promittebat Booz accipere Ruth in vxorem, si alius cognatus suus non acciperet eam: de iure tamen sponsalia conditionalia vocantur sponsalia extra de sponsalitijs, capitulo primo. Diceretur ergo fuisse ista sponsalia, sed ista erant facilia ad infringendum cum conditionis impletio dependeret ex voluntate alterius extranei, qui poterat impedire actum. Et dicendum etiam, quod iuramento aliquo modo confirmauit ista sponsalia, & tamen non tantum confirmauit illa, quin posset dissolui cũ semper manerent conditionalia, & penderet cõditio ex voluntate alterius, & iuramentum non potest confirmare contractum, nisi sicut est, scilicet, si est contractus purus confirmat eum pure: si autem est conditionalis confirmat eum cũ conditione.

An Booz cognouerit nunc Ruth carnaliter quando venit, & intrauit lectum eius.

Qvæstio XXVIII.

Qværetvr vlterius, an Booz cognouerit nũc Ruth. Aliquis dicet, quòd sic, quia Ruth intendebat hoc, scilicet, vt cognosceretur carnaliter à Booz, & ad hoc multa præmiserat, ideo data opportunitate videtur, quòd cognouerit eam. Patet, quia fuerunt hic multæ opportunitates, scilicet, quòd Booz bibit ad abundantiam, ita vt fieret hilarior, & sic susciteretur in eo materia seminalis, & post hoc vidit mulierem pulchram, ideo cum ipse potens esset gignere, moueretur inflammatus ab ea. Item quod maius est ipsa Ruth nuda intrauit in lectum Booz, & tetigit carnem eius, inuenitque Booz apud se ipsam Ruth, & etiam Ruth petiuit coitum, dicens: expande pallium tuum super ancillam tuam: ideo datis tantis opportunitatibus verisimile est, quòd cognosceret Booz illam: nam secundum ius est ista præsumptio violenta ad probãdum coitum, scilicet, quia inuenitur solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto non stante aliquo impedimento. Respondendum, quòd Booz non cognouit Ruth carnaliter nunc. Et patet hoc ex litera, quia Ruth hoc intendebat, ideo cubuit ad pedes Booz in lecto suo nuda, & petiuit honestis verbis coitum, dicens: Expande pallium tuũ super ancillam tuam: & tamen Booz, dixit non abnuo me esse propinquum, sed est alius propinquior: ideo dixit, quòd expectaret quousque videret an alius vellet eam accipere, alioquin ipse illam acciperet. Si tamen voluisset cognoscere illam, cum ipsa peteret se cognosci hoc prętextu non posuisset hoc in deliberatione, sed cognouisset illam satisfaciendo suo igniculo, & postea de contractu matrimonij ageret quod vellet. Secundò patet, quia Booz dixit ipsi Ruth: quiesce vsque mane, scilicet, non procedas plus in isto negocio, quia dicitur, quòd dormiuit Ruth ad pedes Booz tota illa nocte: si tamẽ Booz cognouisset illam aliter factum esset, ideo quãquam Ruth talem se exhibuerit, vt eam cognosceret Booz tamen Booz non cognouit illam pro tunc, sed postea quando eam accepit in vxorem.

Quomodo Booz non cognouit Ruth carnaliter data tanta opportunitate, qua nulla maior dari poterat.

Qvæstio. XXIX.

Qværetvr vlterius, quomodo Booz non cognouit Ruth carnaliter data tanta opportunitate, qua nulla maior poterat dari. Respondendum est, sicut dictum est precedenti quæstione, quòd maxima opportunitas fuit ad hoc, ita vt de iure esset præsumptio violenta, quòd cognouisset Booz ipsam Ruth, & tamen præsumptio quantumcunque violenta sit non habet locũ, vbi de veritate constat, quia præsumptio non est probatio, nisi in defectum, & per modum adminiculi: de veritate tamen istius rei constat auctoritate sacræ scripturæ; cuius auctoritas solidissima est: cum ex dictis positis in litera, & habitis præcedenti quæstione appareat, quòd Booz non cognouit pro tunc Ruth: ideo dicendum, quòd non cognouerit eam. Cum autem obiicitur de opportunitatibus magnis quas nunc habuit Booz. Dicendũ est, quòd verum est, & quòd quilibet homo datis istis moueretur ad venerem, & tamen ipse non motus est: nam aliquæ istarum opportunitatum fuerunt, quæ forte nihil mouerũt Booz. Et patet, nam Ruth ornauerat se vestibus pulchris, & lauerat, atq; vnxerat, vt alliceret Booz in venerem, & amorem sui, & non apparuit coram eo quousque ille bibisset, & comedisset, vt hilarior factus ex vino facilius rueret in desiderium pulchritudinis, & in venerem, & factus est Booz hilarior ex vino, viditque postea Ruth: sed non apparet, an tũc motus fuerit in ardore eius, & forte non motus est. Sed ad huc non stante hoc, restant magna, scilicet, quod puella tenera, & pulchra introiuerit nuda in lectum viri potentis coire, & dispositi ad hoc, tetigeritque carnem eius, & verbis suis incitauerit eum petendo coitum. Quis enim tanta tolerare suffecerit? profecto admirandum est: etiam si ferreus, aut adamantinus esset, & ossa eius ænea, & caro lapides. Tulit tamen ista incitamenta ille venerabilis vir Booz, virtutis desiderio seipsum temperans: nam si liberum fuisset sibi accipere Ruth in vxorem accepisset eam tunc, & illico matrimonium consummasset, quia in promptu erat consummatio, & tamen pendebat ex voluntate alterius cognati sui, an vellet illam accipere in vxorem, quo inconsulto, & irrequisito, non poterat Booz licite illam accipere, & cognoscere: & tamen data tanta opportunitate mirãdum est, quod abstinuerit: quia oblatis talibus, & adhuc multo minoribus opportunitatibus viri satis religiosi nulla fœdera, nec licitum curant: sed proni in libidinem ruunt: potissime quia poterat factum istud occultari valde, etiã si non acciperet Booz ipsam Ruth in vxorem: nam cognatus suus acciperet, eam sequenti die, vel ipse Booz. sicut dixerat Booz ad Ruth: & sic etiam factũ est. Et hoc stante, etiam si Booz cognosceret nunc ipsam Ruth, non sequeretur inde aliquod periculum, nec infamia, quia omnia occulta erant: & cum ipsa esset vidua, dato quod cognosceretur nunc, & conciperet, non appareret, an ab alio quam à viro suo cognita esset: cum sequenti die deberet cõsummare matrimonium cum alio viro: vel cum ipso Booz. Sola ergo reuerentia honestatis, & iuris amor ipsum Booz tenuerunt, ne venereum expleret opus. Valde ergo laudabilis est vir ille, qui data tali opportunitate tantis veneris flammis resistere potuit, ideo nec à nobis sub silentio prætereundus est, sed aliquali laude canendus. Iure ergo de talibus parentibus Christus nasci voluit, qui tantæ virtutis extiterunt.

Quare Booz dixit ipſi Ruth, quod dormiret vſque mane, & quod dormiret ad eius pedes.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRE Booz dixit ipſi Ruth, quòd dormiret vſq; mane, & quod dormiret ad pedes eius. Reſpondendum ad primũ, quòd hoc dixit Booz propter duo. Primò, quia Ruth ſolicitabat ipſum Booz, vt acciperet eam in vxorem, & ſtatim conſummaret matrimonium, & ad hoc ipſa nuda intrauerat lectum eius: Booz autem nolebat conſummare matrimonium, nec illud contrahere, quia erat alius propinquus eo, quem expectabat, an vellet accipere ipſam Ruth in vxorem, & quaſi ſi ille vellet eam accipere, non recte acciperet ipſam Booz, noluit cognoſcere eam, nec tangere illa nocte. Et quia Ruth procedebat ad hoc, quòd conſummaretur actus carnalis, dixit ei Booz, quòd non procederet vlterius illa nocte, ſed dormiret: quia ille non conſentiret aliquid vlterius fieri, & dixit, dormi vſque mane, quaſi dicat, iſta nocte nõ poterit procurari aliquid de negotio iſto, quòd tu vis: nam non poterit per me procurari, eo quòd nõ te accipiã quouſq; cognatus meus cedat iuri propinquitatis. Nõ poterit etiam procurari cum illo, quia nunc nox eſt, ſed in mane procurabitur, ideo dormi vſque mane, ſcilicet nõ curans vſque tunc de iſto negotio. Secundò factum eſt, quia cum Ruth veniſſet ad Booz, vt incitaret eum ad contrahendum matrimonium, ſed ipſe non conſenſiſſet in hoc, illico reditura erat Ruth: non tamen rediuit, quia quando iſtud reſpondit ei Booz, erat media nocte, & tunc non erat honeſtum ipſi Ruth redire de agro in vrbem: nam forte non reperiret portas vrbis apertas, vt introiret ad domum ſocrus ſuę. Et dato, quòd apertæ eſſent, nõ eſſet honeſtum, quòd puella ſola media nocte diſcurreret per agros, & vrbem, nam poterat ei quiſquam vir occurrere, qui eam opprimeret, ideo dixit Booz, dormi vſque mane, quia tunc erat honeſtius, & ſecurius ambulare, & tamen miſit eam à ſe antequam homines ſe cognoſcerent, vt non poſſet quiſquam cognoſcere eam quamquam videret eam venientem de area, & non infamaretur, quòd iuiſſet ad fornicandum cum Booz in agrum. Quæretur de ſecundò, ſcilicet quare dixit Booz ipſi Ruth, ꝙ dormiret ad pedes, & dormiuit vſque mane. Dicendum, quòd Ruth neſciente Booz diſcooperuerat pedes eius, & intrauerat in lectum eius nuda: & iacebat ad pedes eius: cum autem euigilaſſet Booz, quæſiuit quid vellet Ruth, qua oſtẽdente, quòd vellet accipi ab eo in vxorem, & cognoſci ſtatim carnaliter, non aſſenſit Booz: ideo noluit, quòd ipſa introiret in lectum eius: nam ad hoc, quòd Ruth cognoſceretur à Booz: oportebat quòd reciperetur in lecto eius ad æqualitatem: & hoc eſt, quod petebat Ruth, dicens: expande pallium tuum ſuper ancillã tuam, quia propinquus es, ſcilicet, quia non ſum operta niſi quadam parte pallij tui, cum ſim ad pedes tuos, ideo expande pallium tuum ſuper me, vt tota pallio operiar faciendo me aſcendere, & intrare totum lectum. Et quia noluit Booz cognoſcere ipſam, non permiſit, quòd introiret lectum, & tamen quia iam ad pedes iacebat ex principio noctis, nõ vidente Booz, noluit eam moleſtare Booz faciẽdo, quòd recederet de pedibus eius: potiſſime quia Booz erat ſecurus, quòd non moueretur ad cognoſcendum eam carnaliter, ideo voluit eam benigne tractare faciendo, quòd non recederet de pedibus lecti.

Quæ menſura erat modius, & cuius quantitatis.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlterius, cum dicatur hic, quòd Booz dedit Ruth ſex modios hordei, quæ mẽſura erat modius, & cuius quantitatis. Reſpondendum, quòd modius nõ accipiebatur ſic apud Hebræos, ſicut nunc apud nos: quia modius apud nos non eſt aliqua menſura, ſed eſt aliquid collectum eſt multis menſuris, ſcilicet modius continet decem, & ſex menſuras magnas rerum aridarum: hic autem modius eſt nomen vnius menſuræ, & ſic fuit ſemper apud Hebræos. Quod patet Matt. 6. cum dicitur: nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum. Cum ergo lucerna ſub modio poni poſſet, neceſſe eſt, quòd modius ſit aliqua menſura lignea, quia ſi eſſet menſura ſicut accipitur apud nos collectus ex multis, non eſſet aliquid, ſub quo poſſet occultari lucerna. Ponuntur autem menſuræ Hebræorum tam rerum aridarum, quam liquidarum. Ezech. 45. & non ponitur modius inter illas, quia forte coincidit cum aliqua illarum: nam ſæpe aliquæ res habent multa nomina. Dicendum, quòd quidquid ſit, erat iſta menſura paruæ quantitatis. Quod patet, quia Ruth potuit portare ſex modios ſuper humeros ſuos, vel ſcapulas. Etiam quia in pallio ſuo potuerunt capi iſti modij ſex, & tamen ſi eſſent magnæ quantitatis non caperentur in pallio ſuo. Etiam quia Booz ſenex potuit imponere iſtos ſex modios ſuper ſcapulas Ruth. Erat ergo aliqua menſura valde parua, ita vt forte ſex modij ſolum facerent quantitatem vnius fauetæ noſtrę, vel non tãtum, quia iſtud erat ſatis graue pondus pro fœmina, vt portaret illud de agro in vrbem, ſicut portauit Ruth.

Quare dedit Booz ipſi Ruth ſex modios hordei, & non plures vel pauciores.

QVÆSTIO XXXII.

VLTERIVS quæritur, quare dedit Booz ipſi Ruth ſex modios magis quam plures, vel pauciores. Reſpondet Rabbi Salomon, quòd iſtud fuit factum ad ſignificandum ſex benedictiones venturas ſuper Meſſiam, qui naſciturus erat de Dauid, & de ſemine Ruth & Booz, & ponuntur iſtæ benedictiones Iſa. 11. Sed obiicietur, quia ibi ponuntur ſeptem benedictiones, ſiue Spiritus ſeptem, quos nos vocamus dona Spiritus Sancti, & hic ponuntur ſex modij. Reſpondet Nicolaus pro Rabbi Salomon, quòd in Hebræo nõ ponuntur niſi ſex: nam Spiritus pietatis, qui ponitur in tranſlatione noſtra non habetur in Hebræo. De hoc non eſt dicendum in præſenti, ſcilicet quomodo in litera noſtra ſit aliquid, quod non ſit in Hebræo, ſed loco ſuo dicetur. Et tamen dicendum, quòd hoc non obſtante iſtud non eſt ad propoſitum: nam iſte ſenſus eſt nimis alienus: ſcilicet, quòd darentur ſex modij propter ſex benedictiones Meſſiæ. Item non conſonat, quia Booz neſciebat, quòd Meſſias habiturus eſſet tot benedictiones, vel plures, vt ad hanc intentionem daret, quia iſtud fuit poſtea reuelatum à Deo per Iſaiam toti ſeculo: Iſa. 11. Item dato, quòd ſciret Meſſiam habiturum benedictiones ſex, neſciebat, an de progenie eius futurus eſſet, quia adhuc neſciebat, an de ſemine ſuo venturus eſſet, & de ſemine Ruth. Aliquis dicet, quòd forte Booz cognouit hoc prophetice: nam licet iſta non poſſent cognoſci via naturali. Dereuelauit aliquid ipſi Booz, quia erat vir bonus, & Sanctus, & ſic cognoſceret Meſſiam venturum de ſemine ſuo, & ſex benedictiones venturas ſuper eum, & ſic dedit ſex modios hordei ad expreſſionem illarum. Dicendum, quòd hoc non ſtat, quia Booz non cognouit, an futurus erat de ſemine ſuo & Ruth Meſſias: nam neſciebat an eã in vxorem habiturus eſſet. Quod patet, quia quando Ruth dixit ipſi Booz, quòd acciperet eam in vxorem, & extẽderet pallium ſuum ſuper illam, dixit Booz, quòd alius erat propinquior, & quouſque ſciretur, an ille vellet eam accipere, non acciperet illam Booz: ſi autem non acciperet illam cõfeſtim acciperet eam Booz, & manens ſub iſto dubio dedit ei ſex modios hordei, ergo non dedit ad ſignificandum ſex benedictiones, quæ venturæ erant ſuper Meſſiam futurum de ſemine Ruth, & ſuo. Item quia iſte ſenſus non conueniret literæ, quia nullus intelligeret hoc factum eſſe ad hanc intentionem, quia nimis diſtans eſt hoc à ſenſu literæ, cum litera puram hiſtoriam tangit hic. Dicendum ergo quòd cauſa, quare dedit Booz ſed modios hordei, & non plures, fuit, quia voluit dare Booz ipſi Ruth aliquid, vt non abiret vacua, & voluit ei dare quantum ipſa poſſet portare, & quia poterat portare Ruth ſex modios hordei, vel quaſi plures putauit Booz, quòd forte non poſſet portare plus, & ideo ſolum dedit ei ſex modios hordei.

CAP.

A

CAPVT IIII.

ASCENDIT ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper & sede hic: vocans eum nomine suo. Qui diuertit, & sedit. Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hic. Quibus sedentibus locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendit Noemi, quæ reuersa est de regione Moabitide: quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis: eme, & posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, vt sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es, & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris: Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.

B

Ascendit ergo. Descripta in præcedentibus legali conuentione, scilicet de matrimonio agendo, hic ponitur de matrimonij contractione. Et diuiditur in quatuor, quia primo ponitur propinqui citatio. Secundò vxoris acceptio ibi. *At ille maioribus.* Tertiò prolis susceptio ibi. *Ingressus est.* Quartò populi prospera annunciatio, vel lætificatio ibi. *Dixeruntque mulieres.*

An hic sit ordo continuus, & an hæc immediate facta fuerint.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic sint continuata ad præcedentia: & an fuerint facta immediate post illa, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quod hic est ordo continuus: nam præcedenti cap. dicebatur de his, quæ præcesserunt ad hoc, quod contraheretur matrimonium inter Booz & Ruth: hic autem agitur de ipso contractu, ideo necesse est, quòd fuerint ista post illa. Ad secundum dicendum, quod inter ista præcedentia fuit paucum tempus, scilicet vna nox, nam Ruth venit ad Booz per noctem, vt contraheret cum eo matrimonium, &

C cognosceretur ab eo illico: Booz autem respondit, quod cessaret Ruth illa nocte vsque mane: quasi dicat, quod mane poneret hoc in executione, & ita factum est, quia Ruth in aurora reuersa est ad socrum suam portans sex modios hordei, & tunc Booz iuit ad cognatum suum vocans eum in porta vrbis, & ibi cessit iuri propinquitatis, vt patet infra in litera, & sic eadem die, qua inceptū est opus istud, finitum est. Nam præcedenti nocte inceptum est, & die sequenti conclusum, accepitque Booz ipsam Ruth in vxorem. Circa primum ponitur proximitatem, scilicet ad videndum, an vellet accipere Ruth in vxorem. Et diuiditur in duo, quia primo ponitur ipsa citatio iuris, scilicet propinquitatis cessio ibi. *Qui respondit cedo iuri.* Circa primum dicitur. *Ascendit exgo Booz ad portam ciuitatis.* In Hebræo non habetur ciuitatis, sed solum ad portam, & tamen intelligebatur de porta ciuitatis, quòd illa est porta absolute, eo quod est porta ciuitatis, quod illa est porta absolute, eo quod est porta communis, aliæ autem sunt priuaturam personarū, & ibi factum est istud negociū: quare autem ascenderit Booz ad portam ciuitatis declarabitur infra in quadam quæstione. *Et sedit ibi.* Scilicet, expectando ibi aliquem, vel sedendo ad iudicandum, vt aliqui volūt. *Cumq; vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est.* Scilicet, vidit præterire illum cognatum suum, de quo factus ctus est sermo præced. cap. & ibi facta est mentio de isto propinquo. Nam dixit Booz ad Ruth, quòd alius erat propinquior eo, qui poterat accipere ipsam Ruth in vxorem, & q viperetur de illo, an vellet cā accipere. Et nunc accidit, quod ille transiret ante Booz sedentem ad portam vrbis. *Et dixit ad eum, declina paulisper, & sede hic.* Scilicet, declina à via tua cessando paulisper, & sede hic modicū, quia volo tecum loqui, scilicet de matrimonio Ruth. *Vocans eum nomine suo.* Scilicet, Booz vocauit illum tunc nomine suo, & tamen scriptura nō ponit hic nomen istius, nec præced. cap. cuius causa declarabitur infra in quadam quæstione. *Qui diuertit.* Scilicet, cessauit, & declinauit à via sua quam inceperat. *Et sedit.* Scilicet, ad portam vrbis, vbi erat Booz. *Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis.* Volebat loqui Booz ad cognatum suum, & ad hoc voluit habere testes, vt firmum esset quod fiebat: ideo vocauit istos decem viros in testes, vnde postea dixit testes, vos estis hodie. Et vocauit de maioribus natu, id est senioribus totius vrbis, quia illi sunt maioris auctoritatis, & præsentia illorum magis auctorizaret factum. *Dixit ad eos: sedete hic.* Fecit q̄ sederent, vt cum maiori grauitate opus tractaretur. Nam sic etiā fit de iudicibus, q̄ iudices sedendo debent pronunciare sententias, vt teneat, quod efficiunt: & hoc est ad grauitatem, & maturitatem iudicij designandū. *Quibus sedentibus locutus est ad propinquum.* Incepit proponere negotium suum de matrimonio Ruth. *Partem agri fratris nostri Elimelech vendidit Noemi.* Principium loquendi Booz ad cognatum suū super matrimonio Ruth fuit in venditione possessionis, dicens, quod Noemi socrus Ruth vendiderat quandam partē possessionis, quæ fuerat Elimelech: ideo dicebat ei, an vellet ipse illam partem agri tenere, quia ei competebat iure cognationis, & vocauit Elimelech fratrem suū de cognatione sua: nam non erat frater istorum duorum, sicut declarabitur in quadam quæstione: erat autem Noemi vxor Elimelech iam defuncti, & illa tenebat possessionem viri, cum non haberet filios, & de illa dicit Booz, quòd vendiderat Noemi partem possessionis illius. *Quæ reuersa est de regione Moabitide,* Scilicet, Noemi reuersa est de terra Moab, in qua cū viro suo, & duobus filiis peregrinata fuerat annis decem, vt patet supra primo capitulo. *Quod audire volui te.* Id est, ego volui, quòd tu audires, scilicet, quia competebat iure tibi istam possessionem emere, cum sis propinquus: ideo fuit bonum, quod tu audires, quòd vendita erat. *Et tibi dicere.* Id est, tibi notificare, vt non solum ex cuiuscunque incerto dicto, sed ex mea denunciatione certius moncreris. *Coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo.* Id est, volui hoc tibi denunciare coram omnibus istis senioribus, & sedentibus in porta vrbis, vt non possis negare tibi denunciatum esse. Et in hoc innuebat Booz, quòd si ille cognatus suus, non acceptaret possessionem illam, quòd ipse acceptaret eam: ideo denunciabat sibi coram testibus, vt non posset negare postea sibi denunciatum esse, quòd venderetur ista possessio. *Si vis possidere iure propinquitatis, eme & posside.* Quasi dicet, propinquiori conuenit ius emendi possessionem alicuius cum venditur, & quia tu es propinquior Elimelech cæteris cognatis, competit tibi propinquitatis iure emere, si vis. *Si autem displicet tibi.* Id est, si non vis emere propinquitatis iure. *Hoc ipsum indica mihi. quid facere debeam.* Quasi dicat, si tu non vis emere iure propinquitatis, cum ego sim propinquior cæteris, competit mihi eodem iure, & tunc ego volo deliberare, an emere debeam. *Nullus est enim propinquus excepto te.* Declarat causam dicti sui, scilicet si non vellet cognatus suus ille emere iure propinquitatis declarare debebat, vt sciret Booz quid faceret, scilicet, an emeret: nam iure propinquitatis nullus erat, qui posset emere, nisi isti duo, scilicet Booz, & cognatus eius. Et hoc dicit hic Booz. *Qui prior es, & me qui secundus sum.* Scilicet, ille cognatus Booz est in propinquiori gradu cognationis, & post eum erat Booz. *At ille respondit, ego agrum emam.* Scilicet, acceptauit libenter iure propinquitatis habere quantum ad emptionem agri. *Cui dixit Booz quando emeris agrum de manu mulieris.* Scilicet, quando emeris agrum de manu Noemi. Nam Noemi vendebat agrum, & ista est intentio Booz declarata: nam ipse non intendebat, quòd emeret cognatus suus agrum, sed quòd acciperet Ruth in vxorem, & vt moueret eum ad accipiendum Ruth, quòd forte non erat concupiscibilis, proposuit de emptione agri, qui erat concupiscibilis: & cum dixit ille, quod volebat emere agrum, dixit Booz, quòd etiam acciperet simul in

D

Cur in diecesim fere duo sententijs sedeant.

E

F

vxorem

A vxorem ipſam Ruth, quod ille non acceptauit. *Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor fuit defuncti debes accipere.* Scilicet, debes accipere in vxorem, quia non habet virum: & illa fuit vxor Mahalon defuncti, cuius fuit iſta poſſeſſio. *Vt ſuſcites nomen propinqui in hæreditate ſua.* Scil. accipiendo eam in vxorem ſuſcitabis nomen defuncti, ſcilicet. Mahalon in hæreditate ſua, ſcilicet, nunc eſt nomen illius perditum, quia nullum reliquit filium, & tamen ſi tu acciperes vxorem eius, ſuſcitabis nomen eius, ſcil. gignes filium ei, qui vocetur nomine illius, & hoc in hæreditate ſua, ſcilicet, ille de te genitus ſuccedet in hæreditate Mahalon tanquam ſi eſſet filius eius verus, & non legalis ſolùm: de iſta ſuſcitatione ſeminis multa dubia ponentur in quibuſdam quæſtionibus.

Quare Booz aſcendit nunc ad portam ciuitatis.

Qvæstio II.

Qværetvr circa prædicta, quare Booz aſcẽdit nunc ad portam ciuitatis. Aliqui dicunt, quòd à caſu factum eſt, quòd Booz aſcenderet ad portam ciuitatis ad faciendum aliquid aliud, & vidit ibi exiſtens tranſeuntem cognatum ſuum, & dixit ei, quòd declinaret ad tractandum de matrimonio Ruth. Dicendum tamen videtur, & melius, quòd B iſtud non fuerit factum à caſu, quia Booz dixerat nocte precedente, quòd quieſceret ipſa nocte Ruth, ſcil. ipſa nocte ſolùm ceſſaret, quia ſequenti die ipſe tractaret negotiũ, ideo veriſimile eſt, quòd curam haberet de tractando illud, & ſic aſcenderet nunc ad iſtud. Item patet, quia quando venit Ruth ad Noemi ſocrum ſuam dixit: expecta filia quouſque videamus quem res exitũ habeat: nec enim ceſſauerit homo, niſi compleuerit, quod locutus eſt: ergo die iſta ſolicitabatur Booz circa contractum matrimonij Ruth. Vnde non aſcendit à caſu ad portam vrbis, ſed dicendũ, quòd illuc aſcendit ad tractandum iſtud negotium. Cauſa autem quare illuc aſcendit poteſt eſſe multiplex. Prima eſt, quia debebat Booz cognatum ſuum vocare ad tractandum iſtud negotium, & fortè ipſe ſciebat, quòd apud portam vrbis tranſiturus erat, ideo illuc aſcendit. Et iſtud veriſimile eſt, quia tunc erat tempus meſſis, & omnes Iſraelitæ pauperes, vel diuites egrediebantur ad opera ſua ad agros: & ſic iſte cognatus Booz egreſſus erat ad agrum, vel aream, quod ſciens Booz expectauit eum ad portam, quia ibi certius erat eum inuenire quàm in tota vrbe. Secundum erat, quia volebat Booz facere hoc coram teſtibus multis, vt eſſet opus firmum, & magnæ auctoritatis. Et patet: nam decem de ſenioribus fecit ſedere, & multi etiam alij ſederunt cum eis, dum fieret hoc, & tamen in nullo loco vrbis plures conueniebant, quàm ad portam vrbis, ideo illuc aſcendit. Tertium eſt, volebat Booz, quòd iſtud opus fuerit iudicialiter, vt nõ poſſet obijci contra illud. Iudicium autem fiebat in portis ciuitatũ apud antiquos, ibi autem ſedebant iudices ad iudicandũ, & conueniebat totus populus promptius quàm ad alia loca. Et erat cauſa huius, quia iudicium eſt actus publicus, & debet fieri in loco valde publico, non videbatur autem aliquis locus magis publicus, quàm porta vrbis: ideo ibi fiebat iudicium. Etiam fiebat hoc propter tranſeuntes, ſcil. vt tranſeuntes per loca, & venientes vndecunq; ad illa haberent iudices promptos ad ſibi ius reddendum, ſcil. in portis vrbium, & ſic nomine portarum antiquitus in veteri teſtamento intelligebantur iudices. Sic patet Deut. 17. ſcil. Si difficilè, & ambiguum iudicium eſſe proſpexeris apud portas tuas, id eſt ſi in iudicibus, qui ſunt inter portas vrbium fuerit repertũ iudicium varium, & difficilè. Sic etiam in multis alijs locis librorũ veteris teſtamenti fit mentio de congregationibus, quæ erant in portis vrbiũ. Etiam ad iſta loca ſolebant homines magis confluere ad iucunditatem. Vnde 3. Reg. 21. & 2. Paral. 18. dicitur de rege Ioſaphat, & Achab rege Iſrael, quòd erant ambo in porta Samariæ in ſolijs ſuis ambo veſtiti cultu regio. Illuc ideo ipſi, & populus eorum confluebat ad ſolatium. A principio autem fuit alia conſuetudo, quòd iudices ſuper currus equitarent, & per totam vrbem diſcurrerent, & quilibet exibat de domo ſua, & petebat ſibi de iure prouideri in eo quo putabat ſe læſum, & ſic labor totus erat iudicũ, & nullus erat litigatorum, vel populi, vt tangitur in quadam gloſſa ſuper oraculum: ſed iſte modus viſus eſt non conuenire, abolitus eſt, & fuit poſtea conſiſtorium iudicum in portis vrbium, vt auferretur labor venientium ad iudices, ſcil. quòd quilibet haberet ibi iudicem in promptu, deinde mutatum eſt etiam illud, & facta ſunt conſiſtoria iudicum in alijs locis vrbium. Ex his autem Booz aſcendit ad portam vrbis, quia alibi non poterat conuenienter facere iſtud opus. D

Quare Booz ſedit in porta vrbis.

Qvæstio III.

Vlterivs quæretur, quare Booz ſedit in porta vrbis. Reſpondet quidam, quòd ſederit vt iſtud opus tractaretur cum maiori maturitate, & non quaſi cum celeritate, ſicut fit in iudicum ſententijs, quæ dantur ſedendo, ſi cum ſolennitate iuris proferantur. Iſtud ſatis conuenit. Et tamen dicendum, quòd non fuit iſta prima cauſa motiua ad ſedendum. Nam antequã tractaretur iſtud opus, ſedebat Booz in porta. Quod patet, quia dicitur in litera, ꝙ aſcendit Booz ad portam ciuitatis. & ſedit ibi: & poſtea dicitur, quòd cùm vidiſſet præterire cognatũ ſuum, de quo ſermo habitus fuerat, dixit ad eum: declina pauliſper, & ſede hic. Alij autẽ dicunt, quòd Booz ſedit in porta tanquam principalis iudex: nam volunt quòd Booz fuerit ille iudex, qui vocatur Abeſan, de E quo Iud. 12. quia ille de Bethlehem fuit de tribu Iuda, ſicut Booz, de quo declaratũ eſt ſupra 1. cap. in quadam quæſt. Et tamen iſtud non eſt tenendũ, quia vt tactum eſt ibidem, & ſup. 2. & magis declarabitur infra in quadã quæſt. non fuit Booz Abeſan: & cõſequenter nec aliquis de iudicibus Iſrael, eo quòd nõ erat aliquis alius iudex, qui eſſet de Iuda, & vrbe Bethlehem inter omnes iudices, ſicut fuit Abeſan. Dici tamen poteſt, quòd fuit Booz iudex in Bethlehem: nam præter illum, qui erat iudex præcipuus in toto Iſrael, erant alij iudices maiores in ſingulis locis de progenie virorũ illius loci, & cum quolibet eorum erat vnus, vel duo Leuitæ, vt ait Ioſeph. 4. Antiq. & declaratũ eſt Iud. vltimo, & 1. Paral. 28. & de iſtis poterat eſſe vnus Booz in vrbe Bethlehẽ, cùm eſſet oriundus de vrbe illa, & erat vir magnarũ opum, & potens, vt patet ſupra 2. c. & ſic veniret Booz ad ſedendum in porta, vt iudicaret, & cùm ſederet ibi, vidit cognatũ ſuũ tranſeuntem. Aliter poteſt dici, quòd nõ erat Booz aliquis de iudicibus Bethlehẽ, nec erat iudex Iſrael, ſed venit ad portam, eo ꝙ expediturus erat negotiũ cum cognato ſuo, & tamẽ quandiu non veniebat cognatus ſuus, ſedebat ad portam ipſe Booz.

Quare nomen iſtius cognati Booz non exprimitur hic, cùm de eo fiat ſermo.

Qvæstio IV. F

Vlterivs quæretur, quare nomen iſtius cognati Booz, non exprimitur hic, cùm de eo fiat ſermo. Aliquis dicet, quòd fortè hoc factũ eſt à caſu, ſcil. quia ſcriptura non multũ curauit de nomine huius, cùm poſſet intelligi id qud ſignificabatur, etiam nõ expreſſo illius nomine, ſicut ſi exprimeretur, & ita in quibuſdã alijs fit. Dicendum, quòd hoc non ſtat, quia ſi ſemel, vel bis tantũ mentio fieret de iſto cognato Booz, non erat mirum, ꝙ non poneretur nomen eius, & tamen ſæpe fit mentio de iſto præced. ca. & hic, ergo non omittitur à caſu nomen iſtius, ſed ex aliqua cauſa. Item patet hoc, quia ponuntur hic aliquę circunlocutiones ad exprimendũ, quòd ſignificatur per nomen iſtius, & tamen non ponitur nomẽ eius, ſicut cum dicetur: cumq; vidiſſet propinquũ præterire, de quo prius ſermo habitus eſt, & nõ ponitur nomen eius: & tamen facilius erat ponere nomẽ illius, quàm totam iſtam ſuppletionem, ergo omittitur nomen ex aliqua cauſa. Dicendum, quòd ſcriptura noluit exprimere nomen illius, quia fuit indignus: nam lex incitabat homines ad ſuſcitandum ſemen propinquorum ſuorum defunctorũ: iſte autem noluit ſuſcitare ſemen defuncti: ideo debuit carere nomine in ſcriptura, quod patet, quia enim aliæ ignominiæ infligebantur talibus, vt patet Deut. 25. ei qui requiſitus nolebat ſuſcitare ſemẽ fratris ſui defuncti tollebatur calceamentum, expuebatque in faciem eius mulier defuncti, & vocabatur

Anti-quitus quare iudiciũ fiebat in portis ciui tatum. C

Reſpon. ad quæſitum.

A vocabatur domus illius domus diſcalciati in Iſrael: & ſic iam perdebat domus eius nomen ſuum, & vocabatur domus diſcalciati: ita nunc noluit iſte ſuſcitare ſemen cognati ſui defuncti, & ſolutus eſt calceus de pedibus eius, vt patet in litera, ideo ad ignominiam non debebat nomen ſuum iam exprimi in ſcriptura, quia erat vir ignominioſus. Et rectè talis pœna cõuenit iſtis: nam quilibet puniri debet in illis, in quibus peccauit: ſed iſte peccabat nolendo ſuſcitare nomen defuncti, quod peribat, ergo debebat nomen iſtius perire. Peribat enim nomen defuncti, ſcilicet Mahalon, quia non reliquerat filios, ſi aliquis non ſuſcitaret nomen ei gignendo ſibi filium: & tamen iſte noluit ſuſcitare nomen defuncto, ideo lex debuit iuſtè punire iſtum delendo nomen eius, ſcilicet, quòd non exprimatur in ſcriptura, nec in aliquo loco pertinente ad honorem. Sic etiam punitur volens acquirere nomen per inhoneſta ingenia, quòd nomine priuetur: ſic ait Franciſcus Petrarcha vltimo libro Inuectiuarum contra medicum ruſticum, & procacem papè, ſcilicet, quòd quidam iuuenis Epheſinus cùm deſideraret magnum nomen, nec poſſet illud honeſtis artibus quærere, cogitauit templum Dianæ Epheſinæ exurere, vt tanta magnitudine mali nomen ſuum celebre efficeretur, ſcilicet, quòd rem optimam, & toto orbe florentiſſimam deleuiſſet licèt ex hoc vltima afficerentur ſententia, quo comperto vnde iuuenis iſte motus fuerit, ſcilicet deſiderio propagandæ famæ, cautum eſt, ne quis hiſtoriographorum libro ſuo illum nominare auderet, & ſic nomine caruit, cùm illud illicitè procuraſſet.

Franciſcus Petrarcha lib. 4. Inuectiuarum c. 21.

B

Quomodo dixit hic Booz ad eius cognatum, partem agri Elimelech fratris noſtri vendidit Noemi, & an eſſet verum.

QVÆSTIO V.

VLTERIVS quæretur, quomodo dixit hic Booz ad cognatum ſuum, partem agri Elimelech fratris noſtri vendidit Noemi, & an iſtud verum eſſet. Aliqui dicunt, quòd Noemi non vendiderat, nec vendebat aliquam partem agri Elimelech, ſed dicebat iſtud Booz, vt haberet introductionem ad id, quod volebat Booz, ſcilicet, vt cognatus ſuus acciperet in vxorem ipſam Ruth. Sed tunc obijcietur, ſi non erat verum, quòd Noemi vendebat, vel vendiderat partem aliquam poſſeſſionis Elimelech, quomodo poſtea poſſet verificare dictum ſuum Booz, ſi fortè cognatus ſuus diceret, quòd volebat accipere Ruth in vxorem: nam ſi nollet eam accipere in vxorem, & vellet emere agrum, diceret ei Booz, quòd nõ poterat habere agrum, eo quòd non accipiebat Ruth in vxorem, ſicut nunc dictum eſt: ſi tamen

C diceret, quòd volebat poſſeſſionem, & vxorem ſimul accipere, non eſſet aliqua poſſeſſio venalis, & non poſſet verificare dictum ſuum Booz, ideo videtur dicendum, quòd aliqua poſſeſſio venderetur. Dicendum, quòd poteſt ſtare dupliciter: vno modo, quòd Noemi nullam poſſeſſionem venderet, nec vendidiſſet: alio modo, quòd aliqua eſſet vendita, vel nunc venderetur. Accipiendo primo modo videtur eſſe contra literam, & tamen dicetur, quòd non eſt, quòd licèt Booz diceret hoc nulla poſſeſſio vendebatur, vel vendita erat ad monendum cognatum ſuum, vt acciperet Ruth in vxorem. Et cùm dicitur, quomodo poſſet euadere mendacium: dicendum, quòd ſi ille cognatus Booz vellet accipere Ruth in vxorem, darentur ei omnes poſſeſſiones, quas habebat Noemi, quæ fuerant Elimelech, & ſic non erat irritum verbum Booz. Alio modo poteſt dici, quòd eſſet verè vendita aliqua poſſeſſio Elimelech, & competeret iſtis duobus iure proprinquatis redimere illam. Sed difficultas eſt, quia quędam litera habet vendit in præſenti, & alij libri vendidit in præterito; in Hebræo autem eſt in præterito, & tamen quantum ad rem non eſt difficultas: nam tantum erat, quòd Noemi nunc venderet poſſeſſionem illam, vel quòd vendidiſſet iam, quia ſi poteſtatem habebat ad nunc vendendum poterat etiam vendidiſſe.

An Noemi habebat poteſtatem vendendi hæreditatem de qua hic dicitur.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlterius, an Noemi habebat poteſtatem vendidi hæreditatem, vel partem eius, de qua hic dicitur. Aliquis dicet, quòd non, quia non poteſt vendere, niſi qui eſt dominus, vel gerit vices domini, ſicut procurator eius, & tamen Noemi non erat domina, nec habebat vicem domini: nam poſſeſſiones iſtæ non erant ſuæ, ſed Elimelech, ſicut dicitur in litera. Etiam quia mulieres non habebant poſſeſſionem in veteri teſtamento, ſed viri, eo quòd ipſi ſuccedebant regulariter, vt patet Num. 27. cap. Etiam non erat tauquam procurator Elimelech, cùm non appareat ad hoc aliqua cauſa, ideo nõ poterat vendere: ideo dicunt iſti, quòd Noemi non vendebat, nec vendiderat quidquam, ſed dicebat Booz iſtud ad mouendũ cognatũ ſuũ, vt acciperet Ruth in vxorem. Dicendũ tamen, quòd hoc non ſtat: nam ſi Noemi non potuiſſet de iure vendere poſſeſſiones Elimelech, & filiorum ſuorum defunctorum, non diceret Booz cognato ſuo coram toto populo, & ſenioribus ciuitatis, quia tunc dictum ſuum appareret ridiculum, cùm de iure non poſſet ſtare, & tamen nõ fuit ridiculum, quia cùm dixit hoc Booz, credidit illud cognatus eius, & dixit, quòd volebat emere agrum illum, ideo Noemi habebat ius vendendi, & ſic concedendum, quòd de iure poterat vendere Noemi. Sciendum autem pro hoc, quòd poſſeſſiones iſtæ erant Elimelech defuncti, & filiorum ſuorum defunctorum, & non ſuccedebat in eis Noemi, nec Ruth cùm non eſſent de cognatione Elimelech, nec fiebat retroceſſio, ſicut apud nos moriente filio, ſi ille non habeat filios ſuccedit pater, & mater: nam in veteri teſtamento alius modus ſuccedendi multum diſtinctus ab iſto erat, de quo Num. 27. cap. Secundum quem nõ ſuccedebat mater filio aliquando, ideo Noemi non poterat ſuccedere viro ſuo Elimelech. Primò, quia vxor non ſuccedebat viro in veteri teſtamento Num. 27. Secundò, quia nõ habebat aliquid Elimelech, in quo poſſet ſuccedere ei Noemi vxor ſua: nam quando mortuus eſt Elimelech viuebant filij eius duo Mahalon, & Chelion. ſupra 1. c. & illi ſuccedebant ei ſecundum legem, ideo nõ ſuccedebat ei Noemi vxor ſua: non poterant etiam ſuccedere nunc Noemi filijs ſuis Mahalon, & Chelion: Nam non ſuccedebant parentes filijs in veteri teſtamento: ſed alius modus erat, vt patet Num. 27. ca. Etiam Ruth nõ poterat hic ſuccedere viro ſuo Mahalon, quia non ſuccedebat vxor viro, ideo nec erat poſſeſſio iſta Noemi nec Ruth. Dicendum tamen eſt, quòd manebat iſta poſſeſſio in poteſtate Noemi, & Ruth, licèt non eſſet ſua, vt poſtea peruenire ad illum, ad quem de iure peruenire debebat, ſcil. quia ſuſcitaret ſemen defuncti in familia ſua, & ideo concedebat lex poteſtatẽ iſtis viduis tenentibus poſſeſſiones iſtas dum volebant ſuſcitare ſemen, quòd poſſent alienare poſſeſſiones iſtas, vel partẽ earum ad ſupplendas neceſſitates ſuas: & ſic Noemi poterat nunc vendere aliquã poſſeſſionẽ iſtarum, quæ fuerant Elimelech, & filiorũ eius, dum Ruth prompta erat ad ſuſcitandũ ſemen viri ſui, & nullus defuncti cognatus accipiebat eam. Vnde credidit cognatus Booz, q̃ de iure poſſet vendere, quia aliàs nõ offerret empturũ: nec Booz dixiſſet ei, quòd vendebatur, hoc tamen non poterat fieri, niſi lex iſtud fieri cõceſſiſſet, ergo lex cõceſſerat iſtud: licet nõ tam expreſſe appareat, tamẽ ſecundũ interpretationẽ Iudæorum, ſic intelligendũ eſt, quia ſic vtebantur ipſa lege. Cùm autem obijcitur, quòd nec Noemi, nec Ruth erat domina iſtarum poſſeſſionũ, nec etiam procuratrix. Dicendũ, quòd neutra iſtarũ erat domina poſſeſſionum, & tamen lex conſtituebat vtramq; tanquã gerentẽ vicem domini ad hoc, quòd vendere poſſet poſſeſſionẽ aliquam, & percipere precium eius. Et cauſa huius erat, quia adhuc expectabat ſuſcitationem ſeminis cuius, erat hæreditas, & erat prompta ad illud: ſi autem non eſſet ſuſcitatura ſemen defuncti, vtpotè quia nullus erat, qui vellet ſuſcitare, vel quia nullus poterat, non manerent poſſeſſiones in poteſtate earum, ſed tranſirent ad illos, ad quos ſecundum legem iure hæreditario deuoluendæ erant: de quo infra dicetur in quadam quæſtione.

D

E

F

Si possessio Elimelech iam erat vendita à Noemi, quid proficiebat, quòd denunciaret hoc Booz cognato suo: & an poterat rescindi venditio legitimè facta.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlterius, si possessio Elimelech iam erat vendita à Noemi, quid proficiebat, quòd denunciaret hoc Booz cognato suo: nam si denunciaret illud antequam fieret venditio, proficeret ad hoc, quòd iure propinquitatis emeret illas possessiones: cùm tamen vendito facta erat, si de iure facta erat, venditio rescindi non poterat. Aliquis dicet, quòd Noemi nõ vendiderat possessionẽ aliquam, sed vendere volebat, & sic proficiebat denũciatio ista: & hoc colligitur aliqualiter ex litera secundùm quosdam, quia dixit Booz ad cognatũ suum, si vis possidere iure propinquitatis eme, & posside: ergo nondũ erat empta. Item quia dixit cognatus Booz, ego agrũ eman: ergo vendendus erat si nondũ venditus. Item patet, quia dixit Booz ad cognatũ suũ, quando emeris agrum de manu mulieris Ruth quoq; Moabitidẽ debes in vxorem accipere: ergo non erat emptus ager, sed emendus: tunc etiã isti putant se saluare per hoc id, de quo quærebatur præceden. quæst. scil. an Noemi posset vendere possessionẽ, & dicunt quòd non, & sic nõ vendiderat: nunc tamẽ dicebat se velle vendere, & in hoc nihil faciebat adhuc contra ius quia de facto nihil vendebat. Dicendũ autem, ꝙ istud non satis stat: & ad confirmationẽ istam dubij præcedentis dicetur, quòd Noemi poterat vendere, & non differt quantũ ad hoc, quòd Noemi vendidisset, aut nũc venderet, vel diceret se vendituram, quòd nõ magis colligitur eam habere potestatẽ vendendi ex vno quàm ex alio: nam si volumus dicere, ꝙ non habebat potestatem vendendi, dicemus, quòd dato, quod vendidit, non licuit sibi vendere, sed fuit ista venditio solùm de facto, & de iure non tenuit. Et dato ꝙ dicatur, quòd Noemi nondum vendiderat, sed proponebat vendere, probabitur ipsum ius habere ad vendendũ: nam si ipsa non haberet ius aliquod ad vendendum, qui emeret ab ea, nihil faceret, quia cogeretur rem restituere, & perdere pretium, & fortè incurrere in alias pœnas, eo quod mala fide emebat: & tamen Booz denunciauit cognato suo corã toto populo, si volebat emere, & ille dixt ego eman agrum: ergo intendebat, quòd de iure poterat Noemi vendere. Item patet, quia Booz dixit: si vis possidere iure propinquitatis, eme, & posside, sin autem indica mihi, vt sciam quid facere debeam: quasi dicat, si tu non vis emere dic mihi, vt deliberem ego an eman: & sic Booz innuebat se velle emere, & tamen nollet ipse emere nec indicaret hoc se velle, si de iure non poterat aliquid vendere Noemi: ergo poterat illa vendere. Cùm autem dicunt, quòd nondum vendiderat, sed vendere intendebat, quod conantur probare ex litera: dicendũ ꝙ non stat, quia litera dicit vendidit in præterito. Nicolaus autẽ tenere conatur, quòd nondũ vendiderat, & dicit quòd in Hebræo confunduntur tempora, eo quòd nõ sunt tempora verborũ ita distincta, sicut apud Latinos, sed participium præsentis ponitur loco præsentis temporis, & cum illo potest suppleri interdũ etiam ipsum præteritũ. Dicendum, quòd si vellemus asserere, quòd Noemi nihil adhuc vendiderat, sed venditura erat poterat stare, & diceremus, quòd Booz mutauit tempus loquens de præterito, cùm non esset res facta, & sic aliquo modo mentiebatur: & tamen nõ est inconueniens, quòd mentiretur, quia non oportet nos excusare Booz ab omni mendacio, & peccato, cùm non ponatur in catalogo Sanctorum, & tamen quando res potest stare stultũ est, quòd faciamus eam perire: & quia potest litera stare, quòd Booz de præterito dixerit, Noemi vendidit, ideo nõ debemus dicere mentitus est. Cùm autẽ obijcitur, quò si res esset iam vendita, non proficeret denunciatio ista facta à Booz, & sic ipse non faceret illam: dcendũ quòd dato, ꝙ res vendita esset, proficiebat denunciatio hæc: quia poterat cognatus Booz illam redimere: nam istud erat priuilegiũ cognatorũ, quòd si quis venderet possessionẽ suam extraneis, poterat propinquus redimere illam: de quo magis dicetur sequenti quæst. extranei autẽ nõ poterant emere em postquã vendita erat, sed poterant cognati: vnde rectè dixit Booz ad cognatũ suum, si vis iure propinquitatis possidere, eme & posside: q. d. non potes iam alio iure emere, nisi iure propinquitatis, eo quòd res vendita est. Ad aliud cùm dicitur, quòd si de iure facta erat venditio, non poterat rescindi: dicendũ ꝙ licèt facta esset vẽditio de iure, poterat rescindi, quia multa sic fiunt de iure, & postea rescinduntur: sicut cõdens testamentũ, & nescies se habere posthumũ instituit filios suos viuentes hæredes prętereundo posthumũ, & testamentũ istud tenet à principio tenet semper quousq; nascat posthumus, si autẽ posthumus mortuus exiret de vtero, vel natus illico moreretur, ita vt non baptizaretur ad hoc, ꝙ posset succedere, maneret testameutũ firmum in quo præteritus est posthumus: & sic testamentũ à principio tenuerat antequã nasceretur posthumus, quia aliàs non posset postea tenere, & sic erat testamentũ legitimè factum: si tamen posthumus natus baptizaretur, & superuiuit, rumpit testamentum, & succedit ex æquo cum fratribus exstantibus, velut si succederent ab intestato: ecce ergo qualiter legitimè factum ex aliquo superuenienti rescinditur: ita nunc venditio recte facta extraneo poterat rescindi, volente postea cognato vendentis emere, cùm hoc à lege concessum sit. Sed adhuc dicetur, quòd istud non satisfacit, eo quod dixit Booz ad cognatum, eme, & posside: si tamen ager venditus esset, non diceretur, eme, & posside, sed redime. Etiam quia dixit ipse cognatus Booz, ego agrum eman, & debuisset dicere redimã, si venditus iam esset. Dicendum, quòd istud argumentũ nõ multum militat, quia accipitur interdum emere pro redimere. Item quia propriè stare potest: eme & posside: vel, ego emam. Nam licèt alius emisset agrum, & vellet cognatus redimere, ista redemptio erat verè emptio, quia dabatur pretium sicut in prima emptione, nec differt redemptio ab emptione, nisi quod vna est prima emptio, & alia est secunda: ideo rectè stat, quòd Noemi iam vendidisset possessionem aliquam extraneis, & Booz diceret cognato suo, an vellet illam redimere de manu extraneorum, vel non.

Quomodo postea istæ possessiones possent esse pro semine defuncti.

QVÆSTIO VIII.

VLTERIVS quæretur, si nunc Noemi, vel Ruth venderet possessiones Elimelech, vel aliquam de eis, quomodo postea possent istæ possessiones esse pro semine suscitando defuncti: nam nomen defuncti in hæreditate sua suscitandum erat, sicut dixit Booz ad cognatum suum: Ruth Moabitidem vxorẽ Mahalon accipere debes, vt suscites nomen defuncti in hæreditate sua. Dicendum, quòd quanquã possessiones venderentur poterat esse duplex remedium ad illas rehabendas pro semine defuncti suscitando. Primum est, quòd quilibet de cognatis Elimelech poterat redimere possessiones istas de manu emptoris, & cogebatur emptor reddere, quod emerat cuicunque cognato defuncti volenti redimere possessionem, quia lex obligabat eum ad hoc, sicut patet Leuit. 25. Scil. si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculã suam, & voluerit propinquus eius potest redimere, quod ille vendiderit: & sic erat in præsenti, quòd cognatus Booz, & ipse Booz erant cognati Elimelech, cuius possessiones venditæ erant, poterat ergo quilibet illorũ redimere possessiones illas: erat tamen ordo in redimendo, sicut dicetur sequenti quæstione: & nunc ille, qui redimeret possessionem acciperet simul Ruth vxorẽ defuncti in vxorem ad suscitandũ ex ea semen defuncto, & tunc possessiones istæ redemptæ cederent in ius nascituri de isto, qui volebat suscitare semen defuncti, & censebatur iste natus filius defuncti, quia genitus fuerat ad suscitandũ semen eius, & sic succederet in hæreditate defuncti, qui reputabatur pater suus, & fieret sic ac si ille defunctus nunquã fuisset defunctus, & sic iste paruulus esset verè filius eius, & sic Booz accepit nũc in vxorem ipsam Ruth, & cum ea omnes possessiones, quæ fuerant viri eius tam venditas, quàm non venditas ad suscitandum semen ipsi Mahalon mortuo in hæreditate sua. Secundum remediũ erat, quòd ipsa Noemi, quæ vendiderat possessionẽ redimeret eam, & rediret tunc ad semen suscitatũ filij sui defuncti. Patet hoc, quia Leuit. 25. ponitur lex, quòd siquis vendiderat possessionem suam præ paupertate, & voluerit proximus suus quisquam illam redimere de manu emptoris

A poterat redimere : si autem non habuerit proximum, vel nullus proximorũ noluerit eam redimere, ipsemet qui vendidit, poterit redimere cõputando annos vsq; ad Iobelęum, & secundum proportionem illorum annorum erat pretium dandum, scil. quòd siquis ante annũ Iobelæi per decem annos venderet agrum pro mille, distribuendo pretiũ per annos secundùm proportionẽ proueniebat cuilibet centum: si ergo vellet ille, qui vendiderat, redimere sex annis ante Iobelæum, debebant subtrahi pro quatuor annis, quibus res manebat apud emptorem quadringenta, & soluebantur sexcenta de quo magis declarabitur sequenti quæst. & sic Noemi posset redimere quamcunq; possessionem vendidisset, si postea posset habere pretium, & rediret illa possessio ad ius defuncti, & succederet in ea filius, qui suscitaretur ei. Tertiũ remedium erat per annũ Iobelæi: nam inter Iudæos nõ erant venditiones æternæ, sicut inter alias gentes, sed quæcunq; res vendebatur, solùm vendebatur vsque ad Iobelæum, qui erat annus quinquagesimus, & tunc redibat quilibet possessor ad antiquam possessionẽ suam, & quilibet homo ad familiam suam, vt patet Leuit. 25. ideo si ante Iobelæum non fuisset possessio redempta aliquo de duobus modis, supra positis in Iobelæo, redibat possessio ad vendentem, vel ad hæredes venditoris non soluendo pretium aliquod pro illa. Et sic dato, quòd istæ possessiones, quas nũc vendebat Noemi, non redimerentur modis præcedentibus, & susciperet aliquis Ruth vxorem defuncti in vxorem, redirent istæ possessiones in Iobelæo ad illum, qui suscitabat semen defuncti & ad hæredes defuncti, ideo nullo modo perire poterãt possessiones venditę à Noemi, quin redirent ad hæredes viri sui defuncti, & filiorum suorum saltem aliquo tempore.

B

Quomodo fiebat hæc redemptio possessionum tempore Iobelæi.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius, cùm possessiones venditæ redimi possent medio tempore ante Iobelæum, vel redirent in Iobelæo ad venditores, quomodo fiebat hoc. Respondendum, quòd fundamentũ huius est, quia inter Hebræos erat aliquid speciale, quod non erat inter alias gentes, scil. quòd nulla venditio rerum immobilium esset perpetua: in alijs enim Gentilibus quælibet venditio tam rei mobilis, quã immobilis perpetua est: vnde res semel vendita in æternum est vendita, ita vt nullum ius venditori competat, nec successoribus eius ad repetendum, vel rehabendum eam: inter Hebræos autem lex permittebat, quòd res mobiles possent vendi in æternum, sicut inter alias gentes, res autem immobiles non permisit sic vendi. Ratio huius fuit, quia Deus voluit, quòd cùm ipse diuisisset populũ Israel in duodecim tribus, & quamlibet tribum in familias certas, quòd manerent distinctæ illæ progenies semper, sicut ipse distinxerat, vt patet Num. 36. non poterat autem cognosci semper distinctio istarum familiarum, & progenierũ singularum, nisi per aliquod immobile, quia res mobiles propter mutationẽ suam incertæ sunt: fuit ergo necessarium, quòd cuilibet familiæ, & tribui daretur aliqua certa possessio, quæ maneret semper apud viros de illa familia, vel tribu, & per talem rem cognosceretur de quolibet de qua tribu, & familia esset: istud autẽ nõ potuit fieri per res mobiles nã res mobiles, vt cõmuniter semper nõ durant, sed de tempore breui cõsumuntur: & sic nõ possent dare certitudinẽ pro sẽper de qualibet progenie & familia: ideo fuerunt ad hoc cõuenientes res immobiles. Et hoc propter duo, scil. quia semper manent, & locum nõ mutant: & hæc semper cognoscuntur, & sic si esset aliqua cognatio, vtpotè Beniamin, vel Ephraim, & daretur sibi aliquis ager, vel possessiones multæ immobiles determinatæ, & illæ non possent vendi, nec alienari, manerent semper in illa tribu: ideo per hoc manifestum esset, quòd quicunque teneret aliquam de illis possessionibus, esset de progenie Beniamin, vel Ephraim; & sic fieret de qualibet alia tribu, & familia Israelitarum. Ob hoc ergo Deus non vetuit venditionem rerum mobilium, & quòd illæ etiam in æternũ venderentur: nam non reperitur hoc prohibitum: sed vetuit solùm venditionem rerum immobilium: nam si licerent vendi res immobiles, nõ maneret certitudo progenierum, quia illa possessio, per quam cognoscebantur modo filij Ephraim distincti ab alijs transiret fortè ad filios Zabulon, vel Isachar, vel ad aliam tribum, & sic fieret confusio sortium, ideo debuit prohiberi venditio rerum immobilium. Ex eadem etiã causa vetitus est contractus matrimonij inter viros & fœminas diuersarum tribuum, scil. nè possessiones transirent de tribu in tribum, & familia in familiam, sed manerent distinctæ, sicut Deus illas distinxerat Num. 36. quia tamen erat quædam difficultas, si nullo modo Israelitis permitteretur, quòd venderent possessiones suas immobiles, concessit aliquo modo, quòd venderent. Difficultas autem erat, quia poterat aliquis habens possessiones deuenire in paupertatem pecuniarum, & si nõ liceret ei vendere aliquam de possessionibus immobilibus, sequeretur vnum damnum sibi & alterum reipublicę: Sibi sequebatur damnum, quia si nõ posset vendere aliquam de rebus immobilibus, cogeretur mendicare, vel fame perire. Damnum alterum republicæ sequebatur, scil. quòd iste ad paupertatem redactus non potens vendere aliquam de possessionibus suis, non posset colere aliquam, cum non haberet pecunias, & sic omnes perirent incultæ. Et istud non solùm erat damnum personarum, sed etiam reipublicæ damnum erat: ideo Deus, qui erat legislator Hebræorum debuit prouidere in hoc concedendo venditionem rerum immobilium: nam in casu dato si permitteretur venienti ad paupertatẽ vendere aliquam de possessionibus suis, de precio illius sustentaretur, & coleret alias possessiones: & sic nec ipse mendicare cogeretur, nec possessiones cæteræ perirent inopia culturæ. Si ergo Deus concessisset simpliciter venditionẽ immobilium ad semper, non manebat aliqua certitudo progenierum, quæ tamen erat necessaria inter Hebræos, & Deus valde intendebat illam propter causas satis declaratas Leui. 25. & Num. 27. & 36. in quibusdam quæstionibus. Si autem, vt teneretur certitudo ista prohiberet omnino venditionẽ rerum immobilium, sequerentur duo inconuenientia supra assignata, ideo Deus mediauit inter vtrumq; scil. quòd concessit venditionem rerum immobilium, & tamen non ad semper, sed certum tempus, scil. vsq; ad annum Iobelæi, qui erant de quinquaginta in quinquaginta annos, vt infra dicetur, & tunc poterant sibi succurrere Hebræi vendendo possessiones istas vsque ad illud tempus. Et etiam non tollebatur determinatio progeniei, eo quòd possessio solùm manebat apud emptorem vsque ad Iobelæum ad plus, & cùm solùm essent quinquaginta anni, non peribat memoria distinctionis stirpis.

C D

Quare solùm permittebatur venditio manere vsq; ad Iobelæum.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, circa dicta præcedenti quæstione, quare solùm permittebatur venditio manere vsq; ad Iobelęũ, & quare nõ maiori, nec minori tempore: & si erant alij modi rehabendi possessionem venditam. Pro euidentia huius considerandum, quòd sicut habetur Leui. 25. annis Iobelæi erat annus generalis remissionis, scil. quòd possessiones rediebant ad priores possessores, & si quis erat de Hebræis in seruitute, illo anno efficiebatur liber. Fiebat autem Iobelæus de quinquaginta in quinquaginta annos in mense Septembri, quod vocatur Iobelæus ad similitudinem Hebraicæ dictionis, scilicet Ioel, sicut interdum ex dictionibus Græcis formamus Latinas manente eadem materia: & mutatione casuum, & declinatione, vt est vulgare apud grammaticos. Et Ioel in Hebræo significat cornu, scilicet, quia in Iobelæo clangebatur cum quadam buccina cornea, vel argentea, de quo declaratum est Leuit. 25. cap. Quandocunq; ergo aliquis vendebat aliquid alteri, si esset immobile, non poterat durare ad plus illa venditio, nisi quinquaginta annis, scilicet de Iobelæo in Iobelæum, & tamen interdũ durabat minus: vtpotè si quis venderet possessionem suam decem annis ante Iobelæum, solum durabat illis decem annis, & si vno anno solo ante Iobelęum, illo anno solo manebat res vendita apud emptorem, & sic de quantocunq; tempore paruo, aut magno intra Iobelæum, & Iobelæum: & ideo ista nõ erat quasi propria venditio, sed solùm locatio emphyteusis temporalis: nam nõ substantia rei videbatur vendita, sed vsusfructus

E F

De anno Iobelæi apud Hebræos.

Duplici causa Deus prohibuit ne venderentur res immobiles apud Hebræos in æternũ

grædij

A

prædij pro certo tempore. Sic dicitur Leu. 25. Tempus frugum vendet tibi, id eſt, nõ vendet agrum, ſed tempus frugũ, id eſt vſum fructũ pro tempore determinato, ſcil. vſq; ad Iobelæum. Et ob hoc fiebat, quòd quanto plus diſtabat tempus venditionis à Iobelæo futuro, tanto maioris precij erat res vendita, vt ſi venderetur aliqua res ante Iobelæum annis quadraginta, vel ſi venderetur annis duobus ante Iobelæum ſolùm: nam valeret viceduplo plus primo modo, quàm ſecundo, quia tempus erat viceduplum ad colligendũ fructus terræ. Sic patet Leu. 25. ſcil. Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, non contriſtes eum, ſed iuxta numerum annorum Iobelæi emes ab eo, & iuxta ſupputationẽ frugum vendet tibi, quanto plures anni remanſerint poſt Iobelæum, creſcet preciũ, & quanto minus tẽporis numeraueris tanto minoris emptio cõſtabit: & ſubditur cauſa, ſcil. tempus enim frugũ vendet tibi. Et tunc cùm aliquis vendidiſſet poſſeſſionem ſuam quocunq; tempore ante Iobelæum erat vnum remediũ, quia poterat quilibet cognatus venditoris redimere de manu emptoris, & ab illo non redimebat poſtea ille venditor, ſed in anno Iobelæi reuertebatur ad ipſum vel hæredes ſuos, vt patet Leui. 25. & ibi declaratũ eſt. Aliud remediũ erat, quòd ſi nullus propinquus venditoris erat, qui redimeret, vel nullus redimere volebat: poterat ipſe, qui vendiderat redimere rem dato precio quodã, licèt nõ toto, vt poſtea declarabitur. Sciendum tamen, quòd iſta redemptio habebat locum ante Iobelæum, quia in Iobelæo non erat neceſſe rem redimi, quia ipſa ſine redemptione veniebat ad venditorem, vel hæredes eius, Leui. 25. Sciendum etiã, quòd cùm quis vendidiſſet poſſeſſionẽ ſuam, competebat ei ius redimendi, & cognatis ſuis: & tamen prius competebat cognatis, quã ipſi venditori, quia lex dicit: Leui. 25. quòd ſiquis vendiderit poſſeſſionẽ ſuã, poterit eam redimere quicunq; cognatus eius: ſi autẽ nullus fuerit cognatus, vel nullus redimere voluerit, poterit ipſe venditor redimere poſſeſſionem ſuam, ſi habuerit vnde reſtituat precium. Idem erat ſi quis ſeipſum venderet: nam poterat eum cognatus ſuus, vel affinis redimere, & ſi nullus horũ eum redimebat, ipſe poterat ſeipſum redimere, vt patet ibidem. Quare autẽ competebat prius cognato, vel affini redimere, quàm ipſi venditori erat cauſa, quia aliqualiter fuit in culpa fortè, qui vendidit poſſeſſionem, vtpotè, ſi ex cauſa leui illam vendidit ideo in pœnam conceditur potius cognatis, quòd redimant, quàm ipſi venditori. Sciendum vlterius, quòd quando poſſeſſio redimenda erat ſiue per cognatos, ſiue per ipſum venditorẽ redimeretur, non erat danda ſine precio, & tamen nõ erat pro ea totum precium reſtituendũ quod acceperat venditor, ſed ſupputandi erant anni, & diſtribuendũ erat preciũ per illos ſecundum æqualitatẽ, & tunc data pars precij ſubtrahenda erat quantũ erat tempus elapſum à venditione vſque ad redemptionẽ reſpectu totius temporis, quòd erat à venditione vſq; ad Iobelæum. Et erat iſta forma, ſcil. quòd conſideraretur quot anni erant à tempore venditionis rei vſque ad Iobelæum, & cõſideraretur precium, & diuideretur per tot partes æquales quot erant anni à venditione vſque ad Iobelæum: & daretur cuilibet anno vna pars, & tunc quandocunque fieret redemptio conſideraretur quod anni reſidui erant vſq; ad Iobelæum, vel quot partes anni, tot partes illius precij reſtituendæ erant emptori, reliquas autem retinebat ſibi venditor pro fructibus annorum præteritorũ, quos acceperat emptor. Vtpotè ſi annis viginti ante Iobelæum venderetur aliqua poſſeſſio pro mille ſiclis, proueniebant cuilibet anno ſicli quinquaginta: ſi ergo quatuor annis ante Iobelæum redimeretur poſſeſſio, reſtituere debebat venditor emptori ſiclos ducentos, qui correſpõdebant annis quatuor: & reliquos ſibi retinebat venditor pro fructibus, quos ſuſceperat emptor. Et hoc modo fiebant omnes redemptiones, ſiue à venditore, ſiue à cognatis eius. Extraneorum autem nullus poterat redimere rem venditam, quia iſtud priuilegium conceſſit lex ſoli venditori, & cognatis eius. Aliud & tertium remedium erat per aduentum anni Iobolæi: nam ſi ante tempus illud non fuiſſet poſſeſſio redempta per venditorem, vel cognatos: in ipſo anno redibat poſſeſſio libere ad venditorem, vel ad hæredes eius nullo precio dato, quia venditio ſolùm extendebatur vſq; Iobelæum, & poſtea habebatur tanquàm non vendita, & redibat ad venditorem, ſicut ſi nunquàm illam vendidiſſet, ſicut in locatione poſſeſſionum, vel emphiteuſi temporali quia finito tempore præfixo, redit poſſeſſio ad dominium ſuum, ſicut ſi nunquã illam locaſſet.

Quomodo poſſeſſiones vẽdita poterãt redimi ante annum Iobelaũ

B

C

D

Quare ſolùm durabat venditio quinquaginta annis, ſcilicet vſque ad Iobelæum.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius, de eo, quod quærebatur præcedenti quæſt. ſcil. quare ſolùm durabat venditio quinquaginta annis, ſcil. vſq; ad Iobelæum: & non tempore maiori, vel minori. Dicendum, quòd hoc factum eſt ex cauſa: nam Deus volebat Iſraelitis prohibere venditionem rerum immobiliũ, vt nõ auferretur certitudo progenierũ, & noluit eam omnino auferre, quia ſequerentur inconuenientia tam contra perſonas priuatas, quàm contra rempublicam, vt declaratum eſt ſupra in quadã quæſtione: ideo conceſſit venditionem rerum immobiliũ ſed nõ ad omne tempus: & ob hoc debuit Deus tantũ tẽpus moderari, vt nec propter diuturnitatẽ ſuam auferret certitudinem progenierum, nec etiã propter ſuam breuitatem fieret venditio inutilis venditoribus. Quod patet, quia ſi Deus concederet, quòd venditiones immobiliũ durarent per ducentos annos cùm poſſeſſio vendita maneret ducentis annis penes emptorem, & hæredes eius, nõ eſſet memoria in contrariũ, quòd illa poſſeſſio pertinuiſſet aliquando, niſi ad ipſum emptorem, & hæredes ſuos; & ſic confunderetur diſtributio ſortium, quia per poſſeſſiones iſtas iam tranſeuntes ad alias tribus, & familias non cognoſcerentur tribus illæ, & familiæ, quarũ à principio fuerant diſtinctæ eſſe ab alijs. Etiam non debuit concedi valde paucum tempus pro iſta venditione, ſcil. ſolùm vnius, vel duorum annorũ, quia tunc ſequerentur duo inconuenientia. Primum erat, quia iſtæ venditiones fiebant propter inopiam venditorũ, vt de precijs habitis de rebus venditis ſe ſuſtentare poſſent venditores, & colere reliquas poſſeſſiones ſuas: ſi tamen tam paruo tempore ſolùm concederetur iſta venditio haberent inde venditores paruum precium, quia tantum ipſi habituri erant de fructibus vnius anni ipſorum agrorũ: & ſic nõ oportebat fieri venditionẽ, nec poterat ſubleuari inopia venditorũ tam paruo precio recepto, ideo non expediebat cõcedi venditionẽ ad tam paucũ tempus ſolùm. Secundum inconueniens erat, quia emptores fortè nulli eſſent, qui pro tam pauco tempore emere vellent, eo quod in paruo tempore nõ poterant multũ lucrari, ſed poterant in magno tẽpore, quia ſi aliquando eſſet annus ſterilis aliquando eſſet minus fertilis, nõ magnã cõſequerentur vtilitatem: vt ergo venditores cõmodum aliquod reportarent, concedi debuit maius tempus: & ſic Deus ſtatuit, quòd venditio poſſet durare inter Hebræos quinquaginta annis, ſcil. de Iobelæo in Iobelæum. Cauſa huius fuit, quia dato iſto tempore quinquaginta annorum ſufficienter prouidebatur vtrique. Nam venditio ad quinquaginta annos erat ſatis lõga, & poterat venditor multã pecuniam colligere de rebus, quas venderet ad tam longum tempus, & ſic prouideretur inopię ſuę. Etiam emptores promptè emerent ad tam longum tempus, quia in tot annis poterãt magnas vtilitates capere ex prędijs emptis. Item prouidebatur in hoc certitudini progenici, ſcil. vt per poſſeſſionem immobiles diſtinguerentur progenies. Nam cùm ſolùm manerent poſſeſſiones apud emptores ad plus annis quinquaginta, poterant redire ad eum, qui vendiderat eas, vel ad hæredẽ ſuum proximum. Etiam in quinquaginta annis non periret memoria hominum, quia cùm omnes homines ex generali conditione, & periodo naturæ poſſint accedere ad quinquaginta annos: & etiam excedere non periret memoria, nec probatio de rebus geſtis quinquaginta annis ante, ideo licèt poſſeſſio vendita non rediret ad emptorem vſque ad quinquaginta annos, ſemper ſciretur, quòd illa poſſeſſio, quæ manebat tunc penes emptorem non pertinebat ad poſſeſſionẽ familiæ, & tribus ſuæ, ſed aliunde ſibi aduenit: fuit ergo conueniens, quòd cõcederetur venditio rerum immobilium ſolùm vſque ad quinquaginta annos, ſcilicet, de Iobelæo in Iobelæum.

E

F

A

An ista, quæ vocatur venditio rerum immobilium vsque ad Iobelæum inter Hebræos esset verè venditio, vel emphyteosis.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlterius, an ista, quæ vocabatur inter Hebræos venditio rerum immobilium vsq; ad Iobelęum esset vere venditio, vel esset alius contractus vtpotè locationis, conductionis, emphyteosis temporalis. Aliquis dicet, quòd non erat venditio, sed locatio, vel emphyteosis: nam venditio est modus alienandi rem, & transit proprietas rei in æternum ad eum, cui res venditur: & tamen locatio est alienatio vsusfructus rei, & non proprietatis. Sic etiam emphyteosis: præter hoc, quòd emphyteosis potest esse perpetua, vel temporalis: hic autem erat sic, quia non dabatur res in æternum, sed ad tempus, scil. ad plus vsque ad quinquaginta annos; ergo erat locatio, vel emphyteosis. Secundò patet, quia in venditione nō solùm datur vsusfructus rei, sed etiam transfertur dominium, & tamen in isto contractu, quem Iudæi vocant venditionem, solùm videtur transferri vsusfructus, vt patet Leui. 25. scilicet: Tempus enim frugū vendet tibi, id est, solùm tempus ad percipiendum fructus de fundo, & non ipsum fundum. Respondendum, quòd aut quæritur de isto contractu qualiter sit nominandus, & qualis secundùm conditionem legis mosaicæ, aut secundùm conditionem legum humanarum, quibus nos nunc vtimur. Si primò modo dicendum, quòd erat emptio, & venditio, quia sic vocatur sæpe Leu. 25. nec est inconueniens quòd sit temporalis, quia talem venditionem statuit illa lex, sicut alię leges humanæ statuerunt venditionem perpetuam. Etiam lex ista Moysi statuit duos modos venditionis: nam venditio quantum ad mobilia fiebat perpetua, venditio autem quantum ad immobilia fiebat temporalis, scilicet, de quinquaginta in quinquaginta annos. Si autem quæratur, qualiter vocabitur iste contractus secundum conditionem legum humanarum nostrarum, dicendum, quòd non habet nomē: nam si pertineret ad contractus nostros, esset emptio venditio locatio emphyteosis, quia cum alijs contractibus nullam habet similitudinem: non tamen est aliquis istorum, ideo non est aliquis de cōtractibus, qui fiunt secundùm leges humanas nostras. Quòd autem nō sit venditio patet: quia venditio est translatio dominij rei venditæ in æternum accepto precio: hic autem non transfertur in æternum dominium, sed ad tempus emptor tenet rem istam, ideo non est venditio. Secundò patet, quia in venditione directus transfertur tam dominiū, quam vsusfructus, quia dominiū per se transfertur, vsusfructus autem inquantum pendet ex dominio. Vnde poterat fieri venditio, in qua vsusfructus maneret pro aliquanto tempore penes venditorem: & tamen impossibile est in venditione manere dominium aliquanto tempore penes venditorē, celebrata venditione: & tamen in contractu isto apud Hebręos magis videbat transferri vsusfructus, quàm dominium, cùm dicatur Leu. 25. Tempus enim frugum vendet tibi. Etiam dicitur, quòd quanto maius tempus erat vsq; ad Iobelæum tanto erat magis de precio offerendū: & si modicum tempus erat vsq; ad Iobelæum, modicū precium erat offerendum. In venditionibus autem nostris nihil istorum respicitur, sed solùm ipsa res: ergo non erat illa venditio. Item confirmatur hoc, quia in venditione eadem res semper est eiusdem valoris, nō variata conditione temporis si illa res in se æqualis perfectionis manet, eo quòd tota res datur in venditione, & tamen in isto contractu, qui fiebat secundùm Hebręos respiciebatur tempus, quia eadem res non variata in se, si venderetur quadraginta annis ante Iobelæū valebat decuplo, quam si venderetur annis quatuor ante ipsum: ideo non erat venditio. Patet hoc Leuit. 25. Non erat etiam locatio, vel emphyteosis, quia locatio potest fieri ad paucum tempus, vel ad magnum, vel emphyteosis potest fieri ad tempus, vel ad vitam emphyteotæ, vt patet Codice de Sacrosanctis Ecclesijs, lege iubemus, in fine: & tamen iste contractus, qui fiebat secundùm Hebræos, non poterat breuiari quantumcunq; vellet venditor, nec poterat etiam prorogari quantum ipse vellet, ita vt fieret perpetua venditio, sicut perpetua emphyteosis, vel census, nec etiam ad vitam emptoris, sed necesse est, quòd iste contractus ex forma sua pertingeret ad Iobelæum, nisi per remedium redemptionis breuiaretur. Etiam nullo modo poterat ex voluntate venditoris durare iste contractus vltra Iobelæum, qui erat annus quinquagesimus: ergo non erat locatio, nec emphyteosis. Secundò patet in locatione, vel emphyteosi ipse conductor, vel emphyteota respondet quolibet anno cum certa pensione, vel obsequio: & tamen in isto contractu iudaico nō fiebat sic, sed semel dabatur pro re quantum iudicabatur valere vsq; ad Iobelæum, & postea nihil dabatur. Tertiò patet, quia in locatione, & emphyteosi nō transfertur, nisi vsusfructus, & manet danti proprietas, siue dominium rei: ideo emphyteota, & conductor vendere non potest, sed fructus accipere: & tamen qui isto modo emebat apud Hebræos, poterat vendere possessionem illam alteri cuicunque vellet etiam inuito venditore primo, cum non prohibetur, vt declaratum est Leui. 25. ideo non erat locatio, nec emphyteosis. Quartò patet, quia si esset locatio ista, vel emphyteosis facta nō posset tolli quandocunque vellet consanguineus aliquis facientis eam: & tamen vendita sic ista re poterat quilibet consanguineus venditoris redimere quandocunq; vellet rem istam, vt patet Leuitici 25. ergo non erat locatio, nec emphyteosis. Quintò patet, quia in cōtractu locationis, vel emphyreosis, non est potentior ad dissoluendum illum aliquis cognatus contrahentis, quàm ipse contrahens, & tamen in isto contractu quilibet consanguineus erat potentior, quia primò competebat redemptio consanguineo deinde ipsi venditori, cùm dicatur Leuit. 25. quòd si aliquis esset cognatus venditoris, posset redimere quod ille vendidisset: & si nullus esset consanguineus, vel si nullus eorum vellet redimere, poterat ipse, qui vendiderat redimere: ergo nō erat emphyteosis, nec locatio. Dicendum ergo, quòd nō est aliquis de contractibus legum nostrarum humanarum, sed aliquis medius inter illos, qui tamen magis imitatur venditionē, quam aliquem alium, eo quòd transfertur hic proprietas, sicut in venditione, quòd non fit in locatione, vel emphytheosi.

Venditio Hebræorū nō erat vera venditio.

C

Contractus possessionū apud Hebræos non erat locatio.

B

D

E

Si quis venderet possessionem suam, & redimeret eam cognatus venditoris de manu primi emptoris, quomodo & quando possessio ista redibat ad venditorem, vel ad eius hæredes.

QVÆSTIO XIII.

VLTERIVS quæretur, si aliquando quis venderet possessionem suam immobilem, & redimeret eam aliquis cognatus venditoris, vel non redimeret eam quisquam, & emptor ipse venderet ipsam alteri, quomodo postea perueniret ista possessio ad ipsum, qui vendiderat, vel ad hæredes eius. Dicendum, quòd si redimeret aliquis cognatus venditoris possessionem venditam, non poterat de manu eius redimere illam ipse venditor, sed manebat penes eum vsque ad Iobelæum. Patet hoc, quia lex voluit redemptionem fieri de manu venditoris, & non de manu alterius; ideo si transiret ad manum cognati, non haberet iam venditor actionem ad redimendum restituendo precium vsque ad Iobelæum. Item patet, quia lex voluit dare maiorem excellentiam cognato venditoris, quàm ipsi venditori in iure redimendi, quia prius competit ius istud cognato venditoris, quàm ipsi: nam vendita possessione non potest eam redimere, qui eam vendidit, si aliquis cognatus eius sit, qui illam velit redimere: & nō existente aliquo cognato, vel nolente redimere, potest ipsemet venditor redimere illam, si pecuniam habet, Leuit. 25. Si tamē posset venditor redimere de cognati manu postquā ille redemit eam, maior esset potestas venditoris, quàm cognatorum suorum, quòd falsum est, ideo non poterat eam redimere de manu cognati, sed tenebat cognatus possessionem istam vsque ad Iobelæum, & ibi redibat libera possessio ad venditorem nullo dato precio. Causa autem quare lex concessit cognatis venditoris, quòd redimere possent possessiones de manu emptorum fuit, quia Deus voluit prodesse pauperibus, qui cogebantur vendere possessiones suas, & quia cognati venditorum magis procurarent bonum statum possessionum venditarum quàm extranei affectione

F

Causa quare lex concessit cognatis venditoris, quod possent redimere possessiones de manu emptorum.

cognationis

A

cognationis conceſſit potius iſtis, quàm alijs: vnde ſi quiſquam extraneus vellet redimere poſſeſſionem de manu emptoris, non competebat ei ius ad redimendum. Cauſa autē quare potius permiſit lex cognatis venditorum, quòd liceret eis redimere poſſeſſiones venditas priuſquam ipſis venditoribus dando eis tantum priuilegium, & etiam, quòd facta redemptione nō poſſet venditor redimere de manu cognagnati, fuit, vt afficerentur valde cognati venditorum ad redimendum poſſeſſiones eorum, & procurarent eas melius, & fidelius, quam ſi poſſent ipſi venditores redimere eas de manibus ipſorum quandocunq; vellent. Et quia Deus tanquam legiſlator intendebat vtilitatem publicam, conceſſit cognatis venditorum iſtud priuilegium.

Quid ſi emptor rurſus venderet poſſeſſionem alteri, quomodo recuperàret venditor de manu tertij.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVRvlterius, quid ſi emptor rurſus venderet poſſeſſionem alteri, quomodo recuperaret eam venditor de manu tertij. Dicendum, quòd poſſeſſio ſemel vendita poterat vendi ſæpius quotieſcunque vellent illi ad quos peruenire ipſa poſſeſſio. Et cauſa huius eſt, quia cùm per venditionem iſtam efficeretur poſſeſſio emptoris, poterat eam alienare ad quemcunque transferendo, vendendo, vel donando, vel quocunque alio titulo, dum tamen non excederet tempus Iobelæi, in ipſo Iobelæo apud quemcunque reperiretur poſſeſſio iſta, redire debebat ad primum venditorem. Cauſa huius eſt, quia res iſta tranſibat ad quemcunque cum onere ſuo: nam iſta res fuerat vendita primo emptori cum iſto onere, quòd in anno Iobelæi rediret ad venditorē, ideo emptor iſte ſi aclicui illam donaret, vel quomodocunq; in alterum transferret, nō poterat tollere iſtud onus annexū rei à lege, ſcilicet, quòd rediret, in anno Iobelæi, Leuit. 25. quia dicitur ibi, quòd anno illo omnis poſſeſſio redit ad primos poſſeſſores. Sed difficultas eſt in duobus. Primum eſt, ſi emptor venderet rurſum alteri poſſeſſionem, an illa poſſet tunc redimi de manu ſecundi, vel tertij, vel cuiuſcunq; emptoris, ſiue per cognatos venditoris, ſiue per ipſum venditorem. Secundum eſt, dato quòd redimi poſſet, quomodo computandum eſſet precium, ſi redimeretur. Ad primum quidam dicunt, quòd ſi venderetur poſſeſſio, poterat redimi de manu emptoris per cognatos venditoris, vel per ipſum: ſi tamen ille alteri venderet, & deinceps ille alteri, non poſſet iam redimi poſſeſſio: & dicunt ſimile eſſe, ſi quis voueret domino agrum ſuum, debebat redimere conſtituto precio à ſacerdotibus: ſi autem nollet redimere, & alius emeret, non poterat poſtea redimere, Leu. 27. cap. Dicendum, quòd hoc non ſtat, quia lex conceſſit abſolutè venditori poteſtatem redimendi poſſeſſionem ſuam, & etiam cognatis eius, ideo ſiue de manu primi emptoris, ſiue quorumcunque aliorum poterat redimere. Secundò patet, quia iſta lex de redemptione poſſeſſionum fuit introducta in fauorem pauperum, ſcilicet: fuit ſtatutum tempus venditionis, ſcil. quòd duraret per quinquaginta annos vſque ad Iobelæum: quia tamen interdum poterat vergere in damnum ipſorum, quòd non poſſent habere recurſum ad res ſuas vſq; ad annum Iobelæi, ſcilicet, ſi poſſent illas redimere, ideo conceſſit lex, quòd ſi poſſent redimere poſſeſſiones, liceret ei, vel cognatis eorum redimere illas quomodocunque vellent: Leuitici 25. ſi tamen tranſlata poſſeſſione ad ſecundum emptorem non competeret primo venditori redemptionis ius, arctaretur nimis iſtud priuilegiū, & fieret ei quaſi inutile, cùm poſſent ſemper fraudari: lex tamen intendit fauorem eorum, ideo non ſolùm competet eis redemptio contra primum emptorem, ſed etiam contra quoſcunque alios. Tertiò patet, quia nemo poteſt transferre in alterum plus iuris, quàm ipſe habere dignoſcitur, & tamen primus emptor non habebat in re empta ius ad tenendum illam, quandocunque venditor vellet illam redimere, ergo nec poterat transferre ius in emptorem ſecundum, ſcilicet, quòd repetente primo venditore, non teneretur ei reſtituere rem oblato precio. Quartò patet, quia quandocunq; aliquod onus eſt reale, ſcilicet, rei annexum, ad quemcunq; tranſeat illa res, tranſit cum onere ſuo etiam ſi tranſeat ad perſonam priuilegiatam, & conditio perſonæ non tollit onus reale. Sicut ſi aliqua poſſeſſio ſit obligata aliquibus muneribus præſtandis, & transfertur in Eccleſiam, quæ eſt maximè præuilegiata, tranſit cum illo onere, & Eccleſia obligatur ad illa munera præſtanda ratione rei. Vnde ex hoc interdū prohibet lex quaſdam donationes fieri Eccleſiæ, eo quòd ſunt obligatæ magnis oneribus, ſicut ſunt poſſeſſiones obligatæ magnis oneribus fiſcalibus, vt patet Codice de Sacroſanctis Eccleſijs, in Authentica, vbi verè res inutiles, & oneribus magnis obligatas Eccleſiæ donari prohibentur: & tamen in veteri teſtamento cuicunque rei venditæ annexum erat iſtud onus reale à lege, ſcilicet, quòd repeti poſſet, & redimi quocunque tempore ante Iobelæum: Leui. 25. ſiue per cognatos venditoris, ſiue per ipſum: ergo ad quemcunque proueniret iſta res, tranſibat cum iſto onere redemptionis, ergo poterat quandocunque redimi. Quintò patet, quia nemo poteſt tollere mihi priuilegium meum, niſi me conſentiente, vel faciente aliquem actum, der quem videar conſentire, vel propter delictum: cùm tamē aliquis vendebat poſſeſſionem alteri in Hebreos, manebat venditoris ius redemptionis contra emptorem ad redimendum quandocunque vellet, Leui. 25. & cùm ille emptor vendebat alteri, venditor primus non renunciabat priuilegio ſuo, nec faciebat aliquem actum, per quem renunciare videretur: ergo non poterat priuari priuilegio quod habebat contra primum emptorem iure redemptionis, alioquin poſſet iſte emptor auctoritate ſua, nulla exiſtente cauſa priuare venditorem primum iure ſuo, quod falſum eſt. Dicendum ergo, quòd ſicut competebat venditori ius redimendi contra primum emptorem, ita competebat contra quoſcunq; alios quicunque illi eſſent. Cùm autem obijcitur Leui. 25. de re, quæ non poterat repeti, ſcil. non redimeretur priuſquam traderetur alteri emptori, dicendum, quòd non eſt ſimile, quia illud eſt in rebus, quæ vouentur loco ſacro: iſtud autem eſt in rebus, quæ venduntur perſonis priuatis: & magna differentia eſt inter illa: nam quando quis vouebat agrum, vel ſimilia ſanctuario, appreciabatur per ſacerdotē, & addebatur quinta pars ſuper æſtimationē: & totū hoc ſoluebat, qui vouerat poſſeſſionē, ſi vellet eam redimere, Leui. 27. & hoc fiebat, vt nullus vellet redimere poſſeſſionem quam ſemel vouiſſet ſanctuario, ſed maneret in æternum ipſi ſanctuario. Quòd ſi vouens non redimeret eam tunc, poſtea non poterat eam redimere: nec redibat ad eum Iobelæo: ſed in æternum pertinebat ad ſacerdotes. Vt ergo non redimeretur, vel vt maneret ſanctuario rigor erat contra vouentem, & fauor in adiutorium ſanctuarij: ſecus autē hic: nam lex de venditione, & redemptione introducta erat in fauorem venditorum, qui pauperes erant. Quod patet, quia quando redimebatur poſſeſſio, non reſtituebat venditor totum precium quòd ſuſceperat, ſed dabat aliquid de eo ſubtrahendo ſecundùm proportionem temporis, quo poſſeſſio manſerat penes emptorem: Leui. 25. ergo quanquam in vouente rem, ſi non redimeret eam, antequam traderetur alteri, non poſſet poſtea redimere, poterat ille, qui vendebat poſſeſſionem ſuam perſonæ priuatæ redimere illam quandocunque vellet, quotcunque emptoribus tradita fuiſſet: ideo quandocunque offerret precium aliquis de ſuis cognatis, vel ipſe venditor primus, tenebatur quicunque emptor ei reſtituere rem emptām. Quæretur de alia difficultate, ſcilicet, ſi res vendita primo emptori poſtea venderetur alteri, & venditor primus eam redimere vellet, quid fieri debebat de precio reſtituendo. Ad euidentiam huius conſiderandum, quòd ſicut dicitur Leuit. 25. ſi venditor vellet expectare vſque ad Iobelæum redibat ad eum poſſeſſio nullo precio dato. Si autem tempore intermedio illam redimere vellet, debebat dare precium, ſed non reſtituebat totum precium, quod recepit ab emptore, ſed ſolùm proportionaliter diuidendo totum precium æqualiter per annos, & reſtituere tantum de precio quantum competebat annis reſiduis vſque ad Iobelæum, ſicut declaratum fuit ſupra in quadam quæſtione. Si autem res vendita non venderetur, iterū non erat difficultas aliqua in modo ſolutionis, ſicut dictum eſt. Si tamen venderetur rurſus alteri, res illa poterat vendi maiori, vel minori precio, & tunc erat dubium ſecundum quod precium teneretur taxare tempus venditor primus:

A an ſecundùm venditionem primò factam, vel ſecũdùm venditionem factam iſti, à quo ipſe redimebat nunc. Aliqui dicunt, quòd deberet ſoluere ſecundùm proportionem venditionis factæ vltimo, ſcilicet, illi, à quo ipſe redimebat. Cuius cauſa eſt, quia aliàs teneretur iſte emptor vltimus perdere: nam fortè iſte emptor vltimus carius emit, quàm primus: q; ſemper veriſimile eſt, quia emens, & vendens rurſum emit ad lucrum, & ſi teneretur prima taxa venditionis iſte emptor multum perderet. Alij dicunt, quòd debebat ſolui precium ſecundùm primam venditionem, eo quòd aliàs ille obligaretur plus ſoluere, quàm contraxerat, quod iniuſtum eſt. Dicendum, quòd ſolutio fieri debebat ſecundùm proportionẽ primæ venditionis, quia illam fecit dominus rei venditæ, & nullus poterat præiudicare ei inuito ipſo. Patet hoc, quia iſte vendidit rem, & accepit precium, & ad reſtituendum partem proportionalem illius eſt nunc obligatus, quando voluit redimere, ſi iſte non vendiderit alteri, & tamen ſi iſte emptor vendidit alteri, non eſt in culpa venditor primus, ideo non poteſt obligari ad plus ſoluendum, quàm aliàs obligaretur. Secundò patet, quòd iſta lex de redemptione fuit tota introducta in fauorem venditorum, vt declaratum eſt præcedenti quæſtione, eſſet tamen grauamen eis, ſi tenerentur reſtituere precium ſecundùm cariſſimam venditionem, quæ poſtea fieret, ideo non tenebantur, niſi ſecundùm primam.

B Item non potuit venditor ſecundus conferre ſecundo emptori, quòd venditor primus, ſi redimeret rem, deberet eam redimere ſecundùm venditionem, quæ poſtea fieret, ſed ſecundùm venditionem, quam iſte fecit: ideo non poſſet conqueri iſte emptor vltimus, ſi daretur ei minus de precio proportionaliter, quàm ipſe dederat. Ad rationem, cùm dicitur, quòd grauaretur emptor vltimus, ſi non ſolueretur precium ſecundùm taxationem vltimæ venditionis, dicendum, quòd non grauaretur, quia ipſe ſciebat rem iſtam venditam eſſe iterum, & quòd haberet venditor primus ius redimendi: ideo ſi voluit carius emere, quàm vendiderat primus venditor, cui competebat redemptio, ſi imputet, quia in culpa fuit: nam non debuiſſet rem illam emere, vel non carius, quàm vendidederat eam primus venditor. Ipſe autem venditor primus non eſt in culpa, ſi emptor ſecundus rurſum vendat, quàm ipſe vendidit: cùm nõ ſit in poteſtate ſua prohibere iſtud: ideo ipſe grauaretur ſtare alteri venditioni, quã illi, quam fecit, & non cogeretur ad damnum tolerandum vltimus emptor, licèt cogatur ſtare alteri venditioni, quàm illi, quæ ei facta eſt: & ſic fiet taxatio precij per primam venditionem.

Quare non permittebatur extraneis redimere rem emptam de manu alterius extranei emptoris ſicut permittebatur cognatis.

C

QVÆSTIO XV.

VLTERIVS quæretur, quare non permittebatur extraneis redimere rem emptam ab alio extraneo venditore. Dicendum, quòd ſi extraneus emiſſet poſſeſſionem, & cognatus vellet redimere eam, poterat, vt patet Leui. 25. fuerunt cauſæ huius aſſignatæ ſupra in quadam quæſtione, ſcilicet, quia lex intendebat fauorem, & vtilitatem venditorum pauperum, & quia veriſimilius erat, quòd cognati magis afficerentur ad poſſeſſiones cognati ſui, quàm extranei, ideo lex permittebat cognatis ab extraneis redimere: inter extraneos autem non ſubſiſtebat iſta cauſa, quia non præſumebatur in generali potius pro vno extraneo, quàm pro altero, ideo extraneo contra extraneum non conceſſum eſt competere redemptionem. Secunda cauſa fuit, quia ſi competeret cuilibet extraneo contra alterum redemptio rei: pauci vellent, vel nulli emere res vendendas à pauperibus quia alij, vt tædio eos afficerent, vel vt lucra auferrent, redimerent res ipſas. Tertia cauſa eſt, quia ſi concederetur cuilibet extraneo, quòd redimeret ab altero rem venditam, daretur proceſſus in finitum inutiliter: nam ſi vnus emeret rem, alius illico redimeret eam, & iterum alius redimeret, & inter iſtos duos eſſet emptio, & redemptio, quia mox, vt vnus emeret reliquus redimeret, & è contrario, quod abſurdum eſt. Inter cognatos autem non erat aliquod inconueniens iſtorum: nam ipſi non erant tot, ſicut extranei, vt vnus poſſet ab alio redimere in infinitum. Etiam dato, quòd conſanguineis competeret redemptio, non diſtraherentur extranei ab emptione rerum venalium, quia cognati non erant tot, ſicut extranei, qui poſſent inquietare redimendo. Etiam emptores nõ haberent hoc moleſtum, cùm viderent aliquam cauſam huius conceſſionis, quod non eſſet, ſi concederetur cuilibet extraneo, quòd redimere poſſet rem venditam. D

Si vnus cognatus redimebat rem, an alius ab eo redimere poſſet.

QVÆSTIO XVI.

VLTERIVS quæretur, ſi vnus cognatus redimebat rem, an alius poſſet ab eo redimere. Dicendum, quòd ſiue vnus conſanguineus emeret rem directè à conſanguineo ſuo, ſiue illam redimeret, cùm cognatus ſuus alicui extraneo vendiderat illam: nam cognatis venditoris licebat redimere ab extraneis emptoribus in fauorem venditoris, vt declaratum eſt ſupra in quadam quæſtione: & tamen extraneis contra cognatos nihil licebat: ſi autem quæratur an licebat cognato contra cognatum redemptionis ius. Dicendum, videtur, quòd ſi erat cognatus in gradu propinquiori ille, qui volebat redimere, competebat ei redemptio, quia propinquiori reſpectu minus propinqui iudicatur propinquus ad extraneum. Si autem ſit in æquali gradu propinquitatis, vel minori, non competit ei ius repetendi. E

Quis modus tenendus erat in emptione rerum cognatorum.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæretur, ſi aliquis cognatus volebat emere re[illegible] propinqui, & erant multi cognati, quis ordo tenendus erat in emptione. Vel ſi quis cognatus volebat redimere ab emptore rem cognati exiſtentibus multis, quis ordo tenendus erat. Quidam dicunt, quòd ille, qui emere vellet de eis tenebatur admonere omnes alios cognatos, qui erant in gradu propinquiori an vellent emere rem venalem, & ſi vellent non licebat huic emere illam. Si autem nullus illorum vellet illam emere, licebat huic illam emere. Sic etiam dicendum videtur de redemptione, ſcilicet, quòd ſi quis conſanguineorum vellet redimere ab emptore rem cognati ſui, tenebatur admonere cæteros cognatos propinquiores: & ſi nullus vellet, poterat ipſe, qui eos admonebat, alioquin non. Sic patet in caſu, qui eſt in iſto capitulo, ſcilicet: Noemi vendiderat quandam poſſeſſionem, & Booz, qui erat propinquus voluit eam redimere: & tamen non redemit quouſque alius cognatus ſuus, qui erat propinquior cederet iuri propinquitatis, alioquin innuebat non eſſe ſibi licitum redimere poſſeſſionnm. In contrarium videtur, quòd liceat cuicunque conſanguineo emere rem cognati, redimere illam de manu emptoris, non requiſito quocunque alio cognato propinquiori. Nam licet extraneis emere res venales nõ requiſitis cõſanguineis venditoris, an illas emere vellent, ergo à fortiori licebit hoc cognato cõtra cognatũ nõ requiſito illo. Reſpondent quidã, quòd licebat cuilibet cognato emere poſſeſſionem à cognato ſuo venditore non requiſito altero, & tamen non licebat redimere de manu alicuius venditoris extranei non requiſitis omnibus cognatis, qui erant propinquiores. Ratio diuerſitatis huius eſt, quia redimere eſt introductum in fauorem ipſius venditoris, & quia fauor ſuus erat, quòd quilibet emere poſſet, concedebatur tam extraneis, quàm cognatis: ideo cùm extraneis liceret emere à venditore, non requiſitis cognatis eius, à fortiori licebit cuilibet cognato non requiſito altero. Secus autem eſt de redemptione: quia iſta introducta eſt in fauorem ipſius venditoris, & fauor ſuus eſt, quòd ſoli ſui conſanguinei redimant, vt poſſeſſiones emptas fidelius curent: & ob hoc reperitur Leu. vigeſimo quinto, conceſſum quibuſlibet, ſiue extraneis, ſiue cognatis, quòd poſſent emere à venditore: & tamen redemptio ſolis cognatis regeritur conceſſa, ibidem. Secundò patet ex eo quod habetur hic: nam hic erat caſus redemptionis, ſcilicet, quòd Noemi vendiderat quandam F

poſſeſſionem

A

possessionē Elimelech, & Booz admonebat suum cognatū, qui propinquior erat, an vellet redimere possessionem, alioquin ipse deliberaret, an emeret: & nō reperitur in casu emptionis cautum, quòd vnus cognatus admoneret alium cognatum, qui est in gradu propinquiori; ideo dicunt, quòd potest quilibet cognatus emere à venditore non requisito alio cognato propinquiori se, & tamen non potest redimere non requisitis propinquioribus. Dicendum tamen, quòd ista responsio aliquo modo tangit veritatem, sed non elucidat eam omnino: ideo dicetur, quòd cognati excedebant alios in iure cognationis: ideo quando iure cognationis agebant præponebantur cognati alijs, & propinquiores alijs: in eo autem quod non agebant iure propinquitatis, non præferebantur cognati extraneis: ideo nec magis propinqui minus propinquis: & quia in emendo nunquam faciebant iure propinquitatis, non præferebantur propinquiores minus propinquis: & quia in redimendo agebant iure propinquitatis, & aliquando non, interdum propinquiores præferebantur minus propinquis, & interdum non præferebantur. Prima pars patet, quia in emendo à venditore non erat differentia inter cognatos, & non cognatos, sed poterat quilibet emere, & non tenebantur extranei volentes emere admonere omnes cognatos venditoris an ipsi vellent emere, quia aliàs non competeret redemptio cognatis venditoris. Nam si omnes admonerentur, & recusarent, priuarentur iure suo, & non haberent recursum ad illud, sicut patet de minus propinquo, quando admonebat propinquiorem de redemptione facienda, quia si ille iuri suo cedebat, non habebat postea recursum ad illud, sicut fuit de Booz, qui requisitit cognatum suum, vt patet infra in litera. Et sic non haberent cognati recursum ad redemptionem possessionum venditarum, & tamen poterant redimere eas quandocunque erant venditæ: & poterat hoc facere quilibet cognatus, & etiam affinis, vt patet Leuit. vigesimo quinto, ergo non requirebant extranei cognatos, an vellent emere possessiones venales, quando ipsi eas emebant à fortiori ergo cognatus non requireret cognatum, quia minus differt cognatus à cognato, quàm extraneus à cognato. Item patet hoc, quia potestas vendendi concedebatur in fauorem pauperum, nè cogerentur mendicare, & possessiones suæ perirent incultæ, vt declaratum est supra in quadam quæstione: & tamen fauor erat venditorum, quòd cuilibet liceret emere non requisito alio: nam si non liceret extraneis emere non requisitis cognatis, si illi dicerent, quòd volebant emere, non liceret venditori vendere alicui, nisi illis: & tunc illi darent modicum precium, quod esset damnum vendentibus: potissimè, quia si tenerent extranei admonere cognatos priusquam emerent, teneretur etiã cognatus minus propinquus admonere propinquiorem: & tunc si illle vellet emere non posset emere quisquam de alijs: & sic esset in potestate illius dare modicum precium quantum ipse vellet, per quod læderetur nimis venditor: quia aut oporteret ipsum non vendere, aut venderet pro modico precio quantum vellet emptor. Debuit ergo concedi omnibus indistinctè, quòd emerent, scilicet, quòd quilibet emere posset non requisito aliquo. Ideo dicendum quantum ad emptionem, quòd si aliquis cognatus emere vellet, non tenebatur emere requirendo prius alios proprinquiores, sed nullo requisito poterat emere. De redemptioe secus est, quia illa fuit introducta in fauorem venditoris, scilicet, vt possessiones eius curarentur melius per cognatos, quàm per extraneos, ideo cognatis concessa est redemptio ab extraneis, & non extraneis, ab extraneis, nec extraneis, à cognatis. Concessa autem redemptione solis cognatis, non sequitur inconueniens, quod sequeretur si eis solis concederetur emptio, vel ipsi deberent prius admoneri: nam ad illud sequebatur diminutio pretij in venditione: vt supra declaratum est. Ad redemptionem autem non sequebatur ista diminutio precij: quia ius redimendi erat, quòd quandocunque cognatus venditoris, vel ipse venditor vellet rehabere rem venditam, daret pro ea partem precij suscepti secundum æstimationem, & proportionem temporis manentis vsque ad Iobelæum ad tempus per transitum à venditione, vt declaratum fuit supra in quadam quæstione. Et tunc siue cognatus esset, siue ipse venditor, non poterat diminuere de precio quod susceperat venditor, considerata tamen proportione, vt dictum est. Sic patet Leuitici vigesimo quinto: ideo solis cognatis debuit concedi redemptio, sed non debuit eis solis concedi emptio, nec debuerunt ipsi admoneri ab extraneis ad hoc, quòd emerent ipsi, si vellent. Dicendum tamen, quòd licèt solis cognatis competat redemptio, non est necesse, quòd cognatus minus propinquus admoneat propinquiorem, & emat semper, sed interdum possunt minus propinqui redimere possessiones venditas non requisitis propinquioribus. Pro quo sciendum, sicut supra dicebatur, quòd cognati interdum agunt iure propinquitatis, & interdum non. Accipiendo primo modo præferuntur propinquiores minus propinquis: & tenentur minus propinqui admonere propinquiores, v redimant. Accipiendo secundo modo possunt minus propinqui redimere admonitis magis propinquis. Ad sciendum autem, quando cognati agunt iure propinquitatis, & quando non, considerandum est, quòd aliqua sunt quæ non possunt fieri, nisi iure propinquitatis, eo quòd non competunt alijs, nisi propinquis, sicut est suscitare semen defuncti: nam solis eis datur Deut. 25. & alij dato quòd vellent suscitare semen defuncti, non possent, quia non dicerentur suscitare semen defuncti, sed semen suum, eo quòd filius suscitatus à propinquo iudicatur filijs defuncti propter propinquitatem, quæ videretur facere idem quadam naturali habitudine, & magis legali fictione. Dicuntur non agere iure propinquitatis, quando nō agunt ad suscitationem seminis cognati defuncti: ideo si primo modo quis redimere vellet possessionem, scilicet, vt illam redimendo suscitaret semen defuncti, competebat hoc iure propinquitatis, & tunc non poterat minus propinquus redimere possessionem non admonito magis propinquo. Sic fuit in casu Booz, & cognati sui, quia agebatur de suscitando semine Mahalon defuncti ex Ruth vxore sua, & qui possessionem reciperet, erat illam recepturus in vxorem; ideo magis propinquus admonendus erat, quia ad magis propinquum pertinet seminis suscitatio. Si autem consanguinei vellent redimere possessionem defuncti non animo suscitandi semen, poterat quilibet propinquus redimere illam, non requisito alio propinquiori. Ista expositio, quæ videtur vera. Sed adhuc obijcietur, quòd in omni casu redemptionis teneretur minus propinquus admonere propinquiorem si volebat redimere possessionem: nam hic licèt Booz ageret ista ad intentionem suscitandi semen Mahalon defuncti ex Ruth: tamen nō innuebat sic à principio, quando locutus est cognato suo, sed solùm, quòd vendita erat quædam pars agri Noemi, an vellet eam redimere cùm esset propinquior, & dixit ille, quòd redimeret eam: & tunc intulit Booz, quòd quando acciperet agrum etiam acciperet Ruth in vxorem ad suscitandum semen, ad quod ille dixit, quòd nolebat agrum, nec vxorem, sed quòd Booz vteretur priuilegio illius. Etiam dixit, cedo iuri propinquitatis. Dicendum ergo est, quòd requirebatur, quòd quandocunque sanguineus aliquis vellet redimere rem cognati venditam, quòd requireret, an alij propinquiores vellent redimere illam. Vel dicendum, quòd Booz egit ista ex vrbanitate, scil. admonens consanguineum suum, vt redimeret possessionem, quam ipse redimere poterat illo irrequisito. Sed dicendum est, quòd quamquam positio præcedens videatur rationabilis satis tamen in omni casu tenendum est, quòd in redimendo possessionem cognati semper minus propinquus teneatur admonere propinquiores, an vellent redimere, quia semper agunt iure propinquitatis. Nam nō competit redemptio, nisi propinquis: ideo iure propinquitatis competit: & vbicunque competit aliquid iure propinquitatis, deberet competere prius, vel perfectius propinquiori iuxta illam regulam Arist. 2. Topicorū, scil. si simpliciter ad simpliciter, & magis ac maximè, id est, si propter esse bonū est aliquid appetibile, propter esse magis bonū est magis appetibile. Ita de iure cōpetenti ratione consanguinitatis. Item patet, quia si nō tenererur Booz requirere cognatum suum ad redimendam possessionem, etiam in casu, in quo non erat seminis suscitatio, non requisiuisset eum: quia ipse requisiuit eum, quasi teneretur requirere, vt patet ex verbis Booz ad cognatum, quæ erant magis verba necessitatem ostendentia, quàm vrbanitatē, cùm ait, si vis possidere iure

propinqui-

Respon. ad quæsitum.

Quando cognati agunt iure propinquitatis, & quando non.

Obiectio.

Respon. ad obiectionem.

B C D E F

propinquitatis, eme, & poſſide, ſin autem diſplicet, indica mihi, vt ſciam quid agere debeam: ergo innuebat, quòd illi competebat primò iure cognationis redimere hæreditatē, & ſi ipſe nollet volebat eam Booz: & tamen ſi eſſet vrbanitatis cauſa facta intimatio iſta, nō exprimeret Booz, ꝙ ipſe vellet, vel deliberaret ſuper iſta redemptione cedente cognato ſuo. Item patet efficacius, ꝙ loquatur Booz de neceſſitate, & nō de vrbanitate, quia ſubiunxit: nō eſt enim propinquus excepto te, qui prior es, & me, qui ſecūdus ſum. Iſta inducebat Booz ad oſtendendū, quòd competebat redemptio iure propinquitatis, & deſignauit maiorē, & minorē propinquitatem: ergo videtur, quòd aliquid cōpetebat propinquiori, quod nō cōpetebat minus propinquo, quia alioquin ſuperfluum eſſet aſſignare primū, & ſecundū in propinquitate: & tamen Booz nō oſtendebat adhuc, quòd redemptio iſta poſſeſſionis fieret ad ſuſcitationē ſeminis, ergo in omni caſu ius redemptionis competebat propinquiori, & ille admonēdus erat ab alijs minus propinquis. Item patet, quia cognatus Booz facta iſta requiſitione acceptauit redemptionē poſſeſſionis tanquā ſibi competentē iure propinquitatis primò: & dixit Booz, quòd acciperet Ruth in vxorē, & tunc noluit ipſe acceptare redemptionē propter onus ſuſcitationis annexum. Item patet, quia dixit ille, cedo iuri propinquitatis, ergo videtur, ꝙ aliquod ius habebat cognatus Booz propter maiorem propinquitatē, quod non habebat Booz. Item iſte eius cognatus dixit, tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor: ergo habebat aliquod priuilegiū, quod non habebat Booz. Item conceſſit Booz cognatus eius priuilegium ſuum, & in ſignum conceſſionis ſoluit calceamentum de pedibus ſuis, vt patet infra in litera: ergo competebat ei propter maiorē propinquitatē aliquid de iure redimendi, quod nō competebat Booz. Dicendū ergo, ꝙ quandocunq; vnus cognatus vellet alterius cognati redimere poſſeſſiones venditas oportebat, quòd omnes alios propinquiores ſe admoneret.

Quomodo lex iſta de venditione poſſeſſionum immobilium ad certum tempus non fuit obſeruata ab alijs populis, cùm eſſet tam conueniens.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur, cùm iſta lex de venditione poſſeſſionum immobiliū ad certum tempus, & nō in perpetuum eſſet tam conueniens, vt declaratū eſt in præcedentibus, quomodo nō fuit obſeruata ab alijs populis. Dicendū, quòd iſta lex nō fuit obſeruata apud alios populos: nec obſeruatur cōmuniter, eo quòd non eſt tam vtilis alijs populis, ſicut Iudæis. Ratio differentiæ eſt, quia Iudæis erat neceſſarium, ꝙ nunquā venderent poſſeſſiones immobiles, vel illas venderent ad tempus paucum, eo quod debebant progenies eorum manere diſtinctæ, ſicut fuerant ab initio: & Deus hoc volebat Nu. 36. nō poterant tamen eas diſtinctè conſeruare, niſi per aliqua immobilia bona, quæ manerent ſemper in ipſis progeniebus, per quę cognoſcerentur homines, quarum familiarum, & tribuū erant. Si autē venderentur poſſeſſiones in æternum, vel ad tempus valde longū periret iſta diſtinctio, ergo nō conceſſa eſt talis venditio. Apud alias autē gentes nō eſt neceſſitas iſtius diſtinctionis tribuum, & familiarum, ſicut apud Iudæos, quia illud fiebat præcipuè propter Meſſiam, vt ſciretur de qua ſtirpe erat, de quo declaratū eſt Nu. 27. & 36. & Leui. 25. in alijs autē gentibus nihil tale futurum erat, ideo cōceditur, quòd quilibet vendat poſſeſſionem ſuam: ſeruatur tamen ſimilitudo quantum ad aliquid, quia in bonis, quæ veniūt iure primogenituræ ſeruatur hoc, ſcil. quòd illa non poſſunt alienari donando, vendendo, vel qualitercunque. Inter Iudæos autem ſeruabatur ius primogenituræ, vel conditio primogenituræ in omnibus quantum ad hoc, ſcil. quòd bona nullius vendi poſſent, nec alienari in æternum. Etiam apud quoſdam populos ſeruabatur iſtud quantum ad aliud, ſcil. quòd nullus permittebatur vendere bona ſua immobilia. Et in alijs nullus permittebatur vendere, niſi oſtenderet cauſam neceſſariā, ſicut fuit quondā apud Locrenſes, vt recitat Ariſtot. 2. Polit. Nunc autem nullam gentem ſcimus, quæ talia obſeruet: quia nulla vtilitas videtur ſequi ex hoc, quòd non permittatur, quilibet vendere poſſeſſionem ſuam.

In quo gradu propinquitatis iſte cognatus Booz attinebat ad Elimelech.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, cùm dixerit hic Booz ad cognatum ſuum, quòd emeret iure propinquitatis poſſeſſionem quam vendiderat Ruth Noemi, in quo gradu propinquitatis attinebat iſte ad Elimelech, & in quo gradu Booz. Pro quo præſupponendū, ꝙ Booz & cognatus ſuus, de quo hic dicitur, erant cognati Elimelech, cuius poſſeſſio vendebatur: quod patet, quia ipſe dixit, quòd nullus erat propinquus niſi ambo, & ideo competebat ambobus ius repetendi & redimendi hæreditatē. Aliqui autem dicunt, quòd iſti duo erant fratres Elimelech, quia Booz dixit hic, partē agri Elimelech fratris noſtri vendit Noemi. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia ſi ambo eſſent fratres Elimelech ambo attinerent in eodem gradu ipſi Mahalon defuncto, cuius poſſeſſio vendebatur, & tamē cognatus Booz erat propinquior, quia ipſe, ſicut dixit, vt patet hic, & præced. cap. ergo non erant ambo fratres Elimelech. Alij dicunt, quòd erant ambo iſti fratres Mahalon defuncti. Et patet hoc, quia ſuſcitare ſemen pertinet ad fratres defuncti, vt habetur Deut. 25. ſed iſti ſuſcitabant ſemen Mahalon, ideo erant fratres eius. Dicendū, quòd non ſtat per rationem ſupra poſitam: nam ſi ambo eſſent fratres Mahalon attinerent ei in eodem gradu, & tamen non attinebant, quia erat vnus propinquior alio, ideo non erant fratres eius. Secundo patet, quia ſi eſſent fratres Mahalon eſſent filij Elimelech, & Noemi, vel ſaltem alterius ipſorum: & tamen hoc non ſtat. De Elimelech enim quod non eſſet pater eorum patet, quia ipſi vocauerunt eum fratrem, dicentes: partem agri Elimelech fratris noſtri. Quòd autem Noemi non eſſet mater eorum patet quia non locuti ſunt de ea, ſicut de matre, ſed ſicut de extranea, dicentes: partem agri vendidit Noemi, quæ reuerſa eſt de regione Moab. Item quia Booz, quando loquebatur de Noemi, ſemper habebat eam vt extraneam: nam dixit Booz ad Ruth, noſo quod reuertaris vacua ad ſocrum tuam. Item, quia Noemi dixit de Booz ad ipſam Ruth, propinquus noſter eſt homo: ſi tamen eſſet filius non vocaret eum propinquum, ſed alio nomine ſpecialioris propinquitatis, ideo non erat frater Mahalon. Item ſi iſti duo eſſent fratres Mahalon, tenerentur ſuſcitare ſemen eius ſub pœna, quæ habetur Deuteron. 25. & tamen cum nollent ſuſcitare ſemen, non fuit hic inflicta pœna, quæ habetur ibi, vt patet hic in litera, ergo non erant fratres Mahalon. Dicendum igitur, ꝙ iſti duo erant cognati Mahalon filij Elimelech, & tamen nō erant fratres eius, nec erant patrui eius, ſcil. fratres Elimelech patris eius: ꝙ apparet ex probationibus inductis: & tamen licèt nō eſſent fratres, nec patrui pertinebat ad eos redemptio poſſeſſionū Elimelech, & ſuſcitatio ſeminis Mahalon. Cùm autem objcitur, quòd iſti eſſent fratres Elimelech, cum dicatur hic, Elimelech fratris noſtri. Dicendū, quòd frater accipiē largè pro quolibet cognato: & interdū omnes Hebræi inter ſe vocantur fratres, vt patet Exo. 21. & Deut. 16. Cum autē dicitur, ꝙ iſti duo erant fratres Mahalon, eo ꝙ competebat eis ſuſcitare ſemen illius: dicendū, quòd nō ſtat, quia etiā nō fratribus cōpetebat hoc, dum tamē eſſent cognati in aliquibus gradibus propinquis. Et patet, quia Booz, & cognatus ſuus erant cognati Mahalō, & nō erant ambo in eodē gradu, & tamē competebat vtriq; ſuſcitare ſemen Mahalon, vt patet in litera: & tamē dato, ꝙ vnus eorū eſſet frater Mahalon, nō poterant ambo eſſe fratres eius, quia nō erāt cognati æqualiter, & tamē ſi eſſent fratres eſſent cognati in eodem gradu: & ſic ad alios cognatos, qui nō erant fratres pertinebat etiā ſuſcitare ſemē defuncti: de quo magis declarabitur infra in quadam quæſtione.

Respon. ad quæſitum.

Quare dixit Booz ad cognatum ſuum, quòd Noemi vendiderat partem agri.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, quare dixit Booz ad cognatum ſuum, quòd Noemi vendiderat partem agri. Dicendū,

quod

A quòd Booz volebat agere de contractu matrimonij cum Ruth, vt ſuſcitaretur ſemen defuncti, & quia hoc pertinebat ad propinquos, & nunc non erant, niſi duo, ſcil. Booz, & cognatus ſuus, ſicut dicitur hic in litera, ſcilicet. Nullus eſt propinquus excepto te, qui prior es, & me, qui ſum ſecundus: ideo volebat Booz agere, quòd ipſe, vel cognatus ſuus acciperet Ruth in vxorem: & quia ipſe non poterat accipere Ruth in vxorem, niſi prius cognatus ſuus cederet iuri cognationis, voluit tentare Booz cognatum ſuum, an vellet accipere Ruth in vxorem, vel non: & ad ſciendum hoc propoſuit id, in quo poterat ſciri, ſcilicet, quòd Noemi vendiderat partē agri pertinētem ad Elimelech, & ipſe erat propinquus, an vellet redimere illam: iſtud proponebat, quia veriſimiliter præſumebat Booz, quòd cognatus ſuus vellet poſſeſſionem emere, ideo nunc diceret Booz, quòd acciperet ſimul Ruth in vxorem, & ſi non recuſaret iſtud onus, bene factum eſſet, ſi autem recuſaret deuolueretur ad ipſum. Sed tunc dicendum, quare Booz non propoſuit ipſi cognato ſuo iſtud ſimpliciter, ſine aliqua venditione poſſeſſionis, dicens, quòd acciperet Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti cognati ſui, quia etiam hoc modo poſſet cognoſcere, an ipſe vellet facere hoc. Dicendum, quòd Booz voluit iſtud proponere ad inducendum de matrimonio Ruth propter multa. Primum erat ad magis mouendum cognatum ſuum, vt acciperet Ruth in vxorem: nam ſi proponeret ei ſimpliciter, ſcilicet, an vellet ipſam in vxorem, fortè illico recuſaret onus, ſicut poſtea recuſauit. Cùm autem propoſuit ei de redemptione hæreditatis motus eſt ad redimendum eam, dicens: ego agrum emam: ideo cum poſtea diceretur ei, quòd acciperet Ruth in vxorem, acciperet illam fortè ex rubore ne videretur mutabilis cum conceſſiſſet primum, cui iſtud annexum erat. Secundum erat, vt magis appareret voluntas illius ad nō accipiendum Ruth in vxorem: nam præſumebat Booz, quòd cognatus ſuus nollet accipere Ruth: & tamē, vt magis appareret in eo voluntas iſta fuit cōueniens, quòd poneret Booz aliquid, ad quod moueretur ille, & tamen illud dimitteret, vt non acciperet Ruth in vxorem, ſcil. quòd diceret ei Booz ſi volebat hæreditatem iſtam redimere, quæ erat concupiſcibilis, & ille acceptaret eam: & poſtea proponeret ei, quòd acciperet Ruth in vxorem, quæ erat aliquid annexum, & dimitteret hæreditatem, quam acceptauerat, vt non acciperet Ruth appareret, quòd nullo modo eam volebat. Tertium fuit, vt non præſumeretur aliquid contra ipſum Booz: nam ſi ipſe proponeret cognato ſuo, quòd acciperet Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen, & nō proponeret aliquid aliud, per quod alliceretur ad eam accipiendum: & non acciperet illam cognatus, ſed poſtea illam acciperet Booz: præſumeretur contra illum, quòd ipſe deſideraſſet accipere Ruth in vxorem: & ob hoc propoſuerat ipſi cognato ſuo id, quod erat graue ſolùm, ſcilicet, quòd acciperet Ruth in vxorem, & non propoſuerat ei quod erat concupiſcibile, ſcilicet redimere poſſeſſionem: vt ergo non poſſet contra eum præſumi, propoſuit ei id, per quod allici poterat ad capiendum eam, vt cùm ipſe poſtea illam caperet non præſumeretur contra eum quidquam. Quartum erat ad declarandum, quo iure accipiebat Ruth in vxorem: nam ſi non propoſuiſſet Booz de redimenda poſſeſſione, & propoſuiſſet de accipienda Ruth in vxorem, & acciperet eam nolente illam accipere cognato ſuo, nō appareret adhuc an acciperet eam ad ſuſcitandum ſemen defuncti, vel aliquo modo: quia poterat eam accipere vno modo, vel altero, vt infra declarabitur in quadā quæſtione: & ſi non acciperet eam ad ſuſcitandū ſemen, non poſſet redimere poſſeſſiones venditas defuncti, ſed vendicaret eas alius cognatus, qui propinquior erat. Vt ergo appareret, quòd ad eum pertinebat iſta redemptio, & non ad cognatum ſuum, voluit oſtendere publicè, quòd accipiebat Ruth ad ſuſcitandū ſemen defuncti. Hoc autem nō poterat indicari conſequenter, niſi per iſtam præſumptionem de redimenda poſſeſſione, quia ille, qui vellet redimere poſſeſſionem iure propinquitatis, oſtenderet ſe velle vti iure propinquitatis in ſuſcitatione ſeminis, & cùm cognatus Booz publicè refutaret iſtam ſuſcitationem, ſuccederet publicè Booz in redemptione poſſeſſionis, & ſuſcitatione ſeminis. Quintum erat, quia non ſolùm volebat Booz accipere Ruth in vxorem, ſed etiam cum illa omnia bona, quæ fuerant Elimelech, & filiorum ſuorum: & quia iſta bona non perueniebant ad eum licèt acciperet Ruth in vxorem, ſi non acciperet eam ad ſuſcitandū ſemen defuncti, ideo voluit oſtendere, quòd accipiebat eam ad ſuſcitationem ſeminis: nam ſi Booz accepiſſet Ruth non ad ſuſcitationem ſeminis, non proueniebant ei bona defuncti; & ſi vellet illa accipere obſtaret ei cognatus ſuus, dicens, quòd ad eum pertinebant, quia ipſe erat propinquior: ideo expediens fuit ipſi Booz, quòd oſtenderet publicè, quòd accipiebat Ruth in vxorem ad ſuſcitationem ſeminis defuncti, vt per hoc publicè ſuccederent ei omnia bona defunctorum, & renunciaret cognatus ſuus priuilegio. Iſta autem non potuiſſent conuenienter fieri, ſi non propoſuiſſet Booz de redemptione hæreditatis: ideo debuit proponere: quia aliàs non cognoſceretur, an acciperet Ruth ad ſuſcitandum ſemen, vel aliàs. Etiam cognatus ſuus non cederet iuri propinquitatis.

Cùm Booz referret Noemi poſſeſſionem vendidiſſe, cur addidit, eam de terra Moab reuertiſſe.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, cùm Booz enarraret cognato ſuo caſum, ſcilicet, quòd Noemi venderet quandam poſſeſſionem, cur dixit, quæ reuerſa eſt de regione Moabitide? quia iſtud nunc non videbatur pertinere ad neceſſitatē hiſtoriæ. Aliquis dicet, quòd iſtud poſitum fuit quaſi ex accidenti, licèt non multum faceret ad hiſtoriam. Dicendum, quòd non ſtat hoc, quia ſacra ſcriptura eſt nimis moderata, & in ea non debet aliqua ſuperfluitas nominari, quia potius debet aliquid dici breue, quàm ſuperfluum; ideo cùm poteſt aſſignari ratio dicti in ſacra ſcriptura non debet dici eſſe ſuperfluum, vel ex accidenti dictum. Dicendum ergo, quòd iſtud tetigit Booz ad ſignificandum quaſi ſummam dictorum ſuorum: nam dicebat, quòd Noemi vendiderat partem agri Elimelech viri ſui: & quia ager non erat ſuus, ſed pertinebat ad hæredes viri ſui, qui erant iſti cognati duo, ſcilicet Booz, & cognatus ſuus, non poterat vendere ſine aliqua vrgente neceſſitate, & ad ſignificandum iſtam neceſſitatem, dixit, quæ reuerſa eſt de regione Moabitide, ſcilicet, ſtetit in regione illa peregrinando decem annis famis, & ibi conſumpſit bona multa, & virum, & filios perdidit, & nunc reuerſa eſt inops: ideo eget, vt vendat aliquam poſſeſſionem ad ſe ſuſtentandum: voluit etiam tangere aliud, quòd poſtea dicturus erat: nam volebat dicere Booz de ſuſcitatione feminis Mahalon mortui, qui fuerat vir Ruth, & ad hoc debebat ſignificare quomodo maritus Ruth, qui erat cognatus eorum mortuus erat, & iſtud ſignificauit in breui, dicens, quæ reuerſa eſt de regione Moabitide. Hæc autem omnia implicitè tetigit, dicendo, quæ reuerſa eſt de regione Moab, ſicut nos in locutionibus noſtris præmittimus quædam verba comprehenſiua magnę ſententiæ quantū ad ea, quæ poſtea ſequuntur in ipſis locutionibus.

Bona Elimelech, & Chelion, & filiorum, quo iure manebant in poteſtate Noemi, & quanto tempore manere debebant.

QVÆSTIO XXII.

VLTERIVS, cùm nunc bona Elimelech, & Chelion, & Mahalon filiorum ſuorum eſſent in poteſtate Noemi, & Ruth, quo iure erant, & vſque ad quantum tempus permanere debebant apud illas. Dicendum eſt, quòd bona Elimelech, & filiorum ſuorum, quæ manebant nunc apud Noemi, & Ruth non erant ipſarum, quia ipſæ non poterant ſuccedere in eis: nam in veteri teſtamento fœminæ non ſuccedebant vnquam in bonis immobilibus, niſi cùm quis moreretur nullos habens filios Numer. vigeſimo ſeptimo, quia tunc ſi haberent filias pertinebant bona ad illas: hic autem non habebat Elimelech, & filij ſui filios, nec filias; ideo bona eorum deuoluebantur ad cognatos propinquiores, ſed nullo iure pertinebant ad Noemi, & Ruth, vt declaratum fuit ſupra in quadam quæſtione, qua quærebatur an Noemi poterat vendere iſtā poſſeſſionē, de qua hic dicitur.

Sed

A Sed dicendum, quòd bona manebant nunc apud eas ex conceſſione legis, eo quòd iſtæ videbantur repræſentare virorũ defunctorum perſonas: & quamdiu illas repræſentarent tenerent bona iſta. Cùm autem deſinerent repræſentare tranſirent bona ad alios. Pro quo ſciendum, quòd iſta bona erant Elimelech, Chelion, & Mahalon defunctorum: & ſecundum legem proueniebant filijs eorum. Non habebant tamen filios aliquos, ideo volebat lex, quòd darentur filij, qui ſuſcitarentur eis, qui eſſent filij legales, ſcil. lex iubebat, quòd cognati defunctorũ ſuſcitarent ſemen ipſorũ: & filil, qui naſcerentur de vxoribus defunctorũ, & cognatis ipſorũ ſuſcipientibus eas, iudicabantur filij defunctorum: & iſti habituri erant bona ipſorũ, ac ſi eſſent filij eorum: ideo quamdiu vxor defuncti erat in potentia ad ſuſcipiendũ virum, qui ſuſcitaret ſemen defuncti, repræſentabat perſonam mortui, & quòd de ea naſciturus erat filius ipſi mortuo, & ob hoc tamdiu tenebat ipſa bona defuncti. Si autem mulier diſponeretur taliter, quòd iam non ſuſcitatura eſſet defuncti ſemen, ſcilicet, quia acciperet aliquem in virum, qui non poterat ſuſcitare ſemen defuncto, eo quòd non erat de cognatione ſua, poterat tenere iam bona defuncti, & trãſibant ea ad hæredes defuncti: nunc autẽ ſic erat in Ruth, & Noemi, quia Elimelech, Chelion, & Mahalon mortui bona reliquerant, & Ruth volebat ſuſcitare ſemen viro ſuo cum eſſet
B prompta ſuſcipere in virum quemquam cognatum viri ſui, qui ſuſcitaret ſemen eius, ideo manere debebant adhuc bona penes Ruth. Cùm autem Ruth acciperet virum ad ſuſcitandum ſemen defuncto, tranſibant bona ad poteſtatem viri, eo quòd principaliter ille ſuſcitabat ſemen defuncto: cùm autem filius natus eſſet loco defuncti, quia ille cenſebatur tanquam eſſet vere filius eius, ad illum bona tranſibant, quia propter illum facta fuerat tota iſta ſuſcitatio, & ille plenè repræſentabat perſonam defuncti. Si autem Ruth accepiſſet in virum aliquem, qui non eſſet de cognatione Mahalon viri ſui: eo facto priuanda erat poſſeſſione bonorum.

Cùm bona hæc tenerentur nunc pro indiuiſo à Noemi, & Ruth: ad quam propriè attinebant hæc bona, & eorum venditio.

QVÆSTIO XXIII.

VLTERIVS quæretur, cùm bona iſta prædicta tenerentur nunc pro indiuiſo à Noemi, & Ruth, ad quam proprie pertinebant iſta bona, vel ad quam expectabat venditio eorum, cùm nunc vendita fuerint aliqua. Aliquis dicet, quòd ad Noemi pertinebat bonorum poſſeſſio, & etiam venditio. Quod patet, quia ipſa vendidit partẽ agri Elimelech, vt patet inf. in litera. In contrariũ videtur, q̃ pertinebat
C ad Ruth, quia propter Ruth, acceperit illa Booz omnia, ſcil. accepta Ruth in vxorẽ, & tamen non accepiſſet omnia cum illa niſi nunc poſſeſſio omnium pertineret ad illam. Aliquis dicet, quòd non competebant iſta bona in ſolidũ ad aliquã iſtarũ, ſed ad vtranq; ipſarũ aliquid pertinebat: quod patet, quia iſta bona erant trium virorũ, ſcil. Elimelech, Chelion, & Mahalon, & competebant fœminis propter viros defunctos, ſed Noemi erat vxor Elimelech, & Ruth Mahalon: ergo ad vtranq; diuiſim pertinebant bona. Dicendũ tamen, q̃ hoc non ſtat, quia non pertinebant aliqua bona ad Noemi, ſed omnia ad Ruth, quòd patet, quia competebant bona iſta fœminis inquantũ ſuſcitaturæ erant ſemen viris ſuis defunctis: ſed Noemi non erat ſuſcitatura ſemen, ergo non competebat ei poſſeſſio aliquorum bonorũ. Patet, quia Noemi erat vetuſtiſſima nõ apta vinculo coniugali, vt ipſa dixit ſupra II. cap. Secundò patet, quia dato quòd Noemi eſſet ætate iuuencula, & non repugnaret ei concipere, nõ competeret ei ſuſcitare ſemen viro ſuo, eo quod ſecundũ legem non erat ſuſcitandũ ſemen ipſi Elimelech: quia ſemen ſuſcitatur illi ſoli, qui ſuſcepit vxorẽ, & non genito filio mortuus eſt, & reliquit vxorem: vel ſi genuit filiũ mortuus eſt filius ante patrem priuſquam acciperet vxorem, & tamen non fuit ſic in Elimelech, quia ipſe genuit duos filios, ſcil. Chelion, & Mahalon, & mortuus eſt ante illos, & ipſi acceperunt vxores, ideo filijs ſuis, & nõ ei ſemen ſuſcitandum erat, quia ipſe ſemen reliquerat. Tertiò patet, quia quando Booz accepit Ruth in vxorem non dixit ſe accipere illam, niſi ad ſuſcitandum ſemen Mahalon, vt patet inf. in litera: nõ poterat ergo tenere Noemi aliqua bona propter ſuſcitationem ſeminis. Quartò patet, quia dato quod deberet Noemi ſuſcitare ſemen viro ſuo Elimelech nõ habebat aliqua bona, quæ poſſideret: nam nulla bona ei relicta ſunt de bonis viri ſui, eo q̃ quando mortuus eſt Elimelech manſerũt duo filij eius Chelion, & Mahalon, vt patet ſup. I. & illi ſuccedebant in bonis. Nam exiſtentibus filijs nulli alij hæredes requirũtur Nu. 27. ideo tranſierunt ad eos omnia bona Elimelech, vel ius omnium bonorum, deinde mortui ſunt illi non relicto ſemine, & vxor alterius eorũ, ſcil. Ruth manſit quæ poterat ſuſcitare ſemẽ ſaltem vnius eorũ, ideo ad illã tranſire debebant bona ſub ſpem ſuſcitationis ſeminis. Et patet hoc, quia quando data eſt ipſa ad ſuſcitandum ſemen Booz in vxorem: omnia bona cum ea data ſunt: ergo quando non erat data etiam ad eam omnia pertinebant, & nihil ad Noemi, ideo venditio iſtorum, vel alienatio quæcunq; pertinebat ad ius Ruth, & non Noemi: & tamen Noemi vendebat, eo quod ipſa erat ſocrus, & Ruth erat Nurus, & ſic erat Noemi tanquã mater: ideo iuſtum erat, quòd diſpoſitio rerum omnium pertineret ad Noemi: potiſſimè, quia cùm Ruth tantũ diligeret ipſam Noemi, permitteret ei diſpoſitionem omnium rerum, quæ ſibi deberetur.

D

E

Cur Booz dixit, quòd Noemi vendiderat partem agri Elimelech, & non dixit quòd Ruth.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR vlterius, cum ius vendendi pertineret ad Ruth, & tota adminiſtratio rerum: cur Booz dixit, quòd Noemi vendiderat partẽ agri Elimelech, & non dixit quod Ruth. Reſpondendũ, quòd Booz voluit facere, quòd cognatus ſuus oſtenderet voluntatem ſuam circa Ruth accipiendam in vxorem, quòd nolebat illam, & vt magis pateret iſta voluntas, voluit Booz proponere aliquid, per quod alliceretur cognatus eius, & acceptaret id, & tamen poſtea reſurgeret tantũ onus, quòd ſibi imponebatur de ſuſcitatione ſeminis Mahalõ ex Ruth: & ob hoc derelinqueret quod iam acceptauerat: ex quo appareret, quòd nimis exoſum habebat recipere Ruth in vxorẽ. Et ad hoc vt declaratum eſt, ſup. in quadã quæſt. debuit dicere Booz cognato ſuo prius ſi vellet redimere poſſeſſionẽ quandã, quam vendiderat Noemi quam ſi vellet ſuſcitare ſemen, quia ſi prius diceret de ſuſcitatione ſeminis neutrum vellet: ex eadem cauſa debuit dicere, quòd vendiderat poſſeſſionem iſtam Noemi, & non Ruth, quia dicendo, quòd Noemi vendebat non ſignificabatur, quòd accipiens poſſeſſionẽ deberet accipere Noemi ad ſignificandum ſemen, quia ipſa non erat apta ad ſuſcitationem ſeminis, cum eſſet ſenectute confecta ſup. I. c. Si autem diceretur, quòd Ruth vendebat poſſeſſionem ſignificaretur, quòd etiã ea deberet ſuſcitare ſemen. Nam Ruth erat iuuencula apta ad ſuſcitationẽ ſeminis, & vir ſuus deceſſerat ſine ſemine, ideo accipienda erat in vxorem ad prædictam ſuſcitationem. Voluit ergo dicere ad Noemi, vt non retraheretur cognatus ſuus ab acceptatione redemptionis hæreditatis timens ſeminis ſuſcitationem, quam tamen timeret ſi diceretur ei, quòd Ruth vendebat poſſeſſionem. Alia cauſa forte poteſt eſſe, ſcilicet, quòd Booz non diceret hoc, vt cognatus ſuus non formidaret ſeminis ſuſcitationem, ſed quia adminiſtratio totius poſſeſſionis Elimelech, Chelion, & Mahalon erat penes Noemi, licèt de iure competeret ipſi Ruth, dicebatur ipſa Noemi vendere, & non Ruth nurus eius.

F

Si Ruth nollet ſuſcitare ſemen viro defuncto, quid fieri deberet de iſtis poſſeßionibus Elimelech, Chelion, & Mahalon.

QVÆSTIO XXV.

VLTERIVS quæretur, ſi Ruth nollet ſuſcitare ſemen viro, vel cõtingeret, quòd non ſuſcitaret, quid fieri deberet de iſtis poſſeſſionibus Elimelech, Chelion & Mahalon. Dicendũ, quòd aut Ruth nolebat ſuſcitare ſemẽ viro ſuo, ſcil. q̃ nolebat accipere in virum aliquem cognatum viri ſui, aut

aliquo

A aliquo modo contingebat, quòd non ſuſcitabatur nomẽ, vel ſemen, licèt ipſa vellet. Si primum, dicendum, quòd nõ permittebatur mulier voluntati ſuæ, quia mulier defuncti non relinquentis ſemen erat obligata ſecundùm legem ad hoc ꝙ acciperet in virum aliquem de cognatis viri ſui, ſi ille vellet: & ſi antequam admoneret cognatos viri ſui acciperet in virum alium erat adultera, & poterat accuſari de adulterio: ſicut ſi eſſet fornicata cum alio viro poſt conſummatum matrimonium, vel dum erat deſponſata per verba de præſenti, vt declarabitur infrà in quadam quæſt. & patet Geneſ. 38. de Thamar nuru Iuda, quæ erat ſuſcipienda in vxorem à Sella filio Iudæ ad ſuſcitandum ſemen fratrum ſuorum defunctorum ſine ſemine, ideo iſte caſus non ſtat. Si autem contingeret, quòd mulier volens ſuſcitare ſemen viro nõ ſuſcitaret illud, iſtud eſſet tripliciter. Vno modo, quia cõtingebat, quòd mulier antequam acciperet in virum aliquem de cognatis ſuis, moriebatur, vel quia moriebantur omnes cognati defuncti, ita vt nullus ſupereſſet, qui poſſet de iure ſuſcitare ſemen. Vel quia accepta eſt in vxorem ab aliquo de viri ſui cognatis, & tamen non ſuſcitatum eſt ſemen. Si primo modo, cùm mulier maneret in propoſito ſuſcitandi ſemen quandocunque vellet eam accipere in vxorem aliquis de cognatis viri ſui cẽſebatur adhuc repræſentare perſonã defuncti, vt declaratum eſt ſuprà in quadam quæſtione: ideo manebant ſemper bona defuncti penes ipſam mulierem: Mortua autem illa, quia nõ

B erat ſpes vlla de ſuſcitatione ſeminis defuncti, cùm non eſſet mulier, de qua deuoluebantur bona ad heredes defuncti, qui ſecundùm legem ab inteſtato ei ſuccedebant, niſi fortè ſupereſſent aliæ vxores defuncti non repudiatæ: nam ex qualibet illarum poterat ſuſcitari ſemen defuncto, vt declarabitur infrà in quadam quæſtione: quia tunc defuncta vna vxore deuoluerentur bona ad alteram, quæ poſſet, & deberet de iure ſuſcitare ſemen defuncto: ſi tamen vnica eſſet vxor, mortua ilia, tranſibant illicò bona ad hæredes defuncti, qui ſuccedebant ſibi ab inteſtato. Vnde ſi Ruth contingeret mori antequam acciperetur in vxorem à Booz ad ſuſcitandum ſemen, manerent bona defunctorum apud eam ipſa viuente, ſicut nunc manſerunt: & ipſa mortua tranſirent illicò ad cognatos viri ſui, ſcilicet ad Booz, & cognatum ſuum, vel alterum eorum. Si autem ſecundo modo, ſcilicet, quòd moriebantur omnes cognati ipſius defuncti antequam quiſquam eorum ſuſciperet vxorem illius ad ſuſcitationem ſeminis, deuoluebantur bona ad proximos hæredes. Iſte autem caſus ſatis poſſibilis erat, quia licèt non poſſet aliquis mori in toto Iſraël, qui non haberet cognatos aliquos, ſiue modicum, ſiue multum in gradu diſtantes, ita vt poſſent ei ſuccedere ab inteſtato: tamen poterat eſſe, quòd quis eſſet, qui non haberet aliquem cognatum, qui ſuſcitare poſſet ſemen eius: quia ad ſuſcitandum ſemen non admittebantur omnes cognati in

C quocunque gradu eſſent: ſed ſolùm illi, qui erant in gradu quodam determinato. Quod patet, quia Booz dixit hic ad cognatum ſuum, quòd nullus erat propinquus, qui poſſet redimere iure propinquitatis poſſeſſionem venditam, niſi ambo, ſcilicet ipſe, & cognatus ſuus. ſi autem iſti duo receſſiſſent tempore hoc, nullus maneret, qui iure propinquitatis poſſet redimere poſſeſſionem Elimelech, & conſequenter nec ſuſcitare ſemen, cùm ſuſcitatio ſeminis fieret iure propinquitatis, ſcilicet ſemper ab immediatiori: ſi autem iſti duo eſſent mortui, iam nulla eſſet ſpes ſuſcitationis ſeminis defuncti, quia nullus eſſet qui ſuſcitaret: ideo non manerent bona iam penes Ruth, quia apud ipſam manebant inquantum ipſa erat apta ſuſcitare ſemen defuncto, & tunc deuoluerentur iſta bona ad hæredes proximos Elimelech, & filiorum eius. alij tamen eſſent in tali gradu, quòd non poſſent ſuſcitare ſemen iſtorum. Si autem tertio modo, ſcil. quòd mulier accepta eſt in vxorem ab aliquo de cognatis viri ſui ad ſuſcitandum ſemen: & tamen non ſuſcitatum eſt. Dicendum, quòd quomodocunq; ſit, illicò, vt quis de cognatis accipiebat mulierẽ ad ſuſcitandum ſemen defuncto, deuoluebantur bona ad ipſum ſub ſpe, quòd inde filius naſciturus eſſet, qui cenſeretur filius defuncti, & loco eius haberetur & ſuccederet ei, & tunc poterat contingere, quòd iſti dantes opera generationi non gignerent: & tamen hoc non obſtante quamdiu manerent iſti duo, bona manebant penes illos: ſi autem decederet alter ipſorum, & non eſſet genitus filius vel filia, aut decederet vir aut fœmina, ſi decederet fœmina, auferebatur iam ſpes ſuſcitandi ſemen cùm non poſſet fieri ſuſcitatio niſi ex vxore defuncti, ideo deuoluebantur tunc bona ad hæredes proximos defuncti, qui ab inteſtato ei ſuccedebant: niſi eſſent multę vxores defuncti non repudiatæ, quia quælibet illarum poſſet tunc ſuſcitare ſemen viro ſuo, ſi nondum accepiſſet alium virum, & fieret de qualibet illarum, ſicut dictum eſt de prima. Si autem decederet vir, aut fœmina manens eſſet apta ad ſuſcitandum ſemen, aut non: ſi eſſet inepta ad ſuſcitationem ſeminis, vtpotè quia ſenectute confecta, deuoluebantur illicò bona ad hæredes defuncti, velut ſi non reliquiſſet vxorem, quia non eſſe, & inutilem eſſe æquiparantur. Si autem eſſet apta ad ſuſcitandum ſemen, quia adhuc erat in ætate in qua poſſet gignere: aut ſupererat aliquis de cognatis defuncti, qui vellet eam accipere in vxorẽ, aut non: ſi nullus ſupereſſet, deuoluebatur hæreditas ad proximos hæredes defuncti, qui tñ non ſuſcitabant ſemen eius, vt declaratum eſt in ſecundo caſu: ſi autem aliqui ſupererant, qui poſſent ſuſcitare ſemen defuncti, manebant bona apud mulierem, & ipſa tenebatur admonere eos an quiſquam eorum vellet ſuſcitare ex ea ſemen defuncto. Et ſi quiſquam vellet, accipiebat illam, & tranſibãt bona ad eum, & manebant apud ipſum vſquequò gigneret filium ipſi defuncto ſuccedentem. Vel moreretur alter coniugum, & tunc fiebat ſicut ſuprà dictum eſt. Si autem quiſq; de cognatis defuncti nolebat mulierem accipere in vxorem, declarabitur ſequenti quæſt.

D

E

Quid fieret de poſſeſſionibus Elimelech, Chelion, & Mahalon, ſi Booz & alij cognati nollent accipere Ruth in vxorem, & an ſuccederet Rut in bonis defunctorum.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi Booz nollet accipere Ruth in vxorem, nec etiam cognatus ſuus de quo hic dicitur, quid fieret de poſſeſſionibus Elimelech, Chelion, & Mahalon?

Dicendum, quòd vxor defuncti quando non reliquerat defunctus ſemen, tenebatur admonere cognatos defuncti, vt eam quiſquã eorum ſuſciperet in vxorem, & admonebat eos perdinem, ſicut competebat eis ordinatim ſuſcitatio ſeminis. nam propinquiori competebat immediatè, & ille admonendus erat, an vellet ſuſcitare ſemen fratri ſuo, vel cognato: & ſi nollet, fiebat pœna, quæ habetur Deut. 25. ſi eſſet frater defuncti, ſcil. quòd mulier diſcalcearet eum, & ſpueret in faciem eius, vocareturque domus eius domus diſcalceati in Iſraël. Si autem eſſet cognatus, & non frater, non fiebat iſta pœna, vt declarabitur infrà in quadam quæſtione. & poſt hunc admonebat mulier ſequentem: & ſi nollet, fiebat idem. Et ſic diſcurrebat per omnes, quotquot erant illi, qui poterant de iure ſuſcitare ſemen defuncto. Nam non poterat quilibet cognatus in quocunque gradu ſuſcitare ſemen defuncto, vt dictum eſt præcedenti quæſtione, & magis declarabitur infrà in quadam quæſt. & ſi aliquis iſtorum ſaltem vltimus ſuſciperet eam, ad illum tranſibant poſſeſſiones, ſicut dictum eſt præcedenti quæſtione. ſi autem nullus vellet ſuſcipere mulierem iſtam, ipſa poterat accipere in virum aliquem, qui non eſſet de cognatione viri ſui: & tamen tunc nõ tenebat aliquid de poſſeſſionibus eius, ſed deuoluebãtur omnes ad cognatos proximos, ſcilicet quòd iſtimet, qui mulierem illam accipere noluerant ſuccederent in iſtis bonis, etiamſi non ſuſcitarent iam defuncti ſemen. Et ſic ſi Booz noluiſſet accipere Ruth in vxorem, nec etiam cognatus ſuus, ipſa quidem abſoluebatur à debito ſuſcitandi ſemen: & tamẽ nihilominus iſti ſuccedebant in bonis defunctorũ iure propinquitatis, quia nullus erat propinquior, & hoc iure voluerat cognatus Booz redimere poſſeſſionem Elimelech, ſcil. ꝙ poſſeſſionem redimeret, & non acciperet in vxorem ipſam Ruth. Et tamen quando aliquis de cognatione etiam ſi minus volebat ſuſcitare ſemen defuncto, ille priuabat omnes alios cognatos iure ſucceſſionis, etiam ſi eſſent illi defuncto propinquiores, ſicut fuit nunc in Booz, qui erat minus propinquus quàm alius cognatus ſuus. Quod patet in litera, qa tamen ille noluit ſuſcitare ſemen defuncto, perdidit ius hæreditatis, & ſucceſſit Booz. Sed dicetur, quòd in hoc videtur

F

Doct. ſententia penes hoc quæſitum.

A esse grauamen, scilicet, quòd si mulier prompta est suscipere in virum de cognatione quemcunque defuncti ad suscitandum semen eius, quòd priuetur hæreditatis possessione, & fructu: nam si aliquis eam susciperet de cognatione defuncti illa teneret bona defuncti cum viro, qui illam accipiebat, & gauderet commodo fructuum: si autem nullus eam vellet accipere, illa nihil minùs faciebat quàm si acciperetur realiter ad suscitandum semen defuncti: ideo quòd nõ gauderet fructu hæreditatis, videtur inconueniens. Aliquis fortè dicet, q̃ mulieri in casu isto manebant bona, vel aliqua pars eorum, licèt non appareat. Dicendum, quòd falsum est, quia mutaretur tunc status legis: nam Deus dederat modum successionis hereditariæ in veteri testamento, & secundùm illam nunquam succedebant fœminæ, nisi essent filiæ respectu patris, quando pater nullum filium relinquebat, Num. 27. & tamen hic non erat tale, ideo non habebat talis mulier ius succedendi in bonis viri defuncti. Secundò patet, quia Deus statuerat, quòd non transirent possessiones de familia in familiam, & de tribu in tribum, & circa hoc magnam cautelam adhibuerat, Num. 36. Si tamen concederetur, quòd vxor defuncti in isto casu succederet in bonis defuncti, vel in aliqua parte eorum, & non susciperetur in vxorem ab aliquo de cognatis defuncti, transirent bona de familia in familiam, & aliquando de tribu in tribum: nam contingebat, quòd quis acciperet

B mulierem de alia tribu, & familia, sicut Beniamitæ viri acceperunt vxores filias Iabesenorum, quæ erant de tribu Gad, vel Manasse, vt declaratum est Iud. 21. & acceperunt mulieres Silonitas, quæ erant de tribu Ephraim, vt patet ibidem, vbi declaratum est. Et poterat accidere in aliquo istorum iste casus, scilicet, quòd mortuo viro sine semine, nullus de cognatione viri vellet accipere vxorem illius ad suscitandum semen: si ergo illa tunc succederet in bonis viri, cùm ipsa esset de tribu Ephraim, aut Gad, aut Manasse, redirent bona istarum tribuum ad alias, scilicet possessiones Beniamin ad Ephraim, & Gad, quod erat inconueniens in veteri testamento. Dicendum ergo, quòd non succedebat mulier in bonis viri, nec in parte aliqua bonorum, sed cedebant propinquis defuncti, licèt nollent suscitare semen eius. Cùm autẽ obijcitur, quòd grauatur mulier ista, quia cùm esset prompta suscitare semen defuncti, & non cessat ex culpa sua, sed ex culpa cognatorum defuncti, quòd priuetur hæreditatis fructu, dicendum quòd non grauatur ista mulier, quia si deberetur ei hic aliquid, & propter culpam cognatorum defuncti nolentium suscitare semen illius ipsa priuaretur illo iure, grauabatur: & tamen nihil debebatur hic mulieri defuncti, sed solùm debebatur volenti suscitare semen, & ipsa tenebat bona defuncti, quamdiu erat in potentia ad suscitandum semen defuncti, & non fuerat neglecta à cognatis eius. Si autem negligebatur ab omnibus, non grauabatur tanquam aliquid perderet, sed fiebat quòd non lucraretur, cùm aliàs posset lucrari, scilicet, si aliquis de cognatis defuncti vellet eam accipere

C in vxorem, quia tunc illa gauderet fructu bonorum simul cũ viro, qui eam acciperet: nullus autem obligatur alteri ad faciendum, quod lucretur, obligatur tamen ad faciendum, quòd causa sui non perdat. Confirmatur hoc, quòd istud priuilegium de possessione bonorum manentium apud vxorem potentem suscitare semen defuncti, non introductum est gratia vxoris, nec propter illum, qui suscitaret semen defuncti, sed propter fauorem defuncti, scilicet, vt non deleretur nomen suum de familia sua: si ergo nullus sit, qui velit suscitare semen defuncto, non priuatur mulier aliquo iure, vel priuilegio introducto in fauorem suum, cùm priuatur bonorum possessione, & deuoluuntur ad cognatos defuncti. Sed est adhuc dubium, quia dicet aliquis: dato, quòd mulier defuncti non teneat bona eius, nullo propinquorum volente suscitare semẽ illius, quomodo tamen manẽt apud eos bona? Nã videtur esse iniustũ, quia ipsi sunt in culpa nolẽdo suscitare semen defuncti, & tamen de culpa commodum reportant, quod esse non debet. Potissimè, quia isti puniuntur pro culpa ista, nam frater, qui non vult fratris sui suscitare semen, punitur, eo quòd discalceatur, & exspuitur in faciem eius, & vocatur domus illius domus discalceati in Israël, Deut. 25. Quomodo ergo remunerabuntur accipiendo hæreditatem ex eo facto quo pœnam meruerunt, & puniti sunt, ergo injustum videtur.

D Dicendum, quòd peruenit hereditas ad cognatos defuncti, dato quòd non suscitent semen eius: & patet hoc, quia si non peruenireat ad eos, oporteret quòd peruenireat ad extraneos, & istud esset contra legem disponentem de modo succedendi, Numer. 27. quia semper propinquiores succedere debent: & non habetur alicubi, quòd isti omnes priuentur iure successionis, si noluerint suscitare semen defuncti: ideo non est dicendum, quòd priuentur hæreditate. Secundò patet, quia si isti priuarentur hæreditate, peruenireat illa ad extraneos, qui non essent de eadem familia, vel tribu. Et in hoc præiudicaretur legi, quia Deus iusserat, quòd non transiret hæreditas de tribu in tribum: nec de familia in familiam, q̃a sic confunderetur distinctio sortium, & ignorarentur familiæ, & tribus, Numer. 36. ideo non debebat transire possessio hæreditatis ad extraneos, quanquam delinquerent cognati, non suscitando semen defuncti.

Cùm autem obijcitur, quòd isti erant in culpa, & non debebant reportare commodum de culpa: dicendum, quòd isti non reportant commodum de culpa, ita quòd propter culpam istam præmientur, siue accipiant remunerationem, sed accipiunt hæreditatem propter legem, ne transeat hæreditas de tribu in tribum, & de familia in familiam. Sed stat, quòd isti peccent non suscitando semen defuncti, & tamen succedant in bonis defuncti. Etiam dicendum, quòd non est inconueniens quòd interdum aliquis peccans non puniatur in

E eo, in quo deliquit, scilicet, si ex punitione alicuius prouenit magnum damnum Reipublicæ, scilicet, quia magis præiudicabatur Reipublicæ puniendo illum quàm grauetur ille, qui punitur, non debet puniri: sicut si aliquis homo esset, ex cuius statu, vel vita dependeret totus status, & conseruatio Reipublicæ, & illo pereunte Respublica periret, licèt ille peccaret in aliquo, ita vt esset reus mortis, sicut adulterando, vel aliàs, nõ deberet occidi, nec rectè leges politicæ iuberent eum occidi: ita est in proposito. iustum enim erat quantum erat ex persona sua, quòd cognati defuncti, qui noluerunt suscitare semen defuncti, priuarentur hæreditate eius: tamen est damnum Reipublicæ, & contra intentionem legis: nam vtile erat Reipublicæ, quòd maneret certitudo progenierum, & sciretur de quolibet viro, de qua tribu & familia erat, & istud non non poterat sciri, nisi immobilia manerent semper penes viros eiusdem cognationis non transeundo ad alias familias, vel tribus per alienationem quamcunque: & istud Deus volebat Num. 36. Si tamen cognati defuncti nolentes suscitare semen eius priuarentur hæreditate, transirent possessiones ad extraneos, & transirẽt de familia in familiam, & paulatim de tribu in tribum: ideo non debebant priuari successione, quãquam delinquerent.

Ad secundum cùm dicitur, quòd isti cognati defuncti puniti sunt, quia noluerunt suscitare semen eius, quomodo ergo ex eodem actu, in quo puniti sunt, consequentur præmium. Dicendum, quòd non consequuntur præmium ex actu, in quo fuerunt culpabiles: nam fuerunt culpabiles nolendo suscitare semen defuncto, & ob hoc non acquirunt successionem, sed acquirunt eam tanquam iam sibi debitam ex lege successionis.

F Tertiò cùm dicitur, in isto actu puniti sunt, ideo non debent acquirere præmium, dicendum quòd iustè valdè fit, nam isti puniuntur hic inquantum pœna potest esse personalis, & in illa non puniuntur, in qua pœna extenderet se ad Rempublicam puniendam: quia delictum personæ non debet redundare in damnum Reipublicæ: isti autem potuerunt personaliter puniri, inquantum quilibet nolens suscitare semen fratris sui defuncti, discalceabatur publicè, & spuebatur in faciem eius, eratq; ei contumelia, quia vocabatur domus eius domus discalceati in Israël, Deut. 25. ista pœna erat solùm personalis, & non se extendebat ad Rempublicam, ideo conueniens erat talem infligi, quia non lædebatur in hoc Respublica: si tamen priuarentur cognati defuncti successione, & transirent bona ad alios extraneos læderetur Respublica, quia transirent possessiones de tribu in tribum, & de familia in familiam, quod erat magnum inconueniens, & contra intentionem Dei, Num. 36. Quia tolleretur certitudo progenierum, quod militabat contra statum Messiæ, vt declaratum est Leuit. 25. & Num. 27. & 36. non ergo debuerunt puniri tali pœna quantumcunque delinquerent. Si

tamen

A tamen vnus consanguineus, vel multi delinquebant suscitare nolendo semen defuncti, & aliquis illorum volebat suscitare, omnes alij priuabantur iure successionis, quanquam essent propinquiores: & ad illum solum deueniebant omnia bona defuncti, sicut patet hic de Booz, & cognato suo. Nam ille erat propinquior defuncto quàm Booz, & tamen quia noluit suscitare semẽ Mahalon defuncti transiuerunt omnia bona defunctorum ad Booz, vt patet infrà in litera. Ratio huius est, quia tunc quòd priuarentur omnes alij cognati iure successionis, erat pœna personalis, & non extendebatur ad Rempublicam, eo quòd manebat possessio in eadem tribu & familia, cùm vnus cognatorum acciperet illam, qui volebat suscitare semen, si priuarentur omnes successiuè transiret hęreditas ad extraneos, & sequeretur inconueniens quod suprà ponebatur, ideo in isto casu non priuabantur cognati iure successionis propter delictum.

Cur Booz dixit ad cognatum suum: nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es, & me qui secundus sum.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR vlteriùs, cur dixit Booz ad cognatum suum: Nullus enim est propinquus excepto te, qui primus es, & me qui secũdus sum: & quomodo poterat hoc stare. Ad primum dicendum, quòd Booz dixit istud ad confirmandum intentionem suam: nam dixerat ad cognatũ suum, quòd emeret possessionem quam vendiderat Noemi, alioquin ipse deliberaret an illam emeret iure propinquitatis: & poterat obijci, quòd alius esset propinquior, cui competeret iure propinquitatis redimere istam possessionem priusquam istis: dixit Booz, quòd nullus alius erat propinquus, nisi ipse, & cognatus suus, scil. cognatus suus prior, & ipse secundus, & sic nulli alij competebat ius redimendi. Vnde rectè dixerat Booz, quòd cognatus suus redimeret possessionem illam, alioquin ipse videret an co nueniret ei redimere illam.

B

Quomodo poterat stare, quòd nullus alius erat in tota cognatione illa, nisi isti duo, quia videbatur impossibile: & quid sit consanguinitas, & in quo fundetur: & de differentia consanguinitatis naturalis, & legalis.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR de secundo, scilicet, quomodo poterat stare, quòd nullus alius erat in tota cognatione illa, nisi isti duo. Videtur enim impossibile, quia erat Elimelech de tribu Iuda, & familia Phares: ideo quamdiu supererant aliqui de familia Phares, erant aliqui de cognatione Elimelech, & istorum. Nicolaus dicit, quòd multi alij erant de cognatione ista, quia cùm isti essent potentes viri, non erat verisimile, quòd ipsi soli essent in cognatione ista: sed dicuntur isti soli in cognatione, scil. principales, quia alij erant minus potentes, & minoris auctoritatis. Ista tamen responsio non est satis solida, quia dato quòd essent potentes, poterant esse soli in cognatione: nam ad esse potentiorem, vel ditiorẽ non sequitur habere cognatos plures. Responderi potest ergo dupliciter: vno modo, quòd nõ erant alij in cognatione præter istos duos, scil. quòd non essent alij, quibus prius competeret ius redimendi possessionẽ quàm istis. Alio modo potest intelligi quòd plures erant in familia ista vel cognatione: & tamen illi erant extra gradum, in quo vocabantur cognati, & in quo cõpetebat redemptionis ius, & suscitatio seminis. Primus modus videtur satis conueniens, eo quòd concedit multos alios esse in progenie ista. Etiam quia conuenit intentioni Booz: nam Booz loquebatur hic de redemptione possessionis, & locuturus erat postea de suscitatione seminis defuncti: ista autem cõpetunt iure propinquitatis, & propinquioribus prius competunt: & quia loquebatur Booz, quòd cognatus suus redimeret possessionem Elimelech, vel ipse redimeret eam: satis erat sibi ostendere non esse aliquem cognatum propinquiorem eis, & sic diceret, quòd nullus erat cognatus, nisi ipsi ambo, id est nullus erat prior eis ad hoc, quòd posset suscitare semen defuncto, & redimere hæreditatem.

C

Dicendum tamen, quòd hoc non obstante, adhuc nõ stat iste modus, sed secundus, scil. quòd non erat alius cognatus præter istos in tota cognatione. Et patet, quia si Booz intendisset dicere, quòd competebat ius redimendi ipsis prius quã alijs, licèt essent multi alij in cognatione, non diceret: Nullus enim propinquus est excepto te, qui prior es, & me, qui secũdus sum, sed diceret, nullus est propinquior te, & ego sum secundus tibi: & tamen dixit nullus proximus est, quod excludit omnes alios de quocunque gradu cognationis: ideo dicẽdum, quòd nullus alius erat cognatus Elimelech, & filiorum suorum, nisi isti duo. Secundò patet, quia si intenderet Booz dicere, quòd ius redimendi primò competebat cognato suo, deinde sibi, & postea alijs: deinde peteret quòd cognatus suus emeret iure propinquitatis, vel hoc ipsum denunciaret ei, vt ipse deliberaret vt emeret, non oportebat, quòd Booz diceret, nullus est enim proximus nisi tu, qui prior es, quia satis intelligebatur, quòd loquebatur de seipso referendo illum ad se: ideo illo nolente ipse volebat redimere: ergo non intendit Booz solùm dicere, quòd nulli erãt propinquiores quàm ipsi: sed quòd etiam nulli alij essent in tota cognatione Elimelech. Et istud est valdè conueniens, quia licèt omnes homines inter se attineant sibi in aliquo, quia saltem descendũt ab Adam omnes, vel à principio propinquiori descẽdunt omnes à Noe: tamen non vocantur omnes cognati. Causa est, cognatio est quidam nexus plurium communicantium in sanguine, & ab eodem capite descendentium, & tenentium inter se aliquem ordinem vsque ad certum gradum. Et fundatur hoc, quia cùm cognatio sit nexus, & vnitas quædam, sequitur ad eam amor naturalis, vt declarat Aristot. 8. Ethic. dicens maximum amorem post paternum esse inter fratres tanquam habentes omnia communia, scilicet sanguinem, & radicem: ita inter cæteros quamdiu manserit iste nexus, vel vnitas erat necessario amor quidam: & tamen experimur, quòd tantùm aliqui descendẽtes ab eodem stipite elõgantur inter se, quòd nullo modo se diligunt, nisi inquantum homines sunt: quia omne animal diligit sibi simile, Eccles. 13. & non inquantum descendentes ab vno principio; ideo inter illos iam nullus nexus est, nec consangninitas naturalis, nec legalis. Pro hoc autem considerandum est, quòd consanguinitas est duplex, scilicet, naturalis, & legalis: naturalis vocatur ille nexus plurium descendentium ab vno & communicantium sanguine, & quamdiu durat iste nexus, est naturalis cõsanguinitas; cessante autem isto nexu, cessat consanguinitas ista. Et aliquando ista excedit legalem consanguinitatem, & aliquando exceditur ab ea. Vocatur autem legalis consangui nitas istamet habitudo plurium descendentium ab eodem stipite: sed est ista limitata certis limitibus, vel gradibus, quod non habet naturalis consanguinitas.

D

E

Quid est cognatio, seu consanguinitas.

Ad maiorem autem horum intelligentiam considerandum, quòd naturaliter consanguinitas ista non est nisi quædam similitudo naturalis in pluribus: & ista est duplex, quædam est similitudo specifica, & alia indiuidualis: similitudo specifica est, quæ inest omnibus hominibus ad se inuicem ex eo, quòd in eorum quolibet reperitur totum, quod est de veritate naturæ humanæ siue de esse, & ideo membra & virtutes membrorum in generali habent quandam similitudinẽ: ista tamen similitudo licèt faciat quandam affectionem, vel amorem inter homines, non est consanguinitas. Patet hoc, quia omne animal diligit sibi simile, Eccles. 13. etiam probat illud Aristot. 8. Ethic. in principio dicens, quòd omnis homo naturaliter est alteri amicus, siue cognito siue incognito, vt patet in erroribus viarum: quia quilibet indicat alteri viam, licèt incognitus sit: ideo etiam vocat quosdam homines philantropos, scilicet quia istum amorem specificum nimis ostẽdunt, & dicuntur philantropi, id est virorum vel hominum amatores, scil. quia amant eos ex eo, quòd homines sunt nulla alia ratione intercidente: non tamen vocamus homines secundùm hanc similitudinem cognatos, quia aliàs omnes homines essent inter se cognati, quod falsum est. Alia est similitudo indiuidualis, scilicet ex cõditione indiuiduorum, id est quòd multa de complexione vnius hominis reperiantur in alio ita, quòd eadem sint illis grata, & eadem odiosa: & ad similia inclinentur, & simili modo se habeant quantũ ad multas dispositiones naturales: & ista similitudo non est specifica, sed indiuidualis, scil. proueniens ex conditionibus indiuiduorum.

F

Philantropos quid sit

duplex similitudo scilicet specifica, & indiuidualis.

duorum. Ista autem est duplex: quædam enim est accidentalis purè, alia autem est in alia causa vniuoca. Prima est, vt in duobus hominibus, qui nati sunt in diuersis temporibus, vel in diuersis regionibus: & contingit illos duos quantum ad omnia accidentia, vel plurima complexionis videri similes: ista similitudo non prouenit ex aliqua vnitate principij vniuoci, scil. quòd procedunt ab eodem patre, vel matre: sed quia geniti sunt ex parentibus habentibus similes complexiones, & quorum semina erant eodem modo dispositа, vel quia cõtingit eos nasci cęlo existente in eadem dispositione: & tamẽ effectus isti, qui causantur in terris sunt ex opere corporum cęlestium, vt ait Arist. 1. de Generatione, & corruptione, scil. per accessum, & recessum solis in circulo obliquo causantur oẽs generationes & corruptiones in terra. Ista similitudo quia purè ab accidenti est, scil. quòd esse in vno eorum nõ attinet aliquid ad esse in altero, non causat cognationem, sed nec aliquem alium nexum. Alia est similitudo indiuidualis non accidentalis, scil. quando plura indiuidua habent eandem complexionem, vel magnam similitudinẽ in illa: & hoc quia descendũt ab eodem principio seminali, & idem secundum idẽ aptum est facere vnum tantùm, & ipsa facit cognationem, scilicet, quando multi homines descendunt ab eodem, & ille præstitit sperma conforme in generatione omnium seruabitur similitudo in complexionibus eorum. Et etiam deriuati ab istis seruabunt similitudinem quandam naturalem, inquãtum retinetur in eis virtus seminis deriuati à parente eorum primo, & quamdiu manserit similitudo ista, manet consanguinitas: quia nihil aliud est consanguinitas, nisi ista conformitas: ista tamen similitudo est maior quanto aliquæ magis propinquę sunt, scil. quanto magis accedunt ad vnitatem principij: quanto autem magis distant ab illo, minus propinqui sunt, & ob hoc necesse est, quòd continuè descendendo ab eodem capite tanta sit interdum distantia, quòd nulla reperiatur similitudo apparens indiuidualis: & tunc cessabit naturalis cognatio, & etiam cessabit amor. Nam amor fundatur super vnitate, vel similitudine ista naturali, pereunte autem omnino similitudine ista, necesse est perire amorẽ: nisi ex alia causa reintegretur, scil. ex communicatione, vel ex charitate, aut beneficio suscepto, vel alias. Dicendum, quòd ista consanguinitas non durat equaliter inter omnes descendentes ex diuersis stipitibus. Nam in quibusdam stipitibus lõgo tempore, & in alijs paruo tempore durat. Patet hoc, quia cognatio ista est similitudo reperta inter descendentes ex eodem capite, & ista similitudo manet propter vnitatem seminis in vtrisque: contingit autem hoc ex viribus seminis, scil. quòd quando semen patrum forte est, manet virtus eius in filijs, & nepotibus, & multis alijs descendentibus: sicut imprimitur caliditas in subiecto forti, sicut est ferrum, vel ligna iuniperina manet calor in eis longo tempore, & intensè comburunt. In quibusdam autem hominibus citò perit similitudo ista, eo quòd semẽ patrum est debile: & virtus eius minuitur in filijs, & parua vel nulla manet in nepotibus, & sic quando semen debilius est, & minus adiuuatur à virtute cœli, est minor conformitas in genitis ab eodem principio, & pauco tempore tollitur omnis similitudo, & cessat omnis consanguinitas. In quibus autem semen est fortius, & magis adiuuatur virtute cœli, & fit similitudo maior, & diuturnius cõseruatur: & sic maiori tempore manet inter tales homines consanguinitas. Dicendum etiam, quòd ista consanguinitas non est inter bruta: nam licèt inter bruta sit similitudo quædam complexionis propter identitatem seminis in descendentibus ab eodem principio, tamen non est consanguinitas, quia consanguinitas non solum dicit conformitatem istam naturalem in genitis causatam ex semine eodem, sed etiam recognitionem istius habitudinis, vel possibilitatem ad recognitionem cum amore reciproco naturaliter insurgente ex tali nexu. In brutis autem non est aliqua recognitio huius cõformitatis, & habitudinis: nec insurgit reciprocus amor propter hæc, ideo non est consanguinitas. Istam consanguinitatem naturalem non cognoscimus in nobis, nisi in gradibus propinquis, vbi est magna conformitas seminis, quia ibi insurgit magnus amor. In gradibus autem aliqualiter distantibus non apparet conformitas manifesta nec amor tam euidens. Alia autem est consanguinitas legalis, quæ à prima secundùm essentiam nõ differt, sed solùm in assignatione graduum. Nam in cognatione naturali non sunt determinati gradus: in legali autem assignantur. Quod patet, quia sicut declaratũ fuit suprà, non durat æqualiter consanguinitas in omnibus hominibus, ideo non possunt assignari gradus certi in omnibus: & sunt ad hoc duæ causæ. Prima est, quia nos nõ cognoscimus quamdiu in nobis durat ista conformitas, ideo non possumus gradus assignare, dato quòd essent gradus æquales in omnibus. Secunda est, quia non sunt gradus æquales in omnibus cognationibus naturalibus: nam in quibusdam hominibus magno tempore durat ista cognatio, eo quòd erat semen forte, quod conseruat similitudinem diuturnè, & in alijs paruo tempore propter paruam virtutem seminis: ideo non dabitur certus numerus graduum propinquitatis. lex autem determinauit certos gradus, & assignati fuerunt gradus consanguinitatis ad prohibitionem matrimonij, & etiam ad successionem hæreditariam: & determinatio ista non est eadem secundùm leges omnium gentium. Nam inter quasdam gentes nullus gradus est vetitus, quia etiam frater cum sorore potest contrahere, & inter barbaros mater accipitur pro filio sicut inter pecora: & illud super omnem gradum, quia primus gradus inter fratres est, pater autem, vel mater ad filium, vel filiam nullum gradum habet, sed ibi est principium cognationis totius: inter gentes tamen ratione vtentes aliqui gradus prohibiti sunt, sed variè. Nam in lege Mosaica, quæ erat diuina, non erat vetitus nisi primus gradus inter descendentes collaterales inter se, scilicet, ne contraheret frater cum sorore. patrueles tamen, id est filij duorum fratrum contrahebant, & omnes posteriores. In nouo autem testamento fuerunt à principio determinati gradus septem consanguinitatis ad impediendum & dirimendum matrimonium: postea autem, quia sequebantur inconuenientia multa, limitati & restricti sunt gradus ad quatuor, & vltrà non est impedimentum. Et vltrà istos gradus non vocamus aliquos consanguineos, nec dicimus nos sibi in aliquo attinere. Ob hoc autem necesse est, quòd aliquando consanguinitas naturalis magis procedat, quàm legalis, & interdum è contrario. Quod patet, quia quando semen est forte in patre, & adiuuatur à corpore cœlesti in eo & filijs suis extenditur interdum confortans illa, & nexus vltrà quintum & sextum gradum: cùm verò virtus seminis est pauca, non extenditur interdum ad gradus tres, & nec ad duos interdum. & tamen obligatio secundùm legem manet, & fuit necessaria ista determinatio legalis, quia aliàs non poterat patere de ipsis gradibus secundùm naturalem conformitatem. Ita ergo dicendum est in proposito, quòd inter Hebræos erant certi gradus determinati cognationis, & qui erant intra illos gradus vocabantur cognati, alij autem non, & hoc erat ad ius propinquitatis quantum ad redemptionem rerum venditarum, & ad suscitationem seminis. Ad succedendum autem in hæreditate ab intestato non erant gradus determinati; sed quandocunque cognosceretur inter aliquos gradus aliquis attinentiæ vel proximitatis, etiam si esset vltrà gradus cognationis succedebat ille, qui erat propinquior in gradu, & istud obseruatur apud nos: nam ad impediendum matrimonium solùm sunt gradus quatuor, & vltrà illos nec sunt cognati, nec impedimentum: & tamen ad successionem seruatur quòd quandocunque cognoscatur gradus attinentiæ succedet ab intestato, ita nunc erat respectu Elimelech, & filiorum suorum; quia in tota cognatione sua intra gradus, in quibus est concessio ad suscitandum semen, & redimendum hæreditatem venditam, qui vocabantur gradus cognationis, non erant aliqui viri nisi Booz, & cognatus suus, ideo rectè dixit Booz: Nullus est propinquus, scilicet intra gradus cognationis excepto te, qui prior es, & me qui secundus sum.

Consanguinitas qd importet, & quare non est inter bestias.

Quare in consanguinitate legali dantur grad^s, & in alia non.

Quid fieret de nomine & bonis defuncti, si nullus esset nunc, qui suscitare posset de iure semen istorum defunctorum.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quid fieret, si nullus esset nunc qui suscitare posset de iure semen istorum defunctorũ, & acciperet Ruth in vxorem.

Respõdetur, quòd si nullus esset, deuolueretur hæreditas

ad pro-

A ad propinquiores, & deleretur nomen istorum defunctorum de familia sua: cùm enim venerunt Noemi & Ruth de terra Moab inuenerunt possessiones, quas reliquerat Elimelech, & filij sui in Bethlehem: & incœperunt possidere illas, eo quòd erat adhuc spes suscitandi semen defuncti: nã Noemi procurabat quomodo Ruth traderetur in vxorem Booz cognato viri sui ad suscitandum semen: si tamen non fuisset aliquis propinquus, qui posset suscitare semen defuncti, venirent illi, qui erant propinquiores defuncto, qui tamen erant iam extra gradus cognationis, & peterent hæreditatem Elimelech, & filiorum suorum, & tenerentur Noemi, & Ruth restituere illam eis, quia ipsæ non habebant iam aliquam causam retinendi illam, cùm non esset spes suscitandi seminis. Nomen tamen defuncti periret, quia non esset aliquis, qui suscitaret semen eius in cognatione sua, quia iam non erat aliquis, qui succederet in loco eius, & nominaretur nomine eius, essetque per fictionem iuris. Et sic nomina multorum peribant, eo quòd non erat aliquis, qui suscitaret semen eorum. Et sic fuit nunc de semine Chelion filij Elimelech. Nam licèt nunc Booz suscitauit semen Mahalon, non potuit suscitare semen Chelion, eo quòd suscitaretur semen ex vxore defuncti: non erat tamen nunc vxor Chelion, quia illa manserat in terra Moab, scilicet Orpha, vt patet suprà 1. cap. ideo non suscitabatur nisi semen Mahalon, quia eius vxor fuerat Ruth, quam nunc accipiebat in vxorem Booz: &

B sic dixit ipse Booz, quòd ipse accipiebat omnia bona Elimelech, Chelion, & Mahalon cum Ruth vxore Booz ad suscitandum semen defuncti: & sic solius defuncti cuius erat vxor Ruth suscitabatur semen. Ita delebantur nomina multorum quando omnes de posteritate ipsorum peribant. Sic dixit Saul ad Dauid: Iura mihi ne deleas nomen meum de domo patris mei, scilicet, non occidas omnes filios meos, & nepotes, quia illis occisis deletum erit nomen meum, cùm nullus mihi succedat, 1. Regum 24. cap. isto modo etiam delebatur nomen alicuius de familia sua, quando erant aliqui propinqui, qui possent suscitare semen, & tamen nullus illorum volebat: nam tunc deuoluebantur possessiones ad propinquiores, & nomen defuncti deletum erat. Isti autem reputabantur infœlices, quia non reputabantur viuere, si non relinquerent hæredes, in quibus conseruaretur nomen patrum. Si autem maneret filius verus, vel legalis, iam non penitus se perire existimabant.

Quid vocetur suscitatio seminis, & quibus competebat: & quare non est in nouo testamento.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR vlteriùs circa suscitationem seminis, de qua habetur hic, de aliquibus dubijs. Et primum est, q̃d

C vocetur suscitatio seminis, vel quid proficiebat?

Dicendum est, quòd suscitatio seminis erat quandocunque aliquis accepta vxore, & non relictis liberis decedebat: nam tunc aliquis de propinquioribus eius siue frater, siue alius propinquus accipiebat vxorem defuncti, & gignebat ex ea filios: & primus filius vocabatur nomine defuncti, & ille non reputabatur tanquam filius eius, qui gignebat eum, sed defuncti, & succedebat defuncto in bonis suis, & non patri vero, & vocabatur de cognatione, vel posteritate defuncti: & vocabatur ista suscitatio seminis, quia censetur, quòd vxor defuncti susceperat semen à defuncto, ex quo fieret conceptus: & cùm non posset perfici, venit iste vir secundus ad adiuuandum semen defuncti viuificando illud, & faciendo inde formari conceptum, sicut est in semine iactato in terra: nam prius putrefit, & non surgeret inde seges, nisi virtute solis calefieret, & animaretur. Ita censebatur facere iste vir secundus, sed sol dicitur suscitare omnia semina terræ, quia sine eius vigore non surgerent, ideo dicebatur iste vir secundus suscitare semen defuncti.

* * *

D *Ad quid Deus iussit cum tanta efficacia, quòd suscitaretur semen inter Hebræos: & cur ista lex non obseruatur inter alias gentes, maximè inter Christianos.*

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs, ad quid Deus iussit cum tanta efficacia, quòd suscitaretur semen inter Hebræos, & cur non obseruatur hoc inter alias gentes?

Respondendum, quòd ad hoc potuit esse multiplex causa motiua. Prima causa est, quia licèt nunc nõ obseruetur inter nos, nec inter gentes, quas nouimus, tamen antiquitùs seruabatur: & quia si Deus non daret legem Iudæis de suscitatione seminis: putarentur ex hoc minores esse alijs gentibus, ideo dedit eis legem de suscitatione. Sic enim fuit de multis alijs legibus: nam libellus repudij erat inter Gentiles, & vt nõ viderentur grauari Hebræi, si non permitteretur eis libellus, permisit Deus, Deut. 24. Sic enim fuit de vsura, nã inter Gẽtiles erant vsuræ, & licèt malum esset, ne Iudæi qui cupidi erant, viderentur habere in hoc legem intolerabilem, & recederent ab ea, permisit Deus vsuras, & tamen temperauit eas, quia non permisit, quòd darent ad vsuras alijs Iudæis, sed extraneis, scil. Gentilibus, & conuersis de Gentilitate, Deut. 23. sic etiam fuit de suscitatione seminis: nam apud Gentiles erat ista lex, & seruabatur cum isto rigore cum quo apud Hebræos seruabatur. Quod patet, quia antequam daretur lex Moysi, obseruabatur ista lex de suscitatione seminis: nam filij Iudæ nepotes Iacob tenuerunt istam legẽ inter mulieres Gẽtiles: nam accepit Iudas mulierem Chananæam, & genuit tres filios, scil. Her, Onan, & Sella: Etiam primogenito dedit vxõrem Chananæam, nomine Thamar, qui mortuus est sine filijs: & iussit filio suo secundo, scil. Onan, quòd suscitaret semẽ fratri suo, & mortuus est etiam sine filijs, & postea tertius seruabatur, vt quando esset adultus, suscitaret semen fratris primogeniti, Genes. 38. & tamen non data fuerat lex Moysi, nec data est vsq; multum tẽpus post: quia quando istud fuit, nondum descenderat Iacob in Ægyptum cum filijs suis, vt patet ex processu Gen. & tamen lex data est post exitum Israëlitarũ de Ægypto, scil. quando erant Hebræi in deserto in mõte Sinai, & in Ægypto manserunt multo tempore, scilicet ducentis & quindecim annis, vt patet ex declaratis Genes. 15. & Exodi 1. & 2. ideo erat suscitatio seminis inter Gentiles multo tempore antequam esset inter Hebræos: & Hebræis data est ista lex, quia inter Gentiles erat prius. Secunda causa erat, quia per suscitationem seminis putabant se fœlices esse: nam qui moritur sine filio, reputabatur infœlix apud antiquos, intantum quòd moriens sine filio censebatur verè mortuus: & qui moriebatur habens filium, censebatur viuere, vt patet Eccles. 30. scilicet, mortuus est pater eius, & non est mortuus, reliquit enim filium similem sibi. Et quia multos contingebat habentes vxores sine liberis mori, vt non censerentur omnino infœlices, procurabat lex, quòd ipsi haberent filios legales, etsi non haberent filios veros: & istud erat per fictionem legis, scilicet quòd filius natus ex vxore mortui, & consanguineo aliquo mortui censeretur filius mortui propter quandam identitatem, de qua dicetur infrà in quadam quæstione: ideo per talem filium suscitatum ipse mortuus videbatur quodam modo manere habens posteros, ideo fuit cõueniens suscitatio seminis.

E *Apud Gẽtiles obseruabatur lex de suscitatione seminis.*

F Tertia causa fuit, quia Israëlitæ diligebant valdè memoriam post se, & quòd haberent posteritatem, per quam deriuaretur nomen ipsorum putantes se per istam posteritatem viuere, & reputabant maximum infortunium, quòd quis careret posteritate: sicut Saul sentiens Dauid aduersaturum esse sibi, dixit ei: Iura mihi, ne deleas nomen meum de domo patris mei: deletio autem nominis erat quòd maneret posteritas nulla ipsius: & sic non putauit quòd Dauid posset ei maius malum inferre, quàm quod deleret nomen eius: nam propter hoc orauit pro isto solo, scilicet ne deleret nomen eius. Si autem aliud peius hoc existimasset, potius orasset, ne illud sibi infligeretur. Et quia multi erant quorum nomina non poterant perpetuari in familijs suis per filios descendentes ab eis, fuit conueniens quòd fieret suscitatio seminis, quia natus de suscitatione seminis censebatur filius defuncti, &

A

cti, & posteritas ab isto descendens iudicabatur posteritas mortui: & quantum ad hoc ita plenè conseruabatur nomen eius, sicut si verè filios habuisset: vtilis ergo fuit inter Iudæos suscitatio seminis.

Ad aliud cùm quæritur, scilicet, cur inter alias gentes non seruatur lex de suscitatione seminis, dicendum ꝙ causæ istæ q̃ mouebant alias gentes ad volendum suscitationem seminis, procedebant ex quadam affectione, vel desiderio conseruationis nominis, & ex quadam opinione, quia putabant mortuos non verè mortuos, cùm relinquebant hæredes: aliæ autem Gentes posteriores non opinatæ fuerunt hæc; ideo non curauerunt de suscitatione seminis. Inter Christianos autem non decuit istam legem obseruari. Primò, quia aliqualiter repugnat desiderio vel fidei resurrectionis: nos enim tenere debemus firmiter resurrectionem mortuorum, & secundùm hanc alliciemur ad omnia bona: quicquid autem repugnat certitudini fidei resurrectionis euitandum est à nobis. & ob hoc Apostolus increpat valdè eos, qui nimis lugent mortuos, quia per hoc videntur excluisse spem de resurrectione illorum, vt patet 1. ad Thessalonicens. 4. Sic etiam est suscitatio seminis, quia suscitatio seminis prouenit ex desiderio semper viuendi hic: nam qui relinquit filium, putat se semper viuere, quamdiu ille viuit: & vt semper censeatur viuens, vult quòd suscitetur filius ei, quando ipse non reliquerit filium. Velle autem semper viuere, & dolere de memoria

B

quæ perit hic, nimis obuiat spei de resurrectione, quia qui tantùm afficiuntur ad ista, non videntur habere spem de futura vita: sed in nobis debet valdè apparere spes de resurrectione, ideo non debuit esse tantum desiderium viuendi, nec suscitatio seminis, quæ ad hoc seruit. Secundum est, quia istud repugnabat honestati graduum affinitatis, quæ obseruatur in nouo testamento: nam sicut inter consanguineos vsque ad quartum gradum seruatur prohibitio matrimonij, ita inter affines: & tamen si fieret suscitatio seminis, affinis in primo gradu acciperet vxorem affinem in primo gradu, scilicet, frater vxorem fratris, quod erat contra honestatem noui testamenti, ideo non debuit fieri suscitatio. Tertia causa est, quia fieret contra legem Euangelicam, quæ vult vnicam esse vxorem viro cuilibet, & nulli simul inesse duas: & tamen si fieret suscitatio seminis, contingeret quòd idem vir haberet duas vxores, scilicet quia interdum frater defuncti habebat vxorem, & cogebatur accipere vxorem defuncti ad suscitandum ex ea semen defuncto. Et hoc non erat inconueniens in veteri testamento, vbi quis simul plures vxores habere poterat. In nouo autem testamento non licet, ideo non conueniebat seminis suscitatio inter Christianos. Inter Gentiles etiam pauco tempore ante Christi natiuitatem non obseruabatur ista lex: quod patet ex legibus Romanorum, quæ habentur in Digestis, Institutionibus, & Codice. & tamẽ non reperitur ibi lex de suscitatione seminis: ergo non erat

C

etiam inter Gentiles, quia non iudicabant istam legem sibi vtilem esse: fuit autem ista lex apud antiquos Gentiles, qui opinabantur vtilem sibi esse istam suscitationem, vt per hoc viderentur viuere post mortem, sed postea meliori iudicio de hac suscitatione non curatum est.

Qui & quales debebant esse illi, quorum semen suscitabatur.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlteriùs de ista suscitatione seminis pro quibus fiebat, scilicet, qui vel quales essent illi, de quibus semen suscitaretur?

Respondendum, quòd suscitatio seminis erat quasi viuificatio seminis, quod defunctus putabatur posuisse, & nõ poterat illud virtute defuncti viuere, & viuificabatur agente viro alio: sicut semina putrefacta in terra non resurgunt in herbam, & arborem, nisi virtute solis alantur, & viuificentur: illius ergo suscitandum est semen, qui semen habere poterat. Ex hoc est prima conclusio, quòd pro morientibus in parua ætate, non erat seminis viuificatio, siue suscitatio. Causa prima est, quia lex fingebat esse idem semen defuncti & istius, qui suscitabat illud: vnde non dicebatur iste semen defuncto dare, sed suscitare, scilicet semen quod ille posuerat, & inutile factum fuerat: & tamen in paruulo non potest fingi hoc, eo quòd ille ad hoc impotens est, cùm semen non habeat, ideo illius semen non suscitabatur. Secunda causa erat, quia ad hoc, quod suscitaretur semen alicuius necesse est, quod suscitaretur de vxore defuncti: & non existente illa, nõ suscitabatur semen, Deut. 25. c. & tamen paruuli non habent vxores, ideo non potest suscitari semen illorum. Tertia causa est, quia suscitatio seminis est, vt nomen defuncti non deleatur de progenie sua: non potest autem nomen alicuius deleri nisi illud habeat: & tamen paruuli nondum habent nomẽ in populo, nec in familijs suis, ergo non poterat nomen illorum suscitari. Patet hoc, quia inter Hebræos nullus transibat ad nomen nec diues nec pauper, vsquequò esset viginti annorũ: & tunc soluebat quilibet dimidium siclum pro anima sua, & transibat ad nomen & numerum, Exod. 30. & tamen paruuli nondum peruenerant ad annos viginti, ideo non poterat nomẽ eorum deleri, nec suscitari eis semen. Secunda conclusio est, quòd non suscitabatur semen omnibus potẽtibus generare morientibus sine filijs. Patet hoc, quia pueri vltrà quartumdecimum annum vt communiter puberes sunt, & generare queunt, & tamen si quis istorum moreretur, non accepta vxore, non erat sibi suscitandum semen. Quod patet, primò, quia sicut dicebatur suprà, nõ suscitabatur semen nisi vt non deleretur nomen defuncti, sed multi istorum erant, qui non poterant perdere nomina, eo quòd non habebant illa, scil. quòd nondum attigerant annum 20. vtpotè inter 14. &

E

20. quia isti puberes sunt, & tamen nondum transierunt ad nomen, & numerum, ideo non poterat suscitari semen pro istis. Secundò patet, quia vt etiam dictum est, non poterat fieri suscitatio seminis nisi ex vxore defuncti: & tamen multi istorum non habebant vxores, ergo non poterat suscitari semen ipsorum. Conclusio tertia est, quòd semen suscitabatur pro morientibus, qui acceperant vxores, & non pro alijs. Patet, quia vxor defuncti erat quoddam extremum requisitum ad suscitationem seminis, Deut. 25. ideo vbi non esset vxor, s. in illis, qui nunquam acceperunt illas, vel non habebant eas, q̃n morierentur, licèt prius haberent illam, non suscitabatur semen: non tñ est intelligendum in omnibus relinquentibus vxores, quia si filios relinquebant, nõ erat suscitatio seminis. Quod patet, quia suscitatio seminis erat data in subsidium, vel remedium, scil. quando non poterat quis habere filios à se, haberet ab alio: & quando non poterat habere filios veros, haberet filios legales, qui erant per suscitationem. In habentibus ergo filios veros, non fiebat suscitatio seminis. Quarta conclusio est, quòd si quis haberet vxorem, & moreretur sine liberis: & tamen vxor moreretur ante virũ, vel simul, non poterat fieri suscitatio seminis. Patet hoc, quia vxor defuncti requiritur ad suscitationem seminis, & tamen non erat vxor defuncti in istis, quia mortua erat, ideo non fiebat suscitatio: nam si vellet aliquis cognatus defuncti accipere aliam vxorẽ ad suscitandum inde semen defuncto, non poterat fieri, quia non censebatur natus inde filius defuncti, eo quòd mulier illa nullo modo attinebat ad defunctum. Quinta conclusio

F

est, quòd si habens vxorem moreretur, non relictis filijs, si illa erat impotens ad concipiendum, non poterat suscitari semen defuncto. Patet ex ratione suprà posita: nam suscitatio seminis fit ex vxore defuncti: si autem impotens est, vtpotè senio confecta, & desierunt in ea iam fieri muliebria, vel quia sterilis est, aut alia de causa, non potest suscitari semen ex illa, & tamen non potest accipi alia: ergo non fiet in hoc casu suscitatio seminis. Sexta conclusio est, quòd si quis moriebatur relicta vxore potente gignere, & non habebat filios, quia illi iam mortui fuerant susceptis vxoribus, & non relicta posteritate, non erat semen illi suscitandum. Quod patet, quia iste habens vxorem acceperat prolem ex illa, & filij sui peruenerant ad virilem ætatem, & ipsi quoque acceperant vxores: ideo iste quomodocunque moreretur, non diceretur iam mori sine prole: filij autem sui susceptis vxoribus mortui sunt sine liberis, ideo non debet dici de patre, quòd mortuus est sine semine, sed de filijs, ideo semen non est suscitandum patri, sed filijs eorum de vxoribus: sic fuit in casu huius cap. nam Elimelech mortuus est relicta vxore & filijs, & mortui sunt filij manente vxore Elimelech, & vxoribus filiorum suorum, & tamen non fuit suscitatum semen Elimelech sed filio suo Mahalon ex Ruth. Septima conclusio est, quòd si quis moriebatur relicta vxore & filiabus, & non haberet fi-

A

lios vel maſculos, quòd non erat ſuſcitandum illi ſemen: nam licèt filia non conſeruet directè nomen patris, quia nõ computatur mulier in genealogia virorum tanquàm medium, per quod deriuatur progenies: nec filij nominantur de progeniebus matrum, ſed patrum: tamen filiæ indirectè poterant conſeruare nomen patris, ſcilicet, ſi quis relinqueret vnam filiam, & nullum filium, illa acciperet virum, & filius genitus inde ſaltem vnus nominabatur de progenie aui materni, & ſuccedebat auo materno in hæreditate, & progenie, & nomine, & non ſuccedebat patri ſuo, ſed alij fratres eius ſuccedebant patri, & computabantur de familia patris. De quo declaratum eſt ſatis Nume.27. Cùm ergo filia ſufficienter faceret ad conſeruationem nominis patris, non erat opus, quòd ſuſcitaretur ſemen pro moriente ſine filijs, dum tamen haberet filias. Item patet, quod non ſolùm non erat opus, imò non debebat fieri, quia Deus iubebat, quòd ſi quis moreretur ſine maribus filijs, & relinqueret filias, quòd illæ ſuccederent in hæreditate patris, Numer.27. & tamen ſi ſemen huius ſuſcitandum eſſet, deberet dari tota hæreditas defuncti ſuſcitanti ſemen eius: ſicut factum eſt nunc in Booz, qui accepit totam hæreditatem Mahalon, eo quòd ſuſcitaturus erat ſemen eius, vt patet in litera: ergo nõ erat ſuſcitandum ſemen. Etiam, quia filius, qui naſceretur de ſuſcitatione ſeminis, habiturus erat totam hæreditatem defuncti, quia ille cenſebatur filius eius, & tamen in caſu dato filiæ ſucceſſuræ erant, ideo non poterat huic ſemen ſuſcitari per vxorem, quia ſuſcitabatur per filiam.

B

Ad ſuſcitandum ſemen q̃d requiratur.

Octaua concluſio eſt, quòd ſi quis moreretur non relictis liberis relicta tamen vxore, quæ repudiata eſſet à viro, non poterat ſuſcitari ſemen illius, etiam ſi illa vxor vellet. Patet hoc, quia ad ſuſcitandum ſemen requiritur, quòd ſuſcitetur ex vxore defuncti: & tamen vxor repudiata non eſt vxor, ſed per repudium deſinebat eſſe vxor, ita quod poterat eam quilibet alius impunè accipere, Deut.24. ergo de iſto dicendum erat, ſicut de illo, qui moriebatur non habens vxorem. Sed dicetur: ponatur quod illa vult accipi ab aliquo cognato defuncti ad ſuſcitandum ſemen eius, nunquid non ſuſcitabitur tunc?

Dicendum, quod nec etiam iſto modo, quia ſi quis moreretur, non relicta vxore, non poterat alia extranea mulier ſe opponere ad ſuſcitãdum ſemen defuncti, ſcilicet quòd acciperet eam aliquis de cognatis defuncti: ita nec nunc iſta, cùm eſſet repudiata poterat ſe ſubijcere ad ſuſcitãdum ſemen defuncti, quia cùm ſemel deſierit eſſe vxor defuncti, iam non poterat accipi, niſi ſicut vxor noua: imò maior difficultas erat, quia illa, quæ nunquàm fuerat ab aliquo accepta in vxorem poterat accipi, illa tamen, quæ fuerat repudiata non poterat poſteà accipi, Deut.24. ideo mulier, quæ repudiata erat, non poterat aſſumi ad ſuſcitandum ſemen defuncti.

Nona concluſio eſt, quòd ſi quis moreretur relicta vxore

C

potente ſuſcitare ſemen, & tamen ſine liberis, ſi nullus cognatus ſupereſſet non poterat ſuſcitari ſemen illius, eo quod non erat aliquis, qui ſuſcitaret, & ad ſuſcitationem requirebatur aliquis cognatus, qui repræſentaret perſonam defuncti.

Decima concluſio eſt, quòd ſi quis moreretur non relictis liberis, vtpotè, quia illos habuerat, & perdiderat antequàm acciperent vxores, & moreretur pater poſt illos, quod illius ſuſcitandum erat ſemen, quia ille cenſebatur nunquàm habuiſſe liberos, cùm illos perdidiſſet antequàm illi relinquerent ſemen.

Vndecima concluſio eſt, quia cùm quis moriebatur relicta vxore, & nunquàm liberos habuerat, ſed relinquebat fratres, iſtius propriè dicebatur ſemen ſuſcitari: quia iſti cenſebantur propriè mori ſine ſemine, & poſuiſſe ſemen quod nunc deberet ſuſcitari.

Quot modis aliquis dicitur mori ſine ſemine, & in quibus caſibus ſuſcitabatur, & quibus non.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quot modis dicitur aliquis mori ſine ſemine.

Reſpondendum, quod multipliciter dicitur. Vno modo moritur quis ſine liberis, quando moriens nõ relinquit illos, nec vnquàm habuit, & iſtud ſtat tripliciter: vno modo, quòd iſte nunquàm habuerit vxorem, nec habere potuerit, vtpotè quia mortuus eſt in ætate pupillari, cùm nondum peruenerat ad pubertatem. Alio modo, quia potuerat accipere vxorem, & non accepit, & ſic non reliquit liberos. Alio modo, quia habuit vxorẽ, & tamen nũquàm habuit liberos, & mortuus eſt antequàm haberet. Primo modo non competit ſuſcitatio ſeminis: quia non eſt ſuſcitandũ ſemen, niſi illius, qui ſemen habuit, vel habere potuit, quia aliàs non poteſt fingi filius defuncti ille, qui poſteà per ſuſcitationẽ ſeminis natus eſt, cùm ille nullum filium habere poterit, & lex non fingit quod impoſſibile eſt. Secundo modo etiam nõ ſuſcitatur ſemen, quia licèt talis habere potuiſſet ſemen ſufficiente ætate ad hoc, tamen non habuit vxorem, de qua ſemen haberet, nec de qua nunc poſſet ſuſcitari: ſemper tamen ad ſuſcitationem ſeminis requiritur vxor defuncti, de qua ſuſcitetur, vt patet Deut.25. Tertio modo competit propriè ſuſcitatio ſeminis, quia ille ſemen habuit, ſed mortificatum eſt in vxore: ſicut ſemina iacta in terra, quæ nondum germinauerunt: & poſteà virtute cœleſti pullulant, ita ſemen defuncti in vxore ſua mortificatum manere cenſetur, & vir ſuperueniens adiuuans illud dicitur ſuſcitare fortificãdo, ſicut ſol ſeminã terræ naſcentia. Secundus modus principalis eſt moriendi ſine ſemine, vel liberis, quãdo quis accepit vxorem, & genuit filios, & tamen ante mortem patris mortui ſunt illi in parua ætate, ſcilicet nondum acceptis vxoribus: & iſte dicitur moriens ſine liberis, id eſt, quod moritur, & quando moritur non habet liberos: & in hoc ſuſcitatio ſeminis fieri debet ſi vxorem habeat, & cognatum, qui poſſet ſemen ſuſcitare, quia intentio legis competit iſti: nam lex iuſſit fieri ſeminis ſuſcitationem, vt non maneret deletum nomen alicuius defectu poſteritatis: ſed iſte nunquàm habuit poſteritatem, quia iſti poſteri cenſentur non fuiſſe, cùm nunquàm perueniſſent ad talem ſtatum, vt in eis nomen paternum firmiter manere poſſit, ideo ſuſcitabitur ſemen huic.

D

E

Sed aliquis obijciet, quòd non poſſet ei ſuſcitari ſemen: quia iam habuit poſteritatem, & ſic non eſt mortuus ſine ſemine. Si autem dicatur, quod eſt mortuus ſine ſemine, eo quod ſemen illud non permanſit.

Dicendum videretur, quòd tunc ſequeretur etiam, quòd ſi quis genuiſſet filios, & illi accepiſſent vxores, & genuiſſent filios, & morerentur filij, & nepotes ante auum, maneretque vxor auo apta ad gignendum, quòd moriente auo poſt hæc deberet ei ſuſcitari ſemen, quia illud ſemen cenſebitur non fuiſſe cùm non permanſerit: nullus tamen dicet hoc, quia nõ eſt ſemen iam ſuſcitandum iſti, ergo nec ſuſcitabitur illi, qui genuit filios & mortui ſunt ante pubertatem, & pater poſt illos deceſſit relicta vxore.

Dicendum, quod iſti ſuſcitabitur ſemen, & non alteri. Ratio differentiæ eſt, quia quando quis moritur ſine liberis, ita vt non poſſit continuari linea progeniei, in qua ille erat, oportet quòd ſemen alicuius ſuſcitetur, quia alias delebitur nomen progeniei, cùm nemo iam ſuccedat in illa: ideo cùm ſic moritur filius ante patrem, neceſſe eſt ſuſcitari ſemen patris, vel filij, vt nõ deleatur progenies, ſed aliquis caſus eſt, in quo ſemen filij ſuſcitari non poteſt, ergo ſuſcitabitur tunc ſemen patris: & aliquis caſus eſt, in quo ſemen patris nõ poteſt ſuſcitari, ideo ſuſcitabitur tunc ſemen filij: vtputà cùm moritur quis, relicta vxore, ex qua habuerat filios, & tamen illi mortui ſunt ante patrem in ætate pupillari, nõ poteſt hic ſuſcitari ſemen filiorum, quia ad hoc requirebatur, quòd illi reliquiſſent vxores ex quibus fieret ſuſcitatio. Etiam quia illi potuiſſent habere ſemen, licèt non habuiſſent, & impuberes non acceperunt vxores, ideo non poterit ſuſcitari ſemen eorum, cùm nõ ſit ex qua ſuſcitetur. Etiam, quia iſti nunquàm fuerunt potentes ad relinquendum ſemen, ideo non poterat fingi, quòd ſemen relictum per ſuſcitationem eſſet mortui: oportet ergo in hoc caſu, quòd ſuſcitetur ſemen patris, cùm filio non competat quòd ſuſcitetur ei ſemen: ſi tamen pater genuit filios, qui peruenientes ad pubertatem genuerunt filios, & mortui ſunt filij, & nepotes ante mortẽ aui, & poſteà auus mortuus eſt relicta vxore ſine liberis, non debet ſuſcitari ſemen auo, nec nepotibus, ſed filijs.

F

A Causa est, quia nepotibus non potest suscitari, eo quod illi mortui sunt in pupillari ætate non susceptis vxoribus, nec illi fuerunt potentes ad relinquendum semen: Auo autem non debet relinqui suscitatio seminis, eo quod filiorum semen suscitari potest cùm filij acceperint vxores, & fuerint potentes ad gignendum & genuerint, & tunc maneant sine semine: nō tamen possunt illi simul manere sine semine, scilicet pater & filius, quia si vnus manet sine semine, alius non manet, ideo suscitandū est semen filij hic, & non aui. Tertius casus principalis est, qa quando quis mortuus est relictis filijs paruulis, & vxore, & illi antequā peruenirent ad pubertatem mortui sunt, nec suscitabitur semen illi, quanquàm quando decessit filios habebat: dicetur tamen mori sine liberis, qa isti liberi mox mortui sunt, postquā nati sunt vel antequàm peruenirent ad statum virilem, vt acciperēt vxores. Sacra autem Scriptura pro eodem computat filios non esse, vel citò post natiuitatem mori siue ante complementum ætatis. Sic patet vt quidam volunt de Salomone, qui vocauit se vnigenitum coram matre sua, Prouerb. 4. & tamen illa habuerat alium in filium, quem ex adulterio cum Dauid concepit, 2. Reg. 11. ille tamen mortuus est paucis diebus, postquàm natus est, 2. Reg. 12. ideo censetur nunquàm vixisse. Sic etiam computatur in iuribus humanis non natus, qui statim moritur, vt patet extra de verbo. signifi. c. nam & ego. Et in isto casu dicendum est, quòd si vxor defuncti nondū accepit alium virum, quando moriuntur paruuli filij eius, teneretur admonere fratres

B viri sui, vt accipiat illam quisquam eorum ad suscitandum semē viri sui, quia aliàs non satisfit intentioni legis: nam nomen istius delebitur, si non suscitat aliquis sibi semen, sicut si nunquàm habuisset semen, & tamen non tenetur vxor defuncti expectare paruulos filios suos an superuiuant, quousque accipiant vxores: nec etiam fratres viri mortui tenentur expectare quousque videant an paruuli attingant illam ætatem, sed finito tempore luctus secundùm legem, vel consuetudinem, quando iam licebat mulieri accipere alterum virū, licebit tali mulieri accipere alterū virum, si superuiuant paruuli. Et dato, quòd postea moriantur, absoluta est à suscitatione seminis, nec potest accusari tanquàm adultera, si non expectauit vsquequò paruuli pertingerent ad pubertatem, & acciperent vxores: & videret an morerentur prius, ita vt suscitādum esset semen viro suo. Etiam nullus fratrum viri huius mortui tenebitur pœna legis, scil. quòd spueretur in faciē eius, & discalcearetur, vocarcturq; dom⁹ discalceati in Israel: si nō acciperent istam vxorem defuncti in vxorem in tali casu, quia etiam ipsi non tenebantur expectare. Vel si ipsa admoneret eos, nullus illorum tenebatur accipere eam, & dato quòd non acciperet non puniebatur legali pœna.

Quæ personæ ad seminis suscitationem requirebantur, & an possit fieri in quibuscunq; vxoribus.

C

Qvæstio XXXIIII.

Qværetvr vlteriùs, quæ personæ requiruntur ad suscitationem seminis.

Respondendū, quod duę, scil. vxor defuncti, & frater defuncti, vel aliquis cognatus eius. De vxore, & cōsanguineo patet Deut. 24. Et causa huius est, quia in suscitatione seminis volebat Deus, quòd nō deleretur nomen defuncti de progenie sua, & ad hoc quòd suscitaretur ei filius, qui cēseretur esse suus, & succederet ei in nomine, & hæreditate, & in omnibus tanquàm verus filius. Istud autem non erat in veritate, sed fictione legis fiebat: lex tamen non fingit sine causa, ideo volebat habere magnā similitudinē ad hoc, quòd hoc fingeret.

Cur nō permittebatur aijs fa scitare semē defuncti.

Est autem similitudo tanto maior, quanto magis accedit ad identitatem: ideo lex voluit facere quasi quandam identitatem, & ad hoc debuit iubere, quòd suscitatio seminis solùm fieret in vxore relicta à defuncto. Et ratio est, quia si alia mulier assumeretur ad hoc, cùm nullo modo pertineret ad defunctum, filius de illa natus non fingeretur esse filius defuncti. Secundò patet, quia lex fingit, quòd defunctus semen iecerit, & tamen illud fuerit tanquàm mortificatum, & ad hoc quòd viuificetur, indiget adiutorio alterius, & ille dicitur suscitans semen defuncti: ideo non dicitur, quòd accipiens vxorem defuncti, gignit semen defuncto, vel dat ei semen, sed quod suscitat semen defuncti, quia suscitatio ad adiumentum importat, & non ad præstationem totius operis, tanquàm filius genitus postea sit de semine defuncti, & tamen illud adiutum est per semen viri assumētis vxorem eius, & sic natus est filius, sicut fit in terra, in qua semina iacta mortificata manent aliquanto tempore, & virtute iacentis ea nō viuificarentur, sed cœlesti adiuuantur virtute, & viuificātur: sic ex semine defuncti, quod virtute defuncti viuificari non potuit, fingitur viuificari virtute seminis viri superuenientis: ista tamen non possunt fieri, nisi in vxore, quā relinquit defunctus, quia in illa fuit semen eius, & censetur manere ibi, & postea viuificari. In alijs autem mulieribus non est semen defuncti, ideo de illis non potest fingi quòd suscitetur: & sic nimis est necessaria vxor defuncti ad istam legalem suscitationem seminis. Etiam frater defuncti vel cognatus requiritur. Verum est, quod lex de suscitatione Deut. 25. de fratribus solùm loquitur, & tamen etiam alij non fratres, dum tamen essent propinqui poterant suscitare semen defuncti, sicut patet hic de Booz, & cognato eius, qui non erant fratres Mahalon, & Chelion, & tamen Booz dixit hic, quod accipiebat Ruth ad suscitationem seminis. Quòd autem non essent isti duo fratres Mahalon, & Chelion, probatum est suprà in quadam quæst. & etiam Deuterono. 25. cap si tamen poterat haberi frater, non licebat propinquo suscitare nisi renunciante fratre, quia semper ius suscitandi semen, & succedendi in hæreditate pertinebat ad propinquiorem. De quo magis dicetur infrà in quadam quæst. ratio autem quare frater accipiebatur ad suscitandum semen, vel cognatus erat, quia requirebatur maxima vnitas, quæ haberi poterat, vt videretur ille filius natus per suscitationem esse verè filius defuncti, & ad hoc debebat suscitare semen per illum, qui maximè posset repræsentare personam defuncti propter maximam propinquitatem ad esse idem, sed istud est in fratribus, qui habent omnia communia, scilicet sanguinē, & radicem, vt ait Arist. 8. Ethic. ideo per fratres suscitatio seminis fieri debebat: & non stantibus illis vel nolentibus, per alios propinquissimos suscitatio fieri debebat, dum tamen essent intra gradus cognationis: non existentibus autem istis duobus, scilicet vxore, & cognato defuncti non poterat fieri suscitatio seminis, sed potius permittebatur, quòd moreretur sine semine, & deleretur nomen defuncti, quia nō poterat fieri conuenienter, scilicet vt esset magna similitudo filij legalis per suscitationem seminis ad filium verum defuncti.

D E F

An ex muliere repudiata posset suscitari semen.

Qvæstio XXXV.

Qværetvr vlteriùs de quibusdam dubijs circa mulieres defunctorum, ex quibus suscitari debebat semen: & primum est an ex muliere repudiata posset semen suscitari. Aliquis dicet, quòd sic, quia illa vxor defuncti erat, & lex dicit, quòd fiat in vxore defuncti.

Dicendum, quod non poterat compelli mulier repudiata ad suscitationem seminis viri sui, dato quòd post repudium non accepisset alium virum, quia ille defunctus eam repudiauerat, & per hoc fecerat non esse vxorem: intantum quòd ipsa potuisset, viuente illo, accipere alium virum: ideo cùm sit iam soluta à lege eius, illo viuente, non poterit obligari post mortem eius ad suscitationē seminis ipsius: ideo dato quòd ipsa mortuo viro repudiante illā accipiat alium virum nolēs suscitare semen viri mortui, non incidebat in pœnam adulterij, etiam si admoneretur à cognatis defuncti, vt suscitaret semen illius, quia admonere repudiatam erat sicut admonere mulierem extraneam. Sed dicetur, quid si ipsa mulier repudiata libenter volebat suscitare semen defuncti, an suscitaret & assumeretur ad hoc. Dicet aliquis, quod sic, quia licèt non posset cogi, poterat tamen admitti. Dicendum, quòd non stat: nam non poterat admitti ad hoc, quod lex iubebat fieri suscitationem ex vxore defuncti, sed repudiata non erat vxor defuncti: quia ipse viuens fecerat eam non esse vxorem suam, ideo non poterat ad hoc admitti, imò repudiata distabat magis ab hac potestate, quā quælibet mulier extranea. Nam defunctus dum viuebat poterat accipere quācunque mulierem extraneā in vxorem, dum tamen non esset co-

A

gnatione, vel affinitate cõiuncta:& tamen mulier repudiata si transiret ad alterum virum, & ille moreretur, vel repudiaretur ab eo, non poterat prius repudians illam recipere in vxorem, Deut.24.ergo erat magis, quàm mulier extranea distans ab hoc iure suscitandi semen: & tamen nulla mulier extranea,quæ non fuisset vxor defuncti reciperetur ad suscitationem seminis, etiam si illa vellet suscitare illud, ideo nec mulier repudiata recipiebatur.

Si quis acciperet sponsam per verba de præsenti, & antequàm consummaret matrimonium moreretur, an sponsa illius deberet accipi ad suscitandum semen sponsi.

Qvæstio XXXVI.

Qværetvr vlteriùs, si quis acciperet spõsam per verba de præsenti, & antequàm consummaret matrimonium moreretur, an sponsa illius deberet accipi ad suscitandum semen sponsi.

Dicẽdum,quod hoc non apparet manifestè ex lege: & est ratio dubitandi,quia lex dicit,si moriatur aliquis sine liberis, vxor eius non nubet,sed accipiet eam frater eius. Est autem dubium an secundùm legem vocetur ista vxor, & si vocatur vxor tenebitur ad suscitationem seminis. Si autem non vocatur vxor non fiet suscitatio seminis.

B

Dicendum videtur, quod non erat semen suscitandum huic,nec tenebatur vxor defuncti siue sponsa ad istam suscitationem.Et hoc colligitur ex motiuo legis : nam sicut suprà declaratum est in quadam quæstione lex volebat ostendere per quandam fictionem,quòd iste filius natus per suscitationem seminis esset filius defuncti, & natus de semine eius: quia dicitur suscitari semen eius,scilicet,quod ille iecerat, & erat mortificatum : & virtute alterius seminis venientis viuificatur,& inde formatur fœtus, aliàs non vocaretur viuificatio seminis, sed appositio seminis,vel datio,& tamen in sponsa nondum tradita ad consummationem matrimonij non est semen defuncti, ideo non accipietur ad suscitationem seminis. Secundò patet, quia mulier extranea non admittitur ad suscitationem seminis, eo quod illa non pertinet ad defunctum:sed sponsa defuncti etiam non pertinet ad eum, quia non fuit ibi commixtio seminis:ideo non erit illa ad suscitandum semen potiùs quàm extranea. Item patet, quia in multis alijs non censetur sponsa sicut vxor, quia vxor potest repudiari, sponsa autem nondum cognita non potest repudiari, vt declaratum est Deuter.24. cap. ideo nec ad suscitationem accipietur. Tertiò patet, quia litera manifestè vult dicere de vxore iam tradita, & cognita, quæ dicit,quòd quando moriuus fuerit vnus de fratribus vxor eius non nubet alteri,& ponit istud tanquàm accidens,scilicet,quòd moriatur vnus de fratribus sine liberis:& tamen in eo,qui habet sponsam, & nunquàm habuit vxorem: certum est, quod si moritur,quod sine liberis: ideo non intelligitur de hoc, sed solùm quando vxor tenetur à viro in domo, & cognita est,& contingit virum mori non relictis liberis.

C

An frater defuncti tenebitur suscitare semen eius ex alijs vxoribus relictis.

Qvæstio XXXVII.

Qværetvr vlteriùs, quid si aliquis habeat multas vxores,& ex vna relinquat liberos, & ex alia non vel ex alijs, an frater defuncti tenebitur suscitare semen eius ex alijs:iste casus erat sæpè, quia in veteri Testamento licebat alicui habere multas vxores, vt patet de Helcana patre Samuelis,qui habebat duas, 1.Reg.1.& Dauid habebat multas, 2.Reg.3. & 5.& 1.Paralip.3.& sic de multis alijs,& istud erat licitum,vt probatum est 1.Reg,1.& 2.Reg.3.& 5. nam in nouo Testamento est vetita multitudo vxorum simultanea, sed non in veteri.

Respondendum, quod non debet in hoc casu frater defuncti sumere vxores defuncti, ex quibus non suscepit filios ad suscitandum semen:quia lex iubebat hoc quãdo quis moriebatur sine liberis, & tamen iste habebat liberos, quia præsupponitur,quod ex vna vxore reliquit libero.. Secundò patet,quia suscitatio seminis fiebat, ne periret nomen defuncti in familia sua, sed relicto tantùm vno filio non peribat nomen defuncti in familia sua, ideo cùm genuisset ex vna, non debebat semẽ eius suscitari ex alijs. Tertiò patet, quia lex illa dabatur ad suscitandum semen defuncti, & non ad suscitandum semen vxorum. Si tamen defunctus relinqueret filios ex vna vxore, & deberet suscitari semen ex alijs, ex quibus non genuerat,nõ suscitaretur ibi semen defuncti, sed semen vxorum defuncti, ideo non debebat fieri. Quartò patet, quia quando suscitabatur semen defuncti omnes possessiones eius perueniebant ad illum, qui suscitabat semen, vt posteà haberet illas,qui nasceretur inde, sicut factum est Booz hic fuit accipiente Ruth in vxorem ad suscitandum semen Mahalon:nam totam possessionem eius accepit, vt patet in litera: & tunc daretur, quod filij, quos defunctus reliquit, priuarentur successione paterna, & hoc est inconueniens, quia magis pertinent ad matrem filij veri, quàm legales, vel fictitij,ideo ipsi potiùs succedent. Et tamen dato hoc non succederent filij veri, sed legales, ergo non est suscitandum semen in tali casu: sed omnes defuncti vxores liberæ sunt,vt nubant cui voluerint.

D

Ex qua illarum frater defuncti, qui habuerat vxores sine filijs tenetur suscitare semen.

Qvæstio XXXVIII.

E

Qværertvr vlteriùs, si quis habuit multas vxores, sicut erat in veteri Testamento, & ex nulla illarum filios genuit, vel genuit & mortui sunt, ita vt pater dicatur mori sine liberis, ex qua illarum vxorum suscitare tenetur semen defuncti frater eius.

Respondendum, quod aut omnes sunt aptæ ad istam suscitationem,aut non:si non sunt omnes aptæ: de illis non est quærendum,sed vertitur dubium ad alias,quæ aptæ sunt. Et dicitur hoc,quia potest esse,quòd aliquę vxores defuncti sint ineptæ ad hoc: vtpotè si aliqua est senio confecta, & per hoc impotens ad concipiendum,vel si aliqua est sterilis,quod aliquo certo experimento probatum est : vel si fortè quando mortuus est vir relinquebat filios paruulos,& illi post paucũ tempus mortui sunt, & tamen antequàm decederẽt contraxerunt matrimonium quædam vxores defuncti. Istæ sunt iam ineptæ ad suscitandum semen defuncti, quia nõ possunt accipi in vxores à fratribus defuncti. Si autem omnes sunt aptæ,vtpotè, quia nullum impedimentum interuenit,dicendum, quod aut omnes istæ sunt vxores æquè principales,aut non. Pro quo sciendum, qnòd quædam vocabantur vxores æqualiter principales,& aliæ minus principales, & hoc fiebat multipliciter. Vno modo, quia vna vxor erat ancilla, & alia libera, quia tunc libera erat vxor principalis, & ancilla erat minus principalis. Sic fuit de Sara vxore Abrahæ, & Agar: nam Sara fuit principalis vxor, quia erat libera, & cognata ipsius Abrahę.Agar autem erat ancilla,Gen.16.Sic etiam fuit de Iacob, qui habuit quatuor vxores, & duæ erant dominæ, scilicet Rachel, & Elia, & duæ erant ancillæ earum, scilicet, Zelpha,& Bala,Gene.29.& 30. Sic etiam fiebat, quando Israelitæ volebant aliquas ancillas de Gentilitate acceptas sumere in vxores : nam cùm ibant Israelitæ ad bellum, & in medio captiuorum viderent fœminam pulchram, ille cui cadebat in fortem si placeret oculis eius, poterat in vxorem eam accipere,Deut.21.cap.& ista erat minus principalis vxor respectu cuiuslibet alterius assumptæ de Iudaismo. Alio modo vocabantur vxores minus principales, quando accipiebantur affectu coniugali, & tamen non interueniebant ibi pacta legalia, vel donationes propter nuptias: & istud fiebat quando aliquis diues volebat accipere in vxorem aliquam mulierem se minorem,quia placebat oculis eius,& tunc non accipiebat eam cum cæremonijs, vel solennitatibus istis legalibus,& illa erat minus principalis vxor respectu illius,quæ assumpta fuerat cum istis solennitatibus. Et intantum erat ista inæqualitas, quod vxores magis principales vocabantur semper vxores, & minus principales vocabantur interdum vxores,& interdum concubinæ,sicut patet de Agar, quæ vocatur vxor Abrahæ, Genes. decimosexto, & de Cetura,quæ etiam vocatur vxor eius, Genes.25. & tamen postea ambæ

F

vocan-

A

vocantur concubinæ Abrahæ, Gen.25.ſic etiã patet de vxore Leuitæ, quæ occiſa eſt in Gabaa, quæ aliquando vocatur vxor eius,& aliquando cõcubina,Iudic.19.cap. & ibi latè declaratum eſt de vxoribus, quando poſſunt vocari concubinæ,& quando non: Hoc præſuppoſito ſcietur ex qua ſuſcitandum erat ſemen, & dicendum quod ex omnibus iſtis poterat ſimul ſuſcitari, ideo erat in optione fratris viri defuncti,an vellet accipere omnes iſtas vxores quas habebat frater ſuus,an vnicam vel quaſdam illarum: ſi autem omnes vellet, poterat ſuſcitare ſemen ex omnibus illis, & illæ tenebantur eum accipere in virum, & ſi aliqua iſtarum acciperet alterum virum vel commiſceretur alicui non matrimonialiter, poterat accuſari de adulterio, quia nõ licebat ei accipere alium in virum, vel quomodocunq; alteri commiſceri quouſque repudiaret eam frater defuncti nolendo eam accipere in vxorem: de quo magis declarabitur infrà in quadam quæſtione. Cùm autem aliquas iſtarum repudiaret frater defuncti nolendo illas accipere, licebat illicò eis accipere alios viros. Si autem nollet frater defuncti accipere omnes ad ſuſcitandum ſemen ſed vnicam, videtur quibuſdam diſtinguendum eſſe, quia aut erant ſimul vxores multæ, & quædam erant minus principales,& alia quædam erat principalis, aut multæ principales,aut multæ,vel vnica minus principalis. Si autem primo modo, dicunt quod tenebatur accipere principalem relictis minus principalibus, & tunc omnes illæ erant liberæ, ita quòd poſſent accipere viros quoſcunq; vellent. Si autem

B

ſecundo modo, dicunt quod erat in optione fratris defuncti accipere quam vellet, & de illis magis principalibus ſuſcitare ſemen: ſed alijs videtur quod potius relinquendum erat hoc totum in electione fratris defuncti, ſcilicet quòd acciperet quamcunque vellet,ſiue de principalibus,ſiue de minus principalibus. In hoc autem non poteſt apparere certitudo: de quo ſatis dictum eſt Deut.25.

An vxor poſſet ſuſcitare ſemen primi viri mortui.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi quis moriebatur habens liberos paruulos, & vxor illius nubebat alteri,& morieban tur fil j iſtius viri, & deinde moriebatur vir ſecundus iſtius mulieris, & liberabatur mulier à lege illius, an poſſet ſuſcitare ſemen primi viri mortui.

Pro quo præſupponendum eſt, quod ſemen iſtius viri ſuſcitandum erat, ſi eſſet aliquis, qui poſſet ſuſcitare, & mulier de qua ſuſcitaretur, eo quod ille cenſebatur mortuus ſine liberis,qui liberi ſui non peruenerunt ad pubertatem, nec acceperunt vxores, ita vt poſſent perpetuare patris nomen per deriuationem familiæ ſuæ:nam ſecundum, quod ſuprà probatum eſt, ſemper erat ſuſcitandum ſemen patris, vel filij,

C

quando aliqua linea progeniei interrumpebatur, ita vt non poſſet continuari:ita hic non poterat ſuſcitari ſemen filij, eo quod ille mortuus fuerat paruulus quando nõdum habebat vxorem,nec poterat gignere, ideo ſuſcitandum erat ſemen patris,quia ille dicebatur mori ſine ſemine & non filius.

Aliquis ergo dicet quod non cogebatur mulier iſta ad ſuſcitationem ſeminis. Cauſa eſt, quia mulier iſta ſemel ſoluta fuerat à lege viri prioris, & alligata fuerat alteri: rupto ergo vinculo, non poterat iterum redire obligatio ad ſuſcitãdum ſemen: & ſic quanquàm acciperet iam tertium virum nollens ſuſcitare ſemen primi, vel vellet manere in viduitate, non poterat accuſari à fratribus defuncti tanquàm adultera, nec compelli ad ſuſcitationem ſeminis, ſed neceſſe erat quòd periret ſic nomen defuncti de familia ſua. Sed quid ſi iſta mulier vellet ſponte ſuſcitare ſemen viri primi, etiam ſi lex eam non cogeret?Dicendum quod non admittebatur ad hoc,quia lex iubet quòd vxor defuncti ſuſcitaret ſemen: iſta tamen non eſt vxor defuncti, quia iam ſoluta fuit à lege eius per mortem ipſius, & poſteà cœpit eſſe alterius, ideo ipſa omninò extranea eſt: ſed mulier extranea non admittit ad ſuſcitationnm ſeminis defuncti, quia non pertinet vllo modo ad defunctum, ergo nec iſta recipietur, quia iam eſt omninò extranea. Secundò patet,quia lex Deut.25.dicit,quando quis moreretur ſine liberis, vxor eius non nuberet, ſed frater defuncti acciperet eam in vxorem, & tamen ipſa iam nupſerat,vt patet ex hypotheſi,ergo non poterat ſuſcitari ſemen ex hac. Tertiò patet, quia motiuum legis erat, quòd ſuſcitaretur ſemen defuncti ex vxore ſua, & nõ ex alia, quia ſemen defuncti videbatur iactum eſſe in vxore, & moriente ipſo non poterãt viuificari niſi alterius adiuuaretur ſemine: & ſic dicebatur ſemen mortui ſuſcitari, & non apponi:& tamen ſi acciperetur ad ſuſcitandum ſemen mortui, illa quæ fuerat vxor eius, & poſteà fuerat alterius, non poterat fingi ſemen mortui primi eſſe in illa ad hoc quòd ſuſcitaretur, ſed ſemen ſecundi, qui proximè eam habuerat: ideo non erat iſta apta ad ſuſcitandum ſemen viri primi,ſed ſecundi ſi opus eſſet.

D

Ad quid vxor moriente viro tenebatur ſecundùm conditionem veteris Teſtamenti.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR vlteriùs de vxore moriente viro, ad quid tenebatur ſecundùm conditionem veteris Teſtamenti.

Dicendum,quod aut vir relinquebat ſemen,aut nõ: ſi relinquebat ſemen, poterat illa nubere cui vellet, & non obligabatur ad aliquid. Si autem vir non relinquebat ſemen: mulier aut erat apta ad gignendum aut non,ſi non erat apta,vtpotè ſenectute confecta, nihil tenebatur facere, quia non erat apta ad ſuſcitandum ſemen viri ſui. Si autem eſſet

E

apta ad ſuſcitationem ſeminis mortuo viro, & tranſito tempore luctus,quo ſecundùm legem, vel conſuetudinem mulier abſtinere debebat à nuptijs, debebat admonere propinquos viri per ordinem quòd aliquis eorum acciperet eam in vxorem ad ſuſcitandum ſemen viri: & ſi quis vellet eam accipere tenebatur cum illo manere. Si autem antequàm admoneret omnes contraheret cum aliquo alio, vel fornicaretur cum alio, tenebatur de adulterio tanquàm ſi eſſet coniugata,vel deſponſata per verba de præſenti: ſi autem nullus eorum vellet accipere eam in vxorem: poterat ipſa accipere quemcunque vellet in virum,& libera erat à lege prioris:nec poterat contra illam quicquam obijci: & tamen quando admoneret mulier iſta fratres viri ſui, vt eam acciperent, debebat eos citare, & conqueri de quolibet eorum ſucceſſiuè, & coram iudicibus diſcalceabat mulier ſotularem vnum cuilibet illorum, & ſpuebat in faciem cuiuſlibet, & dicebat: ſic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris ſui. Et vocabatur domus illius domus diſcalceati in Iſrael, Deuter. vigeſimoquinto. Et tamen ſi mulier acciperetur ab aliquo cognato viri ſui in vxorem, tenebat totam hæreditatem viri pro filio in de naſcituro. Si autem nullus de cognatis vir eam recipere volebat, accipiebat ipſa, quem volebat in virum, & tamen non perueniebat tunc ad eam hæreditatis viri ſui poſſeſſio,ſicut aliàs teneret,ſi acciperetur ad ſuſcitandum ſemen viri ſui.

F

Quomodo poteſt ſtare, quòd ſi mulier mortuo viro ſine ſemine acciperet alium virum prius quàm repudiaretur à cognatis viri ſui,quòd poſſet de adulterio accuſari.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo poteſt ſtare, quòd ſi mulier mortuo viro ſine ſemine acciperet alium virum prius quàm repudiaretur à cognatis viri ſui, quòd poſſet de adulterio accuſari:nam non erat coniugata,vt competeret hoc contra eam.

Dicẽdum, quod tenebatur de adulterio quocunq; modo cognoſceret ab alio viro,ſiue contrahendo matrimoniũ cum illo ſiue fornicãdo,& debebat lapidari,vel cremari. Quod patet qa mortuo primogenito Iudæ nomine Her accepit eius vxorem Thamar frater ſuus noĩe Onan, & ille mortuus eſt etiam ſine ſemine,&poſteà accepturus erat eam tertius filius eius,ſcilicet Sela,&antequàm ille acciperet comperta eſt prẽgnans Thamar,& condemnata eſt ad ignem,Gen.38.& combuſta fuiſſet, niſi quia innocentiam ſuam probauit, vt patet ibidem,ita inter Hebrẽos fieret:& tamen pro adulterio,quale erat in veteri Teſtamento, lapidatio infligebatur, Leuit. 20. ſed in hoc non differt, cùm conſtet, quod occidebatur

A pro hoc facto. Sed obijcietur, quia dicit Apoſt. ad Roma. 7. quod mortuo viro ſoluta eſt mulier à lege viri, ita vt non iudicetur adultera, nec cõdemnetur ſi fuerit inuenta cum alio, & tamen hic erat mortuus vir, ergo non accuſari poterat fœmina de adulterio, licèt contraheret cum altero, vel quomodocunque commiſceretur ei. Reſponderi poteſt vno modo, quod dictum Apoſtoli eſt regula generalis, & tenet verum generaliter, niſi in quibuſdam caſibus à lege exceptis: & iſte eſt vnus, vel fortè vnicus, quia non reperimus alium caſum, in quo teneatur mulier mortuo viro de adulterio, ſi cũ alio inueniatur. Secũdo modo poteſt dici quod mortuo viro verum eſt. quod ſoluta mulier eſt à lege viri: & tamen hic nõ eſt mortuus vir huius mulieris, quia licèt mortuus eſt vir, prior manet vir eius de cognatis viri ſui ex ordinatione legis, & ſi fornicatur dicitur fornicari viuente viro, ideo adulterij rea eſt. Tertio modo poteſt dici, quod verum eſt, quod mortuo viro ſoluta eſt mulier à lege viri, & tamen non eſt ſoluta ab onere legis, & quia lex impoſuit hic ſuper mulierem neceſſitatem ſuſcitandi ſeminis volente aliquo de cognatis viri ſui, tenetur abſtinere ab extraneo coitu quouſq; ſciat, an aliquis de cognatis viri eam velit accipere in vxorem. Modus tamen ſecundus eſt conuenientior. Sed tunc dicetur, quomodo poteſt teneri mulier iſta de adulterio, quia iſtud non competit, niſi contra deſponſatam vel iam coniugatam.

Dicendum eſt quod verum eſt: & tamen licèt mulier iſta nõ ſit coniugata, nec deſponſata, cenſeẽ deſponſata, eo quòd
B lex deſpondet cã alicui cognatorũ viri ſi ille voluerit eã: ideo ad petitionẽ illius tanquã ſponſi ſui debebat talis mulier cremari, vel lapidari, ſi acciperet aliũ in virum, vel fornicaretur cum eo. Sic factũ eſt quãdo Thamar vxor duorum filiorum Iudæ mortuorum, quæ danda erat tertio filio eius ad ſuſcitandum ſemen fratrum ſuorum, inuenta eſt prægnans: nam accuſauit eam Iudas, quòd produceretur ad incendium, & ibi iuſtificauit ſe, Gen. 38. cap. ita ergo poterat quilibet alius accuſare mulierem talem tanquàm ſibi debitam, & hoc competebat propinquiori in cognatione, quia illi erat debita mulier:: ſic enim dicitur Deute. 25. quod ei lege debetur, ideo lex cauſauit iſtud vinculum, vel obligationem, quæ obtinet vicem ſponſalium de præſenti, vel matrimonij conſummati.

Si defunctus haberet aliquem fratrem paruæ ætatis quomodo deberet illum vxor defuncti accipere in virum, &c.

QVÆSTIO XLII.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi defunctus haberet aliquẽ fratrem valdè paruæ ætatis, quomodo deberet illum accipere vxor defuncti in virum, & an propter illũ poterat accipere alium in virum aliquem de cognatione illa, qui non eſſet tam propinquus, vel aliquẽ, qui nõ eſſet de cognatione.

C Dicendum ſecundùm quoſdã, quod in tali caſu non tenebantur vxores defunctorũ ad ſuſcitationem ſeminis eorum, ſed poterant accipere quoſcunq; vellent: ſic colligitur ſuprà primo, cùm dicitur quod Ruth, & Orpha volebãt venire cũ Noemi de Moab in terrã Iſrael, & dixit eis Noemi: reuertamini filiæ Moabitæ, cur venitis mecum? iam ſenectute confecta ſum, ne apta vinculo coniugali, nec filios habeo in vtero, & ſi iſta nocte concipere poſſem, & parere filios: ſi eos expectare velitis donec annos impleant pubertatis, prius eritis vetulæ quàm nubatis. In quo innuit quòd ſi filij eſſent paruuli non tenerentur expectare eos, ſed poterant nubere alijs, ſicut Noemi perſuadebat iſtis quòd reuerterentur in terram Moab, & ibi nuberent. Alij dicunt: quòd deberet in tali caſu mulier accipere alium de cognatione illa in virum, vt ſuſcitaret ſemen defuncti, & hoc ſufficiebat.

Dicendum, quod ſi paruulus erat propinquior defuncto, cui cõpetebat primò ſuſcitare ſemen eius, aut illa mulier defuncti expectando iſtum, donec peruenirent ad annos pubertatis excederet tempus, quo erat apta ad generandũ, aut non: ſi non excederet tempus tenebatur expectare: ſic patet de Thamar vxore primogeniti Iudæ quam accepit frater eius Onan ad ſuſcitandum ſemen fratris defuncti. Et cùm etiam iſte moreretur ſine ſemine, dixit Iudas ad Thamar, mane in domo patris tui in veſte viduitatis, donec creſcat Sela filius meus, & dabo tibi in virũ eum, & mãſit expectãdo quouſq; veniret Sela ad annos pubertatis, & cùm non daretur, videns D ſe fraudari, cogitauit qualiter ipſa fraudaret Iudam, vt factũ eſt, Gen. 38. ſi autem mulier tantæ ætatis eſt, quod expectando paruulum vſque ad pubertatem tranſiret tempus gignendi, non debet expectare, quia ſequerentur duo inconuenientia, ſcil. non fieret ſuſcitatio ſeminis defuncti, & mulier iſta perderet tempus ſuum gignendi, cùm ab alio viro concipere poſſet, quem acciperet poſt mortem viri primi: dicendum, quod debet accipi iſta in vxorem ab alio de cognatis defuncti prætermiſſo iſto: nam iſtud ſatis poterat fieri, quia ſi vnus de cognatis cederet nolendo ſuſcitare ſemen defuncti tranſibat ius ad alium, à fortiori ſi vnus impotens eſſet tranſibat ius ad alium, quia ſi ſola voluntas poterat transferre ius de vno in altero, magis illud transferret impotentia & neceſſitas, & ſic tranſiret ius de vno in alium, ſi eſſent multi impotentes, quouſque peruenirent ad illum, qui eſſet potentior ad faciendum hoc.

Quibus competebat hoc ius ſuſcitandi ſeminis defunctorum: & an ſolum pertineret ad fratres, & ad alios cognatos.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRERTVR nunc circa illos, qui ſuſcitaturi erant ſemen defunctorum, ſcilicet quibus competebat hoc ius: & dicendum, quod iſtud erat onus, & ideo multi illud ſubterfugiebant, vt dicetur infrà in quadam quęſtione: & tamen impoſitum fuit iſtud onus fratribus, vt patet Deute. 25. ſcilicet: Si moreretur vnus de fratribus non habens liberos, alius frater eius ſuſciperet vxorem illius: & ſuſcitaret ſemen eius, & vocaret primogenitum nomine defuncti.

Ratio autem quare iuſſum eſt hoc fratribus, fuit, quia vt dictum eſt ſuprà in quadã quæſtione, ſuſcitatio ſeminis erat ad hoc, quòd per eam naſcerentur filij legales, cùm non reliquiſſet filios veros: & qa iſti filij ſuſcitati cenſebant eſſe filij defuncti, debebãt eſſe nimis propinqui ad veritatẽ filiorum ſuorũ. Hoc aũt erat pro hoc, quod videretur ipſe gignere illos: & ad hoc cùm ipſe eos nõ gigneret, debebat gignere eos, qui poſſet efficaciùs repræſentare perſonam eius, & iſte erat frater defuncti: ideo fratribus defuncti impoſitum eſt iſtud onus, & ob hoc obligati fuerunt ſub pœna poſita, Deute. 25. & non ſolùm fratres, ſed etiam alij cognati poterant ſuſcitare ſemen defunctorum, vt patet de Booz, qui ſuſcitauit ſemen Mahalon defuncti accipiendo Ruth vxorem illius in vxorem, vt patet in litera: & tamen non erat Booz frater Mahalon, vt probatum eſt ſuprà in quadam quæſtione, & Deut. 25. quia tamen fratres erant propinquiores cæteris lex ſolùm locuta fuit de fratribus, Deutero. 25. de hoc tamen ſi cognati poſſent ſuſcitare ſemen, & an obligarentur ad hoc dicetur infrà magis in quadam quęſtione, vbi agetur etiam an Booz, & cognatus ſuus obligabantur ad accipiendum in vxorem ipſam Ruth. F

Qualiter competebat fratribus iſta ſeminis ſuſcitatio.

QVÆSTIO XLIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, qualiter competebat fratribus iſta ſuſcitatio ſeminis: an æqualiter pro voluntate, vel erat aliquis ordo.

Dicendum, quod Scriptura non ponit aliquem ordinem, Deute. 25. vbi ponitur lex de ſuſcitatione, ſed ſolùm quòd ſi moreretur vnus de fratribus ſine ſemine, quòd alius frater eius accipiat vxorem ſuam in vxorem, & ſuſcitet ei ſemen.

Dicendum tamen quod aliquis ordo erat: nam ſi nullus ordo eſſet ſed cõpeteret omnibus æqualiter, cùm eſſet opus oneroſum, & quilibet vellet illud refugere, quilibet poneret iſtud onus ſuper alterũ & diceret ſe nõ eſſe magis obligatum quàm illum, & ſic ſuſcitaretur diſcordia, & nullus vellet ſuſcitare ſemen defuncti. Ordo autem erat, quod mortuo aliquo ſine liberis, frater eius qui erat ſequens eum in ordine natiuitatis acciperet vxorem eius ad ſuſcitandum ſemen, & ſi iſte moreretur non ſuſcitato ſemine, ſuccedebat ſequens frater ſecundũ ætatẽ quouſq; omnes fratres conſummarentur, vel aliquis ſuſcitaret ſemen. Nam ſi aliquis ſuſcitaret ſe-

A men, non erat accipienda mulier ab alijs fratribus iſtius mortuo iſto. Hoc patet ex ordine, qui fuit inter filios Iudæ, Gen. 38. Nam primogenitus, ſcilicet Her accepit vxorẽ Thamar, & illo mortuo ſine liberis frater eius Onan, qui ſequebatur eum in ordine natiuitatis accepit illam, & iſto etiam mortuo ſine ſemine minor omnium fratrum Sela accepturus erat eam, eod. cap. Patet etiam hoc ex ordine cognatorum. Nam cùm cognati, qui non erant fratres, ſuſcitabãt ſemen defunctorum, qui proximior erat in gradu ille ſuſcitabat ſemen, ſic fuit de Booz, & cognato eius, quia cognatus Booz erat propinquior quàm ipſe, ideo non potuit accipere ipſe in vxorem quouſque ille ceſſit iuri cognationis, vt patet hic in litera, & præſenti cap. ita ergo inter fratres eſſet, quòd propinquior illorum haberet ius, & onus ſuſcitandi ſemen, & illo cedente ſuccedebat alius, & tamen nemo poterat cedere ſine pœna, quæ habetur Deuter. 25. Item patet hoc Matth. 22. vbi ponitur argumentum Saduceorum contra Chriſtum volentium probare non eſſe reſurrectionem mortuorum per deductionem ad impoſſibile, vel inconueniens, ſcilicet ſequeretur, quòd quis priuaretur vxore ſua, quòd eſſet inconueniens. Et probant dando caſum, quod inter eos fuerunt ſeptem fratres: quorum primus accepit vxorem, & mortuus eſt non relictis filijs, & frater eius ſecundus accepit illam, & etiam mortuus eſt ſine liberis, & ſic factum eſt de omnibus vſque ad ſeptimum, & ille etiam mortuus eſt ſine liberis, ideo quęrunt in reſurrectione illa mulier cuius iſtorum erit vxor:

B quaſi dicat, inconueniens eſt ſi reſurgerent omnes, quia non poſſet dari cauſa quare potiùs eſſet vxor vnius quàm alterius: & tamen neceſſe eſſet, quòd eſſet vxor alicuius, ſi fieret reſurrectio, ergo non fit reſurrectio: ſed relicto inſipienti & inepto argumento: patet ex hypotheſi, quòd cùm eſſent ſeptem fratres omnes tenebantur ſucceſſiuè accipere eandem vxorem, ſi prior non haberet ex illa quouſque aliquis ſuſcitaret ſemen illi: & ita erat in fratribus omnibus, & cognatorum morientium ſine liberis relictis vxoribus.

An in omni caſu tenerentur fratres ſuſcitare ſemen fratrum mortuorum ſine ſemine.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi in omni caſu tenerẽtur fratres ſuſcitare ſemen fratram mortuorum ſine ſemine.

Aliquis dicet, quòd non, quia poterat eſſe quod moriente vno fratre cæteri fratres ſui haberent vxores, & ſic nõ poſſent ſuſcitare ſemen defuncti. Dicet aliquis, quod verum eſt, quòd quando quis habebat vxorem non poterat ſuſcitare ſemen fratris, cùm nõ poſſet accipere illius vxorem, & tamen in omnibus alijs caſibus tenebatur ſuſcitare ſemen fratris ſui quilibet frater. Dicendum quod hoc non ſtat conuenienter, quia tunc rarò cõtingeret, quòd ſuſcitaretur ſemen

C defunctorum. Nam contingeret vt in plurimum, quòd moriente vno de fratribus reliqui ſiue eſſet vnus, ſiue multi haberent vxores, & ſic nullus ſuſcitaret ſemen defuncti, & tamen Deus dabat iſtam legem quaſi generalem, ſcil. cet quòd ſuſcitaretur ſemen mortuorum ne perirent nomina eorum in cognationibus ſuis, ideo videtur quòd in iſto caſu etiam ſuſcitandum eſſet ſemen defunctorum.

Dicendum tamen quòd in omni caſu lex iſta obligabat ad ſuſcitationem ſeminis defunctorum, ſiue fratres defuncti haberent vxores ſiue non. Et erat dubiũ in duobus. Primum erat, an iſti poterant ſuſcitare ſemen defunctorum, qa oportebat ad hoc accipere alias vxores. Secundum eſt, dato quòd poſſent obligarentur ad hoc. Dicendum ad primum, quod iſtis licebat ſuſcitare ſemen defunctorum. Nam nõ impediebat ad hoc niſi pluralitas vxorum, & tamen manifeſtum eſt, quod in veteri Teſtamento licitum erat cuilibet habere multas vxores, ſicut fuit de Elcana patre Samuelis viro iuſto, 1. Reg. 1. & de Dauid Propheta ſancto, 2. Reg. 3. & 5. & 1. Paral. 3. & etiam Deus dixit ſibi quòd daret plures vxores ei, & quod dederat vxores Domini ſui in ſinu ſuo, 2. Reg. 12. & tamen id quod Deus dat homini in donum bonum eſt, ergo pluralitas vxorum licita erat, maximè autem eſſet nũc licita, cùm acciperentur multę vxores pro cauſa honeſta ad obediendũ legi.

De ſecundo dicendum, quod obligabantur ad accipiendum vxores defunctorum, dato quòd alias haberent. Nam obligarentur iſti ad accipiendũ vxores defunctorum, ſi nullas haberẽt, ergo obligabant iſti accipere vxores defunctorũ, quanquàm alias haberẽt ad ſuſcitandũ ſemen ipſorum. Item patet hoc, qa ſi fratres defunctorum iam coniugati non obligarentur accipere vxores eorũ ad ſuſcitandum ſemen ipſorum, rarò fieret ſeminis ſuſcitatio: qa pluries contingeret fratres defuncti coniugatos eſſe quàm nõ coniugatos, & tamen lex erat generaliter à Deo data, quaſi ſemper obſeruari deberet, ergo etiam in iſto caſu obligabantur. Tertiò patet de ſuſcitatione ſeminis Mahalon in Ruth, quando accepit eam Booz. Nam Booz erat homo antiquus, & etiã cognatus ſuus, ideo nõ erat ſatis veriſimile, cp nullus eorum haberet vxorẽ, & tamen Booz accepit in vxorẽ Ruth, & cognatus eius non excuſauit ſe quaſi haberet vxorẽ, ſed dixit quod cedebat iuri cognationis. Ergo videtur, quod non obſtantibus vxoribus, quas habebant putabãt iſti ſe poſſe, & debere ſuſcitare ſemen defuncti. Quartò in caſu, quẽ poſuerũt Saducæi de ſeptẽ fratribus, qui acceperũt eandem vxorem ſucceſſiuè, & quilibet tenebat eam donec moriebatur, & poſteà ſuſcipiebat eam ſequens, & ſic de omnibus: nã non erat veriſimile quòd omnes ſex fratres manerent ſine vxoribus, quouſq; moreretur primus eorum, & quinq; vltimi manerent ſine vxoribus quouſque duo primi acciperent ſucceſſiuè vxorem illam, & morerentur: & maximè de vltimo, quia ille nunquàm acciperet vxorem, quouſque ſex fratres ſui primi morerentur. Nam licèt iſtud poſſibile eſſet, tamen non erat veriſimile, quòd ſic fieret: accidit tamen quòd omnes iſti ſeptem accepiſſent ſucceſſiuè eandem vxorem, vt patet Matth. 22. ergo aliquis iſtorum, vel fortè multi habebant alias vxores, quãdo iſtam, quæ relinquebatur a prioribus aſſumebãt: & ſic dicendum, quod tenebantur fratres defuncti ad ſuſcitandum defunctorum ſemen accipiendo vxores eorum.

An erat generale, quòd quandocunq; moreretur aliquis de fratribus ſine ſemine, quòd alij fratres eius tenerentur ſemen ſuſcitare.

QVÆSTIO XLVI.

QVÆRETVR vlteriùs an erat iſtud generale quòd quandocunque moreretur aliquis de fratribus ſine ſemine, quòd alij fratres eius tenerentur ſuſcitare ſemen eius, vel eſſet hoc ſpecialiter in quibuſdam ipſorum.

Reſpondendum, quod lex Deut. 25. loquitur generaliter, ſcilicet, quòd quando fratres habitauerint ſimul, & vnus eorum moriatur ſine fratribus, quòd alius ſuſcipiat vxorẽ eius ad ſuſcitandum ſemen defuncti, ideo ex hoc innuitur quòd quilibet tenebatur ſuſcitare ſemen alterius, ſicut cõtingeret eos mori. Quidam autem dicunt, quod iſtud intelligebatur in primogenitis, ſcil. quòd ſi primogenitus relicta vxore moreretur ſine liberis, frater eius ſequens acciperet vxorẽ illius, F & ſi ille moreretur acciperet eam alius, & ſic de omnibus vſq; ad vltimum: ſic fuit in caſu, quem poſuerũt Saducęi de ſeptẽ fratribus accipientibus eandem vxorẽ ſucceſſiuè, Matth. 22. dicunt autem quod non tenebat hoc in minoribus, vtpotè ſi moreretur frater minor relicta vxore ſine liberis, & maneret frater eius primogenitus, qui nondũ habebat vxorem, quod non tenebatur ſuſcitare ſemen minoris. Et dicunt, quòd cauſa eſt quia ſuſcitatio ſeminis fiebat ad conſeruandum familias primogenitorum, per quos deriuabantur principali familiæ patrum, ideo maiores pro ſe ſemen ſuſcitare debebant, & non pro minoribus. Iſta eſt poſitio multorum, quæ videtur ſatis rationabilis, & tenuimus eam Deute. 25. & non ſolùm hoc de primogenito, in quo videbatur ſpeciale, ſed etiam de alijs non primogenitis, ſcilicet quòd maiores nunquàm tenerentur ſuſcitare ſemẽ minorum, vt in caſu quem poſuerunt Saducæi de ſeptem fratribus, ſcilicet quòd ſi moreretur quartus ætate ante ſecundum quòd nõ teneretur ſecũdus accipere illius vxorem ad ſuſcitandũ prolem defuncti: ſed ſi morereẽ quartus, obligabatur quintus, ſextus, & ſeptimus ad ſuſcitandũ ſemen eius, aut ſaltẽ non obligabant priores poſterioribus, qa maiores natiuitate reſpectu minorũ habebant locum primogenitorum. Si autem ſtaret determinatio iſta, manebat aliud dubium, ſcilicet ſi eſſent multi fratres,

A & aliqui de medijs morerentur: an minores illis tenerentur ſuſcitare ſemen ipſorum: dato quòd primogenitus non teneretur ad hoc reſpectu aliquorum ſuorum fratrum.

Reſpondẽt ſub dubio tenentes iſtam poſitionem, dicentes quod fortè non tenebantur minores ad hoc, quia ſuſcitatio iſta ſeminis fiebat propter cõtinuationem familiæ, & nominis primogenitorum, & ſic ſi primogenitus filios habebat, non erat neceſſe, quòd alij minores ad inuicẽ ſemen ſibiipſis ſuſcitarent, & ſic volunt reſtringere iſtam legem ad primogenitos, ſcilicet quòd ſolùm fieret iſta ſuſcitatio ſeminis moriente primogenito alicuius.

Dicendum tamen hoc non obſtante, quod rationabilior poſitio eſt, quòd iſta lex intelligat̃ de omnibus fratribus, ſiue moreretur primogenitus ante alios, ſiue quilibet minorum fratrũ: manentes tenebantur ad ſuſcitandũ ſemen mortui. Et patet hoc, q̃a lex generaliter loquitur dicens, quãdo habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit: ſi tamen intelligeretur de ſolo primogenito, non diceretur, & vnus ex eis ſine liberis mortuus fuerit, quia hoc indeterminatè ponitur, & poteſt referri ad quemlibet eorum, ſcilicet, quòd ſi moriatur ſine liberis, alius ſuperſtes ſuſcitet ſemen eius. Si autem intelligeretur de ſolo primogenito, non loqueretur lex tam generaliter: ideo dicendum quod intelligitur de omnibus, ſcil. quòd cuiuſlibet hominis, qui morereṫ ſine liberis erat ſuſcitandum ſemen. Et ratio huius eſt, quia cauſa, quam iſti ponunt eſſe motiuum ſuſcitationis ſeminis,

B non fuit præciſum motiuum, ſed alia fuerunt principaliora, ſcilicet quia Iudæi putabant ſe viuere ſi relinquerent poſteritatem, etiam ſi mortui eſſent: & ſi morerentur ſine liberis, putabant ſe omninò mortuos, & ob hoc infœlices, iuxta illud Eccleſia. 30. cap. ſcil. Mortuus eſt pater eius, & nõ eſt mortuus, reliquit enim filium ſimilem ſibi. Et quia iſtud cõmune erat omnibus Iudeis, ſiue primogenitis, ſiue non primogenitis, omnium erat ſuſcitandum ſemen.

Aliæ etiam cauſæ huius aſſignatæ fuerũt ſuprà in quadam quæſtione de hoc, & omnes illæ competunt tam primogenitis, quàm non primogenitis: ideo dicendum, quòd ſi primogenitus moriatur, omnes inferiores per ordinẽ tenentur ſuſcitare ſemẽ eius, & ſi aliquis moriatur etiam ſi ſit minor, oẽs tam ſuperiores quàm inferiores tenenṫ ad ſuſcitandũ ſemen illius. Manet ergo hic vnum dubium ſolum de primogenito, ſi aliquis de minoribus fratrib⁹ moreretur: an primogenitus teneretur ſuſcitare ſemen illius, cùm ipſe eſſet cui competeret ex ordine propinquitatis. Ratio autem dubitãdi eſt, quia qui ſuſcitaturus erat ſemen defuncti, vocaturus erat nomen primogeniti ſui ex nomine defuncti, vt patet Deut. 25. & ille non vocabatur filius iſtius ſed defuncti, & ipſe defuncto ſuccedebat in hęreditate: & tamen per lineam primogenitorum deriuabatur ſemper familia, & ipſi ſuccedebãt in honore paterno: & tamen primogenitus, qui naſceretur à primogenito

C ſuſcitante ſemen alicuius de fratribus ſuis, debebat ſuccedere ei in dignitate, & nunc non poterat, quia pertinebat nõ ad familiam patris ſui, ſed ad familiam defuncti, ideo erat difficultas, quomodo accipiendi eſſent illi, qui ſuſcitare debebãt ſemen defuncti, de alijs autem minoribus primogenito non erat dubium aliquod, eo quod per iſtos non texebatur linea principalis progeniei. Etiam non ſuccedebant iſti in dignitatibus aliquibus, ſicut filij primogenitorũ, ideo dato quod primogeniti iſtorum, quando ſuſcitarent ſemen fratrum nominarentur ex nomine defunctorum, & computarentur in familia ipſorum, non erat inconueniens.

Reſpon ſio ad dubiũ. Dicendum, quod non obſtãtibus prædictis omnes fratres tenebantur ad ſuſcitationem ſeminis fratris defuncti, etiam ſi ille eſſet minor, qui mortuus erat, tenebatur tam primogenitus, quàm omnes alij ad iſtã ſuſcitationem, eo quod lex generaliter loquitur. Et cũ obijcitur, quòd primogenitus primogeniti ſuccederet ei in dignitate, ſed computaretur de familia defuncti. Dicendum quod verum eſt: & tamen hoc nõ erat inconueniens, quia ille, qui erat nũc primogenitus primogeniti in ordine natiuitatis, nõ vocabatur primogenitus eius, ſed aliquis quem poſteà gigneret eſſet primogenitus eius quantum ad ius primogenituræ, licèt primus eſſet primogenitus ſecundùm carnem: & tamen quia nõ ſuccedebat in iure primogenituræ, nõ vocabatur primogenitus ſimpliciter: ſic enim fuit de Ruben filio Iacob, q̃ fuit primogenitus

Reſp. ad rationem

eius ſecundùm carnẽ, & tamẽ primogenita eius mutata ſunt ad Iudã, & Ioſeph potiſſimè, vt patet 1. Parali. 5. & iſte, q̃ eſſet primogenitus quantũ ad ius eſſet ille, per quẽ computaretur familia paterna: ſic enim de multis factũ eſt. Nam Abraham prius genuit Iſmahelem quàm Iſaac, vt patet Geneſ. 17. vbi orabat Abraham pro vita Iſmahelis, & nondum natus erat Iſaac, tamen non ſucceſſit Iſmahel in primogenitura Abrahæ, nec per eum deriuata eſt poſteritas Abrahæ: nam Deus dixit ad Abraham: in Iſaac vocabitur tibi ſemen, Gene. 21. ca. ſic etiam fuit de Dauid qui multos filios habuit, vt patet primo Paralipom. 28. & minimus illorum fuit Salomon: ille tamen fuit ſuccedens in dignitate regia patris, & per quem deriuata fuit familia Dauid, vt patet Matth. primo in genealogia Saluatoris. Dicendum ergo, quod omnes fratres, ſiue primogenitus, ſiue quicunque alij tenebantur ad ſuſcitationem ſeminis fratris defuncti, quia lex hoc vult generaliter loquens.

D

An & fratres legitimi, & etiam alij ex concubinis tenerentur ad ſuſcitationem ſeminis.

QVÆSTIO XLVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quid ſi eſſent multi fratres, & quidã eſſent ex legitimo matrimonio ſuſcepti, alij autem eſſent ex concubinis, an omnes iſti tenerentur ad ſuſcitationem ſeminis.

E

Dicendum quod lex de hoc nihil determinat, cùm rarò fiat mentio in veteri Teſtamento de filijs concubinarũ. Nam leges veteris Teſtamenti non complebant legiſlationem aliquam: quod patet cõparando illas ad leges Romanorum, & quorumcunq; populorum aliorum, quæ valdè multæ erant. Et fortè factum eſt hoc, quia populus erat rudis, & non indigebat, quòd intricaretur multitudine legum, vel quia volebat Deus reliqua relinquere arbitrio iudicum. Vel quia in cæteris ſequerentur leges forales aliarum gentium vicinarũ, quæ fortè bonæ erant quantum ad id, in quo non tangebatur cultus idolorum: Ideo aliquis fortè dicet, quòd omnes fratres tam ex concubina quam ex vxore tenebantur ad ſuſcitationem iſtam, eo quòd lex generaliter loquitur. Dicendum tamen videtur, quod ſolùm intelligitur de natis ex legitimo matrimonio: & dato quòd lex generaliter loquatur, non obſtat, quia lex Moſaica non ſolet facere mentionem de filijs concubinarũ tanq̃ de filijs, ſed ſubticet illos omninò, & tñ hic locuta eſt de fratribus, ideo intelligetur de fratribus, q̃ ſunt oẽs ex legitimo matrimonio procreati. Patet hoc, q̃a filij Dauid ſæpè enarrantur nominatim, vt patet 2. Regum 3. & 5. & 1. Paralipom. 3. & tamen non ponuntur in aliquo iſtorum locorum nomina filiorum concubinarum. Nam 1. Paralipom. 3. vbi plus exprimitur quàm in alijs locis ponuntur nomina omnium filiorum Dauid ex matrimonio procreatorum cum ſorore ſua vnica: & quia omnes hi habuerunt ſo-

F rorem nomine Thamar, & ſubditur: abſque filijs concubinarum, & illorum non ponitur aliquod nomen, tanquàm ſi illi nihil eſſent. Secundò patet, quia filij concubinarum nullius dignitatis erant in veteri Teſtamento, nec poterant habere aliquam præeminentiam in Eccleſia Dei, id eſt, in populo, ſicut dicitur Deuteron. 23. quod non intrabit de ſcorto natus Eccleſiam Dei: & tamen natus ex ſcorto eſt natus de concubina, & tamen in ſuſcitatione ſeminis, licèt eſſet aliquod onus, erat etiam aliquis honor, quia qui ſuſcitabat ſemen alicuius, ſuccedebat in tota hæreditate eius, vt patet de Booz, qui accepit Ruth Moabitidem ad ſuſcitandum ſemen Mahalon defuncti, & cũ ea accepit totam poſſeſſionẽ Mahalon, vt patet in litera: & illegitimi nõ erant capaces honoris huius, ideo nõ pertinebat ad eos ſuſcitare ſemen. Tertiò patet, quia filij concubinarum inter cæteros fratres nõ accipiebant partem hæreditatis, nec ſuccedebant in aliquo honore paterno, & ob hoc filij ſuſcepti de matrimonio legitimo eijciebant à ſe filios ſuſceptos de concubina, ſicut patet de fratribus Iephte Galaditis, qui eiecerunt ipſum. Nam ipſe erat filius meretricis mulieris, & fratres ſui eiecerunt eum de domo patris ſui dicentes: hęres in domo patris noſtri eſſenõ poteris, quia de adultera matre es natus, Iudic. 11. Et tamen, qui cogebatur ſuſcitare ſemen fratris ſui ſuccedere ei in hæredi-

A tate debebat, vt patet ex dictis: & tamen isti nõ poterant succedere in aliqua hæreditate, ideo neque cogebantur suscitare semen fratrum: sed ista lex solùm intelligitur de fratribus natis ex matrimonio, siue sint ex eadem matre & patre, siue ex altero tantùm.

An cogebantur illegitimi fratres suscitare semen illorum fratrum illegitimorum.

QVÆSTIO XLVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, dato quòd illegitimi non poterant suscitare semen suorum fratrum legitimorum: an cogebantur illegitimi fratres suscitare semen illorum fratrum illegitimorum.

Aliquis dicet quod sic: nam licèt non tenerentur suscitare semen fratrum suorum legitimorum, eo quòd illis erant impares, & hoc erat aliquid honoris, tamen quòd suscitarent semen aliorum fratrum illegitimorum nõ erat honor aliquis, ideo videtur quòd illud facere tenerentur.

Respondendum, quod in hoc sunt duo dubia. Primum est an semen illegitimorum suscitandum erat, & quãdo moriebantur. Secundum erat, dato quòd suscitaretur semen ad hoc tenerentur fratres illegitimi. Ad primum dicendum, quod hoc non apparet manifestè ex lege, quæ non distinguit nimis particulariter. Et credo quòd ratio huius fuerit, quòd explanatio istarum legum in casibus dubijs pendebat ex vsu.
B Nam datæ fuerunt leges istæ per Moysen, & postea cœperunt obseruari à Iudæis, & eo modo, quæ cœperunt obseruari intelligendo eas de istis vel de illis, ita postea obseruatæ sunt: & ille vsus erat obtinens vim legis.

Dicendum tamen videtur, quod non suscitabatur semen illegitimorum, quando moriebantur sine liberis. Patet primò, quia suscitari semen alicuius erat ad quendam honorem defuncti, & tamen illegitimi nullum habebant honorem: ergo non erat suscitandus eis semen. Patet hoc Deut. 23. scil. ꝙ de scorto natus non intrabit in Ecclesiam Dei in sempiternum, id est, non habebit honorem aliquẽ in tota multitudine populi. Secundò patet, quia suscitatio seminis erat, vt nõ periret nomẽ defuncti in hereditate sua, vt patet in litera, scil. ꝙ Booz accepit Ruth vxorẽ Mahalon in vxorem ad suscitandum semen defuncti, vt non deleatur nomen eius in hereditate sua, & tamen illegitimi non habebãt hæreditatẽ aliquã, in qua maneret nomen eorum: ergo nõ poterat suscitari nomen, & semen eorum. Tertiò patet, quia suscitatio seminis erat, vt continuaretur familia defuncti, ne videretur non habere successorem, & iste erat quidam honor, sed scriptura nõ dabat honorem aliquem illegitimis, ideo non erat suscitandum semen eorum. Quartò patet, quia quando suscitabatur semen alicuius, ille, qui suscitabat illud, succedebat in hæreditate defuncti, & filius genitus ex ista suscitatione habebat
C totam hæreditatẽ defuncti, vt colligitur partim hic, & Deut. 25. & tamen illegitimi nullam hæreditatem habebant, in qua quis succedere posset, cùm ipsi nulli succederent, sicut dixerunt fratres Iephte Galaaditis ad ipsum, scil. hæres in domo patris nostri esse nõ poteris, quia de adultera matre natus es, Iud. 11. Nec valet si aliquis dicat, quòd illegitimi licèt non succederent patribus, succedebant tamen matribus, & in hæreditate illa poterant succedere, qui suscitarent semen eorum nam non erat successio in veteri Testamento sicut nunc quia filij illegitimi possunt à patribus instituí in aliqua parte hæreditatis, matribus autem vniuersaliter succedunt in veteri autem Testamento nullus poterat succedere matri suæ: eo quòd matres nihil habebant in quo filij succederent eis, sed solùm patribus succedebant. Causa huius est, quia in veteri Testamento nõ succedebant filiæ patribus, sed filij Nume. 27. Sed adhuc obijcietur, quod filiæ succedebant in aliquo casu, scil. non stantibus filijs, & in isto casu saltem illegitimi nati de istis fœminis succederẽt matribus, & sic possent filios suos relinquere in hæredes.

Dicendum, quod etiam hoc non stat, quia quando filiæ succedebant in hæreditate paterna non stantibus maribus, erat hoc ad hoc, quòd per istas filias suscitaretur nomẽ patrũ, scilicet, quòd ipsæ acciperent viros, & gignerent filios, in quibus conseruaretur nomen aui materni, vt colligitur Numer. 27. & ibi declaratum est. Si ergo contingeret istas habere filios illegitimos, non succederent illi in aliqua parte hæreditatis Sed fortè dicet aliquis, quod hoc non constat, quia lex non determinat de hoc, ideo poterat esse, quòd filij illegitimi succederent matribus. D

Dicendum hoc non stare, quia cõtingeret, quòd hæreditas vnius tribus transiret in alterã: sed hoc non stat, ergo non succedebant illegitimi. Quòd autem non posset transire hæreditas de tribu in tribum, patet Nume. 36. Quòd autem sequeretur hoc, patet, quia Deus iussit, quòd filiabus Salphaad daretur possessio, quæ danda erat patri suo, cùm non haberet filios, Num. 27. & post hoc cõquesti sunt filij Manasse de cuius tribu erant filię Salphaad, dicentes, quòd filij Salphaad acciperens viros, de qua tribu vellent: & sic transiret possessio ad illam tribum, & minueretur de tribu Manasse, Nume. 36. & tunc dixit Deus, quòd quælibet mulier acciperet virum de familia sua, & tribu sua, vt non transiret possessio de tribu in tribum, & de familia in familiam: & tamen contingeret, quòd mulier cognosceretur fornicariè à viro alterius tribus, & ab eo acciperet prolem: si ergo filij illi succederent matri, cùm illi essent de illius tribu, de qua erat pater eorum, cùm filij sequantur familiã patris, & non matris, trãsiret possessio matrum in alteram tribum, quod erat inconueniens, ergo non succedebant matri filij illegitimi: & sic patet, quòd cùm filij illegitimi nulli succederent, non haberent hæreditatem aliquam in qua succederet eis quisquam, & cõsequenter non E debebat suscitari semen illorum.

Ad secundum dicẽdum, quòd cùm semen illegitimorum non erat suscitandum, non tenebantur aliqui, siue legitimi, siue illegitimi suscitare semen eorum. Et tamen, dato quòd suscitari debuisset, manebat dubium, an illegitimi tenerẽtur ad hoc. Dicendum, quod non erat in hoc dubitandum. Nam illegitimi non admittuntur ad suscitandum semen legitimorum propter inæqualitatem dignitatis, & tamen illegitimi erant æquales dignitate alijs illegitimis, ideo poterant succedere eis in suscitatione seminis. Secundò patet, quia non sequitur hic inconueniens quod suprà inducebatur de succedendo in hæreditate. Nam licèt succedendo legitimis in suscitatione seminis deberent succedere in hæreditate, succedendo tamen illegitimis in suscitatione, non debebant succedere in hereditate, quia illegitimi nullã habebant hereditatem, ideo stabat conuenienter suscitatio seminis, sine hæreditatis successione.

An fratres teneantur suscitare semen fratrũ relinquentũ filias, & non filios.

QVÆSTIO XLIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quid si aliquis de fratribus moriens reliquit filias, vel filiam, & nõ filios, an fratres eius teneantur suscitare semen illius. F

Quidam tenent, quod tenebantur alij fratres suscitare semen defuncti, & ad hoc allegant opinionem contrariam, vt improbent illam. Et dicunt, quòd licèt filiæ per se non faciant continuari lineas familiarum patrum: quia transibant ad illas tribus, de quibus viros accipiebant, tamen poterant accipere viros, ex quibus suscíperent filios, qui nominarentur nomine auorum, & illi succederent in hæreditate eorum, & continuarent lineam ipsorum. Sic factum est de filiabus Salphaad, quæ acceperunt viros huiusmodi, vt colligitur Numeri vigesimoseptimo, & trigesimosexto. Istam opinionem improbant isti, dicentes, quòd non stet, quia mulieres istæ accipientes viros transibant in illam tribum, aut familiam, de qua erant viri: & sic transiret etiam possessio ad aliam tribum, in qua non propriè continuaretur familia descendens a capite alterius tribus: ideo filij Manasse petierunt à Moyse, quòd filiæ Salphaad, quæ successerant patri suo in hæreditate, non acciperent viros de alijs tribubus, ne ipsi aliquid perderent de possessione sua, scilicet, quòd transiret ad aliam tribum, & accresceret illud alteri tribui. Et Deus sic iussit fieri Numeri trigesimosexto: ideo dicunt isti, quòd si moreretur quis, relicta filia, & non filijs, habetur ac si non genuisset: vel si moreretur sine liberis: ideo alij fratres debent suscitare semen eius. Et probant hoc,

quia

A quia in litera dicitur, quod vocabitur primogenitus nomine defuncti, & tamen fœmina non potest vocari nomine patris, ideo non manebit in fœmina successio, sed suscitabitur semen defuncti. Dicunt tamen, quòd si interdum defunctus relinqueret filiam, & nullus esset in cognatione, qui posset suscitare semen eius, per filiam suscitandum erat nomen patris defuncti.

Dicendum tamen, quòd licèt ista positio quibusdam videatur, & sit aliqualiter rationabilis, sicut nos recitauimus eam Deuteron. vigesimoquinto, aliorum referentes opinionem: tamen nō est omninò vera: quod patet, quia nunquàm est suscitandum semen defuncti, nisi quando non manet ei semen, & tamen, manente filia manet semen patri: quia per illam potest continuari, ergo non est suscitandum. Quòd autem possit per illam continuari, patet, quia illa accipiet virum, qui gignat ex ea filium, qui nominetur nomine auimaterni, & sic non delebitur nomine defuncti in possessione sua, sic patet Numeri vigesimoseptimo, cùm filiæ Salphaad conquestæ sunt, quod delebatur pater suus, scilicet, quod nomen suum delebatur de familia sua: quia non reliquerat filios mares, ideo petiuerunt, quòd daretur eis hæreditas, & quòd ipsæ facerent ne periret nomen patris sui de familia sua, & Deus iussit eis dare hæreditatem, dicens: iustam rem postulant filiæ Salphaad: & sic iubebat Deus, quod dando filiabus hæreditatem paternam, non existentibus maribus, sufficienter nomen patris in sua progenie conseruabatur: &

B tamen non necesse erat suscitari semen alicuius, nisi quando non poterat conseruari nomen alicuius in sua progenie: ideo existentibus filiabus, non erat suscitandum semen alicuius.

Secundò patet, quia quando moriebatur aliquis sine filijs relictis filiabus, deuoluebatur hæreditas eius ad filias, Numeri vigesimoseptimo, & tamen si aliquis suscitaret nomen defuncti, dari debebat ei tota hæreditas eius: sicut nunc data fuit Booz suscitanti semen Mahalon, vt patet in litera: ideo sic non erat suscitandum semen defuncti, si relinqueret filias.

Tertiò patet, quia filij nati per suscitationem seminis erant filij legales, & non veri: filij autem nati ex filiabus defuncti erant veri nepotes, ideo præferri debebant veri legalibus. Vnde existentibus veris non oportebat introduci legales, & tamen isti erant per suscitationem seminis, ergo non erat suscitandum semen in tali casu. Cùm autem obijcitur, quod necesse erat suscitari semen etiam si starent filiæ, quia per filias non poterat conuenienter familia patris continuari, eo quòd illæ transibant in familiam virorum suorum.

Dicendum, quod verum est, quod fœminæ transibant semper in familiam virorum suorum: & tamen si fœminæ succedebant in hæreditate patribus suis, filij nati ex eis, vel saltem aliqui illorum non transibant in familiam, in quam transibāt matres, sed nominabantur de familia auorum maternorum, & accipiebant illorum nomina, & sic continuabatur progenies auorum per illos, ac si essent nepotes auorum maternorum ex filijs, & nō ex filiabus. Sic enim factum est in filiabus Salphaad, quia ipsæ innuerunt, quòd conseruarent nomen patris sui, ne deleretur, si daretur eis hæreditas, quæ danda erat patri suo, Nume. vigesimoseptimo, & tamen istud non erat, nisi quòd acciperent viros, de quibus susciperent filios, & illi conseruarent nomen auorum, & hoc idem erat, sicut quando suscitabatur nomen alicuius: nam certum est, quod ille, qui nascebatur non erat filius, nec nepos defuncti, nec erat de progenie eius, sed de progenie alterius fratris sui: & tamē computabatur de progenie defuncti propter legalem identitatem. A fortiori ergo nepos ex filia quamquàm esset natus ex patre alterius familiæ, & tribus, vocaretur de familia aui materni. Cùm autem dicitur, quòd filij Manasse conquesti sunt, quòd filiæ Salphaad accipiebant hæreditatem, & poterant accipere viros de alia tribu, & sic transiret ad liam tribum possessio: dicendum, quod iam statutum erat, quod filij nati de istis computarentur de progenie Salphaad, quia loco eius succedebant: & tamen licèt hoc de iure obtineret, de facto illi non videbantur esse de tribu Manasse, sed de tribubus illis, quorum essent patres eorum, & sic videretur teneri possessio à viris alterius tribus, vel familiæ, ideo Deus iussit, quòd fœminæ acciperent semper viros de eadem tribu, vt omni tempore maneret possessio vnius tribus in potestate virorum, qui de iure, & facto essent de eadem tribu. D

An hæc lex de suscitatione seminis intelligatur de fratribus solùm, vel de cognatis etiam: sic quòd consanguinei similiter tenerentur.

QVÆSTIO L.

QVÆRETVR vlteriùs, an ista lex de suscitatione seminis intelligebatur de fratribus solùm, vel de cognatis etiam.

Respondent quidam, quod intelligebatur solùm de fratribus. Et patet hoc primò, quia lex ponitur Deuteronomij 25. de suscitatione seminis, & tamen ibi solùm agitur de fratribus, cùm dicatur: quando habitauerint fratres simul, & vnus eorum mortuus fuerit, vxor eius non nubet alteri, sed accipiet eam frater defuncti: & tamen alij cognati non erant fratres, ideo non tenebantur suscitare semen, quia Iudæi obligati non erant ad faciendum, nisi id, quod expressum erat in lege, vt patet Deuteronomij decimosecundo, scilicet: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino Deo tuo, nec addas, nec minuas quicquam: potissimè, quia ista lex erat pœnalis, & tamen pœnalia restringēda sunt, & fauorabilia amplianda. Cùm autem soli fratres intelligantur, non intelligerentur cognati. Secundò patet, quia si cognati essent obligati ad suscitationem seminis defuncti, etiam si non essent E fratres tenerentur vxores defunctorum admonere cognatos defuncti, vt eas reciperent in vxores, sicut admonebant fratres defunctorum, & non licebat eis istis non admonitis sumere in viros aliquos, qui non essent de cognatione, & tamen non obligabantur ad hoc: ergo nec cognati obligabant ad suscitandū semen defuncti. Patet cōsequentia, q a si vxor nō obligabatur ad hoc, liceret ei accipere quē vellet in virū, & tamen si illa acciperet quē vellet in virū, non possent cognati suscitare semen defuncti, cùm suscitatio non posset fieri sine vxore defuncti, vt patet Deuteronomij vigesimoquinto, ideo non obligarentur cognati defuncti ad suscitationem, quia aliàs obligarentur ad impossibile. Quòd autem non obligaretur vxor defuncti admonere cognatos, vt aliquis de eis acciperet illam in vxorem, patet de Ruth, quæ erat vxor Mahalon defuncti, cuius cognatus erat Booz: & tamen non obligata erat ad accipiendum Booz in virum, nec alium cognatum suum. Nam Booz dixit ei: benedicta filia tu à Domino, quia priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes pauperes, vel diuites, scilicet, sed petiuit ipsum in virum, vt patet præcedenti capitulo. Ecce ergo dicebat Booz, quod Ruth fecerat misericordiam petendo ipsum in virum, & tamen si obligata esset ad suscitandum semen eius, non faceret misericordiam, ergo non erat obligata ad suscitationem, & consequenter C non erant cognati obligati ad hoc. Tertiò patet, quia si F cognati essent obligati ad suscitationem seminis, daretur eis pœna quando non suscitarent: & tamen non infligebatur pœna, ergo non erant obligati. Patet primum, quia quando aliquis de fratribus defuncti nolebat suscitare semen eius imponebatur pœna, quæ habetur Deuteronomij vigesimoquinto: sic fieret cognatis si obligati essent, & tamē non infligebatur pœna cognatis non suscitātibus semen defuncti. Quod patet in cognato Booz, quia ille erat propinquior: & ad eum potiùs pertinebat suscitatio ista, quàm ad Booz, & noluit: & tamen non fuit ei inflicta pœna illa, quia non fuit ablatus calceus ei ab vxore defuncti, nec expuit in faciem eius, vt patet hic: & tamen ista erat pœna, quæ infligebatur nolentibus suscitare semen defunctorum: Deute. 25. ergo non obligabantur suscitare semen.

Alij dicunt, quòd cognati obligabantur suscitare semen defunctorum, & non soli fratres: quod patet primò, quia si non essent obligati cognati ad suscitandum semen, non inferretur alicui eorum priuatio iuris sui propter non suscitare semen defuncti, & tamen priuabantur multi iure suo, quia non suscitabant semen defuncti, ergo obligabantur ad hoc. Primum patet, quia non priuatur aliquis iure suo, nisi ex aliqua causa. Secundum patet, quia Booz habebat alium cognatum, cui prius quàm sibi competebat redimere possessio-

A nes vēditas à Noemi:& cùm dixiſſet, quod volebat redimere agrum, dixit ei Booz,quòd acciperet ſimul Ruth in vxorem: & quia non accepit illam non potuit redimere poſſeſſionem, ſed tranſiuit hæc ad Booz,vt patet in litera, ergo erat ille obligatus ad accipiendum illam.Secundò patet,quia dixit Booz ad cognatum ſuum, quòd quando acciperet poſſeſſionem de manu Noemi, acciperet etiam Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti: & poſuit iſta duo tanquàm connexa,& inſeparabilia,ergo erat obligatio ad ſuſciationem feminis defuncti. Tertiò patet, quia ſi obligatus non fuiſſet cognatus Booz ad ſuſcitandum ſemen defuncti accipiendo Ruth in vxorem, non inferretur ei aliqua contumelia pro hoc,& tamen illata fuit ei quędam contumelia: quia calceus de pedibus eius ſolutus eſt,vt patet infrà in litera: & iſta erat pœna non ſuſcitantis ſemen, Deuteron. vigeſimoquinto. Ergo obligatus erat iſte ad ſuſcitandum ſemen.

Quartò patet, quia ſi non eſſet obligatio ad ſuſcitationem ſeminis, potuiſſet Ruth accipere in virum quem vellet, & tamen non potuit, ergo erat obligatio ad hoc. Patet primum,quia mortuo viro ſoluta erat mulier à lege eius, & poterat accipere quem vellet, & commiſceri cui vellet, ad Romanos ſeptimo: iſte autem caſus arctabat mulierem ad ſpectandum fratres defuncti: ſi ergo non obligaretur ad ſuſcitationem ſeminis mulier, manebat ei libertas ad quemcunque virum,& tamen non manſit ipſi Ruth: nam quando petiuit in virum Booz, dixit ipſe, quod erat propinquus, & tamen alius erat propinquior, & ſi ille eam accipere nollet in
B vxorem, ipſe ſine dubio eam acciperet, vt patet præcedenti capitulo: ergo Ruth obligata erat ad ſuſcitationem ſeminis defuncti viri, & non ſolùm non poterat accipere in virum quemcunque vellet extra cognationem defuncti, ſed etiam non poterat accipere quemcunque vellet de ipſis cognatis defuncti,ſed oportebat, quòd admoneret omnes, & acciperet eum,qui propinquior erat,ſi ille eam vellet accipere,alioquin diſcurreret per omnes quouſque omnes eam acciperēt.

Quintò patet, quia Ruth erat vxor defuncti, & petiuit à Booz,quòd acciperet eam in vxorem ad ſuſcitationem ſeminis iure propinquitatis,dicens:extende pallium tuum ſuper ancillam tuam, quia cognatus es. Ecce iure cognationis dixit, quod debebat eam accipere in vxorem,ergo erat ex obligatione propter cognationem ad ſuſcitationem feminis.

Sextò patet,quia Booz ſuſcepit ipſam Ruth ad ſuſcitandum ſemen defuncti,cùm eſſet cognatus, & inuocauit omnes in teſtes, quòd accepiſſet Ruth in vxorem ad ſuſcitandum nomen defuncti, & accepit omnes poſſeſſiones eius, vt patet in litera: ergo non erant ſolùm obligati fratres ad ſuſcitandum ſemen defuncti, ſed etiam cognati eius.

Reſpondendum autem, quòd circa hoc licèt quælibet iſtarum poſitionum poſſet habere fulcimenta colorata, &
C reſponſiones veriſimiles: ad oppoſitum tamen veritas eſt, quod cognati defuncti non obligabantur ad ſuſcitationem ſeminis defuncti, ſed ſoli fratres, ſicut lex dicit Deuteronomij vigeſimoquinto, & tamen poterant cognati ſuſcitare ſemen defunctorum, ſi vellent, & gaudebant quibuſdam priuilegijs. Pro quo ſciendum circa hoc, quod erant tres ſtatus hominum, fratres, cognati, & extranei. Fratres tenebantur ad ſuſcitationem ſeminis defuncti, & ſi nolebant ſuſcitare, puniebantur, ſicut habetur Deuteronomij vigeſimoquinto. Extranei non obligabantur ad ſuſcitandum ſemen defunctorum, nec etiam recipiebantur ad hoc, dato quòd vellent. Cognati autem non obligabantur ſuſcitare ſemen defunctorum, ideo non puniebantur pœna legis, Deuteronomij vigeſimoquinto: licebat tamen eis ſuſcitare ſi vellent, & ſi vellent ſuſcitare gaudebant quibuſdam priuilegijs, ſcilicet, quod ſuccedebant in hæreditate defunctorum: ſi autem nollent, non ſuccedebant in aliquo,nec gaudebant aliquo priuilegio: & tamen non puniebantur aliqua pœna, nec priuabantur aliquo iure: & ſic factum eſt nunc in Booz, & cognato ſuo, quia cognatus erat propinquior, cui competebat prius ius ſuſcitandi ſemen, & ſuccedendi in hæreditate, & quia non voluit ſuſcitare ſemen, non potuit gaudere priuilegio ſucceſſionis bonorum, & redemptionis eorum, quamquàm voluiſſet hoc, & Booz, qui erat cognatus in minori gradu ſuſcitauit ſemen, & ſucceſſit in bonis, vt patet in litera. Argumenta ergo trifacta in principio tenenda ſunt, quia illa probant, quod ſoli fratres obligabantur,& verum eſt.

D *Reſpon. ad rationes in opin. Adr. rationē*

Ad alia reſpondendum eſt. Ad primum cùm dicitur,quod non priuatur aliquis iure ſuo, niſi ex cauſa, concedendum eſt: & dato quòd aliquis priuetur ſine culpa, ſicut eſt in tredecim caſibus,tamen non ſine cauſa:& ſic generale eſt neminem puniri,nec iure ſuo priuari ſine cauſa. Cùm autem dicitur, quod cognatus Booz priuatus eſt iure ſuo, negandum eſt, quia nullum ius erat quæſitum ei, quo nunc priuatus fuerit. Nam ius redimendi erat annexum ſuſcitationi feminis, ideo qui nollet ſuſcitare ſemen,non gauderet illo priuilegio: & tamen dato, quòd non ſuſcitaret ſemen defuncti, non priuabatur iure: quia aliud eſt perdere, quàm non acquirere. Iſte autem non acquirebat, ſiue impedicbatur acquirere, tamē non perdebat quicquam de eo quod acquiſierat,& non acquirere non venit in pœnam,ſed ex voluntate,ſcilicet ex omiſſione alicuius actus,quem ſi iſte faceret acquireret.

Ad 2. rationē

Ad ſecundum dicendū,quod rectè cōcludit,&concedendū eſt,quidqd inducit, ſcil.quod annexū erat ius redimendi rem venditam ſuſcitationi ſeminis, ideo cognatus Booz obligabatur accipere Ruth in vxorem, ſi vellet accipere poſſeſſionem defuncti. Iſta tamen obligatio erat conditionalis: ideo cùm poſſet cognatus Booz nolle redemptionem poſſeſſionum,poterat non obligari ad accipiendum Ruth in vxorem: & ſic factum eſt,quia ceſſit iuri ſuo,& ſucceſſit in illo Booz:ſi tamen ſimpliciter obligaretur cedere iuri ſucceſſionis, & redemptionis poſſeſſionum,non ſatisfaceret ad hoc,quòd maneret à pœna immunis, ſed adhuc puniretur. Quod patet de fratribus nolentibus ſuſcitare ſemen fratrum ſuorum defunctorum, quia non ſolùm nihil habebant de poſſeſſione eorum, ſed etiam defunctorum vxores ſpuebant in facies iſtorum,& diſcalceabant eos,dicentes: ſic fiet viris, qui non ſuſcitant ſemen fratrum ſuorum,Deut.25.& tamen cùm cognatus Booz ceſſit iuri redemptionis, & ſucceſſionis, & non fuit ei irrogata vltrà aliqua pœna, ſcilicet illa, quæ habetur Deut.25. ergo nō erant cognati obligati ſimpliciter ad iſtam ſuſcitationem,ſed ſub conditione.

E

Ad 3. rationē

Ad tertium cùm dicitur,quòd ſi non fuiſſet obligatus cognatus Booz ad ſuſcitādum ſemen defuncti, non inferretur ei pro hoc aliqua contumelia, concedendum. Cùm autem dicitur, quod fuit ei inflicta contumelia alqua, negandum eſt. Nec valet,quòd dicatur, quod calceus ablatus eſt, quæ erat pœna,quæ infligitur Deutero. 25. non ſuſcitantibus ſemen:nam non fuit factum, ſicut ibi, quia ibi tollebatur calceus in contumeliam: hic autem ſolùm ad confirmationem ceſſionis. Nam conſuetudo erat in Iſrael, quod quando aliquis cedebat alteri in iure ſuo, vel donabat aliquid: ad hoc, quòd eſſet firma ceſſio, vel donatio, tollebat ſibi calceū, ille, qui faciebat ceſſionem,&dabat illum proximo ſuo,cui faciebat ceſſionem,vel donationem,vt patet in litera. De hoc autem,& differentia iſtius diſcalceationis ab illa, quæ habetur Deuteronomij vigeſimoquinto, declarabitur infrà in quadam quæſtione.

In Iſrael cōſuetudo.

F

Ad 4 rationē

Ad quartum dicendum, quod non licebat Ruth accipere in virum quem vellet de extraneis, nec etiam de cognatione viri ſui, niſi illum, qui eſſet propinquior ſi ille vellet, ideo Booz cùm non eſſet propinquior, noluit accipere Ruth, quouſque cederet cognatus ſuus. Pro quo ſciendum, quod Ruth erat obligata ad ſuſcitationem ſeminis defuncti viri ſui,& cognati eius non erant obligati ad hoc, quia tamen licebat eis ſuſcitare ſemen defuncti,ſi vellent,tenebatur Ruth admonere eos,an vellent ſuſcitare ſemen: & ſi deberet fieri ſuſcitatio ſeminis, erat ordo, quòd inciperetur à propinquioribus. Ideo nec Ruth poterat accipere in virum ipſum Booz quouſque ſciret an alius cognatus Booz, qui erat propinquior viro ſuo, vellet eam accipere. Nec etiam Booz poterat eam accipere gratis ſe offerentem quouſque conſtaret ei de voluntate cognati ſui,an vellet eam accipere, ideo non accepit quouſque ceſſit ille: & tamen ex hoc non ſequitur,quod aliquis iſtorū cognatorum duorum defuncti obligatus erat ſimpliciter ad ſuſcitandum ſemen eius. Ruth autem erat obligata ad ſuſuſcitandum ſemen viri ſui; ſi quis iſtorum vellet:vnde ipſa magis obligata erat, quàm cognati

defun-

A

defuncti. Sic etiam erat de respectu vxoris defuncti ad fratres eius, quando aliqui erant, qui possent suscitare semen eius. Nam vxor erat tunc obligata ad istam suscitationem volente aliquo de fratribus defuncti, alioquin accusaretur tanquàm adulterij rea, si nollet, aut si alicui commisceretur nondum requisittis fratribus defuncti, an vellent eam accipere in vxorem: & tamen fratres defuncti, licèt essent obligati, non erant tantùm obligati, quia erat eis libertas, an vellent suscitare semen defuncti, vel subire pœnam legis, scilicet quòd discalcearẽtur, & spueretur in faciem eorum, Deutero.25.

Ad 5. ẽ ration

Ad quintum dicendum, quod verum est, quod Ruth petiuit Booz in virum iure cognationis, & poterat Booz illam accipere hoc iure consentiẽte alio cognato suo, qui erat propinquior, tamen nõ erat obligatus ad hoc, sed si susciperet eam, gauderet priuilegio successionis in hæreditate defuncti: si autem non susciperet, non gauderet illo priuilegio: & tamen non puniretur in aliquo.

Ad 6. rationẽ

Ad sextum dicendum, quod verum est, quod Booz suscepit Ruth vxorem defuncti cognati sui ad suscitãdum semen eius, tamen non erat obligatus ad hoc, sed licebat ei accipere, vel non accipere: & voluit gratis illam accipere desiderio suscitandi semen mortui.

Quis ordo erat in suscitatione seminis defuncti inter fratres, & cognatos: & qui magis tenebantur ad hoc. Et qui puniebantur, & qui non, si non suscitarent semen.

B

Qvæstio LI.

Qværetvr vlteriùs de obligatione suscitationis seminis, quibus competat, & qualiter, scil. quibus magis, & quibus minus.

Dicendum sicut suprà declaratum fuit in 43. & 44. quæst. & habetur Deut. 25. duæ personæ requirebãtur ad suscitationem seminis, scil. vxor defuncti, & frater eius, siue cognatus, & inter ista duo extrema matrimonij diuisa in tres erat differentia obligationis, qa cognatus minus obligabatur, quàm frater, & vxor, & frater minus obligabat, quàm vxor: & vxor super oẽs obligabatur. Patet de cognatis: nam vt declaratum fuit præcedenti quæst. ad cognatos pertinebat suscitare semen defunctorum, non stantibus fratribus, & tamẽ non obligati erant ad hoc; & tamen si vellent suscitare, gaudebant quodã priuilegio, scilicet quòd succedebant in bonis, & priuabãt alios priores isto iure: vtpotè, si quis defunctus haberet fratres, & alios cognatos, & nemo cognatorũ, nec fratrũ vellet suscitare semen defuncti, nisi ille cognatus, qui attinebat in minimo gradu, ille auferret in omnibus ius successionis, quod aliàs pertinebat ad ipsos secundùm ordinem propinquitatis, & deuoluebatur ad istum. Sic patet in Booz, & cognato eius: nam ille cognatus erat propinquior, quàm Booz, & competebat ei prius succedere in possessionibus defuncti, & redimere eas, quàm ipsi Booz: vnde requisiuit Booz an redimere eas vellet iure propinquitatis, quia tamen non suscepit in vxorem transiuit istud ius ad Booz, qui in minori gradu erat cognatus, & accepit Ruth in vxorem: fratres autem defuncti erant magis astricti ad sucsitandum semen defuncti: quia non erat liberum eis suscitare, vel non suscitare, ita tamen, quòd à pœna essent immunes, sicut erat in cognatis, sed si nollent suscitare, priuabantur priuilegio successionis, quod transibat ad cognatos alios, & insuper afficiebantur infamia, & contumelia: quia iudicialiter condemnabantur, scilicet, quòd vxor defuncti discalcearet quemlibet horum nolentium suscitare semen defuncti fratris, & spueret in faciem eius, diceretque: sic fiet viro, qui non ædificat domum fratris sui: & sequebatur tunc infamia perpetua, scilicet, quod domus illius vocabatur in æternum domus discalceati in Israel.

C

Ordo puniendi nolẽtis suscitare semẽ fratris sui apud Hebræos.

Et erat ordo in hoc, quòd si haberet defunctus multos fratres, ille, qui propinquior erat eis ordine natiuitatis admonendus erat suscipere defuncti vxorem: & si nollet, citare debebat mulier defuncti eum, & coram iudicibus infligebatur ei pœna, quæ habetur Deuter. 25. & deinde requirebatur sequens, & si nollet, infligebatur etiam ei pœna: & sic fiebat per omnes fratres defuncti, quotquot illi essent tam coniugatos, quàm non coniugatos: & si nullus vellet, omnibus pœna infligebatur, & demùm mulier admonere debebat omnes cognatos defuncti, vt susciperẽt eam incipiendo secundùm ordinem à propinquioribus, si quis vellet eam accipere: quousque nullus permaneret in tota cognatione, scilicet intra cognationis gradus determinatos secundùm cõsuetudinem Iudæorum, in quibus vocabantur aliqui cognati, & si quis vellet eam accipere, tenebatur esse eius vxor. Et tamen dato, quòd nullus eam vellet, non erat aliqua pœna infligenda cuilibet istorum, sicut fratribus, vt declaratum est præcedenti quæstione.

D

Vxor erat magis denincta ad seminis suscitationẽ q̃ fratres & cognati.

De vxore autem dicendum, quod magis obligata erat ad suscitationem seminis, quàm fratres, & cognati. Primò patet, quia ipsa tenebatur requirere fratres defuncti, an vellet quisquam illam in vxorem, & nullus eorum tenebatur illam accipere. Secundò patet, quia ipsa non solùm respectu fratrum erat obligata, sed etiam respectu cognatorum, ita quod non licebat accipere ei in virum quemquam de extraneis quousque omnes fratres, & etiam cognati defuncti requisiti ab ea nollent eam accipere: & tamen de nullo istorum dicitur, quòd teneretur admonere eam. Tertium erat, quia si mulier non admoneret cognatos, & fratres defuncti, vt quisquam acciperet eam, & ob hoc nullus eam acciperet: non erat aliqua pœna infligenda cognatis, nec fratribus, etiam si acciperent alias vxores, & tamen si mulier non admoneret fratres, nec cognatos defuncti, & contraherent cum aliquo alio, vel misceretur ei, rea erat adulterij: & accusaretur ad mortem, sicut patet de Thamar, quæ reperta est prægnans antequàm acciperet eam in vxorem Sela, qui suscitaturus erat semen de illa fratrum suorum, & accusata est ad incendium, & ducta est, & fuisset combusta, nisi se iustificasset, vt patet Genesis trigesimo octauo. Quartum erat, quia obligatio fratrum defuncti ad suscitandum semen erat conditionalis, scilicet, si vellent, alioquin tolerarent aliam pœnam legis. In muliere autem erat simpliciter necessitas suscitandi semen defuncti, ita quòd si nollet suscitare semen eius, accipiendo alium in virum antequàm fratres, & cognati defuncti refutarent eam accipere, lapidanda erat, vel cremanda, sicut adultera, vt suprà probatum est: ideo maior erat obligatio mulieris ad suscitandum semen, quàm alicuius alterius.

E

Quare magis erat obligata vxor ad suscitationem seminis defuncti, quam fratres.

Qvæstio LII.

Qværebatvr vlteriùs, cur magis erat obligata mulier ad suscitationẽ seminis defuncti, quã fratres defuncti.

Respondendum, quod propter multa: primò, qa naturaliter erat maius debitum ad hoc: nam vir, & vxor erant effecti vna caro, quia per matrimonium efficiuntur duo in carne vna, vt patet Gen. 2. & tamen frater cum fratre non est vna caro, nec pater cum filio, ideo est maius debitum vxoris ad virum, & è contrario, quàm ad fratres, & alios: & sic Apostolus iussit, quòd magis diligerent viri vxores suas, quàm quoscunque alios, dicens: Viri diligite vxores vestras, sicut corpora vestra, ad Ephes. 6. & tamẽ nullus tenetur magis diligere carnem alterius, quàm carnem suam, ergo maior est obligatio dilectionis viri ad vxorem, & vxoris ad virũ, quàm ad aliquem alium. Et licèt non dicatur hoc de vxore respectu viri, dicendum, quod magis adhuc ex debito tenetur vxor diligere virum, quàm vir vxorem, eo quod plura recipit vxor à viro, quàm vir ab vxore, cùm mulier naturaliter sit deficiens, & vir sit custos eius, & prouisor in necessarijs. Magis ergo tenebitur vxor viro ad suscitandum semen eius, quàm quisquam aliorum, cùm suscitatio sit quædam vtilitas viro, cùm per hoc conseruetur nomen eius indeletum, quia aliàs deleretur.

F

Secundò fit hoc propter legalem conuenientiam, scilicet, quia magis conuenit mulier ad suscitationem seminis secundùm intentionem legis, quàm aliquis de fratribus, & cognatis. Quod patet, quia intentio legis erat, vt suscitaretur semen defuncto: ita quod qui non habuerat veros filios haberet

A

beret filios legales,& interpretatiuos: & ad hoc, quòd iſti ſimilarentur filijs veris, oportebat, quòd eſſet maxima identitas, quæ eſſe poterat inter iſtos filios legales ad naturales, & veros, ſcilicet, quòd eſſent ab eiſdem principijs: filij tamen veri ſi aliqui fuiſſent ipſius defuncti, eſſent ex vxore illa, quã tenebat: ideo filij legales maximè competebant ex parte vxoris, quàm de parte viri.

Tertiò patet ex conditione ſuſcitationis ſeminis. Nam ſuſcitatio ſeminis cenſebatur quando gignebatur aliquis filius ipſi defuncto, eo quod fingebatur illum eſſe de ſemine defuncti, quod ſuſceperat vxor eius in vtero, & tamen illud non fuerat ſufficiens ad generationem fœtus, niſi viuificaretur fœtus virtute ſeminis illius, qui accipiebat vxorem defuncti. Sed ad cõtinendum ſemen defuncti reſpectu cuius filius genitus dicatur de ſemine defuncti, vel conſimilis eius, nullus magis agebat, quàm vxor defuncti, ideo ipſa maximè obligari debebat ad ſuſcitandum ſemen.

Quartò patet, quia vir,& fœmina ſunt inæqualis dignitatis naturaliter, ideo circa eãdem rem maiori priuilegio gaudere debuit vir, quàm fœmina: & ſic circa ſuſcitationem ſeminis debuit minus obligari vir, quàm fœmina.

Quinta ratio, & potiſſima fuit, quia Deus debebat nimis procurare ſuſcitationem ſeminis mortuorum, & ad hoc videbatur expediens, quòd omnes obligarentur, ad quos pertinebat, quia ſi relinqueretur in libertate iſtorum, multi eorum nolllent ſuſcitare ſemen defunctorum. Si autem obligarentur omnes, eſſet ſcandalum, quia ſi vir obligaretur ad ſuſcipiendum fœminam aliquam in vxorem, quæ fortè non placeret oculis eius, cùm eſſent Iſraelitæ duri cordis occiderent vxores. Iſta enim fuit cauſa, quare permiſſum eſt Iſraelitis, quòd repudiarent vxores, ſcilicet, quia ſi non liceret eis abijcere vxores repudiando cùm diſplicerent eis, occiderent illas. Sic tetigit Chriſtus Matth. decimonono, ſcilicet: Ad duritiem cordis veſtri libellus repudij datus eſt, à principio autem non erat ſic. Iſta durities cordis erat, quòd occiderent vxores, & ſic non fuit conueniens, quòd non obligarentur in veteri Teſtamento viri ad accipiendum vxores defunctorum, vt ſuſcitarent ſemen ipſorum. Vxores autem obligari debuerunt, quia ex obligatione iſtarum non ſequebatur iſtud inconueniens: debuit tamen poni quædam pœna viris, vt ſuſcitarent ſemen defunctorum, vt timore illius incitarentur aliquando ad ſuſcitationem hanc.

B

Iſraelitis quare permiſſum eſt, q repudiarẽt vxores

Si eſſent multi fratres mortui, & vltimus ſuperſtes ſuſcitaret ſemen eorum, filius genitus de cuius illorum nomine vocaretur.

QVÆSTIO LIII.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi eſſent multi fratres, ſicut in caſu, quem poſuerunt Saducęi Matth. 22. ſcilicet, quod ſeptem fratres erant, & mortuo primo relicta vxore fœcundus voluit ſuſcitare ſemen eius, & accepit vxorem illius, & conſequenter omnes vſque ad ſeptimum, & nullus ſuſceperit ex ea prolem, niſi ſeptimus, qui ipſorum faciet filium natum nominari de nomine ſuo? nam lex iubet, quod filius natus ex iſta ſuſcitatione nominaretur nomine defuncti: omnes autem ſex præcedentes mortui ſunt, & quilibet illorum habuit mulierem illam in vxorem: eſt ergo dubium cuius eorum nomine ſortietur.

C

Dicendum ſecundùm quoſdam, quod non poterat ſciri in tali caſu cuius nomine vocaretur, ſicut crediderunt Saducæi de muliere, quæ ſuſcepta eſt à ſeptem viris, cuius illorum erit in reſurrectione. Si autem eſſet aliqua cauſa quare eſſet magis vnius, quàm alterius, non arguiſſent ſic illi contra Chriſtum putantes ſe deducere ad impoſſibile: nam ſi poſſet determinari cuius illorum erat vxor, argumentum ſuũ contra reſurrectionem non procederet: ita dicetur nunc, quòd non conſtaret cuius iſte erat filius.

Dicendum, quod non eſt ſimile, quia ſi in reſurrectione habituri eſſemus vxores, quas habueramus viuentes, eſſet aliqualis difficultas circa hoc, cùm quilibet contraxiſſet cum ea æquale vinculum matrimonij, ideo manifeſtè non appareret, quis potiùs eam habiturus eſſet. Secùs autem eſt de filio genito, quod aut quæreretur quantum ad veram filiationem, aut quantum ad filiationem legalem. Si primo modo, patet ex caſu, quod iſte erat filius ſeptimi viri. Si autem quantum ad legalem, erit filius illius cuius nunc ſuſcitabat ſemen iſte ſeptimus. Manet autem tunc dubium, cuius ſemen ſuſcitabat iſte. Et dicendum, quod de ſecundo, tertio, quarto, & quinto non eſt dubium, ſed de primo, & ſexto. Cauſa eſt, quia ſecundus, tertius, quartus, quintus non fuerunt primus cui ſucceſſit ſemen ſuſcitans. Etiam non fuerunt vltimus cui ſucceſſit ille, qui ſuſcitauit ſemen realiter: ideo de iſtis eſt dubium ſublatum. Sed de primo eſt dubium, quia ille fuit propter cuius mortem accepta eſt vxor eius ad ſuſcitandum ſemen defuncti, & poſteà alij continuauerunt. De ſexto eſt dubium, quia ſeptimus accepit vxorem per mortem ſexti, & illius vxorem dicitur accepiſſe, & nũc ex illa genuit primogenitum, ideo ille nominandus erit nomine ſexti, qui vocatur hic defunctus. Dicendum tamen eſt, quod verè iſte filius genitus nominandus eſt ex nomine primi defuncti. Nam propter mortem illius ſecundus accepit vxorem eius, ideo tertius non accepit vxorem ſecundi propter ſecundum, ſed propter primum, cùm ipſe ſecundus acceperit vxorem primi propter ipſum primum: tertius ergo propter primum accipiet, quia quidquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: & ſic de quarto, & quinto, & ſexto, & omnibus. Vnde ipſe ſeptimus cenſetur ſucceſſiſſe primo, & non alijs: qa propter primum omnes ſuſceperunt illam vxorem: & ſi ſecundus habuiſſet filios, non ſuſcepiſſent eam reliqui, & ſic vſque ad vltimum: nominabitur ergo ſemper filius genitus ex tali ſuſcitatione nomine primi.

D

E

Quare filius natus ex tali ſuſcitatione vocabatur nomine defuncti.

QVÆSTIO LIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare filius natus ex tali ſuſcitatione vocabatur nomine defuncti.

Dicendum, quod lex voluit quantum poſſet identitatem filij legalis ad naturalem: nam non habuit defunctus iſte filios naturales veros, & lex vult ei fingere filios, & ad hoc quòd filij ficti videãtur aliquo modo eſſe filij defunctorum, oportuit, quòd eſſet magna ſimilitudo inter filios illos ad defunctos: & ad hoc fecit lex, quod ſolùm fieret ſuſcitatio iſta ex vxore defuncti, in qua videbatur eſſe ſemen defuncti, & à fratribus ipſius defuncti, quia illi maximè identificantur defuncto: ita ergo ad hoc, quòd ipſe filius magis videretur pertinere ad defunctum, etiam in nomine debuit ſimilari ei. Nam ſi vocaretur alio nomine poterat putari, quòd iſte aſcriberetur ei, qui ipſum genuit: vt ergo pateret, quòd pertineret ad defunctum, vocandus erat primogenitus in ſuſcitatione iſta nomine defuncti, & ſic minus dubitaretur de qua progenie eſſet, & in hoc erat aliquid ſpeciale, ſcilicet, quòd vocaretur filius nomine patris. Nam in alijs naſcentibus non imponebantur primogenitis ſemper nomina patrum: nam alioquin omnes deſcendentes directè per eandem lineam progenici vocarentur eodem nomine, quod eſt falſum.

F

Item patet, quia Ruben fuit primogenitus Iacob, Gen. 49. & ſic nõ fuit vocatus primogenitus nomine patris. Etiam Iſaac fuit primogenitus Abrahæ, Gene. 21. quia in illo vocatum eſt ſemen eius, & ſecundùm carnem Iſmahel fuit primogenitus, Gen. 16. & neuter vocatus eſt nomine patris: & ita de omnibus alijs ferè, quorum nomina ſcimus in veteri Teſtamento.

Et ratio eſt, quia cùm in alijs ſint filij veri ſecundùm carnem, non oportet quærere aliam ſimilitudinem ad probandam filiationem: & tamen in ſuſcitatione ſeminis, cùm ipſe genitus non eſſet filius verus defuncti, oportuit induci aliquas aſſimilationes legales, ad hoc, quòd appareret ei ſimilis, & filius ei qualitercunque: ſed de hoc vide quòd dicam, Matth. 22.

* * *

An fratres defunctorum possint eorum vxores repudiare, quas acperant, vel priuabantur beneficio legis. Et quæ erant causæ distractiuæ à suscitatione seminis: & cur imponebatur pœna nolenti.

QVÆSTIO LV.

QVÆRETVR vlteriùs de suscitatione seminis, scilicet, quare ponebatur pœna nolentibus suscitare semen?

Dicendum, quòd suscitatio seminis erat multum necessaria in veteri testamento, sicut fuit declaratum suprà: & si relinqueretur libertati illorum, ad quos pertineret, fortè nollent, vel rarò suscitarent, ideo fuit conueniens, quòd imponeretur pœna, vt timore pœnæ, quæ erat satis infamatiua, mouerentur plurimi ad accipiendum vxores defunctorum. Sed dicet aliquis, quòd hoc non proficiebat, quia si quis non desiderabat suscitare semen defuncti, poterat abijcere à se istud onus, scilicet, quòd cùm acciperet vxorem defuncti semel ad satisfaciendum legi, repudiaret eam illicò, vel post modicum tempus, & sic non fieret suscitatio seminis ex pœna, sed solùm in volentibus.

Aliquis dicet, quòd hoc non stat, quia non poterat repudiari vxor, nisi ex aliqua causa, & cùm non inueniretur, ista mulier accepta in suscitationem seminis non poterat saltem ad placitum repudiari.

B Dicendum, quòd falsum est, quia quando quis inter Hebræos repudiabat vxorem, non cogebatur probare causam repudij, sed solùm, quòd non placebat oculis eius, vt declaratum est in quadam quęstione, Deut. 24. & sic etiam posset repelli sine causa ex sola voluntate mulier suscepta ad suscitationem seminis. Dicendum quòd verum est, quòd ad repudiandum vxorem, non oportebat, quòd repudians probaret causam aliquam, sed solùm dabat in manu mulieris libellum, in quo scriptum erat, quòd repudiabat eam, & quòd de cæterò posset accipere quem vellet in virum: & tamen in hoc casu non liceret viro repudiare vxorem sic susceptam ex sola voluntate, saltem vsquequò ex ea gigneret filium, qui succederet loco defuncti. Nam aliàs lex illa, de suscitatione seminis, esset omnino inutilis: non est tamen credendum, quòd Deus aliquid inutile statuerit. Item, quia Deus cogit hic fratres defuncti ad accipiendum vxorem eius: si tamen coguntur ad accipiendum, videntur cogi ad tenendum, quia aliàs si illicò possent repudiare, vt acceperant, esset inutile accipi. Nec est inconueniens, quòd cogantur in isto casu ad tenendum vxores defunctorum, & nõ possint illas repudiare quousque generarent ex eis filios loco mortuorum, & sic priuentur hic, quantum ad aliquod tempus iure repudij cum causa, cùm etiam in alijs casibus interdum quidam priuabantur propter delictum, sic patet Deut. 22. scilicet: Si quis accipiens

C vxorem dicebat, non inueni eam virginem, & probabatur mulierem fuisse virginem, quando tradita fuit ei: flagellabatur vir, & soluebat quinquaginta siclos, & non poterat dimittere puellam aliquo tempore vitæ suæ. Item si quis inueniens puellam in agro, dormiret cum ea, accipiebat illam in vxorem, & non poterat illam dimittere vllo tempore vitæ suæ, eodem cap. ita nunc ex causa poterant isti obligari ad non repudiandum vxores, quas susciperent ad suscitationem seminis, & si non obligarentur in æternum, sicut illi, obligarentur saltem, vsquequò ex illis suscitarent semen defunctis.

Sed obijcietur, quia si negaretur sic Israëlitis potestas repudiandi vxores, sequeretur vxoricidiũ, quod fuit causa permittendi libellum repudij. Dicendum, quòd vna causa fuit permissionis timor de duritie, & occisione vxorum, & tamen causa potissima fuit, quia ista lex erat inter omnes gentes, q̃ poterant repudiare vxores; & si auferretur eis ista libertas, putarent se minores alijs gentibus, & non possent hoc tolerare, & istud erat durities cordis, scilicet, quòd indomiti erãt, & non subijcerentur benè rebus insolitis, sicut dixit Deus: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, Exod. 32. Ista ergo fuit causa potissima permissionis libelli repudij: vnde non timebatur semper mors, si non permitteretur libellus repudij: vnde in quibusdam esse putauit dignum lex, quòd priuarentur potestate repudiandi vxores, sicut suprà declaratum est.

Cur imponebatur pœna nolenti semen suscitare.

QVÆSTIO LVI.

QVÆRETVR vlteriùs, cur imponebatur pœna nolentibus suscitare semen, quia in hoc innuitur, quòd aliqui essent, qui nollent suscitare semen, & tamen istud non videtur verisimile: nam suscitatio seminis afferebat lucrum, & nõ aliquid præiudicij; ideo quilibet hoc vellet. Patet hoc, quia cùm quis suscitaturus esset semen alterius, accipere debebat vxorem illius: & in hoc non vetabatur accipere alias vxores, quascunque vellet: cùm in veteri testamento permitteretur vxorum pluralitas, vt declaratum est suprà in quadam quæst. Erat autem lucrum ex hac suscitatione, quia qui suscitabat semen alterius, succedebat in omnibus possessionibus eius, vt patet hic in litera de Booz, qui accepit Ruth in vxorem defuncti, & cum ea suscepit bona defuncti, ideo non erat verisimile, quòd quis nollet suscitare semen defuncti, & opus esset ad hoc poni pœnam.

Dicendum, quòd pœna posita est, quia multi essent, qui aliàs nollent suscitare semen defunctorum. Patet de cognato Booz, qui suscitaturus erat semen Mahalon, & noluit, sed potius carere voluit omnibus bonis, quæ habiturus erat de successione eius, vt patet in litera hic. Causæ autem, quæ distrahebant à suscitatione seminis erant multæ. Prima erat, & potissima, quia iste gignere debebat filios defuncto, & non sibi: & ex ista mouebantur plurimi. Patet de Onan filio secundo Iudæ, qui accepit Thamar vxorem fratris sui mortui ad suscitandum semen, & non cognoscebat eam, sed semen fundebat in terram, quia sciebat non sibi, sed fratri suo filios nasci, Genes. 38. istud etiam innuit cognatus Booz ad suscitandum semen Mahalon: nam dixit, quòd nolebat, & subdit: Nec enim familiæ meæ posteritatem delere debeo, quasi dicat: Nolo delere posteritatem meam gignendo filios alteri, & non mihi. Secunda causa erat, quia cogebantur accipere vxores defunctorum, & non solùm hoc, sed etiam nunquam illas repudiare, vt declaratum est præcedenti quæstione. Et istud erat grauissimum, quia cogeretur quis tenere vxorem, quæ non placeret oculis eius. Tertia erat, quia multi sunt, qui recusant accipere mulieres, quas alij in vxores tenuerũt, & hoc, quia quilibet vellet habere mulierem ex virginitate sua. Item quia facilius quis coaptat moribus suis mulierem, quæ nulli alteri copulata est matrimonio, & mores tenuit eius, quàm illam, quæ alterius moribus assueta est, quia difficile talia auferuntur. Item, quia quando mulier habuit alium virum, non habet integram dilectionem ad eum, quẽ nunc habet: potissimè, si defunctus fuit ei vir bonus, & tractabilis, & consentaneus moribus eius: iste autem, quem postea habet, non sic consentit moribus illius. Ex quo sequitur, vt interdum fœmina viro suo ducat in memoriam virum, quẽ prius habuit: quod viuenti grauissimum est: non quidem, quòd mortuum zelet, sed quia zelat se non integrè diligi, cùm amor vxoris ad defunctum cum magno desiderio tendat, quo fit, vt fœmina virum integrè non diligat, nec vir fœminam. Et hæc est causa quotidianarum querelarum, vt sæpissimè experimur. Durum erat ergo multis suscitare semen defunctorum: vnde non inclinarentur promptè ad illud: & sic fuit necessaria impositio pœnæ ad suscitationem prædictam.

Quid fieret si nullus de fratribus defuncti, nec de cognatione vellet suscitare semen defuncti.

QVÆSTIO LVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quid si nullus de fratribus defuncti, nec de tota cognatione vellet suscitare semen defuncti?

Respondendum, quòd existentibus fratribus ipsi tenebãtur suscitare semen, & si nollent, patiebantur pœnam legis Deuteronom. 25. & deuoluebatur potestas suscitandi, & succedendi in hæreditate ad alios cognatos: & si isti etiam nollent, non suscitabatur semen defuncti, sed peribat nomen

D

E *Causa distrahentes à suscitatione*

Causa quare multi recusãt accipere mulieres viduas in vxores.

F

A

suum de progenie sua, & deuoluebatur ius successionis ad fratres defuncti, qui noluerant suscitare semen eius, & sic iã ipsi perdiderant illud ius nolendo semen suscitare defuncti, cùm cognati possent illud suscitare, & penderet ex eis suscitare: & tamen cùm illi etiam nollent suscitare semen defuncti carebant iure successionis, & redibant ad propinquissimos, scil. ad fratres, licèt peccauissent nõ suscitando semen fratris, quia aliàs transiret possessio de familia in familiam, & de tribu in tribum, sicut declaratum est suprà.

Quid si nullus esset, qui posset suscitare semen.

Qvæstio LVIII.

Qværetvr vlteriùs, quid si nullus esset, qui posset suscitare semen, scilicet si non esset aliquis frater, vel cognatus, quid fieret de conseruatione nominis defuncti, & de hæreditate eius?

Dicet aliquis, quòd hoc non stat, quia non poterat esse aliquis, qui non haberet aliquem propinquum in toto Israël, cùm omnes Israëlitæ inter se essent cognati, quia quilibet posset suscitare semen defuncti. Dicendum, quòd casus ille possibilis est, quia poterat esse aliquis, qui nullum haberet cognatum intra gradus illos, in quibus vocabantur cognati: quod patet de Mahalon defuncto, cuius possessio data fuit

B

Booz suscitanti semen eius: & dixit Booz, quòd nullus erat propinquus eius, nisi quidam alius cognatus suus, qui prior erat, & ipse, qui secundus erat, vt patet suprà in litera. Si autem isti duo mortui fuissent, non maneret aliquis in cognatione Mahalon; & sic nullus esset, qui suscitaret semen eius.

Dicendum, quòd in hoc casu non poterat suscitari semen defuncti, sed peribat nomen suum de familia sua, scilicet, quia intercidebatur posteritas sua: hæreditas autem eius deuoluebatur ad illos, qui propinquiores essent in tota tribu, & familia, quamdiu posset cognosci gradus propinquitatis, licèt illi essent extra gradus cognationis, in quibus consuetum erat vocari aliquos cognatos, de quo magis declaratum est suprà.

Quid si quis de fratribus defuncti acciperet vxorem defuncti ad suscitandum semen, & moreretur consanguineus ille, vel vxor.

Qvæstio LIX.

Qværetvr vlteriùs, quid si quis de fratribus defuncti acciperet vxorem defuncti ad suscitandum semen, & moreretur consanguineus ille, vel vxor?

Dicendum, quòd si moriebatur vxor, siue antequam acciperetur ad suscitandum semen, siue post: dum tamen non esset aliquis filius genitus, non poterat suscitari semen defuncti, sed peribat nomen eius, & in hereditate succedebant fratres, vel qui propinquiores essent. Si autem moreretur frater defuncti, qui acceperat vxorem defuncti, aut ex ea genuerat filium, aut non. Si genuerat, non oportebat, quòd illa acciperetur ab alio: quia iam suscitatum erat semẽ. Si autem nondum genuerat: debebat sequens frater suscipere eam: & si ille moreretur, debebat eam alius sequens accipere quousque aliquis ex ea gigneret, sic patet Genes. 38. de Thamar vxore Her primogeniti Iudæ, nam ille mortuus est sine liberis, & frater eius Onan accepit illam ad suscitandum semen fratris sui, & quia ille etiam sine liberis obijt, acceptu-

C

rus erat eam frater eius Sela. Sic etiam fuit in casu posito à Saducæis, cùm septem fratres acceperunt successionem, & vnus ad suscitandum semen alterius: & omnes septem mortui sunt viuente eadem muliere, Matth. 22. Si autem morerentur fratres omnes non suscitato semine, vel aliquis illorum nollet, succedebant in suscitatione ista cognati omnes, quousque nullus de cognatione maneret, & si vnus haberet filium ex eadem vxore sistebat ibi suscitatio. Si autem nullus haberet filium, peribat nomen defuncti de cognatione sua, & deuoluebantur bona ad aliquem de cognatis defunctis, vel fratribus, si manserat, qui nollet suscitare semen defuncti. Si autem nullus maneret, bona pertinebant ad quemcunque propinquiorem, cùm iam non esset quis de cognatione defuncti, scilicet, de gradibus illis, in quibus nominabantur cognati.

D

Quid si accipiens vxorem defuncti ad suscitandum semen eius, non gigneret filium, sed filiam.

Qvæstio LX.

Qværetvr vlteriùs, quid si accipiens vxorem defuncti ad suscitandum semen eius, non gigneret filium, sed filiam: an sequens frater, vel cognatus deberet accipere eandem vxorem ad suscitandum semen defuncti. Vel sufficeret filia genita. Quidam dicunt, quòd non sufficiebat filiam gigni, sed alius suscitare debebat semen defuncti, quia non censebatur adhuc semen suscitatum, nisi filius nasceretur. Quod patet primò, quia Deut. 25. dicitur, quòd suscitari debebat semen defuncti, ne periret nomen eius in progenie sua, & tamen per filiam non poterit conseruari nomen defuncti in familia sua: quia dato, quòd illa esset filia vera defuncti, non posset continuare familiam patris: nam fœmina transibat in progenie viri, à quo in vxorem accipiebatur, ideo non continuaretur per eam nomen paternum, & familia: sed illicò transiret ad aliam familiam, & cessaret familia paterna. Secundò patet, quia Deut. 25. dicitur, quòd ille, qui acciperet vxorem defuncti ad suscitandum semẽ eius, vocaret primogenitum, quem ex illa vxore gigneret nomine defuncti: & tamen filiæ non competebat hoc, quia illa non poterat vocari nomine patris, ideo nata filia non dicebatur suscitatum semen defuncti. *1. ratio.* *2. ratio*

E

Dicendum, quòd si quis accepta vxore defuncti gigneret ex ea filiam, deinde filium, quòd filia licèt esset primogenita, non gaudebat hic iure feminis suscitati, ita quòd illa ascriberetur mortuo ad conseruãdum familiam suam, sicut ascriberetur si esset filius. Ratio est, quia in his faciendum erat sicut in filijs veris. In ipsis autem existentibus filijs nihil de hæreditate perueniebat ad filias: imò dato, quòd esset vnicus filius, & vltimus, ante eum multæ filiæ, solus filius succedebat in tota hæreditate patris, vt patet Num. 27. cap. ita nunc in filijs legalibus, si essent filiæ, & filij, dato quòd filiæ essent priores, non computabantur illæ in semine defuncti, sed filij. Aliquis autem proteruiet dicens, quòd hoc non apparet, quia non constat nobis, quòd sit iudicandum sic de filijs legalibus, sicut de veris, & naturalibus, ideo quòd filia fortè possit accipi tanquam primogenitus defuncti. Dicendum, quòd non stat, quia manifestum est, quòd ille, qui ascribebatur defuncto in suscitatione seminis, succedebat in tota hæreditate eius: filia tamen non potest succedere extantibus maribus, vt patet Num. 27. ideo cùm iste gigneret filios, & filias, qui suscitabat semen defuncti, non erat ascribenda filia defuncto, sed filius, dato quòd filia prior esset natiuitate. Si autem suscitans semen defuncto solam filiam gigneret, manet dubium, an dicatur suscitatum esse iam semen defuncto, vel alius de

F

fratribus, vel cognatis defuncti debebat accipere eandem vxorem defuncti, quousque gigneret ex ea filium. Dicendum quòd non oportebat amplius suscitari semen defuncto, quia in filiabus sufficienter conseruaretur semen defuncto. Quod patet, quia Numer. 27. iubetur, quòd cùm quis moreretur sine filijs masculis, filiæ succedebant in hæreditate patris, & illæ faciebant, quòd non periret nomen patris, scilicet, quia faciebant progeniem patris sui continuari, per filios nato ab ea poterat continuari progenies defuncti, & succederet ipsa in bonis defuncti nomine filiorum, quos habitura erat. Si autem nullos filios haberet illa, delebatur rursus nomen defuncti: & redibat hæreditas ad propinquos defuncti, & illi non poterant iam suscitare semen, nisi vxor defuncti superuiueret, quia si superuiueret, esset aliqua spes de suscitatione.

Ad primum argumentum in contrarium dicendũ, quòd fiebat suscitatio seminis, vt non deleretur nomen defuncti: & tamen nata filia ex suscitatione seminis non deleretur nomen defuncti, ideo ipsa sufficiebat. Nam licèt fœmina transiret in familiam viri, cuius esset vxor, tamen filij inde nati possunt computari in familia defuncti, sicut fuit in filiabus Salphaad, Num. 27. & declaratum est suprà. *Ad rõnem 1. in diuersum*

Ad secundum dicendum, quòd verum est, quod primo- *Ad 2. rõnem.*

genitus

A genitus acceptus ex vxore defuncti, vocandas erat nomine defuncti si haberetur primogenitus, & tamen nõ stante primogenito sufficiebat, quòd filia exstaret: nam tunc filius filię qui reputaretur tanquam nepos defuncti, vocaretur nomine defuncti, & ibi incipiebat propriè semen defuncti, & nomen conseruari.

Quæ pœnæ infligebantur nolentibus suscitare semen defunctorum, & quare istæ potius, quàm aliæ.

QVÆSTIO LXI.

QVÆRETVR vlteriùs, de pœnis non suscitantibus semen defuncto, & quare infligebantur pœnæ isla?

Dicendum, quòd prima pœna erat, quòd tolleretur calceus de pede viri huius. Secunda erat, quòd spueretur in faciem eius. Tertia erat, quòd mulier diceret: sic fiet viro, qui nõ vult ædificare domum fratris sui. Quarta erat, quòd postea vocaretur in toto Israël domus istius viri domus discalceati, Deut. 25. Causa istarum pœnarum fuit ad irrogandum magnam ignominiam ipsi, qui nolebat suscitare semen defuncti, & inflictæ sunt istæ, quia in his erat magna contumelia. Nam quòd tolleretur alicui calceus de pedibus, erat ignominia, quia significabatur, quòd priuabatur homo iste omni bono, etiam vsque ad calceamenta, vt patet ex modo loquendi Abrahæ ad regem Sodomorũ, cùm dixit: viuit Dominus, quia non accipiam de his, quæ ad te pertinent, à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, id est calceamenti, vt magis patet ex Hebræo: quasi dicat, nec minima bonorũ accipiam de bonis tuis, ne dicas ego ditaui Abraham. Etiam erat hoc, vt sequeretur ex hoc alia pœna, scilicet quòd vocaretur domus istius, discalceati domus in Israël. Quòd autem spueretur in faciem istius hominis, erat ad magnam confusionem eius: nam non potest homo magis confundi, quàm quòd alius exspuat in faciem eius in pœnam, cùm tota dignitas, & pulchritudo hominis sit in vultu, & deturpatur sputis. Causa autem quare mulier dicebat: sic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris sui; erat vt significaretur omnia ista fieri ad infamiam, & iniuriam infligendam: & per hoc augebatur ignominia. Nam si mulier nõ diceret istud, fortè poterat intelligi, quòd erat istud aliqua cæremonia legis, quæ non fiebat ad ignominiam, sicut multæ aliæ cæremoniæ erant immundæ in veteri testamento, quia tamen non fiebant ad ignominiam, recipiebantur vt honorabiles: cùm autem mulier dicebat: sic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris sui, significabat illa infligi in pœnam, & consequenter illa est ignominiosa: & sic augebatur pœna ex hoc, potissimè cùm fieret in portis ciuitatis coram toto populo. Causa autem, quare vocabatur domus discalceati in Israël, erat etiam ad ignominiam, & manebat ei istud nomen, vt in æternum esset infamatus in toto Israël. Etiam sciendum, quòd nomẽ istius supprimebatur, non enim denominabatur deinceps nomine suo, sed vocabatur discalceatus, & domus eius vocabatur domus discalceati. Sicut patet de cognato Booz, de quo sæpè fit hic mentio, & præced. cap. & tamen non ponitur aliquando nomen eius, sed per circumlocutionem: & hoc, quia indignus erat nominari, qui nomen alterius nolebat conseruare: à fortiori autem fieret in fratribus defuncti nolentibus suscitare semen eius; quia in illis lex ponebat pœnam: in cognatis autem non: & tamen cognati nolentis suscitare semen defuncti supprimebatur nomen. A fortiori ergo fratrũ nolentium suscitare semen defuncti supprimeretur nomen: & iam non vocarentur nomine suo, sed discalceati, & domus vel progenies eorum domus discalceatorum.

B

Mulier quare dicebat sic fiet viro q nõ vult ædificare domũ fratris sui.

Domus discalceati in Israel quare vocabatur.

C

An mulier sputa in viri faciem, vel in quem conijciebat.

QVÆSTIO LXII.

QVÆRETVR vlteriùs circa sputa, quæ mulier conijciebat, an in faciem viri, vel in quem conijceret?

Respondet Rabbi Sal. quòd mulier spuebat in faciem viri illius, id est coram eo quasi detestans eum, sicut diximus aliqua fieri in facie alicuius, id est eo vidente, vel præsente. Rabbi Aben Ezra dicit, quòd mulier spuebat in calceamento, quod tolleobat de pede viri: litera autem nostra vult, quod mulier spueret super faciem viri, quia ponitur in accusatiuo, & significat terminum. Aliqui dicunt, quòd non potest stare positio Rabbi Sal. nam ad hoc, quòd intelligeretur, quòd præsente viro vidente spuebat mulier: oportebat, quòd poneretur in ablatiuo, & diceretur in facie, id est coram illo. & tamen ponitur in accusatiuo, & significat ad terminum, ad quem sputa terminabantur. Dicendum tamen, quòd ista non est plena probatio: nam licèt in Latino sermone sit iste modus arguendi conueniens, in Hebraico tñ sermone non priuatur ista differentia regiminis, vel exigentia dictionum: nam in Hebræo non sunt casus, nec determinatæ inflexiones nominum, & verborum: sed sunt quædam dictiones præpositionales, quæ additę nominibus significant quandam habitudinem casualem: sicut sunt in vulgari nostro quædam habitudines casuales, & tamen nõ potest per eas tanta distinctio fieri, quòd dubium totaliter tollatur, quia aliquæ præpositiones apud Latinos variè significãt, ideo variis casibus deseruiunt: sicut (in) quæ aliquando signat in quo, & aliquando in quem: sic est alia apud Hebræos, scilicet be, vel ba, vel bi, siue bi: & tamen non possunt isti interdum ordinari cum accusatiuo, & aliquãdo cum ablatiuo, vt interdum signent in quem, & interdum in quo: ideo dicendum, quòd ista ratio non conuincit Hebræos, vel simpliciter sic debere intelligi, sed solum probat, quòd beatus Hieronymus intellexerit quòd sputum debebat proijci in faciem viri, & non coram illo, quia alias dixit in facie, & non in faciem. Aben Ezra autem dixit, quòd exspui debebat in calceamento, & hoc procedit ex varietate relatiui: quia dicitur in facie eius, & particula in eius, potest referri ad virum, vel ad calceamentum, ita quòd facies calceamenti vocetur pars superior eius, & posterius calceamenti sit ipsum, quod tangit pauimentum. Sed iste modus loquendi non est conueniens, quia etiam ex modo loquendi non damus faciem in calceamento, nec assignamus ante, & retro, cùm non sit res animata, vel habens virtutem magis in vna parte, quàm in alia. Ideo dicendum est, quòd spuebat mulier in faciem viri, sicut vult litera nostra, & hoc rationabilius est, quia hic agit Scriptura de pœna, & ignominia huius, qui nolebat suscitare semen defuncti, & maxima ignominia erat, quòd spueretur in faciem eius, ideo credendum est, quòd in faciem eius spuebat. potissimè, quia litera, siue Hebræa, siue Latina potest hoc magis significare quàm aliquid aliud.

D

E

Quomodo dixit cognatus Booz ad eum, cedo iuri propinquitatis.

QVÆSTIO LXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quando dixit cognatus Booz ad eum, cedo iuri propinquitatis, quid cessit, & an cedere potuit id, quod dixit se cessisse: nam agebatur ibi de onere subeundo, & licèt posset quis vtilitatem suam renuere, tamẽ onera sua subterfugere non licet ei.

F

Dicendum, quòd duo erant, quæ cedebat nunc, vel cedere poterat cognatus Booz: nam dixit, cedo iuri propinquitatis: & nomine propinquitatis intelligebantur duo, scil. ius suscitandi semen: nam competebat fratribus, & alijs cognatis hoc ius: extraneis autem non competebat, vt declaratum est suprà in quadam quæstione. Secundum ius cedendi erat in hæreditate defuncti, & istud competebat cognatis secundùm gradum suum propinquitatis, ne transiret possessio de familia in familiam. Istis duobus iuribus cessit Booz cognatus suus: nam nullum istorum pertinebat ad Booz, si voluisset cognatus suus vti vtroque: nam suscitare semen defuncti ad cognatum Booz prius, & immediatius pertinebat quàm ad ipsum Booz, ideo Booz petiuit ab eo, quòd acciperet Ruth in vxorem: & etiam quando Ruth petiuit à Booz, quòd acciperet illam in vxorem, dixit ei: est alius me propinquior, qui si te accipere voluerit, bene actum est, sin autem ego, sine dubio te accipiam, præcedenti cap. De secundo iure patet, quia quando Booz voluit redimere possessionem venditam à Noemi iure propinquitatis, prius requisiuit cognatum suum, an ille eam emere vellet, vt patet suprà in litera: & aliàs non ausus esset loqui in hoc. cognatus autem Booz dicens, cedo iuri propinquitatis, vtriq; iuri cessit. Quod patet,

quia

A quia vtrunque accepit Booz: nam ipſe accepit Ruth in vxorē ad ſuſcitandum ſemen defuncti: etiam ipſe accepit omnes poſſeſſiones, quæ fuerunt Elimelech, Mahalon, & Chelion defunctorum, vt patet in litera, & tamen nullum iſtorum poterat accipere ſine permiſſione cognati ſui, cùm vtrunq; pertineret ad illum, vt ſuprà declaratum eſt, ergo vtrique iuri renunciauit: & tamen directè renunciauit ſoli iuri ſuſcitationis: indirectè autem, ſcilicet per neceſſitatem annexionis renunciauit iuri ſucceſſionis in hæreditate: quod patet, quia quando Booz dixit cognato ſuo, an vellet redimere poſſeſſionem, quam vendiderat Noemi, dixit ille, ego quidem agrum emam, & tunc dixit ei Booz, quando acceperis poſſeſſionem de manu Noemi, accipies etiam Ruth Moabitidem ad ſuſcitandum ſemen defuncti: hoc autem recuſauit cognatus Booz dicens, quòd nolebat delere poſteritatem familiæ ſuæ, vt patet in litera. Et quia iſta duo erant annexa, vt ſonant verba Booz, vt patet in litera, & declaratum eſt ſuprà in quadam quæſtione, renunciauit ille vtrique iuri propter alterum ipſorum.

Qui reſpondit: Cedo iuri propinquitatis, neque enim poſteritatem meam delere debeo. Tu meo vtere priuilegio, quo libenter carere profiteor. Hic autem erat mos antiquitùs in Iſraël inter propinquos, vt ſi quando alter alteri ſuo iuri cedebat, vt eſſet firma conceſſio, ſoluebat homo calceamentum ſuum, & dabat propinquo ſuo. Hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſraël. Dixit ergo propinquo ſuo Booz: Tolle calceamentum Quod ſtatim ſoluit de pede ſuo.

B *Qui reſpondit.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet citati reſponſio, in quo renunciat iuri ſuo, & dicitur: *Qui reſpondit: Cedo iuri propinquitatis.* Quaſi dicat, mihi competit iure propinquitatis ſuſcitare ſemen defuncti, & ſuccedere in hæreditate eius, & tamen cedo tibi iſtud ius, quia nolo vti eo. An verò poſſet tali iuri cedere, tactum eſt præcedenti quæſtione: & non fuit declaratum, ſed declarabitur infrà in quadam quæſtione. *Nec enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo.* Iſta eſt cauſa quare ceſſit iuri ſuo, ſcilicet quia nolebat ſuſcitare ſemen defuncti, ſcilicet ne deleret poſteritatem ſuam: quaſi dicat, quòd ſuſcitando ſemen alterius ſuam progeniem delebat. Sed quomodo hoc ſtet, declarabitur infrà in ſequenti quæſtione. *Tu meo vtere priuilegio.* Quaſi dicat, priuilegium meum erat, eo quòd eram propinquior, quòd poſſem ſuſcitare ſemen defuncti, & ſuccedere in hæreditate eius ante alios cognatos, tamen nolo vti iſto priuilegio, ſed concedo tibi, quòd vtaris illo. *Quo me libenter carere profiteor.* Id eſt, ego cõfiteor coram toto populo, quòd renuncio tibi iſtud priuilegium libenter, quia ego nolo habere illud, vt firmior videatur iſta ceſſio, nec putetur, quòd violenter, vel per fraudẽ, vel aliàs indebitè facta ſit. *Hic autem erat mos antiquitùs in Iſraël.* Iſtud ponitur ad oſtendendum quare calceamẽtum ſoluit de pede ſuo cognatus Booz, ſcil. quòd erat conſuetudo ſic in Iſraël, quòd fieret ſic quandocunque fiebat aliqua ceſſio. *Inter propinquos.* Scilicet, iſta conſuetudo ſolùm erat inter propinquos: ideo ſi quis alicui extraneo cederet, aut donaret, aut vẽderet, non ſoluebatur calceamentum de pede. *Vt quando alter alteri ſuo iuri cedebat.* Iſtud eſt in iuribus propinquitatis ſicut hic, & in ſimilibus: nam in alijs ceſſionibus non fiebat. *Vt eſſet firma conceſſio.* Id eſt, vt ſignificaretur eſſe firma, vel vt eſſet firma, ſcil. quòd fortè ſic ſtatutum erat, vel conſuetum: quòd dato, quòd aliqua ceſſio fieret, non valeret ſi non obſeruaretur cæremonia diſcalceationis. Sicut etiam nunc in iure humano quædam ſolennitates obſeruantur in quibuſdam contractibus, & actibus, quæ ſi non ſeruentur, non tenet actus. *Soluebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo.* Scilicet ille, qui cedebat iuri, ſoluebat calceamẽtum ſuum de pede, & dabat illud proximo ſuo, ſcil. ei, cui cedebat: & iſtud erat in poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem iuris poſitio, ſicut poſſeſſio vel quaſi poſſeſſio iurium corporalium, vel ſpiritualium traditur per aliquas cæremonias exteriores apparentes. Et hic nõ ſoluebat aliqs alius calceamẽtum de pede cedẽtis iuri ſuo, ſed ipſe ſoluebat: & tamen in ceſſione nolentis ſuſcitare ſemen fratris ſui, mulier ſoluebat calceamentum de pede eius, Deut. 25. Ratio autem differentiæ aſſignabitur infrà in quadam quæſtione. *Hoc erat teſtimonium conceſſionis in Iſraël.* Id eſt, ceſſionis iuris, vel donationis, ſcilicet, per iſtud probabatur ius conceſſum, vel tranſlatum in alterum, & ſi quis non probaret de iſta datione calceamenti, non probabat ſufficienter ſibi donatum, vel conceſſum ius à cognato ſuo. *Dixit ergo propinquo Booz: Tolle calceamentum.* Id eſt, dixit Booz cognato ſuo, tolle calceamentum de pedibus tuis. *Et da mihi.* Ad reddendum cauſam, quare Booz iſtud petiuit fuerunt introducta omnia præcedentia. Nam cognatus Booz, dixerat Booz, quòd nolebat gaudere priuilegio propinquitatis, ſed quòd concedebat illud Booz, ideo Booz, vt eſſet conceſſio firma petiuit à cognato ſuo ſecundùm conſuetudinem regionis, quòd ſolueret calceamentum de pede, & daret ſibi ad probationem iſtius ceſſionis.

Quod ſtatim ſoluit de pede ſuo. Scilicet, cognatus Booz nolens vti priuilegio propinquitatis, ſtatim ſoluit de pede ſuo calceamentum, & dedit illud Booz, nec in hoc oſtendit aliquam difficultatem, quia libenter carere volebat hoc priuilegio, vt patet ſuprà in litera.

Quomodo eſt verum, quòd quis ſuſcitando ſemen defuncti delebat poſteritatem ſuam.

QVÆSTIO LXIIII.

QVÆRETVR circa prædicta, cùm cognatus Booz dans cauſam quare non ſuſcitabat ſemen defuncti, dixit: nec enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo. Quid intellexit per hoc, vel quomodo eſt verum, quòd ſuſcitando ſemen defuncti delebat poſteritatem ſuam. Quidam Hebræi reſpõdent, quòd delebat poſteritatẽ ſuam quantum ad filios, quos ſuſciperet de Ruth, quam nunc acciperet in vxorem, & hoc quia Ruth erat Moabitis, & Moabitæ non debebant intrare in Eccleſiam Domini in æternum, Deut. 23. Scilicet, non poterant habere aliquam dignitatem inter Iſraëlitas, qui vocantur Eccleſia Domini, id eſt congregatio Dei, dato quod conuerterentur ad Iudaiſmum, vel quòd nunquam poſſent accipere vxores de Iſraëlitis. Quocunque autem modo intelligatur, videbatur deleta poſteritas Moabitarum, quæ conuerteretur ad Iudaiſmum. Sed dicunt alij Hebræi, & etiã Nicolaus, quòd hoc non ſtat, quia non prohibentur intrare eccleſiam Domini Moabitides, ſcil. fœminę Moabitarum, ſed ipſi Moabitæ maſculi: quod patet, quia alias Ruth non potuiſſet accipi in coniugem ab aliquo Iſraëlita, & tamen legitimè accepta eſt, de quo infrà dicetur in quadam quæſt. Sed adhuc nõ ſtante hoc, melius dici poteſt, quòd dato, quòd intelligeretur de fœminis, quod non intrarent in eccleſiam Domini, nõ propter hoc deleretur poſteritas Booz quãtum ad illos, quos gigneret ex Ruth, quia filij non ſunt de progenie matrum, ſed de progenie patrum, vel auorum: ideo licèt Ruth eſſet Moabitis, filij, quos ex ea gigneret, eſſent Iudæi, & non Moabitæ, & ſic non extenderetur quantum ad illos prohibitio, ſcilicet Ammonites, & Moabites non intrabunt in eccleſiam Domini,. Sed intelligitur hoc de ipſis Moabitis, qui conuertebantur ad Iudaiſmum, vel de natis ab eis, quòd non intrarent in eccleſiam Domini. Sed intelligitur hoc de ipſis Moabitis, qui conuertebantur ad iudaiſmum, vel de natis ab eis, qui non intrarent in eccleſiam Domini in æternum. Nicolaus autem dicit aliter, ſcilicet, quòd dicebatur iſte delere poſteritatem ſuam, ſcilicet, quòd ſi ſuſciperet filios ex Ruth, non tantum curaret de filijs, quos ex alia vxore ſuſceperat, & ſic viderentur illi deleti: ſicut dicitur de aliquo ſi haberet damnum, quod deſtructus eſt. Iſte modus tamen loquendi nimis alienus eſt à litera, ſcil. quòd iſto modo ſuſcitando ſemen defuncti deleretur poſteritas: quia non ſolum deleretur poſteritas, ſed etiam quandocunq; aliquis Iudæus haberet vnã vxorem: & ſuperinduceret aliam, ex qua poſſet filios gignere: vel ſi habuiſſet vnam, & defuncta illa, acciperet aliam, & ex vtraque filios gigneret: & tamen nullus ſic dicit, quòd delet poſteritatem ſuam accipiendo ſecundam vxorem, ergo non intelligitur ſic. Item dato, quòd quis accipiendo filios ex ſecunda vxore, non tantùm curet de primis, ſicut curaret de eis ſi eos ſolos haberet, non dicitur delere poſteritatem ſuam, qa omnes ſunt filij eius, & poſteritas ſua per omnes illos reparatur: ideo ſi nihil aliud obſtet non eſt modus quo iſte diceretur delere poſteritatem ſuam.

C *Modus ceſſionis iurium propinquitatis apud Hebræos.*

D

E

F *Nicolaus reſellitur*

Dicit-

Dicendum,quòd hoc intelligitur pro tanto, quia iſte cognatus Booz quantum ad aliquos filios deleret poſteritatem ſuam:nam ſi ſuſciperet filios ex Ruth,cùm illi eſſent ad ſuſcitationem ſeminis Mahalon defuncti, oporteret, quòd aliqs, vel aliqui illorum aſcriberentur mortuo,& non genitori eorum:& quantum ad illos periret poſteritas eius, quia illi non computarentur de ſtirpe patris ſui,ſed de ſtirpe mortui,& ita eſſent illi filij tanquam deleti eſſent, vel nunquam geniti. Sic patet Deut.25.cùm dicitur, quòd qui ſuſcitaret ſemen defuncti vocaret primogenitum, quem gigneret, nomine defuncti:& ſic reputabatur ille filius defuncti, & de progenie eius, & hoc verè intendit cognatus Booz. Et iſte modus eſt proprius intelligendi poſteritatem alicuius deleri.

An omnes filij, quos gigneret ſuſcitans ſemen pertinerent ad defunctum,vel ſolus primogenitus.

QVÆSTIO LXV.

QVÆRETVR vlteriùs circa hoc, cùm aliquis ſuſcitaret ſemen defuncti, an omnes filij quos gigneret, pertinerent ad defunctum,vel ſolus primogenitus?

Aliquis dicet,quòd ſolus primogenitus:quia Deut.25.dicitur, quòd ſuſcitãs ſemen defuncti vocaret primogenitum, quem gigneret nomine defuncti: ſi tamen de omnibus intelligeret,non expreſſiſſet ſolùm de primogenito. Aliqui dicunt,quòd omnes filij nati à ſuſcitante ſemen defuncti aſcribebantur ipſi defuncto. Quod patet ex eo, quod dixit Scriptura de Onan filio Iudę Gen.38.c.ſcilicet,quòd illi ſciens filios non ſibi naſci, ſed fratri ſuo, ſemen fundebat in terram: ergo non ſolùm de primogenito, ſed etiam de omnibus intelligebatur, vel ſaltem de multis, quia dixit filios. Secundò patet,verbis cognati Booz hic,ſcil.nec enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo, ſcil. vt ſuſcitem ſemen defuncti. In quo innuit,quòd peribat poſteritas ſua, ſcil.non continuabatur, ſi ſuſcitaret ſemen defuncto, & tamen ſi ſolus primogenitus aſcriberetur defuncto: poterat per alios cõtinuari progenies ipſius ſuſcitantis ſemen, & non diceret deletam eſſe poſteritatem ſuam,& tamẽ dixit, quòd ex hoc delebatur poſteritas ſua,ergo omnes filij eius aſcribendi erant defuncto.

B *1.ratio ex aduerſo.*

Reſpondendum,quòd ſuſcitans ſemen defuncti, aut ſuſceperat aliquos filios ex aliqua vxore antequam ſuſcitaret ſemen defuncto,aut non.Si aliquos prius genuerat, manifeſtum eſt, quòd illi non poterant pertinere ad defunctum,eo quòd illi nõ erant nati de vxore defuncti, & tamẽ ſemen defuncti ex illa ſolùm erat ſuſcitandum. Item, quia tunc poſſet accidere,quòd iſti filij, quos ſuſceperat ſuſcitans ſemen ex alia vxore, nati eſſent viuẽte ipſo defuncto, & ſic manifeſtum eſt,quòd non poterant ei aſcribi, quia ſuſcitatio ſeminis defuncti fiebat quantum ad illos, qui naſcebãtur poſt mortem ipſius defuncti, ideo iſti nullo modo pertinebant ad defunctum,ſed ad patrem ſuum:& per iſtos continuaretur poſteritas ſuſcitantis ſemen defuncti, & facerent iſti aliam lineam progeniei quàm filij pertinẽtes ad ſuſcitationem feminis. Si autem non habuiſſet ſuſcitans ſemen alios filios, antequã inciperet ſuſcitare ſemen defuncti, aut accipiebat aliquã aliam vxorem, vel tenebat iam illam præter vxorem defuncti, aut non.Si autem aliam accipiebat,dicendum quòd manifeſtum eſt quantum ad filios,quos ex illa ſuſciperet,quòd illi nõ pertinebant ad ſuſcitationem ſeminis defuncti:eo quòd ſuſcitatio ſolùm fiebat de filijs natis ex vxore defuncti propter rationẽ aſſignatam ſuprà in quadam queſt.qua quęrebatur,quare vxor defuncti erat neceſſaria ad ſuſcitationem ſeminis, & per filios ſuſceptos ab iſta continuaretur linea progeniei ſuſcitantis ſemen:alij autem qui ſuſciperentur de vxore defuncti pertinerent ad ſuſcitationẽ ſeminis, & per illos continuaretur linea defuncti,& in iſtis caſibus non eſt aliquod dubiũ, nec delebatur progenies ſuſcitantis ſemẽ defuncti. Si autem non habebat aliam vxorẽ, niſi vxorem defuncti, vel dato,ꝙ haberet aliam,nõ ſuſcipiebat filios ex illa:manet tunc dubiũ, quia ſi omnes filij nati de vxore defuncti pertinerent ad progeniem defuncti, non eſſent aliqui per quos continuaretur progenies ſuſcitantis ſemen.Dicendum ergo videtur,ꝙ non pertinebant ad defunctũ oẽs filij nati ex vxore ſua,ſed ſolùm primogenitus,& hoc ſi ille perueniret ad ſtatum,vt acciperet vxorem, ita vt defunctus non diceretur mori ſine ſemine. Si autem nõ perueniret ad illud tempus, ſubſtituebatur aliquis de fratribus eius ex ipſa vxore defuncti, qui computaretur de progenie defuncti, & reliqui pertinebant ad ſuſcitantem ſemen. Iſtud patet, quia iſta ſuſcitatio ſeminis non erat, niſi vt non deleretur nomen defuncti,ſi maneret ſine filijs: & tamen quòd vnus filius, ſcil.primogenitus aſcriberetur defuncto ſufficiebat ad hoc,quòd non deleretur ſemen eius,& nomen:ideo alij non computarentur de ſtirpe defuncti, ſed ſuſcitantis ſemen. Secundò patet, quia Deut.25.dicitur, quòd ſuſcitabit frater defuncti ſemen, & primogenitum illius nomine defuncti appellabit. Si tamen Scriptura voluiſſet aſcribere defuncto omnes alios,qui naſcerentur ex vxore ſua, nõ ſolùm diſpoſuiſſet de primogenito,ſed etiã de omnibus alijs: & tñ de ſolo primogenito diſpoſuit: ergo videtur,ꝙ ſolùm primogenitũ ſibi aſcribere voluit. Tertiò patet,quia nõ conueniebat intẽtioni legis,quòd alius aſcriberetur mortuo niſi primogenitus natus per ſuſcitationem ſeminis, quia lex vult quaſi fingere, quòd iſte natus ex vxore defuncti ſit filius defuncti,& naſcatur ex ſemine defuncti relicto in vtero vxoris ſui,quod tñ per ſe non potuit viuificari,niſi ab altero adiuuaretur,& ad hoc venit frater defuncti, qui dicitur ſuſcitare ſemen defuncti,id eſt viuificare illud non tanquam nouum ſemen adhibens,ſed antiquum viuificans, & tamen hoc nõ poteſt competere primogenito niſi per ſuſcitationem ſeminis, quia primogenitus ex vxore defuncti poterat aliquo modo fingi ex ſemine defuncti:alij autem poſteriores non,eo quòd cùm naſcerentur alij, iam eſſet euacuata virtus ſeminis defuncti: primogenitus tamen ex ſuſcitatione ſeminis cenſebatur tanquam poſthumus filius defuncti: eo quòd primus poſt mortem patris ex vxore ſua naſcebatur, ideo illi ſoli competebat hoc. Quartò patet, quia ſi omnes filij nati ex vxore defuncti per ſuſcitationem ſeminis pertinerẽt ad defunctum, deleretur progenies ſuſcitantis ſemen. Et iſtud erat valdè inconueniens propter duo: ideo non pertinebant omnes filij ad defunctum. Primum iſtorum eſt, quia dando primogenitum defuncto, & omnes alios ſuſcitanti ſemen, non periret nomen alicuius,ſcilicet quia nomen defuncti conſeruaretur per primogenitum, nomen autem ſuſcitantis ſemen per alios filios:dando autem iſtos omnes defuncto, deleretur nomen ſuſcitantis ſemen, dum non haberet filium, per quem continuaretur progenies ſua: & tamen quando duæ ſententiæ ſunt,& ad vnam ſequitur aliud inconueniens,& ad aliam nullum:tenenda eſt illa, ad quam non ſequitur inconueniens. Secundum eſt,quia dato aliquo caſu,in quo neceſſe eſſet perire ſemen alicuius, ſcilicet defuncti, vel viuentis: potius deberet perire ſemen mortui, qui nullum ſemen genuerat: quàm viuentis, qui gigneret filios non ſibi, ſed alteri: quia tunc grauarentur viuentes,vt releuarentur mortui, quod eſt valdè inconueniens. Nam quòd deleatur nomen defuncti, qui nullum ſemen reliquit, non grauatur, quia nullus eum grauat,ſed ſibi imputandum eſt, quia ipſe neminem genuit. Quod autem viuens cogeretur gignere filios, qui pertinerent ad ſtirpem defuncti,erat manifeſtum grauamen, quia ipſe genuerat filios, per quos continuaretur linea progeniei ſuæ, & quòd illi pertinerent ad defunctum: & per hoc ipſe non haberet aliquos,per quos linea continuaretur, priuaret eum poſteritate ſua ſine culpa, quod erat grauamen manifeſtum:ideo potius permitteretur mortuus ſine ſemine, quàm viuens, & tamen viuens maneret ſine ſemine, & nomine, ſi non pertineret ad eum quiſquam de filijs, ſed omnes ad defunctum, ideo non pertinebant omnes ad defunctum, ſed ſolus primogenitus, vel vnicus eorum: & tamen iſte debebat eſſe potiùs primogenitus quàm aliquis aliorum,eo quòd ipſe poterat cenſeri tanquam poſthumus defuncti, quod nõ competebat alicui aliorum.Etiam illi non poterant videri ſic pertinere ad ſemen defuncti,ſicut primogenitus.

C

Ad primam rationem in contrarium de Onan,de quo dicitur,quòd ſciebat filios nõ ſibi naſci,ſed fratri ſuo: dicendũ quòd non intelligitur per hoc, ꝙ omnes filij Onan qui ab eo naſcerentur pertinerent ad fratrẽ ſuum mortuum,ſed ſolùm primogenitus, & tñ ille vocabatur filij pluraliter: quia fortè neſciebat an alios filios habiturus eſſet, & ſic primogenitus eſſet omnes filij ſui. & tunc omnes filij ſui pertinetent ad defunctum. Secundò poteſt dici, ꝙ primogenitus vocatur filij plura-

D

Quãdo sũt duæ ſententia, & ad vnã ſequitur aliq̃ inconueniẽs ad aliam nullũ, tenẽda eſt ſententia.

E

F

Ad rõnem 1. in diuerſum

A pluraliter propter dignitatē. Nam per primogenitum cōputabatur primogenies patris, & ille ſuccedebat patri in maiori parte ſubſtantiæ, quàm cæteri, vt patet Deut. 21. & multas alias prerogatiuas habebat ſuper cæteros filios, de quibus declaratum eſt Gen. 25. & magis 1. Paralip. 5.

Ad 2. rōnem Ad ſecundam rationem dicendum, quòd non erat neceſſe, quòd ſi aliquis ſuſcitabat ſemen alterius, quòd deleretur progenies ſua, ſicut ſuprà declaratum eſt: & ſic licèt iſte cognatus Booz accepiſſet Ruth in vxorem ad ſuſcitādum ſemen defuncti, non deleretur poſteritas eius. Nam manifeſtum eſt, quòd ſi ipſe haberet filios ex alia vxore ſaltem quantum ad illos non deleretur poſteritas eius, quia illi non pertinebant ad defunctum. Etiam dato, quòd non habuiſſet aliam, poterat de nouo accipere illam, & ex illa gigneret filios, qui pertinerēt ad primogeniem ſuam. Nec erat aliquod dubium de iſtis, vt ſuprà declaratum eſt. Dixit tamen, quòd deleret poſteritatem ſuam, quia ipſe non habebat alios filios, & putabat quòd fortè non acciperet filios niſi ex vxore defuncti, & tunc primogenitus pertineret ad defunctum, licèt poſtea geniti pertinerent ad ipſum, vt ſuprà declaratum eſt. & tamen primogenitus erat ille, per quem deriuabatur præcipuè progenies cuiuſlibet, & ille ſuccedebat in duplici parte hæreditatis, Deuter. 21. & etiam ſuccedebat in dignitate paterna, Gen. 49. & 2. Paralip. 21. vbi cōſtituitur aliquis in regem, quia erat primogenitus, ideo perdendo illum, quia tranſibat in progeniem

B defuncti, videbatur deleri poſteritas ſua, ſcilicet illud, in quo principalius, & dignius poſteritas ſua conſeruanda erat. Secundò poteſt dici, quòd delebatur poſteritas iſtius, ſcil. quędā pars eius: nam neceſſe erat, quòd ſaltem vnus de filijs ſuſcitantis ſemen aſcriberetur defuncto, & dato, quòd ille non eſſet primogenitus, ſed quicunq; alius, quantum ad illum deleretur poſteritas ſuſcitantis ſemen: quia ille non computabatur de progenie ſua: non tamen delebatur omnino.

Quid ſi ſuſcitans ſemen acciperet ſolùm vxorem defuncti, & gigneret ex ea vnicum filium.

QVÆSTIO LXVI.

QVÆRETVR vlteriùs, quid ſi ſuſcitans ſemen acciperet ſolùm vxorem defuncti, & gigneret ex ea vnicum filium: nam tunc eſſet magnum dubium, quia ſi iſte aſcriberetur defuncto, maneret ſuſcitans ſemen ſine ſemine, & deleretur nomen illius: ſi autem aſcriberetur viuenti, maneret mortuus ſine ſemine, & periret nomen eius.

Aliqui dicunt, quòd iſte primogenitus, qui vnicus erat, aſcribēdus erat defuncto: quia Deut. 25. dicitur, quòd primogenitum vocaret ſuſcitans ſemen nomine defuncti, ideo ſiue alius naſceretur, ſiue non, cùm iſte eſſet primogenitus, neceſſe erat ad implendam legem, quòd defuncto aſcriberetur, &

C ſic maneret viuens ſine ſemine. Secundò patet, quia ſi dato caſu primogenitus pertineret ad ſuſcitantem ſemen, defunctus maneret ſine ſemine, & fieret inutiliter ſuſcitatio ſeminis: lex tamē nihil iubet inutiliter fieri, ideo debebat primogenitus iſte pertinere ad defunctum. Alij dicunt in contrarium, quòd pertinebat iſte primogenitus ad ſuſcitantem ſemen, quia ſi pertineret ad defunctum, maneret ſuſcitans ſemen ſine ſemine, & deleretur nomen illius, & iſtud erat valdè graue, ſcil. quòd haberet iſte filium, per quem poſſet cōtinuari progenies illius, & priuaretur illo aſcribendo eum defuncto, vt continuaretur progenies defuncti per eum: nam ſine culpa priuabatur iure poſteritatis, & delebatur nomen eius. Quòd autem deleretur nomē defuncti non erat grauamen, licèt eſſet pœna, quia ipſe mortuus fuerat ſine liberis, & nemo priuabat eum poſteritate, niſi Deus, ideo non deberet viuens priuari poſteritate, vt defunctus illam haberet.

Reſponſio ad quæſtū Reſpondendum ad iſtud dubium, quòd non apparet determinatio huius ſatis ex lege: ſed videtur dicendum, quòd iſte primogenitus vnicus ſuccedebat defuncto, & etiā viuenti. De defuncto patet, quia lex iuſſerat, quòd ſuccederet primogenitus defuncto in ſuſcitatione ſeminis, Deut. 25. & tamen etiam ſuccedebat viuenti, quia habebat poſſeſſiones eius, cùm eſſet filius, & nullum alium haberet ſucceſſorē. Sed tunc eſt dubium, cuius cognationem nominaret, an defuncti, vel viuentis, cùm non poſſet nominare duas. Dici poteſt, quòd poterat nominare duas, eo quòd iſte erat dupliciter filius, ſcil. vnius erat filius legalis, & alterius filius verus: & ſic nominare vnam cognationem legaliter, & aliam naturaliter. Sic patet de Obed filio Booz. Nam Booz accepit Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen Mahalon defuncti, & natum inde vocauit Obed, & iſte legaliter erat filius Mahalon, & verè filius Booz: Scriptura tamen eum vocat filium Booz, vt patet infrà in litera, & Matth. 1. & tamen nullo modo vocaretur filius eius, nec poneretur in progenie ſua, niſi aliquo modo pertineret ſecundùm Scripturam ad progeniem Booz ſuſcitantis ſemen Mahalon. Credendum tamen eſt, quòd ſi iſte vnicus poſtea gigneret multos, inciperent diſtingui in eis progenies duæ, ſcilicet defuncti, & ſuſcitantis ſemen. Et rationes ex vtraque parte ſatis patent ex dictis: nam vtræque concedendæ ſunt, ſcil. quòd non priuatur viuens poſteritate, nec etiam defunctus caret illa.

D

F

Si Booz, & cognatus ſuus vellent accipere Ruth in vxorem, non ad ſuſcitandum ſemen, ſed alio modo, an poſſint, & quid ſequeretur inde.

QVÆSTIO LXVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quid ſi Booz noluiſſet accipere Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemē, an poſſet ſuſcipere eam alio modo, & quid ſequeretur inde?

E

Dicendum, quòd Booz, & cognatus ſuus non obligabātur ſuſcipere Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti, quia obligatio illa ſolùm erat in fratribus defuncti, & nō in cognatis, vt declaratum eſt ſuprà: ideo potuiſſet quilibet ipſorum non accipere illam ad ſuſcitationem ſeminis. Et tūc manet dubium: ſi non acciperet eam aliquis eorum ad hoc, an poterat accipere non ad ſuſcitandum ſemen. Et dicendum videtur, quòd ſic generale eſt, quòd quilibet poſſit accipere in vxorem quamcunque voluerit, niſi lege vetitum ſit, & tamen non reperitur vetitum, quòd poſſet quis accipere in vxorem illam, non ad ſuſcitandum ſemen, quam aliàs accipere noluit ad illam ſuſcitationem. Ideo dicendum eſt, quòd erat conceſſum, & tamen tunc dicendum, quòd non eſſet aliquis ordo, nec requiſitio neceſſaria ad accipiendum Ruth in vxorem, ſcilicet, quòd non teneretur Booz requirere cognatum ſuum, vt acciperet Ruth priuſquam ipſe illam acciperet, quia iam non accipiebatur iure propinquitatis, cùm illud eſſet ad ſuſcitandum ſemen: ceſſante autem iure propinquitatis non habebat vnus per quod alteri præferretur, ideo non tenebatur Booz admonere cognatum ſuum, an vellet recipere Ruth in vxorem, cùm iam eſſent æquales iure, ſicut ſi ambo eſſent penitùs extranei. Nunc autem admonuit Booz cognatum ſuum, quia dubium erat, an ille vellet ſuſcipere Ruth iure propinquitatis ad ſuſcitandum ſemē. Idem dicendum eſt de fratribus defuncti, qui coguntur ſuſcitare ſemen eius, & tamen ſi nullus eorum voluerit ſuſcitare ſemen, quilibet punietur: ſic habetur Deut. 25. & tamen non cogetur ſimpliciter ad accipiendum illam, & habita punitione, licebit accipere vxorem defuncti non ad ſuſcitandū ſemen defuncti, & tunc cuicunque eorum licet accipere illam indifferenter, non requiſito alio, ſicut ſuprà de cognatis dictum eſt: tamen in hoc caſu non cogebatur Ruth accipere quemquam iſtorum in virum, nec vxor defuncti cogeretur quemquam de fratribus defuncti in hoc caſu ſuſcipere in virum: quia obligatio legis ſolùm erat in fauorem defuncti ad ſuſcitandum ſemen eius, & tamen iam ceſſabat iſtud, cùm nullus de fratribus defuncti vellet ſuſcitare ſemen eius, ideo non obligabatur vxor eius ad aliquid, ſed erat ſimpliciter ſoluta à lege viri.

Quid ſi Booz, vel cognatus accepiſſet Ruth in vxorem non ad ſuſcitandum ſemen, quis ſuccederet in bonis.

QVÆSTIO LXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quid ſi Booz, vel cognatus eius accepiſſet Ruth in vxorem nō ad ſuſcitandum ſemen, quis ſuccederet in bonis defuncti, & quomodo conſeruaretur nomen eius?

Dicen-

A Dicendum, quod in hoc casu non poterat nomen defuncti conseruari in progenie sua, sed necessario delebatur, cum nullus succederet ei, quia filij geniti de vxore ista defuncti non ascribebantur defuncto, sed gignenti, cum iste non suscitaret semen defuncti. De hæreditate autem defuncti dicendum, quod peruenirent ad Booz, & cognatum suum, cum nulli alij essent propinqui: sicut dixit Booz supra in litera. Nam si non succederent isti, oporteret, quod transiret successio ad aliquos extraneos, & tamen Deus vetuerat istum transitum, quia nolebat, quod transirent hæreditates de tribu in tribum, vt patet Numer. 36. ideo non succederent alij: potissime quia dato, quod isti non suscitarent semen defuncti, non incurrebant in aliquam culpam, cum lex non obligaret eos, vt declaratum est in quadam quæstione. Dicendum tamen, quod isti duo non succederent, sed alter eorum, scilicet, cognatus Booz. Nam ius propinquitatis continebat duo, scilicet, potestatem suscitandi semen, & ius succedendi, vt declaratum est supra, & colligitur aliqualiter ex litera: & erant ista duo iura distincta, quia poterat vnum haberi non vtendo alio, sicut voluit cognatus Booz, & tamen si vnus vellet suscitare semen, dato quod esset minus propinquus, habebat successionem in bonis, & non poterat magis propinquus gaudere tunc iure successionis non suscitando semen: sicut factum est in Booz & cognato eius, vt patet in litera. Erant tamen ista iura distincta, ita quod si nullus eorum
B vellet suscitare semen, manebat ius successionis in hæreditate: & competeret ei, qui propinquior erat. Et patet hoc magis, quia quando Booz locutus est de redemptione possessionis, quam vendiderat Noemi, respondit cognatus eius, quod volebat iure propinquitatis redimere possessionem, & non fiebat tunc adhuc mentio de suscitatione seminis, & sic putabat ille, quod poterat gaudere iure redemptionis, & successionis non suscitando semen: ideo cum cognatus Booz esset propinquior, ei soli competebat ius succedendi in tota hæreditate defunctorum. Et hoc patet, quia ille volebat redimere agrum, quem vendiderat Noemi, & redemisset eum, nisi quia obiecit ei Booz, dicens: quando acceperis possessionem de manu mulieris, Ruth Moabitidem accipies in vxorem ad suscitandum semen defuncti, & tunc ille noluit vti aliquo istorum priuilegiorum, dicens, quod vteretur illo Booz. Idem dicendum de fratribus defuncti, si nollet aliquis eorum suscitare semen defuncti, etiam si esset vltimus fratrum succedebat in hæreditate defuncti aliis nolentibus suscitare, vt patet ex similitudine Booz, & cognati sui, vbi minus propinquus successit in hæreditate, eo quod ille voluit suscitare semen defuncti alio nolente, & tamen cum nullus vellet suscitare semen fratris defuncti, proueniebat ius succedendi propinquiori si aliquis esset, & tamen nullus erat in hoc casu, cum fratres sint inter se in eodem gradu attinentiæ: ideo omnes æqualiter succederent, & non obseruabatur aliqua inæqualitas in succedendo, quia secundum
C legem non reperitur alia inæqualitas, nisi in primogenito filio respectu minorum in hæreditate paterna, quia ille accipiebat duplum quam quilibet alius Deuter. 21. & inter fratres respectu fratris non erat istud, ideo omnes æqualiter succederent: alij autem cognati in nullo succederent, cum essent in minori gradu cognationis.

An cognatus Booz potuit cedere iuri cognationis, & an vnus frater possit cedere alteri iuri propinquitatis ad suscitandum semen.

QVÆSTIO LXIX.

QVÆRETVR vlterius, an cognatus Booz potuit cedere iuri cognationis: nam dixit, cedo iuri cognationis, tu meo priuilegio vtere. Aliquis dicet, quod non potuit cedere, quia potest aliquis cedere eis, quæ introducuntur in fauorem suum, sed non eis, quæ sunt in suum præiudicium, vel obligationem, quia ad illa cogitur: & tamen ius propinquitatis erat quantum ad aliquid onus, & non honor, scilicet, quia obligabatur suscitare semen defuncti, vel saltem suscitabat, in quo aliquo modo delebatur posteritas suscitantis semen: sicut dixit cognatus Booz, scilicet, nec enim posteritatem meam delere debeo: ideo non poterat cedere huic iuri. Item istud ius non erat introductum in fauorem viuentium, sed defunctorum, vt nomina eorum non perirent, & tamen non potest quis renunciare iuri, quod in fauorem alterius introductum est, cum non possit quis alteri præiudicare: ergo non licebat huic cedere isti iuri. Respondendum, quod potuit iste cognatus Booz cedere iuri propinquitatis. Nam cessit de facto, & recepta est ista cessio coram toto populo, & scriptura approbat illam, & innuit similes cessiones interdum fieri consuetum esse inter Israelitas, ideo licitum erat. Ad declarationem huius sciendum, quod duo includebantur in iure propinquitatis, scilicet, potestas suscitandi semen, & ius succedendi in hæreditate defuncti. De primo dicendum, quod quilibet cognatus poterat cedere huic iuri, sed non fratres: quod patet, quia cognatis, qui non erant fratres defuncti licebat suscitare semen defuncti: sicut patet de Booz, & cognato suo. Nam Booz suscitauit semen Mahalon defuncti, & tamen non erat frater eius, sicut declaratum est supra, non tamen obligabantur cognati, qui non erant fratres ad suscitandum semen defuncti: ideo non puniebantur, si non suscitarent illud, vt patet de cognato Booz, qui non punitus est secundum pœnam legis. Deuteron. 25. licet noluerit suscitare semen defuncti, vt patet supra in litera: ideo conueniebat proprie cognatis, qui non erant fratres, cedere huic iuri, cum haberent illud, & tamen non obligarentur tenere illud suscitando semen. De fratribus defuncti secus est: nam ipsi habebant ius suscitandi semen. Etiam obligabantur ad illud, & tamen non erat obligatio simpliciter, sed sub conditione, quod si nollent subirent pœnam, quæ habetur Deuteron. 25. & sic liberum erat cuilibet, non suscitare semen fratris subeundo pœnam illam, & tamen in istis non erat propria cessio iuris, cum obligarentur ipsi ad tenendum illud, & punirentur non tenendo, sed erat nolle ius. In cognato autem Booz propria cessio fuit quantum ad ius suscitandi semen: nam cum ipse non obligaretur ad suscitationem, quia non erat frater, & tamen haberet ius ad illam, liberum erat sibi cedere illi iuri. De secundo, scilicet, de iure successionis, dicetur manifestius esse, quod posset cedi illi: eo quod successio erat in fauorem succedentis, & non defuncti: suscitatio autem seminis erat in fauorem defuncti, & tamen poterat cedi iuri suscitandi semen, ergo à fortiori posset cedi iuri successionis. Dicendum tamen, quod cum quis volebat cedere iuri successionis, aut volebat simul cedere iuri successionis, & suscitationi seminis, aut soli successioni. Si vtrique, dicendum, quod cognati poterant inuicem cedere, cum successio esset propter suscitationem seminis, si quis renunciaret suscitationem seminis: simul renunciare poterat successioni. Si autem nollet renunciare suscitationem seminis, dicendum quod non poterat renunciare iuri successionis, quia istud cederet in præiudicium defuncti. Nam filius, qui suscitabatur defuncto habiturus erat possessionem eius, & sic dicitur hic, quod Booz volebat suscitare semen defuncti in hæreditate sua, id est, vt habeat hæreditatem defuncti, qui nasceretur ex suscitatione seminis, & istud erat, quia per hæreditatem distinguuntur progenies, sicut declaratum est in quadam quæstione supra: & vt sciretur, quæ esset progenies defuncti, necesse erat, quod natus de suscitatione seminis succederet in bonis defuncti: si autem posset quis suscitans semen cedere iuri successionis, tolleret ius defuncti, scilicet, quia non posset nomen eius conseruari distinctum, cum filius ei suscitatus non haberet aliquam possessionem, secundum quam faceret familiam defuncti apparere distinctam ab aliis familiis: ideo non poterat in isto casu cedere, quis iuri successionis, quia erat in præiudicium defuncti, & filij nascituri. Sic etiam non poterat quis in veteri testamento renunciare iuri de faciendo venditionem temporalem: nam dato quod quis vellet, quod res vendita immobilis nunquam rediret ad eum, non licebat ei, quia in hoc præiudicabat hæredibus suis, & legi, vt declaratum est Leuit. 25.

(·.·)

D E F

Per hæreditatem distinguũtur progentes

Quare antiquitus, quando quis cedebat alteri iuri ſuo, tollebat calceum de pede, & dabat cui cedebat.

QVÆSTIO LXX.

QVÆRETVR vlterius, quare apud antiquos, quando quis cedebat alteri iuri ſuo, tollebat calceum de pede, & dabat illi, cui cedebat.

Reſpondendum, quod iſtud fiebat in ſignum poſſeſſionis: nam per ceſſionem tradebatur quoddam ius: ſunt autem iura ſpiritualia quamquam ſint in rebus corporalibus, & non poſſunt tradi manifeſte, quia non videntur, ideo ad oſtendendum manifeſte, quod tradantur, oſtenditur per aliquid ſenſibile: & ſic cum ius propinquitatis per ceſſionem, quod tradebatur, non poſſet videri, ad manifeſtationem illius dabatur calceus: & in traditione eius dicebatur transferri ius, quod cedebatur, & erat conueniens applicatio, quia ſicut iſte tradens ſpoliabat ſe gratis calceo ſuo, & dabat illum alteri, ita ſignificabatur, quod ſpoliabat ſe iure cui cedebat, & transferebat illud in alterum: ſic etiam fit in traditione ordinum: nam in quolibet ordine datur aliquod ſignum ſenſibile ipſi ordinato, per quod ſignificatur quæ poteſtas ſit illa ſpiritualis, quæ ei traditur, & iſta ſigna ſunt de neceſſitate collationis ordinis in tantum, quod ſi non obſeruentur, non imprimitur character, ſicut ſi non dicerentur verba formalia requiſita in quolibet ordine, & ſacramento. De iſtis autem ſignis exterioribus, quæ dantur in collatione ſingulorum ordinum habetur per Magiſtrum quarto Sententiarum diſtinct. 24. & in Decretis diſtinct. 21. cap. cleros, & diſtinct. 25. cap. perlectis. Sic etiam in traditione poſſeſſionis aliorum iurium incorporalium fiunt aliqua ſigna exterius, quæ vocantur ſigna poſſeſſionis accipiendæ. Dicendum, quod iſta diſcalceatio apud Iudæos ſolum obſeruabatur in ceſſionibus, vnde in venditione, & aliis contractibus ad oſtendendum ius, quod transferebatur, non fiebat iſta diſcalceatio. Etiam non fiebat hoc in omnibus ceſſionibus, ſed ſolum quando fiebat ceſſio inter cognatos alicuius iuris cognationis: ſic dicitur in litera, quod in Iſrael erat hoc conſuetum, quando quis cedebat proximo ſuo.

Ius eſt quod dam ſpirituale.

Cur ordines conferantur per ſigna ſenſibilia.

Quare Ruth non ſoluit calceamentum de pede cognati Booz, & non expuit in eius faciem cum nollet ſuſcitare ſemen defuncti.

QVÆSTIO LXXI.

QVÆRETVR vlterius, quare Ruth non ſoluit calceamentum de pede cognati Booz, & non expuit in faciem eius, cum noluerit ſuſcitare ſemen defuncti.

Reſpondendum, quod verum eſt, quod cognatus Booz noluit ſuſcitare ſemen Mahalon defuncti accipiendo Ruth vxorem illius in coniugem, & tamen non punitus eſt, ſicut habetur Deuteron. 25. Et ratio eſt, quia illa lex ſolum intelligebatur de fratribus defuncti, vt patet ibi ex verbis, & tamen Booz, & cognatus eius non erant fratres Mahalon defuncti: ſed cognati eius in alio gradu remotiori, vt probatum eſt ſupra, ideo non erant puniendi, licet nollent ſuſcitare ſemen defuncti. Nam fratribus licebat ſuſcitare ſemen defuncti, & cogebantur ſub pœna legis ad hoc: aliis autem cognatis licebat iſtud, tamen non obligabantur ſub pœna legis. Ratio fuit propter maiorem obligationem, quam habent fratres inter ſe quam alij cognati, cum ſint magis propinqui. Etiam quia ſecundum intentionem legis magis conueniunt illi ad ſuſcitandum ſemen quam alij cognati, cum ſint magis identificati defuncto: nulla pœna earum, quæ habetur Deuteron. 25. fuit obſeruata nunc in cognato Booz nolente ſuſcitare ſemen.

Quare calceus non fuit hic ſolutus de pede non ſuſcitantis ſemen, ſicut ſoluebatur Deuter. vigeſimo quinto. Et de differentiis duodecim, quæ erant inter iſtam ſolutionem calcei, & illam.

QVÆSTIO LXXII.

QVÆRETVR vlterius, quare calceus non fuit hic ſolutus de pede non ſuſcitantis ſemen, ſicut ſoluebatur Deuter. 25. nam ibi non ſoluitur in nolente ſuſcitare ſemen, & hic etiam.

Reſpondendum, quod non debuit ſolui hic calceus de pede cognati Booz, ſicut ſoluitur Deuter. 25. & ratio eſt, quia ibi ſoluitur in pœnam, hic autem non. Pro quo ſciendum, quod multæ differentiæ ſunt inter iſtam ſolutionem calcei, & illam. Prima eſt, quia quando ſoluebatur calceus in pœnam non ſuſcitantis ſemen: mulier, quæ fuit defuncti vxor, ſoluebat illum de pede nolentis ſuſcitare ſemen, Deuteron. 25. hic autem non ſoluebat mulier, ſed ipſemet vir ſoluit illum, & dedit cognato ſuo Booz. Secunda erat, quia illa ſolutio calcei fiebat in pœnam, & opprobrium nolentis ſuſcitare ſemen: hic autem fiebat ad confirmationem ceſſionis, ſicut dicitur in litera, quod erat conſuetudo iſta, quod ſolueret homo calceum de pede ſuo, & daret proximo, vt oſtenderetur, quod firma erat ceſſio: vnde erat iſta traditio calcei traditio iuris propinquitatis, & expoliatio calcei ſignificabat, quod tradens calceum expoliabat ſe iure cognationis, & transferebat illud in cognatum ſuum. Et ob hoc in non ſuſcitante ſemen vxor defuncti tollebat calceum, vt ſignificaretur, quod pœna erat, & inferebatur inuito, cum ab altero inferretur: nam à ſeipſo nemo dicitur proprie iniuſtum pati, quia pateretur volens, vt ait Ariſtot. 5. Ethic. circa finem, hic autem vir tollebat ſibimet calceum, vt ſignificaretur, quod ſponte faciebat: nam transferebat hic ius ſuum, & nemo cogitur ſuum ius transferre, ſed ſpontanea debet eſſe tranſlatio. Tertia erat, quia ſolutio calcei, quæ fiebat Deuter. 25. fiebat ex mandato legis: iſta autem ſolutio, de qua hic dicitur, non fiebat mandato legis, ſed ex conſuetudine introducta inter Iſraelitas. Nam ad tradendum iura ſpiritualia, quæ incorporalia, & inuiſibilia ſunt, debebant aliqua viſibilia ſigna intercidere, per quæ appareret, quod tradebantur illa iura, & ad hoc de conſuetudine introductum fuit ab antiquo, quod cedens iuri cognationis ſolueret calceum de pede ſuo: ſic dicitur in litera: hic erat mos antiquitus in Iſrael, vt quando alter alteri iure ſuo cedebat, vt eſſet firma ceſſio ſoluebat calceamentum de pede ſuo, & dabat illud proximo ſuo. Quarta erat, quia ſolutio calceamenti, quę habetur Deuter. 25. fiebat ſolum inter fratres defuncti, ſcilicet, quod vxor defuncti ſoluebat calceamẽtum de pede fratris viri ſui nolentis ſuſcitare ſemen eius: hic autem ſolutio calceamenti fiebat inter omnes cognatos, ſcilicet, quandocunque vnus alteri ſuo iuri cedebat. Quinta, quia patet Deuter. 25. quando ſoluebatur calceus nulli dabatur, hic autem dabatur proximo ſuo, cui fiebat ceſſio iuris. Et ratio differentiæ eſt, quia ibi fiebat ſolutio calcei in pœnam, & opprobrium nolentis ſuſcitate ſemẽ, ideo ſatis erat, quod ſolueretur calceus de pede ſuo ad ſignificandum iſtam ignominiam, & non oportebat, quod alicui daretur: & tamen hic ſoluebat homo calceum ſuum, & dabat illum proximo ſuo: eo quod fiebat ad tradendum ius, & quia illud ius tradebatur cognato, oportebat, quod qui ſibiipſi ſolueret calceum, daret illum cognato ad ſignificãdum, quod transferebat in eum ius ſuum. Sexta erat, quia Deuter. 25. non fiebat aliqua requiſitio ad ſoluendum calceum de pede, hic autem ſic: quod patet, quia vxor defuncti proprio iure tollebat calceum nolenti ſuſcitare ſemen, hic autem cognatus requiſiuit cognatum, vt ſolueret calceamentum de pede ſuo, & daret ſibi. Ratio eſt, quia ibi fiebat in pœnam ſolutio calcei, & non oportebat, quod admoneretur ille, cui ſoluendus erat calceus, quod ſolueret illum, quia non erat volenti auferendus, ſed inuito: hic autem cum transferretur ius per traditionem calcei, & non transferebatur ab inuito, ſed à volente, oportebat, quod admoneretur à cognato, cui cedendum erat, quod ſolueret calceum, & tunc ipſe ſponte ſoluere illum debebat, & tradere proximo ad faciendum

A dum cessionem. Septima differentia erat, quod ad hoc, quod fieret solutio calcei: Deuteron. 25. vxor defuncti admonebat fratrem defuncti, quod eam susciperet in vxorem, & si nollet, citabat eum coram iudicibus ad portam vrbis, & quærebatur à viro, an vellet suscitare semen fratris sui defuncti, & si diceret, quod nollet, mulier soluebat calceamentum de pede eius: hic autem nulla talis requisitio fiebat, sed solū si conueniretur inter cognatos, quod vnus cederet alteri iure suo: dicebat ille, cui cedendum erat cedenti, calceamentum solue de pede tuo, & da mihi, & ille faciebat hoc, vt patet in litera. Octaua erat, quia ablatio calcei Deut. 25. fiebat solum quando vnus nolebat suscitare semen fratris sui: hic autem fiebat etiam si non ageretur de cessione istius iuris, sed alterius cuiuscunque, cuius cessio esset inter cognatos. Quod patet, quia quando Booz primo quæsiuit à cognato suo, an vellet redimere iure propinquitatis possessionem, quam vendiderat Noemi, non agebatur adhuc de suscitatione seminis, & dixit cognatus Booz, quod volebat redimere possessionem. Et sicut dixit hoc, poterat dicere, quod cedebat iuri in fauorem Booz, & tunc tolleret calceum de pede suo ad faciendum, quod concessio firma esset. Nona erat, quia quando soluebatur calceus Deuter. 25. mulier spuebat in faciem viri nolentis suscitare semen, hic autem nullus spuebat in faciem alterius. Ratio differentiæ est, quia ibi fiebat discalceatio ad opprobrium, & conueniebat ei, quod spueretur in faciem
B viri, cum istud esset valde magnum opprobrium, & tamen hic fiebat discalceatio ad tradēdum ius, & istud non erat opprobrium: ideo non conueniebat, quod expueretur hic in faciem eius, qui discalceabat se ad cedendum iuri suo. Decima erat, quia Deuter. 25. soluto calceo mulier clamabat, dicens: sic fiet viro, qui non vult ædificare domum fratris sui. Hic autem nihil dicebatur, cum solueretur calceamentum. Ratio est, quia ibi fiebat ad ignominiam discalceatio in pœnam nolentis suscitare semen, ideo ad ostendendum, quod in pœnam fieret conueniens erat, quod mulier diceret, sic fiet viro, qui non ædificat domum fratris sui, scilicet, talis ignominia ei inferetur. Hic autem solutio calcei non fiebat ad ignominiam cuiusquam, sed ad ius tribuendum: ideo nihil tale dici debebat. Vndecima erat, quia cum aliquis discalceabatur, sicut habetur Deut. 25. vocabatur in æternum domus eius in Israel domus discalceati: cum autem aliquis discalcearetur, sicut habetur hic, non vocabatur domus eius domus discalceati. Ratio est, quia quod vocaretur domus alicuius domus discalceati erat ignominia pœnalis, & non debet infligi pœna de iure nisi pro delicto: ille autem, qui nolebat suscitare semen defuncti fratris sui, delinquebat faciens contra legem Deut. 25. ideo iuste eum sequebatur pœna infamiæ, & tamen tradens ius suum alteri non delinquebat, sicut hic, ideo non debebat eum consequi aliqua infamia. Duodecima differentia erat, quia qui vult suscitare semen defuncti, non
C discalceatur, sicut habetur Deuter. 25. cum pro hoc solo illa pœna infligatur, & tamen cognatus Booz poterat soluere calceamentum suum, & tradere Booz, sicut nunc fecit, etiam si ipse cognatus Booz accepisset Ruth in vxorem ad suscitandum semen defuncti. Quod patet, quia ista discalceatio fiebat ad confirmandum cessionem iuris, quæ fiebat, & tamen poterat cognatus Booz cedere ei in aliquo iure, dato quod accepisset Ruth in vxorem, & tunc solueret calceamentum de pede suo, & traderet illud Booz, quia quandocunq; fiebat cessio inter cognatos alicuius iuris, cedens dabat calceum ei, cui cedebat, vt patet in litera, & sic etiam nunc dicendum est, quod cognatus Booz non soluit nunc calceamentum de pede suo, quia ipse non suscitabat semen defuncti, sed quia cedebatur iuri successionis in bonis defuncti, quod prius competebat cognato Booz quam ipsi Booz, quod non poterat prouenire Booz, nisi cedente cognato suo.

At ille maioribus natu, & vniuerso populo: testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon tradente Noemi: & Ruth Moabitidem, vxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis. Respondit omnis populus, qui erat in porta & maiores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de semine, quod tibi dederit Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem: ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non est passus, vt deficeret successor familiæ tuæ: & vocaretur nomen eius in Israel. Et habeas, qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est, qui te diliget, & multo tibi melior est, quam si septem haberes filios. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: natus est filius Noemi: vocauerunt nomen eius Obed: hic est pater Isai patris Dauid. Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esrom: Esrom genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit Dauid regem. D 1. Paral. 2. Matt. 1 E F

At ille maioribus. Hic ponitur secundum principale huius capituli, scilicet, vxoris acceptio, & dicitur. *At ille maioribus natu, & vniuerso populo.* Scilicet, Booz dixit maioribus natu, scilicet, senioribus, & vniuerso populo, quæ sequuntur, scilicet. Testes vos estis: Postquam enim cognatus Booz transtulit ius propinquitatis in ipsum Booz, & confirmauit hoc tradendo ei calceum suum, inuocauit Booz totum populum in testes huius cessionis, & possessionis iuris, quod transferebatur in Booz, ne posset cognatus eius postea negare, quod transtulisset istud ius. Et dicitur specialiter de maioribus natu, quia isti erant digniores, & prudentiores, & testimonium ipsorum erat firmius. *Testes, inquit, vos estis hodie.* Id est, ego voco vos hodie in testes. Vel potest aduerbium hodie determinare illud verbum possederim, & iste est verior sensus. *Quod possederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon.* Id est, quod hodie cœpi possidere omnia, quæ fuerunt istorum trium, scilicet, quia hodie renunciauerat cognatus eius sibi iure suo, & transferebatur in ipsum ius illud, & illico cœpit possidere, vel quasi possidere illud ius, quia possessio translata est per traditionem calcei, vt supra declaratum est, vt patet in litera. Et dicitur, quod possedit bona Elimelech, Mahalon, & Chelion, quia isti tres erant defuncti, & proueniebant ipsi Booz bona istorum per Ruth, quam in vxorem accipiebat. Erat enim Elimelech maritus Noemi, & erat pater istorum duorum, vt patet supra primo, quomodo autem prouenirent bona omnium istorum ipsi Booz, cum solum acciperet vxorem vnius eorum ad suscitandum semen, scilicet, Ruth, declarabitur infra in quadam quæstione. *Tradente Noemi.* Scilicet, Noemi vxor Elimelech socrus Ruth, & mater Mahalon defuncti tradit mihi hæc omnia, quia penes eam manebat possessio omnium istorum bonorum. De hoc tamen declaratum est supra in quibusdam quæstionibus. Nam possessio istorum bonorum competebat Ruth, & etiam venditio: dicebatur tamen Noemi tradere omnia hæc, quia cum esset Ruth, sub potestate Noemi, etiam omnia, quæ pertinebant ad Ruth erant in potestate Noemi. Etiam erat hoc propter honorem, & auctoritatem, quia Noemi erat non quasi socrus, sed quasi mater Ruth: ius tamen erat pœnes Ruth. *Et Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium assumpserim.* Non sumpserat ante hoc Booz Ruth in vxorem, sed nunc illam sumebat. Nam quando petiuit Ruth à Booz, quod acciperet eam in vxorem dixit, quod non acciperet illam vsquequo videret, an cognatus suus vellet illam accipere, præcedenti cap. & tamen vsque nunc non renunciauerat iuri suo cognatus Booz ad non accipiendum Ruth in vxorem, ideo non poterat ante hoc illam accipere, sed

A nunc nouiter accepit. Quomodo autem dicat ſe accepiſſe illam, cum nondum appareret, an illa conſentiret in eum, declarabitur infra. *Vt ſuſcitem defuncti nomen in hæreditate ſua.* Scilicet, ad hoc accipio Ruth vxorem defuncti, vt ſuſcitem nomen defuncti: nam defunctus obierat ſine prole, ideo nomen ſuum extinguendum erat neceſſario, cum nomen conſeruetur in poſteritate, & cum Booz acciperet vxorem defuncti ad ſuſcitandum ſemen eius, ſuſcitabat etiam nomen, quia conſeruaretur nomen ipſius in poſteritate ſua. Et dicitur. *In hæreditate ſua.* Id eſt, in hæreditate defuncti maneat nomen eius: ſi enim aliquis ſuccederet defuncto, qui non eſſet filius eius, nec reputaretur tanquam filius: non diceretur nomen defuncti manere in hæreditate ſua, quia alius, qui non haberet nomen defuncti, haberet hæreditatem defuncti. Si autem filius defuncti verus, vel legalis ſuccederet ei in hæreditate ſua, continuaretur progenies eius per ſuam hæreditatem, & ſic non volebat Booz ſuſcitare ipſi defuncto nomen in hereditate ſua, quia volebat filios legales ei gignere. Cuius autem defuncti nomen ſuſcitabat Booz, ſi ſucceſſerit in bonis trium defunctorum, vt patet in litera, declarabitur infra.

Qu. 74. *Ne vocabulum eius de familia ſua ac fratribus, & populo deleatur.* Id eſt, ſuſcitatio ſeminis fiebat, vt non deleretur vocabulum defuncti de familia ſua: erat enim quilibet Iſraelita in aliqua familia, quia quælibet tribus diuidebatur per familias tres, vel quatuor, aut plures, vel pauciores, quarum numerus ponitur Numer. 26. & cum quis habeat aliquem ſucceſſorem, per quem continuaretur progenies ſua, manebat vocabulum eius in familia ſua: cum vero nullus erat ſucceſſor, delebatur vocabulum cuiuſcunq; de familia ſua: & iſtud erat idem deleri vocabulum de fratribus ſuis, ſcilicet, quod non maneret vocabulum nec progenies defuncti inter alios viuentes, qui erant fratres defuncti. Etiam delebatur vocabulum eius de populo ſuo, id eſt, quod non manebat iam nomen illius, nec memoria in populo ſuo. *Vos, inquam, huius rei teſtes eſtis.* Recipit rationem ad magis confirmandum, ſcilicet, rogo, quod vos ſitis teſtes huius rei, ſcilicet, quomodo poſſedi omnia pertinentia ad mortuos, & accepi Ruth in vxorem. *Reſpondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: nos teſtes ſumus.* Factum fuit iſtud in porta ciuitatis Bethlehem, vbi conuenerat totus populus ad iudicium, quia in portis vrbium fiebant iudicia, vt declaratum eſt ſupra, & erat ibi totus populus, & maiores natu, id eſt, ſeniores: & omnes reſponderunt, teſtes ſumus. *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam.* Hic ponitur imprecatio bonorum facta à toto populo: nam cum viderunt, quod Booz ſuſcepiſſet Ruth in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti, imprecati ſunt bona ei pro hoc. Cauſa autem infra declarabitur in quadam quæſtione, & eſt imprecatio ſuper mulierem, & non ſuper virum: ſic enim eſt in benedictionibus nubentium. Et dicitur, quæ ingreditur domum tuam, ſcilicet, ingreditur ad ſeruiendum tibi, & vt ſit vxor tua. *Sicut Rachel, & Lia, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Scilicet: Benedicat Dominus iſti mulieri multiplicando eam in prole, & proſperando eam, ſicut fecit in Rachele, & Lia, à quibus proceſſit totus Iſrael. Et dicitur, quod iſtæ ædificauerunt totam domum Iſrael, quia ab eis nati ſunt omnes Iudei, cum fuerint matres precipue duodecim tribuum Iſrael: erant enim ambæ vxores Iacob, & erant ſorores, de quo patet Geneſ. 29. & 30. *Et vt ſit exemplum virtutis in Ephrata.* Scilicet: Deus faciat eam tantum creſcere in virtute, quod ſit exemplum virtutis in vrbe Ephrata, ſcilicet, in Bethlehem: nam idem locus eſt, vt patet in litera: & imprecabantur hoc ipſi Ruth, quia cõſtat iam eam eſſe mulierem virtuoſam, & petebant, quod creſceret ſemper in virtute: ſic patet præced. cap. cum dixit Booz ad Ruth: ſcit omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, te mulierem eſſe virtutis. *Et habeat celebre nomen in Bethlehem.* Id eſt, habeat nomen famoſum in Bethlehem. Eſt idem Bethlehem, & Ephrata, ſicut multa alia loca ſunt binomia, & trinomia. Et eſt eadem ſententia cum præcedenti, vel conſequens ex illa: nam virtus eſt de honorabilibus, vel laudabilibus, & laudatur aliquis habens virtutem, habetq; nomen famoſum. *Fiatque domus tua, ſicut domus Phares.* Scilicet, domus tua multiplicetur in prole, ſicut domus Phares. Iſte fuit filius Iudæ, & ab eodem nominata eſt vna familia in tribu Iudæ: & de iſta erãt habitatores Bethlehem, vt infra declarabitur. *Quem peperit Thamar Iudæ.* Thamar fuit nurus Iudæ, & tamen genuit ex ea Phares, & Zaram: nam accepit eam Iudas in vxorem filio ſuo primogenito, quo mortuo ſine liberis, tradidit eam filio alteri, ſcilicet, Onan: & ille etiam ſine liberis mortuus eſt: promiſerat autem ei dare tertium, ſcilicet, Selam in virum, & cum veniſſet ad pubertatem, & non daretur ei, Thamar fecit ſe cognoſci à Iuda carnaliter, cum tamen eam non agnoſceret, ſed putaret eſſe ſcortum, ex vno autem coitu gemellos concepit, ſcilicet, Phares, & Zaram, vt patet Gen. 38. *De ſemine quod dederit Dominus tibi ex puella hac.* Scilicet, de ſemine, quod dederit tibi ex hac puella multiplicetur domus tua, ſicut domus Phares. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Scilicet, poſtquam dicta ſunt hæc, tulit Booz Ruth ducendo eam in domum ſuam, & accepit illam in vxorem cognouitque eam.

Quomodo dixit Booz, teſtes vos eſtis, quod acceperim Ruth Moabitidem in vxorem, & cætera.

QVÆSTIO LXXIII.

QVÆRETVR circa prædicta, quomodo dixit Booz: teſtes vos eſtis, quod acceperim Ruth Moabitidem in vxorem: cum ipſa nondum conſentiret in eum. Aliquis dicet, quod iam forte acceperat illam in vxorem, & nunc inuocabat teſtes de re præterita. Dicendum, quod non ſtat, quod non potuit ante hoc accipere illam, dato quod vellet: nam non poterat Booz accipere Ruth in vxorem quouſque conſentiret cognatus eius cedendo iuri cognationis, cum ei prius competeret: ſic enim dixit Booz ad Ruth, vt patet precedenti capitulo: & tamen nunc nouiter ceſſit ille cognatus Booz iuri propinquitatis, dicens: cedo iuri propinquitatis: ideo non potuerat ante hoc accepiſſe Booz illam in vxorem. Aliquis dicet, quod acceperat Booz Ruth in vxorem, quando venit ad eum per noctem, vt patet præcedenti capitulo. Dicendum, quod non accepit illam, ſed promiſit accipere, ſi cognatus ſuus, qui propinquior erat, non acciperet illam: eodem cap. illa autem promiſſio non faciebat matrimonium, vt ibi declaratum eſt: quia ſi matrimonium feciſſet, non eſſet poſtea in poteſtate cognati Booz accipere Ruth in coniugem: non ergo contraxerat Booz cum Ruth ante hoc. Ideo dicendum, quod nunc nouiter illam acceperit in vxorem. Et tunc ſtat ratio, ſcilicet, quomodo dicebat Booz, quod accipiebat Ruth in vxorem, cum non conſtaret ei, an illa conſentiebat. Aliquis dicet, quod conſtabat de conſenſu Ruth, quia licet tunc non conſentiret expreſſe, conſenſerat tamen iam cum ipſa petiuit, quod acciperetur à Booz in vxorem, cum iuit ad eum nocte, precedenti capitulo. Dicendum, quod ille conſenſus non proficiebat, quia tunc licet conſentiret Ruth in Booz, non conſenſit Booz in Ruth: ideo non fuit matrimonium, quia non fuit conſenſus mutuus: nunc autem licet conſentiret Booz in Ruth, non apparebat, an conſentiret Ruth in Booz, quod neceſſe erat: quia conſenſus ad hoc, quod mutuus ſit, in eodem tempore eſſe debet, & debet conſtare cuilibet contrahentium, quod alius conſentit in eum, vt ſignificet ſe conſentire: & nunc non apparet, quod ſic eſſet hic, ideo non contrahebatur per hoc matrimonium. Dicendum ergo, quod Booz dixit, teſtes eſtis, quod acceperim Ruth in vxorem, & non requiſiuit conſenſum eius: quia ad hoc, quod matrimonium contraheretur nunc inter eos non requirebatur conſenſus mulieris, ſed ſolius Booz, eo quod cogebatur mulier tenere Booz in virum ſi ille vellet eam tenere in vxorem: nam cum moriebatur quis ſine liberis, non licebat vxori ſuæ nubere alteri quouſque fratres defuncti, & alij, qui poterant ſuſcitare ſemen defuncti recuſarent eam ſuſcipere, vt patet Deut. 25. & ſi alium quemquam illa mulier prius acciperet in virum, vel fornicaretur cum eo, poterat accuſari de adulterio, vt patuit in Thamar, quæ erat vxor mortui, & ſuſcitaturus erat ex ea frater defuncti ſemen: & antequam illam acciperet in vxorem, reperta eſt prægnans, & iuſſa eſt cremari, niſi quia ipſa ſe iuſtificauit, Geneſ. 38. ideo non oportebat, quod Booz peteret conſenſum Ruth, ſed eo ipſo, quod ipſe volebat eam accipere in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti, erat vxor eius.

In portis vrbium antiquitus fiebat iudicium.

Bethlehem, & Ephrata idẽ ſunt.

Reſp. ad quæſitum.

Quomodo hic dicitur, quod Booz accepit omnia, quæ fuerant Elimelech, Chelion, & Mahalon, ad ſuſcitandum ſemen defuncti.

QVÆSTIO LXXIV.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur hic, quod Booz accepit omnia, quæ fuerant Elimelech, Chelion, & Mahalon, & Ruth ad ſuſcitandum ſemen defuncti. Quia videtur, quod ſolum debuiſſet accipere bona, quæ fuerant Mahalon: nam Booz ſuccedebat in omnibus iſtis propter ſuſcitationem ſeminis, & tamen non ſuſcitabat ſemen niſi Mahalon, cum acciperet Ruth vxorem eius, ergo non debebat accipere bona aliorum duorum. Quod autem ſuccederet in bonis iſtorum propter ſuſcitationem ſeminis apparet, quia alius cognatus Booz erat propinquior defunctis quã Booz, & competebat ei prius ius redemptionis, & ſucceſſionis in hæreditate, & cum ille vellet redimere poſſeſſionem, quam vendiderat Noemi, dixit Booz, quod oportebat, quod ſimul acciperet in vxorem Ruth, & cum ille nollet accipere Ruth in vxorem, accepit Booz eam, & cum illa totam hæreditatem iſtorum defunctorum, vt patet in litera. Dicendum quod verum eſt, quod Booz accepit ſolum vxorem Mahalon: nam vxor Elimelech erat Noemi, & vxor Chelion erat Orpha, vt
B colligitur ſupra 1. cap. non accipiebat autem Booz Orpham in vxorem, quia illa manſerat in terra Moab, vt patet ſupra 1. non accepit Noemi etiam, quia illa non erat iam apta vinculo coniugali, quia erat ſenectute confecta, vt eodem cap. ideo ſolum accipiebat vxorem Mahalon. Dicendum tamen, quod ſucceſſit in bonis iſtorum trium defunctorum, & hoc propter ſuſcitationem ſeminis, quia ſemen ſuſcitatum pertinebat aliquo modo ad omnes tres: nam Mahalon, & Chelion erant fratres filij Elimelech, & cum ſuſcitaretur ſemen Mahalon, ſuſcitabatur etiam patri ſuo Elimelech, potiſſime quia Elimelech nullum aliud ſemen habebat, niſi duos filios, ſcilicet, Mahalon, & Chelion, qui mortui fuerant, & tota hæreditas iſtorum trium erat hæreditas Elimelech, cum duo filij eius habuiſſent illam ab eo, ideo cum videretur ſuſcitare ſemen Elimelech, dignum erat, quod ſuccederet ei, & ſic eſſet ſucceſſio in omnibus bonis, quæ pertinuerant ad eum: & iſta erant bona filiorum ſuorum. Non tamen eſt intelligendum, quod vere Booz ſuſcitaret ſemen Elimelech, & quod nunc ſuccederet ei generaliter. Nam hoc non poterat eſſe propter tria. Primo, quia non poterat ſuſcitari ſemen Elimelech ab aliquo, eo quod non poterat ſuſcitari ſemen alicuius, niſi illius, qui ſine ſemine moriebatur, & tamen Elimelech non mortuus eſt ſine ſemine, quia reliquerat duos filios coniugatos quando mortuus eſt, vt patet ſupra 1. cap.
C vnde licet illi non habuerint filios, non dicebatur mori Elimelech ſine ſemine, ſed filij ſui, & ſic non ſuſcitaret ei ſemen, ſed filiis ſuis, ſicut declaratum fuit ſupra in quadam quæſtione, qua quærebatur quibus ſuſcitabatur ſemen. Secundo, quia non poterat ſuſcitari ſemen, cum vxor eius non acciperetur in vxorem à Booz, & tamen ad hoc, quod ſuſcitaretur ſemen aliquibus neceſſe erat, quod coniuges eorum acciperentur in vxores à ſuſcitantibus ſemen: Deuter. 25. & tamen Noemi vxor Elimelech, non fuit nunc accepta in coniugem à Booz, ideo non poterat Booz ſuſcitare ſemen Elimelech. Tertio patet, quia dato, quod poſſet ſuſcitari ſemen Elimelech, non poterat ſuccedere Booz ei, quia ipſe nihil habebat in quo ei ſuccederetur: nam ipſe mortuus eſt ante filios ſuos, vt patet ſupra 1. capit. & ſic ſucceſſerunt ei in omnibus: cum autem morerentur filij ſui quicunque ſuccederet, ſuccederet filiis eius, & non ſibi: & tamen quando ſuſcitabat ſemen alicuius, debebat ei ſuccedere, ideo non ſuſcitabat Booz ſemen Elimelech ad hoc, quod ſuccederet ei, nec propter ipſum habuit iſta omnia bona tanquam illius eſſent. Et cum dicitur, omnia, quæ fuerunt Elimelech, &c. dicendum, quod intelligitur mediate, ſcilicet, quod prius fuerant Elimelech deinde filiorum ſuorum, & nunc cum ſuccedebat Booz in iſtis bonis, ſuccedebat filiis Elimelech, & tamen mediantibus illis ſuccedebat Elimelech, quia bona iſta aliquando fuerant illius. Dicendum ergo videtur vno modo, quod Booz ſuccedebat directe vni iſtorum trium, quia ſuſcitabat ſemẽ: alteris autem ſuccedebat ſecundum rationem maximæ propinquitatis, ſcilicet, quod nullus erat magis propinquus, qui ſuccedere poſſet in iſtis bonis, quam ille, qui naſceretur per ſuſcitationem ſeminis, ideo ſuſcitans ſemen debebat in bonis iſtorum ſuccedere. Aliter etiam dici poteſt, quod ſuſcitans ſemen vnius iſtorum ſuccedebat omnibus tribus, quia in iſto, qui naſceretur per ſuſcitationem ſeminis ſeruabatur progenies omnium iſtorum trium, eo quod iſti tres pertinebant ad eandem progeniem, ſcilicet, pater & duo filij. Tertio poteſt dici, quod ſucceſſit iſtis tribus, ſcilicet, duobus eorum proprie: nam non poterat ſuccedere ipſi Elimelech, cum ille nulla bona nunc haberet, quia illa peruenerant ad filios ſuos, ſcilicet, Mahalon, & Chelion, & iſti duo poſtea mortui ſunt: ſed forte prius mortuus eſt Chelion, & tunc Mahalon frater eius vellet ſuſcitare ſibi ſemen accipiendo in vxorem eius Orpham, & ex hoc ſuccederet in omnibus bonis eius, & ſic bona omnium trium eſſent iam penes Mahalon, & nunc cum Booz acciperet vxorem Mahalon ad ſuſcitandum ſemen, ſuccederet in bonis iſtorum trium, quia iſta erant iam deuoluta ad Mahalon.

Cuius iſtorum trium Booz ſuſcitabat ſemen, & an omnium trium.

QVÆSTIO LXXV.

QVÆRETVR vlterius, cuius iſtorum trium Booz ſuſcitabat ſemen: nam dicitur hic quod ſucceſſit in bonis trium. Aliquis dicet, quod ſuſcitabat ſemen omnium trium, eo quod ſucceſſit tribus: nam non poterat aliquis iſto modo ſuccedere cuiquam iure propinquitatis excludendo alium magis propinquum, niſi ſuſcitaret ſemen eius, cui ſuccedebat: & tamen Booz excluſit ab ipſa ſucceſſione cognatum ſuum, qui erat propinquior, vt patet ſupra: & hoc, quia ipſe Booz voluit ſuſcitare ſemen defuncti, quod noluit cognatus eius: ergo propter ſuſcitationem ſeminis ſucceſſit his tribus: & cõſequenter erat ſuſcitaturus Booz ſemen iſtorum trium. Dicendum, quod hoc non ſtat, quia in litera dicitur, quod Booz accepit Ruth in vxorem, vt ſuſcitaret ſemen defuncti: ergo vnius tantum ſemen ſuſcitabat. Item patet, quia non poterat ſuſcitare ſemen Elimelech, quia non poteſt ſuſcitari ſemen alicuius, niſi mortuus ſit ſine liberis, & tamen Elimelech non mortuus eſt ſine liberis, quia reliquit duos filios coniugatos, quando mortuus eſt, vt patet ſupra 1. ergo ſemen non poterat ei ſuſcitari. Item patet, quia ad hoc, quod ſuſcitaret Booz ſemen eius, oportebat, quod acciperet vxorem illius Noemi in vxorem, ſed non poterat, quia illa erat ſenectute confecta, nec erat apta vinculo matrimoniali, vt patet ſupra 1. Item conſtat, quod non accepit eam in vxorem, ſed ſolum accepit Ruth, vt patet hic in litera, ideo non ſuſcitabat ſemen eius. Item patet, quia non poterat ſuſcitare F
ſemen niſi illius, cui ſuccedebat, & tamen Booz non ſuccedebat Elimelech, cum ille nihil haberet, quia omnia, quæ ille habuerat, peruenerant ad filios, cum prius ipſe mortuus fuerit: ideo ſemen illius non ſuſcitabat Booz. Item non ſuſcitabat Booz ſemen Chelion, quia ad hoc oportebat, quod acciperet vxorem eius, & tamen non accepit, quia vxor Chelion erat Orpha, ſupra 1. & illa manſit in terra Moab redeunte Noemi, cum Ruth in terram Iſrael. Dicendum ergo, quod Booz ſuſcitabat hic ſemen Mahalon, quod patet in litera, quia dicitur, quod ſuſcitabat ſemen defuncti, ſcilicet, vnius, & iſte erat Mahalon: eo quod vxorem illius, ſcilicet, Ruth accepit nunc in vxorem, ideo ſolius ipſius ſemen ſuſcitabat. An tamen ſuſcitando ſemen illius, ſuſcitaret ſemen omnium trium, non apparet: poterat enim aliquo modo iſtud eſſe, ſcilicet, quod Chelion, & Mahalon erant ſemen Elimelech, quia erant filij eius, mortuo autem Elimelech mortuus eſt Chelion, & quia ille erat frater maior, & moriebatur ſine ſemine forte Mahalon accepit vxorem illius ad ſuſcitandum ſemen eius, & non ſuſcitauit: nunc autem Booz volebat ſuſcitare ſemen Mahalon, & ſic videbatur ſuſcitare ſemen Chelion, & Elimelech, & ſic ſuccedebat omnibus tribus.

An Booz licite potuerit Ruth in vxorem accipere, cum esset Gentilis.

QVÆSTIO LXXVI.

QVÆRETVR vlterius, an Booz licite potuit accipere in vxorem ipsam Ruth.

Rationes in diuersum.

Aliquis dicet, quod non, quia Ruth erat Gentilis, & non licebat Iudæis accipere vxores de Gentilitate.

Secundo patet, quia non solum erat Gentilis, sed etiam erat de Moabitis, & tamen Moabitæ prohibebantur in æternum introire in Ecclesiam Domini, & istud erat per contractum matrimonij, vt patet Deuter. 23. ergo illicitum erat accipere Ruth Moabitidem ab aliquo Iudæo in vxorem.

Dicendum, quod licuit Booz accipere Ruth in vxorem, imo fuit laudabile.

Primo patet ex verbis ipsius Ruth, quia ipsa edocta à Noemi socru petiuit Booz in virum iure propinquitatis, præcedenti capitulo, si tamen non esset licitum, Booz accipere illam non instruxisset eam Noemi ad petendum hoc: ideo licitum erat.

Secundo patet, Booz dixit, quod verum est, quod erat propinquus, tamen alius erat propinquior, & si ille nollet eam accipere, ipse Booz sine dubio eam receperat, vt patet
B præcedenti cap. & tamen si non licuisset illam recipi non respondisset Booz, quod illam acciperet.

Tertio patet, quod Booz laudauit ipsam Ruth, quia petiuit eum in virum, dicens: benedicta filia tua Domino, quia priorem misericordiam posteriore superasti, quia non es secuta iuuenes pauperes, vel diuites, scilicet, sed me petiuisti in virum. Si tamen illicitum esset, quod petebat, non laudaretur ex hoc, ideo licitum erat.

Quarto patet, quia Booz dixit cognato suo, quod si vellet accipere hæreditatem de manu Noemi tenebatur accipere Ruth in vxorem, vt patet supra in litera: & tamen si non esset licitum illam accipere, non teneretur illam accipere, ergo erat licitum.

Quinto patet, quia ex eo, quod noluit cognatus Booz accipere Ruth in vxorem, non potuit redimere possessionem, quam vendiderat Noemi, nec poterat succedere in hæreditate defunctorum, & Booz, qui erat minus propinquus, successit in omnibus his, quia accepit Ruth in vxorem, ergo licitum erat, imo quasi necessarium illam accipere in vxorem: quia alias non priuaretur bonis, in quibus successurus erat iste cognatus Booz.

Sexto patet, quia Booz inuocauit omnes de populo in testes, quia ipse acciperet Ruth in vxorem, vt patet in litera: & tamen si licitum non esset, non inuocaret testes, quia qui malum agit vult illud abscondi iuxta illud, oculus adulteri
C diligit caliginem Iob 24. ergo licitum erat illam accipere in vxorem.

Septimo patet, quia totus populus laudauit istud matrimonium, & imprecatus est bona Booz, & Ruth, vt patet in litera: si tamen istud esset illicitum, non laudaretur Booz, nec imprecaretur aliquis ei bonum pro turpi commisso, ergo erat licitum.

Octauo patet, quia Booz fecit bono desiderio, scilicet, vt suscitaret semen defuncti, quia alias cum ipse esset vir potens, & magnarum opum in vrbe Bethlehem, vt patet supra 2. quod acciperet mulierem peregrinam in vxorem iam ab alio viro ductam, non erat magna laus: fuit ergo meritorium, & laudabile, quod acciperet Booz Ruth in vxorem.

Ad 1. ration in diuersũ.

Ad argumentum primum dicendum, quod non erat prohibitus Israelitis contractus matrimonij simpliciter cum Gentilibus mulieribus, sed cum duabus conditionibus.

Prima erat, quod non essent mulieres manentes in Gentilitatis ritu, nam in isto ritu non licebat aliquam mulierem accipere: cum autem reliquisset illum, licebat: sic colligitur Deuter. 21. cum dicitur de mulieribus captiuis de Gentilitate, quod si inter illas esset aliqua, quæ placeret alicui Israelitæ, poterat eam accipere in vxorem post vnum mensem factis quibusdam cæremoniis.

Secunda conditio erat, quod mulier illa non esset Chananæa: nam siue conuerteretur ad Iudaismum, siue non, neD quaquam poterat accipi in vxorem ab aliquo Iudæo, eo quod lex iubebat, quod omnes Chananæi viri, & fœminæ magni, & paruuli occiderentur in ore gladij: Deut. 23. Et leges, quæ vetant de Gentilibus accipere vxores, intelliguntur de Chananæis, vt colligitur Exod. 34. & Deuter. 7.

Ad 2. ration.

Ad secundum dicendum, quod Ruth erat Moabitis, & tamen non erat illicitum accipere illam in vxorem, quia lex Deuter. 23. intelligitur de viris Moabitis, & non de mulieribus, vt patet ibid. Et ratio est manifesta: nam nolebat Deus Moabitis concedere hunc honorem, quod aliqui de progenie eorum essent pars populi Hebræorum, & per hoc intrarent ecclesiam Dei: sed consequeretur hoc, si Moabitæ conuersi ad Iudaismũ possent accipere vxores de Israelitis, quia filius de progenie patris est: si tamẽ mulieres Moabitides acciperentur ab Israelitis in vxores, non sequeretur istud, quia filij non nominantur de stirpe matrum, sed patrum, ideo sic nũquam intrarent ecclesiam Dei, quia filij mulierum Moabitidarum, non erant Moabitæ, sed Iudæi: cum patres illorum essent Iudæi: filij autem virorum Moabitarum erant Moabitæ etiam si matres illorum essent Hebreæ.

Quare populus imprecabatur bona ipsi Booz.

QVÆSTIO LXXVII.

VLTERIVS quæretur, quare populus imprecabatur
E bona ipsi Booz, scilicet, quod multiplicaretur domus eius, cum accepisset in vxorem Ruth.

Dicendum, quod hoc fuit propter multa, primo, quia se habebat Booz pie respectu defuncti: nam obligabatur Booz suscitare semen defuncti, & suscitare volebat illud: erat autem magna misericordia defuncto, quod suscitaretur nomẽ eius: nam apud Hebræos, & omnes antiquos reputabatur magna infœlicitas si quis moreretur sine liberis, & quod suscitaretur semen eius, vt non periret nomen suum erat magna misericordia facta defuncto, quia per hoc putabatur viuere, qui mortuus erat, quod ergo facere vellet bonum defuncto, laudabile erat, & sic laudauit Booz ipsam Ruth, quia voluit suscitare semen defuncti petendo Booz in virum iure propinquitatis: & dixit Booz, q̃ ista erat maior misericordia, quam prima, scil. quam exhibuerat ipsi Noemi nurui suę veniendo cum ea de terra Moab comitando peregrinantem.

Infœlicitas erat antiquus mori sine liberis.

Secundo erat opus istud opus laudabile ex parte Booz, quia voluit suscipere in vxorem ipsam Ruth: nam erat Ruth mulier peregrina, & alienigena, Booz autem erat vir potens, & magnarum opum, sicut dicitur supra secundo, in tantum, quod Ruth dixit, quod non erat sicut vna de ancillis Booz, quod ergo acciperet in vxorem illam, quæ non videbatur mereri, quod esset ancilla, erat magna humiliatio Booz, & erat opus laudabile.

Tertio mouebatur populus ex consideratione differentię
F bonitatis Booz, & cognati sui: nam cognatus suus noluit recipere Ruth in vxorem, sed potius voluit renunciare iuri successionis, vt non reciperet eam: supra in litera. Booz autem recipit eam cum ille ipsam recusasset accipere, ideo erat laudabilis, & populus considerata tanta benignitate Booz imprecatus fuit ei prospera.

Quare populus imprecando prospera Booz potius de Rachele, & Lia mentionem fecerat, quam de Sara, & Rebecca.

QVÆSTIO LXXVIII.

QVÆRETVR vlterius, cum populus imprecaretur prospera Booz dicendo, quod Deus faceret vxorem suam sicut Rachelem, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel, cur potius dictum est de istis duabus quam de Sara, & Rebecca. Nam istæ ædificauerunt domum Israel, sicut Rachel, & Lia, imo principalius dici debebat de Sara, & Rebecca: nam Sara fuit vxor Abrahæ, ex quo ortum habuerunt omnes Hebræi, & natus est de ea Isaac: Genes. 21. Rebecca autem fuit vxor Isaac: ex ea autem natus est Iacob pater Israelitarum, & magis istæ duæ ædificauerunt domum Israel, quam Rachel, & Lia: nam ex Rachele non nati sunt omnes Israeli-

Iacob pater Israelitarum.

tæ.

A

tæ. Etiam ex ſola Lia non fuerũt nati omnes, quia ambæ fuerunt vxores Iacob, & ambæ pepererunt filios: Gen. 29. & 30. ca. etiam ambæ ſimul non pepererunt omnes Iſraelitas: quia aliæ duæ fuerunt vxores Iacob, ſcilicet, Bala, & Zelpha: Gen. 20. cap. & tamen Sara fuit mater omnium Hebræorum: quia ipſa fuit mater Iſaac, & omnes Iſraelitæ deſcenderunt ab eo. Sic enim dixit Deus ad Abraham, in Iſaac vocabitur tibi ſemen: Geneſ. 21. & Rebecca fuit mater omnium Hebræorum, quia ipſa peperit Iacob, ex quo nati ſunt duodecim principes, ſiue capita duodecim tribuum Iſrael, ideo quælibet iſtarum principalius quam Rachel, & Lia ædificauit domum Iſrael, & principalius nominari debebat. Dicẽdum, quod ſcriptura ſolum nominauit iſtas duas, & non Saram, nec Rebeccam, quamquã fuerint in ratione laudabiles. Et hoc propter duo, primo, quia hic dicitur de domo Iſrael, & Iſrael eſt ipſe Iacob: nam Deus mutauit nomen Iacob dicens, non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael: Gen. 32. & 35. & ſic domus Iacob erat domus Iſrael, ſed domus Iacob non fuit ædificata, niſi ab vxoribus ſuis, & iſtæ fuerunt Rachel, & Lia, & non Sara, nec Rebecca: Geneſ. 29. & 30. ideo non poterat dici, quod Sara, & Rebecca ædificauerunt domum Iſrael. Secundo fuit hoc, quia dato, quod vocetur domus Iſrael congregatio omnium Iudæorum, non diceretur conuenienter, quod Sara, & Rebecca ædificauerunt domum Iſrael, ſed melius, quod ædificauerunt eam Lia, & Rachel, eo quod Sara fuit mater omnium Iudæorum, & tamen non ſolum omnium Iudæorum, ſed etiam aliarum Gentium, quia Rebecca peperit Eſau, & Iacob: Geneſ. 25. de Iacob venerunt Hebræi: de Eſau deſcenderunt duæ gentes, ſcilicet, Idumæi, qui vocati ſunt ſic ab Edom: nam ipſe Eſau vocatus eſt Edom, vt patet Geneſ. 25. etiam nati ſunt Amalechitæ, à quodam nepote eius nomine Amalech, qui natus eſt de primogenito ſuo Elipham: Gen. 36. Iſtæ autem duæ, quæ ponuntur hic, ſcilicet, Rachel, & Lia fuerunt matres Hebræorum, & ſolum ipſorum Hebræorum: nam fuerunt vxores Iacob, & à Iacob non fuerunt aliæ Gentes deriuatæ niſi Hebræi, cum ipſe genuerit duodecim filios, qui fuerunt capita duodecim tribuum.

Sara, & Rebecca hebræorũ matres.

B

Cum ponatur hic Lia, & Rachel, quare non ponuntur etiam Bala, & Zelpha.

QVÆSTIO LXXIX.

QVÆRETVR vlterius, cum ponantur hic Lia, & Rachel, quare non ponuntur etiam Bala, & Zelpha: nam iſtæ duæ etiam ædificauerunt domum Iſrael, quia nati ſunt ab eis principes quatuor tribuum Iſrael, ſcilicet, Dan, & Nephtalim, filij Balæ: & Aſer, & Gad filij Zelphæ: Geneſ. 30. ca. & iſti faciunt tertiam partem Iſraelitarum. Dicendum, quod iſtæ ſolæ fuerunt nominatæ propter dignitatem ſuam: nam Iacob habuit quatuor vxores, ſcilicet, duas dominas, & duas ancillas. Nam Lia, & Rachel erant dominæ, Bala autem, & Zelpha erant ancillę, quia Bala erat ancilla Rachel, & Zelpha erat ancilla Liæ: Geneſ. 30. & de dominabus debuit præcipue fieri mentio. Secunda cauſa eſt, quia etiam iſtæ non fuerunt æqualiter vxores cum primis, nam Iacob accepit Rachelem, & Liam in vxores, Balam, & Zelpham ancillas earum nõ accepit, niſi ad magnam inſtantiam vxorum principalium, vt patet Geneſ. 30. Tertia cauſa fuit, quia iſtæ duæ minus pertinebant ad domum Iacob, quam Rachel, & Lia, eo quod Rachel, & Lia genuerunt filios octo, à quibus nominatæ ſunt octo tribus, & Zelpha, & Bala ſolum genuerunt quatuor: prima tamen cauſa eſt, quæ facit magis ad propoſitum.

C

Quare hic primo ponitur Rachel, quam Lia.

QVÆSTIO LXXX.

QVÆRETVR vlterius, quare prius ponitur Rachel, quam Lia: non videtur, quod prius debuerit nominari Lia propter multa.

Primo, propter multitudinem prolis, quia Lia genuit filios ſex, Rachel ſolum duos: Geneſ. 29. & 30. & 35.

Secundo, propter dignitatem filiorum: nam filij Liæ fuerunt digniores, tum quia primogenitus Iacob fuit de Lia, ſcilicet, Ruben: Geneſ. 29. & tamen primogenitus erat honorabilior inter cæteros filios, vt patet Geneſ. 49. ſcilicet, Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea prior in bonis maior in imperio: tum quia Iudas fuit filius Liæ, & tamen Iudas reputatus eſt dignior fratribus ſuis, eo quod de ipſo principes orti ſunt 1. Paralip. 5. Etiam dicitur Geneſ. 49. Iuda te laudabunt fratres tui, ſcilicet, quia ipſe eſſet præcipuus inter omnes.

D

Tertio, debuit eſſe hoc ex ordine temporis: nam Iacob prius accepit Liam in vxorem, & prius genuit ex ea. Et poſt illam accepit in vxorem ipſam Rachel, vt patet Geneſ. 29.

Quarto, debuit eſſe ex dignitate Meſſiæ, qui natus eſt de ſemine Iuda, & Iudas fuit filius Liæ.

Dicendum, quod Rachel prius nominata eſt, quam Lia propter multa.

Primo propter dignitatem, quia illa erat vera vxor Iacob, aliæ autem erant per quandam neceſſitatem: nam cum illa contraxit Iacob, & cum celebraret nuptias, & deberet introduci ad eum Rachel, per fraudem Laban patris earum introducta eſt Lia, de quo in aurora cognita fraude grauiter conqueſtus eſt Iacob: Geneſ. 29. vnde non accepit Iacob Liam tanquam voluiſſet, vel in eam conſenſiſſet, ſed quia iam eam defloraverat, & ſi non acciperet eam inferret ei violentiam forte Laban pater puellæ, & forte nollet ei dare Rachelem, ideo accepit eam etiam ſi non gratus: ipſam autem Rachelem libenter acceperat, & pro ea longo tempore ſeruierat Laban: Geneſ. 29. ideo illa erat dignior.

E

Secundo ex ordine temporis: nam dato, quod fuerit Lia vxor vera Iacob, tamen prius accepta eſt Rachel: nam cum illa deſponſata eſt Iacob, & poſtea per fraudem cognouit Liam, vt dictum eſt: & ſic iſta habet priuilegium in quantum vxor.

Tertio, ex reputatione Iacob: nam diligebat Iacob Rachelem, ſicut animam ſuam, & ſeruiuit pro ea ſeptem annis, videbanturque ſibi dies illi pauci præ amoris magnitudine, Geneſ. 29. ipſam autem Liam contemnebat Iacob, quia non acceperat eam gratis: etiam quia non erat pulchra facie ſicut Rachel, ſed erat lippis oculis, eodem cap. & ob hoc filios Rachelis magis diligebat Iacob, quam filios Liæ, ſcilicet, Ioſeph & Beniamin, vt colligitur Geneſ. 37. de Ioſeph, & Gen. 44. de Beniamin, ideo tanquam dignior Rachel præpoſita eſt.

Cum autem obiicitur ex omnibus illis, quatuor rationibus: dicendum, quod illæ, & multæ aliæ ſimiles probant dignitatem Liæ ab extrinſeco, ſcilicet, non ex perſona ſua, ſed ex filiis, vel ex aliis accidentibus: dignitas autem Rachel, ſupra declarata erat ex perſona eius, & illa magis conſiderabatur à populo, ideo ipſa præpoſita eſt.

F

Alij autem addunt aliam rationem ad dignitatem Liæ, ſcilicet, quia ipſa ſepulta eſt in ſpelunca duplici cum Abraham, Iſaac, Iacob, & Rebecca, & Sara: Geneſ. 49. Rachel autem non fuit ibi ſepulta, ſed in via, quæ ducit Ephrata circa Bethlehem: Geneſ. 48.

Dicendum, quod hoc etiam non probat maiorem dignitatem eius, quam Rachelis, quia Iacob voluerat ſepelire Rachelem in ſpelunca duplici, & tamen non potuit, quia mortua eſt Rachel in via, cum eſſet Iacob apud Bethlehem, & erat tunc tempus vernum: diſtabat autem inde Hebron, vbi erat ſpelunca duplex, & ſic non poterat portari cadauer eius illuc tam propter longinquam diſtantiam, quam propter calorem æſtiuum, quia exhalaret inde fœtor intolerabilis, tum propter curam gregium nouarum in tempore illo. Iſtam excuſationem ponit Iacob, quare non ſepelierit eam in ſpelunca duplici in Hebron, Geneſ. 48. & ſic ex hoc non excedebat Lia Rachelem, ſed in omnibus attendebat magis Iacob ad Rachelem, quam ad Liam: ſic patet quando tranſiuit Iordanem, & veniebat ei in occurſum Eſau frater eius, quem nimis timebat Iacob: Geneſ. 32. nam diuiſit greges ſuos in turmas, & filios, & vxores, vt ſi Eſau percuteret vnam turmam, miſereretur quando veniret ad aliam, vel poſſet illa interim fugere, & tunc poſuit in extremo omnium turmarum Rachelem, & filium eius Ioſeph: Geneſ. 32. & 33. in quo innuebat, quod deſiderabat magis vitam Rachelis, quam omnium aliarum vxorum ſuarum, & filiorum.

A

Quare dixerunt, fiat domus tua ſicut domus Phares.

QVÆSTIO LXXXI.

QVÆRETVR vlterius, quare dixerunt viri Bethlehem, fiat domus tua, ſicut domus Phares potius quam de altera familia, vel tribu.

Reſpondendum, quod voluerunt laudare, & imprecari bona domui Booz, & imprecati ſunt illud bonum, quod maximum, & laudabilius eſſe putabant, & quia non erat aliqua multiplicatio laudabilior de magnis multiplicationibus, quam multiplicatio totius domus Iſrael, ideo dixerunt, fiat mulier hæc, quæ ingreditur domum tuam ſicut Rachel, & Lia, quæ ædificauerunt domum Iſrael: paruæ autem multiplicationes erant multitudines familiæ cuiuſlibet. Erant autem in qualibet tribu multæ familiæ, ſcilicet, tres, vel quatuor, quarum numerus, & nomina ponuntur, Numer. 26. & quia erant viri Bethlehem de tribu Iuda, vt patet ſupra primo, cum dicatur Bethlehem Iudæ: laudabant potius tribum Iudæ quam alias, & ob hoc voluerunt nominare aliquam de familiis tribus Iuda: inter iſtas autem nulla erat dignior quã familia Phares: erant quippe familiæ quinque in tribu Iudæ, ſcilicet, familia Selaitarum, Pharesitarum, Zareitarum, Etronitarum, Amulitarum: Numer. 26. & inter iſtas iudicabatur

B apud viros Bethlehem dignior familia Phares, eo quod erant ipſi de illa: quod patet quia Booz, de quo nunc agitur, erat de Bethlehem, & tamen ipſe erat de familia Phares, vt patet infra in litera: magis autem laudant homines progeniem ſuam quam extraneorum. *Ingreſſuſque eſt.* Hic ponitur tertium huius cap. ſcilicet, prolis generatio, & dicitur. *Ingreſſuſque ad eam.* Scilicet, cognouit eam carnaliter, quia pro hoc accipitur ingredi ex modo veteris teſtamenti, ſcilicet, dicit Iacob ad Laban ſocerum ſuum, da mihi vxorem meam, quia tempus eſt, vt ingrediar ad eam, id eſt, vt cognoſcam illam: Geneſ. 29. *Et dedit illi Dominus, vt conciperet.* Scilicet, Deus fecit gratiam, cum Ruth dando ei, quod conciperet ex Booz. *Et pareret filium.* Scilicet, Obed, vt patet in litera.

Quomodo dicitur, quod Deus dedit Ruth, quod conciperet.

QVÆSTIO LXXXII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic, quod Deus dedit Ruth, quod conciperet, & an conceptio iſta fuit ſupernaturalis. Aliquis dicet, quod fuit ſupernaturalis conceptio, quia dicitur, quod Deus dedit ei, vt conciperet: quod tamen Deus dat, ſupernaturaliter fit, ideo ſupernaturalis fuit. Secundo patet, quia Booz erat ſenex, vt patet præced. ca. & forte non poterat gignere, & Deus conceſſit ei, quod gignere

C poſſet. Dicet aliquis, quod nõ ſtat, quia ſi ex hoc eſſet iſta generatio ſupernaturalis, non eſſet miraculum ex parte mulieris, quæ puella erat, & cõcipere poterat, ſed ex parte Booz ſenis, qui non poterat ſufficienter agere ad generationem, & tamen de muliere dicitur, quod Deus dedit ei, vt conciperet, & pareret filium: ergo non erat miraculum iſtud in generatione. Sed dicendum, quod iſtud non obſtat, quia poterat eſſe miraculum in generatione iſta ex parte mulieris, ſcil. quia dato, quod Ruth erat puella, tamen forte erat ſterilis, & non poterat concipere, niſi ſupernaturaliter: ſicut fuit de Sara, quando concepit Iſaac, vt patet Rom. 4. & ad Hebr. 11. Aliter poteſt dici, quod dato, quod miraculũ eſſet ex parte impotẽtiæ Booz, quia erat ſenex, tamen recte diceretur, quod Deus dedit Ruth, vt conciperet: nã dato, quod Ruth eſſet apta ad concipiendum ſobolẽ, ſi Booz eſſet impotens nõ poſſet ipſa concipere ex illo: ſi ergo conciperet erat miraculum, & Deus hoc illi dabat. Dicendũ tamen, quod hoc non obſtante non videtur hic fuiſſe miraculũ aliquod: nam non eſt ponendum miraculũ ſine neceſſitate, & tamen nõ apparet hic aliqua neceſſitas miraculi, quia Ruth erat puella, & in ætate cõuenienti ad concipiendũ: Booz etiã potens erat ad gignendũ. Quod colligitur primo, quia Ruth petiuit illũ in virũ, dicens extẽde palliũ tuũ ſuper me, præced. c. ſi tamen ex ætatis habitudine appareret impotens, non petiuiſſet Ruth illũ in virũ, quia ſuperfluum erat talem in virũ accipi. Secũdo patet ex verbis eius, quia dixit ad Ruth, quod ſi cognatus ſuus nõ acciperet illam in vxorem, certiſſime ipſe illam acciperet, præced. ca. & tamen non diceret hoc Booz, ſi præ ſenectute, vel alias ſentiret ſe impotentem ad gignendum, ideo non erat impotens. Tertio patet, quia Booz corã tota multitudine accepit Ruth in vxorem, & dixit, quod accipiebat illam ad ſuſcitandũ nomen defuncti in hæreditate ſua, vt patet ſupra in litera: ſi tamen non putaret ſe potentem ad generandum, non diceret, quod ideo accipiebat illam ad ſuſcitandum ſemen defuncti, ergo potens erat Booz: ideo nõ eſt neceſſitas ponendi miraculum in cõceptione iſta. Sed dicendum, quod dicitur, quod Deus dedit Ruth, vt conciperet, & pareret non quidem modo ſupernaturali, ſed eo modo, quo Deus cooperatur, vel facit multa, quæ naturaliter eueniunt: nam Deus dicitur dare nobis pluuiam, & etiam ſemen ſerenti, & panem comedenti, & tamen pluuia naturaliter euenit, vt in plurimũ germinatio herbarum. Etiam quia Deus dicitur dare nobis omne, quod bonum eſt, iuxta illud Iacob. 1. ſcil. Omne donum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, filij autem bonum quoddam ſunt: ideo à Deo dari dicuntur, & hoc potiſſime, quia dato quod interdum vir & fœmina ſunt potentes ad gignendum, forte non conueniunt tempore quo ſemen eorum ſit diſpoſitum ad gignendum, & non gignunt maxime quantum ad generationem filiorũ. Nam licet contingat hominem gignere, tamen quod determinate gignat filium non contingit, niſi ex certa habitudine ſeminis. Quod autem ſemen vtriuſq; ſic diſponatur, vel quod tali tempore cocant, quo ſemen ſit ſic diſpoſitum, non contingit ſemper. Quod ergo inclinentur vir & fœmina ad conueniendum illo tempore, quo ad hoc diſpoſiti ſunt, fit interdum ſpeciali Dei inclinatione, ſcil. quia mouet illos ad hoc, & tunc Deus dare dicitur filios, & ſic proprie dicitur Deus dare filios, vel tollere illos, ſicut dixit Iacob ad Rachelem Gen. 30. nam petiuit Rachel filios à Iacob, dicens, da mihi liberos alioquin moriar, & dixit Iacob: nunquid pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui? quaſi dicat, ad Deum pertinet dare filios, vel priuare illis: & ita quia cõceſſit nunc iſto modo, quod haberet Booz filium ex Ruth, dicitur quod Deus dedit Ruth, quod conciperet, & pareret filium. Quot modis autẽ dicitur Deus facere ad generationẽ, & qui illorum ſint miraculoſi, & qui miraculoſiores, dictũ eſt ſatis 4. Reg. 4. in quadã quæſt. & Iudic. 13. *Dixeruntq;* Hic ponitur 4. huius cap. ſcilicet, de prole genita congratulatio, & diuiditur in duas partes, quia primo ponitur prædicta congratulatio, ſecundo progenierum enarratio ibi. *Hæ ſunt generationes.* Circa primum dicitur. *Dixeruntq; mulieres ad Noemi.* Congratulabantur mulieres ad Noemi viduæ, & veteranæ de puero nato, quia illum haberet iam loco filiorum ſuorũ defunctorum. *Benedictus Dominus.* Id eſt, laudetur propter hoc. *Qui nõ eſt paſſus, vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ.* Quaſi dicat, ſi iſti puer nõ fuiſſet natus nullus eſſet ſucceſſor in familia tua, ſed deleretur poſt mortem filiorum tuorum, cum nullus illorum iam maneret. Et iſte puer, qui nunc natus eſt, conſeruaret nomen familiæ viri Noemi, ne periret omnino. *Et vocaretur nomẽ eius in Iſrael.* Scilicet, quod familia tua habeat nomen in Iſrael: nã ſi iſte puer non fuiſſet natus periiſſet familia Elimelech viri Noemi, & non haberet nomen in Iſrael: nunc autem cũ natus eſſet ſucceſſor in familia iſta, haberet illa nomen in Iſrael. *Et habeas, qui conſoletur animam tuam.* Scilicet, iſte paruulus natus cõſolabitur animam tuam, quia ante hoc erat mẽſta tanquam omnino vidua, & nullum habens de progenie tua, qui te conſolaretur, nunc autem iſte erit de progenie tua, & conſolaberis cum eo. *Et enutriat ſenectutem tuam.* Scilicet, ſuſtẽtet te in lætitia, quaſi dicat, ſi iſte non fuiſſet natus tu eras quaſi perdita, nunc autem iſte enutriet te in ſenectute tua conſolando te, & ſuſtentando in neceſſariis. *De nuru enim tua natus eſt, qui diligat te.* Scilicet, de Ruth, quæ eſt nurus tua natus eſt tibi iſte paruulus, qui te diligat tanquam filius, eo quod de progenie tua reputatur. *Et multo tibi eſt melior, quam ſi ſeptẽ haberes filios.* Verba ſunt conſolatoria, & ad augmentandũ lætitiam, & tamen ſecundum veritatem non eſt ſic, quia melius erat Noemi ſaltem vnum habere filium quam habere iſtum paruulum Obed, quia iſte non erat filius ſuus, ſed pertinebat ſolum legaliter ad cognitionem ſuam. *Suſceptumq; Noemi puerum poſuit in ſinu ſuo.* Scilicet, quando natus eſt, & poſtea

D

E

F

quando

A quando erat in parua ætate Noemi suscipiebat eum,& ponebat eum in sinu suo amplectens eum,& diligens tanquam filium. *Et nutricis ac gerulæ officio fungebatur.* Id est,nutriebat eũ, & in brachiis portabat: non enim enutriebat propinando ei lac,quia Noemi erat senio confecta,& lac non habebat,sicut patet sup.1.sed dabat ei cibos,& portabat eum hinc, & inde. Gerula portatrix est à gerendo dicta. *Vicinæ autem mulieres congratulabantur ei.* Scilicet, de natiuitate pueri istius mulieres,quæ erant vicinę ipsi Noemi congratulabantur ei, quasi ipsa peperisset hunc puerum. *Et dicentes, natus est filius Noemi.* Istud dicebant ad congratulationem,quia nõ erat filius eius: aliqui dicunt,quod erat filius eius legalis, de quo infra dicetur in quadam quæst. *Vocauerunt nomen eius Obed.* An mulieres congratulantes imposuerint puero istud nomen,vel pater & mater,siue Noemi non apparet: ex modo autem literæ significatur, quod mulieres congratulantes istud nomen imposuerint. *Hic est pater Isai.* Scilicet, iste Obed postea in vrbe Bethlehem genuit Isai. Iste vocatur interdum Isai sicut patet hic,& ferè in omnibus locis veteris testamenti,scil. 1.Reg.16. & 17. & 2.Reg.20.& 3.Reg. 12. & vocatur interdum Iesse, vt patet Isa.11.scilc. Egredietur virga de radice Iesse, & Matth.1. vocatur etiam Iesse. *Patris Dauid.* Nam Isai postea genuit Dauid, & non solùm illum, sed etiam septem alios filios, vt patet 1.Reg. 16. & 17. illorum minimus ætate erat Dauid, quia tamen fuit dignior, eo quod postea ascendit ad regiam dignitatem, facta est de ipso solo mentio hic.

B

Quare potius congratulatæ sunt Noemi quàm alteri.

QVÆSTIO LXXXIII.

QVÆRETVR circa prædicta,cùm natus est paruulus Obed, & congratularentur mulieres de eius natiuitate, quare potius congratulatæ sunt ipsi Noemi quam alteri, sc.Ruth matri eius,vel Booz patri suo: nam omnia verba cõgratulationis referuntur hic ad Noemi tanquam ipsa esset mater pueri. Et videtur, quod potius congratulandum erat ipsi Booz. Primò, quia plus pertinebat ad eum iste paruulus, quàm ad aliquem alium,eo quòd ipse erat pater eius: & quia congratulatio est congaudere gaudenti, quia nullus erat, ad quem magis pertineret gaudere de nato puero, quam Booz, ei congratulatio fieri debebat. Secundò, quia Booz erat in senectute,quando genuit istum puerũ, sicut colligitur ex verbis suis ad Ruth,dicendo,non secuta es iuuenes pauperes,vel diuites,quasi dicat,non secuta es iuuenes,sed me senem:ideo benedicta es à Domino, præced.c. Et quia senes valde diligunt paruulos sibi natos in senectute,sicut dicitur Gene. 37. quod Iacob diligebat Ioseph præ aliis filiis, quia in senectute sua genuisset eum, diligeret nimis hunc Booz,& consequenter de magno eius gaudio congaudendum erat. Ratio autem quare senes diligũt tenerius filios sibi natos in senectute, est, quia tunc impotentiores sunt ad gignendum,ideo difficilius gignunt: tanto autem aliqua res carior habetur,quanto difficilius attingitur. Etiam, quia in senectute est homo impotens:cùm autem gignit filium adhuc ostenditur quędam potentia in eo: gaudet tamen homo de illa re,in qua manifestatur operatio,vel virtus,sicut dicit Arist. Eth.9.quod benefactores magis diligunt bene passos,quam ab eis diligantur,eo quod in ipsis apparet operatio eorum, & virtus: senes ergo diligunt valde filios genitos in senectute,quia per illos ostenditur adhuc fortitudo naturæ ipsorum, quam ipsi summè desiderant, vt se possint conseruare: ipsi ergo Booz maximè congratulandum erat. Tertiò, propter laudem boni operis Booz: nam Booz fecit magnam misericordiam cum defuncto volendo accipere vxorem eius ad suscitandum semen illius, quod noluerat facere cognatus suus, & ex hoc fuit laudabilis valde: nunc autem natus fuerat ei filius ex eadem vxore, quòd videbatur factum ex diuina iustitia ad remunerandum bonum opus, quod ipse fecerat, ideo congratularentur ei, quòd pro bono opere eueniret ei bonum: erat etiam congratulandum ipsi Ruth, quæ pepererat paruulum: quia nullus magis gaudet de filio quàm mater, ideo cum natus esset mulieres debuerant ei congaudere potius quam ipsi Noemi,cuius non erat iste puer filius. Dicendum,quod omnibus his tribus congaudere poterant mulieres de natiuitate pueri,& congratulatio fuit facta Noemi, quia ipsa magis ex hoc confortari debebat. Nam Noemi erat in senectute, & non habebat aliquem propinquum sibi, quo consolaretur, nunc autem natus est Obed,qui censebatur nepos eius, sc.filius filij sui Mahalon ex vxore sua Ruth: nam erat filius eius legalis, ideo ipsa gaudere nimis debebat: sic dixerunt ei mulieres,de nuru tua natus est tibi, qui te diligat, & senectutem tuam enutriat,meliorque tibi est,quam si haberes septem filios. Etiam magnum gaudium erat Noemi in hoc,quia si nõ fuisset iste natus deleretur tota familia Elimelech mariti Noemi: iste autem faceret illam familiam non deleri, quia per eum extenderetur: ideo summe gauderet Noemi, quia magna afflictio erat, quod nomen alicuius deleretur de familia sua: ita magnum gaudium erat, cp suscitaretur nomen,postquam videbatur esse deletum. Istud autem non erat in Ruth, nec in Booz,quia dato,cp non nasceretur iste puer, haberent aliquid quo consolarentur: etiam non periret ex hoc nomen Booz nec Ruth,sicut peribat familia Elimelech viri Noemi, ideo magis debuerunt gaudere mulieres cum Noemi, quàm cũ Booz,&Ruth,quia illa consolatione ista potius indigebat.

D

Quare mulieres dicebant, benedictus Deus.

QVÆSTIO LXXXIV.

QVÆRETVR vlterius, quare mulieres dicebant Noemi,benedictus Deus,qui non passus est, vt deesset successor familiæ tuæ in Israel. Respondendum, quod hoc fuit, quia per istum puerum extendi debebat familia defunctorũ, quæ deleta erat: nam iste puer natus est ex suscitatione seminis, quia Booz accepit Ruth ad suscitandum semen defuncti, & natus est inde Obed, & sic per eum continuabatur familia Noemi, & si iste non fuisset natus, deficeret successor in Israel,in familia Noemi. Sed obiicietur,quod Obed continuabat familiam Mahalon,& non Noemi: quia Ruth erat mater istius pueri, & fuerat vxor Mahalon defuncti sine semine, accepitque illam in vxorem Booz ad suscitandum semen Mahalon, sicut ipse dixit,supra in litera: ideo cùm nunc natus fuerit Obed ex Ruth, succederet ille in familia Mahalon. Dicendum, quòd Noemi erat mulier, & mulieres non habebant familiam determinatam sicut viri, sed transibant in familiam virorum suorum, & quia Noemi fuerat vxor Elimelech,sup.1.c. erat de illa familia, de qua erat vir suus, & si delebatur successio familię viri sui,delebatur successor familiæ eius: nunc autẽ nato Obed restaurabatur successio familiæ Elimelech viri Noemi:ergo restaurabatur successio familiæ Noemi. Sed obiicietur adhuc, quòd non restaurabatur successio familię Elimelech,sed Mahalon,cum Ruth,ex qua natus est iste puer esset vxor Mahalon. Dicendum,quod verum est,quod directè suscitabatur hic semen Mahalon,& tamen continuabatur non solum familia Mahalon, sed etiam Elimelech: quia Mahalon erat filius Elimelech,& familia Elimelech extendebatur per Mahalon: ille autem mortuus est sine semine, ideo peribat tam familia Elimelech, quam Mahalon: nunc autem cùm suscitaretur semen Mahalon,per cp continuaretur progenies eius, continuabatur etiam familia Elimelech,& illa erat familia Noemi,ideo recte dixerũt mulieres, quod Deus non est passus, quod periret successor de familia Noemi.

E

C *Quare senes valde diligunt filios natos in senectute.*

F

An per Obed continuata sit progenies defuncti,vel per alium.

QVÆSTIO LXXXV.

QVÆRETVR vlterius,an iste Obed fuit filius,per quem cõtinuata est progenies defuncti,vel fuit alius,qui pertineret ad suscitationem seminis Mahalon. Aliquis dicet, quod non, quia si iste esset, per quem continuaretur progenies defuncti,vocaretur nomine defuncti, quia Deut. 25.dicitur, cp quando suscitabatur semen defuncti ex vxore eius, primogenitus natus ex suscitatione ista vocabatur nomine defuncti,& tamẽ defunctus vocabatur Mahalõ,& iste Obed: ergo nõ erat iste,per quẽ continuabatur progenies defuncti. Secundò patet, quia si iste pertineret ad suscitationem seminis,vocaretur filius defuncti,& non patris sui naturalis: quia

A ex hoc dicebatur ſemen ſuſcitatum eſſe defuncto, & tamen Obed non vocatur filius Mahalon, ſed Booz, vt patet infra in litera, vbi computatur progenies à Phares vſq; ad Dauid, & ponitur Obed filius Booz: ſic enim patet Matth.1. & Lucæ 3. vbi ponitur genealogia Saluatoris, & ponitur Booz pater Obed. In contrarium videtur, quod Obed fuerit, per quē continuata eſt progenia Mahalon defuncti: nam ſupra in litera dicitur, quod ſuſcepit Booz Ruth ad ſuſcitandum ſemē, & non legitur de alio filio, quem genuerit ante iſtum, ideo videtur, quod iſte ſit, per quem progenies continuata eſt. Secundò, & clarius patet, quando mulieres congratulabantur Noemi nato Obed dixerunt ei, benedictus Dominus, qui non paſſus eſt, vt deeſſet ſucceſſor familię tuæ: ergo videtur, quod iſte Obed erat ſucceſſor in familia Elimelech viri Noemi, & Mahalon filij eius, quæ erat familia Noëmi. Ad rationem primam in contrarium dicunt quidam tenentes poſitionem contrariam, quod verum eſt, quod familia Mahalon cōtinuata eſt per natos ex ſuſcitatione ſeminis Booz ex Ruth & ille, qui fuit primogenitus ex iſta ſuſcitatione vocatus eſt Mahalon, ſicut defunctus, iſte autem Obed non fuit primogenitus ex iſta ſuſcitatione, ideo nō vocatus eſt Mahalō, nec per eum continuata eſt progenies Mahalon. Sed iſtud non ſtat: primùm quia neceſſarium eſt, quòd iſte Obed fuerit primogenitus, quia quando natus eſt iſte congratulabantur mulieres ipſi Noemi de natiuitate eius, & tamen ſi alius natus

B fuiſſet ante eum, potius gratularentur de illo, quam de ſecundo, vel de aliis. Item quia ſi alius fuiſſet primogenitus, ille pertineret ad defunctum, cùm dicat lex de illo ſolo, quod deberet vocari nomine eius, & tamē iſte Obed pertinebat ad progeniem defuncti, cùm dixerint mulieres congratulando: benedictus Dominus, qui non paſſus eſſet, vt deeſſet ſucceſſor familiæ tuæ in Iſrael. Si autem alius fuiſſet primogenitus ex iſta ſuſcitatione, de illo diceretur hoc, ideo iſte neceſſariò erat primogenitus. Cùm autem dicunt iſti, quòd iſte Obed non fuit ille, per quem continuata eſt progenies Mahalon, non ſtat, vt patet ex dictis, ſc. quia dixerunt mulieres nato Obed benedictus Deus, qui non paſſus eſt, vt deeſſet ſucceſſor familiæ tuæ. Alij dicunt, q̄ iſte Obed fuit primogenitus ex iſta ſuſcitatione ſeminis, vt probatum eſt hic, & ob hoc ipſe fuit ſucceſſor in familia defuncti, & dicunt, quòd vocaus eſt nomine defuncti, & tamē Mahalon defunctus habebat multa nomina, ſc. vocabatur Mahalon, & Obed, ſicut eſt de multis aliis viris, tā in nouo, quam in veteri teſtamento, qui ſunt binomij, vel ternomij, ſicut Iacob vocabatur Iacob, & Iſrael. Ge.32. Et Eſau vocabatur Eſau, & Edon, & Seyr, vt patet Ge. 25. ſic Beatus Petrus vocabatur Petrus, & Simon Ioannis, & Bariona, & Simon, & Cephas, vt patet Mat.16. & Ioan.21. & 1. Cor.15. Iſtud erat aliqualiter tolerabile, & tamen non videtur ſatis ſtare, quia Mahalon ſæpe nominatur in hoc libro, & tamen nunquam vocatur, niſi Mahalon, & tamen ſi eſſet binomius, vel multinomius interdum quodam nomine, & interdum aliis vocaretur in ſcriptura. Aliter ergo, & melius dicendum eſt iuxta quoſdam, ſc. quod iſte Obed fuit primogenitus ex iſta ſuſcitatione ſeminis, & per eum continuata eſt progenies defuncti, ſicut in litera dicitur, & tamen non vocatus eſt nomine defuncti. Et cùm obiicitur, quod primogenitus vocandus erat nomine defuncti: dicendum quod intelligitur quando frater ſuſcitabat ſemē fratris, ſecus autem quando alij cognati. Patet hoc, quia lex Deu.25. de ſuſcitatione ſeminis dicit ſolum de fratribus, vt patet ex litera ibi, & tamen Booz ſuſcitans ſemen Mahalon, non erat frater eius, ſed cognatus, vt probatum eſt ſupra in quadam quæſtione, ideo nō erat neceſſarium, quod hic primogenitus natus ex ſuſcitatione ſeminis vocaretur nomine defuncti. Et patet hoc magis, quia ſuſcitatio ſeminis in fratribus erat ordinaria, & neceſſaria, in aliis autem erat quaſi accidentalis, quia non obligabantur ad illam, ideo multa obſeruabantur in fratribus ſuſcitantibus, vel ſuſcitare volentibus ſemen aliorum fratrum, quæ non obſeruabantur in cognatis: q̄ patet de pęna non ſuſcitantis, quia non ſuſcitans ſemen fratris ſui diſcalceabatur, & expuebatur in faciem eius: Deu.25. & tamen nunc cognatus Booz noluit ſuſcitare ſemen Mahalon cognati ſui, & non punitus eſt ſic, vt patet hic, & cauſa fuit, quia non erat frater defuncti, ſed cognatus: ſi ergo de primogenito vocando nomine defuncti intelligi poteſt. Ad ſecundum dicendum, quod

Viri binomij, & ternomij.

C

D illę, qui naſcebatur ex ſuſcitatione ſeminis, & continuebatur per eum progenies defuncti, vocabatur filius defuncti, & ſuccedebat ei in hæreditate, tanquam filius. Sciendum tamen, quòd iſte erat dupliciter filius, ſcilicet, naturaliter, & legaliter: erat enim filius naturalis illius, qui ſuſcitabat ſemen defuncti, & erat filius legalis ipſius defuncti, ideo poterit vocari filius vtriuſq; : & ſic aliquando ſcriptura vocauit aliquem filium legaliter, & aliquem naturaliter. Hic autem vocauit ſcriptura Obed filium Booz, quia erat filius illius naturaliter, & ſic etiam Matt. 1. Et tamen poterat vocari filius Mahalon, & etiam hic vocatur filius Mahalon: nam dicebant mulieres congratulantes Noemi, natus eſt filius Noemi, vt patet in litera: ſed non vocatur filius Noemi, niſi inquantum pertinebat ad Mahalon filium eius, cuius ſemen ſuſcitabat Booz ex Ruth: ideo filius vocatur etiam Mahalon defuncti. *Hæ ſunt generationes.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet progenierum deſcriptio: nam poſtquam ad finem deducta eſt hiſtoria libri huius ponitur genealogia Dauid deducta à Phares vſque ad ipſum. Et dicitur. *Hæ ſunt generationes Phares.* Phares eſt filius Iudæ nepos Iacob, & genuit Iudas Phares, & Zaram vno actu ex nuru ſua Thamar, quam putabat eſſe ſcortum: Gen.38. & cum naſcituri eſſent Gemelli, protulit vnus eorum manum de vtero, & dixit obſtetrix iſte naſcetur prius, ligauitque in manu eius filum coccineum, & ob hoc vocatus eſt Zaram, id eſt fulgens, vel ſplendens, vel oriens, & illo retra

E hente manum egreſſus eſt alius prior, vocauitque illum obſtetrix Phares, id eſt diuiſorem, quia dixit propter te diuiſa eſt materia, id eſt pellicula, eodem cap. & ibi expoſitum eſt, & de progenie Phares venerunt viri Bethlehem. *Phares genuit Eſrō.* Tota iſta genealogia, quæ hic ponitur, etiam ponitur Matth. 1. quia iſti pertinent ad progeniem Saluatoris. Iſte Eſron natus eſt in terra Chanaan antequam deſcenderet Iacob in Ægyptum, vnde Eſron fuit vnus de ſeptuaginta, qui ingreſſi ſunt Ægyptum de femore Iacob, vt patet Geneſ. 46. Sciendum, quod Phares genuit duos, ſcil. Eſron, & Amul, Gen.38. Et iſti duo fuerunt capita duarum familiarum in tribu Iuda, ſc. familiæ Eſronitarum, & Amulitarum: Nu.26. Hic autem nihil dicitur de Amul, quia ille pertinet ad aliam familiam, cùm ſit principium alterius, & caput, per quam non deriuatus eſt Dauid: Intrauerunt autem iſti duo, ſc. Eſron, & Amul in Ægyptum cum patre eorum Phares: Gen.46. & ibi mortui ſunt: quia nemo illorum, qui cum Iacob deſcendit in Ægyptum rediit in terram Chanaan, ſed omnes mortui ſunt in Ægypto antequam Ægyptii inciperent opprimere Iſraelitas, vt patet Exod. 1. Et hoc, quia ducentis, & quindecim annis manſerunt in Ægypto Iſraelitæ, vt ibidem declaratum eſt, & Gen.15. *Eſron genuit Aram.* Sic patet Matth.1. Iſte Aram natus eſt poſt deſcenſum Iacob in Ægyptum ibi in Ægypto: cùm probatum ſit ſupra, quia Eſron pater eius deſcendit in Ægyptum cum Iacob, & nunquam inde exiuit. Aram quoque filius Eſron non exiuit de Ægypto, quia non poterat vita eius

F tanto tempore extendi. Nam ipſe gigneretur non multo tēpore poſt introitum in Ægyptum, & fuit manſio in Ægypto ducentorum, & quindecim annorum, vt dictum eſt. *Aram genuit Aminadab.* Sic patet Matth. 1. Iſte etiam Aminadab natus eſt in Ægypto, & mortuus. Quod patet, quia in exitu Iſrael de Ægypto in principio anni ſecundi, ab exitu in deſerto Sinai ordinatus eſt totus Iſrael quantum ad caſtrametationes ſuas, & quælibet tribus erat ſub principe ſuo: & erant illi principes per deriuationem lineæ progenitorum à capite tribus, fuitque princeps tribus Iudæ Nahaſſon filius Aminadab, vt patet Numer. 1. & 2. & 7. Si tamen Aminadab pater eius viueret, non eſſet princeps Nahaſſon filius eius, quia proueniebat principatus iſte per lineam progeniei, & quandiu viuebat alius ſemper erat princeps: ideo viuente Aminadab nunquam eſſet princeps Nahaſſon filius eius, & tamen in exitu de Ægypto erat princeps Nahaſſon, ergo mortuus fuerat Aminadab in Ægypto. *Nahaſſon genuit Salmon.* Iſte Salmon accepit in vxorem Raab Ierichontinam meretricē, Matth. 1. & ex illa genuit Booz: & hoc quia Raab abſconderat exploratores Iudæorum in Iericho, & cum deleta eſt ciuitas, liberauerunt Hebræi illam, & totam cognationem ſuam à morte, receptique ſunt, vt viuerent inter Iſraelitas, vt patet Ioſue 2. & 6. cap. *Salmon genuit Booz.* An iſte Booz, qui genitus eſt ex Salmon ſit ille, qui genuit Obed ex Ruth, dubium

Quæſt. vlt.

A apud multos est, sed infra declarabitur in quadam quæstione. *Booz genuit Obed.* Ista generatio est, quæ intenditur in toto isto libro: nam de nullo alio agitur, nisi quomodo Ruth assumpta fuerit in vxorem à Booz, & genuerit ex ea Obed, de quo supra. *Obed genuit Isai.* Iste vocatur aliquando Iesse, & aliquando Isai: nam communiter in veteri testamento vocatur Isai, vt patet hic, & 1. Reg. 16. & 17. & 2. Reg. 20. & 3. Reg. 12. aliquando autem vocatur Iesse, vt patet Isa. 11. & Matth. 1. c. Sic multi alij viri sunt multinomij, vt supra dictum est. *Isai genuit Dauid regem.* Genuit Isai multos filios, scilicet, octo, vt colligitur 1. Re. 16. & 17. & minimus illorũ fuit Dauid, quia tamẽ ille solus fuit assumptus in regẽ, de eo scriptura curauit.

Quare istæ progenies ponuntur in fine huius libri.

QVÆSTIO LXXXVI.

QVÆRETVR circa prædicta, quare ponuntur hic progenies istæ in fine libri. Dicunt aliqui, quod hoc factũ est, vt sciretur ad quid tenebat iste liber, vel quæ erat intentio eius. Erat enim intentio libri dicere de Ruth Moabitide, quomodo accepta est in vxorem à Booz, & de progenie eius. venit Dauid: & quia historia Ruth non ponebatur principaliter propter aliud in sacra scriptura, nisi propter Dauid, vt
B sciatur vnde venerit Dauid, enarrata historia ponit quomodo Dauid descendit de Ruth, & enarratur progenies eius. Dicendum, quòd verum est, quòd propter Dauid ponitur historia Ruth in sacra scriptura, & tamen ista narratio progeniei non ponitur ad indicandum, quòd Dauid descenderit de Ruth, cùm hic ponatur progenies incipiendo à Phares. Item quia supra posuerat id per quod poterat hoc cognosci, cum dictum est, quòd Booz genuit Obed, qui genuit Isai patrem Dauid. Dicendum ergo, quòd ista enarratio progeniei facta est hic non propter historiam Ruth, de qua hic dicitur, sed propter Dauid, propter quem est ista historia: nam concluſa erat ista historia in Dauid, qui descendebat de progenie Ruth, & tamen nondum erat cognita tota eius progenies, quia ante Booz nesciebatur ordo progeniei Dauid, ideo scriptura enarrauit eam hic incipiens à Phares capite familiæ vsque ad Dauid: nam in nullo alio loco ante hoc erat descripta progenies Dauid, licèt aliqua pars eius poterat colligi ex variis libris. Fuit autem conueniens istud valde, quia Dauid fuit rex excellentissimus inter omnes reges Iudæorum, & à Deo dilectissimus: nam de eo dixit Deus: Inueni virum iuxta cor meum, primo Regum decimotertio. Et de eo est maxima pars librorum Regum, ideo conueniens fuit, vt sciretur tota eius progenies. Et quia non fuerat hucusque posita, debuit hic poni cùm hic agatur de proauis eius, potissimè, quia libri Regum sequuntur post istum librum secundum ordinem historiæ, & ibi ponuntur plura de gestis Dauid, ideo debet præmitti ad maiorem intellectionem ipsius
C Dauid progenies continuata ab exordio: & ponitur hic ista progenies, & primo Paralipomenon secundo, & Matthæi primo.

Quare progenies Dauid incepit narrari à Phares.

QVÆSTIO LXXXVII.

QVÆRETVR vlterius, quare cùm progenies Dauid enarrari debebat, incepit enarrari à Phares, & non prius, scilicet à Iacob, vel ab alio. Dicendum, quòd primus Patriarcha Hebræorum fuit Abraham, quia ipse fuit, qui primo electus est à Deo, & promissa est ei terra Chanaan, vt patet Geneſis decimosecundo: ideo licet Thare pater Abrahæ, & alij priores fuerunt proaui Hebræorum, non computantur in progenie Hebræorum, sed primus eorum est Abraham, quia in eo cœpit electio Dei, per quam Israelitæ fuerunt populus distinctus ab aliis populis terræ: ideo cum enarratur progenies alicuius Hebræi, potest incipere enarratio ab Abraham, non tamen est necessarium, quòd incipiat ab Abraham, nec ab Isaac filio eius, quia licet Abraham, & Isaac sint patres omnium Hebræorum: non tamen sunt patres solum ipsorum Hebræorum, sed etiam multarum aliarum gentiũ: quia Abraham fuit pater Agarenorum cùm genuit Ismahelem. Fuit etiam pater Madianitarum, & aliarum gentium per filios, quos suscepit de Cetura, de quibus Geneſis vigemoquinto. Isaac fuit etiam pater omnium Hebræorum, & tamen etiam fuit pater Idumæorum, & Amalecitarum, quia genuit Esau, à quo descenderunt Idumæi, & nepos illius fuit Amalec, à quo nominati sunt Amalecitæ, vt colligitur Geneſis trigesimosexto: ideo in enarratione progeniei alicuius Hebræi non oportuit esse deductionem, nisi ab illo, qui erat caput omnium Hebræorum, & solùm ipsorum Hebræorum; & iste fuit Iacob, quia ipse genuit duodecim capita duodecim tribuum Israel. Aliquando tamen occurrit aliqua progenies enarrata alicuius Hebræi ab vlteriori principio, sicut patet de Genealogia Christi, quæ secundùm Matthæum incipit in Abraham, & Lucas deducit eam vsque ad Adam ordine conuerso, & inde ad Deum, vt patet Lucæ tertio. Sed istud speciale est, quia generatio Christi non enarrabatur solum Iudæis, sed etiam Gentilibus, ideo non fuit statutum principium generationis illud, à quo secundum Hebræos consuetum est incipi, scilicet ab ipso Iacob: quia tamen manifestum erat, quòd Iacob erat princeps duodecim tribuum, & pater, cùm fit enarratio progeniei, non oportet, quòd incipiat à Iacob, vel reducatur in Iacob, sed incipiat à capite tribus, scilicet à Iuda, & Leui, & sic de aliis. Hic autem dicendum, quòd incepit generatio à Phares, quia ante illum nota erat generatio, scilicet, quòd Phares esset filius Iudæ quem genuit ex Thamar, vt dicitur supra in litera: Iudas autem erat filius Iacob: post Phares autem ignotum erat, quomodo extenderetur progenies, ideo incepit à Phares. Alia etiam causa fuit, quia cùm Phares esset caput illius familiæ, de qua erat Dauid, satis erat, quòd inciperet generationis enarratio à Phares. Alia causa est propter affectionem istorum, quorum enarrabatur progenies, quia maximè afficiebantur ad Phares, cùm essent de familia illius, & patet, quia cùm imprecarentur bona ipsi Booz viri Bethlehem, dixerunt ei, fiat domus tua, sicut domus Phares, vt patet supra in litera, sed prima causa est potior.

D E

Quare ista progenies continuata est vsque ad Dauid.

QVÆSTIO LXXXVIII.

QVÆRETVR vlterius, quare progenies ista continuata est vsque ad Dauid, & non vltra. Respondent quidam, quòd factum est propter scriptorem libri, scilicet, quia scriptor eius vidit ipsum Dauid, quia fuit contemporaneus ei, & non vidit alios reges de stirpe eius. Et hoc patet, quia creditur scriptor fuisse Samuel: & tamen manifestum est, quòd mortuus est Samuel viuente Dauid, vt patet 1. Regum 25. ideo non potuit scribere hic generationem successorum Dauid. Sed dicet aliquis, quòd non fit propter scriptorem: nam scriptor libri huius non fuit Samuel: quod patet, quia
F hic dicitur, quod Isai genuit Dauid regem, & tamen manifestum est, quòd Samuel non vidit Dauid quando erat rex: quia mortuus est Samuel cum esset Dauid profugus à facie Saulis, scilicet, quando Dauid erat in deserto Carmeli, & voluit delere domum Nabal Carmeli, vt patet 1. Regu. 25. cap. & postea mortuus est Saul, & deinde regnauit super Iudam ipse Dauid, vt patet 2. Reg. 1. & 2.

Dicendum est, quòd sicut declaratum est in prologo huius libri, & est communis opinio, Samuel fuit scriptor libri huius. Et cùm obiicitur, quòd non potuit ipse Samuel videre Dauid, quando regnabat ad hoc, quòd scriberet eum esse regem. Dici potest vno modo, quòd Samuel potuit scribere Dauid esse regem, quia licèt non vidit eum in possessione regni, tamen sciebat, quòd regnaturus erat, quia ipse hoc prædixerat, vt patet primo Regum decimo quinto. Et postea mortuus explicuit illud, eo. li. ca. 28. Etiam vidit Samuel ipsum Dauid esse regem, quia vidit eum vnctum in regem cùm ipse illum vnxerit, vt patet 1. Reg. 16. & vnctio illa conferebat ei titulum, cùm præcepto Dei facta fuisset. Alio modo potest dici, quòd Samuel scripsit istum librum, & ipse non vidit Dauid esse regem, nec scripsit ipsum esse regem, sed ista particula addita est ab Esdra, qui reparauit omnes libros legis combustos à Chaldæis, & sic in multis aliis libris putatur scripsisse addendo aliquos versiculos. Istud autem

verisimi-

A

verisimilius est, quam præcedens: nam dato, quod Samuel vnxisset Dauid in Regem, non scriberet hic eum tanquam regem, eo quòd nondum constabat eo viuente, quòd Dauid esset rex, & legentes librum istum non intelligerent quomodo diceretur Dauid esse rex, cùm non viderent eum regnare. Item, & potissimè, quia Samuel nolebat indicare istud timẽs Saulem: nam quando iussit Deus, quòd Samuel iret ad vngendum Dauid in Bethlehem dixit Samuel, quòd audiret hoc Saul, & interficeret eum, & ob hoc iussit Deus, quòd Samuel portaret vitulum fingens, quòd ibat ad immolandum Domino in Bethlehem 1. Regu. 16. cap. non ergo declararet, quòd Dauid erat rex describens hoc in libro isto, sed Esdras istud addidit. Et sic satis potest stare responsio ista, scil. quòd non fuit continuata progenies vltra Dauid, quia non potuit vltra describere huius libri scriptor. Dicendum ergo, quòd continuata fuit hic progenies vsque ad Dauid, quia tota intentio libri istius erat propter Dauid, scilicet, quòd sciretur, quòd de Ruth Moabitide descendisset Dauid, ideo etiã progenies hic descripta narrabatur propter Dauid, & sic necessarium erat ad ipsum peruenire. Cùm autem non fuerit vltra continuata progenies ista, dici potest dupliciter: vno modo, sicut supra, scilicet, quod non potuit scriptor libri plura describere, eo quòd viuente Dauid obiit, & non vidit successores eius. Secundo potest dici, quòd factum est, quia habito fine cessat motus. Erat enim intentio libri tota ostendere de

B

Dauid quomodo descenderet de stirpe Ruth, & ob hoc etiam progenies ista descripta est, scilicet, vt sciretur tota progenies Dauid ab exordio. Cùm ergo sic enarrando proueniretur ad Dauid, ibi standum erat. Nam si continuaretur vltra, putaretur, quòd introducta esset propter illum, in quo concluderetur, & sic non putaretur introducta propter Dauid. Et hoc verisimilius est: nam si solum cessasset enarratio in Dauid, quia scriptor non vidit successores Dauid, poterant poni omnes alij successores Dauid vsque ad captiuitatem Babylonis, cùm Esdras, qui addidit hic quandam particulam, scilicet, quòd Dauid esset rex, sicut supra declaratum est, poterat ponere omnes successores Dauid vsque ad captiuitatem Babylonis, quia omnes illi fuerunt ante Esdram: & tamen neminem illorum posuit, ideo videtur dicendum, quòd non fuerunt positi alij, quia generatio ista solùm enarrabatur propter Dauid.

Quomodo Dauid descendit de stirpe Phares, & Esron.

QVÆSTIO LXXXIX.

QVÆRETVR vlterius, circa istam enarrationem progenies, quomodo dicitur, quòd Phares genuit Esron, & Esron genuit Aram, & sic ponitur Dauid descendisse de stirpe Phares, & Esron, & tamen istud non est possibile, quia familia Phares est distincta à familia Esron: nam in tribu Iuda ponuntur quinque familiæ Num. 26. cap. Scilicet, Pharesitarum, Esronitarum, Zareitarum, Amulitarum, & istæ familiæ erant distinctæ; ideo, qui erat de vna familia, non poterat esse de altera: & sic si erat Dauid de filiis Phares, nõ erat de filiis Esron. Aliquis dicet, quod cum Esron esset filius Phares, vt patet hic, familia denominata ab Esron esset pars quædam familiæ nominatæ à Phares, & sic poterat quis esse in familia Esron, & Phares. Sic est de tribu, & familia, quia in qualibet tribu sunt multæ familiæ, & tamen quælibet familia est pars tribus, & qui est de aliqua familia est de tribu. Dicendum, quòd hoc non stat, quia pars & totum non connumerantur, sicut nec vniuersale & particulare, & tamen familiæ, quæ sunt sub qualibet tribu connumerantur, quia ponuntur in tribu Iuda esse quinque familiæ, ideo oportet, quòd differant inter se, quia alias non essent quinque familiæ, sed vna: sicut homo, animal, corpus, & substantia sunt quatuor, sed vnum, quia non connumerantur. Et cùm dicitur de tribu respectu familiæ, dicendum, quòd non est simile, quia verum est, quòd quilibet, qui est sub familia aliqua, est sub tribu, & tamen non connumerantur inter se tribus, & familia, ita quòd tribus, & familia distinguantur, & sint duo; sed sunt tanquam totum, & pars: secus autem est de familiis eiusdem tribus inter se, quia connumerantur, & condiuiduntur, sicut pars contra partem, ideo necessarium est dicere, quod familia Phares, & Esron sint distinctæ; ita quòd illi, qui sunt de

C

familia Esronitarum non sunt de familia Pharesitarum. Quidam dicunt aliter, sicut respondebatur Num. 26. & sæpe alibi, scilicet, quomodo pater, & filius possunt constituere diuersas familias: nam familia patris continuatur per filium, & si filius nominare deberet aliam familiam, iam non esset aliquis, per quem continuaretur familia denominata à patre suo, & sic periret. Et dicunt, quòd quando pater habet vnicum filium, non potest pater nominare vnam familiam, & filius alteram, quia iam non esset per quem continuaretur familia patris: si tamen pater habeat multos filios, potest pater nominare vnam familiam, & quilibet filiorum alteram præter vnum, per quem continuetur familia patris, & sic est de multis, vt patet Num. 26. Et tamen dicendum, quod hoc non satisfacit in præsenti, quia istud est ad hoc, quòd familia Esron possit esse distincta à familia Phares, licet Phares si pater Esron, & tamen deberent adhuc manere distinctę istę familiæ, ita quòd ille, qui esset de familia Phares, non esset de familia Esron, & è contrario: & tamen hic ille, qui erat de familia Phares est de familia Esron, cum Aran sit de familia Phares, & etiam est de familia Esron, cùm dicatur esse filius eius. Dicendum, quod adhuc non concludit, quia licèt quis sit filius Phares, non est de familia eius, quòd patet ex casu dato: poterit enim quis habere octo filios, & nominabitur vna familia à patre, & illa continuabitur per vnum de filiis suis: à reliquis autem septem filiis nominabuntur septem familiæ: & tamen manifestum est, quòd quilibet descendens de quacunque istarum septem familiarum descendit à patre istorum octo virorum, à quibus nominatæ sunt septem familiæ, & tamen non est quilibet de familia illa, quam denominat pater omnium istorum, eo quòd familia denominata ab isto non continuatur per omnes filios suos, sed solum per vnum. Istud poterat esse in præsenti, scilicet, quòd esset Phares pater Esron, & haberet alios filios præter eum, & familia Pharesitarum non continuaretur per Esron, sed per alios, & ab Esron deriuaretur alia familia, & sic filij Esron essent filij Phares, & tamen non essent de familia Pharesitarum, sed de familia Esronitarum. Sed adhuc obiicietur, quia Phares habuit solùm duos filios, scilicet Esron, & Amul Genes. 38. & à quolibet istorum denominata est vna familia, scilicet Esronitarum, & Amulitarum. Num. 26. quomodo ergo poterit familia Pharesitarum esse distincta à qualibet istarum, quia non habebat Phares alios filios, per quos continuaretur progenies sua? Dici potest, quòd habebat alios filios præter Esron, & Amul, per quos continuaretur sua familia. Nec obstat, quòd Genesis 38. isti soli ponantur, quia locus ab auctoritate negatiuè non valet, potissimè, quia sacra scriptura interdum multa omittit. Sed adhuc obiicietur, quòd non habuerit plures filios Phares, quia Genes. 46. ponitur numerus omnium descendentium in Ægyptum cum Iacob, & de filiis Phares non ponuntur, nisi Esron, & Amul, ideo non erant plures, quia si plures fuissent, plures exprimerentur ibi, cùm ponatur ibi numerus præcisus. Dicendum, quod etiam hoc non probat, quia licet Phares ante introitum in Ægyptum non habuerit nisi Esron, & Amul, poterat postea gignere alios filios, qui non computarentur inter descendentes. Et hoc potissimè, quia Phares erat valde iuuenis, quando descendit in Ægyptum cum Iacob: nondum enim erat annorum 24. vt declaratũ fuit Gen. 38. Aliter potest dici, quòd dato, quòd Phares haberet duos filios solum, poterat nominari ab eo vna familia, & à quolibet filiorum alia. Et si dicatur, quod non erat ibi aliquis, per quem continuaretur familia paterna; dicendum, quod oportebat, quòd aliquis filius istorum haberet rursus multos filios, & per vnum illorum continuaretur familia paterna, & per alium familia aui, sicut si Esron haberet multos filios, quidam de filiis eius nominarentur de familia Esron, & alii de familia Phares, & tamen omnes essent filij Phares: & sic poterat esse in præsenti.

D

Quia potest esse filius alicuius et non esse de familia eius.

E

F

Quomodo stat, quod Salmon genuit Booz, & Booz Obed cum ambo essent decrepitæ ætatis.

QVÆSTIO LXXXX.

QVÆRETVR vlterius, cùm dicatur hic, quòd Salmon genuit Booz, & Booz genuit Obed, quomodo põt stare hoc: nam tunc necessarium esset, quod tam Salmon, quam

Booz,

A

Booz, quando gigneret esset quilibet plus quam centum annorum, imò plusquam centum & viginti, quod est valde inconueniens, quia nullus homo in tanta ætate erat potens ad gignendum, & non solum hoc, sed etiam rari perueniebant ad istam ætatem illo tempore, sicut & isto: consequentia patet, quia natiuitas Obed ponitur communiter fuisse tempore Heli iudicis Israel, & summi sacerdotis: sic enim vult Iosephus. 2. Antiq. Salmon autem accepit Raab Ierichontinam in vxorem, ex qua natus est Booz in introitu Israel in terram Chanaan, vt patet Iosu. 6. cap. quia tunc ipsa recepta est inter Israelitas, & tamen inter vtrumque tempus fuerunt plures, quam ducenti & 40. anni, ideo necessarium erat, quod vterque istorum quando gigneret esset plusquam centum & viginti annorum. Patet hoc, quia ab exitu de Ægypto vsq; ad fundationem templi Salomonis fuerunt anni quadringenti, & octoginta, & patet 3. Regu. 6. à quibus subtrahantur 40. anni ab exitu de Ægypto vsque ad introitum in terram Chanaan: (nam illico post introitum in terram Chanaan capta Iericho, quæ fuit prima ciuitas, quæ capta est in terra Chanaan, vt patet ex processu libri Iosue à principio vsque ad 7. capit.) subtrahantur etiam 30. anni ad plus de tempore Heli summi sacerdotis, & iudicis: (nam peregrinatio Elimelech facta est in diebus cuiusdam Iudicis, supra 1. cap. & dicitur iste fuisse Heli, durauit autem decem annis, supra primo, & post reuersionem accepta est Ruth in vxorem à Booz, & peperit

B

Obed, de quo hic, & sic ad minus transierunt 10. vel 11. anni de tempore Heli Iudicis, & Sacerdotis: ipse autem iudicauit annis 40. vt patet 1. Reg. 4. ideo ad plus subtrahantur 30. anni de tempore eius:) deinde subtrahantur 40. anni Saulis Actu. 13. & postea 40. anni regni Dauid 2. Reg. 5. & 3. Reg. 2. & tres anni de regno Salomonis quia in principio 4. anni regni Salomonis fuit fundatum templum: qui sunt simul anni 153. qui subtrahantur de 480. manebũt 300. & 27. diuidendo ergo istos per Salmon, & Booz, necessariumerit, quod quilibet istorum haberet annos plures, quam centũ & sexaginta tres: quod videbatur impossibile, quia nullus hominum ad tantam ætatem accedebat. Et dato, ꝙ quis attingeret eam, nõ esset quis potens gignere in tali ætate. Dicit ergo Nicolaus, & quidam de doctoribus nostris, quòd fuerunt tres viri eiusdem nominis, scilicet Booz auus, pater, & filius, & primus eorum fuit filius Salmon, & ille genuit alterum Booz, qui subticetur hic: & ille Booz, qui subticetur genuit Booz patrem Obed, & isti tres conuenienter implerent tempus istorum 327. annorum cum Salmon, & sic poterit litera stare; & sic tenet Nicolaus hic, & etiam super Matth. cap. 1. probat hoc per simile: nam sic Matth. 1. in Genealogia Saluatoris subticentur alii tres, scilicet Ochozias, & Ioas, & Amasias. Nam dicitur, Ioram autem genuit Oziam. Et tamen Ioram non genuit Oziam, sed Ochoziam, & ille genuit Ioas, & Ioas genuit Amasiam, & Amasias genuit Oziam, vt patet 4. Reg. 11.

C

& 8. & 14. & 2. Paralip. 21. & 22. & 25. sicut ergo subticentur illi tres reges, ita subticebuntur tres viri Booz, vel duo in prima parte Genealogiæ Saluatoris: Matth. 1. & hic. Dicendum quòd licet hoc multis videatur stare, tamen falsum est: & causa est, quia ipsi nesciunt dissoluere inconueniens, quod videtur sequi si ponatur vnicus Booz: & tamen dicendum est, quòd vnicus fuerit, scilicet, qui fuit pater Obed, & filius Salmon. Modus autem, quomodo litera stet conuenienter, est iste, sc. quòd non astringamus nos ad hoc, quòd fuerit historia Ruth tempore Heli summi sacerdotis, sed tempore alicuius iudicis multo ante eum, & dicemus, quòd historia Ruth accidit diebus Gedeonis Iudicis Israel, & cœpit anno Barac vltimo. Et computabitur sic, quòd Salmon filius Naason natus fuerit ante exitum de deserto decem, vel viginti annis, & acceperit Raab Ierichontinam in vxorem in introitum in terram Chanaan, & fortè genuit ex ea multos, & tamen genuit ex ea Booz in fine omnium, cum iam esset annorum nonaginta duorum, vel trium: & tunc ẽt esset apta ad gignendum Raab, quia forte in introitu in terram Chanaan ipsa esset puella tenera quindecim annorum, licet dedita impudicitiæ, & cùm esset annorum 87. conciperet Booz ex Salmon: nam Sara quando concepit Isaac, erat annorum nonaginta, & non fuit miraculum in conceptione propter maximam senectutem, sed quia desierant fieri Sarę muliebria. De hoc Gen. 17. & decimo octauo, & vigesimo primo. Postquam ergo Raab in anno 87. conciperet, deinde Booz filius Salmõ anno 98. vitæ suæ ex Ruth, quæ erat iuuencula poterat gignere Obed, & istud esset tẽpore Barac iudicis Israel. Quod patet computando ab introitu in terram Chanaan septuaginta duos annos, post quos gigneretur Booz ex Salmon cõstituto in nonaginta & duobus annis, & ex Raab, quæ octoginta septem annorum, & addantur illis nonaginta, & octo anni in qua ætate Booz gigneret Obed ex Ruth, qui sunt simul centum & septuaginta anni, computentur totidem per tempora Iudicum, scilicet quadraginta anni primi iudicis, scilicet Othonielis, Iudicum tertio, sub quibus etiam comprehenditur totum tempus, quo Iosue rexit populum, & tẽpus medium inter Iosue & iudices: sic declaratum est ibidẽ: & postea anni octoginta, qui computantur sub Aod secundo iudice, eodem capitulo, & quadraginta anni sub Barac: Iudicum quarto. Nam sub Samgar non computantur aliqui anni, sed tempora sua colliguntur sub Barac: & sunt isti anni simul centum & sexaginta: accipiantur anni decem de diebus Gedeonis, qui etiam quadraginta annis iudicauit, vt patet Iudicum octauo: & sic dicetur, quòd tempore Gedeonis anno decimo, vel quasi potuerit esse generatio Obed, & principium peregrinationis eius fuit in principio dierum Gedeonis, vel in fine dierum Barac. Nam illa peregrinatio durauit decem annis, vt patet supra primo: deinde dicitur, quòd Obed nonagintaocto annorum, vel quasi poterat gignere Isai patrem Dauid, & Isai gigneret Dauid anno octuagesimoquinto, vel quasi vitæ suæ, & isti anni omnes coniungendo cum præcedentibus sunt anni trecenti quinquaginta & sex, scilicet septuaginta duo anni Salmon post introitum in terram Chanaan, & nonaginta octo Booz, & totidem Obed, & octoginta quinque Isai: qui subtrahantur de quadringentis octoginta, qui fuerunt ab exitu de Ægypto vsque ad fundationem templi Salomonis 3. Regum. 6. manebunt 124. anni, de quibus rursus fuerunt subtrahendi quadraginta, scilicet, qui fuerunt ab exitu de Ægypto vsque ad introitum in terram Chanaan, manebunt octoginta & quatuor anni; de quibus subtrahantur quatuor anni ferè, qui transierunt de regno Salomonis, quando fundatum est templum tertio Regum sexto, & quadraginta, quibus regnauit Dauid, secundo Regum quinto, & tertio Regum secundo, manebunt alij quadraginta anni: & isti fuerunt, qui asscribuntur regno Saulis Actorum decimo tertio, & hoc modo, quando cœpit regnare Saul, vel quando cœperunt computari quadraginta anni sub eo fuit natiuitas Dauid, & erit tunc totus numerus completus, & coformatus numerus generationum numero temporis: & tamen non debet dici, quòd Dauid natus fuerit primo anno regni Saulis, quia tunc anno, quo moreretur Saul esset Dauid quadraginta annorum: & tamen falsum est, quia erat illo anno triginta annorum. Quod patet, quia illico, vt mortuus est Saul, vnctus est Dauid in regem super Iudam, vt patet secundo Regum primo & secundo, & tamen quando vnctus est in regem super Iudam erat annorum triginta 2. Regum. 5. ideo dicendum, quòd decem anni erant transacti de regno Saul, quando natus est Dauid, & tamen nondum regnabat Saul, sed iudicabat Samuel: & tamen tempora Samuelis, & Saulis computantur in illis quadraginta annis, qui ascribuntur Sauli: Actu. 13. & de istis iudicauit Samuel amplius viginti annis, de quibus patet 1. Regu. septimo. Iosephus autem sexto Antiquitatum, & septimo in principio dicit fuisse decem & octo annos regni Saulis, & sic manent viginti duo pro Samuele, quod satis conueniens est. Isti autem decem anni diuidentur per generationes præcedentes dando cuilibet duos, vel tres annos: & sic stabit numerus ex omni parte conueniens; & non oportebit dicere, quòd fuerint tres Booz, quia litera non innuit, sed est diuinare. Sed dicetur, quòd ista computatio generationum ad implendum numerum annorum est ficta, & à voluntate propter duo, vel tria. Primò, quia ponuntur isti generare in tanta ætate, in qua fortè non poterant gignere. Secundo, quia dato, quòd possent gignere in tanta ætate, tamen non est verisimile, quòd in illa gignerent, sed potius in minori ætate. Tertiò, quia dato, quod in tanta ætate gignerent, isti essent geniti in minori ætate, cùm sint primogeniti, per quos texitur linea patrum, cum tam hic, quàm 1. Paralipomen. 2. & Matt. primo, ponantur ad enarrandum generationem patrum,

D

E

F

Opinio Nicolai refellitur

A trum,& iſtud competit primogenitis. Dicendum,quod non ſequitur aliquod iſtorum inconuenientium, nec eſt fictio aliqua,ſed neceſſitas ad ponendum generationem in tanta ætate, quia alias non poſſet ſtare, quod iſti ſoli,qui ponuntur complerent generationem iſtam,ſed neceſſarium erit dicere aliquos taceri,quod non eſt conueniens. Ad primum inconueniens dicendum, quòd iſti poterant gignere in tanta ætate,quia in maiori ætate generabant alij,quia Abraham,quando genuit filios ſuos ex Cetura, erat annorum centum quadraginta, & plus, vt probatum eſt Geneſ.25. Et non fuit aliquod miraculum in generatione illa, quia ſolum ponitur miraculum in generatione Iſaac, quem concepit Sara,vt patet Gen. 18.& ad Rom. 4.& ad Hebr. 11. Ideo à fortiori poſſent iſti gignere anno octogeſimo octauo: & iſtud poſſet faciliter eſſe accipiendo iuuenculas in vxores: nam ſenes non poſſunt gignere ex veteribus, & tamen ſi accipiant iuuenculas in vxores poterunt gignere: & ſic dicit Auguſtinus, quod Abraham potuit gignere ex Cetura in magna ſenectute naturaliter, cùm ex Sara in minori conſtitutus ætate gignere non potuiſſet,ſcilicet, quia Sara erat veterana, ſicut Abraham, & Cetura, de qua poſtea genuit ſex filios, quæ erat iuuencula. Cauſa autem, quare poteſt gignere vir ſenex de iuuencula, & non de veterana poteſt eſſe multiplex. Prima, quia in magna ætate deſinunt mulieribus fieri menſtrua, & tunc impoſſibilis eſt conceptio naturaliter: ſic fuit de Sara, nam dicitur Geneſis decimo octauo, quod erant Abraham, & Sara prouectæ ætatis, deſierantque Saræ fieri muliebria. Secunda eſt, quia ad hoc, quod mulier concipiat, oportet, quòd menſtruum muliebre digeratur, & formetur à ſemine maſculino. Digeſtio autem fit per calorem ſeminis maſculini: ideo inſurgunt tunc duo impedimenta: primum ex parte viri, quia ſemen ſenis eſt debilis caloris, & non valebit digerere,nec formare menſtruum muliebre ad organizandum inde fœtum. Secundum eſt ex parte mulieris veteranæ.Nam menſtruum muliebre eſt aliqualiter frigidæ naturæ, & valde humidæ, & quantò magis mulier declinat ad ſenectutem, tantò menſtruum frigidius eſt, & difficilius formabitur: ſi autem ſenex accipiat iuuenculam in vxorem propter calorem ætatis menſtruum eſt calidæ complexionis, & modicus calor ſeminis virilis ſufficit ad digerendum, & formandum menſtruum muliebre in fœtum: ideo ſenex poterit gignere ex iuuencula: dum tamen non ſit valde ſenio infrigidatus. Nam ad tantum defectum virtutum naturalium propter ætatem poteſt aliquis deuenire, quòd ex nulla fœmina quantumcunque iuuencula gignere poſſit, etiam ſi poſſit ſemen emittere: nam facile eſt homini in quacunque ætate calefacto ſaltem artificialiter ſemen emittere, & tamen illud tam defectuoſum eſſe poterit, quòd nullo modo proficiat ad generationem. Sic etiam eſt de menſtruo muliebri: nam licèt mulier veterana non poſſit concipere de ſene, poterit concipere de iuuene, quia in illo propter ætatis calorem, & fortitudinem exceſſus caloris ſeminis maſculini contemperabit ſemen fœmininum,etiam ſi ſit frigidum, & fiet inde conceptus: in tanta tamen frigiditate,vel indiſpoſitione poteſt interdum eſſe ſemen menſtruum muliebre,quòd à nullo ſemine virili quantumcunque calido poſſit digeri, & formari. Et in tali ſtatu mulier concipere naturaliter non poteſt, & tunc vocatur corpus mulieris emortuum. Sic dixit Apoſtolus ad Hebræ. vndecimo, quòd Abraham non conſiderauit emortuam vuluam Saræ. Poterat ergo ſenex gignere de iuuencula, qui alias non poterat gignere de veterana, propter calorem nimium ætatis. Quòd autem ſit nimis calor iuuencularum patet, quia quando Dauid infrigidatus erat, ita vt opertis veſtibus non calefieret, quæſiuerunt ei ſerui ſui adoleſcentulam nomine Abiſag, vt dormiret in ſinu eius, & calefaceret eum, tertio Regum primo. Iſtud autem poterat eſſe in omnibus iſtis præterquam in Salmon, cuius vxor erat annorum octoginta & ſeptem, vel ferè, quando concepit Booz, vt ſupra declaratum eſt: & tamen in aliis poterat eſſe. Et patet hoc de Booz: nam ipſe accepit Ruth in vxorem, quæ erat iuuencula, & vocatur puella ſupra in litera. Ad ſecundum inconueniens, quando dicitur, quòd dato, quòd poſſent gignere in tanta ætate, tamen non eſt veriſimile, quòd tunc gignerent. Dicendum quòd non ſolùm eſt ſatis veriſimile, imò etiam eſt verum, quia manifeſtum eſt, quòd Booz ſenex erat, quando accepit nunc Ruth in vxorem,& genuit ex ea Obed: vnde ipſe dixit: benedicta tu filia à Domino, quia non es ſecuta iuuenes pauperes,aut diuites, ſed ſecuta eſt ipſum,ergo ipſe non erat iuuenis. Sic etiam patet de Iſai patre Dauid: nam in ſenectute ſua ipſe genuit Dauid, quia quando Dauid erat paruulus,& paſcebat greges, erat Iſai pater eius grandæuus,vt patet 1.Regu.13. Ad tertium inconueniens, cùm dicitur, quòd dato, quòd aliquos filios generarent iſti in tanta ætate, tamen non eſſent iſti, de quibus loquitur hic,eo quòd iſti erant primogeniti, ſicut patet de Obed, qui fuit primogenitus, & per eum continuata fuit linea Mahalon defuncti. Dicendum, quòd non fuerunt iſti, qui ponuntur hic, primogeniti, ſed fortè vltimi filiorum iſtorum gignentium. Sic patet de Dauid: nam dicitur hic, quòd Iſai genuit Dauid, & non ponitur alius de filiis eius, & tamen Iſai habebat alios filios, quorum vltimus fuit Dauid, vt patet 1. Reg.16. & 1.Paralip.24. ita poterat eſſe de aliis. Et cùm obiicitur, quòd iſti eſſent primogeniti, quia per eos enarratur progenies patrum: dicendum,quòd non ſtat, quia ſi aliquando minores fuerunt digniores primogenitis, non computatur progenies patrum per primogenitos: ſic etiam fuit de Dauid: nam Salomon fuit minimus filorum eius, vt patet 1. Paralip. 28. & tamen per ipſum computatur progenies Dauid,quia ille fuit rex,& non aliquis de fratribus eius. Cum autem rurſus obiicitur, quòd fuit Obed primogenitus Booz. Dicendum, ꝙ non fuit primogenitus reſpectu Booz, ſed fuit primogenitus eius de Ruth, quia cū ſuſcepit illam in vxorem ad ſuſcitandum ſemen defuncti in Mahalon, primus filius eius fuit Obed. Aliud, & quartum inconueniens poteſt allegari, ſcilic. quòd ponitur hoc modo hiſtoria Ruth fuiſſe tempore Gedeonis, & tamen communiter dicitur, quòd fuerit tempore Heli ſummi ſacerdotis, & iudicis. Dicendum,quòd hoc non eſt inconueniens: nam non conſtat, quòd fuerit iſta hiſtoria tempore Heli ex aliquo loco ſacræ ſcripturæ: nec ex aliquo argumento probabili, ſed ſolum ex opinione cui poſſumus contradicere,ſi voluerimus: potiſſimè,cùm non poſſit hoc ſtare aliquo modo: nam ſupra 1.cap. in quadam quæſtione de hoc declaratum eſt, quòd erat impoſſibile, quòd accideret tempore Heli: ideo Hebræi dicebant quòd fuerit tempore Abeſan iudicis Iſrael. Sed dicendum, quòd etiam non poteſt ſtare: nam Abeſan fuit multo tempore poſt Gedeonem,& inter annum decimum Gedeonis, vel quaſi quo fuit natiuitas Booz, & principium temporis Abeſan fuerunt anni centum, & duo. Quod patet, quia Gedeon 40. annis iudicauit, de quibus ſubtrahantur decē, quia anno decimo eius ponitur ſupra fuiſſe natiuitas Obed,manent triginta: deinde tres anni, quibus præfuit Abimelech filius eius, deinde viginti tres anni Thola, & viginti duo anni Iair,& decem & octo anni,qui fuerunt ſine iudice, vt patet Iudi.8.9.& 10.poſtea ſex anni Iephte Galaaditę:Iud. 12. qui ſunt ſimul centum & duo anni: quibus additis præcedenti tempori ſequetur, quod tam Salmon, quam Booz quando genuerunt erant annorum centum quadraginta ſeptem ad minus, & tamen iſtud non conceditur tempore iſtorum: quia tunc nullus hominum ad tantam perueniebat ætatem,quanto magis,quòd illo tempore gignere poſſent.Patet hoc,quia dato, quòd fuerit natiuitas Obed anno 10. Gedeonis,vel quaſi,ponebatur, quòd eſſet Salmon annorū nonaginta,& duorum,vel quaſi,ſc.quòd natus eſſet ante introitum in terram Chanaan 20.annis, vel quaſi, & poſtea per ſeptuaginta duos genuiſſet Booz, & ſic eſſet nonaginta duorū annorum,quando gigneret & ponebatur etiam Booz nonaginta &octo annorum,quando gigneret Obed,quia alias nō poterat perueniri vſq; ad tempus Gedeonis, vt ſupra declaratum eſt: ſi autem nunc addantur iſti centum & duo anni ſequetur, ꝙ quilibet iſtorum ad minus erat annorum centū quadraginta & ſeptem: & tamen in tali ætate nō poterat quiſquam illo tempore viuere,ideo ſi illo tempore fuiſſet hiſtoria Ruth,neceſſarium erat, quòd aliquis ſubticeretur in progenie iſta,ſicut dixerunt Latini,&Nicolaus: ideo quantum ad hoc,licèt tam Iudæi, quam Latini videantur errare; tamen rationabilius locuti ſunt Latini ponentes, ꝙ fuerunt tēpore Heli,& ſubticeantur hic aliqui,quam Hebræi non ponentes aliquos ſubticeri, & dicentes, ꝙ fuerit hoc tempore Abeſan. Et rationabilius vtriſq; locutus eſt Nicolaus, dicens, quòd

Cauſa quare ſenex poteſt gignere de iuuēcula & non de veterana.

B

C

D

E

F

fuerit

A fuerit tempore Abesan:& tamen ponens, quod aliqui subticeantur, scilicet, quod fuerint tres vocati Booz. Sed adhuc ipse non rectè in hoc dixit fingens aliquid quod scriptura non dixit,&tamen sine causa non ponendo plures,quam exprimantur in litera : & sic non est ponendum , quod fuerit historia Ruth tempore Heli, nec tempore Abesan, sed tempore Gedeonis,vt supra declaratum est. Causa autem, quare motiuum,& ratio Nocolai non tenet,est primo,quia videtur nimis absurdum, quòd aliquis faciat suppletiones ad sacram scripturam, dicendo fuisse aliquid quod scriptura non ponit, nullam ostendendo ad hoc causam necessariam. Nam quando causa est necessaria, dicetur aliquid omissum esse, & tamen Nicolaus non ostendit aliquam causam necessariam, quare debeamus dicere , quòd fuerunt tres Booz , & quòd hic solum ponitur vnus,cum existente vnico Booz possit stare conuenienter , vt supra declaratum est : & potissime circa enarrationem progenitorum,cùm scriptura dicat fuisse Salmon patrem Booz, & Booz patrem Obed , & nos asseramus hoc non fuisse sic,sed quod Booz fuit pater alterius Booz , & ille alterius, quia videmur quodammodo dicere contra naturam scripturæ. Secundo,vt efficacius patet,quia si verum esset,quòd omitterētur hic duo viri nomine Booz, dato quòd in aliquo loco scripturæ omitterentur, supplerentur in aliis, sicut fit de multis aliis omissionibus : & tamen cùm in multis locis ponatur ista progenies , in omnibus ponitur sic : nam
B ponitur hic,& Matth.1.& 1.Para.2.& vbique ponitur eodem modo : ideo non videtur , quòd aliquid omissum fuerit hic, vel ibi : & ista est ratio , quæ maximè mouet. Item patet hoc potissimè de libro Paralip. quia ille liber est ad suppletionem eorum, quæ in aliis libris omittuntur,& ob hoc vocatur Paralipomenon , id est omissorum siue de omissis , & tamen ibi ponituur generatio ista,sicut hic,ergo non fuerunt taciti aliqui,qui vocarentur Booz, sicut isti asserunt. Motiuum autem Nicolai,scilicet,quod subticeantur hic tres viri,vel duo, sicut constat, quod omittuntur Mat. 1. in Genealogia Christi,non facit ad propositum,quia de illis habetur causa, quare omittantur, scilicet , quia fuerunt impij, & tamen de istis duobus , quos asserunt subticeri , non apparet , quod mali fuerint , cum etiam non appareat , quòd sint : ideo non est sic dicendum , quòd omittantur. Item patet hoc maxime, quia adhuc si omitterentur solùm Matthæi primo , posset habere colorem , quòd fiebat ad reddendum numerum perfectum,& adæquatum generationum quatuordecim : ita vt ter ponantur quatuordecim , vt ait Matth. vel forte ex alia causa : & tamen non omitterentur illi in veteri testamento, sicut hic de tribus regibus,scilicet Ochozia, Ioas, & Amasia, qui sunt in generatione Christi:& tamen si omittuntur Mat. 1.ponuntur tamen in numero regum in 4.Reg. & in 2. Para. & in aliis libris. Et cùm de istis duobus Booz , quos dicunt subticeri , non apparet in veteri testamento toto , ideo non est dicendum , quòd imittantur hic. Patet ergo , quòd Salmon fuerit filius Naason,& pater huius Booz,qui genuit Obed. Et ita terminatur tota sententia huius libri Ruth, adiuuante Deo nostro , cui est honor , & gloria in secula seculorum , Amen. D

BREVIVS licèt libellus iste in litera extiterit , cùm nec per se liber sit, sed quædam decisio facta de libro Iudicum,vt Hieronymus innuit in prologo Galeato , difficultates tamen nō paucas continet, cui & quandam lucubratiunculam apponere necessariò nobis fuit : nunc verò licet iuxta vota fortassis labori fructus expositionis non responderit, deuotè tamen , vt id efficeretur, iuxta vires elaboratum est. In quo,vt in cæteris,assistrice nobis spiritus diuisoris quantacunque portiuncula,aliquid saltem elucidatum est.Lectores ergo benevolos admonitos esse volo , ne pauperculam Ruth in agro Booz spicas metentem contempserint : nam etsi pauperula , magnæ tamen virtutis nobis indicium præstitit : potissimè,quia libelli huius explanatio multa cōtinet, quæ aliorum librorum tam nouorum,quam veterum expositioni , & intellectioni coaptantur. E

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Signat. Top.
Est. 22
Tab. 4

ALFONSI TOSTATI Hispani Abulensis Episcopi OPERVM Tomi 9. Pars. 3.

Continens Commentaria in Iudices et Ruth.

4962 B